Hi 13

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS.

OPERA

QVOTQVOT EXTANT OMNIA.

A mendis accuratè repurgata, viuiſque imaginibus eleganter & opportunè ſuis locis illuſtrata.

ALESSANDRINA

P. PERNAE TYP.
BASIL. TYPIS,
CIↃ IↃ LXXVIII.

14

Digitized by Google

DIVO AVGVSTO
SAXONIÆ DVCI, PRINCIPI ELECTORI
ILLVSTRISS. ET POTENTISS.

SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-
MARISCHALCO, &c.

Petrus Perna Typographus
Baſilienſis

HAS PAVLI IOVII HISTO-
RIAS D. D.

Digitized by Google

DIVO

AVGVSTO SAXONIAE DVCI POTENTISS· PRINCIPI ELECTORI, &c. DOMINO SVO CLEMENTISS.

S. D. P.

VIRI excellentes, & quotcunque in hoc terrarum Orbe aliquid præclari geſſerunt, Princeps Illuſtriſſime, aut etiamnum gerere poſſunt, à cæteris plebeis hominibus, ortu ipſo & naſcendi ratione parùm differunt. Naſcimur enim ex ſemine & ſanguine omnes: verſaturq; natura omnium parens, circa hanc ſubiectam ſuo operi materiam, & in illius informatione, perindè ferè ſe habet, ut in producendis cęteris animãtibus, quibus ſingillatim etiam inditum eſt & divinitùs attributũ, ut ſimilia ſibi progignere queant. Nati iam infantes ſi plures numero conferantur, & nudi remotis omnibus ornamentis cõſiderentur: quis dicet hunc ruſtici, alium verò Regis filium eſſe? Quis hunc ſummum belli Ducem fore pronunciabit, aut virum literatiſſimum: illum verò effœminatum & ocio deditum? Equidem ſi de liberis recenter natis iudicium ferre volueris, ex ijs quę in ipſorum corporibus ſolùm ſenſu ipſo percipiuntur, non modò diſcrimen nullum ſingulare comperies inter ipſos, ſed neque à cęteris quidem animantibus multò magis differre deprehendes: quàm forma illa humanitatis externa, quæ foris intuentium oculis occurrit: quoniam ſenſu, motu, rerum utilium appetitu, & fuga eorum quæ nocere queant, à multis brutis animantibus ſuperantur. Imò verò etiam tunc, cum ætatis progreſſu verba formare & loqui incipiunt, verbis ipſis atq; loquela, magnam arguunt eſſe hìc diverſitatem à cæteris animantibus· ſed rebus & actionibus latentem rationis vim nondum longo tempore demonſtrant. Quoniam perſequuntur etiamnum, tanquam beſtiolæ quædam, non niſi res appetitui iocundas, ſive ſalubres ſint aut non, honeſtæ aut turpes: à periculoſis autem nec propria facultate abſtinere poſſunt, nec à prudentioribus moniti, temperare. Vſque adeò ſcilicet alto ſomno veluti ſepulta iacet rationis vis & animæ rationalis functio: ſive propter humiditatem inſtrumenti, cui ineſt & quo utitur: ſive etiam propter labem primorum noſtrorum parentum. Hæc ſi ita ſe habent, quidnam tandem illud erit, quod primũ quidem humanum genus univerſum ad tantam evehit dignitatem, qua cæteris animantibus imperat, ijſq; pro arbitrio utitur? Deinde, inter homines ipſos tantum efficit diſcrimen, ut alij alijs etiam dominari, præeſſe, eos rectè gubernare, aliaq; quamplurima & pręclara munera obire queant? Animi cultus profectò, pręterea nihil. Nam ſicuti ager, quamvis natura ſit fertilis, ſi non colitur,

Digitized by Google

nihil præter ſentes & carduos producit: ita in homine, rationalis animæ quædam facultas eſt,quę natura ſua ad multas præclaras actiones edendas vim habet:eſtq; eadem hęc in alijs hominibus etiam aliquanto quàm in cæteris præſtantior:ſed niſi excolatur tamen,eos fructus,eaſq; functiones neutiquam edere poteſt, quarum edendarum poteſtatem à natura & Deo ipſo accepit. Iam verò animus noſter ipſaq; mens etſi rerũ univerſalium contemplatione occupetur, & earum conſideratione plurimùm excolatur:non poteſt tamen ſingularibus ullo modo carere: quoniam univerſalia ea, quæ in mente & intellectu verſantur,ex ſenſu rerum ſingularium colliguntur & deſumuntur. veriſſima namq; videtur ea ſententia, quam in ſcholis tritam eſſe audio, nihil in intellectum venire,quin prius in ſenſu fuerit. Quo fit profectò,ut nullum theorema univerſale verũ ſit, niſi cum rerũ ſingularium experientia conſentiat,eiq; eadem hæc experientia ſubſcribat. Nam & doctiſſimi homines in ore illud habere ſolent, Vſus facit artem. Apparet ergo hinc ſumma artificis illius & conditoris noſtri ſapientia,qui hominem anima rationali præditum,& proinde aptũ contemplationi univerſalium:quinq; inſuper ſenſuum adminiculo auxit,ut ex ijs quæ ſingillatim videret,audiret,tangeret,guſtaret et olfaceret,univerſalia theoremata formare poſſet, omnibus individuis cõmunia. Omnis igitur excolendi animi ratio & via ad virtutẽ contendendi,ab rerum ſingularium ſenſu & experientia ortũ ſuum et primam originẽ ducit.Sed eadẽ hęc partim ab αὐτοψίᾳ dependet,ijsq; innititur,quæ unuſquiſq; proprio intuitu cernere & experiri ſolet ſenſu proprio:cuiuſmodi idiotorũ pleriſq; contingit,qui tantùm quiq; ſapere conſueverunt,quantũ ex varijs caſibus diſcere potuerunt,in quos incidère:& quò plura cuiq; per ætatem experiri cõtigit,tantò ſolent eſſe prudentiores & cautiores.Cæterũ etſi pręclara ſit,difficilis tamen longaq; eſt hęc via ad laudem atq; virtutem contendendi:nam quia vita hominis brevis eſt,nemo in tot caſus ante obitum incidere poterit,per quos de omnibus ijs inſtituatur,quæ viro excellenti atq; illuſtri cognitu ſunt neceſſariæ.Itaq; alia eſt à ſapientibus invẽta & excogitata ratio experiendi rerũ ſingularium naturas,et ex eorum cõſideratione animum excolendi. Hiſtoriæ ſcilicet rerũ quę ab alijs geſtæ expertæq; ſint,quibus omnia continentur,quæcunq; ab excellentib.illuſtribusq; viris longa temporis ſerie cogitata,experta,felici infeliciq; eventu comprobata fuerunt. Harum lectione & accurata meditatione longè felicius iuſtituitur animus noſter,& informatur ad res gerẽdas,quàm ſola αὐτοψία.Nam ſicuti in divitijs & opibus comparandis, cernimus eos qui proprio labore quærunt,longo intervallo ab illis ſuperari,quos fortuna amplis hæreditatibus cumulat:ita in excolendo recteq; informãdo animo cenſere oportet, eos longè feliciores, qui ſuis laboribus, aliorũ etiam ſtudia & meditationes cõiungere

poſſunt,

poſſunt, quàm qui ſola αὐτοψίᾳ imitantur. Etenim ut de cæteris nihil nunc dicamus, qui in rerũ magnarum cõſultatione verſantur, & de ijs deliberant, ſi cognitione hiſtoriæ communiti inſtructiq; ſint, omniũ rerũ exemplis abundant: eorũ cauſas, progreſſus eventusq; veluti ante oculos poſitos habent. Quas cum rebus præſentibus, de quibus iam conſultandũ eſt, quia aut ſimilitudinẽ habere oporteat, aut diſcrimen: quis non videt illinc præſentib. rebus, quæ dubiæ ſunt, tantam lucem inferri poſſe, ut quid ex ſimilibus diſſimilibusq; cauſis conijciendum, ſperandũ, metuendumq; ſit, facilè intelligatur? Quid igitur utilius aut iocundius exiſtimari debet, quàm in humanæ vitæ theatro (quod Hiſtoria ampliſſimũ ſuppeditat) ſedentẽ & quieſcentem, aliorũ periculis cautũ & ſapientem fieri, exempla intueri omnis generis, quæ ad uſum tuum accõmodare quavis in re poſſis magna cum utilitate, maximorum Regum & Principũ conſultationibus de rebus maximis intereſſe, earũ eventus intueri: ex retroactis futura proſpicerere: & deniq; ſecula tota in tam brevi vitę curriculo cõiungere: maximorũ Imperiorum auſpicia, progreſſus & finẽ videre: malorum tam publicorum quàm privatorũ cauſas liquidè cognoſcere, nec uſquam experimẽto certo deſtitui? Nam ut à M. Cicerone ſcriptũ eſt, nihil earum rerũ ſcire, quæ antequã naſcereris factę ſunt, hoc eſt, ſemper eſſe puerum. Cognoſcere verò res geſtas memoriæ veteris, ordinẽ tenere antiquitatis, exemplorũq; omnium habere notitiam, decorũ, laudabile, ac propè divinũ eſt. Quòd ſi vel antiquæ ſtatuæ partem quandoq; à ſapientibus viris magna pecunia emptam eſſe ſcimus, ut & domum ea cohoneſtarẽt, & poſteris, qui talem artem profiterentur, aliquid quod imitandũ eſſet, relinquerent: quanti faciendum eſſe exiſtimamus tot tamq; excellentium virorum, ducũ, principum, regum, imperatorũ, totiusq; adeo antiquitatis vivas illas imagines, quæ nobis in Hiſtorijs proponuntur, & ad intuendũ, & ad imitandũ? Intellexerunt id omnib. ſeculis ſapientiſſimi & excellentiſſimi viri. Demetrius Phalereus ſapientiſs. ille Athenienſium moderator, quiq; ſexaginta æreas ſtatuas meruit, cũ intelligeret Ptolemæi regis amicos minus illi audere dicere ea, quæ ad illius ſalutẽ, inſtitutionem & animi cultũ facerent: ſuadebat ſubinde regi, ut hiſtorias & libros de Republ. legeret, quod ex illis omnia diſcere poſſet, quæ illi amici demonſtrare nõ auderent. Athenienſes Thucydidem, etſi propter certas quaſdã cauſas urbe expuliſſent: cũ tamen eius hiſtoriam cognoviſſent, eum ab exilio in urbem revocarunt. Marco Varroni hiſtorico, vivo adhuc, imago in bibliotheca publicè ab Aſinio Pollione poſita eſt. Cn. Pompeius Magnus Theophanẽ Mitylenæum ſuarum rerũ ſcriptorem, publicè in concione militũ civitate donavit, omnibus, ut Cic. pro Archia teſtatur, id factum approbantibus. Sed omnium cæterorũ loco, unum adhuc exemplum adducamus, Ioſephũ nempe rerum Iudaicarũ ſcriptorem: quem unicũ Deus optimus maximus vel ob hanc cau-

Digitized by Google

ſam videtur ab illorum nûmero excepiſſe, adverſus quos virgam ſuam extendere decreviſſet. Etſi enim adverſus Romanos in eo bello dux eſſet, & devicta Iotapata, captivus Veſpaſiano traderetur, ei tamē propter hiſtoriç cognitionem, eiuſdemq; ſcribendæ facultatē tam charus fuit, ut eum Imperator vinculis ſolverit, honoribus auxerit, eius libros publicç bibliothecæ tradiderit, eiq; tandem etiam columnam in eadem bibliotheca, homini extero & peregrino poſuerit. Poſſemus huiuſmodi exemplorū multas decades hic deſcribere: ſed ad te potius iam veniendum eſt, Princeps illuſtriſs. ſimul & potentiſſime, & oſtendendæ rationes mei inſtituti, cùm in adornando illuſtrandoq; hoc Opere hiſtorico, tum in excudendo eodē ſub tuo Illuſtriſs. nomine. Equidem cùm me iam olim laboribus iſtis typographicis emanciparem, duos mihi præcipuè eorū ſcopos præfixeram. Primus erat, ut Theologicos libros omnis generis eccleſiæ ſalutares atq; utiles, quam emendatiſſimè excuderem, eſſemq; tanquam publicus quidā notarius adverſus multiplices illos errores, qui iam olim in eccleſiam irrepſerunt, & patrū noſtrorum memoria, cùm alibi, tum verò in tua præcipuè ditione emendari cœperunt: alter verò ut hiſtorias quoq; quantū fieri poſſet, illuſtrarem. Cùm enim hiſtoria, atteſtante nobis ſapientiſſimo illo Romanæ Reip. conſule, ſit lux veritatis & teſtis temporū: tantam ſemper putavi eſſe illius cū ſacra doctrina cognationē, ut hæc ab illa plurimū illuſtretur, & ſine ipſa vix tutò conſervari queat. Quoniam ſi hiſtoria careamus: neq; loca nec tempora cognoſcemus, quibus Deus opt. maximus populo ſuo ſeſe devinxit, fœdus cum illo pepigit, Servatorem miſit, & alia ſingillatim fecit, quibus ſalutis noſtræ fideiq; baſis continentur. Ac ſpero equidem me hactenus per multos annos ita ad utrumq; ſcopum contendiſſe, ut toti literariç reipublicæ laboribus meis profuerim. Nec minori ſtudio atq; diligentia deinceps utriq; ſtudio incumbere cōſtitueram: ſed quo minus id feliciter proſequi poſſim, impedimēto mihi ſunt controverſiæ, quæ inter Theologos hac noſtra ætate eò uſq; progreſſæ ſunt, ut alij aliorū dicta, ſcriptaq; omnia damnent, interpoſitaq; virorū principum & rerumpub. autoritate, ne publicè vendātur (proh ſcelus) etiam prohibent. Itaq; cedendum tempori exiſtimavi, ita quidē, ut intermiſſis ex parte aliquandiu theologicis libris, me interim totum penè Hiſtoriæ traderem. Quamobrem cū alios multos præclaros hiſtoricos his proximis annis in mea Officina excudi, tum verò hunc, quem iam tibi nuncupo, Princeps Illuſtriſs. Paulum Iovium, nō excudi modò, ſed cōquiſitis undiq; omnibus eius, quę prius deerant, partibus auxi, adiectisq; vivis imaginibus magno meo ſumptu fabrefactis, magnopere illuſtravi & exornavi. Cauſæ verò quę me permoverunt, ut illud ipſum Opus ſub tuo potiſſimùm Illuſtriſs. nomine in lucē edere voluerim, eædem ſunt ferè, quæ me etiā ad faciendos tantos ſumptus, idq; opus illuſtrandū permoverunt. Hiſtoriç huius maieſtas ſcilicet, &

Poten

Potentiæ tuę magnitudo. Nam cum Hiſtoricum qui patrum noſtrorũ noſtraq; memoria, corpore quidem Romę utplurimũ vixit: animo autem omnes totius mundi angulos, novosq; orbes peragravit: res nõ in Europa tantùm geſtas & cognitu dignas, ſed quotquot in omnib. ferè provincijs mundi accidêre memorabiles per id tempus mutationes: ordine, dilucidè, clarè & eleganter explicavit: illi potiſſimum Principi & patrono cõmendandum eſſe putavi, cuius potentiæ magnitudo, familiæ ſplendor, illuſtris ſapientia, & rerum geſtarum memoria latiſſimè paterent. Nam ut cæterorum tuæ familię principum facta dictaq; hic non commemorare conſtitui: ita nec poſſum nec debeo fratrem tuum Mauritium, principẽ æterna memoria digniſſimũ, omnino prętenre, qui propter inſignem cũ in Germania ſæpius, tum in expeditione Hungarica adverſus Turcas declaratã virtutem, non exiguam huius hiſtorię partem ſibi vendicat, veluti id ex lectione quadrageſimi ſecundi harum hiſtoriarũ libri cuilibet patebit, & præcipuè quidem in obſidione Peſti oppidi, ex adverſo Budæ urbis poſiti, quo loco adverſus Turcarum impetũ ita pugnavit, ut penè ſolus Germaniæ decus cõſervarit, & ſingulari virtute (et ſi equo deiectus) ſeſe ſuosq; ab imminenti periculo intrepidè liberavit. Hęc eſt inſtituti mei ratio paucis explicata verbis Princeps Illuſtriſsime: neque enim hic propoſui aut res à te, tuis maioribus, totaq; illa Saxonũ nobiliſſima familia præclarè geſtas, aut tuas ipſius ſingulares animi dotes ſingillatim decantare: nec ſi id maximè vellẽ conari, hoc loco atq; hoc tempore à me præſtari poſſet, quod huiuſmodi res non una Epiſtola, ſed multis voluminibus indigeant. Hoc unum colophonis nomine addam: cùm te Deus opt. maximus, longè ſupra communẽ cæterorum S. Romani Imperij principem ſortem ditaſſet: tibi quoq; animum dedit iuſtitiæ, pietatis & veræ religionis amantẽ. Cui rei atteſtantur ſumptus illi maximi, quibus foves, auges, ſemperq; foviſti & auxiſti Academias à maioribus tuis inſtitutas: ex quibus omnium ſcientiarũ, præſertim verò iuſtitiæ & ſacræ doctrinæ multi inſignes excultores & inſtauratores prodierunt. Honores autem & præmia, quibus earundem Academiarum profeſſores ſemper es proſequutus, tanta ſunt: ut illis excellentiſſimos viros ex longinquis regionib. facilè ad te pertraxeris. Ex quorum numero ſi unũ Simonem Simonium conterraneum meum hic nominavero, id certè feciſſe videar, quod & viri excellentiſs. præſtantia, & magnificentiæ liberalitatisq; tuæ ſumma dignitas meretur. Faxit Deus opt. maximus, ut Celſitudo tua, gubernandæ Chriſtianæ Reipublicæ quamdiutiſſimè & feliciſſimè præſit. Baſileæ, ex Officina noſtra, Kal. Martijs.

Illuſtriſſ. tuo nomini

Deditiſſimus & obſequentiſſ.

Petrus Perna typographus Baſilienſis.

Digitized by Google

ANDREAS ALCIATVS
PAVLO IOVIO S.D.P.

EX literis tuis tertio Cal. Septembris Romæ datis, tuam erga me benevolentiam mirificè confirmatam perſpexi, quum rationum tuarum, & ſuſcepti cõſilij decretum benignè communices. Scribis enim te gravi iniuria permotum, Vrbe (quod nunquam fieri poſſe putaram) propediem exceſſurum, ne diutius acceptæ contumeliæ deformis teſtis in ea aula ſpecteris, in qua per multos annos (uti mihi videtur) cum aureæ mediocritatis bonis planè beatus, tum ſtudiorum tuorũ authoritate clarus hactenus fuiſti. Mirum profectò videri poteſt, quòd tibi doctrinæ ac ætat is honore maiora promerito, in petitione Pontificatus patriæ tuæ Paulus Pontifex quendã prætulerit. At quem hominem? qui Comi neq; natus, neq; unquam viſus ſit, & qui (ſicut à multis audio) ex arcanis cubiculi ſordibus in lucem repentè ſit productus. Quis in hoc Pontificem ἀμουσότερον non iudicet? Non enim hoſtis bonarum literarum & planè ferreus eſſe non poteſt, qui te graviſſimarum rerum ſcriptorem intempeſtivè contempſerit. Hinc eſt ut arbitrer (contrà ac rebar) eum non putare ſua intereſſe, quid de ipſo hinc ad ſexcentos annos (ut Ciceronis verbo utar) hiſtoriæ loquantur. Qua in re Carolum Cæſarem Pontifice ab æquitate iudicij ſapientiorem exiſtimare fas eſt, qui competitorem tuum cum multa invidia antiſtitem renunciatum, ſacerdotij poſſeſſione indignum cenſeat. Ego verò te hac offenſiuncula multò beatiorem factum eſſe puto, quòd tui ordinis perſonam, hoc eſt, non inſulſi philoſophi, deſumpſiſti, ut te diu ſervum honeſtiſſimo commeatus nomine tandem in libertatem vendicares. Quid enim tibi Dij aut Fortuna, quæ cuncta iure ſuo ſibi vendicat, melius atque præſtantius tribuere potuerunt, quàm ut mentem darent, quã opportunè tibi ſapere oſtenderes? Effregiſti namque ergaſtulum, & fortiter compedes exuiſti, ut liber exiliens apud Larium, Muſæumq; tuum, literati ocij tranquillitate fruerêre. Nunquam profectò vel podagra tentatus ſenex, tibi rude donandus eſſe videbare, niſi te hęrentem ambitioſius quàm philoſophum deceret, & diu reſtitantem eludens Fortuna illinc abſtraxiſſet. Sed dices te indignè deceptum ab inveterati aſtus ſene principe, qui blandis promiſſis vota tua honeſtè concepta iniquè feſellerit. Qua in re mihi gratulor, quòd ab eo me decipi non ſim paſſus, quũ me, uti ſcis, magnis propoſitis pręmijs Ticino, Ferraria, atq; Bononia in Vrbem accerſeret. Tum enim ex iure meo magis cautus fui, quàm tu ex ſapientiæ præceptis prudẽs philoſophus. Cur enim pro inani aut incerta ſpe purpurę hos tantos primi ſuggeſtus honores relinquerem? opimis præſertim firmatos ſtipendijs? Cur has tantas contemnerem circumfuſæ iuventutis ſalutationes? & hanc deniq; tot conſultoribus ianuam pulſantibus, exiſtimationẽ magno lucro, & nõ obſcura cum laude quæſitam, ineptè, ſtulteq; desererem? Quandoquidem nemo commodè ſe vixiſſe teſtetur, cũ in aliena terra degẽs, mortem à ſuis deſertus, & miſer expectet, ut eius tota ſuppellex ab alieno inopinatoque hærede rapiatur. Quod verò hiſtoriæ tuæ volumen COSMO Principi dicatum Florentiam deferas, ut chalcogragho tradatur, magnopere laudo proboq;. Nam incomparabilis oblectationis munus cunctis propè gentibus ſic imparties, ut gloriæ tuæ incunabulis interfuturus videare, ſi qua tamen evenire poteſt ante fata meritũ ingenui laboris fructum expectanti. In hac cauſa, quæ multos vitilitigatores habitura ſit, video te cautiſſimè præmunitũ, quando ante omnia longè optimum patronũ delegeris. Eſt enim COSMVS inter huius ętatis Principes ſtabili ingenio ſibi conſtans, ſine ullo fuco veræ laudis appetens, & glorię maiorum ſuorũ gravis æmulator. Propter quas dotes ego iam pridẽ honorario, ut iuriſconſulti vocant, invitatus ad profitendũ Piſano in gymnaſio ad eum iturus eram, niſi inclemẽtis cœli oram timidius fortaſſe quàm oporteret, reformidaſſem. Quod verò ad elegantiam dignitatemq; voluminis multũ pertinet, Etruſci pręli typos Venetis & Germanicis antepono: ſic enim oculos meos delectãt, ut minimè fatigent. Hac nanq; æſtate librũ Florentię excuſum, quẽ de Vita & rebus geſtis inſignium virorũ edidiſti, multa cũ voluptate percucurri: ſcis quã avidus ſim librorũ helluo, & tum maximè quũ novitas excitat palatũ. In his libris quod mei iudicij eſt, ſolidum dicendi genus, planeq; robuſtum, & verè tuum agnovi, & id nõ ſine erudito lepôre, quo te prorſus Plutarcho Græco

æqua

æquaverim. Sed te incurſurum provideo in quoſdam criticos malignè curioſos, qui te
caſtraſſe Hiſtorias tuas dicãt, ut Vitas per ſe graciles alieno adipe ſuffarcires, quod & mi-
hi accidit. Nam ex libris meis Prętermiſſorum, Diſpunctionumq; & Paradoxorũ, integras
medullas in Parerga me contuliſſe prædicabant. Quibus uno Martialis verſiculo reſpon-
debam, nihil ad eos pertinere, *De cute quid faciat ille, vel ille ſua.* Superbi enim ac impu-
dentis præſcripti res eſt, quum quis ſua re, ut lubet, bono iure uti vetatur. Quod enim fla-
gitium eſſe poteſt, ſi quis ex ſua lacinia ſagum conficiat? Quantum autem ad Hiſtoriam
pertinet, de his te amicè admonebo, de quibus coram, te expetente diſputavimus, quum
fortè Mediolani cum Sfondrato & Valterio eruditis ſenatoribus apud Bonromeum an-
tiſtitem cœnaſſemus. Tum enim multa me dixiſſe recolo de toto elocutionis genere,
quo mediam, uti reor, inter antiquos & veteres ſcriptores laudem aſſequebare: Quando
perlectis aliquot Hiſtoriæ tuę libris, reliqua etiam variarum deſcriptionum ornamenta
commendarentur. Id autem à te præcipuè deſiderabam, ut ad illud quod Græci πρέπον
vocant, nõ abſurdè reſponderes. Sicuti in ea Oratione animadvertebam, quę à Marconio
gregario milite, ad legiones iam planè conſternatas, & ad ſeditionem ſpectantes habeba
tur, quum Solymano Pannoniæ finibus excedente, Carolus Cæſar Vienna profectus in
Italiam rediret. In ea ſiquidem concione omnes artis nervos numeroſque ita expreſſiſti,
ut ille Marconius nequaquam ab aratro Volaterrani agri ad ſigna vocatus, ſed ex ſcho-
la Ciceronis, & Hermogenis ad ſuggeſtum raptus eſſe videatur, quum paſſim exactæ e-
loquentiæ ſchemata interniteant, quæ peroranti turbam parère coegerint. De hoc verò
& multis ſimilibus, qui tibi ſapis rectè conſules. In verborum autem delectu novi mores,
nova arma, novaque caſtrenſium præſertim rerum vocabula te ſatis excuſabunt, ſi cum
præfatione, & parcè quidem illis utare. Idcirco quoſdam infœcundos, & qui vix dum ſub-
odorati literas cuncta paſſim condemnant, facilè contemnes. Hi enim, ut in Adagio eſt,
Ἀδώνιδος κῆποι, ſteriliores evadunt, quando ſua non proferant, & aliena odioſè iudicent.
hos nanque illos eſſe puto, quos tu in Academiam Romanam ultrò nomen dantes, ur-
banè ſale Eunuchos appellare ſoles, ſerotinis utique concurbitis ſimiles, quæ nunquam
matureſcente ſemine, ante medium autumnum ſiccatæ & iactatæ vento, cum ſonitu i-
nanes decidunt. Illi porrò qui rerum & locorum noritia gaudent, nec affectatas exorna-
tiones admittunt, non repoſcent à te rationem, cur lacteam Livij ubertatem non ſis aſ-
ſecutus: poſtquam & te omnino piguerit Salluſtij ſobrietatem imitari, & ſatis tibi fuerit
pauculos tantùm flores ex Q. Curtij pratis, ſæpius quàm ex Cor. Taciti ſenticetis, arguta
manu decerpſiſſe. Quandoquidem C. Cæſar ipſe, ut video, à puriſſimo Opere ſuo, reiectis
ſtyli bracteolis, modum contexendæ, aptiſque periodis terminandæ orationis, tibi accu-
rato & perſpicaci diſſimulanter oſtenderit. Cæterùm nos omnes ſupra totum Hiſtoriæ
munus, quod inæſtimabile cenſeri poteſt, hoc uno tibi, ſi ingrati eſſe nolumus, plurimũ
debere fatebimur, quòd ad ſingularem legentium utilitatem per totum ferè terrarum
orbem, Provincijs, Vrbibus, Fluvijs, atque Inſulis, antiqua nomina, aut corrupta ævo, aut
penitùs extincta reddideris. Verùm de his diſertius atque iocundius agemus, quum te in
Muſæo complectar, ad quod iam me invitas propediem ex Ticino ſeceſſurum in Bucci-
naſcum meum. Inde enim per Alciatem gentilium meorum pagum, tribus horis vel ſe-
gni mula vectus ad te pervenire poſſum. Tum unà piſcabimur, & herclè utriq; noſtrûm
pedibus ægro, commodius erit naviculis, quàm mulabus vehi. Tum molliores iocos ſe-
remus, licebitq; mihi tot imagines clarorum virorum colluſtranti meipſum aliquanto,
quàm ſim facie formoſiorem intueri. Nam, ut audio, me inter Eraſmum, atque Budæum
æterni nominis viros, medium collocaſti: ſic ut vivus inter bonos mortuos hono-
ris cauſa ſpecter, quod uni M. Varroni in Auguſti Bibliotheca
contigit. Vale. Datum Ticini Non. Octobris.

M D XIL.

Digitized by Google

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI IN LIBROS HISTORIARUM *ſui temporis*

PRÆFATIO,

AD COSMVM MEDICEM REIPVB. FLORENTINAE Principem.

MAGNOS *profectò & longè honeſtiſſimos optimorum ſtudiorum fructus, Magnanime Coſme, illi ante alios in hac vita cepiſſe exiſtimantur, qui omnes ingenij facultates in id maximè opus ſanctiſſimo fine propoſito contulerunt, quo & prodeſſe bonis mortalibus ingenuo labore poſſent, & ſui memoriam præclaro literarum teſtimonio poſteris cõmendare niterentur. Quando in hac vita, quam natura incertis brevis ævi anguſtijs humano generi præſcripſit, nihil beatius eſſe poteſt, quàm nominis famam immortalibus invicti animi monumentis, ad non incertam ſpem ſempiternæ laudis extendiſſe. Hac opinione ab ipſa ſtatim adoleſcentia imbutus, & poſt aliquot annos magis ac magis non ignobili ratione confirmatus, impellente Genio, conſcribendæ Hiſtoriæ negotium ſuſcepi. Quum animus in Philoſophiæ & Medicinæ ſtudijs Romæ docendo, agendoq; certiore aliquantò quæſtu quàm gloria verſaretur, ad idq; me laudis & famæ cupidum vehementer incitarent noſtræ tempeſtatis res bello geſtæ, quæ ab adventu Caroli Octavi Galliæ regis in Italiam propter varietatem & magnitudinem tot præliorum & caſuum, uberrimam ingenijs materiam præbere videbantur. Sperabam enim hunc laborem meum quadam ingenij liberalitate ſpontè ſuſceptum, multò utiliorem atq; iocundiorem poſteris futurum, quàm ſi earum artium præcepta novis commentarijs locupletare contendiſſem. In hoc itaq; nobile decretum pertinaci ſtudio omnes ingenij nervos contendenti, ita boni eventus numen affulſit, ut qui res geſtas noſtri ſeculi conſcribere (quod vel graviſſimis atq; doctiſſimis viris arduum ſemper fuit) auſus ſim: abſoluto tandem Opere id in publicum edere non dubitem, magno hercle incorruptæ veritatis argumento: Quandoquidem pleriq; eorum, qui hæc bello paceq; geſſerunt, adhuc vivant, ac idcirco gravi exiſtimationis meæ cum periculo mentientem refellere poſſint. Sed, ut planè reor, factioſa & tetro livore contaminata ingenia occurrent, quæ vel rectè & fideliter ſcripta ſævo dente commordeant, ubi aliquid paulò diverſius ab eo, quod audierint, aut certè rudius & licentioſius dictum (id ad delicatos attinet) offenderint: ſic ut nimis atrox & planè miſerum ſcriptori videatur pro ſummæ utilitatis, & iocundæ oblectationis beneficio, ubi gratiam ſperet agreſtis invidiæ & diræ malignitatis contumeliam referre. Verum hæc civili animo ita contempſerim, ut Marcellini, Spartiani, & Pollionis collatione me conſoler, qui contra Gothorum rabiem, & vetuſtatis iniuriam, nullo ſubnixi impreſſoriæ artis præſidio, quo iam planè literæ ab interitu vindicantur, hactenus vixerunt, & uti arbitror, diu etiam vivent. Tantus enim eſt honos Hiſtoriæ, ut vel ineptè ſcripta, non inſulſos homines magnoperè delectet. Neque adeo ſum impudens, ut procaci æmulatione ad Cæſaris atq; Salluſtij & Livij decus aſpirem. Huius verò ſeculi ſcriptoribus, neque me comparari velim, quum plerique eorum nequaquam tantam, uti nos, locorum, rerum, atque hominum noti-*

noti-

notitiam, aut opulentiorem vigentis memoriæ theſaurum, quem cœlo datum, et figuratis ſedium artificijs diligenter adauctum fatemur, ad ſcribendum attulerint: nec in ea luce domicilij totius orbis, Vaticanæq; aulæ, ubi per triginta ſeptẽ annos multa opportunaq; didicerim, verſati ſint: ut hîc omittantur optimarum diſciplinarum præſidia, quibus non obſcurè muniti ſumus. Maximorum autem Regum atque Pontificum, inſigniumq; bello ducum familiaritatem ac amicitiam promeriti, ex eorum ore hæc hauſimus, quæ amore vel odio nuſquam diſtracti, fideli literarum memoriæ mandavimus. Ad id quoque explendum munus mirificè me adiuvit, principes dominos in provincias ad bella ſecutum, caſtra, acies, prælia, expugnationes urbium, campos in victoria cadaveribus ſtratos, admirandaq; obiter utriuſque Fortunæ millitaris exempla ſpectaviſſe. Cæterùm hoc qualecunque eſt opus, ſi non felici, ingenuo certè labore ad ſpem promerendæ ſaltem apud poſteros honeſtæ laudis ſuſceptum, tibi iure optimo dicamus: vel ob id præcipuè, quòd læto quodam auſpicio aſpirante Leone, in maiorum tuorum domo, quæ præcellentium artium celebre domicilium ſemper fuit, inchoatum elucubratumq; eſt. Nec dubito quin decora progenitorum tuorum veſtigia ſecutum, magno mihi præſidio ſis futurus, poſtquam eadem muſarum ſtudia, quæ familiam tuam ad civitatis principatum, indeq; ex geminato & propè coniuncto ſummo pontificatu ad celſiſsimum rerum faſtigium extulerunt, religioſe & liberaliter colis, totáq; Etruriæ urbes & Florentiam patriam ſumma æquitate, ſapientia, pietateq; gubernes, ac domeſticam inſignis aulæ atque familiæ diſciplinam, ad incorrupti pudoris decus multò quàm alij luculentius atque ſplendidius tueare. Id verò in te Principe admirabile prorſus ac inuſitatum conſpicimus, quòd in hac numeroſæ decoræq; prolis felicitate, una prorſus tua virtute, quam ipſa Etruſci Imperij fortuna, maior atque beatior evadis.

VALE.

PAVLVS IOVIVS.



PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER I.

QVIESCEBAT TERRARVM ORBIS NVLLIS bellorum procellis agitatus, ac in primis Italia quaſſata paulò ante inteſtinis malis, optima pace florebat, quum bellum opinione hominum maius ac atrocius in Italia exarſit: quod poſtea Europam non modò omnem, verùm Aſię atque Aphricę longinquas partes concuſsis, vbique vel euerſis clariſsimarum gentium imperijs, paucorum annorum curriculo perturbauit. Quin et peruagata quoque eſt eadem fatalis bellorum lues quicquid terrarum Oceano alluitur, incognitosque antea populos nobis aperuit: ad quos neque Romana virtus, neq; vllæ priſcorū literę penetrarant. Ita vt his quinquaginta annis, in quos vniuerſa confertur hiſtoria, nihil reliquum tot cladibus afflicto terrarum orbi Mars & Fortuna feciſſe videantur, quum remotiſsima quæq; prouinciarum ab ortu ſolis ad occaſum, per ipſos etiam paulò antè fabuloſos Antipodas bello tacta ſuo, vel externo cruore maduerit. Sed prius quàm tantarum rerum initia memoriæ prodantur, vt omnia ad cognoſcendum clara atque illuſtria in aperto ſint, operę pretium erit, quę nam gentium opes, quíue reges noſtra tempeſtate floruerint, ordine recenſere. Nam poſtquam Cæſarum potentia Fato ceſsit, quæ quondam ſublatis vndiq; regibus, cuncta vni parere coegerat, quum ferociſsimi quiq; populi priſtinę libertatis memoria rebellarint, nobiliſsimum imperium, alio atq; alio Barbarorum impetu conuulſum atq; dilaceratum, in minora regna & multorū ditionem abijſſe manifeſtum eſt. Fuere exinde res Gothorum maxime illuſtres, qui vt totius orbis iniurias vlciſci viderentur, egregijs virtutis atq; amplitudinis Romanę monumentis immani rabie deuaſtatis, vni hominū, de victore gentium populo triumpharunt. Athila quoque Hunnorum imperator, quum à Riphæis montibus ad Pyrenæos cuncta rapidiſsimi torrentis more proſtrauiſſet, inſignem rerum ab ſe geſtarum memoriam reliquit. Fuit et longè memorabilis Gallorum expeditio, qua Gottifredus Bolionius pietate & virtute bellica inſignis, ſupra quadringenta millia voluntariorum militum Syria terreſtri itinere petita, ad condendum Hieroſolymitanum imperium adduxit. Claruere multis inde annis et Scytharū arma, Tamerlanis maximè ductu, quibus Armenia, Syria atq; Ægyptus aliquando ceſſerunt. Sed nec poſtea Gothorum Hunnorúmue, aut Gallorum, vel Scytharum alienis in terris diuturna fuere imperia. Nam ſicuti ab initio ea bella vehementes & repentinos impetus habuerant, ita non multò poſt quum nullis certis opib. inniterentur, breui temporis ſpacio conſenuerunt. Certatumq́; ſubinde eſt minore aliquanto ſęuitia, vſq; ad patrum noſtrorū memoriam, quum & ſuis terris redditæ nationes, ac frequentes, atq; ob id inualidi vbique terrarum noui reges, qui ſibi armis atq; virtute regna pepererant, ad prolatandos fines

nec ingenti apparatu, nec vllis paulo acerbiorib. odijs inter ſe dimicarent. Sæpeque accidit, ſicuti naturæ humanę variantis viciſsitudo ſemper tulit, vt dum aliquæ nationes poſt longa bellorum incommoda, parta pace fruerentur, alię atque aliæ, quæ paulò ante conquieuiſſent, externis aut ciuilib. bellis deflagrarent. Sed his annus qui fuit à partu Virginis quadringenteſimus nonageſimus quartus ſupra milleſimum, lætiſsimam pacem, qualem ab Auguſto nulla maiorum ętas antè meminerat, vniuerſis gentibus dedit. Verùm ea mox, quę primo aſpectu ſecura ac florens bona ſpe tranquillitatis, atque opulentiæ mortales impleuerat, portento ſimilis, quòd vaſtitatem terris denunciaret, in omnes prouincias maximè atrox, et diuturnũ bellum diffudit. Regnabant tum ad Orientem tres maximi reges, amplitudine imperij, & claritate rerum geſtarũ fermè pares, Baiazetes Turcarum Imperator, Caytbeius Ægypti, Syrięq; Sulthanus, & Iacuppus in Perſis magni Aſsimbeij cognomento Vſſumcaſſani filius. Baiazeti quicquid Euphrate & Amano monte Cilicioq; mari, ac Euxino continetur, Græciaq; omnis, Thracia et Mœſia cum Illyrici parte, et ad Iſtrum latè omnia per Pontum vſq; ad Theodoſiam Tauricæ Cherſoneſi emporium parebant. Huius ante alios finitimis formidandæ opes erant: nam ingentes equitum ac peditũ copias virtute ac diſciplina firmiſsimas, certis ſemper bello pacéque ſtipendijs alebat: quib. et Amurathes auus, et pater Mahometes paulò antè tantũ ſibi ditionis et glorię peperiſſent. Verũ Baiazetes, vt erat ingenio mitis, ac religioni philoſophiæq; ſtudijs intẽperanter deditus, poſt deuictũ pulſumq; Aſia Gemẽ fratrẽ, qui res nouas in Bythinia atq; Cilicia molitus fuerat, pacatis circũ omnibus finitimis, quiete atq; ocio fruebatur. Caytbei autem imperiũ a Cyrenis finibusq; Aphricæ per oram ad Iſſycum ſinũ, qui Ciliciã à Syria diſiungit, et introrſus hinc ad Euphratẽ et Deſertæ Arabiæ terminos, illinc aduerſo Nilo vſq; ad arenarũ ſolitudines, et lęua dextraq; per Arabicũ ſinum ad Erythręas anguſtias extendebatur. Fuit Caytbeius natione Cercaſsius, et cõditione ſeruus, cęterùm bello acer, et virtute magnitudineq; animi maximorum regũ nemini ſecundus. Is vt tum in Ægypto ſeruorũ tyrannide oppreſſa mos erat, Mamaluchorũ ſuffragijs regnũ adeptus plurima ac difficillima bella ſingulari felicitate confecit. Nam et Baiazetis ingentes copias, Cherſeogle eius genero fortiſsimo duce capto, ad Tarſum latè cęciderat: et Aſsimbei Regis, qui è Meſopotamia Birtha vrbe in Euphratis ripis occupata, Syriam inuadebat, conatus infregerat. domuerat vtramq; Arabiã, & ſeruile bellũ oppreſſerat, quo nullum periculoſius fuit, quũ innumerebiles ſubſerui Æthiopes, coniuratione facta, captis armis ad delendos Mamaluchos in vnum ex repẽtina fuga coiuiſſent. Porrò Iacuppus in maiore Armenia, Media, Perſide, Meſopotamia atque Aſsyria rerum potiebatur vir belli auidus, ſed Vſumcaſſano patre, à quo regnum acceperat, virtute atq; fortuna inferior, vt qui nulla re memorabili geſta, impudicæ vxoris fraude perierit, ſcilicet, vt regnum Hiſmaeli Sopho ſororis filio, qui demum terrarum orbem nominis ſui fama compleuit, inuadendum occupandumque relinqueret. Aſsimbeius enim pater Magni cognomine dignus, Hyberos & Hyrcanos Caſpij maris accolas Armeniæ finibus imminentes cladibus illatis longè ſummouerat, & pulſo Mahomete Baiazetis patre duobus ſecundis prælijs Ottomannorum opes attriuerat: ſed pleniorem rei bellicæ gloriam fuiſſet adeptus, niſi ad Arſengam, dum

tertiò

tertiò ſummi certaminis fortunam periclitatur, multitudine tormentorum expugnatus infelici exitu ſuperiores victorias corrupiſſet. Aphricam ab Ægypti finibus ad Atlanticum Oceanum multi reges obtinebant, omnes infirmis opibus & bello ignobiles: cum his Getuli & Numidæ alijque populi mediterranea Aphricæ colentes, qui vno nomine Arabes hodie nuncupantur, continuè per latrocinia, & repentinas incurſiones bella gerunt. Gens etenim nullis certis ſedibus aſſueta mutando loca atque euagando cuncta populatur: ac tum maximè Aphris acre bellum incumbit, quum maturas in agris ſegetes tutari oportet aduerſus Arabum iniurias, qui vt alieni laboris fructus intercipiant, ex inſidijs & ſummis aliquando viribus meſſores oppidanorum præſidio confirmatos adoriuntur. Inter tot reges Mahometes, qui ad Tuneta ſupra Carthaginem regnabat vbertate agri, diuitijs atque authoritate longè clariſsimus habebatur: quanquam & Feſſano regi Mauritaniæ Tingitanæ, atque item finitimo regi Marochio ad Atlantem ac Oceanum permagnis equitum copijs valido opulentæ regiones pareant. Sed eminet Tunetanus, quum ab eo ſacra pepetantur. At circa fretum Herculeum Hiſpania omnis, præter exiguam veteris Luſitaniæ partem, qua tum Ioannes rex Portugalliæ potiebatur, cum ipſa etiam Sicilia atque Sardinia, & Balearibus in ditionem Ferdinandi conceſſerāt. Is è Tarraconenſi, vbi tum Ioannes pater imperabat, in vlterioris Hiſpanię regnum, quod Eliſabellæ vxoris dotale fuerat, tranſgreſſus, Luſitanos prouinciam ſuam inuadentes, aliquot prelijs ſuperatos expulerat. Nouiſsimè autem quum Maurorum imperium in Bæthica opulentum & florens continuis decem annis ab ſe oppugnatum, eiecto rege, & tota gente deuicta, funditus euertiſſet, tantam bellicæ virtutis atque prudentiæ opinionem apud omnes adeptus eſt, vt nemo illi Chriſtianorum regum vel altitudine ingenij, vel induſtria, *vel rebus geſtis* conferendus eſſe videretur. In Gallia autem longe lateq; imperabat Carolus eius nominis octauus: qui tametſi neque manu neque conſilio multum valebat, tamen, vt mox dicemus, ampliſsimis maximi atque opulenti regni viribus innixus, viginti trium annorum adoleſcens, & pacem in Italia euertit, & rem Gallicam, quæ nobis erat obſcurior, armis atque auſu plurimum illuſtrauit. Britanniam verò ab ea parte quæ continentem Gallię proſpicit, atque alio nomine Anglia nuncupatur, Henricus ſeptimus bello & pace inſignis, ac in primis auri ditiſsimus obtinebat. Scotis autem qui extrema inſulæ ad Caledoniam ſyluam & Orcadicum Oceanum incolunt, Iacobus Stuardus paternę cædis ſcelere, ac ipſo poſtea vitæ exitu infelix, dominabatur. Belgę, Batauique & Burgundi, Heluetijs et Tulingis proximi, poſt Carolum Belgarum principem in Mediomatricibus ad Nanſim cum exercitu ab Heluetijs cæſum, Philippo Maximiliani Cæſaris filio parebant. Ipſe Cæſar totius Germaniæ imperio potiebatur, ita vt eius nomen in honore ſit, ſed non inania iubendi iura, veræque opes apud liberas ciuitates cenſeantur, quæ mutuo fœdere conſociatis viribus ſeptuaginta vrbium inſignium numerum implent, atq; vno conſenſu inſuperabiles libertatem defendunt. Cæterum Maximilianus multarum virtutum laude inclytus, ſe ipſo maior haberetur, niſi Fortuna quæ pulcherrimis iuuentæ cœptis adfuerat, poſtrema eius conſilia & nouiſsimos conatus penitus eluſiſſet. In Pannoniæ regno Matthia Coruino vita functo, qui gloria clariſsimis belli pacisque artibus quæſita, omnes eius ætatis reges ſuperauit, Vladislaus rex Bohemorum ſucceſſerat. In Polonia vero Alexan-

der, eodem quo & Vladiſlaus Caſimiro patre genitus imperabat. Fuit hæc olim Sarmatia, quæ nunc ab Odera flumine, id in Venedigum ſinum decurrit, ad Boryſthenem vſque & Roſolanorum fines extenditur. Supra Tanaim & Boriſthenis fontes ad Boream, Moſchi Scytharum finitimi, latè omnia tenent, attinguntque Volgam amnem, Rha ab antiquis nuncupatum. Moſchorum tum rex erat Ioannes Baſilius ſanè Chriſtianæ religionis cultor egregius, niſi Græganicos ritus qui minus ab Romano pontifice probantur, pertinaci ſuperſtitione ſequeretur. Is equitatu maximè abundat, et cum Polonis & Scythis continēter bella gerit. Supra Moſchos, qui hodie Moſchouitæ appellantur, ab Aquilone ad occaſum tendentibus Suetia occurrit, ignota quondam Romanis ſcriptoribus. & huic proxima, noſtroque malo clarior Gothia, quæ circumfluo & reſtagnante Oceano munita eſt. Vltra verò Suetiam Noruegia longiſsimo tractu portenta ad Chaledonij maris terminos ingentem ſinum efficit: atque incluſis innumerabilibus inſulis, contra vltimum Cimbricæ Cherſoneſi promontorium irrumpente demum Oceano recuruatur, & Daniæ regna concludit. De natura eius terræ, atque his gentibus, quæ ſupra Noruegios exiſtunt, Ichthyophagis atq; Pygmeis nuper repertis, apud quos certa cæli ratione per coniunctas inter ſe noctes & perpetuos Soles, totus annus alterna varietate reuoluitur, ſuo loco memorabimus. In Italia autem ea tempeſtate Veneti & magnitudine opum, & diuturnitate imperij, & rebus terra marique feliciter geſtis ſummam authoritatem obtinebant. Vrbs eorum ampla atque magnifica, mercaturæ & rei naualis ſtudio à paruis initijs creuit. Sed ea propter incredibilem ſitus munitionem, ante alias & beata & admirabilis exiſtimatur, quod interfluentis Hadriæ paludibus cincta, nulliſque ob id opportuna hoſtium iniurijs, veteres theſauros domeſtica in pace cumulatos periculoſis etiam temporibus conſeruarit. Nulli etenim à terra aditus, intercedente quadraginta ſtadiorum pelago, nulli penitus à mari ingreſſus propter cæca atque humilia vada, vſu tantùm indigenis nota, aut ingruentium barbarorum auaritiæ, aut magnis ab alto claſsibus patuerunt. Veneti homines in vniuerſum conſilio ſunt graues, ſeueri in iudicijs, & in aduerſa rerum fortuna conſtantes, in altera nunquam immodici. Omnibus quum idem ſit conſeruandæ libertatis & augendi imperij incredibile ſtudium, in ſenatu libere & ſæpius acerrime ſententias dicunt: nec quenquam temerè ex optimatibus, qui vel inſigni virtute, vel ſpiritu in gerendis rebus cæteris antecellat, nimio plus creſcere, vel collecta gratia potentem & clarum fieri patiuntur. Quibus inſtitutis, dum ſeruitutis metu, aliena virtute quàm ſua, terreſtri in bello vti longè vtilius & tutius putant, togati omnes per octingentos amplius annos rempublicam nullis ferè inteſtinis ſeditionibus exagitatam adminiſtrarunt. Cęterùm ipſa nobilitas totius maritimi negotij et naualis diſciplinę munera nauiter implet, exutisque togis arma deſumit. Paruere eis ab initio, quo tempore maximè claſsibus valebant, Iſtri, Liburni, Dalmatiæ atque Illyrici ora: multæ item nobiles Græciæ vrbes, cum Eubœa Cretaque inſulis: Mox tranſgreſsis in proximam continentem, Patauium, Verona, Taruiſium atque Vicentia, quæ ab infirmiſsimis regulis tenebantur, acceſſerunt. His quoque Rauenna addita eſt, regia quondam Gothorum, atq; alterum totius Italię nauale pulcherrimum. Quo rerum ſucceſſu euecti, & terreſtribus aucti copijs non multo poſt Philippo Vicecomiti pluribus bellis defatigato, Brixiam &

Bergo-

Bergomum ademere. Ceſſit et eis Crema, Franciſco Sfortia concedente. Exinde Venetorum potentia cunctis in Italia maximo terrori eſſe cœpit. Nam finitimus quiſque pro ſe, vt periculo proximus, ſuſpectas eorum vires habere, quæ paulo antè ſerpendo atque aliena appetendo in tantam magnitudinem excreuiſſent: ac plurimum vereri, ne quæ ipſi per ſocordiam adoleſcere ſinerent, ea ſibi mox vel tenui rerum occaſione exorta in perniciem verterentur. quando omnes qui humanarum rerum vſu periti eſſent, vim illam inueteratæ reipublicæ non caduci alicuius hominis ingenio atque induſtria regi, ſicuti cætera imperia, quæ à virtute vel ignauia principum fortunam ſortiuntur, ſed vno atq; eodem immortali perpetui Senatus conſilio gubernari manifeſtè perſpicerēt. Quamobrem conſternati aliquando Italiæ principes vno conſenſu eorum conatibus obſtitere. ac nouiſſimè quum Ferrariam nobilem atque opulentam vrbem pertinacius oppugnarent, authore Xiſto pontifice, conſociatis viribus libidini atque potentiæ eorum obuiam itum. Secundas autem authoritatis atque opulentiæ partes in Italia Ferdinandus Aragonius obtinebat. Is Neapolitanum regnum Alfonſi patris virtute partum deuictis proceribus, qui rebellione facta Andegauenſem ducem ſequuti, grauiſſimum bellum excitarant, cum magna gloria conſeruarat. Ferdinando filius erat Alfonſus ætate integra, manu promptus, atque ingenio ferox, omnium qui tum in Italia exercitus ductarent longè clariſſimus. Huius virtute audaciaque vſus Ferdinandus, quum ipſe Neapoli iam ſenex prudentiæ plenus in exæquandis Italiæ rebus omnium vires ſingulari iudicio metiretur, cum Florentinis & Venetis duobusque pontificibus bella geſſit. Quo tempore Aragonia res adeo firmata ſtabilitaque eſt, vt quum domi conſiliũ vigeret, & foris arma florerent, nullam mutationem vnquam ea hominum ætate habitura videretur. Regnum eius multis inſignibus atque opportunis vrbibus nobile, atque vndique à ſupero atq; infero mari portuoſum, omni genere commeatus, acribus viris, & militaribus equis abundabat. Idque à Tarracinenſi ſaltu, Pontiniſque paludibus per Volſcorum fines, tranſuerſis Sabinorum ac Marſorum iugis per Furconenſes & Ferentanos, ad Truentum amnem, Romani pontificis terminos attingit. Cætera ab ipſo Siciliæ freto, hinc Thyrrheno, atque illinc Hadriatico ambiuntur. Pontificiæ verò ditionis erat Picenus ager, Vmbria, Flaminia, Æmilia, Latium cum multo maxima Thuſciæ parte. Verùm nobiles ac liberæ ciuitates incuria vel imbecillitate veterum pontificum, paſſim impotentibus tyrannis ſeruiebāt: aut propter dira odia, immortalium factionum cruentis ſeditionibus agitabātur. Inter cęteros moderatè admodum Vrbinatibus Guido Feltrius, Camertibus verò Iulius Varanius imperabant. Ioannes Bentiuolus apud Bononienſes principē agebat. Foroliuij & Forocornelij Caterina Sfortia dominabatur. Fauentiæ Manfredi. Piſauri Sfortiani, & Malateſtę Arimini principes erant: ſed qui iam vetere potentia et claritudine decidiſſent. Peruſiæ Baleonum familia multis fortib. viris, ſed admodum ſanguinarijs ampla & florens pulſa Oddorum factione, ciuibus ſuis leges dabat. Tiferni Vitelliorum nomen clarum erat atque illuſtre: ſed ea mox domus, quæ multos ſimul duces inſigni gloria tulerat, miſerabili eorum interitu funeſta atque infelix fuit. Populus autem Romanus in partes diſciſſus, Vrſinæ aut Columniæ factionis ſtudia ſequebatur. Columnijs Sabelli vetuſtate familiæ & frequenti ſobole militarium iuuenum potentes: Vrſinis verò Comites cognomento Grapellij claritate atque

opibus fermè pares adhærebant. Nobiliſsimi procerum tunc erant, quique poſtea domi ac foris militiæ claruerunt, Virginius & Nicolaus Vrſini: Columnæ verò Proſper atque Fabritius: Iacobus item Comes, Antonellusque Sabellus. Horum opibus Romani pontifices, dum per varias temporum ac bellorũ occaſiones licuit, ſemper infenſi infeſtiq; fuerant: nihilque vnquam antiquius habuerunt, quam alterutram factionem fouere, atque alere eorum controuerſias: vt quum attritæ mutuis cædibus atque iacturis amborum vires forent, ipſi poſtea deletis reliquijs, oppidis eorum Vrbi proximis potirentur. Romani etenim ſiue priſtini decoris ac antiquæ libertatis memores, ſiue vt ſunt natura turbidi atque feroces, ſacerdotum imperia, quòd plerique eorum parum moderatè auareque imperitẽt, æquo animo ferre non poſſunt. Propterea quũ iniurijs aut contumelijs exagitati fuerint, quo minus omni maleficio deſæuiãt, neque vi, neque legibus, neque ſacroſancti pontificis authoritate deterrentur. Cepere aliquando, atque interemere Bonifacium Octauum, hominem, quanquàm factioſum, morum tamen ac literarum dignitate venerabilem. quin & Eugenium eximiæ virtutis pontificem ſede atque Vrbe immaniter expulere. alios palàm oppugnauere armis, alios coniuratione facta ac obſeſsis itinerib. in maxima vitæ atque amittendæ dignitatis pericula coniecere. Præerat tunc Chriſtianis ſacris Alexander Sextus, natione Hiſpanus, antea Rodericus Borgia nuncupatus: qui prealto ingenio, eoque ſemper aſtutè liberali, quibuſdam Senatoribus per comitiales dies non occulta largitione corruptis, quum potiores eius ordinis, ſolis innixi virtutibus repulſam tuliſſent, pontificatum adeptus eſt. Is ab immani cupiditate maiores opes affectans, vt mox dicemus, Columnios pariter atque Vrſinos varijs afflixit cladibus: pontificatuque varia labe polluto, cuius antea nomen ſanctius ac venerabilius fuerat, Italicarum rerum ſtatum magnopere conturbauit. Senenſium libertatem, quum plebeij nouiq; homines cum optimatibus, & rurſus inter ſe nobiles varia fortuna per aliquot annos contendiſſent, Pandulfus Petrucius, vir apprimè ſagax paulò antè ſuſtulerat, Florentina autem reſpublica Petri medicis conſilio atque auſpicijs regebatur. eam biennio antè vita excedens Laurẽtius pater, in quo ſumma ſapientia, eximia virtus, & ſingularis humanitas fuit, optimis conſtitutam legibus, opulentam florentemque reliquerat. Tum primum enim Florentini pace parta, quum domi foriſque induſtrij, & in mercatura maximè diligentes, publicè ac priuatim res ſuas mirum in modũ auxiſſent, elegantius et ſumptuoſius quàm cæteræ gentes ædificare, excolere digniſsimarum artium artifices: & quod incomparabili gloriæ eis ceſsit, Græcas atque Latinas literas illuſtrare cœperunt. Lucenſium ciuitas, vt ſeſe à Florentinorum iniurijs, qui libertati eorum ſemper inuiderunt, tueretur, Maximiliano Cæſari & nonnunquam Mediolanenſium principibus tributa pendebat. Genuenſes verò qui cuncta quondam maria peruagati, relictis vbique clariſsimarum victoriarum monumentis, cæteras gentes omni tempore nauali gloria ſuperarant: quum domi ſeditioſi atque diſcordes ſæuiſsimis factionum fluctibus mergerentur, in clientelam Sfortianorum conceſſerant. Vigebant tum in Liguria duæ factiones, Adurnia atque Fregoſia, ambæ populares & Gibellini nominis. ipſa enim ciuitas in nobiles et populares familias plebemque tripartitò diuiditur. Nobilitas duplici factionum morbo laborabat: nam patritij cùm ex profeſſo partim Guelfi eſſent, partim Gibellini, etiam Adurnium, aut Fregoſium nomen pertinaci

naci quadam inſania ſequebantur: accidebatque ſæpius, vt Guelfi Gibellinos, quos maximè odio habere cõſueuiſſent, nouarum partium libidine cæci, acerrimis ſtudijs iuuarent. idq; propterea fiebat, quòd nobiles lege quadam antiquitus lata, ſupremum in ciuitate magiſtratum, qui ad ſolos Gibellinos pertineret, capere non licebat. plebs quoque quæ mirum in modum incertis rumoribus ſeruit, incredibili mobilitate tumultum excitare, ad arma diſcurrere, atque eodem nonnunquam die commutatis voluntatibus, modò his, modò illis fauere conſueuerat. Quibus de cauſis effectum eſt, vt quum diſcordia atque inteſtinis confecti malis ſeſe regere non poſſent, diſſociatis animis, attenuatiſque opibus facile veram libertatem amiſerint. Arcem quæ vrbi imminet, Ludouicus Sfortia præſidio munitam obtinebat. Prætoriani milites Auguſtini & Ioannis Adurniorum, qui Ludouici clientes erant, iuſſa faciebant. ac cum omnibus vna atque eadem cura inerat, vt Fregoſios quos antè expulerant, vrbe prohiberent, & Senatus populuſque omnis Ludouici conſilia ſequeretur. Porrò Ferraria, Mutina, Regium Lepidi, Herculis Ateſtini: Mantua Franciſci Gonzagæ: Vercellæ, Auguſta Prætoria, Taurinum, Iporegia, Subalpinaque oppida Philippi Allobrogum Principis, cuius imperium per Graias alpes vſque ad Geneuam et Lemanum lacum extenditur, ditionis erant. In Gallia autem Ciſalpina, quæ nunc Lombardia à Longobardis, qui ibidem ſedes imperiumque tenuerint, recentiore nomine nuncupatur. Mediolanenſium princeps erat Ioannes Galeacius, Galeacio Sfortia genitus, qui à coniuratis in templo diui Stephani in ipſo ætatis flore trucidatus eſt. Cæterùm Ludouicus patruus, ad quem ſumma rerum omnium reſpiciebat, imperio potiebatur, vir ſingulari prudentia, ſed profunda ambitione ad exitium Italiæ natus. Is multis antè annis animo agitans, quibus maximè conſilijs imperium adſequeretur, Cicchum Simonetam virum grauem, et pro puero tum Ioanne Galeacio, rem Mediolanenſem ſyncera fide adminiſtrantem, falſis obiectis criminibus, capitali ſupplicio affecerat. Mediolani oportuniſque alijs in locis veteres ac puero fidos cuſtodes arcibus eiecerat: præfecerat copijs atque vrbibus nouos homines: & quos cœptis ſuis obſtare prouidebat, varijs circumuentos artibus oppreſſerat. Eo modo ad imperij procurationem euectus, quum Veneti cæterorum Italiæ principum armis in Ferrarienſi & Brixiano premerentur, réſque eorum in anguſto ſitæ, ac plurimum diuturno ac ancipiti bello attritæ eſſent, primus à fœderatis impudentiſsimè deſciuit, & pace ad Balneolum oppidum firmata exploratæ victoriæ curſum interrupit: ſcilicet vt Veneti hoſtes immortali beneficio ſibi obſtringerentur, quorum ope atque auxilijs Mediolanenſe imperium, amoto fratris filio ſe adepturum confidebat. Ea res Xiſto pontifici tantum mœroris attulit, vt intra paucos dies ingenti dolore victus interierit. et Alfonſus, qui ſociorum ductabat exercitum, erepti ſibi è manibus triumphi cõtumelia accenſus, nunquam ſe eam iniuriam animo depoſiturum eſſe iureiurando affirmauerit. Erant plerique eo tempore qui Ludouicum ampliſsima prudentiæ laude cumularent, quòd eam belli flammam, qua pernobilis Italiæ tractus deflagraturus eſſe videretur, felici diligentia reſtinxiſſet: vnde ſibi vti rerum æquus arbiter ac moderator, ſummam conſilij atque virtutis opinionem apud omnes eſſet conſecutus. Id quoq; ad amplificandam eius exiſtimationẽ pertinebat, quòd Aſcanius frater ipſo impetrante, Cardinalatus honorẽ fuerat adeptus, qui tũ et ſumma gratia apud Alexandrũ pont. valebat, &

& propter immenſas opes atq; animi magnitudinem, eius ordinis facilè princeps habebatur. Nec multis antè annis Sedunos Heluetiorum ſocios in Italiã irrumpentes, ſupra Verbanum lacum acie profligarat: & Rhetorum impetũ qui Clauennam oppidum inuaſerant, armis atque pecunia fregerat: cum aduerſus ſimiles barbarorum irruptiones, imperij fines fauceſque Alpium mirificis operibus atque arcibus erectis egregiè muniuiſſet. Quibus de rebus magna illi indies potẽtia, ſingularis authoritas, cum ingenti etiã gloria creſcebãt. Enimuerò tametſi ambitione præceps in diuerſum ab æquo & bono rapiebatur, multis tamen optimis artibus abundè inſtructus flagitioſa conſilia mirificè contegebat. Erat in primis, quod maximè popularem gratiam fauoremque conciliat, aditu alloquioque perhumanus & facilis: nunquam eius animus iracundia ſuperabatur: moderatè ac patienter ius dicebat: ingenia quæ vel literis vel exquiſitis artibus claruiſſent, ſingulari liberalitate proſequebatur. Poſtremò cum fames peſtilentiáque ingruerent, maxima annonæ & ſalubritatis cura habita, ſublatiſque latrocinijs, atque enormibus vrbis ædificijs ad lineam directis, tantum ſplendoris ac opulentiæ Ciſalpinæ Galliæ inuexit, vt ab omnibus aureæ pacis, & publicæ ſecuritatis atque elegantiæ conditor eſſe diceretur. Id modò ſummam illi apud honeſtos ciues cõflabat inuidiam, quòd Ioannem Galeacium egregia mitique indole iuuenem, iam tum quatuor & viginti annos natum, ſceptra tenere atq; obire principis munia minimè permittebat, ceu ille propter ingenij ac ætatis imbecillitatem, maximarum rerum curis, tantoque oneri impar foret. Nec iuuenis paternorum amicorum auxilio deſtitutus, quos antea Ludouicus ſuſtulerat, aut ſpecie honoris, per cauſam gerendi magiſtratus ablegarat, repoſcere imperij iura, aut quicquam principe dignũ eloqui audebat. Siquidem à Ludouico ſummiſsi ſpeculatores, qui eius dicta factaque notarent, in aula haudquaquam diſsimulanter obuerſabantur. Iamq; eò contumeliarũ erat peruentum, vt Ludouici quæſtores, inſpectis ſumptuarijs rationibus, quæ etiam pertenues erant, nimij luxus eum caſtigarent, certamque tantum expendendæ pecuniæ ſummam præſcriberent. Ita miſerrimus princeps odio impotentis patrui ſubactus, neque vlla amicis aut clientibus beneficia collocabat, neque pręinopia quicquam egenti, mœſtæque familiæ largiebatur. At in aula Ludouici, quæ hilaritatis atque opulentiæ plena erat, vnis ſub tectis cuncta luxu & continuo liberalitatis ſplendore magnifica atque illuſtria viſebantur, quodque magnoperè mœrorem accumulabat, Beatrix Ludouici vxor (erat hæc Herculis Aeſtini filia) faſtu atque luxuria ingenti mulier, plerumq; grauioribus conſilijs ſeſe arrogantius, quàm mulierem deceret, immiſcere, demandare præturas, & capitalium ciuiliumque rerum iudicibus planè dominari ita conſueuerat, vt Ludouicus, qui iam tum blanditijs eius delinitus, vxorius habebatur, importunę mulieris libidini nonnunquam obtemperare cogeretur: præſertim, quod ei filium, cui poſtea Maximiliano nomen fuit, paulò antè pepererat. Vnde cùm magna ludorũ celebritate puerperæ atque infanti principalia ornamenta collata eſſent, manauit in vulgo fama, Ludouicum Papię vrbis principatum, vt inde more maiorum puer veluti è proximo gradu ad imperium eueheretur, infanti filio deſtinaſſe. Ea res Ioannis Galeacij & præſertim Iſabellæ vxoris animos magnoperè exulcerauit: ipſa quòd & patrem Alfonſum & auum haberet Ferdinandum, et iam Franciſcum auitæ indolis puerum in ſpem ſibi debiti imperij primo partu peperiſſet, ma-

iores,

iores, quàm muliebris animus ferret, ad vindicandam contumeliam ſpiritus gerebat, eoque grauius ac infeſtius, quòd Ludouici opera per ſagas, ipſo nuptiarum die magicis cantaminibus & veneficijs quibus fœcunditatem impedirēt, ſe pariter & coniugem petitos eſſe perſuaſum habebat: & tum cuncta patrui conſilia eò ferri manifeſtè perſpiceret, vnde ipſi circumuenti omnibus dolis atque artibus è medio tollerentur. Itaque Iſabella impotenti dolore acta, ad patrem auumq; in hanc ſententiam literas conſcribit, & ſpectatę fidei clienti ſuo cùm id ſæpius tentare periculoſum foret, Neapolim deferendas tradit. Scio vos qui & claritudinis Aragoniæ domus, & regiæ dignitatis memores ſemper fuiſtis, nunquam me prolem veſtram, atque in finibus veſtris educatam, Ioanni Galeacio fuiſſe deſponſuros, ſi quem paterno atq; auito imperio, quum per ætatē licuiſſet, ſucceſſurum arbitraremini, eum exacta adoleſcentia liberisq; ſuſceptis ambitioſiſsimo atque ſæuiſsimo patruo ſeruiturum putaſſetis. Ludouicus enim non iam patruus, ſed immitis & atrox hoſtis, nunc primum apertè, quod multis antè annis longa gubernandi conſuetudine allectus percupidè ſemper affectauit, Mediolanenſis imperij ſceptra ſolus obtinet, & cuncta cum vxore ad arbitrium moderatur. Illi cuſtodes arcium, copiarū duces, magiſtratus, atque omnes prouinciæ ciuitates parent. Ipſe principum legatos audit, belli & pacis fert leges, & denique necis ac vitæ, vectigalium atq; ærarij ſupremam habet poteſtatem. Nos miſeri ab ipſo circumſcripti, & deſtituti ab omnibus, quum ſolis rerum inanium titulis decoremur, in obſcuro luctuoſam ac miſerabilem vitam agimus, ſolicitique etiam de ſalute quæ imperio atque honoribus amiſsis reliqua eſt, niſi maturè opem feratis, duriorem in dies afflictis rebus exitum opperimur. Eripite obſecro natam, generumq; veſtrum his ærumnis, & ſi vos diuina vel humana iura permouent, ſi qua iuſtitiæ & pietatis, ſi qua denique in illis veſtris regijs animis priſtini decoris cura reſidet, libertati atque imperio reſtituite. Non deſunt nobis ſtudia optimorum ciuium: in Ioanne Galeacio animus viget curarum atque imperij capax, veteres amici qui nunc tyrāni ſęuitiam reformidant, promptam ac fidelem ex occaſione operam nobis taciti pollicentur, atque omnes peregregia erga nos voluntate ciuitates exiſtunt, quibus ille inuſitata & prægraui acerbitate pecuniam imperauit. poſtremò Dij ipſi immortales ſcelerum vindices nobis non deerunt, ſi vos qui alieniſsimis etiam miſera atque indigna ſeruitute oppreſsis præſidio eſſe æquum & regium ſemper exiſtimaſtis, ſanguini veſtro & iuſtiſſimæ cauſę minimè defueritis. Ferdinandus & Alfonſus, qui multum anteà illa vera eſſe multorum literis & fama cognouerant, rei indignitate permoti, legatos ad Ludouicum decernunt, qui Ioannis Galeacij cauſam agant, ſed amicè atque leniſsimè negotium pertractent; quòd vim eius hominis in ipſo metu ſuſpicioſi atque præcipitis, neque minis, neque vlla denunciatione periculi exagitandam eo tempore iudicabant. Mittuntur itaque Antonius & Ferdinandus Gennarij viri graues. Ii Mediolani magnificè ſuſcepti, luculentam de Ludouici laudibus in conſeſſu primorum ordinum orationem habuerunt: quæ eò pertinebat, vt æger ambitione animus, poſtquam nihil alię artes valuiſſent, gloriæ ac laudis mentione ſanaretur. Erat enim Ludouicus æternitatis appetens & gloriæ auidus, ſed qui peruerſis rationibus inanem pro ſolida ſectaretur, vt plerique principum ſolent, qui adepto ſtatim rerum faſtigio, dum veræ virtutis obliuiſcuntur, per ſuperbiam atque animi vanitatem

inſaniunt. Cæterùm exitus orationis fuit, Ferdinandum regem atque Alfonſum obnixè rogare, vt imperium quod multos annos adoleſcenti Ioanni Galeacio ſingulari virtute ac vigilantia conſeruaſſet, eidem qui et vir et pater eſſet effectus, iam tandem reſtitueret. Id ſi faceret, vti humana iura poſtularent, ipſum ſicuti antea ſapientis, ita mox viri optimi nomen inſigni cum laude conſecuturum: Aragonios verò reges qui Sfortianis coniunctiſsimi ſemper extitiſſent, eo ſingulari accepto beneficio immortales gratias habituros. Ad ea Ludouicus reſpondit, ſe ab ineunte ætate in vnam eam curam totis ſenſibus ſemper excubaſſe, ne res Mediolanenſis aut inteſtinis inſidijs turbari, aut vllis affici detrimentis ex opportunitate pueri principis ab hoſtibus poſſet. Id ſe Dijs bene iuuantibus abundè præſtitiſſe. Veri principis nomẽ penes Ioannem Galeacium fuiſſe ſemper, atque in poſterum futurum: ſe interea nihil præter labores & difficillimarum rerum curas vſurpaſſe vnquam, & id cum ſumma animi ſollicitudine, valetudiniſque iactura: neque eſſe commiſſurum, qui multis æquitatis atque modeſtiæ exemplis honeſtiſsimam apud omnes exiſtimationem eſſet adeptus, vt aliquo ſuo paulò iniquiore facto ſuperioris vitæ gloria fœdaretur: proinde ſe ſe breui, poſtquam fratris filius ſua cura ac diligentia in eam ſpem adoleuiſſet, adminiſtrandi imperij graue & permoleſtum onus eſſe depoſiturum, vt non modò Aragonij reges, qui id obnixè poſtulare viderentur, ſed cæteri etiam principes, priuatique omnes ſe nulla ambitione, verùm officij neceſsitate adductum ad id muneris acceſsiſſe intelligerent, quando res ſuæ haud mediocriter aliquorum perfidia labefactatæ, dubijs temporibus pro ſalute pueri atque imperij maiora præſidia flagitaſſent. At Gennarij quum cęteris diebus per priuata colloquia agendo atque adhortãdo apud animum ea libidine duratum nihil profeciſſent, ſpecioſaque tantùm verba factis contraria ſibi dari manifeſtè perſpicerent, re infecta Neapolim reuertuntur. Ex eo tempore Aragonij haud diſsimulãter cum Ludouico inimicitias gerere: comminari aliquando illi acrioribus verbis: & tandem poſtquam legationibus nihil impetrabant, de inferendo bello agitare cæperunt. Ferdinandus tamen, vt ſunt lentiora ſenum conſilia, omnia alia priuſquam bellum experiri malebat. Verùm Alfonſus in quo ætas & militare ſtudium vigebant, quum & priuatas etiam cum Ludouico ſimultates ex Balneolana pace conceptas exerceret, rem ad arma deducere properabat. Nec defuere qui dicerent, Alfonſum auidius atque ardentius ſumenda arma decreuiſſe, quod inani quadam occupandi Mediolanenſis imperij fiducia duceretur. Id enim ſibi deberi haud obſcuro iure prædicabat, quoniam Philippus Mediolanenſium princeps, in quo Vicecomitum progenies defecit, Alfonſum regem ipſius auum, vt Venetorum conatus, qui tum Mediolano imminebãt, eius viri virtute frangerentur, primis ac verioribus teſtamenti tabulis hæredem imperij reliquiſſet. Igitur Ludouicus qui Ferdinandi experientis & callidi ſenis conſilia, & vim Alfonſi acerrimi ducis, maximaſque eius regni opes formidabat, quum ſenſim arma & claſſes aduerſum ſe Neapoli pararentur, præuertendum ſibi ratus, vt ſeſe aduerſus omnem eorum iniuriam muniret, bellicoſam atque infenſam Italico nomini Gallorum gentem in Italiam euocandam exiſtimauit: quod conſilium tam ſibi poſtea ac ſuis exitiabile, quàm toti Italiæ calamitoſum fuit. Vendicabat ſibi Neapolitanum regnum rex Carolus repetito iure ab Andegauẽſibus Prouinciæ regulis, qui à Ioanna Regina per adoptionem in regnum adſciti fuerãt.

Ioanna etenim Ladiſlao rege fratre extincto, quum Iacobum virum Gallum cui nupſerat inſolentius ſecum agentem repudiaſſet, & paulò poſt muliebri leuitate palàm inſanis amoribus ſeruiret, à Martino Pontifice Maximo, & Ludouico Andegauenſe armis petita eſt, ſcilicet vt impudicus Reginæ animus, qui verecundia ac pudore moueri non poterat, metu belli in ipſo amittendi regni periculo ſanaretur. Eam ob cauſam regina timore implicita, Alfonſum citerioris Hiſpaniæ regis fratrem, qui tum in Corſica magno apparatu Bonifacium vrbẽ oppugnabat, cum valida atq; expedita claſſe Neapolim accerſiuit, cuius virtute & Gallorum & Sfortiæ tunc longe omnium in Italia fortiſsimi ducis conatus repreſsit, ipſeque, vt antea per conditiones regina promiſerat, ob nauatã egregiè operam in filiũ adoptatus eſt. Sed Alfonſus paulò poſt Ioãnam Caracciolo eius amatore in vincula coniecto oppugnauit armis, Neapolique expulit: ſiue quòd malè tectas reginæ libidines, ſaluo regio pudore ferre non poterat: ſiue quòd iam ſolus dominari & cuncta regere volebat, vt ſunt impotentia atque imperandi auida ingenia Hiſpanorum: qui cum ſemel irrepſerint, ad ſummam ſemper potentiã cunctis artibus contendunt. Itaque Ioanna circumuenta omnibus malis Alfonſum tanquam impium & ingratum apud Pontificem accuſauit, & reſciſſa priore adoptione, Ludouicum Andegauenſem in Alfonſi locum ſibi ſubſtituit. Inde grauiſsima ſecuta ſunt bella, mortuoque Ludouico ad Renatum eius fratrem bellum eodem iure translatum. Durauitque ea contentio vſque ad Ioannem Renati filium, qui ab exceſſu Alfonſi, cum hoc Ferdinando vehementi impetu, & magnis partium viribus per aliquot annos, ſed parum proſpero ſucceſſu, bellum geſsit: quorum motuum cauſas atque euentus Iouianus Pontanus vir ad omne genus eloquentiæ natus in hiſtorijs explicauit. At Ioannes regno atque Aenaria inſula pulſus, quum in Galliam adnauigaſſet, non multò poſt febre correptus interijt, ſuperſtite adhuc Renato patre, qui mox & ipſe ſine liberis atque nepotibus vita excedens, Ludouicum Galliæ regem huius Caroli patrem teſtamento reliquit hæredem. Fuit poſt hæc non ſemel regio in conſilio de repetenda Neapoli magnis procerum ſtudijs actum. Sed Ludouicus qui diu domeſtico & Belgico ſimul bello implicitus fuerat, totam eius conſilij rationem & damnoſam & perdifficilem multis de cauſis ſemper exiſtimauit. Mortuo autem Ludouico, qui ſublatis infenſioribus regulis et rebus ſingulari prudentia conſtitutis, Carolo filio regnum Galliæ omni bellico motu vacuum pacatumque reliquerat, non defuere proceres qui Galliæ vires extollendo, quòd nuper Britones citerioris Britannię gentem, quę in Gallia eſt, ad Sanctum Albinum Rhedonum oppidum memorabili prælio deuiciſſent, ad ſuſcipiendum parandumque bellum adoleſcentem incitarent. Nanque viri militiæ dediti, & continuis ſuperiorum temporum exercitati bellis, quum parta pace quietem atq; otium ferre neſcirent, nouum bellũ quo ditari & virtutem oſtendere poſſent, exoptabant. Neque gens alacritatis & peramplæ fiduciæ plena, mirumque in modum dedita regibus ſuis, quibus diuinum quendam animi vigorem ineſſe perſuaſum habent, rege duce quicquam ſibi arduum aut factu difficile fore exiſtimabant. Perſuaſerat quoque in vulgus hominum ex antiquis quorundam vatum carminibus celebris fama, Carolo Gallorum regi maximũ totius orbis imperium protẽdi, illumq; eſſe eius nominis octauum, cui Mathematicorũ teſtimonio fatum foret, occidentis ſimul atq; orientis imperio potiri. Nec deerant qui nobiliſsimum quondam Gręcorũ imperium, quo Mahometes

Ottomãnus,Byzantio capto & cæſo Conſtantino Græcorum imperatore,nõ multis antea annis occupauerat,ad Gallos pertinere iactarent. Turcæ quoque per eos dies ſubitis incurſionibus Dalmatiam atque eam Illiri partem, quæ Pannanios attingit,direptis atque incenſis pluribus vicis afflixerant, & iam maius bellum Barbarus hoſtis aduerſus Chriſtianos adauctis copijs,ac ingenti claſſe comparata,moliri dicebatur:quæ res in Galliam delata multis ſermonibus materiam præbebat.Nam qui pacem oderant,publicam omnium incuriam et ſegnitiem principũ incuſabant,futurumq; eſſe dictitabant,vt Chriſtiana reſpublica,poſtquam omnes Europæ reges priſtinæ pietatis atque virtutis obliuiſcerentur,aliquod inſigne detrimentum acciperet. Nec tantam,ſi ab eo hoſte lethale vulnus infligeretur,ad alias gentes,quantam ad Gallos vel infamiam,vel publici decoris iacturam eſſe peruenturam: quando vni omnium Galli omni tempore rem Chriſtianam aduerſus Barbarorum iniurias peculiari ſtudio protexiſſent. Cæterum quanquam ea tranſmarini belli deſiderio dici viderentur,omnes tamen his de cauſis quas ſuperius attulimus incitati,ad inuadendam Italiam,quam prouinciarum opulentiſsimam intelligebant, animos intenderant,quod prius & conflandum et conficiendum Neapolitanũ bellum foret, quàm in Græciam aduerſus Turcas liberandis eius prouinciæ populis arma transferrentur. Antonellus quoque Salernitanus princeps, & plerique cum eo Neapolitani exules, repetendæ patriæ deſiderio, id bellum nullius propè negotij fore prædicabant: pluresque populos apud quos ipſi propter factiones non mediocrem obtinerent authoritatem,ſi ſemel in Italia Gallorũ ſigna conſpicerentur, continuò ab Aragonijs defecturos eſſe pollicebantur.Is erat animorum habitus regia in aula,quum ad cohortandum atque impellendum regem,Carolus Balbianus Ludouici Sfortiæ legatus ſuperuenit: qui vt erat in eo munere admodum paratus,non prius ſibi in conſilio,cui proceres cum rege ac intimi amicorum intererant,de bello diſſerendum arbitratus eſt,quàm quos gratia atque authoritate potentes eſſe cognouerat,pollicendo præmia,atque docendo quam facilis ac expedita victoria foret,ad capeſſendum bellum accendiſſet.Igitur Balbianus quum ſecretò ac palam propenſis animis audiretur,ſæpiusq; in Aragonios acerbè inuectus,eos omnium qui vnquam in Italia fuiſſent ſuperbiſsimos & crudeliſsimos tyrannos eſſe miſcẽdo falſa veris oſtendiſſet,ad extremum in conſilium vocatus, talem habuit orationem. Si quid reges qui haud dubiè non hominum conſilijs,ſed deorum immortalium prouidentia & munere ſupremum generis humani faſtigium conſequuntur,non ingrati neq; impij ſuperis debent,te vnum feliciſsime Carole ante omnes Deo ſummo maximè debere fatendum eſt: ſi quidem cum prætextatus penè puer ad imperium acceſſeris,tantus tibi fauor ſola oris indole conciliatus eſt, vt tumultuantes paulò antè, & varijs belli motibus excitæ gentes,ipſique proceres natura infenſi regibus,quos idem prudens atque eximiè fortis pater tuus vix armis & multa ſolertis ingenij arte domuerit, ſtatim vno conſenſu atque incredibili ſtudio te regem exceperint,quo maximè tempore & rebellandi,& noua agitanda conſilia ex ipſa morte patris occaſio nata videbatur. Quinetiam dum in citeriores Britãnos arma moueres,ſecuti auſpicia tua,belloque ſecundiſsimè confecto,prouinciam illam Oceani & fluminũ opportunitate opulentam veteri Galliæ imperio adiecerint. Ea res totius Galliæ populos in tui admirationem adduxit: te externi principes inde ſuſpicere

cere

cere cœperunt, & nunc maximè quum vigere in animo tuo nõ regios tantùm atque viriles, ſed humana virtute auguſtiores ſpiritus apertè conſpiciant, te maiori rerum imperio deſtinare non dubitant. Iamque ſi auſu aperire fata volueris, te magni Caroli progenitoris tui nomen & gloriam æquaturũ pollicentur. Tibi enim pręclara & conſtans fama hominum ſacri belli prouinciam decernit vt Cõſtantinopolim, vbi maiores tui aliquãdiu regnauerunt, è manib. immanium barbarorum eripias, atque inde demum profectus, ſacroſanctum Chriſti ſepulchrũ Chriſtiano nomini vindices. Id te nõ vana auguria, reſponſa vatum, & antiqua carmina diuino ſacratorum hominũ ingenio cõſcripta prænunciant: iubentque te explicare vela, vt quò fata vocant in altum ad quærendos immortalis gloriæ titulos feliciore aura proueharis. Nec quenquam è tota Gallia fore putarim qui te maximi ac opulentiſsimi regni regem, veterani inuictique exercitus imperatorem in hoc eximio ſtudio atque incredibili cupiditate ducum et militum, omnes continuò terras quas armatus adire volueris, ſecundo victoriæ curſu peruagaturum eſſe non intelligat. Tranſiuere aliquando maria maiores tui Galli heroes, atq; vltro in Syria, Ægypto, Africa Barbaras gentes, quæ nec occidentales quidem populos fama cognouerant, armis petiuere, quum certatim omnes celeberrimis Magni Caroli trophæis ad virtutem accenderentur: & proferre Chriſtianæ religionis terminos, ſatis dignam belli cauſam, pro qua & ſuperanda maria longiſsimi tractus, & petendę alieni cæli regiones forent, dubijs etiam atque incertis rebus exiſtimarent. Quòd ſi hæc animum minimè permouent, vtpote quæ ab aliquot ſeculis vti nimis vetuſta excidiſſe hominum memoria videri poſsint, te profectò vel nõ vltrò inflammatum pulcherrimo ſtudio gerendarum rerum, nec vnquam ignobili ocio defluentẽ, trophęa Bęthica vicini regis excitabunt. Is enim Mauro diro hoſte Hiſpania depulſo, terram patriam gloriosè liberauit: magna hercle cum laude, ſed quæ minimè conferenda videatur, ſi tota Græcia Turcicum nomen expuleris, quod equidem votis piè conceptis facilè cedet. Epirotæ enim, Ætoli & Peloponneſi gentes ſuppliciter opem tuam implorant, vt te authore conſilia repetendæ libertatis audacter explicent, atque obiter fortia arma aduerſus Barbaros conſpectis vexillis tuis expediant. Sed liberandũ prius nobiliſsimum Italiæ regnum ab Aragonijs tyrannis eſſe cenſemus, vt cum illud hæreditario iure Galliæ regibus attributum, à miſerabili ſeruitute in libertatem vendicaueris, continuò ex Apulia, vnde breuiſsimus in Epirum & Macedoniam traiectus legionibus tranſportatis, vi & fama victoris exercitus ac deorum atque hominum immenſo fauore terribilis, Byzantium rectà contendas. Implorant abs te auxilium Calabri, Lucani, Brutij, Samnites, Campani, cæteręq; eius regni gentes, quæ quondam Andegauenſium nomen ſecutæ, aduerſo belli exitu iniquam Fortunę conditionem ſubierunt. Horum omniũ ſanguine ac fortunis Aragonij ſæuiſsimi regnatores, per multos annos ita crudelitatem atque auaritiam expleuere, vt nihil iam præter veteres animos, quibus conſtantiſsimè ſemper Gallicas partes coluerunt, victis ac miſeris relique rint. Horret animus recenſere, quot proceres, quotque præclaros duces, interpoſita fide & ſacramenti religione in gratiam receptos, quòd antea Gallicarum partium fuiſſent, violato iure, non modò hoſpitij, ſed ipſius regiæ menſæ crudeliter enecarint. Horum porrò cadauera, tremendum viſu, ſiccata & condita odoribus in eo habitu quo viui fuerant, ijſdemq; inſignibus exornata, ad-

ſeruari atq; oſtentari ferunt, vt eo execrabili tyrannicæ immanitatis atq; perfidiæ exemplo, paria timeāt qui ſeruire noluerint. Contra hos ſummè ſceleſtos homines, & quod à vobis viris fortib. niſi indignanter ferri non poteſt, per cōtumeliam Gallicæ gentis irriſores, gladium feliciter educes. Dijs enim ac hominibus inuiſi præpediente ſcelerum conſcientia, nec conſilia in negotio, neque arma opportunè vnquam expedient. Tibi quoq; aderit Ludouicus Sfortia prudentis ingenij authoritate atque opibus clarus, ac in primis decoris tui, & Gallici nominis apprimè ſtudioſus. Siquidem vetere ſuo inſtituto, nihil vnquam amicitia Gallorum antiquius duxit. Franciſci Sfortiæ magnanimi patris veſtigia ſubſecutus, qui Ludouicum patrem tuum, cùm ille Gallico tumultu & in multa procerum perfidia penè obrutus ſummis omnium rerum difficultatibus laboraret, & conſilio admodum ſalubri, & quanta potuit pecunia, et veteranis maximè copijs Galeacio filio duce in Galliā tranſmiſſo, opportuniſsimè iuuit. Is igitur ſumma fide ſingulariq; ſtudio feſſum exercitum, quum Alpes tranſcenderis, fertiliſsimæ prouinciæ copijs recreabit: commeatus paſſim expediet: in Liguria validam claſſem exornabit: non contemnendas copias, ac duces locorum, Italicarumque artium peritos adiunget: & principes Italiæ qui fermè omnes ipſius authoritatem ſequuntur, tibi fœdere vel amicitia conſociabit. Hoc denique opulento fidelique ſocio, cuncta facilia ac explorata erunt, ad incomparabilem victoriam, cuius vel præcipuum fructum, non in præſenti tantùm gloria & commodo, ſed in ipſa ſpe ſempiternæ laudis magnanimi reges poſuerunt. Poſtquam Balbianus dicendi finem fecit, Carolus Gallorum regum more per epiſtolarum Magiſtrum reſpondit, ſe plurimum deberre Ludouico Sfortiæ, quòd eo ſtudio atque ea fide Gallorum amicitiam coleret, vti Franciſcus eius pater inſtituiſſet. ob idque ea omnia quæ regiam reſpicerent dignitatem, & ad ſummam Gallici nominis amplitudinem pertinere viderentur, amiciſsimè commemoraſſet. Proinde ſe rem integram ad maius atque frequētius conſilium eſſe delaturum, vt morem ſuperiorum regum imitaretur, qui vti regni proceres virique prudentes, humanis ac diuinis legibus maturè perſpectis, faciundum eſſe cenſerent, bella iuſtè ſuſcipere cōſueuiſſent. Nec multò poſt totius Galliæ concilium apud Turonos indicitur, vbi quum Reguli fermè omnes, & ſacrati viri ſacerdotijs inſignes conueniſſent, Carolus de ſuſcipiendo bello magnificè diſſeruit, ab his inſtructus qui eius adoleſcentiam regebant, atque obuentura ſibi ex bello ingentia cōmoda arbitrabantur. Initio autem orationis quum Neapolitanum bellum perfacile in primis ac honeſto cauſæ nomine ſibi ac vniuerſæ Gallorum genti maximè decorum fore multis rationibus oſtendiſſet, ad extremum dixit, ſe non modò villas, prædia, & domos eorum qui pro hoſtibus haberentur, verùm totius regni oppida, vrbes ipſas, ſacerdotia, & præfecturas pro nauata opera amicis ac ducibus eſſe diuiſurum: ſe ſolis recepti regni titulis contentum fore: ac mox poſtquàm ad certiorem atq; ampliorem gerēdarū rerum gloriā diuino monitu vocaretur, aduerſus Turcas traiectis in Macedoniā maioribus copijs, ad vlteriora præmia milites perducturū. Qua oratione Galli omnes qui verba, habitum oris, effigiem, & cuncta denique religione quadam in regibus ſuis admirantur, facilè permoti, regium decretum dictis ſententijs confirmant, miriſque laudibus extollunt, ipſique ante alios qui ſumma freti authoritate, facile quò volunt dubiorum animos proclinant: ij tum erant, quos Balbianus

aut largitione aut promiſsis accenderat, Stephanus Belcarius à pueritia regio cubiculo aſſuetus, qui nutritij nomen atque inde ſummam conſulendi authoritatem collegerat, & Gulielmus Briſſonetus ærarij præfectus, quæſtorumq; omnium magiſter, vir calliditatis atque ſolertiæ ſingularis, qui ex humili loco pertinaci quadã induſtria diuitias quàm ampliſsimas cõſecutus, ad maximos honores ambitioſè cõtendebat: quę omnia, ſi bellũ foret, ingenio atq; pecunijs ſuis confiſus, ſe facilè multis de cauſis adepturum arbitrabatur. Horum maximè impulſu regem vel nihil de Neapolitani regni hæreditate cogitantẽ ſuſcepiſſe bellum, Philippus Argentonus in hiſtorijs Gallica lingua præſcribit. Cęterùm id probabat ex ordine militari Petrus Rohanius, quem Gienſem Mareſcalchum vocabant. Eo enim nemo ducum regendis exercitibus tota Gallia peritior habebatur: ideoque primas ſecundum regem imperij partes cęterorum omniũ conceſsione ſibi deberi intelligebat. Hos quoque pleno aſſenſu Petrus Borbonius ſummę claritatis regulus ſequebatur, haud vana ſpe ductus totius Galliæ adminiſtrandæ, quod diſcedente in Italiam rege, cuius ſororem in matrimonio haberet, propter affinitatem in Gallia cum imperio haud dubiè eſſet permanſurus. Cęteri erant Gilbertus Mompenſerius, Ludouicus Ligninus, Eberardus Obigninus, & duo germani fratres Perſiuus atque Palitia viri egregiè fortes, qui primos honores in exercitu, atque vrbium & regionum præfecturas ex regia liberalitate ſibi deſtinabant. Itaque bellum in proximum annum decernitur, vt eo temporis ſpacio exornari Gallicus equitatus, pedeſtres copiæ acciri ex Heluetijs atque Germanis, parari claſſes, & quod ſummum in negotio momentum habebat, vt finitimi reges conciliari, & fœdere adiungi poſſent, ne illi diuerſas Galliæ prouinciæ partes ſolitis nudatas præſidijs, atque ob id iniuriæ atque periculo expoſitas, ab Hiſpania vel Germania inuaderent. Siquidem cum Maximiliano iuſtæ grauesque inimicitiæ intercedebant. Nam Carolus paucis ante annis Margaritam Maximiliani filiam, apud ſe in Gallia ab incunabulis enutritam, quamquam ſuauiſsimis moribus atque inſigni forma præſtantem, repudiarat, vt Annam Franciſci citerioris Britanniæ reguli filiam, quæ Maximiliano deſponſata fuerat, vxorem duceret, quod per eam dotis nomine ſubactæ nuper, neque adhuc ſatis pacatæ Britanniæ citerioris imperio potiretur: adeo vt Maximilianus duplici contumelia affectus, propter acerbiſsimarum offenſionum magnitudinem in tam iuſto atque inexpiabili dolore nunquam eas iniurias memoria depoſiturus eſſe videretur. Verùm Ludouicus Sfortia, qui per eos dies Blancam Ioannis Galeacij ſororem Maximiliano in matrimonium collocarat, et cum eo Heluetiorum legati, qui magnam apud vtrunque regem authoritatem obtinebant, omnem eorum controuerſiam compoſuerunt: quum Carolus remiſſa in Germaniam puella, & reſtitutis dotalibus oppidis cum multo verborum honore Maximiliano ſatisfeciſſet. Atque in excuſationem inhumanioris facti, ſe non regia libidine aut ſuperbia inductum, ſed impulſum temporum ac bellorum neceſsitate, ad eas nuptias deſcendiſſe fateretur, vt prouincia illa tantæ opportunitatis ad arcendas Britannorum claſſes, pro qua toties cruente admodum decertaſſent, redemptis eo coniugio prouincialium animis, priſtinæ quieti redderetur. Sfortia quoque Cæſarem monebat, ne cum Gallo, in ea temporum conditione, vanas & nihil profuturas ſimultates exercere vellet: quando omnibus rebus imparatus, illum iam tranſcendentem Alpes in Gallia non eſſet

retenturus.futurumque eſſe ſi pertinacius pacem abnueret, vt Gallus in Italia victor auream coronam & ſceptrum,Romani imperatoris inſignia,quæ poſt Carolum cognomento Magnum Germani proceres adepti fuiſſent, ab inermi vel inuito pontifice ſibi repetendam arbitraretur.Quibus de cauſis Cæſar non ſolum iniurias in præſens diſsimulauit,verumetiam fœdus atque amicitiam cum Gallo palàm iniuit.Quæ res ſicuti omnium opinionem feſellerat,ita mox Aragoniorum conſilia magnopere perturbauit,quum illi Transalpinam pacem Italici belli & cladium ſuarum initium fore prouiderent. Fœdere cum Maximiliano Cæſare Germaniſque percuſſo,Carolus ad Hiſpanum regem,vt cum eo amicitiam pacemque firmaret,ſe conuertit:quoniam apparebat Ferdinandum eius animi atque prudentiæ regem, Aragonios conſanguineos ac gentiles ſuos in eo diſcrimine minimè deſerturum eſſe,nec vtique paſſurum Gallos,qui aliquando etiam Siciliæ reb.inhiaſſent,potiri Neapolitano regno,vnde mox anguſtijs eius freti facilè ſuperatis,facultas inuadendæ inſulæ præberetur.Cæterum Ferdinandus,cuius tale ſemper ingenium fuit,vt præſentia commoda,quæ à certa rerum occaſione oſtenderentur, omnibus alijs ſuis rationibus anteponenda eſſe cenſeret,neque pacem, neque fœdus detrectauit,modo oppida, quę de Hiſpanis Galli obtinerent;ſibi gratuitò redderentur. Tenebant enim Perpennianum ditiſsimam vrbem in ipſo Hiſpaniæ aditu,qua Pyrenæi montes ſupra Salſulas Narbonenſe littus attingunt, & cum eo Ruſcinonenſem agrum,opulentis pluribus caſtellis florentem,quę ad Gerundam & veteres Emporias ſpectant. Ea omnia à Ioanne patre,multis antè annis Ludouico vndecimo oppignorata fuerant,quum ille aliter Celtiberico bello in ſumma rei pecuniariæ difficultate conſtitutus,Caroli filij,qui à ſe patre regeque cum multo maxima nobilitatis parte deſciuerat, vim atque impetum ſuſtinere non poſſet. Verum Ioannes Gallorum pecunijs atque auxilijs opportunè adiutus,belloque ex ſententia confecto,quum poſt aliquot annos collecta atque oblata Gallis ea pecuniæ ſumma oppida redimere vellet,ſurdas Ludouici aures ſemper inuenit,qui opportunitate eius regionis longè maxima captus,parum ſyncera fide,veteris pacti conditionem,quò minus ea reſtitueret multis iuris cauillationibus inuoluebat.Vnde poſteà Ioannes & Ferdinandus filius,quòd ſæpius legatos ad repetendas res ſuas fruſtra miſiſſent,ad arma deſcenderunt.Sed ea res parum feliciter armis tentata eſt,ita vt Ferdinãdus tum Bæthico defunctus bello,quo tantũ ſibi nominis in re militari vindicarat,valido aduerſus Gallos exercitu comparato,ea mox repetiturus eſſe videretur.Ergo dum Galli omnes Italici belli cupidine deflagrarent,& Carolus retentorum contra ius oppidorum infamia permotus Perpenniano cæteriſq; oppidis inſigni liberalitate decedendum eſſe decreuiſſet, omnis cum Hiſpano controuerſia ſublata eſt: fœduſque ſolemne ictum, quo Ferdinandus ac Eliſabella vxor nihil ſe interea,dum à Gallis in Italia bellum aduerſus Aragonios gereretur,hoſtile molituros eſſe iureiurando promiſerunt.Cæterùm Perpenniani,aut ſtolidè,aut certè nimis properè reſtituti, grauis inuidia perſtrinxit Stephanum Petitiũ,inter præcipuos conſiliarios notæ auaritiæ quęſtorē. Sed et hac pariter arſit Amboſius Albienſis cucullatus,profeſsione ſanctitatis à cõfeſsione criminũ Ludouicum regē expiare ſolitus,quòd vtrunq; rex Hiſpanus ſingulis lagenis ſignato auro pro vino repletis callidè corrupiſſet,vt adoleſcentis regis animo religionē incuterēt,conteſtando ſcilicet eũ impie facturũ,niſi

manes

manes patris apud Tartara cruciatos eo atroci piaculo exolueret, quoniam morientis Ludouici ſuprema voluntas excepta pijs alloquijs fuiſſet, vt Perpẽnianum tanquam malè partum veteri domino redderetur. Per hunc modum Hiſpaniæ atque Germaniæ regibus in amicitiam receptis, quum nihil ſibi ab Henrico Britanniæ rege, qui nuper eius beneficio & Gallicis armis memorabilem de Ricardo rege victoriam, & Britanniæ imperium fuerat conſecutus, in Gallia timendum arbitraretur, tentandos ſibi atque explorandos Italicorũ principum animos exiſtimauit. Itaq; mittitur Venetias Philippus Argentonus, qui hiſtoriam Gallica lingua ſcitè conſcripſit, vt Senatum ad ineundam ſocietatem, & bellum communi conſilio aduerſus Aragonios gerendum peramplis propoſitis conditionibus inuitet. Ad Alexandrum verò Pontificem, Eberardus Obigninus vir Scotus, è Stuarda regia familia, bello illuſtris deſtinatur: qui ex itinere Ioannem Bentiuolum, Herculem Ateſtinum, Petrum Medicem, Pandulphumq́ue Petrucium conueniat: aditisq́ue ſingulis vrbib. quinam hominum animi, quæ vrbium facultates, & quæ demum itinera in Alpibus forent colluſtrando cuncta oculis diligenter exploret. Veneti qui ex aliorum ruina atque incommodis tantum imperium magna ex parte condiderant, & ipſas ſemper maturis temporibus gerendi belli occaſiones captando, atque alienę fortunæ circumſpectando euentus, res ſuas amplificare didicerant, reſponderunt. Si rex Gallus in Italiam tranſiret, & Aragonios bello perſequeretur, ſe pro vetere amicitia, quę ſenatui cum ambobus regibus eſſet, neutris præbituros auxilia, & ab omni prorſus contentione abfuturos. Quoniam & ſibi terra mariq́ue paranda arma aduerſus Turcas forent, qui proximè peracerbam Dalmatię atque Illirici populis cladem intuliſſent, & tum maximè terreſtribus copijs in Græcia coactis, & claſſe deducta inſulis & vrbibus, quas in Peloponneſo atque Ætolia tenerent, Chriſtianis inteſtino bello implicitis imminerẽt. Porrò Bentiuolus qui eo tempore Ludouici iuſſa faciebat, & Hercules omnium Ludouici conſiliorum particeps, atque vnus ante omnes Gallici belli concitator, Obignino amicam fidelemq; operam obtulerunt: ſed id Hercules aliquanto prolixus, quòd per Carolum, ad quem iam Ferdinãdum filium amicitiæ obſidem in Galliam miſerat, ſi ſemel Italia iuſto armorũ tumultu quateretur, peninſulam Rodiginam de Venetis recepturum ſe confidebat. Florentiæ autem Petrus Medices, quum eum Obigninus deprecando, ne veteris neceſsitudinis, quę Mediceæ familiæ & Florentinæ ciuitati cum Galliæ regibus ſemper extitiſſet, obliuiſci vellet: atque etiam non obſcurè bellum comminando, in partes traducere conaretur, negauit ſe vlla denunciatione periculi fœdus eſſe violaturum, quod Laurentius pater, Florentinusq́ue ſenatus antiquitùs cum Aragonijs regibus percuſsiſſent: propterea non debere ſibi ſuccenſere Galliæ regem, ſi iuſiurandum coleret, fidemq́ue ſeruaret: qua violata non mediocre rerum ſuarum periculum eſſet aditurus: quando in tanta propinquitate Aragonij ad vlciſcendam iniuriam, vti ſuperioribus temporibus feciſſent, inferre arma, atque omnem Ethruriæ ſtatum perturbare facilè poſſent. Senenſes rem Gallicam omni ope ſe adiuturos eſſe dixerunt: cæterum non prius ex tuto ſe poſſe profiteri Gallicas partes, quàm validam Gallorum manum in Ethruria conſpicerent, ne ipſi propterea imparati, opportuniq́ue iniuriæ, à Florentinis æternis hoſtibus ſuis opprimerentur. At Romę Obigninus veteri legato adiunctus in ſenatu grauiter expoſuit, quo iure Carolus repe

tendum ſibi armis Neapolitanum regnum iudicaret: & ſubinde Pontificem patreſque hortatus eſt, vt amicitiam potius quàm vim Gallorum experiri vellent, qui omni tempore Chriſtianæ religionis antiſtites cum ſumma veneratione coluiſſent: adiecitque magni intereſſe ad augendam ſummi pontificis dignitatem, exturbari Italia impios & execrabiles tyrannos, qui toties pontificũ & ſacroſancti eius ordinis tranquillitatem nefarijs armis vexauiſſent. Erant varia hominum ſtudia. Cardinales proceresque Romani, qui priuatę libidini & factionibus ſeruiebant, in diuerſas partes trahebantur. Ipſe Pontifex ancipiti ſuſpenſus cura, quando in pari ſpe, & ęquali metu conſilia malè explicentur, in incerto habebat, Gallis ne faueret, an Aragoniorum amicitiam ſequeretur. Timebat potentiam propinqui prævalidique regis, ſi hoſtis foret, qui paucis ante annis caſtra ad ipſa vſque Romana mœnia promouiſſet. perhorrebat ex aduerſo Gallica arma, quæ ſine confuſione rerum omnium in Italiam euocari non poterant. Quibus de cauſis vir eruditus artificio ſimulationis, modò harum modò illarum partium legatos, alia palàm, alia ſecretò mentiendo ac pollicendo, ipſa ſpe ineundæ ſocietatis mirificè diſtinebat: ita tamen vt multi eum ad Aragonios inclinare manifeſtè ſentirent, et ſi quid propenſius vel apertius in cauſa Gallorum diceret, aut faceret, id eo ſimulante fieri arbitrarentur, vt anxijs et dubitantib. Aragonijs, amicitiam ſuam grauioribus impoſitis conditionibus venditaret. Interea fama grauior indies, ac ingens ſimul cura de aduentu Gallorum Aragonijs creſcebat. Nam Venetos, quos multis legationib. ac precibus ad prohibendos Italia Gallos fruſtra fatigabant, in vetere ſuo conſilio, vt alienæ fortunæ euentum extra belli diſcrimen poſiti ocioſè deſpectarent, permanſuros eſſe didicerant. Nec Cæſar & Ferdinandus Hiſpanus qui cum Gallis pacem precio pepigiſſent, quicquam opis vel extremis etiam eorũ caſibus allaturi videbantur. Quibus de rebus Ferdinandus per eoſdem Gennarios, et nouiſsimè per Camillum Pandonium excellenti dignitate atque ingenio virum, qui ad Carolum in Galliã mittebatur, Ludouicũ aggreſſus eſt, vt aliqua conditionũ ęquitate propoſita molliendo eius animũ, ac ſuę erga eũ futurę fidei obſides pollicẽdo, orientis flammæ initia, propter quã omni mox circum exarſura crudeli incendio forent, reſtingui poſſent. Poſtremò quum neq; Gennarij, neq; Pandonius hominẽ inſanis conſilijs pertinacius inſiſtentẽ expugnare vlla ratione potuiſſent, ipſe triremib. vltrò in Liguriam atq; inde Mediolanũ ad exorandũ placãdumq; eũ proficiſci cogitauit: maturaſſetq; eò, et fortaſsis alloquio atq; induſtria cõmunes clades, quę Italię fato deſtinabantur, auertiſſet, niſi amici filiusq; Alfonſus ſenem ſeptuagenariũ tenuiſsima valetudine, & ſuper hæc grauibus affectum curis, Hyberno mari minimè committendum eſſe cenſuiſſent. Nec multò poſt idem Pandonius, poſtquam Mediolani cuncta improſperè tentata fuerant, cum ampliſsimis ad componendã cõtrouerſiam mandatis ad Carolum in vlteriorẽ Galliam profectus eſt. Eorũ ſumma erat, Ferdinandum omnesque Aragonios, fœdus quod ſibi cum Ludouico eius patre antiquitus ictum fuiſſet, omni tempore ac difficillimis pręſertim illis tempeſtatibus, quibus totius fermè Galliæ regulorum conſpiratione periculosè admodum fuiſſet iactatus, ſanctiſsimè coluiſſe: neque vllas poſtea interceſsiſſe iniurias, quibus à vetere amicitia diduci alienarique debuerit. Propterea iniquum ſibi admodum videri, quòd contra ſe arma pararentur, quando ipſe nullo indigniore facto dictóue amicitiæ iura violaſſet. Quòd ſi

augen-

augedi imperij cupiditate inductus, aliquod ſibi Neapolitano in regno, quod Aragonijs multis iam pontificum decretis eſſet adiudicatum, ius eſſe arbitraretur, paratum ſe iure potius quàm armis diſceptare, ac protinus reiecturum ad arbitrium pontificis regnum ipſum, vt ab eo tanquam æquiſsimo maximéque prudenti arbitro, ſine vlla perturbatione humani generis, omnis controuerſia finiretur. Se tum vel aduerſum dijudicatæ litis euentum æquo animo laturum eſſe, paternoque ſe imperio continuò deceſſurum, ſi iure ac legibus iuberetur. Quòd ſi antiquiſsimum quodque tempus reſpicere, ac ob id incerti Martis fortunam omnino periclitari vellet, Aragonios neq; bellum deprecari, neque magnopere Gallorum arma formidare, qui in Italia toties, & pro ea ipſa illatis iniuſtè bellis, infelices exitus habuiſſent. Sed Carolus, qui iam ſibi cuncta quæ armis aggrederetur omnino ceſſura eſſe in animum induxerat, Pandonium fruſtra plures dies in aula verſatum, atque exponendæ legationis poteſtatem ſibi fieri demiſsè poſtulantem, inauditum dimiſit, omnéſque Neapolitani generis negotiatores intra certam diem decedere Galliæ finibus iuſsit. Pandonius tamen, poſtquam regijs excluſus foribus, neque officio, neque ſibi, vti negotij magnitudo flagitare videbatur, ſatisfacere poterat, apud proceres cunctoſque eius aulæ ordines, querendo ſe contra gentium conſuetudinem non admiſſum, concionari in coronis hominum cœpit, oſtentando vtilia & decora Gallis de pace mandata, quibus nomen rex ſuus ſubſcripſiſſet, ac Deos regiæ voluntatis teſtes inuocando, teſtandoque non ſuam fore culpam, ſi pace turbata, cum multa cæde hominum diuina atque humana permiſcerentur: ac obiter, vt erat planè diſertus, monendo Gallos, ne adeò incautè Ludouico ſalutem atque exiſtimationem ſuam credere vellent: Illum eſſe fluxa ac temporaria fide, qui proprijs magis commodis, quàm alienæ gloriæ vel amplitudiui ſtudere didiciſſet. Neque eum etiam propter multiplicis affinitatis neceſsitudinem Aragonijs, ſi certiora eorum rebus atque Galliæ à vi Gallorum pericula imminerent, eſſe defuturum: ipſumque ac Venetos ſimul paſſuros nunq̃, vt Gallus deuictis hoſtib. rerum in Italia potiatur. Venetos enim cum eo, qui vnà animos haud obſcurè conſociarint, tantummodo experiri cupere, & procul videre quantum Aragonij duces virtutis atque animi, quãtum veteranus eorum exercitus vigoris ac diſciplinæ aduerſus ingruentium Gallorum impetum ſint habituri. Cæterùm quum Mars diu incertus in alterutram tandem partem inclinauerit, ipſos ſtatim ex occaſione conſilia ſua plena calliditatis inclinatæ Fortunæ applicaturos, vt quum vtrunque mutuis incommodis defatigatum attritumque conſpexerint, ipſi potentes atque integri, ambobus, quas voluerint belli & pacis pro libidine leges imponant. Poſtremò annales ſuos Galli euoluerent, & quot inſignes clades omni tempore in Italia ipſorum exercitus accepiſſent, intuerentur: ac demũ illud quod omnium ſermone vſurparetur, verũ eſſe diſcerent, Gallorũ corpora fato quodã Italiæ, veluti propriæ ac gentilitiæ ſepulturæ demandari. Interea Alexãder põtifex, quũ ſæpè antea, Galliſne, an potius Aragonijs fauendum foret Cardinales conſuluiſſet, et tum maximè Aſcanius Sfortia pro Gallis, contrà verò pro Aragonijs Franciſcus Picolhomineus Senatus princeps, patrib. diductis, ſummis vtrinq; ſtudijs cõtenderent, ad extremũ pro Aragonijs ſtare cõſtituit: ratus ſe priuatis ſimul ac pub. rebus ea inclinatione conſulturũ: quoniã Aragoniorum liberalitate mediocres adhuc filiorum ſuorum fortunas, ad ampliorem ſta-

tum perducere, & tueri pontificij nominis, ipſiusque Italiæ dignitatem aduerſus infenſiſsimam gentem, vtile ſibi in primis, ac demum apud omnes honorificum arbitrabatur. Nec multò poſt Ferdinandus curis & morbo prægrauatus diem obijt, ſtatimque Alfonſus iuſtis regali pompa defuncto patri perſolutis, ad imperium euectus eſt. Auditæ inſuper gratulantium principum legationes, quæ vndique officij cauſa Neapolim coibant: Regni proceres ſacramento adacti: luſtratæ copiæ: ingentes pecuniæ mulctatis acerbiſsimè populis toto regno exactæ: & cuncta demum quæ terreſtri maritimoque apparatui conducere videbantur, ſumma cura & ſingulari celeritate adminiſtrata: Miſſusque ſubinde Verginius Vrſinus ad Alexandrum, qui leges conditionesq́; renouandi fœderis coràm pertractaret. Idemque Pandonius Camillus, qui dudum e Gallia redierat, ad Baiazetem Turcarum imperatorem deſtinatus, qui doceret, quales quantiq́; Gallorum apparatus, qui eius gentis animi, quæ decreta regis ad inuadendam Macedoniam eſſent: hortareturque Barbarum regem ad tranſmittenda auxilia, quando vna ea ratione, & tum, & in poſterum Macedoniam ac Epirum omni periculo eſſet liberaturus. Quod ſi Calabriæ et Apuliæ oram, quæ proculdubio Græciæ & Conſtantinopolitani imperij munimenta forent, occupari à validiſsimo communi hoſte pateretur, ipſum ſerò aduerſus victores Gallos, qui continuò in Græciam eſſent traiecturi, conſilia atque opes ſuas oppoſiturum. Poſtulabat Alfonſus ſena milia peditum & equitum, quæ ipſe dum hoſtis in Italia foret, liberali ſtipendio eſſet aliturus. Erat enim præcipuus Turcarum virtutis admirator, vt qui paucis antè annis Hydruntino bello, & mox ad Velitras iuſta in acie eorum diſciplinæ ac fortitudinis periculum feciſſet. At pontifex ob eas cauſas quas ſupra memoraui, & cohortātibus maximè Florentinis cum Alfonſo his conditionibus fœdus percuſsit, vt ipſe Aragonios Florentinosq́;, illi verò pariter pontificios fines, ſi bellum ingrueret, certis auxilijs tuerentur. Gothifredo item Borgiæ Carinulæ principatus dono datus, cui et Alfonſi filia obſcura matre genita nupſerat: Frāciſcus verò Candianus magno cum ſtipendio regiæ adſcitus militiæ. Ii pontificis filij erant, qui tum ex paterna fortuna ad inſigne opum atque potentiæ faſtigium nitebantur. Alfonſus quoque paucos poſt dies coronam, cæteraque Neapolitani imperij inſignia à Pontifice impetrauit, miſſusque Neapolim magno comitatu Ioannes Borgia Cardinalis, qui Celebri pompa, & ſacris de more peractis diademate regem inſigniret, reclamantibus Gallorum legatis, qui pontificia conceſsione præiudicari ſibi in ea ambigui iuris controuerſia querebantur. Interim Alexander atque Alfonſus, vt Caroli conſilia diſturbarent, Gallorumque impetum, qui iam omnes ab inſita eorum animis belli cupiditate ad ſuperandas Alpes incitabantur, aliqua ex parte retardarent, idoneos homines in Galliam miſerunt, per quos ſecretò primores regię aulę, ſingulis pręmia pollicendo, ad impediendam aut differendam expeditionem inducebāt. Briſſonettoque in primis roſei galeri dignitatem affectanti, ſi operam ſuam pręſtaret, ſyngrapha cum breui epiſtola in fidem tranſmiſſa, eius inſignis ſacerdotij honor oblatus eſt. Nec defuere viri militares, qui iam præcipiti æſtate id bellum in proximum vernum tempus differendum eſſe dictitarent. Nanque partim largitione corrupti, partim occultis acti ſimultatibus, voluntates facilè commutabant. Aliqui etiam ſtudio contradicendi, qui morbus ducum omnium maximè peculiaris eſt, plæraque vera, aut verò proxima ſuadendo, æmu-

lorum

lorum authoritatē cōminuere atq; obſcurare nitebantur. In his erat Aurantius princeps Miolanius regulus, & ante alios Philippus Dechordes militaris prudētiæ nomine facile primus, qui accurata oratione omnes eius belli difficultates explicando, grauē in Italia Autumnū his fore diſſeruit, qui ſubitò è ſaluberrimis Galliæ regionibus Alpes tranſirent: hyeme autem Apenninum tormentis curulibus inacceſſum & penitus inſuperabilem, omnesq; Togatæ Galliæ, vel Ethruriæ vias, perpetuo luto impeditas & inextricabiles, maioresq; aliquāto quàm ipſi putarent Alfonſi opes, quum in Italia forent, inuenturos, Florentinis præſertim atq; pōtifice adiunctis: qui animis, ditionisq; finibus coniuncti ſummas haberent expediēdæ pecuniæ facultates, et maximā Italiæ partē obtinerent. Nec ſatis ſibi ad ſecuritatem Gallici exercitus exploratas videri Venetorū voluntates, qui ſe in neutram inclinaturos partem fallaci quadam ſpecie quietis profiterentur, & arma tamen interim tenere, nec publicam fidem vllis certi fœderis legibus obligare vellent. Ludouicum quoque Sfortiam è commodo ſuo latebroſis ſemper inuolutum conſilijs, qui tantoperè ad profectionem maturandam regem accenderet, nihil magis exoptare, quàm Aragoniorum opes ſibi admodum formidabiles alieno periculo attritas labefactatasq; conſpicere. Cæterùm hominem peracutum ac inſidioſum, confirmatis rebus ſuis circumſpecturum bellici motus euentum, & Gallos, ſi ita caſus ferret, iam demiſſos in vltimam Italiam, non modo deſerturum, ſed (quod Dij prohiberēt) nouis occultisq; conſilijs, et palam armis oppugnaturum. Ea enim eſſe Italorū principum ingenia, vt externis nationibus, & ante alias Gallis, quas natura implacabili odio proſequantur, facillimè fidem fallant: Debere eſſe documento Gallis omnibus tria bella ſuperioris tempeſtatis cum ſummo detrimento ſuſcepta, quum Galli vltrò inuitati à factioſis Italiæ populis ad Alexandriam, & aliquanto pòſt ad Boſcum, & poſtremò ad Genuā, dolo potius quàm virtute ſuperati, Italicæ crudelitatis atque perfidiæ funeſtam admodum importuno aduentu ſuo memoriam reliquiſſent: proinde Gallici imperij decus, ipſiuſque regis & totius Galliæ nobilitatis ſalutem, incertæ fidei Italorum principū non eſſe committendam videri. Id verò ſe è republica, dignitateque magnanimi regis exiſtimare, ſi in Sfortiam arma conuerterentur, atque eo pulſo, Mediolanenſe imperium, vti iura poſtularent, Ludouico Aurelianenſi attribuerent. Tum enim Venetos, aut vi, aut voluntate in belli ſocietatem conceſſuros. Mediolanum enim totius Italiæ arcem eſſe, vnde ipſi comparatis tuto amplioribus copijs, & de Neapolitano regno, & de tranſmarinis etiam imperijs cogitare atque decernere poſſent. Allobrogum Salaſſorumque Regulos, qui Sfortiæ infenſi eſſent, in ſubalpina regione, commeatus atque omnis generis auxilia cupidiſsimè præbituros: & ſatis ſuperque validas eas fore copias, quæ tum in Gallia paratæ coactæque eſſent, ad conficiendum intra autumni tempus Mediolanenſe bellum. Adepta verò victoria, fertiliſsimis in vrbibus hybernaturos milites, atque inde eos omnibus rebus inſtructos, externoque inſuefactos cælo, ad prima veris ſigna melioribus auſpicijs, nullo metu ſuſpectandæ ſocialis perfidiæ, quò voluerint penetraturos. Hæc apud regem in conſilio, & paſsim in regia domo, et frequētioribus procerum conuiuijs, ſumma dicendi libertate diſſerebantur. Nam Ludouico Aurelianenſi, qui poſtea regnū Galliæ & Mediolanenſe imperium adeptus eſt, complures ingentibus ſtudijs fauebant, & Sfortiam, vt ſunt Galli fermè omnes natura aperti, et de alio facilè

erexit animos:& breui maximum bellicis adminiſtrationibus, quæ vel incuria vel vltrò negligenter omnibus fermè locis refrixerant momentum attulit. Nec diu in Gallia cunctatum eſt: nam longarum aliarumq́ue nauium claſsis Maſsiliæ deducta exornataque eſt: onerariæ ſpectatæ magnitudinis ab Armorico Oceano in mare noſtrum accitæ: & prima peditum agmina cum nouo, ac ob id maximè formidabili æneorum tormentorum apparatu ad Cottias alpes præmiſſa ſunt. Dum hæc in Gallia parantur, Iulianus Rouereus Oſtienſis Cardinalis: qui poſtea ad Pontificatum euectus, Italiæ & toti fermè Europæ magnorum motuum cauſam præbuit: dum inſidias pontificis perpetui hoſtis ſui vereretur, clam celeri nauigio ab Oſtia in Galliam profugit. Eius aduentu regem magnoperè lætatum feruut, quoniam per eum qui potentia atque authoritate inter Patres plurimum valeret, Alexandri pontificis conſilia ſe vehementer turbaturũ arbitrabatur. Siquidem pleriq; è Patrib. nõ deerant: qui eũ vitio creatum dicerent, & propterea quòd ſacroſanctum eius dignitatis faſtigium ſibi pretio queſiuiſſet, veluti damnatum ambitus lege, omnino gradu pellendum eſſe iudicarent. Igitur Iulianus, vti erat inquieto vehementique ingenio, apud regem ac proceres pontifici atque Alfonſo cunctis artibus odium inuidiamq́ue conflare, concitare eis bellum, victoriam terra mariq́ue perfacilem fore polliceri, ac demum, qui militiæ vſus in Italia, quæ conſilia & facultates ſociorum atq; hoſtiũ eſſent, earum tum rerũ imperitos & rudes Gallos ſigillatim perdocere contendebat. Ipſe verò Ludouicus iam ſupra quingentos grauis armaturæ equites ad ſigna vocauerat. Genuæ ſex triremes, quatuorq; trium milium amphorarũ onerarias naues tormẽtis armiſq; inſtruxerat: coegerat vndiq; pecuniam ad ſupplenda Gallorũ ſtipendia, & magnam vim omnis generis commeatus, qui terra mariq; diuturno etiam bello ſufficerẽt, in opportuna loca contulerat. Romæ quoq; per eos dies ab Aſcanio Cardinale atq; Obegnino, Proſper et Fabritius Columnæ: et è Sabella gente, Vrſiniſq; aliquot obſcurioris nominis duces: itemq; Ioannes Rouerius Iuliani Cardinalis frater cum ſingulis equitum turmis Regio Sfortianoq; ſtipẽdio addicti: cæterùm iuſsi nõ prius oſtentare arma, aut Gallicarum partium nomen profiteri, quàm Oſtiæ vel Neptuni ad Antium regia claſsis appropinquaret, ne ipſi interea: ſi ſtudiũ ſuum nudarẽt, à pontifice atq; Aragonijs, quorum copiæ iam inſtructæ in conſpectu erãt, opprimerẽtur. Sed dum Columnij in Vrbe, et in Latio, præſertim, vbi eorum ſunt clientelæ, ſecretis admodum ſtipẽdijs equites cõducunt & deniq; omnia in aduentũ Gallorũ ad mouendum bellum diſsimulanter parãt: Alexander ad oppugnandã Oſtiã Nicolaũ Vrſinũ Petilianũ miſit. tenebatur enim Iuliani præſidio, ſummamq; habebat opportunitatem ad ſuſcipiendas Gallorũ claſſes, vrbemq; ipſam obſeſſo ac intercluſo mari, famẽ & multarũ rerũ inopia ſubigendã. Perſtitere aliquãdiu in fide præſidiarij, cũ Petilianus maiorib. tormentis arcẽ continẽter opugnaret. Verũ mox vrgẽti vitæ periculo adducti, ea cõditione arcẽ dediderunt, vti ſenatui Patribusq; publicè cuſtodiẽda, donec Iulianus ad officiũ rediret, traderetur. Verũ non multis interpoſitis diebus eadẽ arx, quæ multo militũ labore parta fuerat, dolis atq; auſu duorũ militũ recepta eſt, qui ab Aſcanio ac Proſpero haud dubiè ſummiſsi, ſimulata amicitia cuſtodẽ arcis in lectulo quieſcentẽ cõprehenderunt, & Colũnios milites ex cõdicto ab oppido ad arcẽ cõuolantes præſidiarijs terrefactis introduxerunt. Vnde poſtea tãtis incommodis rẽ Rom. atq; ipſum pontif. Guerra Monaldus

afflixerit. Conatus eſt Alexander, qui eam iniuriam doloremq́ue animo ſuſtinere non poterat, Oſtiam ſuis quoque artibus recuperare, Aſcanio & Proſpero ſub ſpecie componendarum rerum fide data in Vrbem euocatis, atque his continuò in Hadriani molem coniectis. Verùm illi paulò pòſt carcere ſunt emiſsi, quum ob violatam fidem auxilia à Dijs ac hominibus, & præſertim ab aduentante Carolo per Ludouicum Sfortiam implorarent. Iiſdem fermè diebus Alfonſus vt coram de bello conſultaret, ad Pontificem, qui tum in Tyburti ad vicum Varronis ſeceſſerat, cum duabus expeditorum equitum alis peruenit. Affuere concilio Florentinorum legati, Cardinalesq́ue omnes, prǽter eos qui Aſcanium ſecuti, Gallicis rebus fauebant. Ferunt, Alfonſum quum pro ſe fortiter & magnificè, tum pro Italiæ ſalute prudenter atque diuinè peroraſſe, omniumq́ue animos eius oratione ita eſſe permotos, vt Pontifex nulla interpoſita dubitatione non modò bellum quod ingrueret conſtantiſsimè ſuſtinendum, verùm hoſtes audaciore conſilio, illatis vltrò armis præoccupandos eſſe decreuerit. Erat apud Alexādrum Paulus Fregoſius Cardinalis Genua ab Adurnijs pulſus. is per Hybletum Fliſcum clientesq́ue ſuos & nobiles aliquot Fregoſiæ factionis ciues, qui Adurniorum potentiæ infenſi erant, ſe Genuam eiectis Adurnijs occupaturum pollicebatur, ſi ante Gallicarum nauium aduētum, ac priuſquam Sfortianæ triremes planè exornari, vel maiora præſidia terreſtri itinere ab vlteriore Gallia Genuam adduci poſſent, ipſi expedita claſſe in Liguriam aduolarent: fore etenim vt ad primum Aragoniæ claſsis aduentū cuncti inferioris Liguriæ populi, ipſiq́ue Genuenſes metu aut voluntate ſtudia commutarent. Nec aliam poſtea Gallos gerendi belli rationem inuēturos, ſi Genua cæterisq́ue peropportunis Liguriæ portubus excluderentur. Itaque Alfonſus Neapolim reuerſus Ferdinandum filium, in quo mirifica indoles militaris virtutis eminebat, terreſtribus copijs, Federicum verò fratrem toti maritimo negotio præfecit. Cæterū Petilianus, Alfonſus Daualus Piſcariæ Marchio, & Ioannes Iacobus Triuultius, qui tum peregregij duces erant, & poſtea omnibus bellis cum ſumma imperatoriæ virtutis laude claruerunt, Ferdinando attributi ſunt, vt alacriores in iuuene ſpiritus maturo conſilio temperarēt. Is è Campania per Marſos & Sabinos Apenninum tranſgreſſus, adiunctisq́; ſibi in Vmbria pontificijs aliquot turmis, per Æmiliam in Fauētinum agrum, vt inde Ciſalpinæ Galliæ fines inuaderet, contendit. Porrò Federicus è Baiano ſinu cum triginta quinque triremibus, & quatuordecim onerarijs, multiſque minoribus nauigijs profectus, leniſsimis vſus tempeſtatibus, Liburnum, quod olim fuit Labronæ ſtatio, citra Arni oſtium peruenit. Affuere illi Petrus Medices, legatiq́ue Florentini, & magna pars ciuitatis ſtudio viſendæ claſsis eò prouecta: certatumq́ue eſt hinc inde liberalitate atque modeſtia. Cæterùm repletis omni rerum copia naualibus ſocijs cum ſecundi perflarent venti, claſſis Liburno educta in Lunenſem oram curſum tenuit. Erat in conſpectu Portus Veneris oppidum, quo ſi potiretur Aragonius, alios poſtea eius oræ populos paruo negotio in ditionem eius conceſſuros apparebat. Id in faucibus Lunenſis portus ad læuam poſitum eſt, contra eam inſulam quæ portui obiecta, ab ipſo memorabili Veneris templo, ſummam olim amœnitatis & religionis famam obtinuit. Hinc ſinus ipſe admirabili flexu latiſsimè introrſus aperitur, panditque ſe ad latitudinem quadraginta ſtadiorum, ac demum curuatus in plenum orbem, ad portum Erycis & Coruum Lunæ promontorium extenditur,

minores paſsim portus, & tutas vbique ſtationes efficiens, multis procurrentibus in mare apricis collib. quos frequentes riui altioribus delapſi iugis, et nemoroſæ paſsim valles, amœniſsimo quodã naturę ordine diſtinguunt. Medio in ſinu Spedia eſt, oppidũ piſcoſum ac amabili vino maximè nobile. Ad dextram autẽ non lõgè ab oſtio Macrę amnis, Erycis vicus traiectu admodum recto Veneris inſulam, atq; ipſum portũ cõtrà reſpicit, ab eo qui in Sicilia eſt Eryx haud dubiè cognominatus. Igitur Federicus ad tentandã oppidanorum fidem, Fregoſinũ Pauli cardinalis filium, Aloyſiumq; Rapollũ conſiliariũ ſuum ſingularis induſtrię hominẽ in oppidũ pręmittit, qui eos ad deditionẽ faciendam, & Fregoſios, quarũ partium nomẽ ipſi naturali ſtudio colere conſueuiſſent, portu atq; oppido recipiendos adhortentur: ac moneant ne inani, et mox nihil profutura pertinacia, in ſummum periculũ, quod à validiſsima claſſe ſtatim immineret, ſeſe ac fortunas ſuas deuocare vellent. Pręerat oppido Balbus, qui è Ciſalpina Gallia tranſuerſis Apẽnini iugis, eò cum delecta peditũ manu, ſingulari celeritate conuolarat. Cum paulò antè Ludouicus ad famã Aragonię claſsis, ſingulis totius orę oppidis opportuna pręſidia diligẽter impoſuiſſet. Is oppidanorũ fidei et virtuti militũ confiſus, reſpondit, eam eſſe omniũ Ligurũ conſuetudinẽ vt nunq̃ in poteſtatẽ noui principis voluntate cõcedant, quãdiu illi ſint incolumes qui rerũ Genuę potiãtur. Quòd ſi externa vi aut aliquo ciuiũ tumultu accidat, vt pręſentium rerũ ſtatus perturbetur, ipſos tum abſq; defectionis infamia victorib. cedere, quorũ fortunã ex publico ciuitatis euẽtu ſequerentur: proinde nõ debere ſibi iraſci Federicũ, ſi ipſum oppido portuq; recipere recuſarent, quum Adurniũ Sfortianumq; imperiũ Genuę, totaq; Liguria vigeret, pro quo ipſi extrema ſuſtinere parati eſſent, ne primi omniũ perfidia aut metu defeciſſe videantur. Dirempto colloquio, Aragonij indignãtes, quòd oppidum muro debile et facultatib. modicũ, tantę claſsis vim atq; impetum morari auderet, confeſtim arma expediunt, triremiũ proras admouẽt, cohortes euectę maiorib. ſcaphis ſub ſignis in proximum litus deſiliunt, atque oppidũ terra mariq; vno tẽpore expugnare adoriuntur. Contrà oppidani miſti militib. frequentes in muro eſſe, egregiè omnes propugnare, in claſſem è propugnaculis faces ac tela omnis generis iaculari, in ſubiectos qui ſcalis aſcendere conabantur ingẽtia ſaxa prouoluere: ipſæ mulieres ſingulari audacia in murum arma, tigna, lapides cõportare, ſolari ſaucios ac defeſſos, ac demũ cuncta nullo virili officio prętermiſſo, laborantib. ſubminiſtrare. ipſe Balbus ingenio velox et manu prõptus, huc et illuc pugnando atq; adhortando ferebatur. Tormenta minora pro ea copia quã nactus erat idoneis in locis, vnde hoſtiũ milites qui deſcenderãt, et turbę nauales deſtinato feriri poſſent, induſtriè collocabat: neq; interim tormẽta maiora nauib. emiſſa ceſſabant. Aragoniiq; admotis triremiũ proris certatim in terrã deſilire conabãtur. Sed oppidani nouo aſtu, authore Frandaia prędone inſigni, à quo demũ ſene locus littoris cũ riſu nobis oſtẽtatus eſt, ſcopulos ſaxaq; de induſtria, ad exiliendũ in littore antiquitùs collocata, multo ſeuo cõſperſerant, ita vt milites ſaltu incitati deſilire properãtes, labentib. extemplo veſtigijs in mare, interq; eminẽtes petras cũ ſumma propugnantium, voluptate, & multo omnium riſu prępedientib. armis laberentur. Pugnatũ eſt continẽter horis ſeptẽ pari vtrinq; virtute. Verũ ingruẽte nocte, quũ Aragonij, qui & iniquo loco, & ſine idoneo apparatu pugnauerant, fruſtra omnes aditus pertẽtaſſent, nonnulliq; eorum occiſi, plures cõſauciati, cę-

teri æſtu & labore defatigati eſſent: & Iulius Vrſinus qui cohortibus præerat, lapide ictus prælio exceſsiſſet, ſe ad naues relicta oppugnatione receperunt. Ea nocte quæ ſecuta eſt, Federicus, ſublatis anchoris Clauario vico claſſem appulit; mox inde citata remigatione in Rapallinum ſinum profectus eſt. In eo ſitum eſt Rapallum oppidum ædificijs admodum frequens, quod æquali ferme ſpatio à Delphini portu & à Segeſta Tiguliorum diſtat. Id in duas regiones diuiditur, quarum altera vocatur Guelpha, altera autem Gibellina à vetere factionum appellatione, quibus ſeſe Ligures omni tempore ad lethalem inſaniam exercuerunt. Aragonij nemine impediente expoſiti in terram, celeriterque eiecto præſidio, quod paucorum erat militum, oppidum occupant: idque tumultuario opere ad ſuſtinendum hoſtium impetum, quod ſine muro erat, communire celeriter parant. Nec multo labore milites montanique homines, quos Hyblettus & Fregoſinus e proximis caſtellis euocauerant, munitiones circumtulerunt. Erat earum ratio ſicuti tum optima, ita nunc maximè ridenda. Furcis enim craſsioribus ſolo defixis, ita vt ad vmbilici menſuram extarent, longiſsimæ trabes continuato ordine confixæ clauis imponebantur. His ſe ab omni repentino hoſtium incurſu tutos ac munitos eſſe antiquiores exiſtimabant, ac pro his tuendis, cum eas tranſcendere aduerſarij niterentur, acerrimè præliari conſueuerant, felici admodum tempeſtate, qua militum virtus nullo tormentorum obiecta periculo ex ipſis virium & dextrę fortis operibus veluti ludicro in ſpectaculo certa cum laude notabatur. At Genuæ cum multo anteà de hoſtium claſſe cognouiſſent, terra marique arma parabantur. Iamque Aurelianus Ludouicus, qui primus alpes fuerat tranſgreſſus, ab Aſta Colonia ſuæ ditionis Genuam peruenerat: eumque fuerat ſubſecutus cum ſeptem Heluetiorum cohortibus Antonius Baſſeius, quem à Magiſtratu in Heduis geſto, Diuioni Bailiuum vocabant. Is & Germanicam callebat linguam, & ſummus artifex tractandis Heluetiorũ ingenijs habebatur. Antonius quoque Maria Sanſeuerinus inter Sfortianos duces egregiè ſtrenuus, alam vnam equitum, & cohortes duas veteranas adduxerat. Ad hæc onerariæ duodecim, & decem & octo triremes militibus complebantur: eaque tum apud omnes erat opinio, Aragoniam claſſem quæ remigio tantum valeret, poſſe à maximis atque validiſsimis Ligurum Gallorumque nauibus facilè ſuperari, ſi aliqui ab Occidente perflarent venti. Nam per eos dies tanta malacia vbique fuerat, vt in ea maria mirabili tranquillitate conſtrata, nulla penitus facultas educendæ claſsis alicuius auræ beneficio præberetur. Neque ea res Federicum vel Aragonios trierarchos fallebat, qui ne claſsis aduerſis Auſtri vel Africi flatibus in intimum ſinum adigeretur, quo in loco effugijs deſperatis omnino pereundum foret, expoſito ſtatim exercitu, ac prouiſa maris commutatione, triremes in altum extulerant: vnde hoſtilis claſsis motum euentumque ſuorum, qui ad oppidum caſtra habebant, parati in vtriuſque fortunæ conſilium deſpectarent. Porrò Adurnij & cęteri Galli duces, poſtq̃ Aragonios ad Rapallum conſidere nunciatũ eſt, inter ſe rei gerendæ munia partiuntur. Aurelianus claſſem conſcendit, in altumq; eam promouet, vt implendis velis terreſtri aura potiatur: reliqui copias educunt, & prout libido cuiq; fuit, Itali fermè omnes terreſtri itinere, Heluetij lembis actuarijsq; nauigijs Rapallum proficiſcuntur. Id abeſt à Genua xx. paſſuũ milibus, verũ iter adeò cõciſum, confragoſumq; eſt, adeoq; anguſti in arduis rupib. calles exiſtunt, vt equites armatos, niſi ſumma cũ diffi-

cultate no-

non admittant. Peruentum eſt in conſpectum Aragoniorum, magna adhuc ſuperante diei parte, quod per noctem & vitandi æſtus & fallendi hoſtis cauſa iter illud tempeſtiuè confecerant. Erat proxima oppido ſatis lata planities, vbi quum duces caſtrametari inciperent, quippe qui ea nocte conquieſcere, & inalbeſcente cœlo recreatis militibus hoſtes adoriri decreuerant, nata eſt paucorum audacia & temeritate occaſio committendæ pugnæ, ſicuti plerunque accidit, vt prælia caſu potius quam certo ducum decreto conſerantur. Sfortiani nanque milites in proximum hoſtilibus caſtris tumulum ad tendendum proceſſerant, vt ante alios pro gloria inter prima pugnæ pericula decertarent, quod vniuerſi agminis frontem ipſaque principia, propter inueteratam bellicæ laudis opinionem, tot aſperis quæſitam bellis, ſibi deberi honoris loco exiſtimabant. Id non tulere Prætoriani, quod ſibi nimia ſociorum arrogantia probandæ virtutis atque operæ facultas eriperetur: cum præſertim in oculis Genuenſium, ac ipſius Ioannis Adurnij ducis ſui, apud quos tot opima ſtipendia ocioſa in pace meruiſſent, pro laude ſaluteque foret dimicandum. Erant ij quadringenti fermè veterani omnes & gladiatores eximij, qui ſæpius in acie ſingularique certamine fortiter pugnando, ſpectatę virtutis famam ac vberiora ſtipendia fuerant conſecuti. Sumptuoſæ omnibus veſtes, & ſplendida arma conſpiciebãtur, vtpote qui vrbanæ militiæ aſſueti, nihil ad ornatum prętermittebant. Videre erat penulas militares coccineas aureis circundatas limbis, argenteos paſsim gladiorum capulos, inaurata ſcuta, thoraces ſerico purpuraq; contectos: ita vt milites qui hodie modico & vili admodum corio pro veſte cõtenti ſunt, deſpiciendi tanquam egentiſsimi eorum recordatione videantur. In his erant Antonellus Potentianus, Beuilaqua Inſuber, Frãciſcus Nardous, Auanzinus Caſsiana, Thomas Firmanus, Honofrius Calaber, ipſeque Salernitanus cognomento Prauus, & complures alij inſignis audaciæ centuriones, qui ordines ſuperioribus bellis in Italia duxerant. Ii itaque cum tota acie fremerent, eumque locum ſub ipſis hoſtium munitionibus a Sfortianis occupari vehementer indignarentur, raptim omnes veſano gradu, ac vix ſeruatis ordinibus vt æquiorem ſupra Sfortianos locum antecaperent, verſus caſtra hoſtiũ contenderunt. Nec dubitauere Aragonij, rati eos ad oppugnandas munitiones approperare, quin continuò erumpendum & collato pede reprimendam ſubeuntium audaciam iudicarent: quoniam & ipſi temeritate perſimili intra munitiones repugnare parum decorum putabant: præſertim quum amiſſum decus ad portum Veneris, egregio aliquo facinore edito reſarcire cuperent ad retinendam virtutis opinionem, quam de ſe apud omnes iactantius prædicando tota ea nauigatione præbuiſſent. Nec mora, diſiectis ſtatim trabium repagulis, patefactoque exitu, infeſtis ſignis euolauerunt. Accinxere ſe prælio Prętoriani, quanquam Aragonios munitionibus egreſſuros eſſe minimè putarãt, concurſumque eſt inopinantibus omnibus, ac diu maxima contentione dimicatum. Vtrique duces quorum nullum eo die fuit imperium, poſtquam neq; arte, neq; conſilio, ſed promiſcua temeritate omnibus locis pugnabatur, ſummittendo auxilia, adhortando quos regere non poterant, ac demum ipſi capeſſendo pugnam periculo ſuorum militum occurrere nitebãtur. Ad extremum Aragonij neque Sfortianorum virtutem, neque Prætorianorum impetum tulerunt: loco etenim pulſi, & deiecti eo ponte, qui diuerſas oppidi partes interfluente riuo diſterminat, terga vertère. Fuſos fugatosq; totus exercitus per-

ruptis eorum munitionibus perſecutus eſt,ingensque ea die pro numero hoſtium cædes facta. Nam Heluetij qui tardius aduenerant, ſtratos à Prætorianis & vulneratos barbara crudelitate mactabant. Ab his quoq; nobilis captiuus,quem Aloyſius Fliſcus vnus e ducibus in equi clunes ſuſtulerat, vt in pacatum abduceret,cum maximo ipſius conſeſſoris periculo trucidatus eſt: quanquam Aloyſius ſua claritate omnibus notus eſſet, vt qui Genuæ cunctis interfuerat cõſilijs,& tum magna aduerſus Aragonios fratremque Hyblettum auxilia montanorum adduxerat.In eo tumultu Hyblettus ipſe prælio effugiens cum ea manu agreſtium,quam ex ditionis ſuæ caſtellis accitam circa ſe pręſidij cauſa habebat,aſperis inuſitatisq; tramitibus,per Lauanię amnis,quæ Entella olim fuit,valles monteſq; profugit.Iulius Vrſinus Fregoſinusque vulnere tardatus,& Orlandus pariter Fregoſius capiuntur,magnaq; Aragoniorum multitudo proiectis armis dedita eſt. Pauci ex victoribus interfecti, ſed in his Auanzinus Caſsiana inter fortiſsimos centuriones annumeratus, & ex Sfortianorum Prætorianorumque numero ſupra ſexaginta grauiter vulnerati diſceſſere.Hinc ad prædam diſcurſum, totumq; oppidum nullo diſcrimine amicæ partis ab Heluetijs direptum, nullum Aragonijs ad mare, niſi paruorum admodum lemborum beneficio effugium patuit. Quoniam Federicus ab alto Liguſticas conſpicatus naues,quæ ſecundo vento ferebantur,& iam tormenta procul euibrabant,in pacatiora littora ad Arni hoſtium & Liburnũ retroceſſerat:vnde mox etiam aduerſo rerum euentu conſternatus Neapolim repetiuit.Fuere tum complures,qui eius ampliſsimę claſsis tanta impenſa tantoque ſtudio comparatæ,vanos conatus & fœdum exitum riderent.Sed contrà nõ deerant vſu rerum periti atq; prudentes,qui nullis addicti partium ſtudijs omnibus lugendum eſſe iudicarent,quum ab his rerum initijs ſupremas ac miſerabiles ruiturę mox Italię clades ominarentur.Profligatis Aragonijs,exercituq; Genuam reuerſo, cum maximo externorum militum diſcrimine in vrbe tumultuatum, cum Heluetijs Gallisq; prædam venditantibus,Rapallini veſtes, vaſa,ſuppellectilemque ſuam paſsim agnoſcentes,implorato ab amicis,affinibusq; auxilio,res ſuas repeterent.Hinc ab iurgijs ad arma populari furore diſcurſum eſt,punctoque temporis diuerſis in vrbe locis nonnulli ex Heluetijs et Gallis trucidati:proculdubioque ea die externum militem incitatæ plebis inſania deleuiſſet,niſi Auguſtinus atq; ipſe Ioannes cũ prętoria cohorte in publicũ egreſsi,circũmiſsis pręconib.audacioribusq; correptis, atq; his protinus ad exemplũ laqueo ſuſpenſis,iratę ac ſęuientis multitudinis impetũ repreſsiſſent. Rapallinę victorię nũcius,et Ludouicũ incredibili affecit lętitia,& Carolũ veluti certò iam victoriæ omine accepto, ad maturandum in Italiam ſolicitauit. Iam tota fermè Heluetiorũ multitudo per Graias Alpes in Vercellẽſem agrũ deſcenderat:& Obigninus cũ valida eorũ manu atq; ala ſua Britannica,& trecentis fermè Gallis equitibus cataphractis in Flaminiam proceſſerat.Quo paulo antè ad iungẽdas vires Ioannes Franciſcus Sanſeuerinus Calatię comes fuerat profectus. Is tum Sfortianis copijs imperabat,in queis grauis armaturę equites ſexcenti,et ter mille pedites veterani cenſebãtur. Quibus virib. in vnum coactis,vt Ferdinandi conatib. obuiam irent,ad Foſſam Giliolã in finib. Ferrarienſis agri munitiſsimo loco caſtra poſuerunt. Hiſdẽ fermè diebus Ferdinãdus Tiferno,vbi cũ Petro Medice apud Vitellios hoſpites fuerat collocutus, molliorib. Apẽnini iugis in Fauentinum agrum tranſcẽdit. Erant eius copię eque-

ſtres fermè omnes,equorum virorumque robore præſtantes,& apparatu longè omnium ornatiſsimæ.quibus vt primum in Æmiliam eſt deuentum, conſcriptis vbique cohortib. ſupra ſex milia peditum adiunxit ex Bononienſibus, hiſque populis qui Anemonis vallem & ſiniſtrum Apennini latus incolunt. Eorum erant præfecti viri fortes,Dionyſius Naldus & Vicentius eius frater. Præterea aderant Guido Vrbinatium & Ioannes Sfortia Piſaurenſium reguli. Acceſſere quoque ex pontificijs tres equitum turmæ,Serræ Hiſpani nobilis ductu. ex Florentinorum quoque copijs quadringenti vtriusque armaturæ equites,quibus Annibal Bentiuolus imperabat. His viribus Ferdinandus in Parmenſem agrum irrumpere ſe poſſe crediderat,adiuuante vel permittente Ioanne Bentiuolo,quem iam Alexander Pontifex à Ludouici Gallorumq; amicitia magna ex parte diuellerat,cùm Galeacio eius filio purpurei galeri honorem,cæteris item filijs vberiora ſtipendia promiſiſſet. Verum Bentiuolus ob res in Liguria infeliciter motas,& Federici fœdam fugam: itemque Caroli celeriorem opinione omnium aduentum, & Obignini Calatinique præſentes exercitus,quando ex ipſa belli fortuna hominum voluntates facile permutantur,omnem initi eius conſilij cogitationem abiecit. At Ferdinandus ab Sapi amne vbi per aliquot dies caſtra habuerat,in Fauentinos campos eo conſilio progreſſus eſt,vt cum primum dimicandi facultas præberetur, ſtatim cum hoſte confligeret, quòd & regem tranſire alpes,& ſe mox imparem eius virib. ſi Galli Sfortianique tota belli mole ſimul incumberent, futurum eſſe intelligebat. Contrà Obigninus et Calatinus,qui illa eadem tempeſtiuis admodum conſilijs prouidebāt,ne inuiti ad ſummæ rei certamen traherentur,obnixè ſtudere in paluſtribus ſemper ac foſſa munitis locis caſtrametari:oſtentare tamē copias ad famam opinionemq; hominum retinendam,ſed aciem niſi loco hoſtibus iniquo nunquam explicare,ita vt tantum ab leui armatura quotidie pugnaretur. Oblata tamen eſt occaſio haud ſemel prælij committendi non longè a Sanctæ Agathæ oppido,quum vtriq; duces ex itinere in proxima prata proceſsiſſent: quæ tametſi pluribus foſsis à cultoribus perductis & directis ad lineam ſalictis aliqua ex parte erant impedita,tamen ad confligendum ſatis opportuna videbantur. Intererat foſſa mediocris inter vtranq; aciem:hanc vt Aragonij tranſirent,Obigninus & Calatinus expectabant, quippe qui illuc eo ſe conſilio veniſſe meminerant,vt Ferdinandum,ſi in Æmilia moraretur,leuibus prælijs diſtinerent,nunquam vniuerſæ pugnæ aleam ſubirent:ſin in Galliam Ciſalpinam ire contenderet,ipſi ijſdem veſtigijs abeuntem perſequerentur. Petilianus autem,vt ab aduerſarijs trāſeundi initium fieret, opperiri, & ſe minimè commiſſurum dicere, vt in ripis impeditæ foſſæ de Neapolitano regno dimicaretur. Vir enim natura cautus,& minime pugnax, qui prouidere potiúſne vinceretur quàm alios ſuperare didicerat, quum Italis Heluetios pedites anteferret,Sfortianos ſuis pares,Gallos vero equites,quorum virtus adhuc erat incognita, ſi non optimos,longè tamen acerrimos putaret,et tormenta ænea,qua parte Galli plurimum valere dicebantur,maximè vereretur,nullo modo vt vniuerſo certamine confligeret adduci poterat. Contrà Triuultius,& acer & pugnæ auidus, Heluetios ab ſe Rhenatoque fratre paucis ante annis ſupra Domoſſulam iuſta acie ſuperatos commemorare. Italos equites Gallis omnibus terrori eſſe,cum ipſe in Gallia regulorum bello iuuenis interfuiſſet,abundè teſtari:tormenta in acie quòd ancipiti cum periculo emittan-

tur, nullo propè vſui fore demonſtrare, ac demum ſi manus conſererent victoriam polliceri. Quòd ſi cuncta pericula, quæ ab infinitis penè caſibus oriri poſſent, penſando ac dubitando occurſura ſibi arbitrarentur, vincēdi occaſionem per incuriam amitterent, ac paulo poſt tantis hoſtium copijs, quæ rege duce ab alpibus imminerent, futuros impares, & mox regnum cum ſummo ignauiæ dedecore, quando nulla reliqua ſpes ſalutis niſi in turpi fuga futura eſſet, amiſſuros. Sed Ferdinandus quanquā Triuultij præſaga mente de belli exitu proloquentis authoritate moueretur, Petiliano tamen aſſenſit, ne ipſe qui pugnandi ſtudio deflagrare videbatur, ſi aduerſam prælij fortunam experiretur, ſpreto cauti ducis conſilio, inexpiabilem funeſtæ temeritatis infamiam apud Alfonſum patrem, ipſumq́ue pontificem ſubiret. Itaque in munitiora loca ab vtriſq; conceſſum. Sequentibus verò diebus quum Triuultius parandę victoriæ facultatem, ab his qui innatum timorem prudentiæ nomine contegerent, amiſſam quereretur, eiusque ſententiæ Alfonſus Piſcarius acceſsiſſet, & Petilianus à Bartholomeo Liuiano familiari ſuo (is tum alam equitum ductabat) qui poſtea ſummos militiæ honores adeptus eſt, quotidie oppugnaretur, vt cunctari deſineret, & rem prælij fortunæ tandem committeret, decertare ſtatuerunt. Sed à conſerendo prælio aliena mens hoſtibus fuit. Nam tametſi per præcones ad pugnam prouocarentur, nunquam tamen caſtris copias eduxerunt, ſic vt ludificati varijs artibus Aragonios, quum leuis eorum armatura propius munitiones acceſsiſſet, emiſsis ſubitò pluribus tormentis eam inde cladis metu recipere ſeſe, & confeſtim terga dare coegerint. Liuianus tamen triduo poſt, alam vnam Gallorum equitum longius à caſtris ad ſanctæ Agathæ oppidum progreſſam noctu adortus, cæſis captiſque pluribus equitibus, magna ex parte deleuit. Cæterùm Ferdinandus poſtquam hoſtem inuitum non poſſe elici ad pugnam videt, ad Fauentiam promouet caſtra, eaque ſub ipſis mœnibus latiſsima foſſa, per quam Anemonis partem corriuarat, alijsq; præaltorum aggerum magnis operibus communit, vt amicæ vrbis copijs vtatur, tutoque in loco Germanorum auxilia, quæ ſibi è Sueuia & Vindelicia adducebantur, expectet, atque interim ad motum aduentantis Galli regis, vti pater ac Alexander monuerant, iuſſa capeſſens, melioris fortunę conſilia ſubſequatur. Interea Carolus è Gratianopoli Cottijs Alpibus in Italiam tranſmiſit. Fuere olim Cottię quæ nunc montis Genebræ culmina nuncupantur, vt aliàs diffuse monſtrabitur, quum ipſis Alpibus, ſicuti & cæteris orbis terrarum clarioribus locis, pro recentibus, & ſemibarbaris nominibus antiquiora vocabula paſsim reddemus. Deſcendentem Aſta Colonia excepit, omnique rerum copia abundantibus eius regionis oppidis, milites ſeſe largè & gratuitò recrearunt. Proceſſerat Aſtam vſque honoris cauſa Ludouicus, vxorem Beatricem cum lectiſsimis Inſubrum fœminis adducens, quibus rex iuuenis oblectaretur. Sed is non multò poſt ad inſoliti cœli commutationem aliquandiu vehementi morbo conflictatus eſt, quum erumpentes puſtulæ, vti ſæpe pueris accidit, artus & faciem defœdaſſent. Verùm miteſcente Autumno, & recepta ſubinde valetudine, Ticinum vrbem, quam recentiores Papiam appellarunt, cōtendit. Ibi regio apparatu, & exquiſitis honoribus à Ludouico in arce ſuſceptus eſt. Laborabat tum ſuprema valetudine Ioannes Galeacius, adeoq́ue infelix iuuenis lento atque tabifico morbo erat confectus, vt non viribus, quæ iam nullæ erant, ſed ipſo vno deſituri mox ſpiritus vigore regeretur. Is Carolo,

rolo, qui ad lectulum acceſſerat, vti ægrum officij cauſa humaniore alloquio ſolaretur, lachrymans, veluti mox imminentibus fatis conceſſurus, Franciſcum Bonamque liberos magnopere commendauit. Nec multò pòſt Carolus accepta à Ludouico pecunia, exercituque ex Mediolani officinis omni caſtrenſium rerum copia inſtructo, peditib. ſecundo amne deuectis, & equitatu terreſtri itinere præmiſſo, Placentiam profectus eſt. Inde per agrum Parmenſem ad Apenninum eſt peruentum, iugisque haud multo labore ſuperatis ad Pontremulum poſita caſtra, quod Macræ amni impoſitum deſcendentibus in Aetruriam per Apuanos Ligures primùm occurrit. Erat Pontremuli præſidio Badinus Inſuber cum trecentis Sfortianis: qui quum fortè ad amabilis vini tabernam ab leui verborum contentione ad acriora iurgia cum Heluetijs deueniſſent, & vti ipſi erant expediti cum ſcutis & gladijs, aliquot Heluetios in anguſtijs viarum prælongis ſuis impeditos contis trucidaſſent, aliquanto pòſt ſupremam oppido calamitatem pepererunt. Cæterùm Carolus motis inde caſtris ſecundum Macram amnem, præterque Papirianas foſſas, quæ Foſſæ nouæ oppido nomen dederunt, Sergianum profectus eſt. Creuit Sergianum ex ipſis Lunæ antiquæ vrbis ruinis, quum incolæ peſtilenti eius litoris aura, quæ maximè ad Macræ oſtium vergit, vehementer offenſi, ædificia in editiorem locum ſubduxiſſent. Id primum Florentinæ ditionis oppidum erat, eoque Paulus Vrſinus præſidij cauſa peditum atque equitum manum paulo antè præmiſerat. Interea Gilbertus Mompenſerius, qui primum Gallorum agmen ductabat, Caſtellum nouum ex itinere tormentis aggreſſus expugnauit, præſidijſque præfectum Angelum Cencellum, & ad vnum eius milites trucidauit, præmiſsisque ad mare longo circuitu equitum alis, Franciſcũ Montedolium cum cohorte Sergianum properantem, improuiſo equitum incurſu, protritis occiſisque omnibus fermè peditibus, intercepit. Quibus de rebus magnus adeò Gallorum metus omnibus eſt incuſſus, quòd ab his non more Italico humaniter, ſed barbara crudelitate cruentè admodum geri bellum videbant, vt oppidani atque ipſe Paulus muris viribusque diffiſi, & Petraſanctenſes, qui Fanum Feroniæ incolunt, quum in portis eorum equeſtri prælio certaretur, de dedendis protinus oppidis cogitarint. Erat arx ſupra Sergianum editiore tumulo impoſita, loci natura atq; arte permunita, quam incolæ à Caſtruccio Lucenſium tyranno ædificatam fuiſſe commemorant. Eam quum prolato omni tormentorum apparatu Galli expugnare niterẽtur, Petrus Medices Florentia profectus ad Carolum in caſtra peruenit. Is enim fama celeritateque hoſtium penè obrutus, quum ad eam imminentis maximi exercitus molem ſuſtinendam conſilio ac viribus ſe imparem cerneret, voluntate commutata ad promerendam regis gratiam, ſe cuncta vti imperatum foret facturum, traditurumq; Aetruriæ vrbes, arcesq; omnes pollicitus eſt, modò incolumi dignitate in fidẽ & clientelam à Carolo reciperetur. Timebat enim vehementer rebus ſuis: quoniã Laurentius & Ioannes eadem Medicea orti familia apud regem in honore erant. qui paulo antè quum nouis rebus ſtuderent, Petri potentiæ infenſi, aduerſus eum coniurauerant, detectisq; eorũ conſilijs, quòd Petrus proprio ſanguini parcendũ eſſe putauerat, ruri tantũ pub. iudicio relegati fuerant. Mox verò deſcendentibus in Italiam Gallis noua ſpe inducti, et veteribus innixi conſilijs ad Regẽ profugerant: ac tũ maximè apud ſingulos proceres agẽdo maledicendoq; bellum, inſidias, cunctaq; aſpera Petro molie-

bantur. Cæterùm Petrus apud Fanum Feroniæ cum Briſſoneto Belcarioq́ue rebus compoſitis obuiam profectus regi, comitate militari, & læto admodum vultu in gratiam recipitur. Nec multò pòſt miſsis qui teſſeras repetendæ fidei cuſtodibus ferrent, Sergiani, Fani Feroniæ, Piſarum, & Liburni portus arces, regijs præfectis traduntur. Interea Florentinorum legati viri inſignes, in quorum numerum Senatus honoris cauſa Petrum ipſum abſentem decreuerat, ſuperuenere, qui amica apertaq; omnia tranſeunti regi futura publico nomine dicerent, & quantis maximè poſſent officijs regis animum, deterſis ob repudiatam antea eius amicitiam offenſionibus, pacatum reddere niterentur. Sed Petrus mox Florentiam redijt domeſticorum literis reuocatus, quibus aduerſos de eo rumores tota vrbe excitatos, ad famam deditarum arcium afferebatur, proptereaque veteres inimicos in ſpem nouarum rerum eſſe erectos: populum fremere, nutare Senatum ex eius facti indignitate permotum: atque ex amicis demum paucos qui audacter inimicorum conſilijs obuiam irent reperiri, ſolicitè admodum perſcribebant. Alienauerat ab ſe Petrus, tametſi præclaro erat ingenio, multorum optimatium animos, quum iuuenili quodam feruore equorum, armorumq́ue ſtudijs & matronarum amoribus deditus, ciuiles curas ignobilioribus miniſtris demandaret, & perraro quum Senatus cogeretur in curiam veniret, nunquam verò collegiorum magiſtratuumq; officijs intereſſet: quorum munia à ſummis et grauiſsimis ciuibus implebantur, ac demum Laurentio patri prorſus diſsimilis euaſiſſet. Qui vt erat diuina prudentia in regenda vrbe, & promerendis ciuium animis vrbana quadam comitate ciuiliq́ue modeſtia, pari cum cæteris cultu, ſine ſatellite Rempublicam feliciter, ſola ingenij magnitudine fretus adminaſtrabat. Igitur Petrus quũ principem locum, qui haud facilè aliter quàm aut ſumma vi, aut ſumma cum virtute atque modeſtia in libera ciuitate retinetur, neque armis neque gratia ſuſtentaret, ad explorandos ciuium animos, periclitandamq́ue comminutæ iam authoritatis atque potentiæ fortunam, in forum, atque inde in curiæ aream proceſsit. Vbi quum infrequentes amicos, circum ſe verò infenſos multorum vultus cerneret, ac ſubinde ad Octouiros, qui cum Vexillifero ſupremæ poteſtatis magiſtratũ gerunt, aſcendere vellet, à Valterotto Iacoboq́ue Nerlio regionum tribunis, curiæ ianua prohibitus eſt. mox verò concurſu omnis generis hominum facto, & nonnullis arma tenentibus, metu doloreq́ue perculſus, inter fremitum rebellantis populi, & ſaxa volantia, domum ſe proripuit. Nec mora veluti vlturus infeſti populi iniuriam, thoracem galeamq; induit, familiam armat, & equites quos dudum Paulus Vrſinus poſt deditum Sergianum diſsipato trepidantiq́ue agmine ad Gallianam portam adduxerat, euocari atque introduci iubet. Verum quum nunciaretur, Frãciſcum Valorium, vnum è legatis, quem ipſe apud Carolum paulò antè reliquerat, virum acrem ac turbulentum in foro eſſe, ſublimemq́ue eum in equo concionari, populum incitare, ac demum ſe armatæ multitudini ad vendicandam libertatem ducem præbere, penitus animo concidit, ſuſpicatus à rege Gallo fidem falli, & ſalutẽ ſuam ab eo proditum iri, quòd ſe abeuntem falſis pollicitationibus onerasſe videretur: Valoriumq́ue qui tanta ob id celeritate præcurriſſet, inimicorum maximè gentilium impulſu ad ſe oppugnandum pellendumq; fuiſſe tranſmiſſum. Itaque metu amens, & conſilij pariter inops, Paulo Vrſino, amicisq́ue paucis, vt ſalutis quàm imperij vel fortunarum curam potiorem duceret ſuadẽtibus,

relictis

relictis etiam quibuſdam gemmarum loculis, vrbe profugit. Ioannes quoque cardinalis, qui poſtea deſumpto Leonis decimi nomine, ſummum in re Chriſtiana dignitatis faſtigium tenuit, ſacerdotis fraterculi cuculla amictus: itemq; Iulianus fratres pari fuga elapſi, diuerſis itineribus Bononiam peruenerunt. Interea populus omnis, qui tametſi infeſtis armis, ſęuisque vocibus Mediceos perſequendo, diuturnæ ſeruitutis iugum fortiter excuſsiſſe videri volebat, aliquanto tamen prædę quàm libertatis auidior, ad diripiēdas Mediceas ędes ex omnibus regionibus aduolauit. effractique ſtatim ſunt Martiani horti, nobiliſsima Petri ſuppellectile inſtructi. Domus quoque ipſius Cardinalis ad Antonianum templum, ſæuientis plebis auaritiæ ceſsit, tanta auiditate, vt valuæ & cardines impotenti rapientium impetu vellerentur. Ipſa domus Medicea graſſantis populi iniuriam non ſenſit, prohibentibus magiſtratibus, quòd ea tum ſummo Petri ſtudio ad regem hoſpitio excipiendum, aulæis, pretioſoque rerum omnium apparatu exornabatur. Nec multò pòſt concurſu hominum in curiã facto, Petrus fratresque à Vexillifero Franciſco Scarſa, ipſisque Octouiris, qui cum eo in curia perpetuò ſedent, quique ex amicorum numero, ipſiſque Mediceæ familiæ beneficiarijs lecti fuerant, omnibus ſtatim ſuffragijs, patriæ & Senatus hoſtes iudicantur. pilæ puniceæ Mediceæ gentis inſigne omnibus vrbis locis abraduntur, atrocique admodum decreto adiecto, vti præmium percuſſoribus eorum foret, bona extemplo atq; auidiſsime publicãtur. Nec multum inde in illa ipſa domo, magni Coſmi ingenio ac ſumptu extructa, qua Nullum in Italia priuatum ædificium elegantius concinniuſque ætate noſtra conſpicitur, quæque publicum totius orbis nobilitatis bonarumque artium hoſpitium fuit, à publicis inſtitoribus nobiliſsimarum opum venaliũ haſta palàm erecta eſt. Veniere itaque magno Fortunæ ludibrio, præter ingens & pretioſum opulentæ domus inſtrumentum, ſtatuæ antiqui operis, toreumata, gemmę, varijque lapides admirabili veterum artificum ſculptura inſignes, vaſa Myrrhyna, numiſmataque auro, ære, argento, queis clarorum ducum effigies inerant, longo atque erudito ſtudio, diuturna in pace cumulata. præterea tabulæ & ſigna nobilium artificum monumenta: & quod inuidiam plurimum augere poterat, illa tam grandi pecunia tot tantiſque doctorum virorum peregrinationibus atque laboribus quæſita, Latinorum & Gręcorum voluminum ſuppellex celeberrimæ Bibliothecæ. Hanc Coſmus inſtituerat, auxerat Petrus, & Laurentius poſtremò, tota penè Gręcia rariſsimis libris ſpoliata: expletisq; tandem ſtudioſorũ deſiderijs, magna ſui fama claritateq; condiderat. Ita vt plerique mortales eam familiam tanta calamitate indignam, ac iniquè admodũ ab ingratis ciuib. exactam eſſe iudicarent. Quando eius proceres perpetuo quodã magnificentiæ ſplendore, ędificando, fouendo ingenia, & pacem opulentiæ parẽtem ſingulari induſtria tuendo, patriæ ac ciuib. tantum ornamenti & claritudinis addidiſſent. Illudq; demum manifeſtè compertum eſt, inanem atq; admodũ caducam eſſe popularẽ gratiam in libera ciuitate dominantib. ciuesq; ipſos dum ex nouarũ rerum motib. libertatem reſpiciũt, nulla æquabilis imperij, nulla priſtinæ amplitudinis, nulla deniq; beneficiorum priuatè vel publicè acceptorũ memoria permoueri. Vſq; adeò autẽ Mediceũ nomẽ cunctis inuidioſum eſſe cœpit, vt Laurẽtius atq; Ioannes, qui apud regẽ tanq̃ exules fuerant, Petri expulſi gentiles et conſanguinei, vt libertatis tuendę ſtudium oſtenderent, è marmoreis antiquę domus inſignib. pilas deterſerint,

ſubſtitutaque candida cruce, vti in aliam familiam tranſeuntibus mos eſt, Populani abdicato veteri nomine, appellari maluerint. Dum hæc Florentiæ geruntur, Carolus ab Luca, vbi liberaliter exceptus adiutuſque pecunia fuerat, Piſas cum exercitu peruenit, cuius aduentus opportunè admodum in ſpem recuperandæ libertatis Piſanorum animos erexit. Conceſſerant Piſani multos ante annos diuturno bello victi in Florentinorum ditionem, quum paulo antè cum ſumma opum amplitudine, tum ingenti rei naualis gloria inter cæteros Italiæ populos, magnam authoritatem rebus præſertim in Syria feliciter geſtis obtinuiſſent. Eoq; magnitudinis rem Piſanam aliquando euectam memorant, vt centum eorum familiæ illuſtres, totidem roſtratas naues priuato ſumptu ædificaſſe, exornataſque ad Liguſticum bellum eduxiſſe dicantur. Verum quum bellica virtute & mercaturæ ſtudio, partis diuitijs aliquandiu floruiſſent, eos demum ſuperbia opulentiæ comes, & natæ continuò ex nimia felicitate inteſtinæ ſeditiones, euerſa republica tranſuerſos atque præcipites egerunt. Factumque eſt, vt attritis diſcordia opibus atque intermiſſa obiter maritima negotiatione, per diuerſa tempora varijs tyrannis ſeruire didicerint. Ioanne autem Galeacio Vicecomite vita functo, qui longè ampliſsimo in Italia imperio potitus, poſt Appianum tyrannum, Piſas in deditionem acceperat: cæpere Piſani iam pridem amiſſam libertatem reſpectare, atque eam maioribus animis quam viribus aduerſus Florentinos tueri, qui tum ob veteres cauſas recentibus etiam odijs accumulatas, in ea ruentis imperij Vicecomitum exoptata occaſione, grauiſsimum bellum intulerant: quo Aucuthus Britannus dux bello inclytus adeò res eorum afflixit, animoſque contriuit, vt omnibus belli calamitatibus fracti, deſtitutique à finitimis victorum arbitrio ſe dediderint. Manſereque ſub Florentino imperio annos octuaginta ſeptem: quo tempore adeò ſeuerè auareque ab his qui quæſtui atque pecuniæ maximè ſtudent, imperatum eſt, vt ſub Caroli aduentu nihil eis præter nomen vetereſque ſpiritus, & antiquæ magnitudinis memoriam ſupereſſet. Erat inter Piſanos Simon Orlandius vehementi vir ingenio, publiceque & priuatè Florentinorum hoſtis acerrimus. Is noctu & in occulto cum his ciuibus coeundò, quos maximè grauioribus iniurijs offenſos, ac ob id alienato animo paratos ad defectionem exiſtimabat, ſæpius publicas calamitates deplorare, ac oſtendere quamfacilè, ſi viri fortes & maioribus ſuis ſimiles forent, ſeſe ab intolerãda ſeruitute in antiquam libertatem eſſent vendicaturi. Poſtremò quòd Gallicæ linguæ erat peritus, ſe oratorem apud regem & ad perficiendum negotiũ ducem futurum alacriter profiteri. Nec diu cunctando deliberandòue ab inclinatis iam ciuibus, num in ea præſentis regis occaſione audendum foret, dubitatum eſt. Nanque Orlandius quum à cunctis certatim amplexaretur ac laudaretur, quòd contempto priuato periculo pulcherrimi facti cõſilium magno animo deſumpſiſſet, ad regem qui tum Mediceis erat in ædibus, cum globo iuuenum aſcendit, proiectuſque ad genua ſupplex & lachrymans enarrauit, in quas calamitates erumnaſque miſerabiles, è florentiſsimo quondam liberæ ciuitatis ſtatu, Florentinorum ſæuitia decidiſſent: in quorum mores acerbiſsimè inuectus, vt vndique eis conflato odio rex iuuenis magis ac magis incitaretur, ea maledicendo protulit, quæ tametſi regis animum, magnitudinem nouitatemque criminum admirantem impulerint, à moderato tamen ſcriptore, ne incerta indefenſaque pro veris fidem recipiant, prætereunda videantur. Cæ-

terùm

terrum perorante Orlandio, ac regem demiſsiſsimo geſtu interrogante, num qui ad liberandam à tyrannis maximam Italiæ partem veniſſe velle videretur, Piſanum populum tam indigna ſeruitute oppreſſum liberum eſſe vellet: Carolus more Gallorum alacriter, & iam opportunè fauentium procerum murmure exorto, paucis annuens, ſublataque manu id ſe quod æquum eſſet præſtare ſignificauit. Quæ vox excepta ab his qui intererant, ſtatimque foris omnibus præ lætitia ingenti clamore, FRANCIAM, quod eſt antiquum liberæ Gallię nomen, ac Libertatem viciſsim ingeminantibus, per vrbem delata, vniuerſum populum ad dulce exoptatumque id nomen excitauit. In eo tumultu marmoreus leo Florentinorum inſigne in profluentem Arnum præcipitatur, Præfecti autem quęſtoresque Florentini vrbe profugerunt. Quibus exactis Piſani ex numero optimatum decuriones viros fortes delegerunt, qui darent operam, ne recepta libertas vlla vi, vllisue hoſtium conſilijs eriperetur. Quod ſi tanta felicitate atque fortuna ipſam libertatem tueri Piſanis datũ foret, quanta eam conſtantia atque virtute poſtea per ſexdecim annos defenderunt, bellum profectò quod ſtatim ſecutum eſt, neque pertinacium ciuium fregiſſet ſpiritus, neque finem eorum opibus vnquam impoſuiſſet. Accidit autem memorabili caſu, vt eadem hora, qua Florentini Mediceos patria domoq; pellebant, ipſi quoque à Piſanis pari aſſerendæ libertatis deſiderio pellerentur, præclara equidem cum laude Galli regis, qui non minus æquitate atque iuſtitia, quàm virtute bellica magnus, duabus nobiliſsimis Italiæ vrbib. inauſpicatam propè, & nullo hercle negotio libertatem attuliſſet.

FINIS PRIMI LIBRI.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

LIBER II.

AT Carolus, Antracio viro forti cum delecta Gallorum manu Piſana in arce conſtituto, cæteriſque deditarum arcium præſidijs pari diligentia confirmatis, Piſis profectus ad Signinum pontem ſexto ab vrbe Florentia lapide Arno impoſitum, tertijs caſtris peruenit: ſollicita admodum ciuitate tanti exercitus metu, quòd non omnino inanis rumor increbuiſſet, regem Mediceos in patriã incolumi dignitate moderati principatus eſſe reductum. Nam Briſſonetus atque Belcarius, Philippuſque item Breſsius Allobrogum reguli frater, regij cõſilij principes, eo atroci facto, quo Petrus patria pulſus ac hoſtis iudicatus fuerat, regiæ fidei maieſtatem vehementer lædi teſtabantur: diſſerebantque eum qui ſeſe atque arces optima fide tradidiſſet, ob

idque præclara ipſorum ſponſione amicus fuiſſet appellatus, vt patriæ & penatibus redderetur, omnino eſſe reuocandum. Probabat id rex iuuenis, honeſti decoris tenax, nec facile ex aliena iniuria nominis ſui contumeliam ferens. Iamque Fortuna nouos ludos Florentinis editura videbatur, niſi Petrus qui parum læto vultu cum fratribus à Ioanne Bentiuolo exceptus fuerat, è Bononia ſibi timens, nimis celeri deſperatione Venetias profugiſſet. Cæterùm Carolus apud Signiam rebus per legatos, qui frequentes aduenerant, magna ex parte compoſitis, Florẽtiam armatus ingreditur. Magiſtratus cuncti ſuo ordine, ſacerdotesque ſacris in veſtibus ſub vmbella aurea intrantem excipiunt. populus lætis acclamationibus ſummos honores defert. miratur externi cultus tot equitum agmina, Phalangesq; Heluetias, & ad tormenta ænea tranſuecta curribus maxime ſtupet. Sed obiter ſuſpenſo animo reputat, quo in diſcrimine verſetur, qui tantam ferocium gentium multitudinem intra mœnia domeſticosque lares acceperit. Ea dies funere quoque Pici Mirandulæ immatura morte correpti, inſignis fuit, qui ob æterna diuini ingenij monumenta, eruditorũ hominum conſenſu, Phœnicis cognomentum adeptus eſt. Rege ſuſcepto, affectoque omnibus humanis honoribus, Florentini de fœderis conditionibus agere cœperunt. certatumque eſt aliquandiu, & ſubinde liberi hominis inter armatos vox audita. Quum enim Galli periniquas conditiones dicere viderẽtur, ob idque abnuentibus inſolenter obſtreperent, Petrus Caponius indignabundus, libellum cõſcripti fœderis palam concerpſit, addens clara voce, poſtquam Galli vi agere, atque impotenter contendere vellent, non defuturos, qui Campani æris ſonitu, tubarum cantibus eſſent reſponſuri. Sed demum cũ rege fœdus ea conditione percuſſum eſt, vt Florentini centum & quinquaginta milibus aureorum nummûm in bellicos ſumptus regem iuuarent. Ipſe eas arces quas Petrus tradidiſſet, intra certum tempus reſtitueret. libertatem quã tunc recepiſſent, egregio ſtudio tueretur: neque Mediceos gratia foueret, neq; Piſanos iuuaret auxilijs. Sic, vt Carolus aræ maximi templi admotus, ſolenni ſacramento iuraret, ſe integra fide præſtiturum quod ex fœdere promiſiſſet. His confectis reb. epiſtolas ſub edicti nomine per omnem Italiam perſcripſit, quibus teſtatus eſt, ſe veniſſe ad liberandos ſeruitute populos, bellumque in Græciam aduerſus Turcarum gentem, ac ipſos communes Chriſtiani nominis hoſtes transferendum: propterea ſe nemini nociturum: pacatò facturum iter: & quæ alendo exercitui neceſſaria forent, præſenti pecunia perſoluturum. Dum hæc in Ætruria geruntur, Obigninus & Calatinus in Æmilia copijs atque animis aucti, ad Mordanum Forocornelienſium caſtellum proceſſere. Caſtellani perſuaſi à Marino Mercatello Catharinæ Sfortiæ præfecto, qui præſidij cauſa aliquot armatos introduxerat, portas clauſerant, ac muro foſsisque confiſi Gallos oppido excidium, ni ſtatim reciperentur comminantes, lapidibus ac ſagittis ſummouere cœperant. Ea iniuria accenſi Galli elatis animis nequaquam ferentes, quod tantulum oppidum, tanti exercitus impetum ſuſtinere auderet, tormenta promouent, muri partem deijciunt, et foſſam tranſcendere conantur. Sed ea re parum proſperè tentata, aliud conſilium capiunt: quoniam foſſæ multitudine aquarum ſtagnantes, neque ſuperari niſi certo cum periculo, neque extrahi ſine multo militum labore poterant. Tormenta itaque contra portam dirigunt, vt tolonem trabem, cui pons ſubductilis ad ſubleuandum cathena ſuſpenditur, tormentorum pilis effringerent. Ac

ciditque vt ad vnum atque alterum falconis ictum, cathena trabeque perfractis, pons ipſe concideret, irrumpentibusque Heluetijs & Gallis, oppidum extemplo caperetur. Tantus porro certatim incumbẽtium impetus fuit, vt multi a lateribus in foſſam decidẽtes, ſed multo plures ipſo prementium pondere ruptis pontis aſſeribus præcipitati in præaltos & limoſos foſſæ gurgites, fœdè perierint. Nec mora Galli amiſſorum commilitonum dolore concitati, vt cæteros vno crudeli exemplo à ſimili pertinacia deterrerent, præſidium oppidanosque omnes ad vnum, quibus neque latebræ, neque Deorum templa in quę confugerant profuere, inuſitata rabie trucidarunt: ita vt neque ſenibus, neque fœminis, neque ipſis, crudele viſu, pueris barbara feritate pepercerint. Cuius inhumani facinoris fama peruagata totam Italiam, ſicuti maximo terrori omnibus fuit, ita Gallorum genti, quam plerique moribus noſtris non omnino diſsimilẽ putabant, incredibile odium cõcitauit. Mordano amiſſo, Catharina miſerabili ſuorum clade perculſa, Ludouico etiam patruo plurimum impellẽte, Aragoniorum partes deſeruit. Iiſdem fermè diebus Ioannes Galeacius diuturna valetudine conflictatus Ticini vita exceſsit. Eo nuncio accepto, Ludouicus qui regem in Lunenſem vſque agrum fuerat comitatus, Mediolanum aduolauit, vbi iuſtis inſigni pompa funeri perſolutis optimatum conſenſu ad imperium euectus eſt, qui in tãto rerum motu imperij ſummam infanti minimè deferendam eſſe dicebant, quanquam illud Franciſco Ioannis Galeacij filio certo ſucceſsionis iure deberi videretur. Fuere ea tẽpeſtate complures qui Ioannem Galeacium lentis atque mortiferis potionibus ab eo pernecatum fuiſſe putarent. quod fortaſſe nobis pro conſtanti eſſet affirmandum, niſi eius ambiguæ rei indicia, fallacibus innixa coniecturis incertam admodum opinionis fidem, curioſis etiam medicis reliquiſſent. Deberi etenim ſibi imperium Ludouicus prædicabat, quòd ipſe natus eſſet, dum Frãciſcus pater Mediolano virtute parto potiretur. Contrà Galeacium, qui ætatis prærogatiua inductus defuncto patri ſucceſsiſſet, in humili adhuc parentum fortuna genitum, atque in Firmana Piceni arce ſuſceptum, præpoſtera ſucceſsione principatus, Fortunã, in qua neque Dij neque Fata eum naſci voluiſſent, reſpicere minimè debuiſſe. Diplomata quoque aliquanto poſt à Maximiliano Cæſare, trecentis milibus aureorum nummûm impetrata, quibus Ludouico liberisq; eius ſpecioſis admodum titulis, Mediolani, finitimarumque vrbium imperium, auguſta Cæſaris authoritate adiudicatum eſt. Ferdinandus aduerſis Aethruriæ motibus perculſus, ſimulque permotus Catharinæ defectione, quòd medijs ditionis eius in finibus erat, Obigninumque et Calatinum aduentu nouorum militum firmiores factos appropinquare cognouerat, ad Caſtrocarium, quod olim in Apennini radicibus Salſubium fuit, retroceſsit. Id iter per vias multo luto ac frequentibus ſaxis impeditas, noctemque cum tenebris tum ſæuis etiam imbribus fœdam, maxima cum trepidatione laboreque confectum eſt. Nec Salſubiani portas aperuere, qui paulo antè ſingulari ſtudio eum omnibus rebus adiuuerant: vixque Ferdinandus alimenta afflictis inedia militibus impetrauit, quæ ægrè etiam, prius accepta pecunia, caniſtris & funibus è muro demittebantur. Adeò enim mobilis ac infida populorum natura eſt, vt facilè quos deſertos à Fortuna conſpexerint, ſtatim ſoluto pudore deſtituant. A Salſubio in Ceſennatem agrum digreſſum, miſſusque Petilianus ad Ceſennatium Senatum, qui daret operam, vt ab his prouiſo commeatu, deſignatisque hoſpitijs,

exercitus intra mœnia reciperetur. Exulabat tum Ceſenna Guido Guerra, vir factioſus, & bello acer, qui multos in vrbe amicos clienteſque habebat. Hunc Obigninus & Calatinus idoneum rati per quem ad introcludendum Ferdinandum Ceſennam occuparent, pecunia, armis auxilijſque inſtruunt: ad tentandos ciuium animos maturare iubent: ad certum itineris ſpatium Fracaſſam Sanſeuerinum cum ala equitum, qui ſubſidio foret, ſubſequi, adeſſeque præcipiunt. Guido qui ſuos fecerat certiores, & tempus patrandæ rei conſtituerat, primo aduentu à Bartholomæo Notario Guerrianę factionis homine introducitur: tota vrbe ad Guidonis vocem tumultus exoritur: factioſi arma corripiunt. quorum fulctus auxilijs Guido in prætorium curiamque aduolat: Petilianum de commeatu cum Decurionibus deliberātem iniecta manu capit, cuſtodiendumque ipſis ſenatoribus tradit. Erat perturbatus rei nouitate Senatus: nihil publicè in repentino caſu conſuli prouiderìue poterat, quum quiſq; domum, liberos, fortunasque ſuas in eo periculo potius reſpiceret, quàm quale quantumque facinus eſſet admiſſum intueretur. Nam dum Petilianum a ciue capi in conſpectu Senatus, & Aragonios qui ingreſſi cum Petiliano erant, capi diſpoliarique permitterent, manifeſtè à Romano Pontifice rebellabant. Iam tota fermè ciuitas Guidonis, Gallorumq; ſigna ſequebatur, quum Alfonſus Daualus & Liuianus his rebus cognitis, cum delecta equitum peditumq; manu Ceſennam per arcem Ioanne Caroccio cuſtode pontes extemplo demittente, ingrediuntur. committitur repente prælium media in vrbe. Ipſe Guido ingenti protectus ſcuto, cum paucis familiaribus fretus viarum anguſtijs Aragonios ſuſtinet: mox auctus nouis clientium militumque ſubſidijs, eos lōgius propellit. Porrò Aragonij ſuperuentu Germanorum, qui dudum è Venetia nauibus tranſuecti in caſtra peruenerant, pugnam inſtaurant. Daualus & ipſe pedes ante alios inſignis, cominus cum Guidone congreditur; acriter vtrique contendunt. Gothifredus & Gaſpar Germani cohortium præfecti, impigrè prælio ſuccedentes vulnerantur; multi cadunt, vtriſque ex omnibus locis auxilia, ſed maiora Aragonijs aggregantur. Poſtremò, quum Fortuna ſæpius, modò his modò illis victorię ſpem oſtendiſſet, Guerriani virtute Germanorū pulſi diſiectique cum magna cæde in fugam vertuntur. Ipſe Guido per tumultum à ſuis in equum illatus, è manibus hoſtium vulneratus effugit. Fracaſſa vero qui tardius iter fecerat, cognito Guidonis caſu priuſquam portis appropinquaret, in caſtra reuerſus eſt. Vrbe recepta, & Petiliano cuſtodia educto, Ferdinandus magno metu atque periculo liberatus Ceſennam venit. eius aduentu domus aduerſæ partis, quæ Guidoni fauerāt, vt milites gratuitò penuarijs copijs alerent, exercitui prædæ loco conceduntur, & Bartholomæus qui Guidonem introduxerat, latebra extractus ſupplicio afficitur. Galli Ceſenna excluſi de occupando Britonorio conſilia inibant: exuleſque præſertim qui repetendæ patriæ auidi in eorum caſtra confluxerant, præmijs, atque pollicitationibus inducebant, vt per illos amicitia cum eius factionis hominibus inita, vrbe potirentur. Cæterum Ferdinandus opportunitate vicinæ vrbis permotus, cognitis eorum conſilijs, eò cum cohortibus duabus tribuſque equitum turmis Liuianum celeriter præmittit: cuius aduentu, eorum conſilia qui iam animo defecerant, oppreſſa, omneſque demum ciues in fide Pontificia confirmati ſunt. Britonorio a Brinto vetere oppido nomen inditum putamus, quanquam id nonnulli à Britonis Aquitaniæ populis, qui vrbem inſtaurarint appellatum credant. Erat Theodorani proqinquo oppido Gallorum equitum

manus,

manus, quæ per agrum inter Ceſennam & Britonorium vagabatur. Huic ſępe inſidias Liuianus fruſtra tetenderat, quòd illi niſi magna manu explorato atque interdiu, nunquam exibant: hos, quum dolis nihil proficeret, vir audax tentandæque ſemper Fortunæ auidus, vera vi aggredi conſtituit. Itaque coactis omnibus copijs, adiunctisque ſibi oppidanorum promptiſsimis, noctu itinere confecto, prima luce Theodoranum adoritur, debile oppidum, Gallis repentina re conſternatis, acriter tamen ſe defendentibus, celeriter expugnat ac diripit. Galli equites magna ex parte in arcē relictis equis confugere, quos quum biduo continenter oppugnaſſet, atque ipſe dum incautius murū ſubit, ſagitta vulnus accepiſſet, ſuperueniente Ferdinando, omnes ad vnum in poteſtatem redegit. Verùm Ferdinandus, quum Annibal Bentiuolus Florentinorum equitum præfectus, quod commutato Reipublicę ſtatu omniumque ſtudijs ad Carolum conuerſis, ſalua fide militaris ſacramenti diutius eius in caſtris eſſe non poterat, impetrata miſsione diſceſsiſſet, et paſsim à peditibus deſereretur, retrò abiens per Vmbros Romā contendit. Ex itinere Ioannes quoque Sfortia & Guido Feltrius, cum ſuo quiſque equitatu, hic Vrbinum, ille Piſaurum rerū ſuarū metu conceſſerunt. Obigninus verò Salſubianis iugis Apenninum tranſgreſſus, ad Carolum in Aetruriam deſcendit. Per eos dies Frāciſcus Picolhomineus cardinalis, qui poſteà Pontificatum eſt adeptus, ad tractandam pacem à Pontifice legatus ad Carolum in Ætruriam venit. Sed is neque auditus, neque in caſtra receptus eſt, quum regi atque proceribus ob recentem adhuc patrui Pij Pōtificis memoriam eſſet inuiſus, quòd ille ſuperiore Neapolitano bello aduerſus Andegauenſes a Ferdinādo Aragonijsq; partib. ſtetiſſet. Carolus paucos Florentiæ moratus dies rebus compoſitis Senas venit. Excepere venientem Senenſes, portis ac regionibus feſta fronde exornatis, ac liberaliter Gallos milites per domos hoſpitio ſuſceperunt. At rex primo aduentu cohortem prætoriam, quæ ſtationem in foro habere, & præſidio decurionibus eſſe conſueuit, denunciata per præconem cæde, ni extemplo arma ponerent, locoque decederent foro vrbeque expulit. Senis per Vlſinios Viterbium exercitus eſt ductus. Eam vrbem ex Foro Caſsij ruinis creuiſſe putauerim: huius enim in proximo non obſcura veſtigia, in ipſa ſilice conſtrata via Caſsia viſuntur. At pontifex, qui Ferdinando eiusq; exercitu in vrbem recepto, & conſcriptis tumultuarijs cohortibus, Romanoque populo arma capere, & patriam tueri iuſſo, Gallos vrbe prohibiturus eſſe videbatur, Caroli ſucceſſu & celeritate victus, ad eum legatos miſit, qui orarent, ne ſacroſanctam vrbem, ſacrorum domicilium, Pontificis optimorumque antiſtitum ſedem, cui aliquando etiam barbarus Atila peperciſſet, turbandam violandamque tantæ multitudini externorum militum præbere vellet. Quod ſi, vti Chriſtianū atque eius cognominis regem deceret, auguſtæ Vrbis religione tangeretur, ingreſſuque abſtineret, Pontificem ei tum officio ſatisfacturum, commeatuſque militibus idoneis in locis præbiturum. Carolus ad ea reſpondit, ſe priuſquam Gallię fines exiret, voto pro ſalute felicitateque ſuſcepto, decreuiſſe Romana templa inuiſere: ſanctiſsimas Petri Paulique aras venerari: ipſumq; Pontificē, qui pietatis religioniſq; faſtigium obtineret, ſuppliciter adorare. Proinde ſi Pontifex Aragoniorum hoſtium ſuorum copias vrbe emitteret, mediamque perſonam, vti par eſſet, ipſe auguſtus & ſanctus indueret, commeatuſq; expediret, ſe amicè pacatoque agmine ingreſſurum Vrbem: quod ſi vim para-

ret, & ſibi obſiſtendum arbitraretur, ſe ſibi viam cõfeſtim per vrbem Romam, ac Tyberinos pontes armis aperturum. Ioannes quoque Andegauenſis Epiſcopus, qui eadem Pontifici coram, populoque referret, cum legatis Romam deſtinatus eſt. Erat Alexander, vt ſæpe accidit, quum dubijs periculoſiſq; conſilijs agitamur, veluti in ſupremo rerum caſu vehemẽter animo conſternatus. Formidabat iuuenem regem inimicorum ſuorum innixum conſilijs, qui tantã ferocium gentium multitudinem traheret, quantam multos ante annos Italia ſuo tantum militi, & lenioribus bellis aſſueta, nunquam vidiſſet. Timebat Aſcanium, quem paulo antè, data fide cum Proſpero cuſtodiæ tradidiſſet: ſummoque dolore angebatur, quòd Iulianum Rouereum infeſtum hoſtem ſuum apud regem in honore eſſe, & ſumma cum authoritate cõſilijs omnibus intereſſe didicerat: Columnam quoque & Sabellum cardiuales cum cęteris eius ordinis Aſcanij clientibus, qui ſe ab initio ad eius nutum authoritatemq; conulerant, de indicendo concilio, vt ipſe ſacro rerum faſtigio deijceretur, agitare intelligebat. Id vnum enim concilij nomen ſupra cæteros infelices humanarum rerum caſus, maximo terrori pontificib. eſſe conſueuit: quòd pleriq; in his conuentibus, dum de Republica Chriſtiana referunt, placita religionis interpretantur, & ad caſtigandam ſacerdotum luxuriam cenſorias leges condunt, ipſi Pontifices Pontificio iure circumuenti, eiurare ſupremam dignitatem, ſeq; demum põtificatu abdicare coguntur. Hoc metu armati reges pontifices terrẽt, ac ſubigunt, quando omni tempore ex diſsidio cardinalium, facilem ad cogenda huiuſmodi concilia occaſionẽ inueniant. Idq; propterea fit, quoniam cardinales inter ſe factiones ſimultateſq; exerceant, & quadam nouarũ rerum libidine ac liuore ducti, Põtificem, quem ipſi ſuis ſtudijs atq; ſuffragijs extulerint, repente faſtidiant, aut odio proſequantur: pauciq; admodum cardinales, inuitis etiam pluribus, indicendi condendiq; concilij vetere Pontificum decreto poteſtatem habere videri volunt. Igitur Alexander ſuadentibus amicis, Ferdinandum monet, vt poſtquam adeo impotenter à Fato pariter atque ab hoſte vrgeatur, incolumi exercitu ab Vrbe diſcedat, & maturè ad firmanda Regni clauſtra, quæ ad ſanctum Germanum Caſinatis ſaltus anguſtias pertinent, in Campaniam proficiſcatur. Nec multò pòſt Ferdinandus, qui ab Alfonſo patre etiam fuerat reuocatus, quum prima iam Gallorum agmina Lignino duce Oſtiam è Viterbio contendiſſent, & regia vexilla Mario in iugo apparere inciperent, Latina porta ſub ſignis exercitum eduxit. Decreti ſubinde è Romanis optimatibus oratores, Hieronymus Portius, Coronatus Planca, Chriſtophorus Bubalus, Ludouicus Matthæus, Marius Mellinus, & Iacobus Sinibaldus, qui regi Gallo vrbem ipſam, priuatas domos, & magnã copiam commeatus omnis generis per fora expoſitam Pontificis populiq; Romani nomine offerrent, venientemq; introducerent. Iam Carolus Sutrium venerat, vbi memorabili iudicio iure conſultum Sutrinum, qui præferocem Gallum equitem contumelia laceſsitus occiderat, è vinculis cauſam dicentem, quanquam irato frementeq; exercitu abſoluit, Sutrioq; profectus ad Braccianum caſtra promouerat. Eſt id ad Sabatinum Lacum inter viam Caſsiam et Aureliam, ad oppidũ Anguillariam, quę Fidenatium vrbs nobilis antiquitus fuit. Ea oppida cum Triuiano atque Galeria Virginij Vrſini ditionis erãt, quibus timens Virginius, ne primus ipſe hoſti prædæ auido, quòd Aragonijs præeſſet copijs ſæuiendi materiam pręberet, Carolum filiũ ad dedenda oppida, et regem in ea arce, quę in ſum-

in ſumma loci amœnitate ſubiectũ deſpectat lacum, hoſpitio excipiendũ præmiſit. Triduo poſt Carolus armatis diſtinctisq; peditum & equitum ordinibus, Flumentana porta Vrbem inuectus eſt. Præceſſerant longa Heluetiorum Germanorumq; agmina iuſtis paſsib. ad tympanorum pulſum, dignitate quadam militari atq; incredibili ordine ſub ſignis incedentia. Veſte omnes varia, ac breui & ſingulos artus exprimente vtebantur. Fortiſsimus quiſq; plumeis criſtis pileo ſurgentibus, inſignis ſuper cæteros eminebat. Arma eorum erant breues gladij, atq; haſtæ fraxineæ denum pedum, anguſto perfixæ ferro. Quarta fermè eorum pars ingentibus ſecuribus, quarum e ſummo quadrata cuſpis prominebat, erat inſtructa. has cæſim punctimque feriendo ambabus manib. regebant, Alabardæq; eorum lingua vocabantur. Singula autem peditum milia ſclopettariorum centuriam habebãt, qui paruis tormentis plumbeas glandes in hoſtem emittunt. Milites in vniuerſum, quum denſatis ordinibus conferti prælium ineant, thoracem, galeam, ſcutumq; ita deſpiciunt, vt ſolis centurionibus, atq; qui phalangis principia explere, & in prima agminis fronte pugnare conſueuerint, galeæ, & ferrea pectoralia conſpiciantur. Hos quinq; Vaſconum milia ſequebantur, baliſtarij fermè omnes, qui ſcorpionibus arcu ferreis, puncto temporis tendendo ſagittandoq; peritè admodum vtebantur. Quod genus hominum cultu aſpectuq; admodum deforme Heluetiorum cõparatione videbatur, quum illi capitum ornatu & armis ſplẽdidis, ipſaq; proceritate plurimum eminerent. Peditum veſtigijs equitatus inſtitit, ex omni totius Galliæ nobilitate conſcriptus. Is ſagulis, ſericis criſtis, torquibusq; aureis perornatus, longo turmarum alarumq; ordine procedebat. Erant cataphracti bis mille & quingenti, & bis totidẽ leuis armaturæ equites. Illi craſsiore ſtriataq; haſta, ſolido mucrone, clauaq; ferrea, vti noſtri conſueuere, vtebantur. Equi eorum robore, ac magnitudine præſtantes, iubis auribusq; deſectis, quòd ita decere Galli exiſtiment, ferociores apparebãt: verùm ex eo minus erant cõſpicui, quod tegumentis recocto è corio cõfectis, vti noſtris mos eſt, magna ex parte carebant. Singuli cataphracti ternos habebant equos, puerum armigerum & miniſtros duos, quos ſubſidiarios laterones appellabant. Leuis eques ingenti ligneo arcu Britannorum more, maiores ſagittas emittit, thorace, galeaq; contentus eſt. Aliqui eorum tragulas geſtant, quibus ſtratos à cataphractis hoſtis in prælijs, impreſſa cuſpide humi configere conſueuerunt. His omnib. ſagula erant, acu, bracteisq; argenteis picta, in queis ſpecioſo opere ad notandam in prælio equitum virtutem vel ignauiam, propria ducum inſignia prætextis imaginibus exprimebantur. Quadringenti hippotoxotæ, in quibus centum erant e Scotorum gente, virtute fideq; præſtantes regis latera ſtipabant. Sed ante hos ducenti equites Galli, à ſpectata virtute nobilitateque delecti clauas ferreas magnis ſecuribus pares in humeris geſtantes, cultu inſigni circa regem pedibus euntem verſabantur, porrò cum equitante, cataphractorũ more eximijs in equis, auro purpuraq; ſpectabiles prodibãt. Iuxta eum primo in loco comites aderant Aſcanius ipſe & Iulianus, ſecundum eos Columna atque Sabellus Cardinales: prætereà Proſper atq; Fabritius, cæteriq; Itali duces Gallorum procerum turbæ immixti. Parata erat ad regem hoſpitio excipiendum Diui Marci templo coniuncta domus, Pauli ſecundi Pontificis ſumptu ex Amphiteatri lapidib. ſtructa. Ciuium quoque ædes Traiani foro proximæ, proceribus patebant, ad quas multa iam nocte luminibus accenſis peruentum

eſt. Erant tot equitum peditumq; agmina, non pompæ modò ad ſpeciem decoremque oſtentandam exornata, ſed inſtructa bellico more omnibus armis, tanquam in ipſa vrbe foret dimicandum: ita vt omnium mentes eo ſpectaculo facile terrerentur. Id quoque metum ſtupentibus addebat, quod viri, equi, vexilla, arma tot paſsim funalibus inæquali ſplendore incertam prębentibus lucem, ampliora ac maiora vero videbantur. Plurimum autem admirationis atque pauoris omnibus intulerunt tormenta curulia ſupra triginta ſex, quæ equorum iugis per æqua pariter atque iniqua loca incredibili celeritate ducebantur: maxima eorum longitudine octonum pedum, pondere verò ſexmiliũ librarum æris, Cannones appellabantur, quæ æquali tubo humani capitis magnitudine ferream pilam emittebant. Secundum Cannones erant Colubrinę ſexquialtra longiores, anguſtiore tamen fiſtula, pilæque minoris. Sequebantur Falcones adeò certa proportione maiores ac minores, vt minimis tormentis pilæ Medico malo perſimiles emitterentur. Ea omnia binis craſsis aſſeribus ſuperinductis fibulis erant inſerta, ſuisque ſuſpenſa anſis, ad dirigendos ictus medio in axe librabantur. Minoribus rotæ binæ erant ſubiectæ, maioribus autem quaternæ: quarum poſteriores ad curſum incitandum aut ſiſtendũ exemptiles erant. Tanta autem celeritate eorum magiſtri atque aurigæ huiuſmodi curſus circumagebant, vt ſuppoſiti equi flagellis ac vocib. concitati expeditorum equitum curſum æquiorib. in locis adęquarent. Deducto rege, deſignatisq; per priuatas domos hoſtitijs, Galli triuia, omniumq; regionum aditus, qui ad Marcianas ędes pertinebant, tormentis, & certis equitum ac peditum præſidijs conſepſere, binaque milia equitum, quę ſingulis ſenis horis per vices ſtationem agerent, in campo Floræ collocata. Tumultuatum eſt haud ſemel tota Vrbe, quum Romana plebs ſuopte ingenio turbulenta & procax, inſolentium Gallorum minaces, accentuque ſuperbas voces, & feros Germanorum vultus ferre non poſſet. Ipſiq; externi milites in popinis, & luſtris plerunque à multo vino truciores facti, rixas paſsim cum obuijs miſcerent: Indeq; temulentia calentes, et incauti noctu maximè per infrequentia Vrbis loca, à ſicarijs atq; lenonibus cæderentur. Expugnata eſt magno Heluetiorum Vaſconumq; impetu Bancarum domus, ac in ea quidam è plebe Galli militis percuſſores trucidati, confoſſo ibidem Marco Matthæio Patritij ordinis. Inualuitq; ſubinde fama in tanto ſtrepitu ac diſſono clamore celeriter peruagata, Vrbem capi, ac diripi opulentas domos à Barbaris. Quo tumultu cœpit arma Romanus populus, vt dignitatẽ Martiæ gentis, fortunas, vxores ac liberos tueretur. Sed ea die, dij ſuperi almæ Vrbis tutelares, luctuoſum id certamẽ, ſupremúmque rerum omniũ periculum auerterũt, quũ Proſper, Gienſis atq; Ligninus à rege ad ciues militesq; tranſmiſsi deterrendo, dirimendoq; cœptum iam multorum concurſu & clamorib. tumultũ oppreſsiſſent. Vrbe Roma dubijs Gallorum armis occupata, Alexãder, qui metu anxius atq; incertus conſilij, in Hadriani molem confugerat, oratores de pace ad Carolum miſit. Fuere ij ſenatorij ordinis antiſtites longè clariſsimi, Antonius Pallauicinus, Ioannes Alexandrinus, Bernardinus Caruaial, et Raphael Riarius, qui lõgo verborum circuitu orſi à Carolo Magno, cæteriſq; Gallorum regib. qui inſigni pietate rem pontificiam aduerſus tyrannorũ iniurias generosè defendiſſent, monendo adulandoq; pacem impetrarunt: his tñ legibus, quibus eam victis victores dare conſueuerunt, ſic vt complures, qui Hiſpani hominis ingeniũ nouerant, eam pacem tanquam vi expreſſam haud multum duraturam dicerent, quòd Galli

aliquan-

aliquanto arrogantius q̃ deceret, pontifici præſcripſiſſe viderentur. Promittebat rex Gallus, ſe bello & pace amicum ſociumque futurum pontifici, veneraturumque eum maiorum more vti verum Chriſtianę religionis principem, neque vnquam his in rebus, quę religionem placitaq; pontificum reſpicerent, ab eius authoritate diſceſſurum. Contrà verò poſtulabat, vt portus Ciuitatis veteris cum arce apud Centumcellas ſibi dederetur, ad claſſem Gallicam quæ Thyrreni maris oram legebat, excipiendam, & Cæſarem Borgiam filium, qui tunc cardinalis erat, obſidem daret: qui ſuſcepta legatione ad honoris ac amicitiæ ſpeciem, quatuor menſes caſtra Gallica ſequeretur: traderetque item Gemem Baiazetis Othomanni fratrem. Is tum in Vaticano in libera cuſtodia ſeruabatur, quòd eum Galli tranſmarino in bello ſibi magno vſui futurum exiſtimarent. Hunc aliqui ſcriptores Zizimũ imperitè vocarunt, quum Gemes de nomine Parthorum inclyti regis appellaretur. Poſtremò in gratiam ſuam Galliciq; nominis honorem, Briſſonetum in collegium Cardinalium cooptaret. In hæc omnia Pontifex, nec vlla quidem conditione reiecta facilè conſenſit: vt qui iam in animum induxerat, neminem vlla datæ fidei religione teneri, qui vi metuq; ſubactus iniqua atq; indecora pontificiæ maieſtati ſpopondiſſet. Itaque in colloquium amicitia omni verborum atq; hilaritatis artificio ſimulata, in Vaticano deuentum, adorauitq; pontificem proiectus rex: omniſque demum turba procerum & ducum, obſignatos aureis crucibus pedes oſculata eſt, obiterq; pontifex ſenatoriæ purpuræ ornamenta Briſſoneto de manu tradidit. Poſtremò Gemes ipſe productus eſt, tabuliſq; ſuper ea re publicè confectis, Carolo traditus. Is regiam manum ac humerum oſculo petiuit, precatuſq; eſt graui oratione Pontificem, vt ſe tanto regi, qui Orientis imperium animo concepiſſet, enixè commendaret: futurum enim eſſe, vti neq; Pontificem conceſſæ libertatis, neque regem adſciti comitis, quum in Græciam traieciſſet, ſi cõſilio ſuo vteretur, vllo tẽpore pœniteret. Erat Gemes aſpectu planè regio & graui, ingenioq; item Arabicis literis vehementer exculto, promptoque ad ſerenda ſalſæ vrbanitatis dicteria, vbique demum corporis & magnitudine animi ſua ſtirpe minimè indignus. Is paucis ante annis mortuo in Aſia patre Mahomete, quanquam ętatis pręrogatiua ſuperabatur, fretus tamen populorum ac militum beneuolentia, Ciliciæque regulorum opibus, armis de imperio cum Baiazete fratre contenderat, victusque in Pruſiacis campis, & aliquanto poſt in Lycaonia ad Iconium amiſſo exercitu, Rhodum profugerat, ratus non defuturos ſibi ad repetendam Aſiam Chriſtianos, quos propter antiqua odia recenteſque iniurias, & Aſiæ incommodis, & Baiazetis periculo magnopere lætaturos exiſtimabat. Sed alios quam putarat Chriſtianorum animos inuenit. A Buſſonio nanque Rhodiorum equitum magiſtro carcere incluſus: & aliquanto poſt, vti tutius atque humanius ſeruaretur, in Prouinciam Galliæ finitimam eſt tranſmiſſus. Nec multum inde Innocentius pontifex cum Buſſonio tranſegit, vt è Prouincia Romam adueheretur. Quare impetrata, non multò poſt ipſe Buſſonius, quem Rhodus egregiè defenſa omni honore dignum effecerat, & hoc quoque merito in collegium Cardinalium receptus eſt. Fuitq; Romę Gemes magnũ vectigal ipſis pontificib. per aliquod tempus, quum Baiazetes alendo fratri quotannis quadraginta milia aureorũ nummûm ponfici numeraret. Ingruẽtibus autẽ in Italiã Gallis, Alexãder, inito iam cum Aragonijs fœdere, Georgiũ Bucciardum natione Ligurẽ, Turci-

cæ peritum linguæ ad Baiazetem miſit, qui doceret quanto apparatu, quantiſque claſsibus rex iuuenis gloriæ & proferendi imperij cupidus, Neapolitanum regnum inuaderet: quantiſque demum opibus confecto ſtatim Italico bello in Græciam eſſet traiecturus: propterea eum enixè petere, vt Gemes ſibi traderetur, cuius auſpicijs, propter magnas paterno in regno neceſsitudines, cuncta ſibi faciliora eo bello futura conſideret. Cæterùm pontificem, qui Gallos, gentem admodum ſuperbam imperijque auidam ſuſpectam haberet, atq; vrbis Romæ totiuſque Italiæ periculo plurimum angeretur, cum Alfonſo fœdus percuſsiſſe, paratoſque eſſe communi conſilio eius gentis impetus terra mariq́ue ſuſtinere: quando neque milite neque claſsibus egerent, modò alicunde pecunia iuuarentur. Vna autem ea ratione Baiazetem, ſi quota ſua parte aurum in ſtipendia ſuppeditaret, Græciæ rebus opportunè conſulturũ: ſiquidem vrbem Romam Neapolitanumque regnum Othomanici imperij fore munimenta, ſi aliena in terra bellum aleret, neque eo ſumptu deterreretur. multo enim commodius atque facilius auro arceri hoſtes, quàm ferro ac viribus in ipſo belli diſcrimine ſuſtineri: quod ex rerum vſu plerumque accideret, vt qui pecuniæ parcendo, remota pericula negligere contemnereque ſolerent: incumbentibus demum malis, deſperato ſæpe remedio grauiora detrimenta ſentire conſueuiſſent. Baiazetes qui cuncta hæc cum à ſpeculatorib. tum multis etiam Alfonſi literis atque legationibus vera eſſe didicerat, Georgio gratias egit, quòd ſe externum, & diuerſas de dijs atque religione ſentientem, Alexander qui ſacri imperij faſtigium teneret, adeò benignè amiceq; de maximis rebus tempeſtiuè monuiſſet. Cæterùm ſuaſit vt cum Dautio legato ſuo, qui & pecuniam & ſecretiora de hiſce rebus mandata deferret, in Italiam reuerteretur. In his mandatis erat epiſtola Græcè conſcripta, qua rex Barbarus multa arte pontifici ſuadebat, vt Gemem fratrem, tãquam alienæ religionis hominem, veneno tollendum curaret: quem vnum, de imperio ſollicitus, ob ingentes viri virtutes, ſi qua ſorte cuſtodia euaderet, maximè formidabat. Id ſi præſtaret pontifex ducenta milia aureorũ nummûm integra fide ſe perſoluturum promittebat, Chriſtique inconſutilem tunicam, ſicuti paucis antè annis Longinianæ lanceæ cuſpidem tranſmiſiſſet, dono daturum, neque vnquam dum vita maneret, moturum vltrò arma aduerſus Chriſtianos, ſecus ac Mahometes pater & Auus Amurathes, qui infeſtiſsimi Chriſtiano nomini continenter bella gerendo, nunquam ab inferenda iniuria ceſſauiſſent. Sed Georgius atque Dautius Hadriatico feliciter enauigato, cum apud Anconam in litus deſcenderent, à Ioanne Rouereo Iuliani Cardinalis fratre, is ad Senogalliam ſuæ ditionis excubabat, capto nauigio, pecunia reliquiſq; rebus exuti ſunt: quòd ille ob merita ſub Innocentio ſtipendia, multam à pontifice pecuniam ſibi deberi prædicaret. Neque Alexander ea iniuria perturbatus, quanquam illi omnia hoſtilia minaretur, & à Venetis opem imploraret, quorum intereſſet Turcas toto eo mari inuiolatos præſtari, quicquam tamen ex ea pecunia, quæ annui tributi ſummam excedebat, recuperauit: quoniam Rouereus aduentantium Gallorum, quorum partes ſequebatur, præſidio fretus ſecuruſq; in Piceni finibus, ſacra pariter atq; profana irati pontificis arma cõtemnebat. Dautius ipſe pedib. Anconam profugit, atq; inde ad Franciſcum Gõzagam Mantuæ principem aduerſo Pado delatus eſt, qui Barbarum propter amicitiam quã cum Baiazete multorũ munerũ mutua liberalitate inſtituerat, beni-

benignè ſuſceptum, donatumq; pecunia et precioſa veſte in Græciam remiſit. At Carolus qui Pontificijs ſolennibus ſacris aſtiterat, extraque Trigeminam portam Diui Pauli templum & ruinas admirabilium operum cupidè ſpectarat, Roma diſcedens, multis de cauſis bipartitò aggrediendos ſibi hoſtes eſſe iudicauit, quod id conſilium paulo antè in Æthruria Æmiliaq; proſperè fuiſſet expertus, multumq; numero militum abundaret: vnde facilè diduci debilitariq; hoſtium vires neceſſe fore prouidebat, ſi diuerſis regionibus alia atque alia arma ac duo prope diuerſa bella, pulſis iam atque perterritis inferrentur. Itaque Fabritium Columnam, Antonellumq; Sabellum, adiunctis Roberto Lenuncurto, qui à præfectura Vitriaci oppidi à Gallis Bailiuus Vitrius vocabatur, Gratianoq; item Guerra, & Ciandeo cum Gallicis turmis, & Vaſconum Heluetiorumque cohortibus per Sabinum agrum præmittit, qui per Marſos in Aquilanorum fines irrumpant, atque eam omnem Prçcutinorum regionem, quæ Aprutij nomine nuncupatur, & Superum mare Apuliam atque Campaniam per Apenninum lato ambitu contingit, ad deditionem compellant. Venerat pauló antè Cellanum Liuianus miſſus à Ferdinando cum equitum manu ſubitarijsque cohortibus tribus, vt oppida circa Fucinum lacum impoſitis præſidijs tueretur. Sed his viribus impar, nec tentato quidem certamine, his locis celeriter expulſus eſt. Tallacotium ſubinde et Albam clariora Marſorũ oppida, quę tum Virginij Vrſini ditionis erãt, Fabritius Columna recepit, quod certo atque antiquo iure ad Columnios pertinere dicerentur. Eodem quoque victoriæ curſu, cum hinc Ioannes Rouereus, illinc verò Ioannes Paulus Cantelmus Soranis ſaltibus occupatis, circumiectos populos ad defectionem ſollicitarent, tota ea regio incredibili celeritate ab Aragonijs defecit, reductusq; eſt in vrbem Aquilam Ioannes Galioſius, qui patria exul ſpe recuperandi principis in ciuitate loci, Columnios proceres & caſtra Gallica ſequebatur. Ab alia parte Carolus cum tota mole exercitus, Latina via promotis caſtris ex itinere Montem Fortinum Iacobi Comitis oppidum in finibus Hernicorum expugnauit, Proſperoq; Columnæ, qui id hæreditatis iure repetebat, in ditionem conceſsit. Vixdum Romanum agrum Galli exceſſerant, cum Pontifex ingenti liberatus metu noua conſilia expedire, quæ diu antè vel præſente etiam rege æſtuando, & iuſtum dolorem multa comprimendo concoxerat: & demum quibus poterat modis Gallo hoſtilia moliri cepit. Siquidem vti planè vir magni quidem animi, quiq; ſuæ auguſtæ dignitatis erat memor, quod Gallus in ea fœda pace ſibi adeo inſolenter præſcripſiſſet, ferre nõ poterat. Oſtienſe pręſertim Centumcellanaq; arcibus ereptis, iniectas proculdubio ſibi atque Vrbi compedes exiſtimabat, ratus ſuperbum regem, qui ante victoriam dubijs etiã tum rebus tam ſæuos gereret ſpiritus, ſi Neapolitano regno potiretur, tum, demum inflatum victoria, cunctis quas vellet belli vel pacis leges impoſiturum: ipſamq; Romani pontif. authoritatẽ, quæ hominũ opinione potius quã certis virib. conſtaret, deſpectui protinus habiturũ. Erat apud Carolũ Antonius Fõſeca Hiſpanus, vir bello et pace clarus, qui pro Ferdinãdo rege legationis munere fungebatur. Is cũ Alexandro cõiunctos habebat ſenſus, & nimię Gallorũ felicitati, qui totã Italiã cedentib. cũctis, ſolo nominis fulgore terribiles, nec diſtrictis quidẽ gladijs percurriſſent, plurimũ inuidebat: verebaturq; ne opulentũ id regnũ Hiſpanicę ſtirpis occuparent. Quod vel ipſa populorum leuitate et tãta Aragonij exercitus imbecillitate, Alfonſo præſertim fatali quodam metu con-

ſternato, infirmiſsimum eſſe prouidebat. Huncidoneum ratus Alexander per quem Gallorum impetum moraretur, & ſpes adderet Aragonijs quominus celeri deſperatione ſuccumberent, induxit: communicatiſq; conſilijs, et verbis ſuper ea re conceptis ſubornauit. Igitur Fonſeca apud Velitras in conſilio regis & procerum graui oratione habita, queſtus eſt, quod Carolus qui aduerſus Turcas bellum ſuſcepiſſe eximia pietate videri vellet, Romano pontifici vim intuliſſet: cum Centumcellæ ipſaque Oſtia Gallicis præſidijs tenerentur, Gememque Turcam extortum minis ſecum abduceret, ipſumque pontificem & Senatores armorum ſtrepitu ſubegiſſet, Valentinuſq; interim cardinalis captiuo quàm obſidi ſimilior caſtra ſequi cogeretur: non idcirco Ferdinãdum cum eo fœdus Perpenniano recepto percuſsiſſe, ac fidem dediſſe, nunquam ſe à Pyrenæis hoſtilia moliturum, & dum Galli Italiam peterent omnino quieturum, vt tota paſsim Italia nobiliſsimarum ciuitatum ſtatus conturbari Gallica libidine pateretur: ac ſineret ſacroſanctum põtificem ad iniqua fœdera ſancienda, ſummi periculi metu armiſque, ac ipſis propemodum admotis bellicis tormentis, cogi. Lucenſes primum pecunia fuiſſe mulctatos: Mediceos inde, qui moderationis atque ſplendoris fama toto terrarum orbe ſingularem gratiam cum magna gloria meruiſſent, patria atque penatibus eiectos: Florentinos verò, quibus ipſe libertatem reſtituiſſe videretur, detractis Piſis, multiſq; eorum arcibus occupatis, & pecunia pariter mulctatos, & prægraui inuolutos bello: Porrò Senenſes euerſo ciuitatis ſtatu, Gallorumq; præſidio accepto, nõ tam ſibi Gallorum aduentu violatam, quàm impotenter ademptam libertatẽ queri: non procul quoque abfuiſſe vrbem Romam, quin iterum à Gallis funditus euerteretur. Quo tumultu territus pontifex, omniſque ordo imbellium ſacerdotum de ineunda fuga cogitarint: Sperauiſſe Ferdinandum, qui iuſtitiã omni tempore coluiſſet, quantum ad Neapolitanam rem pertineret, Gallos prius ex æquo & iure quàm bello ac armis diſceptaturos fuiſſe, cum Pontifex eius controuerſiæ æquiſsimus iudex atque arbiter haberetur, & Alfonſus iudidicio pontificis ſe ſtaturum ſpopondiſſet: idque ſyncera fide præſtiturum pontifex pręſentibus Gallorum legatis recepiſſet: Proinde Ferdinandum poſtquã nullo humani iuris & ſcriptarum legum reſpectu, regnum perpetua ſexaginta amplius annorum poſſeſsione, & plurib. pontificum decretis Aragonijs regibus attributum, armis peteretur, ſe Alfonſi regis, qui et neceſsitudine gentis, & ſanguinis atq; familię cõiunctione ſibi eſſet deuinctus, iniurias minimè neglecturum. Dicentem adhuc Fonſecam ſuborto fremitu Galli proceres interpellant, elatiſq; animis reſpondent, neque iura ſibi defuiſſe vnquam, nec defutura arma, quibus regna antiquę ſuæ ditionis recuperent, tyrannorumque hoſtium ſuorum ſuperbos ſpiritus contundant: ſi Ferdinandus ſe Aragonijs minimè defuturum denunciaret, recentiſque fœderis obliuiſceretur, parum ea re Gallos permoueri, cum vellet, vires experiretur: Intellecturum enim protinus, quid rex Gallus laceſsitus iniurijs, animis atque opibus poſſet: Hiſpanos verò equites ſi in aciem prodirent, continuò ſenſuros quantum cataphracti Galli Mauros iaculatores, quibus ipſi Bæthicis bellis inſueuiſſent, conſtantia atque motu in ipſis congreſsibus anteirent. Diſceptatum ſubinde eſt acrioribus verbis, cum vtrinque plures ſimul de ea re vehementiſsimè loquerentur, adeoque inter ſe contendendo animis incaluerunt, vt Fonſeca alioqui ſedati vir animi, ira præferuidus libellum in quo fœderis capita vtriuſq; regis manu

ſubſcri-

ſubſcripta ac obſignata erant, in conſpectu regis concerpſerit: moxque Ioanni Petitto, Cerbellioni & Carolo Arelliano Hiſpanis, qui apud Gallum ordines ducebant, denunciarit, eos apud Ferdinandum reos maieſtatis futuros, ni triduo Gallorum caſtris exceſſiſſent. Poſt id factum, Valentinus cardinalis minus intentis in eius cuſtodiam Gallis, mutato habitu è Velitris Romam profugit. Nec multò pòſt & ipſe Gemes ad Caietam moritur. Eratq; conſtans fama Alexandrum, vt barbarus princeps inimici regis gloriæ atque ſpectaculo ſubtraheretur, ipſeque obiter propoſita à Baiazete præmia promereret lethiferũ puluerem ſaccaris, quibus Turca poculis omnibus vteretur, miſcuiſſe. Is erat puluis ad fallendum candore mirabili, nec iniucundo admodum ſapore, qui non acriore vi protinus, ſicuti præſentanea venena ſpiritus vitales opprimeret: ſed ſenſim venis illabendo, exitiabili tarditate graſſaretur. Quo poſtea Alexander opulentos aliquot ſenatores, & poſtremò ſeipſum incautè mutata lagena ſuſtuliſſe ferebatur. Sub id tempus Alfonſus vt Gallicam claſſem toto Antiate littore ac finitimis portubus prohiberet, è Tarracina ad oppugnandum Neptunium duxit, quòd Antonellum Salernitanum, Bernardinum Beſſennianum, & Claramontium regulos, tribus millibus peditum onerarijs nauibus impoſitis è Genua paulò antè ſoluiſſe, & ad inuadendam Campaniæ oram aduentare cognouerat. Verùm oppugnatione oppidi inproſperè tentata, cum fœdæ admodum tempeſtates ſubortæ eſſent, repentina imbrium atq; ventorum vi oppreſſis ac penè deletis caſtris, Neapolim ſe recepit. Sed & Gallicæ naues eandem ſimili propè periculo fortunam tulerunt, quæ ſæuiente mari difficili ac laborioſa nauigatione in aduerſa Corſicæ littora delatæ, poſt ſuperatas niuoſis ac deſertis in locis terræ ac maris difficultates, portum Herculis tenuerunt. Cæterùm reguli cum multò maxima militum parte, vt erant omnes maris tædio nauſeaque confecti, pedibus Romam ad Carolum contenderunt. Interea Ferdinandus in Caſſinate agro ad ſanctum Germanum occupatis Menianenſis ſaltus anguſtijs, ſuas atque paternas copias aduentantibus Gallis oppoſuit. Eæ ſunt fauces montium inter ſe coeuntium, quæ deſcendentibus è Latio in Campaniam & Leborios campos aſpero & conciſo aditu iter coarctant. Hęc loca per ſe difficilia, adiectis inſuper aggerib. multo impeditiora reddiderat: finitimarumq; valliũ ingreſſus quoſq; ingentib. arborũ truncis, multaq; paſſim cæſa materia repente conſepſerat, ratus his clauſtris expugnãdis diſtineri Gallos poſſe. Suſtinẽdo enim atq; cunctando interim maiora parari præſidia, atq; expectari hyemem, quæ à diuturna ac inſolita ſerenitate ſuas nondũ niues ac pluuias effudiſſet: tũ verò futurũ, vt Galli qui impetu ac celeritate tantũ valerent, cũ pabuli inopia, tum multis aliarũ rerũ incõmodis afflictarentur. Erant Ferdinando equites cataphracti bis mille et ſexcenti, leuis armaturæ autem quingenti, decora quidẽ ac valida manus, par futura hoſti, niſi fortuna quę iã tum nimio plus floreti Italię excidiũ parabat, et virtuti & priſtinæ eorũ felicitati nimiũ inuidiſſet. Sed peditatu Gallis lõgè erat inferior, cum neque exercitatione, neq; numero neq; armorũ genere Italus pedes ſubitario delectu magna ex parte coactus, Heluetijs atq; Germanis, qui omnib. Gallię bellis interfuiſſent, foret cõparandus. Idq; pręcipuè accidebat inueterata quadã Italorũ ducum cõſuetudine, qui peramplũ equitatum alere, eiq; vni rei impenſius ſtudere ſoliti erant: nec peditẽ magnifacerent, quẽ expugnandis tãtum vrbibus idoneũ, apertis autẽ in prælijs prorſus inutilẽ ducebãt. Sfortia etenim et

Braccius Carmagnolaq; & Picininus,qui militiam multis antè annis in Italia extinctam cum magna gloria ſuſcitaſſent,multa bella ſolo equitum robore cõfeciſſe dicebantur. Durauitque ea opinio pluribus annis apud imperitos principes,quum prauis mercennariorum ducum cõſilijs decepti, neglecta peditũ cura equites paſsim tota Italia ſibi & prouincijs graues inſtituiſſent. Siquidem callidi duces,qui crebris potius transfugijs quam vera virtute inſignes erant, cum diſcordia principum opulentiores euaderent,conſultò inter eos alebant bella: neque ea vnquam,ſi iuſto prælio certandum foret, vlla pleniore victoria finiebant,adeo vt quæſtui potius quàm decori promercalem illam militiã habere viderentur. Vnus tamen ante alios Franciſcus Sfortia ſuperiorum inſcitiam occulta illa fraude commiſtam,multis ſuis aliorumque periculis deprehendit, cœpitque è peditatu fortiſsimum quemque bello ac pace pariter præcipuo in honore habere. Vnde paucis annis effectum eſt,vt ille veteranorum, maximè peditum virtute,ſummam ſibi gloriam & peramplum imperiũ perpetua victoriarum felicitate compararit. Cuius conſilia atque inſtituta exactæ virtutis atque prudentiæ plena,ſi cæteri æmulatione diſciplinæ ſecuti eſſent, profectò Italiam tot ſæuis implicitam malis,quæ quondam cunctis gentibus bellicæ virtutis auſpicijs imperauit, neque prædæ, neque ludibrio externis nationibus reliquiſſent. At Alfonſus poſtquam ſe deſtitutum auxilijs quæ fruſtra à Turcis pariter & Venetis implorarat,tantiq; exercitus impetu, cui cuncta omnium opinione celerius toto itinere patuiſſent, oppreſſum ac circumuentum videt,abdicare ſe imperio,Ferdinandoque filio cura rerum atque imperij relicta,in Siciliam adnauigare conſtituit. Ingraueſcebat enim indies inteſtinum malum,nec heſternis hoſtibus magis quàm domeſticis laborabatur. Oderant eum plerique regni proceres, Neapolitanique in primis, & ſingulæ fermè totius regni ciuitates: adeoque pauci erant qui linguam moderarentur, vt alienati populi fremitus ad regias aures ſæpiſsimè penetraret. Accidit enim plerunque vt ea odia,quæ diu in tyrannos ſtante eorum fortuna exitij timore diſsimulantur,quum eorum res labare cœperint, acrius atque liberius erumpant. Poſt detectam enim eam coniurationem,cuius capita fuerant Reguli Sarnenſis & Salernitanus,præter inſitos mores, & aſper & immitis euaſerat: fueratque in vindicandis iniurijs vlciſcendaque perfidia admodum ſeuerus et inexorabilis: vtpote qui timeri malebat,quàm humanitatis atque clementiæ nomine laudari. Ingruente autẽ bello,pecunias adeo inclementer imperarat, vt priuatè ac publicè multæ ciuitates contracto multo ære alieno ab immodicis fœneratoribus abſumerentur. Ob earum rerum conſcientiam ac imminentis excidij metum,ita erat animo perculſo atque abiecto,vt vir paulò antè fortiſsimus,& modò tanti nominis imperator, fatali quodam horrore perturbante,cuncta imperitè ac timidè facere videretur. His diu ac multum agitatus curis,cum omnino ſecedere decreuiſſet,Ferdinandum ab exercitu reuocauit. quem primo congreſſu inductum in intimam nouæ arcis partem,adhibitis amicorum præcipuis,in hunc modum allocutus eſt. Si Dij immortales qui hęc terrena haud dubiè reſpiciunt & regunt,hoc imperium Alfonſi proaui tui inſigni virtute partum,auiq; Ferdinandi ſingulari defenſum conſtantia,ac meis denique multis laboribus ſtabilitum, certa Fatorum lege mihi decreuiſſent, neque in has vrgentis belli ærumnas incidiſſemus,neque qui modò terrori atque formidini cæteris eramus,tam ſæuis aduerſæ Fortunę fluctib. iactaremur.

Nam quæ humana ratione prouideri potuere, omnibus prius non modò Europæ, ſed etiam Aſiæ regibus non vna legatione nequicquã fatigatis, arma, pecunias, milites, claſſes per quàm maturè parauimus, quæ omnia hactenus nõ hoſtium virtute, non imprudentia vel ignauia noſtrorum ducum aut militum euerſa ſunt, verùm vna vis Fati, Dijque ipſi meæ antè partę gloriæ huic ſceptro, & capiti deniq; meo nimium infenſi, cuncta retrouertendo nobis eripuerunt. Nec abnuerim meam fortaſſe ob noxam aut grauiorem culpam, eos nunc me ſentire infeſtos atq; aduerſos deos, quos ſępius dum famã egregijs militię factis extenderẽ, ſecundos planè atq; propitios fuerim expertus. Sed nec ob id aut venia aut mitiore certè pœna fuerim indignus cũ multorũ perfidia circumuẽtus & in hac qua laboramus ærarij difficultate, neceſſe fuerit a lenitate naturæ priſtiniſq; moribus noſtris deflexiſſe. Non enim ijſdem ſemper artibus reges magna imperia tueri poſſunt, quibus ea quęſierint. Ignoſcendo, largiendo, indulgendoq; regna læto admodum auſpicio feliciter ineuntur. Cæterum cum praua inquietaq; hominum ingenia, audendo, moliendoq; inſperatas ex occulto tempeſtates cient, tum deniq; ſeueritatem pro clementia, parſimoniã pro munificentia, pro facilitate autem ac lenitate illiberalem durioremq; naturam, vtilia ſalutariaq; didiceris. Stat animo fixum vlla in blandia ſpe melioris fortunę, durando, ac pertinacius afflictarum rerum euentũ expectando ea numina nolle experiri, quæ cum ſemel irata fuerint, vſquequaq; humana conſilia mille caſibus inuoluunt, ſumma imis repentè permiſcent, & ante alia mẽtem quoq; ipſam impotenter eripiunt. Non prouocabo inquã vlterius iratos Deos, ne ſcilicet reliquæ ſpes omnes, quę tibi ad ferendam grauiter, ſuperandamq; huiuſce belli imminentẽ procellam abundè ſuperſunt, his meis malè auſpicatis conſilijs euertãtur. Cedam itaq; imperio, patria, penatibus atq; ipſa demum Italia, vt quæ mea culpa nobis atq; Italiæ incidiſſe videntur mala, & deformi exilio, & his ærumnis meis expientur, mitiuſq; tecum agere incipiant. Ludouicus & Aſcanius auũculi tui, qui dum me vnũ petere, & perſequi videri volunt, quod immoderatę eorũ ambitioni ſceleſtiſq; conſilijs obſiſtere auſus fuerim, non ſolum domui noſtræ tanta neceſsitudine Sfortiano ſanguini coniunctæ, ſed toti etiam Italiæ funeſtas faces intulerunt. Igitur macte virtute fili, quod Dij, qui meliora mihi ſuadent, res ſaluas atq; hoc imperium incolume tibi faxint, accipe huiuſce imperij inſignia, aureũ diadema ac eburneum ſceptrũ, quę ſicuti mihi monente numine diutius retineri fas non eſt, ita huic tantæ indoli & fatali virtuti tuæ meritò debentur. Clareſces in dies felici rerum euentu, ſuperbiſq; hoſtibus impones iugum, ſi que verum militiæ laborem ex me haud indecoro exemplo diſcere potuiſti, alteram ob ea quæ vetrrem induſtriam meam modò eluſit atq; deſtituit Fortunam aliunde quæſieris. Perorante Alfonſo, omnibus obortæ ſunt lachrymæ, patremq; ipſe Ferdinandus & cæteri non aliter ac fato functum luxerunt: interq; ſingultus translati imperij tabulæ, dictante Iouiano Põtano cõceptæ, cõfectęq; ſunt. Nec multò poſt Alfonſus cũ pretioſa ſuppellectile quatuorq; triremibus, Mazarã Sicilię vrbẽ delatus eſt. Ipſe verò Ferdinãdus ſummo cum plauſu gratulationeq; omnium rex ſalutatur. Erat in eo iuuene mirifica indoles bellicæ virtutis: nemo enim eo vel equitandi vel decurrendi agilitate atq; peritia admirabilior habebatur: nemo eum vitę ſplendore atq; munditijs anteibat: nemo deniq; comitate, munificentia, liberaliumq; artium ſtudijs apud ciues æquè ac milites commendatior aut gratior vnquã fuit. Eum

regio habitu in publicum ab arce prouectum, perequitantemq́; de more vrbē, ordo procerum, togatorumq́; collegia, et ciuium primores inter fauſtas acclamationes populi cuncta proſpera atque felicia ominantis, ſolenni pompa comitati ſunt. Nec multò poſt ciuibus atque proceribus, quorum animos redemerat atq; deuinxerat, cum humaniter orando, tum pollicendo, ſi victor foret, ſe eorum fidei gratiam cumulate relaturum, de more ſacramento adactis, & conſtitutis vrbanis rebus in caſtra reuerſus eſt. Iam Galli in Arpinatem agrū peruenerant, poſitisq́; caſtris ad montem Sancti Ioannis, quod eſt oppidum Daualorum, omnē eum tractum effusè populabantur. Erant præſidio impoſiti oppido trecenti fermè pedites, quos Alfonſus Daualus ex clientibus ſuis magna ex parte coegerat. Ii cum ſe ſatis vel debili muro tutos fore crederent, nec tātam vim Gallorum tormentis, quantum poſtea ipſorum aliorumq́; periculo compertum eſt, ineſſe putarent, non modò clauſerunt portas, ſed & præconē Gallum, ni protinus ſe dederent, inſolentius cędem atq; incendium denuntiātem penè violarunt. Id factum, quòd in Gallia vel ſummæ in loquendo libertatis præconem, quem Araldum vocant, violare nefas ducunt, ſuperbę gentis animos vehementer accendit. Nec mora tanta vi atque ira militum oppugnatio cœpta eſt, vt paruo temporis momento, nequicquam ſe tuentibus prępſidiarijs, Galli perforata atq; deiecta muri parte irruperint, neq; quiſquam fermè eorū qui acrius reſtiterant cædi ſuperfuit, quo ſpatio cęteri per aduerſam portā quę ad Lyrim ducit, effugerunt: ſic vt imbellium ſalus (quod plerunq; accidit) ſtrenuorum hominū morte conſtiterit. Cæterùm oppidum direptum atq; incenſum eſt. Tum verò tātus ab ea crudelitate circumiectis oppidis terror illatus eſt, vt omnes reputando animis, qua clade Mordanenſes paulò antè, & Montefortinenſes affeciſſent, arbitrarentur, nulla mœnia nullasque copias in terris fore, quæ eorum tormentorum vim, tantique exercitus impetum ſine ſumma pernitie ſuſtinere poſſent. At Carolus promotis inde caſtris, ad ſancti Germani ſaltum contendit, vbi Ferdinandus ſuis munitionibus ſe tenere, hoſtemque ferocem & pugnandi auidum cunctando ludificari decreuerat, donec aut pabuli inopia, aut tædio hyemis aliqua hoſtibus ex iniquo loco dimicandi neceſſitas imponeretur. Verùm hyberni dies perpetua aeris ſerenitate, vernis æſtiuiſque perſimiles, Gallorum ſpei tam opportunè acciderant, vt quāquam omne fermè pabulum ab Aragonijs paulò antè eſſet corruptum, ipſi tamen ex remotioribus locis facilè pabularentur, ac omnium rerum copia floridæ hyemis beneficio plurimum abundarent. Adeò vt cuncta ſecunda atque facilia Gallis, aduerſa autem atq; aſpera Aragonijs fatorum vi ac ſuperum cōſilio præberi viderentur. Sed dum Ferdinandus ſaltibus occupatis Gallorum impetū fruſtratur, Fabritius Columna quiq́; cum eo erant Gallorum duces, vrbe Aquila atq; omni eo tractu pulſis Aragonijs ex Apennino in Campaniā deſcendêre, illoq́; itineris deflexu à tergo apparere cœperant, quo die ab antecurſorib. Gallis turma vna tyronum equitum temerè vagantiū intercepta eſt. Quibus nuncijs territus Ferdinandus, ne ab duobus exercitibus intercluderetur, motis repēte caſtris, Capuam ſe recepit, obiecturus victori hoſti Vulturnū amnē, qui ab occaſu mœnia pręterlabens, neq; facilé pōte iungi ſublatis omnibus nauigijs, neq; ob ripas admodū impeditas profundumq́; alueū, vado tranſiri poterat, quodque vnus tantùm pons eſſet lapideus, quo vrbs ipſa ſuburbanis ædificijs cōiungitur, qui facilè ex propugnaculis impoſito pręſidio defendebat. Verū & hæc

quoque

quoque conſilia nouus in vrbe Neapoli tumultus exortus interrupit. Populus enim per ſe mobilis, & rerum nouarum cupidus, ad fortunæ regiæ commutationem arma ceperat, factoq; impetu in Iudæos trapezitas, qui opinione diuturni fœnoris locupletes habebantur, eorum domos temporis momento diripuerat, totaq; vrbs ob id factum ad defectionem ſpectare videbatur. Quo improuiſo fortunæ turbine perculſus Federicus patruus, ad Ferdinãdum ſcripſit, vt poſtpoſita Capuę atque exercitus cura, ſubſidio perditis penè vrbanis rebus venire maturaret: multitudinẽ enim ad arma conſternatã eſſe, populariq; petulantia cuncta confundi: iamq; edicta regia ac magiſtratus ſperni: opus enim eſſe præſentis regis authoritate ad ſedandos tumultus, firmandumq; nutantis ciuitatis ſtatum. His cognitis rebus Ferdinandus quanq̃ magna animi perturbatione commotus erat, nec vllum his in malis conſilium periculo vacuum inueniretur, ipſe tamen animo non deficit. Duces orat atq; obteſtatur, vt Capuam, dum ipſe Neapolitanis rebus quietem afferat, ac demũ reuertatur, egregiè muniant atq; defendant: omneque certamen, ne vniuerſi prælij caſum ſubeant, tolerando ac ſuſtinendo, deuitent. Confeſtimq; Neapolim citato curſu contendit. Mirum dictu, quanta rerum eius aduentu mutatio ſit conſecuta: poſitis enim armis ſingulari omnium ſtudio eſt ſalutatus, ſedatique omnibus locis tumultus. Erat enim adeò celſo infractoq; animo, ac vultu maximè ad promerẽdam gratiam ſereno, vt pro concione obnixè deprecanti, ne nefaria defectione ſe regem vel potius omnium fratrem, in ipſo patrię gremio, apud omnium ordininum ciues familiariter educatum, crudeliſsimis barbaris prodere vellent, certatim omnes fortunas ac liberos pro eius ſalute obtulerint, modò incolumi exercitu Capua teneretur. Quod ſi Aragonij pulſi, vel timore acti inde excederent, et Neapoli victor Gallus appropinquaret, eum iniquè impieq; facturum, ſi fidem datam à præoccupatis iuſto metu ciuibus repoſcendo, nobiliſsimã patriam efferis nationibus vaſtandam atque euertendam exponeret. Interea Carolus ſuperato Lyri amne in Calenum, & Campanum agrum ad Vulturnum deſcendit, confeſtimq; & ipſum oppidum Cales & Theanum Sidicinum ad eum defecere. Capuani quoque tametſi veteri ſtudio Aragonium nomen colebant, de dedenda vrbe agere cœperunt. Quorum animos per ſe inclinatos ac fluctuantes, non multò poſt ad defectionem impulit repentina Triuultij profectio. Is enim quòd mandata ad res aliqua æquitate componendas à Ferdinãdo ad Gallum ſe habere teſtabatur, Cales ad Carolum ſe contulerat: vbi cum agendo nihil publicè proficeret, priuatim ſibi conſuluit, aſcitusque eſt Gallicę militię cum eadem ala equitum, quę modò Aragonium ſtipendium merebat. Ea re Virginius & Petilianus vehementer perturbati, quòd ſe excluſos fœdere & planè deſertos à Triuultio quererentur, cum ſuo equitatu Nolam profugerunt. Iam enim milites ſine pudore equos & ſuppellectilem regiam diripere, paſsimque turmatim dilabi, hoſtes appropinquare, & ipſi demum Campani apertè Gallicum nomen inuocare cœperant. In ea Aragonij exercitus conſternatione ac fuga, Galli antecurſores prouecti vſq; in ſuburbana tecta vltra Vulturnum, magnũ tumultum edidere. Id conſpicati Gothifredus & Gaſpar Germani, repentè cohortes porta ac ponte ſub ſignis eduxerunt, vt Gallorum audaciam reprimerẽt, & Campanos quos pauidos, et in fide nutantes cernebant, alacriter erumpendo in fide atque officio continerent. Sed vix dum inito leui certamine Germani longius progreſsi, à Campanis ponte ac vrbe excludun-

tur. Tum verò centuriones qui modò ferocẽ hoſtem inſtando pepulerant, ſupplices ac proiecti in genua orare ac deprecari, ne cohortes fideliſsimas benemeritasq; de ciuibus, ac paratas pro vrbis ſalute fortiter occumbere, Gallis ac Heluetijs infenſis hoſtibus ſuis, trucidandas tradere vellent. Vixque poſt multas preces, pudore metum vincente, à Campanis impetratum eſt, vt deni vrbem ingrederentur: neque alij prius ſuccederent, quam primi aduerſa vrbis porta exiuiſſent. Eo modo cum mœſti inordinatiq; Germani pariter ac Itali pedites atque equites continenti agmine Neapolim ire pergerent, Ferdinandum apud Auerſam obuium habuerunt. Is quanquam omnia circum ſe ruere, & copias diſsipatas eſſe cernebat, tamen progredi non dubitauit, delatusque ad Capuæ portam, nequicquam primores vrbis appellando ac precando, vt ſe introducerent, vexillum Gallicum in mœnibus conſpexit, nemineque ex veteribus amicis ac clientibus ad colloquium prodeunte, Neapolim reuerſus eſt. Sed & ibi cuncta repentino Fortunæ impetu euerſa proſtrataque repperit. præcurrerat enim fama Neapolim, Campanos defeciſſe ad Gallos, Triuultium ad hoſtes tranſijſſe, cæteros autem duces diſperſis proditione ac metu omnibus copijs, fuga ſibi conſuluiſſe. Quas ob res Neapolitani, cum tumultu iterum exorto, et cunctis ad arma diſcurrentibus aduentanti exercitui portas clauſiſſent, ac ſolum propè regem recepturi viderentur, Ferdinandus copijs magno itineris flexu ad Coronatam circumductis, in arcem ſe recepit. Nec mora, multitudo opificum perditorumque hominum ad diripiendum regis ſtabulum, quod arci propè erat coniunctum delata eſt. Sed eius fœdi facinoris adeò ingratum graueque regijs oculis ſpectaculum fuit, vt Ferdinandus cum nobilem eius loci apparatum diripi, generoſosque equos ab infimæ ſortis hominibus trahi cerneret, penè ſolus, & periculi & maieſtatis oblitus in prædatores eruperit. Factumque eſt auguſto eius conſpectu, vt alij metu pudoreque confuſi, proiectis in terram armis, veniam orarent, alij relicta præda diffugerent. Verùm paulò poſt receptis in arcem Germanis, cuſtodiaque Alfonſo Daualo demandata, in Aenariam inſulam cum viginti triremibus adnauigauit. Vbi illa eadẽ Fortuna, quę regno auitisq; laribus excedentẽ infenſa perſequebatur, etiam tũ veluti ſupremo in caſu, reliquæ eius dignitati impotenter illuſit, cum Iuſtus, Iſclæ arcis cuſtos, eodem qui nuper omnes fermè Aragoniorum clientes inuaſerat, perfidiæ morbo agitatus, deſcendenti in terram fores occluſiſſet. Ferunt eum inſperata Iuſti perfidia conſternatum, & coniectis in cœlum oculis querentem, quòd ſibi immerenti a Dijs ſpes omnis ſalutis eriperetur, de maturanda in Siciliam fuga cogitaſſe: verùm monentibus ita Fatis, portæ arcis cum paucis ſucceſsiſſe, tantumque valuiſſe orando, ac ſua Aragoniæque domus in eum beneficia commemorando, vt Iuſtus ea conditione, vti rex ſolus ingrederetur, eum receperit. Tum verò Ferdinandũ ea confidentia eoq; vultu ac vigore animi, diſtricto gladio in cuſtodẽ impetũ feciſſe, vt Iuſti ſatellites, qui armati in ſtatione aderant, ipſo cõminantis ac imperãtis regis aſpectu perterriti, regijs dubiæ rei euentũ expectantibus, extẽplo portã aperuerint. Quo caſu manifeſtè apparuit regũ oculis in omni Fortuna quãdam ſupra humanã ineſſe vim: proditorib. autẽ degeneres eſſe animos, pręſertim cũ in ipſa perfidia deprehenduntur. Poſtero die Carolus vrbe receptus eſt, tãtoque ſtudio Neapolitani in noui regis ac externæ gentis ſpectaculum effuſi, vias exornando, victoriq; certatim atq; ambitioſè gratulando, omnes humanos honores detulerũt, vt tum

primum

primum veluti è ſæua ac diuturna ſeruitute, externi regis beneficio ad libertatem reuocati viderentur. Sequenti die noua arx magno apparatu oppugnari cœpta, & ab area ſimul quà vrbem ſpectat, & ab hortis regijs: nec ſine pernitie quidem Gallorum oppugnantium, quoniam è ſummis arcis propugnaculis, qui in opere circa munitiones ac vineas agebant, deſtinatis tormentorum ictibus petebantur. Sed in arce multo maior metus, longeque maximum erat periculum, quum pilæ ferreę per feneſtras adactæ, interiora arcis ædificia deformarent, multosque diſiectu lapidum fractorumq; parietum ruina paſsim opprimerent: neque vllus periculo vacuus locus tota arce cuſtodibus interdiu vel noctu relinqueretur. Nam Galli conſtitutis ſemel certo in libramento maioribus tormentis, atque his ad libellam directis, etiam per tenebras in ea quæ ante deſtinaſſent loca, pilas certiſsima ratione conijciebant. Accidítque memorabili caſu, vt multa vis tormentarij pulueris, & multitudo ingens vaſorum fictilium ſulphure ac reſina oppletorum, quæ ad obruendos ſubeuntes Gallos erant parata, protinus incenderetur, cum fortè excuſſa tormenti ictu modica fauilla, cadi eo puluere pleni flammam corripuiſſent. Extemplo enim ingenti crepitu edito, et tota penitus eius conclauis teſtitudine vi vaporis reuulſa atque diſiecta, ea vis incendij fuit, vt multorum qui in proximo erant, ſæuum atque deforme ſpectaculum puncto temporis ediderit. multi nanque flamma, fumo, ruinaque exanimati ſunt: ſed multò plures ſemiambuſti, laceríque artubus ignis violentia fœdè abreptis euaſere, qui miſerabili eiulatu dolorem exprimendo, ac fruſtra implorando opem, amentes tota arce diſcurrebant: quibus neque opportuna remedia, alijs alio periculo occupatis, neq; loca ad quietem ſatis tuta præberi poterant. Ea res initium deſciſcendi Germanis prębuit. nanque his conflictati incommodis palam querebantur, & ante alios Gaſpar authoritate inſignis, quòd fortibus viris quibus aperto in prælio egregiè mori non liceret, tam fœde paulatim eſſet pereundum, dum ea, et nihil demũ profutura conſtantia, regiam illam verius quàm arcem tueri aduerſus vndique victorem exercitum conarentur. Satisfactum abundè eſſe vel datæ fidei, vel acceptis ſtipendijs, cum alijs ferè omnibus ad Gallos deficientibus, ipſi vni omnium ad extremum pro regis ſalute, vel iniqua etiam in pugna mortẽ oppetere minimè recuſarint. Inſani profectò eſſe conſilij pro rege a Dijs pariter ac hominibus profligato atque deſerto, perire malle, quàm victoris clementiam ac liberalitatem experiri, quando & paratas vires haberet ad pertinaciam ipſorũ vel vltimo ſuplicio vindicandam, & facultates eidem ſupereſſent in tam opima victoria ad gratiam, ſi ſe arcemque maturè dederent, vberioribus præmijs referendam. Omnis enim laboris præſertimque militiæ finem eſſe diuitias, propter quas, patriam, vxores ac liberos reliquiſſent: proinde ipſos omnium fore ſtultiſsimos, ſi illas à Ferdinando expectarent, qui reliqua vitæ ac dignitatis ſuæ præſidia in ipſis tantùm remis ac velis poſuiſſet: abijcerent eas ſpes ac ſaluti fortunisq; nullo dedecoris metu conſulerent: ea enim omnia abundè ſperari à victoribus, qui ad alia quoque bella immortalium Deorum conſilio vocarentur. Dum hos maximè ſermones in ſtationibus ſerunt, totiſque animis ad Gallum inclinant, Alfonſus Daualus, animaduerſa Germanorum conſternatione: quòd neque eorum ingenia moderari, neque periculo obuiam ire tutò ſe poſſe perſpiceret, in triremem ſe intulit, quę ad arcem proram applicarat. Nec mora Germani ad diripiendam regiam gazam conuolant, loculorũ clau-

ſtra refringunt, qui omnis veterum regum opulentiæ atq; apparatus referti erant. Tum verò ditati omnes potius quàm expleti, cum in tanta nobilis prædę copia, quæ pretium decies centum milium aureorum nummûm exceſsit, neq; ſacci, neque manticæ militares aſportantibus ſufficerent. Quin & tanto facinori ipſum quoque perfidiæ ſcelus addiderunt. Actum nanq; eſt cum Carolo per Germanos qui in partibus Gallorum militabant, Buſecco interprete, vt tradita arce certis conditionibus Gallicæ militiæ adſcriberentur. Sunt qui aſſerant, Ferdinãdum prius quàm arce excederet, de Gaſparis & commilitonum fide dubitaſſe, obieciſſeq; gazę regię partem Germanis diripiẽdam, vti eo ſpatio ſeſe è manibus illorum eriperet. Cęterùm conſtat, diſcedente Daualo, tum primum pretioſiorem ſuppellectilem in prædam fuiſſe conuerſam: quamobrem non multis inde annis Maxilianus Cæſar Gaſparem ipſum in Germania eius patrati ſceleris conuictum ſecuri percuſſerit, abſoluto Gotifredo, qui militum omnium iudicio, ne tantum facinus admitteretur egregiè reſtitiſſet. Arce noua in poteſtatẽ redacta, Galli ad oppugnandã alterã arcem quæ ab ouo nomen ducit, omnem tormentorũ apparatũ conuerterunt. Ea eſt rupi impoſita, quam L. Lucullus quondam à continenti ac Pauſilippo mõte, vt Euripum immitteret, multo ſeruorum labore abſcidit. contra eam altera eſt rupes aliquanto excelſior, quæ à continenti in mare porrigitur, in cuius ſummitate terrenũ erat propugnaculum, antiquitus pro ſpecula ab Aragonijs regibus ædificatum, quod Piccifalconiũ appellatur. Ex eo loco in ſubiectam Oui arcem erat deſpectus modico intercedẽte maris tractu. Quod vbi à Gallis eſt animaduerſum, ſingulari celeritate in ſummum rupis verticem maiora tormenta contulerunt, tantaque vi oppugnare cœperunt, vt cum à ſuperiore loco pilæ conijcerentur, nemo in muro conſiſtere auderet. Quibus adductus difficultatibus Antonellus Picciolus cuſtos, tametſi Aragonio nomini fidus habebatur, cum nihil durius ſibi ſuſtinendum arbitraretur, arcem dedit. Vicentina quoque turris, quę in Megari Syrenum inſula propè portum in magnam altitudinem extructa, nocturnum præbet ignem ad curſum nauigantibus dirigendum, paruo negotio oppugnantibus Gallis ceſsit. Pari etiam Fato Aragonius equitatus qui Nolam conceſſerat, miſſa eò Ligninij ala ſub præfecto Arſio, equis armiſque turpiter exutus eſt, reclamantibus Nolanis, qui iam antè elato Gallico vexillo, & deditione per legatos facta, Aragonijs militib. vti dedititijs prolixè cauendo, incolumitatem polliciti fuerant. Cęterùm omni equitum turba protinus dimiſſa, Verginius & Petilianus ad Carolum Neapolim perducuntur, cuſtodiæque traduntur: periniquo equidem iure & ſumma cum iniuria, vt Argentonus ingenuè perſcribit. Eandem ferè fortunam tulerunt reliquæ copiæ, quæ è Pelignis & Præcutinis in Apuliam deſcenderant. Fuere in his ad tria milia peditum Canthabrorum Italorumq;, et grauis armaturæ equites ferè quingenti, quibus præerant Cæſar Aragonius, Liuianus, & Andreas Matthęus Aquauiua: tenebantque curſum in Apuliam eo conſilio, vt Brunduſij, Hydrunte, aut Tarenti conſiſterent, ſollicitatisq; inde Venetis ac Sicilienſibus Hiſpanis, accitisq; è Macedonia Turcarum auxilijs, nouas inirent amicitias, et ad renouandum bellum maiora præſidia compararent. Sed Fabritius & cæteri eius validi agminis duces, nunquam abeuntium veſtigijs abſcedendo perſequendoque cum expeditis equitibus, eos vni tantùm ſaluti conſulere coegerunt. Quamobrẽ eę copię cũ infeſta vbiq; itinera, & infeſſos ab infenſis populis am-

nes re-

nes reperirent, breui diſsipatę fugatæq; ſunt, ſic vt nulla certa eorũ manus, quę alicubi conſiſtere auderet, aut renouare bellum poſſet, eſſe nunciaretur, pręter eam quę Cęſarem ſecuta, in Brundiſinam arcẽ ſe receperat. ea enim arx vna omnium totius regni poſtea in Aragoniorũ fide permanſit. Vt verò in maritimis Calabrorũ Salentinorumq; vrbibus Gallica arma conſpecta ſunt, tãtus repentè Turcis omnib. qui circa Epiri & Macedonię oram in pręſidijs erant, terror illatus, vt plures oppida deſererent, & Græci in ſpem recuperandę libertatis erigerentur, ac tum apertè arma, equos, commeatusq; expedirent, deq; recipiendis Gallis, & Turcis vno edicto trucidandis conſilia inirent. & ante alios montani Epirotę, qui Chimæram in Acroceraunijs incolunt, quòd ante dum rupib. confiſi ſuis libertatem obſtinatè tuerentur, à Mahomete & Baiazete nõ vnam cladem accepiſſent. Factumq; eſt demum ad eam Gallorum famã, vt tota Ætolia et Peloponeſo Gręci omnes intempeſtiuo libertatis deſiderio, dum fruſtra Gallos expectant, in concilijs et concionib. à Baiazete deſciuerint. Quibus cognitis rebus Bizantij extẽplo claſsis refecta deductaq; eſt, remiges maritimis Aſię Europęq; gentibus imperati, & copię omnes, quę in Danubij ripis, et mediterraneis Illyrici Męſiaq; hybernabant, ad tuendã Epiri et Macedonię oram traductę. Interea Carolus tãtis rebus ſumma celeritate ſine ſuorũ vulnere confectis, intentus conuiuijs equeſtribuſq; ſpectaculis Neapoli, ornatiſsimę eius verbis delitijs fruebatur. Nõ deerãt enim totius regni proceres, ipſas quondã Andegauenſiũ ſecuti partes, qui nouo regi eiusq; ducibus nullo benignę hoſpitalitatis vel adulationis officio pręter miſſo victoriã effusè gratulabantur. Ipſi quoq; Galli atq; Germani in ſumma rerũ omnium copioſę vrbis affluẽtia, vini pręſertim nobilitate allecti, magnam partẽ militaris ferocię exuerãt, multorumq; molliuerant animos corporaq; illuſtres fœminę, luxu, comitate, eruditisq; munditijs, cum certatim gentis more, etiam ludicra haſtatorum certamina ſpectandi ſtudio frequẽtarent. Eaq; tum erat verni cęli clemẽtia et peramœna temperies, vt non modò rex iuuenis & proceres, qui reputãdo, quamfacilè victores euaſiſſent, ob idq; Italię opes ludibrio habendo in ea licentia ſolutiori vitæ indulgerent, verũ et ipſa quoq; agreſtis militum turba regiorũ hortorum, & beati litoris amœnitate caperetur. Iamq; & rex ipſe et duces ſpetioſorum paulò antè conſiliorũ obliti, omnes penitus tranſmarini belli cogitationes ita abiecerant, vt manifeſtè appareret, Gallos idcirco eius ſuſcipiendę expeditionis famam prębuiſſe, vt maioribus viribus niterẽtur, ſi cõſilijs ſuis cauſam religionis adiungerẽt. et hercle nõ inanis fama ferebatur, nihil aliud eos vel ab initio, quàm de ſubigẽda Italia atq; Sicilia cogitaſſe. Quas ob res, veluti in ſummo omnium diſcrimine metu conſternati Europę principes, ſollicitis animis reputare cæperunt, quonam Gallorũ conſilia armaq; iam ab ſecundo vbiq; rerum ſucceſſu ſocijs pariter atq; hoſtibus formidãda verterẽtur: quando nihil vſquam in Italia virium eſſet, quibus publicam ſalutẽ tueri poſſent, ſi rex externus iuuenili cupiditate, aut ducum ſuorum impulſu, totius Italiæ regnum, & Romani imperij ſedem, ac titulos affectaret. Ante alios pontifex Alexander inermis & trepidus Caroli victoria plurimum angebatur: quippe qui poſt Cęſaris filij fugam iam planè deſciuerat: neq; poſtea vti Alfonſo Ferdinandóque Aragonijs nuper dediſſet, tum victori Carolo id enixè poſtulãti Neapolitanũ regnum pontificia authoritate adiudicare voluerat. Ludouicus quoq; Sfortia ſuis demum omnib. deceptus conſilijs ſerò ſapere, & ea quę impenderent mala

ægro animo prouidere cœperat, cum Gallorum copias robore, fide, diſciplinaque firmiſsimas, vera tum primùm æſtimatione metiretur, & præſentis maximè regis nomen, vimque eius cum ſumma felicitate coniunctam, in tanta Italicarum opum imbecillitate magnoperè formidaret, quando imparatis omnibus neceſſaria ſumenda arma viderentur, atque etiam planè cerneret Gallũ, modò latè imperaret, nemini datam fidem ſeruaturum. quoniam Tarentum vrbem, vti ſe dono daturum Sfortianæ genti ab initio icti fœderis promiſerat, poſt adeptam victoriam concedere recuſaſſet. Eadem etiam cura Venetos ſollicitabat, qui ſe eius belli ſpectatores fore polliciti, vtriuſque regis vires in diſpari gerendi belli ratione fermè æquales fore crediderant, bellumq; propterea diuturnum parari, quòd non vna, niſi admodum memorabili pugna, præſertim propinqua iam hyeme, poſſet definiri: in animumque ſubinde induxerant, ſe tum in tempore, et magna quidem cum mercede bellum moturos, cum Aragonijs rebus multiplici incommodo affectis atque contuſis, Gallorum arma ſuum impetum quo maximè valerent amiſiſſent. quod neceſſe erat accidere, ſi Galli cunctatione hoſtium atque hyemis difficultatibus impediti in oppugnationibus ſingularum vrbium ſeneſcendo, Calabris & Brutijs hærerent. Maximilianus quoque Cæſar publico priuatoque odio Gallis infenſus, non modò gloriæ & magnitudini florentis victoriſq; iuuenis inuidebat, verumetiam magnopere verebatur, ne auguſtum Romani Cæſaris nomen, quòd ſibi Gallus multorum aſſentatione deberi exiſtimabat, & fama partæ victoriæ, & præſentis exercitus viribus vſurparet. His etiam Gallorum ſecundis ſucceſsib. Ferdinandus Hiſpanus, vti erat ab multo rerum vſu innataq; prudentia in omni conſilio exactè circumſpectus & cautus, vehementer permouebatur, cum in ea admirabili inſignis victoriæ celeritate, Siciliam ſuæ dictionis & nudatã præſidio, impotenti atque auidæ noui imperij Gallicæ gentis audaciæ expoſitam videret. Igitur, quos modò nominaui Europę principes, vnis exceptis Florentinis (Ii enim Piſas per Carolum ſe breui recepturos putabant) ſolenne fœdus circiter Kalendas Aprilis inter ſe percuſſerunt, his legibus, vt vno conſenſu communique impenſa, tantas copias terra marique pararent, quantas pro tuenda ſalute publica ſatis eſſe arbitrarentur. Quòd ſi quiſpiam ex ſocijs alicui bellum inferendum putaret, id ille ſuis viribus & priuatis auſpicijs gereret, & Carolo regi ſuus locus expreſſa conditione relinqueretur, modò æquiſsimi fœderis beneficio vti vellet. Per eos dies Ferdinandus ex Hiſpania Triuentium regulum cum valida claſſe, ſęuo adhuc mari in Siciliam traijcere iuſsit. In ea fuere circiter quinque milia peditum, & delecti equites ſexcenti, quibus præerat Conſaluus Ferdinandus, vir Bæthico bello clarus, qui poſtea Magni Ducis cognomen, & ſua virtute, et militum ſecundo fauore promeruit. Veneti ſupra quadraginta roſtratas naues exornarunt, pręfecto eis Antonio Grimano viro lectiſsimo, magnamque vim leuis armaturæ equitum, quibus terreſtris exercitus ſuppleretur, ex Epiro, Macedonia & Peloponneſo mercede cõduxerunt. Eodem quoq; tempore Ludouici Sfortiæ pecunia cohortes in Sueuia ſcribebantur, & Maximilianus literis ſignificabat ſe in Italiam, cum facto opus foret, extemplo tranſiturum eſſe, adducturumque inuictam Germanorũ manum, cuius virtute paucis antè annis Gallorum legiones Morinis in campis latè proſtrauiſſet. Baiazetes quoque qui iam certius de fratris morte cognouerat, cadauerque illius per legatos ex Italia Pruſiam Bithynię, vbi Othoman

norum

norum gentis ſepulchra cernuntur referēdum curauerat, non modò omnē belli apparatum intermiſit, ſed & magna terra mariq; auxilia aduerſus Gallos Venetis obtulit, cum iam in ea noui fœderis fama & Gallorū ſolutus metu, & reliquo etiam timore, quem ex inimici fratris virtute conceperat, omnino liberatus eſſe videretur. At Carolus improuiſa principū conſpiratione perculſus, vehementer de parta iam victoria dubitare, queri ſe proditū iri, fremereq;, ira tñ potius quàm dolore agitari, & plurimū militum ſuorum virtute confidere. Nam etſi illi nondum ex profeſſo hoſtes magnā cauſæ æquitatē, lenitatemq́ue nouo fœderi, quod pro tuenda tantū ſalute ac libertate percuſsiſſent, prętexuiſſe viderentur, ea tñ omnia contra ſe parari manifeſtè prouidebat. Quamobrē optimum factu ratus, ſi pontificem imparatū, nec adhuc oſtilia molientem, ſubito aduentu à cœptis conſilijs deterreret, Romā contendere, atq; inde in Galliam Ciſalpinā penetrare conſtituit. Itaque ex omnibus copijs, quicquid floris ac roboris erat, ſibi deligit. Fuere expediti equites vtriuſq; armaturæ quatermille, præter laterones ac pueros armigeros quos ſecum trahunt, Heluetiorū verò ac Germanorum, itemq; Vaſconum peditū circiter octo milia: præterea tormentorum iuſtus numerus, eorū pręſertim quę expeditis curribus veherentur. Reliquas verò copias per opportuna totius regni loca diſpertitus eſt, vt vnaquęq; regio certis ſuis pręſidijs ac ducibus firmaretur. Caietę & totius Cāpaniæ tuendæ cura Belcario demandata eſt. Hunc vrbe Nola donauerat ærarioq́; præfecerat. Bailiuus autem Vitrius, & Gratianus Guerra ad Aquilam atque Sulmonem, Marſis et Pelignis impoſiti. Perſiuus cum fratre Alegria Lucaniam tueri iuſſus. Asbarrę regulo, Salentini. Obignino autem Brutij obuenerunt. Hunc magiſtrum equitum crearat, qui honos militiæ ſummus exiſtimatur. Iulianus Porrò Lotharingus in cuſtodia Gargani montis cōſtitit. Manfredoniæ autem Gabriel Monfalconius, & Tarenti Georgius Suillius præfecturas iniere. Neapoli verò, omnibusq; pariter copijs Gilbertus Mompenſerius cum imperio pręfectus eſt, ad quem rerum omnium cum vrbanarum tum bellicarum ſumma reſpiceret. Iis rebus maturè conſtitutis, Latina via Romā profectus eſt, præmiſſo Andrea Lugdunēſi Antiſtite, qui pontificē hortaretur, ne ipſius regis aduentu terreretur, aut quicq̄ hoſtile ab eo, qui & pietate filius, & pontificij nominis cultor egregius eſſet, ſibi timendum putaret. Regem enim adeo æqui iudicij pacatiq; animi eſſe, vt cum ad colloquiū veniret, in priſtinā cum ipſo gratiam, nec excluſis cæteris principibus, qui ſine cauſa de eius fide ac moderatione dubitaſſent, continuò eſſet rediturus. Cæterùm pontifex planè metu obrutus, cum neq; ſibi inermi cum armato rege de pace, ac fœdere diſceptandum exiſtimaret, neq; ſe colloquendo quicquam, quod ad rerum quietē pertineret, profecturum arbitraretur, et vehementer dubitaret, ne fides ſua ſocijs ex contagione colloquij ſuſpecta redderetur, ex vrbe Orbitum profugit, moxque Peruſiam, vt inde per Vmbros ad mare, ac demum, ſi Gallus inſequeretur, Venetias protinus enauigaret. Sequebantur abeuntem plerique cardinales, turbaque ingens eius generis hominum, qui honoris & quæſtus gratia pontificiæ aulæ operam impendunt. Iis præſidio erant, præter ipſos prętorianos, aliquot equitum alæ, quas Veneti & Ludouicus opportunè tranſmiſerant. Carolus ſua ſpe deceptus, pacato agmine vrbē Calendis Iunijs intrauit, & Transtyberina in regione caſtrametatus eſt. Sed triduo poſt tribus diuerſis agminibus ab Vrbe diſceſſum, totusque is tractus, qui Caſsiam viam

& Aureliam interiacet, tranſeuntium iniuriæ expoſitus, pabuli & commeatus omnis generis detrimenta ſenſit. Sed Tuſcanellenſium calamitas inſignis fuit. Cum enim rixa fortè exorta, Gallus lapide ictus cecidiſſet, commilitones irati non ipſum quidem percuſſorem, ſed oppidanos omnes adorti, duce Baſtardo Borbonio magnam eorum partem crudeliſsimè trucidarunt, atque oppidum diripuerunt. Ii quoque populi qui vtrique viæ imminent, totuſque Senenſis ager Piſas vſq; varia incommoda paſsim accepere. Porrò Carolus cum Senas veniſſet, ita perturbatum ciuitatis ſtatum inuenit, vt ciues in quatuor diuiſi factiones, inſano liuore mutuò inducti, à rege præfectum peterent, qui Gallico fretus præſidio inter ordines factionum æquo iure libertatis nomen tueretur. Ambiebat ad id Ligninius propinquus regis, ita vt cohortem Gallorum facile impetraret, quæ duce Gualterio Tinctauilla vrbi præeſſet. Sed feſtinante in Galliam rege, non multò poſt depulſis foro atque vrbe Gallis, ciuitas ad veterem Pandulfi Petrucij dominatum redijt. Piſani eo tempore cum Florentinis bello cõtendebant, cum libertatem quam Gallorum beneficio recuperaſſe videbantur, acerrimè tuerentur. Florentini etenim poſt exactos Mediceos, Caroliq; diſceſſum in vnam eam intenti curam, vt Piſas reciperent, magnum numerum equitum & peditum ex veteribus copijs conduxerant, eiſque Herculem Bentiuolum, Franciſcum Siccum, & Ranuccium Martianum militiæ claros, & fide maximè inſignes præfecerant: quorum virtute complura caſtella, quæ audito libertatis nomine ad Piſanos defecerant, breui recepta ſunt, & in primis Bientina: ea paludi adiacet: & Pontis Eeræ oppidum, quæ tenui Piſanorum præſidio tenebantur. Nec multò poſt ductis ad Calcinariam copijs, nacti diem denſa caligine nubilum, ita vt omnis è ſpeculis proſpectus Piſanis eriperetur, tribus ex improuiſo prælijs ad murum factis, occiſoque Ioanne Saluio præfecto, oppidum expugnarant & incenderant. Calcinaria autem capta, Legolum, Palaia, Monteſuſculum, & Ponteſaccum, aliquotque alia ignobiliora oppida ad antiquam Florentinorum fidem redierant. Ex aduerſo autem Piſani per eos dies ſubſidio venit Lucius Maluetius vir fortis, & maximè pugnax: adduxitque grauis & leuis armaturæ delectos equites & pedites veteranos ſpectatæ virtutis ferè trecentos. Ab Genua quoque ſubmittente Ioanne Adurnio magna vis minorum tormentorum, baliſtarum, armorum, telorumque omnium mari Piſas delata. Nam haud obſcurè Piſani cum pecunia tum armis ac milite à Ludouico Sfortia iuuabantur, qui multis de cauſis, vti poſtea dicemus Piſanos incolumes liberoſque præſtare, porrò Florentinos, quòd Gallis fauerent longo bello implicitos diſtineri, atque atteri magnoperè cupiebat. His freti auxilijs Piſani, hoſtium duces, qui magno apparatu Butium oppugnabant, muriq́ue partem maioribus tormentis deiecerant, cum detrimento inde diſcedere, ac incenſis exterioribus ędificijs Bientinam ſe recipere coegerant. Sed nec multis inde diebus par incommodum ipſi Lucio à Florentinis ducibus repenſum, cum è Caſcina promotis caſtris, Liberafactam oppidum in Lucenſium finibus, quod à paucis Piſanis haud acriter obſidebatur, oppugnatum cum iuſto apparatu contendiſſet. Magno nanq; itineris flexu, Florentinorum copiæ Liberafactam ductæ iquarum aduentu præſidiarijs & Barigo præſertim Bargæ, qui fortiter ſeptem dies longè accerrimam oppugnationem ſuſtinuerat, animi adaucti: contrà verò Piſanis adeò imminuti, vt Lucius appropinquantium multitudine perterritus, defoſſo ſtatim maiore tormẽto, ne eo hoſtis potiretur

tiretur

tiretur Piſas profugerit. Poſtero die Florentini equites eo ſucceſſu elati, excurrendo populandoque per vallem Sercij amnis, qui olim Auxeris fuit, ingentem pecoris atque hominum prædam egerunt, euectique vſque ad calidas aquas, quæ Mammoſæ dicuntur, adeò magnum ſuburbanis vicis terrorem intulerunt, vt Piſanus populus (ſicut in ſummo accidit periculo) ſonitu campani æris è ſacra turre ad arma ſit vocatus, & Lucio militares copias educente confeſtim eruperit, Commiſſumq; eſt atrox prælium in anguſtijs Capelleſij pontis apud Fractam emiſſarium, quod ex Auxeri amne ad conuehendam materiã Laurentius Medices laborioſo perutiliq; opere Piſas vſque perduxerat. Pugnatum eſt ab initio magna vi, ſed Florentini improuiſi hoſtis impetum non tulerunt, verſiq; cum cęde in fugam trepidanti agmine Liberafactam ſe receperunt. In ea obtinendi pontis contentione, Herculi fortiter pugnanti equus ſuffoſſus eſt. Siccus ipſe à pluribus ſimul circumuentus, multiſq; clauarum ictibus contuſus, ægré ſe è manibus hoſtium eripuit. Reuerſius Bononienſis centurio inſignis captus, et cum eo cataphracti vigintiſex, magnusq; numerus aliorũ equitum ac peditum capti vel exuti armis fuere. Lucius ouãti ſimilis in vrbem reuerſus, vt hoſtibus perterritis aliam quoq; cladem pararet, Bernardinũ Cloſtram & Animagram Ligurem viros apprimè pugnaces, qui Vicopiſano in oppido erant, de ſucceſſu eius diei certiores facit, monetq;, vt quas habeant copias equitum ac peditum intempeſta nocte educant, & ad occupandum Sercij pontem apud ſanctũ Giulicium, qua hoſtes ſint tranſituri progrediãtur: ſe Lucenſi via ad intercludendos eos expeditas educturum copias, futurumque eſſe, ſi maturarent, vt ea celeritate reliquæ hoſtium copiæ delerentur. Cloſtra & Animanigra imperata faciunt: & quanquam aliquanto tardius quàm putarant per tenebras iter confeciſſent, ſatis tamen in tempore tranſeuntibus iam hoſtibus ſuperuenerũt, quos inopinãtes & maiore ꝙ eſſet copiarum ſpecie deceptos, emiſſis ſcloppis atque baliſtis, ingentique ſimul, vt in victoria ſolet, clamore ſublato perturbarunt. Equites tamen agreſtium beneficio vadis in amne repertis euaſere, pedites magna ex parte cæſi captique ſunt. Hercules verò citato agmine reliquias bis fuſi exercitus, priuſquam Lucius Lucam pręterueheretur, Montecarlum reduxit. Atque inde Arno amne ad Montecuculum ſuperato, in vetera caſtra ad Eræpontem reuerſus eſt. Victores verò ſpolijs onuſti dum redirent, apud Liberafactam, tormentum, quod paulo ante defoderant repertum atque erutum in vrbem reduxerunt. & Lucius biduo poſt Caſcinam, vt ex propinquo in omnes hoſtium motus intẽtus bellum gereret, copias ſuas adduxit. Fiebatq; propinquitate hoſtium, vt è quotidianis præliolis occaſio pręberetur, quum vtriuſque partis caſtella agrumq; omnem repentinis excurſionibus per mutua detrimenta deuaſtarent. Per eos dies, dum Lucius Caſcinæ mœnibus teneretur, Florentini duces Ranuccium Martianum cum valida parte exercitus Raſignanum miſère, quod eſt oppidum ſupra Liburnum, Volaterranis vadis propinquum, ratiſe aut Lucium intercluſuros, ſi ad ferendam obſeſsis opem Caſcina ſibi egrediendum atque eò contendendum arbitraretur, aut ſi oppidi præſidijq; ſalutem omnino negligeret, oppidum nullo negotio in poteſtatem eſſe redacturos. Sed Lucius de eorum conſilio coniectura iudicans, aliquanto minorem eius oppidi quam exercitus iacturam fore exiſtimauit, Caſcinaque ſe continuit, atq; ita Raſignanum quaſſato iam multis tormentorum ictibus muro, dedenteque ſe præſidij præfecto,

receptum eſt. Sub id fermè tempus legati Piſanorum, qui Neapoli ciuitatis ſuæ ſalutem libertatemque Carolo obnixè commendauerant, ipſo concedente, ſexcẽtos pedites Gallos oneraria naui Piſas adduxerunt: quorum aduentus, ſicuti Piſanis fuit gratiſsimus, ita Florentinorum animos vehementiſsimè pupugit, quum ſe decipi Gallica fide manifeſtè perſpicerent. Meminerant enim ſe Gallorum amicitiam in ſpem recuperandæ eius vrbis, nõ modò cæterorum omnium Europę principum ſocietati ac fœderi prętuliſſe, verùm etiam, quod pudendum omnino videri poterat, multa pecunia coemiſſe, à quibus tamen neque arcem toties promiſſam recepiſſent: & contrà Piſani hoſtes, grauis contumeliæ ac iniuriæ nomine Gallicis auxilijs iuuarentur. Tribus nanque antea menſibus à Briſſonetto, qui tum Maclouienſis cardinalis vocabatur, Neapoli magnis pecuniæ pollicitationibus impetrarant, vt idoneos homines mitteret, per quos Piſani docerentur, eam demum eſſe Caroli voluntatẽ, vt in ditionem Florentinorum redirent, omniumque iniuriarum impunitatem, & lene moderatumque imperium in poſterum à veteribus dominis expectarent, ſequeſtro & ſponſore præſertim rege, cuius dignitatis eſſet prętare quæ promitteret, & vires haberet ad vindicandam iniuriam, ſi Florentini à pactione fide lubrica diſceſsiſſent. Sed Galli acceptis Florentiæ muneribus, quũ Piſas veniſſent, & ad ferocem populum fruſtra concionarentur, ludibrio habiti fuerant. Itaque Piſani Gallicis confirmati auxilijs, ſummo omnium ſtudio alacritatéque: Ferreto maxime Gallorum duce, vt erat vir impiger, nauare operam cupiente, ad oppugnandam Liberafactam proficiſcuntur: Cloſtra & Animanigra duces fuere, pluribusque ſimul prolatis tormentis oppidum ſingulari militum ardore oppugnari cœptum. Defendebat ſe de muro turreque Barigus Barga longè fortiſsimè: verùm ea turris quæ multis incommodis ſubeuntes atque oppugnantes afficiebat, non multis inde horis terribili violentia ingentis tormenti, quod à Piſanis Bubalus appellabatur, proſciſſa labefactaque eſt. ea magnam muri partem cadendo ſecum traxit, præbuitque terrorem defenſoribus, qui mox ſeſe dedendo, Piſanis victoribus arcem atque oppidum reliquerunt. Neque Hercules qui ad Eræpontem caſtra habebat, ſubſidio laborantib. adcurrendum eſſe iudicauit: quoniam magnopere timebat, ne Lucius eductis Caſcina copijs, & capto ad Vicopiſanum itinere, à tergo protinus inſequeretur. atque ita pari arte vtrisque bellum gerentibus, ſicuti paulò antè Raſignanum receptum fuit, Liberafacta ſimili quoque aſtu & celeritate hoſtium amiſſa eſt. Poſt id factum ſanctæ Luciæ vicus, Larium, & amiſſum paulo antè Lecolum, Palaiaque & minora aliquot caſtella, quæ ad colles vergunt, à Piſanis in poteſtatem redacta ſunt. Per eos quoq; dies Lucius circiter ducentos vtriuſque armaturæ equites, et cohortem vnam hoſtium ad Fornacellas vltra Caſcinæ amnem, qui Foſſa dicitur, ex improuiſo adortus proſperè conflixit, verſiſq; in fugam hoſtibus, adeò acriter cædendo capiendoque illis inſtitit, vt vſque ad Eræpontem ſit prouectus: tantaque fuit patenti porta ingredientium trepidatio, vt niſi paucitati ſuorum militum Lucius diffiſus ſubſtitiſſet, oppidum ipſum, in quo duces cæterǫque copiæ, & complura tormenta erant, ſimul cum hoſtibus irrumpendo facilè capi potuiſſe videretur: magnamq; eo die Lucius apud Piſanos egregię virtutis laudem promeruit, quòd eo prælio & periti ducis, & ſtrenui militis officium impleuiſſet. Biduo pòſt Lucius fortuna vtendum ratus, quæ quum benigna ſemel arriſerit, audentes ſecundo paſſu ſubſequitur,

quitur, nocte intempeſta copias Caſcina eduxit, profectuſque Ponteſaccum, prius penè quàm ab hoſte ſentiretur, admotis ſcalis in oppidum tranſcendit. Quo tumultu Ludouicus Martianus Ranucij frater equitum præfectus, & Ioannes cognomento Vetula, clari nominis centurio, & cum his centum equites pluresque pedites capiuntur, oppidumque diripitur. Erat ſpecula editiſsimo in monte in arcis modum ædificata, quæ Verrucula vocabatur, ex ea deſpectus erat in omnes campos: Piſanique intenti aſsiduè ſpeculando, omnes motus egreſſuſque hoſtium ex oppidis notabant, et quam in partem verterentur, linteis vexillis & fumo, interdumque ignibus & tormentorum ſclopis ſignificabant: magnaſque ea res Florentinis gerendi belli difficultates ſæpius attulerat. Propterea & in caſtris à ducibus, & Florentiæ in ſenatu decretum eſt, vt omnino quibus maxime artibus opus foret, Verrucula hoſtibus eriperetur. Itaque ad terrendum cohibendumq; Lucium, ne Verruculanis cuſtodibus auxilio proficiſceretur, Franciſcus Siccus ad Buttum validam equitũ ac peditũ manum adduxit. ipſe Hercules ad Eræpontẽ permanſit: Montanus verò & Chriſtophorus Epirota, viri fortes, cum peditatu montem ſubire iuſsi. At Lucius qui de conſilio profectioneque hoſtium cognouerat, milites cohortatur, vt æquo animo vnius noctis laborem ferant: quid fieri velit, monet, & flumen Arnum de ſecunda vigilia vado tranſgreditur, in albeſcenteque cælo Buttum ad hoſtem peruenit tarditatem ſæpe militum caſtigans verbis, & ſeipſum incuſans, quòd noctis breuitate deceptus, manifeſta iam in luce rei bene gerendæ occaſionem amiſiſſe videretur. Sed vt in bellicis rebus accidit, in quibus fortunam omni prudentia maiorem ſæpe experimur, ſecus ac ipſe putauerat, ſibi ſecunda omnia, hoſti verò maxime aduerſa contigerunt. Siccus enim cum paulo antè per ſpeculatores Lucium ſuos arma capere, paratosq; eſſe ad profectionem iuſsiſſe cognouiſſet, inſtratis frenatiſque equis totam noctem inſomnem duxerat, ne ab inquieto acerrimoque hoſte imparatus opprimeretur. Oriente autem iam Sole, nihil de inſidijs amplius dubitando, milites corpora ſimul & equos curare permiſerat, ſic vt tum primùm Lucij antecurſores apparere inciperent, quum Sicciani ſemiſomnes, diſcincti inermeſque ad primum vigilum clamorem turbati oppreſsiq; ſint. Burla equitum præfectus vir ſtrenuus, dum inuadentium impetum pro ſtatione impigrè ſuſtinet, obtruncatur. Cęteri Sicco ægrè euadente, paucis interfectis capiuntur, magnuſq; equorum numerus pediti ex præda ceſsit: ſic vt omnes ferme dum læti ac ludibundi redirent, equites facti viderentur, quòd thoraces & galeas relictas ab hoſtibus induiſſent. Eius rei geſtæ nuncijs territi Montanus & Epirota, ne quicquam tentatis confragoſis Verruculæ callibus ad Herculem in caſtra rediere. Sed dum Florentini duces acceptas clades nouis conſilijs vltum ire properarent, prima Gallorum agmina quæ turrim S. Romani ex itinere expugnarant, oppidumque Montopolim diripuerãt, aduentare cœperunt. Quorum aduentus, Florentinos, quoniam ſuas copias tranſeuntibus Gallis miſceri multis de cauſis nolebant, Eræponte & cæteris quæ obtinebant Caſtellis, decedere coegit: præbuitq; miſeris oppidanis materiam iterum rebellandi, quum Piſani relicta ab hoſtibus loca circumductis paſsim copijs occupare niterentur. Porro Carolus magna omnium alacritate a Piſanis ſuſceptus eſt: ac veluti author eorum libertatis ab omnibus ordinibus ſalutatus. Cæterum, vt erat incertus conſilij, quũ orantes proiectique ad pedes, vt ciuitatem liberam & incolumem vellet, ſuppliciter poſtu

larent, ambiguo quodam reſponſo ſpes eorum nec impleuit, nec eluſit, quòd ſe & promiſsis omnino ſtaturum, nec ſe vllis Florentinorum precibus diſceſſurũ ab æquitate polliceretur. Sed adeo mirifica erant omnium ducum Gallorúmque militum ſtudia erga Piſanos, vt quanquam ingrata auribus verba retulerant, neque triſtes eſſent, neque vllis ambiguæ regiæ voluntatis indicijs frangerentur. Dum Piſis Carolus moratur, multorum literis fit certior, Ludouicũ Aurelianum, quẽ apud Aſtam ad incerta belli cum valida copiarũ parte reliquerat, Nouariam occupaſſe, nouoq́ue eo rerum motu in ſummum amittendi imperij diſcrimen Ludouicum Sforiam coniecisse. Quo nuncio incredibili lætitia affectus eſt, quòd non modò euadendi, verùm & occupandę Galliæ Ciſalpinæ occaſionẽ ſibi dari a Dijs immortalibus arbitraretur. Scripſerat enim multum anteà audito noui fœderis nomine ad Aurelianum, vt circa Aſtam quãtas maximè copias poſſet, celeriter pararet, quæ ſibi per hoſtiles agros, contraq́ue oppoſitas acies erupturo opem ferrent. Iamq́ue tres alæ Gallorum equitum, & aliquot Heluetiorum cohortes duce Henrico, cui à lauto conuictu Germanicè Agnauolebano cognomẽ fuit, ab Alpibus deſcenderant. Sed Aurelianus per ſe ſtrenuus, auidus imperij, nouiſq́ue præſertim copijs fretus, vltrò ſibi moliendum bellum, & fortiter audendũ exiſtimauit, ne Fortunę ad magna atque felicia aditum prębenti, deeſſe videretur. Cum Opicino enim Catia, Manfredoq́ue Torniello, qui Nouarię potentes clariq́ue erant, occultè tranſegit, vt vrbem ſibi traderent, eaq́ue ſibi ipſis patrato negotio, quæ vellent præmia decernerent: ſe enim eius beneficij memoriam nunquam eſſe depoſiturum. Siquidem Opicinum atq; Manfredum ante alios eius ciuitatis, à Ludouico Sfortia iniurijs detrimentiſq́ue indignè affectos fuiſſe didicerat: rebaturq; eos, qui iam animo defeciſſent, oblatę occaſioni minimè defuturos. Innocentium namque Catiam Opicini propinquum, Ludouicus Sfortia aliquot ante annis fato functum, obiectis quibuſdam criminibus, è ſepulchro in ius vocari damnariq; iuſſerat, vt bona illius veluti cõuicta iudicio per leges fiſco addicerentur. quod ſicuti inauditum & execrabile viſum eſt, ita illi ſingularem inuidiam concitauit. Dum verò in Nouarienſi latifundium ad eximiam fertilitatem magno ſtudio conderet, quod de nomine ſuæ gentis Sfortiadam appellauit, vicina prædia importenter ab inuitis dominis coemendo, ipſis Sfortiadæ finibus incluſerat, corriuatiſq́ue priuatorum ciuium aquis, vt ſua plenius irrigaret, alienos agros ſolito humore deſtitutos, penitus infelices reddiderat. Quæ duæ res grauibus incommodis complurium, & præſertim Torniellorum poſſeſsiones afflixerant. Igitur quum illi qui acceptæ iniuriæ vindictam coquunt, facilè ad omne perfidiæ vel audaciæ facinus impellantur, data fide, ſuſceptoq́ue negotio, & die conſtituta, quæ diui Barnabæ erat ſolennis, Aurelianum cum expedito equitatu è Vercellis conuolantem vrbe receperunt. Venit etiam cum eo Ludouicus Salaſſorum regulus, qui eius conſilij particeps factus montanorum manum occultè coegerat, atque ita introductis armatorum circiter octo milibus Nouaria Gallorum ditioni ceſsit. At Ludouicus eius nuncij atrocitate perculſus, extemplo ad Hieronymi Leonis legati Veneti domum ab arce cum paucis familiariũ deſcendit, orauitq; demiſsè admodum ac trepidè, vt imperium, fortunas, ſalutemq; ſuam ſenatui vehemẽtiſsimè cõmendaret, quando in ea fortunę iniquitate neq; opẽ aliunde implorare, neq; præſentia ſubſidia afflictis reb. expectare poſſet. In cuius rei celeritate non modò Galliæ Ciſalpinæ, ſed totius

Italiæ

Italiæ ſalutem ac dignitatem eſſe poſitam, quando cuncta vel inopinato caſu, vel communi omnium imprudentia, ſummi diſcriminis aleam ſubijſſent. Solos eſſe Venetos, qui ſicuti conſilio atque opibus cæteros anteirent, ita ad iuuandum opportuna atque expedita remedia haberent, ſi non modò ſocijs in præſens, ſed & rebus ſuis in poſterum, abſque vlla cunctatione prouidendum eſſe arbitrarentur. Ferunt Ludouicum dum peroraret, & capta legati dextra ſe perpetuò Venetorum clientem futurum iuraret, nobiliſsima Smaragdo illius digitum induiſſe, vt ardentius atque propenſius pro ſalute ſua ſenatui perſcriberet, deque eius rei caſu, & periculi magnitudine pleniſsimè doceretur. Triduo poſt Nouariæ arcem à Galeacio Ludouici fratre magno ſumptu ædificatam, Gallis dedidit Ioannes Calchus vir imbellis & timidus, qui beneficio potius quàm virtute eam à Ludouico quæſtus gratia cuſtodiendam acceperat.

Tum verò Veneti, qui neque ſocijs, neque ſibij deeſſe, vel æquum vel tutum ducebant, referente Barbadico principe de bello pro communi ſalute aduerſus Gallos gerendo maturè decernunt. Melchiorem Triuiſanum & Lucam Piſanum eximiæ virtutis optimates, ad exercitum legatos creant. Franciſcum verò Gonzagam Mantuæ principem ætate florentem, belli decoriſque auidum omnibus copijs pręficiunt, minoreſque duces & copias ad conſtitutam diem in ripis Ollij amnis adeſſe iubent: mittiturque ad Ludouicum Bernardus Contarenus cum ſexcentis Græcis equitibus, qui Galeacium Sanſeuerinum Ludouici ducem adſequeretur. Is enim in Nouarienſem agrum profectus, ſupra ſeptingentos cataphractos ſagittariorumque equitum plures turmas, & aliquot ſubitarias cohortes coegerat: quibus Galli interim ab excurſionibus, inuadendiſque alijs caſtellis terrerentur, dum Germanorum pedeſtres copię aduentarent: quæ ſuperato Adula monte per Volturnam vallem, & Larium lacum, omni adhibita celeritate mittebantur. Interea Carolus prouiſo commeatu, & iumentis ſex dierum quiete recreatis Piſis profectus, Lucam contendit, libertate de qua adeò cupide anxieque agebatur, Piſanis nec conceſſa, nec erepta, quū infamiæ, & maioris etiam periculi metu, neq; fidem Florentinis fallendam arbitraretur, quibus accepta pecunia fœdere paulò antè ſe coniunxiſſet: neque Piſanos, quos ipſe in libertatem vindicaſſe videri volebat, Florentinis veluti iratis tyrannis excruciandos tradere, vel æquum, vel regium putaret. Erant apud Carolum Iulianus Paulusque Fregoſius cardinales, & Hibletus Fliſcus, qui vti exules ſolent, dubijs aſperiſq; etiam in rebus, cuncta facilia atq; expedita ad victoriam pollicebantur, ſi in Liguriam cum mediocribus copijs mitterentur.

Differebant enim præſto ſibi adfuturos montanos homines Fregoſiæ factionis, per quos omnem inferioris Liguriæ oram in poteſtatem eſſent redacturi. Promotiſq; inde ad Genuam caſtris facilè fore, vt forti opera amicæ factionis, cui cuncta ordine communicaſſent, Adurnij vrbe atq; imperio pellerentur, priuſquam à Ludouico Sfortia, qui adeò opportunè graui bello domi eſſet implicitus, auxilia ſubmitti poſſent. Philippus quoq; Breſsius Allobrogum principis frater, qui apud Carolum gratia atque authoritate plurimum valebat, vt qui maximè eorum conſilium probaret, ſeſe iturum, ac ducem eo bello futurū profitebatur. Itaq; re ad conſilium delata, comprobataq;, Breſsio duę equitum alę, Gallorumq; peditum cohortes quatuor, et tormenta ſeptem attribuuntur, Cum eo etiam Vgo Amboſius vir nobilis militięque peritus vna proficiſcitur: ad Miolanium quoq; Gallicæ claſsis præfectum cum literis regijs plures ſimul

nuncij mittuntur, qui moneant vt abora quam legeret, diſcedere nolit, terreſtrium copiarum ducibus pareat: paratusque ac intentus remigio & velis, quò opus eſſe videatur, protinus enauiget. Camillo item & Paulo, Vitellocioque Vitellijs fratribus, qui iam cum cataphractis ducentis, & totidem leuis armaturæ equitibus ſeſe accepto ſtipendio Gallis addixerant, imperatum, vt in Liguriam proficiſci maturarent, & Breſsium quanta maximè poſſent celeritate conſequerentur. Ipſi cardinales paſsim ex Lucenſium caſtellis, Apuaniſque Liguribus pedites cogunt, & per Apennini valles notis tramitibus in Liguriam proficiſcuntur. Carolus interea his rebus explicitis ad Apenninum magnis itineribus ſe extendebat, vt eo celeriter ſuperato, ad Aurelianum prius penetraret, quàm hoſtium copiæ, quas vndique cogi, Padumq́ue traduci audiebat, ad Apennini anguſtias ducerentur. Vix prima Gallorum agmina ſubire cœperant, quum Pontremolenſes, haud ignari quid ſibi ab iratis Germanis timendum foret, oppido fermè omnes effugerũt. Nec multò poſt nequicquam prohibente Carolo, vel deprecantib. ducibus, totum penitus id oppidum quod ędificijs atq; opibus pro loci opportunitate clarum erat, iniectis vno tẽpore facibus, barbaro furore incenſum atq; deletum eſt. Tormenta demũ inde confragoſis Apennini iugis ad Burgũ caſtellum, quod à valle Tarri amnis nomen ducit, magno quidem cum labore, ſed maiore aliquanto militũ ſtudio traducta: Quando ea ſingulis attributa cohortibus, non ſolitis equis, qui in abrupto flexuoſoq́ue paſsim itinere minimè iungi coaptariq; poterant, ſed manibus atq; humeris militũ traherentur, equiteſq; ſinguli pilam ferreã quinquaginta pondo, in anteriore ephippij parte collocatam, alacriter deferrent. A Burgo latiore demum via, quæ ad Foronouum ducit deſcendere cœperunt, prętmiſſusq; cum valida peditum atq; equitũ manus Gienſis primi agminis dux, et cum eo Antoni s Baſſeius Heluetiorũ prępfectus, ac ipſe Triuultius, vt apud Foronouũ locũ caſtris antecaperent. Triuultio enim tanquam itineris duce Carolus vtębatur, atq; eius viri conſilio ſummam adhibebat fidem, cum propter ſingularem militiæ locorumq́ue peritiam, tum ob veterem ſimultatem, quam cum Ludouico Sfortia ſemper infeſtus exercebat. Vnde illi poſtea peramplæ opes atque ingens belli gloria, cum excidio totius Italię creuerunt. Habebat tum caſtra Mantuanus, cui ſe Calatinus cum copijs Sfortianis adiũxerat, ad Glareolam vicum in vlteriore Tarri amnis ripa, loco admodum opportuno, vt Parmenſibus qui in tergo erant, ſi ad defectionem ſpectarent, immineret, præſidioque eſſet proximis caſtellis: ac ſi Carolus eà ire pergeret, prima deſcendentium agmina iniquiore hoſti loco, totis ſimul copijs adoriretur. Interim dum Galli Foronouo appropinquarẽt, Gonzaga de eorum aduentu per exploratores certior factus, leuis armaturæ equites, duce maximè Nicolao Annonio Dalmata, viro impigro, pręmittit, qui ad hoſtes aduolent, & dum ipſe cum robore grauis armaturæ equitum, peditumq́ue expeditis cohortibus ſubſequitur, tumultuaria pugna diſtineat. Illi imperata impigrè faciunt, adortiq́ue hoſtes ſubita incurſione ex omnibus lateribus eos perturbant, multiſque cæſis ac captis, raptoq́ue vexillo vno, priuſquam cataphracti peditumq́ue auxilia ſuperuenirent, omnes retrò pauidos auerterunt. Idq́ue propterea acciderat, quod Galli nondum Græcorum militiæ vſum nouerant. Græcos enim inſultantes ſimul ac multa arte refugientes, quum Galli ardore quodam pugnandi cõcitatius perſequi vellent, ordineſque diſſoluerent, illi ſubitò redibant in prælium, pluresq; ſimul expediti,

ſingulos diſperſos, graues armis incauteq́; prouectos adoriebantur, facileq́; in curuo & prægraui gladio more Turcarũ, aut ferrea claua feriendo ſternebant. Gonzaga quod ſatis longo difficilique itinere feſſos equites, quo minus abeuntem in caſtra vſque perſequeretur, reuocandos eſſe iudicabat, eo ſucceſſu contentus lætis omnibus, & pleriſque præfixa lanceis Gallorum capita geſtantibus, ad exercitum reuertitur. Erat inter captiuos Antius Heluetiæ cohortis præfectus, notus antea Calatino. Is primi agminis peditum, & equitum callidè mentitus, numerum adaugebat ad deterrendos noſtros, ne audacius progreſsi incumberent, ita vt regem pariter cum media acie, & ſubinde Tramulium cum poſtrema non procul eſſe nunciaret. quo mendacio ſalutem Gienſi allatam conſtat, qui paucitati militum ſuorum diffiſus, perturbatusque certamine in editiorem locum ſe receperat, vt ibi communitis quoquo modo caſtris, vel tardè ſubſequentem regem expectaret. Sed quum peritis ducibus delendi primi agminis occaſio, ad ſummam demum de rege victoriam oblata videretur, Mantuanus nihil tentandum eſſe, expectandasq; omnino reliquas copias cenſuit, vt toto ſimul inſtructo exercitu tutius atque nobilius conſpecto rege hoſte certaretur. Numero ſiquidem Italicæ copiæ ſuperabant, apparebatque eas in congreſſu ſuperiores euaſuras, niſi à maiorum diſciplina fœdè diſcedentibus Fortuna defuiſſet. Itaque Carolus integrum ſequẽtis diei ſpatium nactus, atque opportunè aſſecutus primum agmen, ad Foronouum conſedit. Intererat inter bina caſtra flumen Tarrus, qui ex Apennino ſæui torrentis more per abruptas valles, ſaxoſo inæqualique alueo delapſus, patentibus demum campis in Padum euoluitur. Veneti à læua in latiore amnis margine, non longè ab Oppiano vico depreſsioribus locis tendebant: Gallus in dextro latere profluentis vadum, in læuo Medeſanum oppidum habebat, potitusque ſuperioribus collibus hoſtium caſtra facilè deſpectabat, quę maximi exercitus ſpeciem tot vndique erectis tentorijs, mirantium Gallorum oculis reddebant. Carolus vbi ſe exercitumque ſuum eo perductum videt, vnde ſibi nulla ſpes euadendi, niſi duce Victoria relinqueretur, ad tentandos legatorum animos, ſi aliquot dierum inducias impetrare poſſet, caduceatorem tranſmiſit. Nanq; Hercules Ateſtinus inſitæ legatorum ingenijs cunctationi fauens, paulò antè, vt animos cum regi tum Gallis ducibus inopinato hoſtium apparatu perculſos confirmaret, pro certo exploratoque perſcripſerat, neq; legatos, neq; Gonzagam ducem generum ſuum vllam habere à ſenatu committendæ vniuerſæ pugnæ poteſtatem. Igitur caduceator ad legatos ac duces introductus, regem ſuum vehementer mirari dixit, quod Veneti, quos nunquam iniuria laceſsiſſet, ad prohibendum quo minus in Galliam proficiſcatur inſtructis copijs aduenienſſent, ſe pro ęquo iure gẽtium id tantùm petere, vt per inducias exercitum commeatu, nec gratuitò quidem, paſsim iuuent, & pacato itinere in Galliam pertendere ſinant. Id ſi fecerint, ſe Veneto ſenatui eiuſque ducibus ſingularem gratiam habiturum. Quod ſi id præſtare nolint, amicitiamque recuſent, & contrà vi contendant, Gallos milites vera virtute non modo ſibi aperturos viam, ſed & regi ſuo iter ipſum prohibentium cadaueribus conſtraturos. Ea legati, tametſi arrogantius quàm Italorum aures perferre poſſent expoſita erãt, æquis tamen animis exceperunt. Quoniam Araldos vel dicto violare nefas eſt, qui Gallico more ſuperbè admodum & ſumma quadam dicendi libertate mandata deferre, & bella hoſtibus denunciare impunè ſolent. Cæterum ad ea

breuibus eſt reſponſum: Si Carolus occupandæ Italiæ conſilia abijceret, Oſtia atque Nouaria præſidia deduceret, & ſine maleficio proficiſceretur, liberam illi fore abeundi facultatem: ſi ea facere negligeret, Venetos quoque ſociorum iniurias minimè neglecturos, ac vti ex fœdere deberent, publicum totius Italię hoſtem bello perſecuturos. Araldus ad Carolum reuerſus, vtpote qui ſpeculãdo cuncta prope oculis colluſtrarat, multa de ſitu munitioneque caſtrorum, et de numero, cultuque & alacritate Italorum militum anxio timentiq; ſimilis enarrauit. Ita vt rex ipſe, & plerique duces, veluti ſuprema in cura, & de ſalute omniũ dubitare viderentur. Diſputando enim, aliqui Piſas redeundum eſſe, & ſedem bello adiunctis Florentinis in Ætruria deligendam: alij nulla dedecoris cura habita expedito agmine per tranſuerſas Apennini valles, ad Aſtam properè contendendum: cæteri nullam Aureliani rationem habendam, paciſcendumque cum hoſtibus, qui omnibus rebus ſuperiores eſſent, modò regis exercitusque ſaluti prolixè caueretur, cenſebant. Pauci denique erant qui regis vitam ac libertatem in periculum iniquæ pugnę temerè deuocandam arbitrarẽtur, quum nemo eſſet, qui non de Regis potius, quàm de ſua ſalute ſollicitus, imminentis prælij euentum omni alia re duriorem fore exiſtimaret: Ita vt neque exitum conſilijs, neque certam in eo diſcrimine ſeruandi exercitus rationẽ inuenire viderentur. Tum verò Triuultium, in quem vnum maximè ducum oculi coniecti erant, in hunc modum magna omnium expectatione locutum ferunt. Qui de dubijs rei bellicæ caſibus præſenti iam periculo conſultant, vnam, quæ reliqua eſt & ſalutis et victoriæ rationẽ, ab ipſa animi magnitudine ducere debent. Nam quum vis in negotio plurimum vrget, & forti pariter cõſilio factoque maximè eſt opus, demittere ſe animo, vel pauore occupari cum turpe, tum euẽtu ipſo plerunque funeſtum eſt: ſed id multo magis indecorum atque importunum videtur, quum ipſa pericula anxiè nimis expendendo, reputandoque et atrociora et maiora vero nobis effingimus. Dubitauere et quidem vehementer, inuicte Carole, de tua exercitusque ſalute nonnulli, qui ante me dixerunt viri graues: & quod maximè eorum dictis fidem obligat, peracres & ſtrenui bellatores, ſcilicet commemorando quæ penuria rerum famẽſque viris pariter ac iumentis immineant: quæ locorum aſperitates, quæ anguſtiæ & iter demorentur, et virtutis vſum fortibus viris eripiant: ac demum quales, quantæque hoſtium copiæ, & numero paucis & tanti itineris labore defeſſis, aditus ipſos ad euadendum percluſerint: ſic vt omnia alia experiri præſtet, quam deſperata victoria, vi contendendo ſummæ rei diſcrimen ſubire: quaſi, vti aliquibus placet, per montana Ligurum, vt in pacatam Italiæ partem ad Alpes euadamus, impedimentis, maioribusque tormentis hoſti relictis, clandeſtina fœdaque fuga, generoſiſsimo, ac ſemper victori regi turpiſsimum ac maximè luctuoſum iter ſit arripiendum, vel terga hoſti danda, & Piſæ iterum repetendæ, vt mox circumfuſis terra marique hoſtibus, fame domiti, deditique demum cunctis ludibrio ſimus. Neq; id quoque probauerim, vt turpi pactione tutum in Galliam iter ab armatis hoſtibus ſit impetrandum. Perquam enim aliam fidem pacata omnia præſtabunt, niſi per eam qua modò tam impudenter recentia fœdera violarunt? Sed hoc credamus perfidioſis hominibus: nam & ij aliquando datam fidem ſeruare ſolent, vt opportunius & maiore quidem cum lucro poſtea decipiant, nónne hac infelici ſponſione,

tot

tot viri fortes, qui Neapolitanum regnum egregiè defendunt, omni auxiliorum ſpe deſtituti, deſerentur ſimul & ſæuiſsimis hoſtibus prodentur? curſuſque ipſe ad ampliorem victoriam inſtitutus, ſi Nouaria vrbe præſidia deducantur, penitus erit interruptus? Ego certè id vnum & tutum & decorum conſilium eſſe video, quod aſperum & maximè periculoſum cæteris videtur. Scilicet vt abiectis omnibus pacis aut fugæ cogitationibus, iter nobis quamprimùm gladijs aperiamus. Neque proinde quòd hæc ſucceſſu ipſo facilia nobis fore pollicear, nec de victoria deſperem, plus prouidere animo quàm cæteri, & de toto inſtantis negotij euentu præſentire arrogantius videri velim. Hoc enim non ingenio meo, ſed militiæ vſui, & Italicarum rerum experientię concedi poteſt, quum ab hinc multos annos omnibus Italiæ bellis interfuerim: quibus cum principum, tum ducum ac militum conſilia, ſenſus, artes, diſciplinamque ipſam abundè nouiſſe haud difficilè fuit: quæ omnia ſic me demum non obſcuris meis ſæpe periculis erudierunt, vt neque audacem, neque omnino trepidum fecerint. Ante omnia quæ animos periculi magnitudine commotos vehementer perterrent, illud minimè crediderim, Venetos collatis ſignis vltrò nobiſcum eſſe dimicaturos. Nam præterquam quòd nullam confligendi poteſtatē legatis vel ducibus à Senatu eorum datam aliquorum literis cognouiſtis, quis putabit gentem ad trahenda bella, & ad cunctandum natam, tardis cautioribuſque ſemper innixam conſilijs, pro aliena cauſa, abſque vlla neceſsitate, aleam vniuerſi certaminis eſſe ſubituram? Auxere enim Veneti rem ſuam ſedendo ſpectandoque, quum prælia temeritati ducum ac militum, & mille fortunæ caſibus ſubiecta eſſe, facto ſæpius infelici periculo didicerint. Stultum enim eſt in republica quæ perennibus conſilijs atque inexhauſtis opibus viget, ſpecioſos ab ancipiti cruentaque acie triumphos appetere, quum maturam certamque vniuerſi belli victoriam non temerè expectent, qui bellicis ſumptibus minimè deterrentur. Neque Ludouicum Sfortiam, hominem per ſe timidum, ſuſpicacem & valde cautum, id planè ex Arcano conſilio contendere arbitror, vt auſpicijs Venetorum Gallicę copiæ deleantur. Quis enim alius (quod dij auertant) eius victoriæ exitus fuerit, quàm vt victori Veneto Mediolanenſe imperium prædæ cedat, quod impotentibus armis inuadendo lacerandoque ſingulari cupiditate ſemper affectarint? Sed putemus Ludouicum nihil hodie pro ſano cautoque facturum, Venetoſque item nouo quodã repentinoque conſilio totius Italiæ imperium dubij Martis arbitrio commiſſuros, non ob id, ędepol, magnanime Carole, de victoria fuerit dubitandum. Decedant fortibus animis inanes metus, quum ea omnia quæ ſibi dimicaturo optimus quiſque imperator exoptat, ſpem non dubiam rei bene gerendæ nobis polliceantur. Cauſa in primis longè optima, fidus ac veteranus miles, tormenta plurima, locus æquiſsimus, & nullius demum rei præterquam communis ſalutis & gloriæ reſpectus. Italorum hodie militum virtutem neque eleuo neq; extollo: Ineptè ſiquidem aut impudenter fecerim, ſi de hac re iudicij mei ſententiam interponã, ſic, vt integro pudore meo hoc vnũ confiteri teſtarique non dubitem, nobis ſcilicet cum tyrone & collectitio exercitu rem futurã: multò enim maxima pars eorum equitum, quos criſtis armiſq; fulgentes conſpicimus, nunquam niſi in pompa, dum luſtrantur exercitus, ipſiſque in ludicris pugnis atque ſpectaculis arma induit, aut clangorem tubarum audiuit,

quod in Italia multis ab hinc annis nec bellatum ſit, nec iuſta cruentaque acie dimicatum. Pedites ipſi non modo vim Germanicæ phalangis non ferent, ſed nec aſpectum quidem tanto ordine incumbentium armis animiſque impares ſuſtinebunt. Relinquitur vt artes & dolos alicuius inueteratæ prudentię ducis magnoperè timeamus. Quas enim inſidias tendet, quóue ordine per iniqua torrentis vada producet, vt nos denſato agmine ire pergentes inuadat adoleſcens imperator, qui nulla vnquam præter hæc ſua, nominis hercle titulo potius, quàm certæ virtutis merito militaria caſtra conſpexit? Itaque, rex inuicte vt iam inſtituimus, peruadendum eſſe cenſeo, tu rectè feceris, ſi milites, vt de pugnæ euentu non dubitent, hoſteſque deſpiciant, fueris adhortatus, ad læuã iuxta colles impedimẽta paululum ſemota ab armatis ordinibus vel diripienda hoſti, prædæ potius quàm pugnæ auido, non temerè obiecerim. In dextra ſecundum amnem tormenta aduerſus hoſtes collocentur. Ego primi agminis ac itineris cum Gienſe noſtro collega ducem agam, periculoque propior dabo operam nauiter, vt huius te ſuſcepti conſilij minimè pœniteat: reliqua belli munia veteres maximè duces inter ſe partientur, atq; in vtrunque ſimul itineris & prælij caſum parato expeditoq; exercitu ad victoriam contendent. neq; enim eos vel priſtina virtus, vel Fortuna tua deſtituet, qui perpetuis nobilitati victorijs ſtrenuè pugnare vel pro vna tantũ gloria didicerunt. Poſtq̃ Triuultius vultu fiducię pleno perorauit, nemo ferè viſus eſt, quanquam non dubius quorundam animis inſideret metus, qui nõ alacriter in eius ſententiam iret, iuraretq; ſe niſi victorem è prælio minimè diſceſſurum. Tum verò Carolus diſpoſitis equitum præſidijs, qui Græcos omnibus propè horis cum multo clamore varios tumultus ad caſtra excitantes ex omni parte reprimerent, integrã ferè noctem peruigil ducẽs, inalbeſcente cœlo ſacris interfuit, ientauitque, & vt idem facerent milites, ad iterque ſimul ac prælium capeſſendum corpora atque animos præpararent, edixit: nec multum inde validis potius quàm decoris protectus armis equum cõſcendit, neque nobili colore vel celſa ſtatura conſpicuum, quum eſſet abſolute ob idque damnatæ nigredinis vnicolor, dextroque oculo captus: ſed qui quadrato habitu indomitum præferret robur, humanoq; propè ſenſu, ſeſſoris iudicio conceptæ de ſe ſpei decus agnoſceret. Neque enim vel à cono caſsidis, vel à regali cultu noſci volebat, vtpote qui ſibi ad latus ſeptẽ iuuenes fide virtuteque præſtantes paribus ornatos inſignibus antea delegiſſet. Prodeuntẽ milites ita alacri voce geſtuque ſalutarunt, vt fari incipientem interpellarent, obſecrantes, vt de victoria quæ iam eſſet in manibus minimè dubitaret. Apparuit enim tum ſeipſo celſior atque viuidior, quum eſſet admodũ puſillus, & propter veterem morbum imbecillis, ad inceſſum cruribus nequaquam planè firmus & validus. Sed dum fronte atque oculis aducoque præſertim, & prominente naſo, pugnacis ac intrepidi militis ſpeciem præbebat. Conſepſere medium regem binæ alæ nobilium equitum, quibus Scotorum prætoria cohors ſeſe admiſcuit. Matthæus porrò Borbonius cognomento Baſtardus, cui rex maximè fidebat, & Robinetus Frameſella vir egregiè fortis Ludouici Aureliani cataphractorum ductor, alas ſuas confertim applicantes, hic in læuo, ille in dextro latere conſtiterunt. Sequebatur interuallo duorum ſtadiorum tertium, idque poſtremum agmen, cui Fuſius pernobilis in Aquitania regulus, atque ipſe Tramulius magnis poſtea rebus geſtis dux clarus, præerant. Apud hos inſignium equitum robur fuit. Sed in primo agmine Germanicæ

nicæ

nicæ phalanges præcipuæ ſpei virtutiſque, & tormenta maiora ſpectabantur. Antecedebant Gienſis atq; Triuultius cum expedita manu equitum, vt ſequētibus iter monſtrarent. Hos ad teli iactum Heluetij Germaniq́ue quadrato agmine ſequebantur, quibus Gilbertus Cleuenſis, & Antonius Baſſeius duces, Germanicæ periti linguæ, triplex ſtipendium regio nomine promiſerant, ſi fideli fortiq́ue manu inuictum incolumemq́ue regem præſtarent. His ad læuam coniuncti erant baliſtarij Vaſcones, & trecenti ferè ex prætorianis ſagittarij, qui infelici conſilio amotis equis in pedes deſilierant, vt firmiore veſtigio tendendis arcubus niterentur. Tormenta verò iuxta phalangem pari paſſu perducta, contra flumen quod intererat hoſtileſq́ue acies collocata erant. Lixæ atque omnis incondita calonum turba cum impedimentis ſecundum ſiniſtros colles iter intendebant. At Mantuanus qui Gallos, ſi ad læuam Medeſanum verſus deflecterent, quà illis iter erat in Agrum Derthonenſem, tergis abeuntium inſiſtere, & totis copijs perſequi decreuerat: vbi eos ab Foronouo denſis ordinibus deſcendere conſpexit, ſibi nequaquam amplius morandum ratus, aciem veterum militum vſus conſilio in hunc modum inſtruxit. Erant vniuerſæ copiæ in nouem diuiſæ ordines, quæ duorum amplius milium & quadringentorum equitum cataphractorum, leuis autem armaturæ paulò minus duorum milium, & peditum circiter duodecim milium ſummam efficiebant. In primo agmine fuere Petrus Dodus Venetus cum Græcis equitibus ſexcentis, & Alexius Beccacutus cum totidem fermè equitibus ſagittarijs, qui non arcubus ligneis, vti Galli ſolent, ſed baliſtis arcu ferreis vtebantur. Quibus iniunctum fuit, vt colles à tergo circumirent, & in latus ſiniſtrum primi agminis verterentur, vt ire pergentes Gallos, à cæpto iam itinere tumultuario pugnæ genere diſtinerent. In ſecundo Calatinus fuit cum Sfortianis copijs, ea ratione, vt quum primum à Triuultio & Gienſi cum leui armatura contractum certamen foret, ipſe confeſtim occupatos turbatoſque ad dextram adoriretur. Ea acies ſexcentis cataphractis, & Germanorum mercede conductorum Italorumq́ue peditum tribus milibus conſtabat. Dux ipſe aſcitis ſibi Rodulpho patruo, Ranuccioque Farneſio, cum delectis circiter quingentis cataphractis, & totidem ſagittarijs, quatuorq; peditum milibus, inuadendi medij agminis, vbi rex erat, munus deſumpſit. Fortebracio autem Montonio cum quarta acie inuadendi poſtremos hoſtes ſors obuenit. Ternæ quoque obiter ſubſidiariæ acies opportuno hercle ordine, ſed fœdo admodum euentu conſtitutæ ſunt: Ita vt Antonius Feltrius Vrbinas imperatori, quum ſignum daretur, maturè opem ferret. Annibal verò Bentiuolus, & Galeacius Pallauicinus, vbi opus foret, Calatinum conſequerentur: Aloiſius demum Aduocatus & Franciſcus Gambara Brixiani, Socinuſque Benzonus Cremenſis Montonij veſtigijs inſiſterent. Hæc ideò conſtituta fuerant, vt quum vnaquæque Gallorum acies ſuo implicata periculo proxime laboranti ſubſidio eſſe non poſſet, omnes ſimul vno tempore ab omnibus propè lateribus cæderentur. Octaua nonaq́ue paulo remotius ad incerta prælij in ſubſidijs collocatæ. Talianus verò pius & Carolus Meliteus cum reliquis copijs caſtrorum præſidio relicti. Porrò tormentorum magiſtris imperatum, vt ea locis quantum ratione militari prouideri poterat opportunis, longo ordine ſecundum profluentis Tarri editiores ripas, in hoſtes verterentur. Inſtructa acie Mantuanus ad legatos

reuerſus eſt, qui tametſi graui admodum ſuſpenſi cura prælio decertare ab eorum Reipublicæ rationibus alienum eſſe iudicabant, ea tamen erat adeò egregiè inſtructi ornatique exercitus ad pugnandum alacritas, vt ipſos iam cautioris conſilij pœniteret, & ſumma ſimul lætitia, & certa ſpe victoriæ penitus implerentur. Neque erat quiſquam vel ætatis vel militaris dignitatis honore inſignis, qui tum cunſtanter aut ſuſpensè de ineunda pugna conſultare, vel palam de victoria dubitare auderet. Nam plerique tyrones inani quodam pugnandi ſtudio, ac virium fiducia elati, ſi quem in eo ſummæ rei diſcrimine cautius conſideratiusque loquentem vidiſſent, palam inceſſebant probris, & ſegnem ac timidum compellabant. Acciditque vt ipſe Rodulphus, quum locum pugnaturis iniquum fore, & propterea prius exæquandum eſſe cenſeret, à Mario Caluiſiano petulanter irrideretur. Is erat inter Mantuani familiares gratia decorę iuuentæ parta conſpicuus. Illoto enim ore dictitabat, eos qui tantopere cuti ſuæ pertimerent caute facturos, ſi quamprimũ abirent, & ſe Parmę vrbis mœnibus egregie tuerentur. Vtinam inquit Rodulphus qui verbis audaces & feroculi ſunt, me vadentem in confertos hoſtes ſtrenuè ſequantur. Non enim pictarum & inanium haſtarum (vt in ipſis fit ludis,) ictus excipient, ſed validos mucrones experientur. Dijque faxint vt ſagulos hoſce admodum ſpecioſos alieno potius quàm noſtro ſanguine defœdemus. Erat enim Rodulphus externæ militiæ verus atque præcipuus æſtimator: quoniam ab ineunte ætate inter pueros armigeros Caroli Belgarum principis, hiſq; tribus admodum funeſtis interfuerat prælijs, quibus ille poſtremo deuictus & formidabiles antea copias, & regnum ipſum cum vita pariter amiſit. Interea quum iam Gallus appropinquaret, & frequenti tormentorum crepitu milites ad pugnam excitarentur, Mantuanus conuerſus ad legatos. Si vobis, inquit, e Republica videtur, vt fortiter obuiam eamus Gallorum audaciæ, qui ſibi totius Italiæ imperium barbara vanitate deſpondent, minimè prolixe conſultandum eſt: ſed quum vis & tubę hoſtiũ nos vocẽt, è veſtigio de pugna cogitandum. Nam ſi hoſtẽ è manibus cunctando emiſerimus, nequaquam parem eius opprimendi occaſionem poſtea reperiemus, fruſtraque expeditum, vaſtantem cuncta, & ſubſidio ſuis ire properantem per aſperos tramites perſequemur. Ego quidem, ſi iuſſeritis, Veneto ſenatui probabo operam meam, cunctiſq; corporis ac animi viribus contendam, vt Italo militi antiquum ſuum decus ab externis gentibus minimè ereptum eſſe protinus oſtendatur, vobiſque Venetis Italicæ dignitatis veris certiſque vindicibus clariſsimus de ſuperbo hoſte triumphus noſtra virtute comparetur. Ad ea Triuiſanus annuente collega, Macte inquit ingenti virtute imperator, poſtquam adeò inſigne ſtudium erga Venetum nomen eximia animi magnitudine teſtaris, & te ad ſempiternæ laudis fructum ſeruandæ Italiæ decus accendit, ſigna canere iube, & quod Veneto ſenatui ſocijſque fœderatis bonum fauſtumque ſiet, inſtructas acies in hoſtem verte, fortiterque vincendo enitere, vt familia tua perpetuo veteris gloriæ fulgore inſignis, multò maximè decoris nouæ victoriæ titulis illuſtretur. Nec mora tympana tubæque & tormenta ex propinquo hoſtem emitti cœpta, vno ſimul tempore concrepuerunt, diſtinctæque acies ſuo (vt diximus) ordine tribus in locis per amnis alueum ad hoſtes contenderunt. Verum adeo temerè ac infeliciter procurſum eſt, vt qui tanta alacritate ferebantur, ſumma locorum iniquitate prius turbati ſemiuictique ſint, quàm ad hoſtes peruenire potuerint. Erat enim Tarri alueus enor-

mis,

mis, tortuoſus, internatiſque frequentibus ſalictis valde impeditus, ipſæ margines vtriuſque ripæ, vbi torrentis aquæ vis allidebat, deſcenſu pariter aſcenſuque difficiles: aquæ etiam ab heſterno pleno imbre cauis delapſæ locis, in lacunas maximè limoſas & cæcas voragines abierant: poſtremò vada ipſa vagantis amnis paſsim lapidoſa atque incerta: quibus rebus, vti neceſſe erat, tranſeuntium curſus atque impetus magnoperè tardabatur. His conflictati incommodis, quanquam magna eorum pars ægrè ſe explicaret, nec præeuntes conſequeretur, ſtrenuè tamen hoſtes inuadunt haſtis, gladijs concurrunt, ac triplici loco prælium atrox, varium, & modò ipſis, modò illis funeſtum miſcent. Conſtiterant Galli loco admodum tuto, qui ab ea parte quà aditus dabatur, ſalebroſus erat, & frequentibus arboribus impeditus: ita vt ab accliui parte Itali ſubirent, & diſperſi cum conſertiſsima hoſtium acie, maiore vi quam arte, & iniqua demum fortuna dimicarent. Galli contrà denſare aciem, nihil temerè loco dimoueri, in medium proruentes excipere, exceptoſque circumſiſtere, breuioribusque gladijs pertentando quà maximè penetraret in corpus ferrum poſſet, confodere atque proſternere. Interim Græci equites, qui primum agmen inuaſerant, quum à cataphractis nequicquam circumfuſi vndique pellerentur, & Annonius, atque Buſichius eorum præfecti viri acres, vulnerati prælio exceſsiſſent, conuerſis repentè equis ad diripienda impedimenta cònuolarunt: quæ monitu Triuultij de induſtria hoſtibus obiecta fuerant, vt illis præda occupatis, regi tranſitus expeditior atque facilior redderetur. Ibi lixæ, calones, & fœminæ, mulioneſque inter iumenta cadenteſque ſarcinas fœdè iactati, ac dum repugnant, vel rapientes impediunt promiſcuè cæſi, impedimentaque ferè omnia capta direptaque ſunt. Is tumultus, quòd diſſonis tot gentium clamoribus cuncta capta perſtrepebant, è proximo peditum cohortes etiam exciuit, quæ prædæ pariter auidæ, ordines nullo pudore deſerebant. Tum verò inter ſocios cruentum admodum & miſerabile certamen exortum, quum regiam gazam alij in diuerſa traherent, alij à validioribus oppreſsi, in ipſis prædæ complexib. cæderentur. Ea res omnium conſenſu Gallis ſalutem peperit. Nam prima Gallorum acies, Græcis ad prædam inclinantibus, ex tranſuerſo eorum quos Calatinus induxerat, impetum fortiter excepit, ſecundæque laboranti opem tulit, & ſecunda pariter aucta viribus atque animis pulſo cum ingenti cæde Mantuano, tertiæ quam Montonius perturbarat, ſubſidio fuit. Ibi demum quum duæ ſimul acies, prima Gienſis, & ſecunda regis vtrinque Italum militem acerrimè premerent, Rodulphus atque Ranucius in medio circumuenti interficiuntur, totaque penè ala familiarium Mantuani, in qua plerique nobiles erãt, conciditur. Cadit & ante oculos ducis ipſe Caluiſianus, & centuria ſingularium peditum ad cuſtodiã corporis delecta pariter cæſa protritaque eſt. Ipſe Mantuanus, qui admiranda virtute per medios equites ad tormenta peruenerat, magiſtriſq; eorum, & equis, quibus trahuntur, interfectis, cohortẽ Vaſconum tormentis præſidio conſtitutam, & prętorianos ſimul ſagittarios procella equitum obruerat, è medijs hoſtibus equo grauiter vulnerato vix ſe eripuit, quum eum ingenti ſerica pyramide, quæ illi pro cono in galea fuit, ante alios conſpicuum, & tota acie volitantem omnes certatim peterent. Eandem quoque fortunam tulerunt Itali pedites, qui in parte Calatini fuerant. Nam

quum primi eorũ ordines prælongas haſtas læuo ſuſtentatas brachio(vt tum mos erat)ab ſolo excuterent,ſequentes vero ſcutati hoſtilia lato ferro iacularentur,et cęteri poſt ſcutatos baliſtarij ſagittas emitterent,nõ modo ſine timore aliquo, ſed etiam cum riſu ab Heluetijs excepti ſunt, qui in vnum denſatæ phalangis corpus egregiè conglobati,id ineptum armorum genus atque eum pugnandi morem facilè contemnebant. Extemplo nanque vbi appropinquatum eſt,extraordinarij delecti iuuenes fermè trecẽti,qui propter laudem ſummo quæſitam periculo,vitæ prodigi perditique vocantur,ab vtroque phalangis latere proſilierunt,ac ingentibus gladijs quos ambabus manibus regebãt, enormes haſtas præcidere cœperunt. Quorum audacia territi penè omnes, priuſquam phalangis impreſsionem expectarẽt,terga verterunt. Eoq; in loco Germanorũ mercede conductorũ cohors vna,quę Gallica tormenta audacter inuaſerat pertinaciuſq; reſtiterat,peracri Heluetiorũ impetu trucidata. Imber quoq; admodum repentinus multa cõmiſtus grãdine,cum fulgore & tonitru cœlo effuſus,adeò opportuno tẽpore fuſos iam & in fugam inclinatos afflixit, vt Dij ipſi pro Gallis bellum gerere viderentur. Tanta enim aquarũ mole flumen Tarrus,qui modò arenti ſimilis defluebat, torrentibus ac riuis vndique in eius alueum præcipitatis auctus eſt, vt neq; euadere, qui iam in fuga ſalutis ſpem collocarant tutò poſſent,neque integri ordines, qui pulſis ſubſidio pergere cupiebant,amnem viros,equos,armaque ſæuo impetu rapientem tranſire auderent. Nec interim tormenta vtrinque ceſſabant, quãquam ancipiti vel inani periculo in permiſtos ſæpius emitterentur. In tanta rerũ iniquitate Mantuanus ſe ipſum non deſerit,tametſi incredibili dolore erat perturbatus, quod tot viros fortes ſuum ſequutos nomen,ipſumque Rodulphum patruum deſperata ope circumuentos conſpexiſſet. Erat ad læuam riuus vtrinq; modico aggere caſtigatus,qui ad frumentarias molas defluebat. In eum præcipiti fuga pedites atq; equites fœda colluctatione deferebantur. Qua re animaduerſa, Mantuanus mutato equo ibi cõſtitit,increpando fugam ac ſiſtendo ſigna,validam manum ex diuerſis turmis in vnum coegit, qui tametſi varijs prælij fugæque ac ipſius demum pluuiæ incommodis vehementer erant fatigati, impigrè tamen pręlium redintegrarunt,effuſeq; inſecutos Gallos cum cæde repulerunt. Ibi Miolenſis regulus atq; ipſe Borbonius ab Alexio Beccacuto in ceruice vulneratus,nõ procul à rege capiuntur,et nonnulli illuſtres Galli equites cadunt. Magno autem vſui fuit Petiliani aduentus,quo minus qui primò pugnam inierant delerentur. Is enim iam pridem ad Nolam captus,quum in Galliam duceretur,occupatis in eo prælij diſcrimine cuſtodib. è medio tumultu ad Venetos perfugerat,victoſque Gallos & in fugam coniectos nunciando cohortandoque,ne certam victoriam è manibus emitterent,pauidis & dilabentibus animos reſtituerat, ita vt obuios quoſque in prælium nominis authoritate conuerteret. Cæterum Gallos à primo & ſecundo agmine,pulſum fuſumque Italum perſequentes,idem inflatus amnis,ne ſumma victoria potirentur,retardauit:ſicuti paulò antè,ne poſtremæ Venetorum acies primis ſuccederent atque opem perturbatis ferrent,obſtiterat. Verùm pręclare conſtat Gienſem vel cõtra ipſo Triuultio & Franciſco Sicco Florentinorum duce vehementer obteſtantibus,ne occaſionem delendi hoſtis deperire ſinerent, terga dantes perſequi,aut omnino progredi noluiſſe,quòd à conſpectu regij agminis nequaquã temere diſcedendum putaret,incerto adhuc prælij euentu,regeque præſertim

à varijs

à varijs, quanquam planè diſsipatis hoſtium turmis, ex omni parte circumuento. Nec multò poſt coeuntes circa regem plerique duces, receptui cecinerunt, vt coniunctis agminibus & denſata rurſus acie, motum hoſtium expectarent, quum noui atque integri armatorum hoſtium ordines parati ad excipiendam pugnam in vlteriore amnis ripa ſpectarentur: & feſsis equis feſsi ipſi milites requieſcere, quàm palantes perſequi mallent, contenti ſcilicet ea victoria quæ reputatione periculi ſe ipſa maior apparuit: quòd non modò inuito hoſte, ſed eo pulſo proſtratoque iter ipſum, vti inſtituerant, ſibi armis atque virtute parauiſſent. Mantuanus quoque ſubſidijs fruſtra expectatis, quòd reliquę acies ſociorum clade, ac inflati amnis difficultate conterritæ, pugnam detrectarant, ab vltimo abeuntium agmine ſe explicuit: atque amne ęquiorib. vadis ſuperato, ad legatos in caſtra ſe recepit. Hæc eſt illa memorabilis Tarrenſis pugna, qua maiore aliquãto temeritate q̃ ignauia, antiquũ Italicę militię decus amiſimus: cœpimusque cum inexpiabili ignominia noſtra exteris nationibus, quibus modò terrori eramus, contemptui eſſe: ſic, vt eas in quas ſeruiente demum Italia calamitates incidimus, in hunc ipſum adeò lugubrem inauſpicatę pugnæ euentum referamus: & meritò tantarum (quæ mox ſecutæ ſunt) cladium authores diris imprecationibus proſequamur. Quanquam certo planè Deorum immortalium iudicio factum eſſe videamus, vt qui primi execrabili ſceleſtoq; conſilio, patriam terram in has miſerias præcipitarunt, ipſi antè alios, & inſigni quidem exemplo, dignas exitiabili inſania ſua pœnas perſoluerint. Periere eo prælio ex Venetis atq; Sfortianis ſupra quatuor hominum milia, in queis fuere, præter Rodulphum atque Ranuccium, Ioannes Picininus Nicolai clariſſimi ducis nepos, Galeacius Corregius, Robertus Strozza, Alexanderque Beraldus turmarum præfecti: itemque Vincentius Corſus, qui peditum agmen ductabat, & Malſactus & Gabanellus, qui in prætoria cohorte, cum aliâs tum eo prælio maximè eximiæ fortitudinis laudem adepti, euadenti Mantuano ingentibus romphæis ſternendo hoſtes viam aperuerant. In partibus verò Gallorum, præter inconditam lixarum multitudinem, quę ſtragem multò maiorem fœdioremque reddidit, viri fortes circiter mille. Deſiderati ſunt etiam in his Iulianus et Daſonius alarum legati, Vardeusque Hippotoxotarum dux, & ipſe prætorianæ turmæ præfectus, atque item nobiles oppidorum ſuorum nominibus appellati, Torſuenſis, Semplenſis, & Ampracenſis. Sed inſignem omnino iacturam graui cum dolore rex ſenſit, quum ſagittarios corporis cuſtodes fermè omnes, quos remotis equis in pedes deſcendiſſe diximus, interfectos eſſe cognouiſſet. Nec ipſe leue admodum vitæ diſcrimen ſubijſſe fertur, quum perrumpente aciem Mantuano, perturbatoq; toto agmine, penè deſertus obuertendo frõtem, & gladium ſtringendo, propulſantis equi inuicto robore ſe procul dubio ſeruatum fuiſſe fateretur. Cæterùm Carolus, ſignis receptui canentibus, inſignes aliquot ex ſuis ob eximiam ſpectatamque virtutem, equeſtri dignitate donauit. Quod ſtatim fiebat, & maximi honoris loco habebatur, quum rex ipſe gladio diſtricto viri fortis humerum leniter percuſsiſſet. In his fuit Camillus Vitellius, qui fratribus in Liguriam tendentibus, Carolum ſequebatur. Galli ſecundum Tarrum in proximo colle pernoctarunt exuti omnibus impedimentis atque tentorijs, & ad ſummam propè commeatus inopiã redacti. Qui tametſi non dubia potiti victoria effuse lætabantur, paucitati tamen ſuæ magnopere timebant, vel maximè propter ſauciorum ægrorumque

ſtrenui potius equitis quàm prudentis ducis officium impleuiſſe videbatur, tantum tamen aberat, vt eum à funeſto pugnæ exitu temeritatis nomine reprehenderent, vt etiam hac noua probatæ virtutis inuictique animi gloria clariorem factum admirarentur. Nam per ſe vel peramplis aliàs geſtis honoribus maximè clari ſenes, ea tanquam ſummè decora bellicæ laudis acceſsione lætabantur, eiuſque victoriæ magno Gonzagæ auſu propemodum partæ, pernobilem de tanto rege penè capto triumphum aliquorum imperitia, aut ignauia ſibi ereptum eſſe iudicabant. Poſtera die Carolus per Argentonum, quem Venetijs ab initio legationis munere functum fuiſſe diximus, trium dierum inducias poſtulauit. Is cum Roberteto ſcriba regio tranſgreſſus amnem, cum legatis & ducibus collocutus, multa de noui fœderis iniquitate, de ſucceſſu prælij, virorumque illuſtrium cæde, ac demum de euentu totius belli ita commemorauit, vt de pace, ſi per legatos liceret, vti pridie inſtituerat, acturus eſſe videretur. Verùm id colloquij genus eò pertinebat, vt interpoſita pacis mentione, Carolo ſe ad iter expeditum paranti, iuſtæ moræ ſpatium præberetur. Sed is eorum ſermonis exitus fuit, Venetos æquiſsimæ pacis conditiones Carolo regi oblaturos, ſi Oſtia atque Nouaria, vti antè denunciatum fuiſſet, pręſidia deduceret, à populationibus ac incendijs abſtineret, & in Galliam proficiſceretur. Quòd ſi aliena occupando, Italiæ imperium animo volutaret, & propterea antiquæ ſpei inſiſtendum, commorandumque in Italia ſibi eſſe cenſeret, ipſos cunctis opibus annixuros, vt omne Gallicum nomen Italię finibus pelleretur. Itaque eius diei tantum inducię ad ſepelienda cadauera conceſſæ. Quod vbi præconis voce vtriſque in caſtris ſignificatum fuit, Itali Gallis permiſti ad quærendos ſocios ſeſe caſtris effudère. Reperti ſunt ſupra ducenti, & in his Galli aliquot, quos agreſtes, tergora etiam equis detrahentes, nudos & multo luto cruoreque in miſerabilem modum defœdatos reliquerant. Inuentum quoque Rodulphi corpus pluribus honeſtis confoſſum vulneribus, quod Mantuanus in patriam cum multo funeris honore tranſmiſit. Senatus autem Venetus, vti à legatis nominatim acceperat, ijs qui fortiter pugnaſſent, vel egregiè pugnando cecidiſſent, inſigni liberalitate præmia perſoluit. Cunctis enim, & ante alios Fortebraccio, qui grauiter vulneratus vltimus prælio exceſſerat, aucta ſtipendia, honoreſque additi. Cęſorum liberis, qui militiæ ſtuderent, præfecturæ turmarum datæ, filiabus autem dotes, & vxoribus annuæ pecunię in alimenta conſtitutæ. Notati quoque ſunt ignominia pleriq; diſsimulanter potius quàm ſeuerè: inter quos Antonius Feltrius Vrbinas, quum ab alijs accuſaretur, quòd ſubſidio pereuntibus ire, vel tranſire amnem recuſaſſet, miſſionem poſtulauit, veluti iniquè calumniantibus ſubiratus: ne ſi mox Senatus iudicium expectaret, maiorem exiſtimationis iacturam facere videretur. Sequenti noctu Carolus de ſecunda vigilia multis ad fallendos hoſtes ignibus excitatis, nullo tubæ aut tympanorum ſigno, ſed per occultam teſſeram profectione denunciata, caſtris expeditum agmen eduxit, & Aemilia via rectum iter ad Trebiam intendit, tanto vſus ſilentio, vt prius aliquot milia paſſuum ſit emenſus, quàm ab hoſtibus, repentina eius profectio ſentiretur. Luce facta cognitoque hoſtium itinere, Mantuanus Græcorum alas præmiſit, quæ abeuntes perſequerentur. Calatinus quoque & Fracaſsius eius frater cum expedito equitatu, vt nouiſsimos adorirentur, ſubſecuti ſunt. Qui tamen quum Gallis fugæ ſimile iter habẽtibus, maximè nocere poſſent, non modo nullam vim

intulerunt: ſed vti poſtea certiore fama vulgatum eſt, regem ex itinere, ad Derthonam ſalutarunt, atque omnibus rebus & commeatu affatim iuuerunt. Id priuato eorum ſtudio factum eſſe plerique arbitrabantur, quòd Sanſeuerina familia Ludouicum Caroli patrem maximè coluiſſet, & ipſi pauló antè cum Obignino aduerſus Aragonios in Togata Gallia militaſſent. Alij porrò eos Ludouici Sfortiæ iuſsis opportunè paruiſſe cenſebant, qui non minus ſocios Venetos, ſi pleniore victoria potirentur, quàm hoſtes Gallos vel integros viribus ſibi metuendos eſſe iudicabat. Ferunt Gallos in diſceſſu duo grauiora tormenta defodiſſe, quòd effractis rotis conuehi non poſſent, quin & cremaſſe aurata equorum tegumenta, multamque ſuppellectilem: & demum, quod vix credibile eſt, quoſdam ſuę gentis mortiferis vulneribus debilitatos, ne miſerius apud hoſtes perirent crudeli miſericordia iugulaſſe. Cæterum Carolus iuſtis confectis itineribus, præter Placentiam atque Derthonam, nemini inſeſtus, neque ipſe ab alijs laceſsitus, quum paſsim commeatus amicè expoſitus tranſeunti pręberetur, ſeptimis caſtris Aſtam peruenit. Veneti verò Placentię mœnia prætervecti, Claſtidium conceſſere, atque inde Pado ad Caſeolum vicum ponte conſtrato, per Laumellinum agrum ad oppugnandam Nouariam contenderunt.

SECVNDI LIBRI FINIS.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

LIBER III.

SVB idem quoque tempus Tarrenſis pugnæ, nouum bellum conuerſis principum ſtudijs renatum, in Liguria vehementi factioſæ gentis contentione terra marique gerebatur. Nam Philippus Breſsius, & cum eo Iulianus & Paulus cardinales omnibus inferioris oræ oppidis recepti, montanorumque clientum aduentu iuſtis aucti copijs, Genuam vſque proceſſerant, poſitisque ad Terralbam caſtris, qui eſt locus ſupra Feritorem amnẽ, Fregoſiæ factionis ciuium motus expectabant. Interim quotidianis equeſtribus prælijs certabatur: nam ex vrbe Bernardinus Adurnius, corporis atque animi viribus bellator inſignis, & Scaramucia Vicecomes, cum delectis turmis ea porta quæ ad Biſamnem ducit, ita erumpebant, vt ſingulis propè horis cum Gallis equitibus certaretur. Erant Gallo peditum omnis generis circiter ſeptem milia, octingenti equites, tormenta ſeptem, ſed ea ad campeſtres vſus

ſus potius quàm ad muros quatiendos idonea. Quibus de rebus fiebat, vt ſubire tentareque mœnia nequaquam auderent: præſertim quum iam valida peditum atque equitum manus, præter ipſam prætoriam cohortem, è Gallia Ciſalpina in vrbem perueniſſet. Tota igitur victoriæ ratio poſita erat in auxilijs, quæ è diuerſis regionibus expectabantur. Baptiſta nanque Fregoſius in Aſtenſi agro aliquot peditum cohortes & equitum turmas coegerat, quas partim ab Aureliano, qui tum Nouariæ obſidebatur, acceperat, partim ipſe amicorum Cardinaliumque pecunia conduxerat, eo conſilio, vt quum in Pociferam vallem deſcenderet, ab altera quoque parte quæ occidentem Solem ſpectat, vrbs vndique clauſa graui obſidione premeretur. Vitellij quoque iam è Lucenſi agro montes aſperos & Petracroſiæ iuga ſuperaſſe dicebantur. Claſsis item in Rapallino ſinu erat, intenta ad Breſsij ducis imperium, in qua ingens erat copia tormentorum: quibus freti accedentibus vndique auxilijs, maiore demum fiducia vrbem oppugnarent. Quibus cognitis rebus, qui in vrbe erant Fregoſiæ factionis, noua inituri conſilia, & palàm aduerſus Adurnios ex tuto arma ſumpturi videbantur. Præerat Liguſticæ claſsi Franciſcus Spinula, ab oris fuſcedine Mauri cognomen adeptus, vir domi nobilis, & in re nauali peritiæ ſingularis. Conſtabat ea paucis onerarijs, ſed bellico apparatu optimè inſtructis, & triremibus decem, in queis tres erant Aragoniæ à Ferdinando miſſæ, quibus præerat Syracuſius trierarchus. Galli autem octo triremes habebant, & tres galeones militariter exornatos, quod nauigij genus quandam minoris onerariæ, vel erectæ latæque triremis ſimilitudinem refert, veliſque vtitur, & nonnunquam remis: præſertim quum ad captandum ventum, portu vel ſinibus in altum educitur. Galli quoque Rapallo potiebantur: nam cuncta (vti iam diximus) eius oræ oppida ſingulari Fregoſiæ factionis ſtudio eos benignè receperant. Ibique tum tutiſsima in ſtatione, & Breſsij imperium, & captæ demum Genuæ nuncium expectabant. At Spinula qui maritimo negotio intentus, quibus nam modis hoſtes inuaderet, vigilanter agitabat, per exploratores comperit, hoſtium claſſem haud magno diſcrimine poſſe deleri, ſi Galli vno tempore terra marique inuaderentur. Quòd paruam admodum manum quæ claſsi atque oppido præſidio foret, Galli reliquerant, quum ipſis Genuam obſidentibus nihil tale vnquam auſuros hoſtes putarent. Nec mora Adurnios fratres eius conſilij participes facit, ſuadet vt magno auſu vnius noctis opera bellum conficere velint: cuncta proſpera pollicetur, ſi ad fallendum vtrunque hoſtem & ſummo ſilentio, & ſingulari celeritate vterentur. Re comprobata, Ioannes Adurnius & Aloyſius Fliſcus, quos idem locus ſuperioris victoriæ felicitate inſignis plurimum excitabat, ſexcentos veteranos, & ſubitarias cohortes duas claſsi imponunt, ſoluuntque è Genuæ portu de prima vigilia: & Rapallum littoralis auræ beneficio peruehuntur, ea enim noctu maximè ad curſum in quam volueris partem dirigendum, certo velorum flexu ſemper excipitur: Tantaque felicitate adnauigatum eſt, vt nulla eius profectionis fama, tot ſpeculis totque etiam exploratoribus ea littora obſeruantibus, in caſtra peruenerit. Iam cælum inalbeſcebat, quum Adurnius & Fliſcus milites in terram exponunt actuarijs vſi nauigijs, magnarumque præſertim nauium ſcaphis, & Rapallum oppugnare adoriuntur. Fit magna & in claſſe & in op-

pido, vt in re admodum repentina, concurſatio, clamore ſublato prælium in aditu oppidi committitur. ægrè impetum Galli ſuſtinent: acriter tamen repugnant. Spinula cohortandis remigibus intentus, maxima vi aduerſis proris in hoſtium claſſem inuehitur. Iuuat nauticus clamor oppidum à terra oppugnantes: contra illi alacritate pugnandi nauales ſocios accendunt. Dimicatur vtrinque ſumma contentione. Cæterùm terreſtres copiæ ſtratis hoſtibus oppidum irrumpunt, & nauales ſocij Gallorum triremibus potiuntur. Miolanius claſsis præfectus, & Stephanus Vineius quæſtoria dignitate inſignis protinus ſe dedunt, cæteri ad vnum paucis interfectis capiuntur. Videre erat in hoſtium nauigijs, ex Neapolitana præda regalis apparatus, cubiculorum abacorumque ornamenta, aulæa picti operis, intertextas auro lectorum ſtragulas, & plurimam veſtem ſericam nobiliſsimis Scythicarum Martarum pellibus ſuffultam. Itemque armorum tormentorumque ingentem copiam, quæ omnia ſingulari ducum æquitate militibus ceſſerunt. Ea vbi per milites fuga elapſos Gallicis in caſtris ad Genuam nunciata ſunt, Breſsius & cardinales nihil ſibi amplius expectandum rati, collectis repentè nec cõclamatis quidem vaſis, diſceſſere, ſuperatisque Pinnimontis culminibus in Pociferam vallem deſcendere: ea tamen conſtantia atq; ordine, quum properarent iter fecerunt, vt agreſtes plurimos, qui temerè prędantium more è proximis vicis montibúſque decurrerant, conuerſa acie, atque impetu facto paſsim interfecerint: indeque incolumes per tranſuerſos montes in Aſtenſem agrum ſe receperint. Ferunt Auguſtinum Adurnium qui Genuæ prçerat, magnę eo die potiundę nobilis victorię occaſionem ſegniter amiſiſſe, quod patefactis repẽte portis in abeuntes Gallos omnem militum ac vrbanæ plebis turbam erumpere minimè permiſiſſet. Cuius rei conſilium fortaſſe improbandum videri poſſet, niſi vir cautus, & incertum Fortunæ euentum reformidans, abſente fratre, ipſoque præſertim cum militum robore, inconditam paganorum multitudinem veteranis hoſtibus obijcere dubitaſſet. At Vitellij qui iam non longè à Rapallo ſupra Segeſtam peruenerant, de Tarrenſi pugna, & de prælij naualis euentu, deque Breſsij & Cardinalium fuga vno ſimul tempore certius cognoſcunt. Quibus nuncijs perculſi retrò agmen vertere conſtituunt, vt in Lucenſem agrum reuertantur. Sed dum in vnum de itinere conſultant, ſuperuenit agreſtium Ligurum ingens multitudo: itinera obſidentur: expediti Ligures è ſuperioribus cautibus ſaxa ſagittasque ingerunt: nonnunquam ex propinquo protecti ſcutis haſtilia iaculantur. Equitibus iniquiſsimis in locis difficilis receptus datur. Paulus nihil animo perturbatus, Vitellocium fratrem in fronte conſtituit: ipſe in tergo ad cogendum agmen, vbi plus diſcriminis erat, cõſiſtit, confertos denſatosque iter facere iubet; cominus agmen laceſſere audentes facile ſummouet aut interficit. Montani nihilominus inſtare, circumfundi, ſublatis clamoribus vndique premere, iter maximè demorari, aliquos ſagittis, plures vero lapidibus vulnerare. Tandem ad Brachimontis anguſtias perueniunt. Pugnatur ibi acriter, Vitelliani tamen multis vtrinque acceptis vulneribus fortiter euadunt. Is dies equis ac viris longè grauiſsimus fuit: quoniam tanta erat agreſtium multitudo, quum alij poſt alios ex proximis pagis ad præſentis prædæ famam euocati, in viam ſeſe effunderent, vt neque viris neque iumentis vlla requies daretur. Peruenit tamen equitatus incolumis in quandam planiciem nõ longè à Borgeti vici finibus, in qua tum primum equi, quos

fermè

fermè omnes loris trahebant, magno eſſe vſui poſſe videbantur. Hac re animaduerſa Paulus milites admonet, vt fugam ſimulent, Ligures in æquum locum eliciant, & mox cõuerſis equis incautè perſequentes & diſperſos adoriantur. Sed ad recipiendas vires vt tantiſper conſiſtant, & in orbem conglobati lentè admodum pugnent, opportunè præcipit. erant enim duorum fermè dierum inedia, ſiti, vigilijs, caloribus, & continuo demum pugnæ abruptíque itineris labore vehementiſsimè fatigati. Nec multò pòſt veluti ſoluto conſilio, vt in vltima rerum deſperatione fieri ſolet, ſalutem ſibi fuga quærere ſimulant. Id conſpicati Ligures qui paulo antè neque ex propinquo dimicare, neque intra ſagittæ iactum metu baliſtariorum progredi audebant, hac veluti fuga & timore hoſtium audaciores facti, continenti curſu per eam planiciem eos perſequuntur. Tum verò Paulus: Hos inquit latrones quo depopoſcimus lato loco tenemus, vrgete acriter equos, ac in eos quammaximè crudeliter agite, vt tandem præclarè vlti iniurias, hac importuna inſidioſæ gentis multitudine liberemur. Igitur dato ſigno cataphracti abiectis ocreis ac humeralibus, vt expeditius pugnarent in equos inſiliunt. Leuis equitatus tenſis baliſtis, ac infeſtis haſtis conuertitur: omnes vno tempore montanos temerè procurrentes inuadunt: eos facilè diſsipant, & cum magna cæde proſternunt: cæteri per aſperos montes ſe fugæ celeriter mandant. Poſt id factum Paulus pacatiora itinera reperit, & per Lucenſem agrum Piſas ſe recepit. Eodem tempore, & quod maximè admirandum videtur, ipſo etiam die, Nonis Iulijs, quum pridie quoque ad Tarrum eſſet dimicatum, & Gallica claſsis ad Rapallum capta, & Ferdinandus vrbe Neapoli incredibili ciuium ſtudio receptus eſt. Poſt Caroli ſiquidem diſceſſum, Neapolitani ſuopte ingenio nouitate regum, & rerum commutatione gaudentes, quum Gallos iam planè faſtidirent, ad Aragonios rurſus animos inclinarunt. Nam vti quiſque equum inſignem domi habebat, Galli eum tanquam ex Aragonijs ſtabulis abductum imperioſè repetebant, hoſpitabanturque vltrò apud priuatos ciues, quum ſemel hoſpitiorum magiſtri domorum foribus Galli hoſpitis nomen præſcripſiſſent: Quibus admodum graues ac moleſti erant: quoniam gens iracunda, ſæpeque inſolens, & in parando victu cum ex ſuo, tum ex alieno admodum prodiga, apud Neapolitanos frugi homines, ac amœnitatis & munditiarum maximè ſtudioſos cuncta perturbabant atq; fœdabant. Pleriq; etiam aſſueti aulæ regiæ orbatam rege principe ciuitatem, atque omni priſtino decore ſpoliatam ægrè ferebant. quod poſtquam Carolus, qui cunctos & præſertim opifices pecunia in omnes ſumptus largiſsimè profuſa locupletes effecerat, Neapoli diſceſsiſſet, durioribus præfectis perpetuò ſeruituri viderentur. Quibus de rebus per veteres clientes ſuos & quoſdam nobiles Aragonij nominis ſtudioſos Ferdinandus certior factus, ab Aenaria inſula cum roſtratis nauibus Meſſanam adnauigauit, cohortantibus Alexandro Pontifice, & Aſcanio auunculo Cardinale: qui eum tanta indole in ſpem recuperandi regni erectum, vehementi ſtudio magniſque opibus egregiè ſubleuabant: monebantque tum maximè, vt eò trajcere maturaret, poſtquam Conſaluus tanti apud Hiſpanos nominis imperator, ad eum in regnum ac patriam reducendum, ab Hiſpania cum regijs auxilijs in Siciliam perueniſſet. Ferdinandus regio more ſub vmbella ſerica ſingulari Mamertinorum benignitate ſuſceptus,

cum ipſo ſtatim Conſaluo, quibus nam rationibus gerendum bellum foret, conſultauit: accepitque pecuniam ab Alfonſo patre, qui è Mazara videndi filij Federicique fratris ſtudio, Meſſanam ſe contulerat. Is erat lugubri indutus veſte, capilloque in ſacerdotis morem circumtonſo, oculis deiectis, atque animo ad diuinarum rerum contemplationem penitus abſtracto: ſic vt humanis omnibus curis, ipſiſque pariter voluptatibus, quibus antea luxurioſè ſtuduerat, renunciaſſe videretur. Nec multò poſt Ferdinandus atque Conſaluus ſeptingentis circiter equitibus, & peditum Hiſpanorum, & Siculorum quinque milibus in naues impoſitis, è Meſſana ſuperato freto Rhegium traijciunt: ſtatim expoſitis copijs tormentiſque prolatis, vrbem oppugnare adoriuntur. Rhegini, qui ab exiguo Gallorum præſidio, quo minus ſaluti fortuniſque ſuis cauerent, vel ſtudium ſuum in tempore erga regem nudarent, minimè deterrebantur, refugientibus in arcem Gallis, portas aperuerunt. Arx quoque triduo poſt magna vi oppugnata, ac demum fabri cuiuſdam lignarij proditione, dum acriter certaretur, capta: Galliique fermè omnes à muro præcipitati, quòd de deditione, dum cœptas perficerent munitiones, ſimulanter egiſſent: ludificatique diu crebris colloquijs regem, aliquot demum milites incautè ante arcem obuerſatos, tormentis repente emiſſis interfeciſſent. Rhegio recepto Ferdinandus Federicum patruum cum tribus roſtratis nauibus in Apuliam miſit, vt cum Grimano Venetæ claſsis præfecto, Cæſareque Aragonio, & Camillo Pandonio (is enim à Baiazete redierat) aduerſus Gallos bellum adminiſtraret. Grimanus viginti quatuor triremibus, & quinque onerarijs, in queis plures erant Græci equites è Corcyra nuper aduecti, è Brunduſino portu eductis, ad oppugnandam Monopolim contenderat. Ea vrbs ex veteris Aegnatiæ ruinis creuit: tenebaturque tum ſatis valido Gallorum præſidio: nec Monopolitani à Gallorum conſilijs diſſentiebant, quum in factioſa ciuitate alij, qui ab Aragonijs deficiendi authores fuerant, fortiter reſiſtere vellent: alij porrò contrà, ne hiſcere quidem auderent, ne prius à Gallis inimiciſque domeſticis, quàm ab externo hoſte, qui vniuerſis vim inferebat, opprimerentur. Igitur Grimanus, vbi eos neque ſpe optimarum conditionum, neque vllo periculi metu permoueri videt, terra marique vrbem aggreditur, admotis triremium proris, in queis ingentia tormenta erant collocata, magna vi murum quatit. Summa mœnia deiectis pinnis, magnaq; propugnatorum ſtrage edita, defenſoribus nudantur, ab inferiore tamen muri parte Galli reſiſtunt. Petrus Bembus nobilis trierarchus ſerpentinæ ictu interficitur, plerique alij cadunt. Tum verò Grimanus ira accenſus, poſtquàm inquit Monopolitani Gallorum ſerui potius quàm liberi eſſe volunt, obſtinatis pereant animis, voſq; milites ſuis fortunis opulentos reddant: ſtatimque vrbem prædæ militibus concedi, ſi eam egregiè caperēt per præconem tota acie pronunciari iuſsit. Nec mora milites certis veluti præmijs excitati, ſumma alacritate murum ſubeunt, pars ſcalis, pars haſtis connixi, ſubleuatique aliorum humeris in vrbem tranſcendunt. multi ex Gallis Monopolitaniſque cæduntur, cæteri proiectis armis ſe dedunt. Vrbs diripitur, vixque templa, in quæ fœminæ puerique confugerant, ſummo Grimani labore à militum libidine atq; auaritia defenduntur. At Pandonius apud Brunduſium diſpari fortuna cum Aſparra bellum gerebat. nam quum plura oppida eius agri Gallis ademiſſet, & in proſpero rerum curſu verſaretur,

excur-

excurſione ad Miſagnam vicum facta, à viliſsimo aratore vir nobiliſsimus eſt interfectus. Sed Aſparra triduo poſt idem prope vitæ periculum adijt. nam Pandonio eodem & hoſte ſimul & æmulo ſublato, quòd illum Iapygiæ Apuliæ præſidem deſignatum audierat, dum alacrius & incutius per ea loca vagaretur, ab equitatu Aragonio interceptus eſt. Nec multò poſt Cæſar Aragonius copias quas habebat collectitias in Tarentinum agrum adduxit, & Grimanus & Federicus ſuperato Iapygio promontorio in Tarentinum ſinum cum vniuerſa claſſe deflexerunt, ſpe eius vrbis per proditionem potiundæ. Verùm quum appropinquando ac ſeſe terra marique his qui res nouas moliturí dicebantur oſtentando, Tarentinorum voluntatis fruſtra periculum feciſſent, eſſentque à Gallis, & ab arce, & à portu vehementer tormentis oppugnati, conuerſis velis Leucopetram alterum extremæ Italiæ promontorium ſuperarunt: & ſubſidio Neapolitanis rebus (id maximè poſtulante Ferdinando) profecti ſunt. Per eos quoque dies Caietani à Gallis defecerunt. Verùm ea res adeò funeſtum habuit euentum, vt cæteros, quo minus id temerè auderent, deterruiſſe miſerabili exitu viderentur. Sub id enim tempus quo Carolus Neapoli profectus eſt, Galli ad exornandas triremes pecuniam Caietanis imperarant: & ijs maximè nominatim, quos Aragonijs rebus vetere quodam eius factionis ſtudio fauere intelligebant. Ea res omnium propè ciuium animos vehementer commouit, qui non modò Gallos nouis oneribus minimè prægrauaturos ciuitatẽ, ſed aliquid etiam de antiquis vectigalibus liberaliter remiſſuros arbitrabantur: vti omnium fermè populorum mos eſt, qui quum præſentia ſemper faſtidiant, & noua temerè exoptent, intempeſtiuæ cupiditatis pœnas ſæpius perſoluunt. Igitur Caietani inopiam accuſare, teſtari ciuitatem publicè ac priuatim veteribus tributis nouisque ſumptibus exhauſtam, ac demum orare Gallos, ne quam opinionem de Gallici imperij lenitate omnes concepiſſent, eam acerbiſsimo iniuriæ genere fallerent penitus, vel omnino macularent. At Galli quos Belcarius quæſtorum magiſter ad pecuniam exigendam miſerat, quum apertè imperium detrectantes cogendi potius quàm adhortandi viderentur, de capiendis his qui maximè recuſarent, cuſtodiæque tradendis, conſilium inierunt. Sed dum Galli vim parant, Caietani à fœmina quadam, quæ per feneſtram ſermones exceperat, de ea re celeriter admonentur. Quibus cognitis, & ex vultu Gallorum facilè deprehenſis, arma capiunt: Aragonium nomen inclamant: concurſuque totius populi ad templum maximum facto, quod tum fortè ſupplicattones ſolenni pompa circumuallato Dei Chriſti corpore ducebantur, Gallos in arcem compellunt. Eadem die oratores ad Rodericum Monteriſij oppidi regulum, Alfonſi Dauali fratrem, quem Aenariæ inſulæ atque oppido Iſclæ, Ferdinandus præſiddio reliquerat, naue ſpeculatoria mittuntur ad petenda auxilia, quibus ſe ab iniuria Gallorum tueantur. Monteriſius collaudatis Caietanis, biduò poſt trecentos fermè Cantabros, duce Maorio viro peracri, & in re militari terra marique admodum exercitato, duabus carauellis impoſuit, quod eſt nauigij genus ad omnem tempeſtatis vel longinquæ nauigationis contumeliam perferendam maximè idoneum: & ſecundo perflante vento Caietam tranſmiſit. Ex aduerſo Mompenſerius atque Belcarius Neapoli Caietanorum defectione nunciata, vt eos à quibus initium rebellandi

natum erat, quamprimum opprimerent, claſſem quinque onerariarum & quatuor triremium pararunt: in qua Gratianus Guerra cum octingentis militibus fuit: Ioannemque Columnam cardinalem Proſperi fratrem, qui in Fundano erat agro, monuerunt, vt quantas maximè illis in locis copias poſſet, extemplo cogeret, atque eas ad conſtitutam diem dum ipſi à mari vrbem oppugnarent, terreſtri itinerre Caietam adduceret. Nec multò poſt Gratianus idoneum nactus ventum Caietam peruenit, & Roccabertinum natione Hiſpanum cum trecentis peditibus equitum more thoracatis & galeatis non longè à portu in terram expoſuit, iuſsitque vt in arcem, quæ in edito monte ſita difficili peranguſtoque aſcenſu & ſaxeis gradibus aditur, protinus euaderent. Interim cardinalis Columna, qui cum magna manu militum, & paganorum ad portam acceſſerat, hortari Caietanos cœpit, vt arma ponere, redire ad officium ac ſuæ demum ſaluti, & omnium fortunis conſulere vellent, ſe eam apud Gallos obtinere authoritatem, tantis præſertim in eorum auxilium copijs adductis, vt eius inconſultæ rebellionis veniam facilè poſsit impetrare. Caietani qui ſicuti temerè defecerant, ita & inſana obſtinatione conſtantes videri volebant, reſponderunt, ſe nequaquam Gallorum minas timere, paratoſque eſſe operibus oſtendere, quibus animis ſuperbam gentem oderint, quæ adeò auarè imperare cœpiſſet: quóue ſtudio Aragoniorum nomen colerent, quorum lene imperium veræ libertati perſimile ſexaginta amplius annos experti eſſent. Itaque dirempto colloquio, & ſignificatione vndique facta, cardinalis muro ſuccedit. Gratianus ex alto plenis velis portum inuehitur, & ab arce armati per decliuia in vrbem deſcendunt: committitur ſummis in ædificijs cædes: ſuperioraque vrbis ab his quos Roccabertinus deducebat, & plana ſimul circa portum à claſsiarijs puncto temporis occupantur. Paſſim ferox dictis populus, factis autem imbellis, & ſubito timore conſternatus crudeliſsimè trucidatur. magna pars ciuium, qui erumpere aduerſus Columnios decreuerant, apertis portis, & proiectis in terram armis, benignè eos excipiente cardinale, incolumis euaſit. Maorius pariter cum Cantabris ſuis diu in platea cum hoſte præliatus, in contiguam muro & portui domum ſe recepit: multiſque ſuorum amiſsis, & pluribus vulneratis, è ſumma muri parte in ſubiectas carauellas ſaltu ſe deiecit, & admiranda vſus animi fortitudine, expanſis ſubitò velis valido fretus aquilone per mediam Gallorum claſſem erupit. neque triremes, quanquam incitato maximè remigio ſequerentur fugientem conſequi potuerunt, ad multum tamen ſpatium continenti curſu ab vtriſque pugnatum eſt, quum Galli à proris in puppes, & Cantaber ab ipſis puppibus in aduerſas perſequentium triremium proras magnorum tormentorum pilas emitteret. Cæterùm cardinalis vrbem celeriter ingreſſus, quanquam Galli nihil eius viri dignitate permoti, in ipſius complexum fugientes trucidarent, nonnullis etiam in templis apud aras iugulatis, plures tamen conſeruauit, honeſtaſque aliquot fœminas, quarum pudori ſolicitè ſtudebat, è manibus Gallorum eripuit: concluſaſque in ampliſsimam domum, appoſitaque cuſtodia tutatus eſt. Verùm tota vrbe cuncta crudelitatis, auaritiæ atq; libidinis à Barbaris exempla edita ſunt. multæ nanque virgines violatæ, & vni ante alias è nobili Laudatorum familia, dum inuadenti Gallo viriliter reſiſteret, manus præciſæ: duæque aliæ in vltima conſtantia iugulatæ. Viri omnis ordinis ætatiſque quadringenti

genti

genti fermè occiſi: templa omnia cunctis veteribus donarijs expoliata: quæ tanta fuere, vt neque pretiſiora, neque plura vrbs ipſa Neapolis habere diceretur. Ea enim multis ante ſeculis incolarum ac nauigantium pietate accumulata fuerant, dum Caieta, ante iactam molem apud Neapolim, ab ipſa tutiſsimi portus commoditate, veluti totius oræ emporium magna hominum frequentia & opibus maximè floreret. Ea omnia biduo poſt adueniens Belcarius, vt in recenſenda præda quæſtorio munere fungeretur, vix relictis ſanctorum oſsibus atque reliquijs quæ loculis includebantur, in Galliam aſportauit: Ita vt eius iuſſu poſtea apud Inſulam oppidum prope Ararim aurea argenteaque donaria, nefando auaritiæ genere in ſcyphos & pateras conflarentur. Hæc erant, præter vaſa altaribus dicata, ſtatuę paruæ, ſimulachra periculorum, ac nauium imagines, omniumque humanorum membrorum effigies, ſicuti ea religioſi mortales, voto pro ſalute ſuſcepto, Dijs benemerentibus exoluerant. Narrare ſolent Caietani, eos qui manus ſacris donarijs polluiſſent, in extremas miſerias Deorum ira fuiſſe præcipitatos. Nauis quoque oneraria Caietanis onuſta ſpolijs, quę confecto bello in Galliam iter habebat, apud Circeos naufragio perijt, fractaque penitus, atque eiecta in litus circumiectos populos ditauit. Dum hæc ad Caietam, & ad Monopolim atque Brunduſium in Apulia geruntur, Ferdinandus atque Conſaluus Rhegio in poteſtatem redacto, & ad famam noui belli excita Brutiorum iuuentute ad ſanctæ Agathę oppidum caſtra promouerunt, ſtatimque paucis ibi Gallis in deditionem acceptis, oppido potiti ſunt. Horum ſicuti exemplum finitimi, & deſiderio regis & Gallorum tædio abducti, portas aperuere. Proceſſum inde eſt ad Semenariam, Gallorumque turma quæ exploratum incautius exierat, ex itinere ab Hiſpanis equitibus eſt intercepta. Nec Semenarienſes, quin extemplo recipiendus rex foret, dubitarunt. Erat in caſtris Marinus Corealis Terrenouæ regulus, quem ab initio belli conſtanter Aragoniam fidem ſecutum Galli ditione expulerant: eum Ferdinandus de ſe optimè meritum reducere maximè cupiebat, vt in conficiendo bello eius forti ac fideli opera, opportuniſque opibus vteretur, & ſibi præſertim tutum ad claſſem aditum pararet: quòd ad mare iter habenti, caſtella eius certis locorum anguſtijs impoſita, neceſſe erat ſuperare, ad quæ occupanda paulò antè Alfonſum Daualum miſiſſet. Villamarinus enim claſsis prę fectus in portum Herculis, qui hodie Tropea dicitur, peruenerat, atque ibi terreſtris conatus euentum, & quid Ferdinandus, et Conſaluus fieri iuberent, fideli in oppido, & tuta maximè in ſtatione opperiebatur. Decreuerant ſiquidem, ſuperiore Brutiorum regione recepta præſidijſque firmata, nauibus exercitum imponere, & primo quoque tempore Neapolim proficiſci: quoniam rebellaſſe Caietanos, & in agro Romano, Alexandri VI. pontificis Aſcanijque pecunia, copias parari ad præcludendas Sancti Germani ſaltus anguſtias audiebant: ſperabantq; Neapolitanos egregia erga ſe voluntate res nouas primo ſtatim aduentu opportunè molituros. His cognitis rebus Obigninus qui Brutijs præerat, Perſiuum Alegriæ fratrē, finibus Lucanorū euocauit, ac ex omnib. oppidis eius agri præſidia deduxit, coactiſq; Terrenouę copijs, priuſquā hoſtes de Perſiui aduentu cognoſcerent, ad Semenariam profectus eſt, eo conſilio, vt cum Ferdinando quamprimū confligeret: vel ſi ille Semenariæ mœnibus teneretur, neque aperto campo ſe committere vel dim-

care auderet, veluti victor expreſſa hoſtibus ignauia reuerteretur. quod ad populos in officio continendos plurimum conducere iudicabat: prȩſertim quum ex Campania Apuliaque & Pelignis conuentura ſibi auxilia intra paucos dies exiſtimaret. At Ferdinandus qui nondum de Perſiui aduentu cognouerat, & de Obignini copijs quæ pertenues erant, à ſpeculatoribus certior erat factus, quin oppido copias educeret, & aduentanti hoſti obuiam iret, minimè dubitauit. Quoniam quicquid nouȩ exiſtimationis & gratiæ, audendo, & fortunam egregia virtute experiendo paulò ante collegiſſet, vna fœdȩ obſidionis concluſionis infamia conceptiq; timoris dedecore, ſi oppido ſe contineret amiſſurus eſſe videbatur. Conſaluus, cuius animo ea vis exactæ prudentiæ inerat, qua poſtea cæteros ferè omnes noſtræ ætatis duces ſuperauit, monere iuuenem recuperandi regni pariter & parandæ laudis auidum cœpit, atque obteſtari, ne prius oppido exiret, quàm certius de hoſtium conſilio ac viribus cognoſceret. Ea ſatis decora eſſe conſilia quæ dubijs rebus ſecuritatem promitterent, illa vero longe turpiſsima atque miſerrima, quæ ab ipſa temeritate, dum inanem animi vigorem oſtentamus, omnes ſummæ rei conceptȩque demum victoriæ rationes conturbare conſueuiſſent. Ergo inquit Ferdinandus, pari qua regnum amiſimus ignauia, nobis illud erit recuperandum? nec quam ſedendo abſtinendoque a prælijs in Æmilia & in Campania aduerſam ſenſimus fortunam, eam nunc in tam proſperis cœptis agendo audendoque experiemur? Quaſi initia bellorum maximum in reliquos ſucceſſus momentum non habebant, & quæ audacter cœperis, niſi ea perficere fortiter pergas, fœdum ac infelicem exitum minime ſortiantur? Aderit audentibus Fortuna Conſalue, quæ hactenus pro Gallis ſtetit, quum iam cœptis arrideat noſtris, nec quos vltrò ad victoriam vocat, vnquam deſeret, niſi ipſam ignobili cunctatione deſeramus. Videamus aliquando Gallorum ora, quos ſola & ea quidem inanis fama terribiles fecit: & ſtrenuè noſtras atque alienas vires collato pede experiamur. Peditatu & equitatu, hominumque ſtudijs, et ipſo denique Fortunæ fauore ſuperiores ſumus, neque de veſtra virtute erit dubitandum. Quis enim veſtrûm fuerit, qui ſi ſingulari certamine erit depugnandum, ſuum ſibi Gallum vel Germanum hoſtem lȩtus non depoſcat, & egregiè protinus non obtruncet? Ego certè quem primum in acie armis inſignem conſpexero, primus ante alios intenta haſta audacter inuadam, felicique auſu vobis præbebo exemplũ, vt eodem ardore irruentes celerem de temulento hoſte victoriam paribus animis referatis. Erant in conſilio plerique viri illuſtres, qui poſtea ad ſummam rei bellicæ laudem peruenerunt, Andreas Altauilla è pernobili Capuana familia, Vgo Cardonius, Theodorus Triuultius, prætereà ex Hiſpanis Emanuel Benauidius, Petrus Paceus, Alberadus, & Pennaloſa: qui quum prælio decertare magnopere cuperent, Conſaluum orabant, vt militum virtuti diffidere nollet, ſtrenuamque ſe operam nauaturos pollicendo, Ferdinandum vt ſigna portis efferri iuberet, hortabantur. Semenaria edito loco poſita eſt, pertinentque perpetui colles ab oppido ad modicam vallem, quæ humili vado flumen emittit: ab ea patentes campi initium habent, in quos Galli à Terranoua proceſſerant. Ferdinandus per colles agmen duxit: & confectis tribus paſſuum milibus ad amnem peruenit, collocatiſque ad læuam peditibus citeriore in ripa, & toto equitatu in dextram ad alæ ſimilitudinem exporrecto, vt hoſtes amnẽ tranſirent, expectabat. Ex aduerſo Obigninus atque Perſiuus, Heluetios in v-

in ter

nam denſatos phalangē, hoſtium peditibus opponunt. Brutiorum cohortes in tergo tanquam ſubſidiarias collocant: partiunturque inter ſe equites. erant ij cataphracti paulo minus quadringenti: & more Gallico leuis armaturæ bis totidem: quadratoque agmine tranſgreſsi amnem in hoſtes feruntur. Id conſpicati equites Hiſpani concitatis equis alacriter procurrerunt: & quum armis viribusque impares cataphractorum confertam aciem loco pellere nequirent, clamore edito flectere equos, & ad ſuos per gyrum Hiſpanico quodam pugnę genere redire cœperunt. Ea res & peditibus Aragonijs animos fregit, quum ſuos ab hoſte pulſos refugere putarent, & Gallos pariter ad incumbendum incitauit: ita vt Obigninus à dextra & Perſiuus à læua ex ſubſidijs cum ala ſua in pedeſtrem aciem acriter inuecti, eam totam penè prius quam Heluetij a fronte haſtas inclinarent, perturbarint, & compluribus eorum ſtratis penitus diſsiparint. Ferdinandus fruſtra ſuos, vt in pugnam redirent cohortatus, cum familiaribus cataphractis ſtrenui equitis more, in hoſtes incurrit, in aduerſoque inſignis Galli pectore lanceam perfregit: & protinus, quum hoſtium multitudine obrueretur, in fugam ſe coniecit. Fugientem criſtis auratiſque armis conſpicuū multi ſunt perſecuti: ſed nemine eius curſum adæquante, lapſu equi in arctas conciſæ viæ anguſtias præcipitatur. Nec multum inde Galli aberant, quum deſuper equo reſupinato, ſtapedis ac lunatis ephippij cornibus implicito, ſummoque in vitæ periculo laboranti, Ioannes Andreæ Altauillæ frater auxilio ſuperuenit, & memorabili charitate equum obtulit, quo ipſe perniciſsimo ad ſalutem vtebatur. In eum Ferdinandus, vti erat deſultoriæ artis peritia mirè agilis, quanquam grauibus contectus armis eſſet, ſtatim inſiliens, è manibus Gallorum euolauit. Ipſe autem Altauilla in pedes deſtitutus, paulo poſt ab hoſtibus eſt interfectus. Obigninus magna parte peditum cæſa non longè ab eo loco conſedit, ita vt victoria vti neſciuiſſe diceretur, quòd nec tot illuſtres viros, in quibus etiam erat Ludouicus Aragonius Cardinalis, fuiſſet perſecutus, nec ad Semenariam victorem exercitum protinus adduxiſſet. Quo ſpatio & illi cum rege varijs itinerib. incolumes ad claſſem peruenerunt: et Conſaluus oppidum ingreſſus impedimenta, & precioſiorem omnem apparatum aſportauit, Rhegiumque nequicquam poſtea perſequentibus Gallis ſe recepit. Eo prælio re infeliciter geſta, ſecus atque alijs accidit, Conſaluus eximiæ prudentiæ laudem tulit, quod ſuis alieniſque viribus rectè admodum æſtimatis, nihil temerè audendum eſſe iudicaſſet. Apparuit nanque Hiſpanos equites cum Gallis cataphractis minimè eſſe conferendos. vtebantur enim eo tempore plerique corū pro galea linteis tegumentis, ſcutiſque planis è cocto corio, & a ſummo in imū cuneatis: item gladio breui, haſtaſque ſubtili fraxinea, lato præfixa ferro, qua ad medium comprehenſa, erigendo ſeſe ab ephippijs, hemicyclisq; ferreis quos pedibus induunt, hi ſtapedę vulgò appellantur, veluti ex alto ictus inferebant, inermi quidem lethales, ſed armato penitus contemnendos. Ipſi quoque pedites Siculi et Hiſpani Brutijque, pro haſtis denum pedum, & ijs quidem craſsioribus atque fraxineis, quibus Heluetij vtuntur, exiles & breues equeſtribus ſimiles, quas gianettas dicunt, geſtabant: vel haſtilibus latæ cuſpidis & ſcuto rotundo, cuius nullus apud Germanos vel Gallos eſt vſus, inſtruebantur. Quæ omnia demum Italus & Hiſpanus miles, facto ſæpius infelici periculo, penitus abiecit: & quæ ab Heluetijs atque Germanis mutuatus eſt, aliqua ſolerter addendo, in meliorem atque habiliorem formam coaptauit. At Ferdinandus tā-

to accepto incommodo, quanquam, à ſumma ſpe ad extremam rerum diſperationem puncto temporis erat redactus, nihil tamen ſeſe animo demittere: eoſdem propè ac ſi viciſſet, ſpiritus gerere, queri tãtum ſe ſua opinione deceptum, ac nihil de Fortuna dubitare, quæ iam pluribus oſtentis, maturum in regnum patriamque reditum omnino deſpondiſſet. Inerat enim eius animo fiducia quædam fato potius quàm vllis humanis innixa rationibus: adeò vt cuncta quæ amicorum animis obuerſabantur, pericula deſpiceret, ac ſi non modò ciues, ſed & Deos quoque ipſos terra marique præſenti numine adfuturos arbitraretur. Nec ſpes, quanquam temerè concepta, rem extremæ difficultatis atque dementiæ aggredi auſum fefellit. Superato nanque freto, et collectis Meſſanæ circiter ſeptuaginta nauibus, in quas perpauci præter ipſos nautas milites erant, ſecundiſsimis vſus ventis Neapolim peruectus eſt, penè priuſquam certior fama de prælio ad Semenariam facto in vrbem perueniret. Tum vero Galli pariter ac ciuium omnis multitudo ad portus molem effundi, editiora loca ad ſpectandum occupare: alij ad ingentis claſsis ſpeciem metu terreri, alij gaudio exultare, vti quiſque Andegauenſes vel Aragonias partes nouo aut vetere ſtudio ſectabatur. Appropinquabant enim leni perflante Euro excelſæ naues tumentibus velis, veluti congreſſuræ cum Gallica claſſe: quæ nauium genere apparatuque & milite claſsiario ſuperior, Aragonias facile profligare potuiſſet, niſi Galli numero nauium deterriti, quum eas omnes militibus plenas, & ad pugnam inſtructas crederent, portu ſeſe continuiſſent. Ferdinandus præter oſtium Sebeti amnis ad id litus, vbi Diuæ Magdalenæ templum, & veterum regum magnifici operis equilia viſuntur, claſſem deflexit: vt amicis coniuratisque ad nouandas res animos adderet, ſic vt in terram protinus, quum opus foret, ad ferendum auxilium deſcenſurus eſſe videretur. Plerique eum enim frequentibus literis euocarant: pollicitique fuerant ſe conſtanter, quum in conſpectum vrbis veniret, arma capturos, atq; occupata repentè porta aduenientem in vrbem eſſe recepturos. In ijs fuere Andreas Gennarius, Albericus Caraffa, Ioannes Cicinellus, & Cola Brancacius, quorum conſilij participes erant Sangrij, Pignatellique iuuenes, ipſeque Actius Syncerus non minus fide, quàm carminum gloria inſignis. Verùm quum Galli ad primum ſtatim claſsis conſpectum impigrè arma cepiſſent, & ſub ſignis tota vrbe diſcurrerent, nemo omnium fuit, qui ſit auſus quicquam aduerſus Gallum apertè moliri, vel omnino vocem emittere, qua populus ad arma vocaretur. Accidit enim plerunque, vt homines ea conſilia, quæ alacri motu ſummoque animi vigore ante diſcrimen inierint, ea demum in præſenti periculo, quum facto maximè opus eſt, timidiſsimè reformident. Ferdinandus quum diu ab vrbe tumultum aliquem motumque ciuium nequicquam expectaſſet: & ab Alegria, qui ad Magdalenam validam equitum & peditum manum adduxerat, non modò terra prohiberetur, ſed è littore tormentis oppugnaretur: ad Nyſitham inſulam contra Pauſilypum claſſem reduxit: tota tamen nocte è nauibus pariter & è littore, miſsilibus atque tormentis certatum eſt. In vrbe verò Mompenſerius & Salernitanus, diſpoſitis vbique præſidijs, et ciuibus limine ſe tenere, faceſque & lumina è feneſtris proponere iuſsis, omnes regiones obequitarunt. Interim Merculianus inſignis audaciæ centurio, è claſſe in vrbem ad Aragonios occultè peruenit. Qui timidos ſocordiæ caſtigando, confirmando dubios, & valida in claſſe auxilia eſſe prædicando, ea

nocte

nocte magnum opificum numerum ad arma concitauit: & ante alios Raynaldus & Caymus Grandilli fratres in partes pertrahuntur: qui vti erant manu prompti & ſeditioſi, apud ſicarios ac lenones fori incolas, maximam authoritatem obtinebant. Mompenſerius qui aliquam nocturni tumultus procellam timebat, totam noctem in armis egit: quoniam per Andegauenſes fiebat certior parari arma ab Aragonijs, conciliabula paſsim iniri, & denique multorum nobilium aduerſæ præſertim factionis, domos armatis compleri, intentoſque omnium animos eſſe, ac nouarum rerum motum expectare. Quibus adductus rumoribus, quos maximè ſuſpectos habebat, comprehendere cogitauit. Verùm aduerſante Salernitano ac deprecãte, ne temerè tumultus, quem maximè vitandum cenſebat, ſi vim magnis domibus adhiberet, protinus excitaretur, ab his conſilijs abſtinuit. Non multò pòſt tamen miſſus eſt ad Marculianum quęrendum comprehendendumq; Titus Beretarius prętor cum circitore armataque familia, quòd nihil eos, qui in vrbe primarij erant pro ignobili facinoroſoque homine auſuros eſſe putabat. Sed ſecus accidit: nam vbi prætor, inalbeſcente cœlo, cum turba officialium apparitorumque in forum prælatis magiſtratus inſignibus comparuit, extemplo omnes, quum ſe quiſque conſcientia ſcelerum, & nouæ coniurationis ſuſpitione ad ſupplicium peti exiſtimaret, arma cæperunt. neque defuere, qui vexillum Aragonium, quod quidam ſub toga conditum repentè extulerat, haſtæque præfixerat continuò ſequerentur, omneſque Ferdinandi nomen ingeminarent. Ioannes quoque Spinellus ante alios Aragonię gentis inſigne in ſtragula lanea acu perpictum, perticæ induit, & è feneſtra tranſeuntibus ſpectandum magna omnium alacritate propoſuit. Prætor in eo armorum ſtrepitu in fugam conijcitur: Galli obuiam facti trucidantur: vocatur ad arma populus ſonitu campani æris è Laurentiana ſacra turre, in quam Merculianus aſcenderat: maximuſque momento temporis exoritur tumultus, armata plebs ad prætorianam domum concurrit: carceres effringuntur: ſuppellex omnis prætoria, librique publicarum rationum in quos maleficorum damnatorumque nomina erant deſcripta ad abolendam criminum memoriam diſcerpuntur. Domus quoque publica, vbi vectigal exigitur, ingenti copia omnis generis mercimonij referta, eodem auidæ plebis impetu direpta eſt. Caietani quidam aliquot nacti Gallos, qui in templum confugerant, crudeliter interfecerunt, adeò vt exempta morientibus corda immani quadam rabie præ ira ac dolore acceptæ calamitatis dentibus admouerent. Dum hæc in foro geruntur, Grandilli frates ad Carmelitanam portam aduolantes eam occupant: & Alegriam qui ad Magdalenam ea littora tuebatur, vrbe excludunt, confeſtimque è ſumma Carmelitani cœnobij turre circumducto linteo vexillo, regi vt redeat, & celeriter littori adigat naues, ſignificant. Abſceſſerat enim ille paulò ante deſperato introitu mœroris plenus: quòd detectam eſſe coniurationem, & amicos beneuoloſque ſuos à Gallis oppreſſos arbitrabatur. Peruenit quoque ad claſſem expedito peruectus lembo quidam è plebe nomine Monachus, qui Ferdinando optatiſsimũ de tumultu exorto, & ciuitatis incredibili erga eum ſtudio nuncium attulit, ſtatimque ipſe conuerſis triremibus in littus exilijt, & in vrbem receptus eſt, tanto omnium fauore, vt dum certatim nobiles plebeis immiſti ſpectandi gratulaudique gratia coirent, cum equo inſidentem confertiſsima multitudo, in-

pulſu atque humeris in Gennarij domum intulerit. Interea Mompenſerius ab arcis area, vbi Galli ad ſigna conuenerant,qua in forum & ad Vlmi plateam itur, inſtructos, armatorum ordines introduxit. Idem fecit Alegria, qui à Carmelitana repulſus porta relictiſq́ue tormentis, & petitus è muro lapidibus, magno circuitu vt vrbem intraret ad arcis portam peruenerat. Sed Alegria cum ſuis agminibus Catalana regione in mediam fermè vrbem perrexit. Commiſſum eſt magnis clamoribus atrox prælium, populo alacriter Gallorum impetum excipiente: cui ſe ducem præbuerat Ioannes Montanus, qui primus ex omni nobilitate ſublimis in equo & voce manúque conſpicuus, Gallos acerrimè perſequebatur. Dauali quoque fratres Piſcarius & Monteriſius, hic aduerſus Alegriam, ille contra Monpenſerium cum delectis centurionibus, veteraniſq́ue aliquot militibus, vbi plurimum periculi imminere videbatur, adcurrerant. Alegriani quòd Catalana via erat anguſtior, non modò cominus à Neapolitanorum multitudine, verùm è tectis feneſtriſq́ue domorum vulnerabantur. Mompenſerius autem patentem ingreſſus regionem, æquiore conditione ingruentis populi impetum ſuſtinebat, quum etiam curules paruos falcones duos adduxiſſet, qui in confertam hoſtium turbam ſæpius emittebantur. Protulerant Neapolitani vinaria dolia lapidibus ſemiplena, quæ cylindri more in aduerſos Gallos cum magno fragore & ſtrepitu, ad terrefaciendos equos, furcis & lanceis prouoluebant. Carris quoque in viam perductis, & his in hoſtes impulſis, pugnantes tegebant, ſclopettis ſagittiſq́ue, & tum maximè lapidibus inſultantes Gallos repellebant: tantumq́ue loci plauſtris ac dolijs paſſim propulſis occupabant, quantum à reiecta cedenteq́ue Gallorum acie relinquebatur. Ad extremum Galli quum iam adueſperaſceret, ſumma Aragoniorum virtute in arcis aream ſunt compulſi, neque vlterius cedentium veſtigijs inſiſtere licuit, quoniam ab arce tormenta ad exitum regionis collocata, protinus emittebantur. Ea quæ ſecuta eſt nocte, Piſcarius munitiones ſubitarias Gallis oppoſuit. Sequenti verò die multa materia, & vimineis turriculis quas caueones vocant, harena repletis, aditus quoſque qui ab arcis area in vrbem pertinebant, continenti totius populi labore præſepſit, foſſaſq́ue idoneis locis ad concidendos aditus perduxit: ita vt iam Galli vndique clauſi ac circumuallati viderentur, perforatiq́ue ſubinde parietes quibus ædificia ſeparabantur, vt diſcurrendi per contiguas domos militibus facultas foret, & tormenta in occulto collocari ac emitti in hoſtes poſſent. Galli magnum loci ambitum quo ſe tenerent complexi ſunt, ſic vt noua arce, & ea quæ ab ouo nomen habet, & Pizafalconis caſtello, turreque Vicentina & ſanctæ Trinitatis templo, itemque ſanctæ Crucis cœnobio, regiſq́ue hortis continerentur, & aperto in loco poſitis vbique tentorijs tenderent. Erat in arcibus omnis generis commeatus copia ingens: ſed quæ tantæ multitudini minimè ſufficere poſſe videretur: excedebant enim ſex milium omnis conditionis hominum ſummam: nec tantus equorum numerus deſperato pabulo commodè ali poterat. Quibus de cauſis ſæpius equos ignobiles emittebant: & quum Neapolitani certatim ad prædam capiendam munitionibus euolarent, eos deſtinatis tormentorum ictibus, veluti per luſum interficiebant: neque cæteri vnquam temerè pereuntium exemplo, quo minus ad rapiendos equos proſilirent deterreri poterant: adeó-

que

que eduliorum recentium penuria creuit, vt Galli generoſos equos totidem præpinguibus iuuencis permutarent. Tridui ſpatio perfectis munitionibus, Ferdinandus tormenta, quæ nauibus aduexerat, in minori portus mole, & in naualibus, totoque paſsim littore collocauit, vt Gallicam claſſem, quæ intra maiorem molem ſe tenebat, oppugnaret. Nec multò poſt nautis eo apparatu atque periculo territis, tota claſsis ipſo portu celeriter expulſa eſt, intulitque ſe in id maris ſpatium, quod inter Oui arcem & Vicentinam turrim interiacet. Turris tamen quæ portui eſt impoſita, & nocturnum nauigantibus præbet lumen, Gallorum præſidio tenebatur, multaque inde Aragonijs eius cuſtodes detrimenta ſagittis minoribusque tormentis inferebant. Eam Piſcarius oppugnare adortus, difficili periculoſoque certamine occupauit: Quoniam è claſſe circumiectiſque Gallorum caſtellis, frequens emiſſa tormentis pilarum procella, oppugnantes adaperto in loco plurimùm infeſtabat. Galli tamen celeriter turrim, ne ea hoſtis tanquam propugnaculo ad oppugnandam claſſem vteretur, maioribus adactis tormentis diruerunt, in cuius ruderibus noctu Piſcarius munitiones erexit, quarum beneficio milites & in mole tutò conſiſterent, & è munitionum feneſtris naues in anchoris (vti diximus) apud Oui arcem commorantes, directis eò colubrinis perfringerent, atque demergerent. Nec multo poſt Galli, quum ipſorum claſsis è molibus, & ijs præſertim munitionibus, quæ ad Phariæ turris ruinas erectæ erant tormentis peterentur, molem occupare, ac eam à continenti abſcindere, interrupta muri parte decreuerunt. Erant enim (vti diximus) in arce multa hominum milia: & in ijs præter ipſos duces, Mompenſerium, Alegriam atque Belcarium, plerique alarum legati, ſigniferi, & veterani equites animi vigore & rei militaris ſcientia præſtantes: qui ſingulari promptitudine nullis deterriti periculis, apud munitiones omnibus propè horis cum hoſtibus prælio contendebant, atque eas tranſgredi, & in vrbem erumpere conabantur. Igitur omnibus rebus ac maximè animis ad id præparatis, ſcaphas triremium magnarumque nauiũ, tormentis minoribus, ſclopettarijsque & baliſtarijs Vaſconibus complent, & ſuperare molis brachium, ac in ſinum portus deflectere iubent: aliam verò validam armatorum manum, & antè alios aliquot fortes cataphractos, qui dimiſsis equis grauibus contecti armis, pedibus pugnare minimè recuſabant, ab arce quum nihil minus, & præſertim eo tempore hoſtes timerent, repente emittunt, propoſito ſigno, vt omnes vno tempore operam nauarent. Et illi à mari circumductis in portum actuarijs nauigijs, & ij ab arce perruptis hoſtium munitionibus foſſaque ſubitario ponte conſtrata, Aragonios ingenti repentinoque impetu, & magnis clamoribus adoriuntur. Milites, Neapolitanusque ſimul populus ad tumultum excitati impigrè arma capiunt, & ſeſe omnibus vrbis regionibus ad molem effundunt: certatur ſumma contentione; pelluntur Aragonij, & celeriter Galli in molem euolant, vbi Germanorum cohors in ſtatione erat. Hæc quum à fronte acriter ab armatis Gallis vrgeretur, & à tergo, & à lateribus ab ijs qui in ſcapharum claſſe erant, tormentis atque miſsilibus peteretur, milites ſenſim ſeſe recipere, & per interiores molis gradus ſe demittere coacti ſunt, ſic vt è ſuperiore loco Galli alabardis ac lanceis vulnera inferrent, & turbatos, locique iniquitate plurimum impeditos per ſcalas præcipitarent. Res erat in ſummo poſita diſcrimine,

nec iam planè in repentino ac tumultuoſiſsimo prælij genere, oculis aut animo perſpici poterat, quonam modo quibúſue conſilijs, aut viribus periculo obuiam iretur. Nam Galli molem, portum, & munitiones ipſas, tormentaque deiecto præſidio, & pluribus præſertim è Neapolitanis crebra tormentorum emiſsione fœdè miſereque per littus portusque ſpatium interfectis, occuparant, & iam fabrilibus vectibus ac huiuſmodi ferramentis molem, ne in eam à terra aditus foret, abrumpere cœperant, quum Piſcarius laborantibus ſuis auxilio ſuperuenit. Eius aduentu fuga ſiſtitur, Germani animos recipiunt, populus ſpe completur, ac in pugnam redit. nec mora, eo cum ingenti ſcuto diſtrictoque gladio intrepide ante alios prouolante, & Hederlino impigro Germanorum centurione in aduerſos hoſtes ſigniferum conuertente, prælij Fortuna commutatur. Eò quoque rex ipſe cum fortiſsimis familiarium decurrit, ab vtriſque aduentus eius à multo cedentis acclamantisque turbæ fremitu conſpicitur. Aragonij Gallos loco propellunt, connituntur vi facta per eoſdem gradus: multisque trucidatis in ſummam molem celeriter euadunt: Quanquam multi ab omni parte tormentorum pilis ſternerentur: nemoque omnium eſſet adeò forti conſtantique animo, quin terribili earum vndique incidentium violentia non maximè terreretur. Sed qui in ſcaphis erant, ne ſuos hoſtibus in ſumma molis area permiſtos interficerent, continuò ab emittendis tormentis abſtinuerunt. In earerum commutatione ſpes atque animus Gallis repentè concidit: nam qui modò alacriter atque audacter occupandæ molis negotium ſuſceperant, tantamque rem fortiſsimè peregerant, quum ingruentes Aragonios neque corporibus neque animis ſuſtinerent, trepidanter de fuga conſulere cœperunt. Itaque alij pugnantes cadunt: ingenti ſaltu alij in ſubiectas ſcaphas ſe conijciunt: alij ab hoſtibus in exterius mare præcipitantur, è quibus plures armorum pondere deprauati, vel à ſocijs natandi imperitis demerſi pereunt: pauci ad triremes enatant. Eo prælio deſiderati ſunt è Gallis aliquot viri fortes: ſed multo plures è Neapolitanis, qui ab initio tumultus, improuiſo periculo temerè ad littus ac in ipſum portum deuolarant. Marcellus quoque Columna nobilis atque impiger adoleſcens in facie ſclopetto grauiter eſt vulneratus. Is dies longè omnium periculoſiſsimus fuit: nam in ea adeo repentina Gallorum eruptione, tantaque ancipitis pugnæ difficultate, Ferdinandus cum vitæ tum vrbis amittendæ incredibile diſcrimen adiuit, quum in eo tumultu ab aduerſæ factionis hominibus, Gallicum nomen inclamaretur. Sed eius facinoris initium ſtatim oppreſſum eſt: primusque omnium qui eam vocem ſuſtulerat, Leonardus Blancus, in furca ad alios deterrendos laqueo ſtrangulatus eſt. Galli poſt id factum, quum eruptionem ſæpius improſperè tentaſſent, & prolatis vndique munitionibus indies arctius atque validius concluſi eſſe viderentur, & iam planè ipſorum etiam confeſſione circumuallati eſſent, ad emittenda mortaria ſe contulerunt. Ea ſunt patuli atque ingentis oris tormenta, quæ ſiliceam pilam tripedalis ambitus in ſublime iaciunt. Eorum pilæ quum ab alto cadunt, domorum tecta cum magna contignationum ſtrage, ad infimas vſque teſtudines perforant, apertis autem in locis, & ſolo præſertim ſtrato illiſæ, ipſo caſus impetu perfringuntur, fruſtulisque in diuerſa diſsilientibus, obuios mortales miſerabilibus plagis deformant atque interimunt. Nec interea ab tormen-

tis muralibus, quæ editioribus ac opportunis trium arcium locis erant collocata, vllo diei noctíſue tempore ceſſabatur. Quibus non modò milites ſtationarij, ſed vrbana plebs & fœminæ in tectorum ſubdialibus, domeſticis officijs occupatæ, a Gallis veluti per iocum ac voluptatem petebantur. Monterisius Piſcarij frater, dum incautius in aggere verſaretur, maioris ſclopetti ictu altero genu debilitatus eſt. Ex aduerſo, Aragonij pluribus tormentis, quæ ipſi præter naualem apparatum ex collectitio cupro Neapoli confeciſſent, vel mutuo à Pontifice & a Liguribus accepiſſent, quotidie magna Gallis detrimenta inferebant. Nam & pontem nouæ arcis qui ducebat in Cittadellam, ingenti murorum ruina edita diruerant, interfecerant pleroſque ex occulto certis falconum ictibus: & propugnacula demum ipſa pinnarum corona penitus enudarant: ita vt nemo editis in locis conſpiceretur. Excogitati quoque erant plutei ex craſsis aſſeribus: culcitris atque centonibus protecti, quibus tormenta occultabantur, ijque ductiles erant, vt quum emittenda forent tormenta, attolli & deduci celeriter poſſent, priuſquam à Gallis ad fumi flammarumque indicia ſedulò collimantibus tormenta ab arce in vinearum feneſtras conijcerentur. Galli nanque ante plutcorum vſum, interfectis aliquot tormentorum magiſtris ferreas pilas in ora tormentorum ad ea perfringenda, deſtinatis ictibus adegerant. Per eos dies quum Aetiops ſeruus, qui tum apud Gallos erat, ſe incenſurum Gallicam claſſem & aditum Aragonijs in ſanctæ Crucis templum ſe ſtatuta nocte præbiturum polliceretur, Piſcarius tantæ indolis atque virtutis dux, in ipſo ætatis flore, eius nefarij hominis ſingulari perfidia crudeliter eſt interfectus. Nanque ille peregregius proditor, perfidia planè ſeruili & pluſquam Punica, quum doli ac inſidiarum ordinem Gallis detuliſſet, & ab his opimo præmio ditaretur, Piſcarium intempeſta nocte ad colloquium euocauit, euadentemque militari ſcala in ſummam hortorum maceriem, & in caput exporrectum, ſagitta lunata repente emiſſa iugulauit. Corruentem familiares qui aderant, quum fruſtra erigere conati eſſent, ipſum iam exanimem ſcuto impoſitum extulerunt. Tantus verò mox luctus eius viri morte per vrbem multorum planctu ac lachrymis enunciata, ciues æquè ac milites occupauit, vt ea nocte ſpes omnis partæ iam propè victoriæ amiſſa eſſe, ac denique ipſa Neapolis ab hoſtibus capta videretur. Galli quoque eius perpetrati facinoris certiores facti, ne vllam rei bene gerendæ occaſionem prætermitterent, Alegria duce in conſternatos metu ac dolore Aragonios eruperunt: multiſque interfectis, & cæteris in fugam coniectis tormenta & militum tentoria occuparunt. In tanto repentinóque tumultu ac fœda omnium fuga, populus impigrè arma cepit. Rex quoque cohortantibus maximè Proſpero Columna, Vgoneque Cardonio, dolorem ſcilicet ipſo metu vincente, cum cuſtodibus corporis ad ferendam opem ſuperuenit. Ibi pugna admodum cruenta magnis vtrinque clamoribus collato pede, ac dubio ſæpe euentu commiſſa eſt. Alegria enim, vt partum virtute locum tueretur, acriter repugnare, modò vrgentibus cedere, modò collectis viribus redintegratoque impetu incumbentes propellere: ipſe in prima fronte verſari, ſtrenuamque adhortando ac pugnando operam nauare. Ad extremum Gallorum impetus egregie ac

fortiter eſt repreſſus, quum Aragonij pudore ſimul ac dolore incitati, quòd & locum vbi tendebant, & publicum apparatum priuatamq; ſuppellectilem amiſiſſent, in prælium reuerterentur, Germaniq; denſatis cuneis hoſtium aciem perrumperent. Gallis intra veteres eorum munitiones compulſis, tormenta omnia & tabernacula, resque militum magna ex parte recuperatæ ſunt. Ea die Alfonſus Toraldus vir nobilis ac ſtrenuus, tormento è Vicentina turre emiſſo, dum in pugnam deferretur, interfectus eſt. Mortuo Piſcario, quum Ferdinandus ob atrocem caſum hominis ſibi omnibus fidei ac amoris officijs coniunctiſsimi, incomparabili dolore premeretur, pluresque dies colloquio hominum, & publico abſtineret, Proſper adminiſtrandi belli curam ſuſcepit. Tranſierat is relictis Gallis multum antè ad Ferdinandum hortatu Pontificis, & Aſcanij maximè cardinalis, cuius conſilia ab initio fuerat ſecutus: ſpoponderatque Fabritium Columnam patruelem ſuum ſimiliter cum his quas haberet copijs in partes protinus eſſe tranſiturum. Sed Fabritius ne alieno arbitrio de his rebus, quæ fidei ac decoris curam exiſtimationémque reſpicerent, conſilium capere videretur, apud Gallos aliquandiu militare perſeuerauit, continuitque in fide Gallorum aliquot Campaniæ oppida, & Hieronymum Tuttauillam Aragoniorum ducem in Venefranis campis tumultuario prælio fudit. Cæterùm Fabritius, Aſcanij Ferdinandique, & totius demum Columniæ familiæ precibus fatigatus, Aragonijs partibus adhęſit: vtque arctiſsimo amicitiæ vinculo regi iungeretur, Victoria eius filia tùm prima Ferdinando Piſcarij filio adhuc infanti, deſponſata eſt: quam poſtea altitudine virilis ingenij, & literarum elegantia cæteras noſtræ ętatis fœminas ſupergreſſam, plerique ſunt admirati, quum pariter vir eius Ferdinandus ante alios rerũ ſtrenuè geſtarum gloria maximè floreret. Certabatur quotidie ad Citadellæ muros: conatique ſunt Aragonij ſæpius tranſcendere hoſtium munitiones, ſed ea res ſemper multis illatis acceptiſque vulneribus improſperè tentata. Narciſſus demum Æthruſcus mirabilium operum machinator, & agendorum maximè cuniculorum artificio inſignis, ingenium ſuum proſternendis Cittadellæ muris Ferdinando obtulit. Nec multo poſt ſinuoſos cuniculos ſubter ima fundamenta, occulto multorum agreſtium labore per noctem excauauit, plurimóque ſulphureo puluere repleuit. Quibus perfectis operibus, quum Aragonij quotidiana conſuetudine ad munitiones ſucceſsiſſent, & Gallos ad locum defendendum ſuo impetu procurrẽtes in ſummum murum elicuiſſent, Narciſſus opportunè cuniculis ignem intulit, extemploque horribili fragore edito, totus ab radice murus cum miſerabili ſuperſtantium Gallorum clade reuulſus atque diffractus in interiorem partem procubuit. Tum verò Aragonij per ruinas ſigna intulerunt, & Gallos tantæ atque inopinatę cladis miraculo perculſos, inſtando cædendoque in fugam verterunt: ſtatimque omnibus in opere verſantibus munitiones proferri cœptæ: ac tantum ſpatij intra hoſtium ſepta occupatum eſt, quantum temporario aggere, priuſquam Galli à timore ſe reciperẽt, tormentaque dirigerent, complecti potuerunt. In his adminiſtrandis, Dimaſius Recaſſentius minore tormento ictus eſt, plerisq; alijs ex militum ac Neapolitanorũ turba vulneratis atq; interfectis: Ita tamẽ, vt nemo ab inſtituto opere diſcederet, vel ipſo vitę diſcrimine permoueretur. Ad primas verò noctis tenebras cõcurſu vndiq; facto, multiplicatisq; operis, munitiones erectę perfectęq; ſunt: nam ſicuti Galli in ipſa noctis obſcuritate ictus minimè certos inferebant,

ita

ita in opere Aragonij ardentiore ſtudio, & minore cum periculo verſabantur. Dum Galli ad Neapolim circumuallantur, Mantuanus & Galeacius Sanſeuerinus Nouariam graui obſidione premebant. Primo enim aduentu, Derthona atque Alexandria vrbibus certo peditum equitumque præſidio firmatis, aliquot caſtella circa vrbem, quæ à Gallis tenebantur, in poteſtatem redegerant, & in his Caſalogianum, Burgarum, & Vercellenſi via quinto ab vrbe lapide Arcomarianum, ſic ab arcu victoriæ Caij Marij nuncupatum, qui patentibus illis in Campis, Cimbrorum ingentes copias memorabili prælio ſuperauit. Galeacius quoqne Sanſeuerinus, cui Contarenum cum Græcorum alis ab initio ſe coniunxiſſe memorauimus, equeſtribus prælijs proſperè ſæpius factis, Gallorum eruptiones repreſſerat: receperat ſuburbanos vicos, & oppidum, quod vulgò Lumen omnium dicitur, expugnarat. Eo enim loco oriundus fuit Petrus Lombardus, qui quum rudi illo ſeculo ſacros libros grauibus commentarijs illuſtraſſet, ſententiarum Magiſter, & Lumen omnium eſt appellatus. Quibus de cauſis Galli duobus magnis circumſeſsi exercitibus, quanquam ſæpe erumperent, & pecus vndique raperent, commeatuque nonnunquam ab amicis noctu ad vrbem conuecto iuuarentur, multarum tamen rerum inopia laborabant. Immaturas enim ſegetes incumbentibus Sfortianis raptim ſuccidere coacti fuerant, & frumentum, ſi quod ex priuatis horreis vetus habebant, id lapideis in pilis contundebatur. Quoniam Ogonia, Terdubioque & Mora ſuburbanis amniculis aliò auerſis deriuatisque, frumentariæ molæ aquarum impetu deſtitutæ, aut à militibus perfractæ, penitus inutiles reddebantur. Idque ſolum in nobilium menſarum vſum veniebat, quod truſatilibus molis quotidiano labore terebatur. Multitudo autem militum ac ciuium, ipſaque iumenta propter pabuli ordeique inopiam tritico cacabis excocto veſcebantur. Sed ante alias difficultates ſumma vini penuria, ſublata præſertim omni ſpe propinquæ vindemiæ, animos Heluetiorum Gallorúmque perfregerat. Ipſe Aurelianus, quanquam quartanæ morbo implicitus, ſingulari animi virtute ſingulos conſolando, & celeriter ventura auxilia pollicendo, rerum propè omnium difficultatibus occurrebat. Erant in vrbe præter Nouarienſium cohortes publice conſcriptas, equites vtriuſque armaturæ ſupra mille, Heluetiorum circiter quinque milia, duce Antio viro fortiſsimo, cui à lauto conuictu Anauolebano cognomen fuit: cæteri erant Subalpini pedites & Galli ſagittarij, quos Ludouicus Salaſſus adduxerat. Dum Carolus modo in Aſtenſi agro, modo Taurini in maximis æſtatis caloribus ſtatiua haberet, amoreque Annæ Soleriæ nobilis matronæ captus eſſe diceretur, vſque adeò molliter animum ætate ad voluptates facilè pronum remiſerat, vt à totius belli cogitatione planè diſcederet: & regij concilij proceres, vel tædio diuturni belli, vel repetendæ patriæ deſiderio ducti, de ſuis obſidione liberandis tepidiſsimè loquerentur. Nec deerant qui Aureliani gloriæ atque amplitudini nequaquam occultè obtrectantes, turpiter inuiderent. Quibus ille tot aduerſis rebus permotus, ad regem ſcripſit vno argumento & pluribus exemplis, vt ab vno ſaltem tabellario, ſtationes atque cuſtodiæ fallerentur: vt tum proſperè accidit: namque altero intercepto, alter incolumis ad regem peruenit. His literis ſuam & tot fortiſsimorum militum ſalutem demiſſè atque

ſuppliciter commendabat, pertinere ad publicam Gallorum exiſtimationem, & ad ipſius præſertim regis dignitatem, cuius maximè commodo atque iudicio Nouariam cepiſſet, defendi ac liberari præſidium, in quod, ſi aliquorum malignitate vel incuria & flagitioſis conſilijs deſereretur, Itali acceptæ cladis memores, crudeliter eſſent ſæuituri. Nouarienſes enim, qui ſummæ fidei eſſent, & milites, qui ſumma conſtantiæ laude aſpera omnia paterentur, propter commeatus inopiam iam propè ad rerum omnium deſperationem perueniſſe, neque iam vlla re magis eorum corpora atque animos ſuſtineri, quàm certa ſpe ipſius regis aduentus, ſi exercitũ à Vercellis admoueret, & hoſtes perterritos, quos modo ad Tarrum latè profligaſſet, ex compoſito aggrederetur, ſe continuo erupturum cum octo milibus pugnaciſsimorum hominum, egregioque facinore edito victoriam eſſe geminaturum. Carolus ad ea, ſalutem ſibi cordi eſſe reſpondit, vel eius ſibi arcta affinitate coniuncti, vel de ſe optimè meritorum militum: neque paſſurum vnquam, vt detrimentum aut vlla ab hoſtibus contumelia acciperetur: Acciuiſſe nuper ſe ex Heluetijs pedites, & è Gallia equites cataphractos in ſupplementum exercitus: Sperare ea auxilia perquam maturè conuentura. Quæ vbi applicuiſſent, extemplo caſtra promoturum, daturumque operam nauiter, vt Itali fœda fuga obſidionem relinquerent: vel ſi conſiſtere atque opperiri ipſius aduentum vellent, infeliciter Gallorum virtutem iterum experientur. His literis pro concione recitatis, Aurelianus militum pariter ac ciuium animos mirificè confirmauit: eoſque ad inſtitutas in portis ac mœnibus munitiones celeriter perficiendas accendit. Ipſe importunæ valetudinis nullam excuſationem accipiebat, quin vigilias inſpiceret, circuiret vrbem, operibus vacaret, ſingulaque militiæ munera die noctuque incredibili tolerantia, vbique multus exequeretur. Sæpè quum milites videret recentium carnium deſiderio teneri, eoſque incommode ſalitis veſci, præſertim quòd in medijs æſtatis feruoribus vino penitus carerent, minus generoſos equos occidebat, ita vt diſſectos per centurias æqua diuiſione militibus largiretur. Nouo quoque inuento, vt eis de ſtipendio cauere videretur, quum ſumma pecuniæ inopia laboraret, æreos denarios pro argenteis cudebat, & data fide totidem argenteos perfecto bello ſe redditurum pollicebatur. Per eos dies a Senatu Veneto Mantuanus cum multo verborum honore, quòd ad Tarrum pro dignitate totius Italiæ ſtrenuè dimicaſſet, Imperator eſt appellatus. Nec multo poſt Georgius Hemus, Petruſque Marcellus imperij militaris inſignia, argenteum ſceptrum, & vexillum auratum in caſtra detulerunt. Secundus verò honos in exercitu Petiliano datus, ſic vt tum Veneti duob. decretis, & grati animi & ſingularis prudentiæ laudem apud omnes tuliſſe viderētur. Exarſit inde ſeditio militaris inter Italos atq; Germanos ob ignobile ſcortum, quo die res in ſummum penè diſcrimen adducta eſt, quum irarum cauſæ mutuis cædibus creuiſſent, & ab vtraque gente in auxilium ſuorum armatæ acies adcurrere properarent. In eo tumultu Mantuanus validam equitum ac peditum manum, vias quæ ad vrbem ferrent inſidere iuſsit, vt ſi forte Galli in ea tam diri tumultus occaſione erumperent, paratis oppoſitiſque præſidijs in vrbem repellerentur. Ipſe porro in medios Germanos intrepidè procurrit, eóſq; fratres & cõſanguineos appellando, ac deprecando, ne tãtum facinus in ſocios admitterent, facilè prœlium iam multorũ cęde atq; vulneribus cruentũ diremit.

Erat

Erat enim Mantuanus Germana matre genitus, plurimamque ex ea ſanguinis affinitate apud eius gentis milites authoritatem obtinebat, quam & ipſe miris artibus adaugere erat ſolitus: ornabat enim ſæpe eorum centuriones atque ſigniferos varijs muneribus: immiſcebatque ſeſe gregarijs militibus incredibili comitate: ſed incorrupto ſemper ducis ac principis honore: adeò vt nemo tam ferus eſſet ac turbidus, qui ea humanitate, ſed maximè inſigni liberalitate, qua vir ille maximos etiam reges ſuperauit, minimè flecteretur. Græcos quoque equites, qui Dodum ipſorum præfectum, quòd auarè ac inſolenter ſecum ageret, interficere, & ad hoſtes transfugere cogitarant, placando largiendoq; in fide continuit, ijsq;, exauctorato Dodo, vt Contarenum Græcę peritũ linguæ, & honeſtum in primis ſtrenuumque hominem Senatus præficeret, impetrauit. Quibus beneficijs adeò ſibi Græcorum animos deuinxit, vt in poſterum fideli fortique ſemper eorum opera maximè vſus, ampliſsimum ſequentibus bellis victoriæ decus compararit. Iam plures dies in vaſtandis agris obſidendisque itineribus conſumpti erant, & æſtas iam præcipitarat, quum certis rumoribus ac nuncijs affertur, ex Gallia nouum aduentare equitatum, & magnam Heluetiorum multitudinem Graias alpes tranſcendere: iamque Vercellas à Fuſio regulo atque Triuultio aliquot turmis atque cohortibus eò adductis, occupatas eſſe: vrbemque eam bello ſedem fore, in quam rex propediem eſſet conceſſurus, vt inde coactis in vnum copijs, ex propinquo obſeſſæ Nouariæ opem ferre maturaret. Quibus animaduerſis periculis, Mantuanus & legatos coràm, & Senatum ac Ludouicum Sfortiam per literas docuit, quanto cum diſcrimine ſummæ rerum ſibi res futura eſſet, ſi cum diuerſis hoſtibus ancipiti prælio dimicare cogerentur. Proinde delectibus vbique habitis maioribus copijs exercitus firmare maturarent, nec vllis parcerent impendijs, quando iam propè ad finem laborum eſſet peruentum. Quum enim auctæ vires nouis auxilijs forent, ſe protinus adiunctis Sfortianis propius vrbem moturum caſtra, ac tum ex tuto maiora tormenta prolaturum, ne aduentante rege, ſi obuiam iretur, ea protinus ſubita tot obſeſſorum hominum eruptione raperentur. Sperare ſe interea vel hoſtes vltima famis neceſsitate ſubactos, deditionem eſſe facturos: vel ſi rex ad ſoluendam obſidionem adproperaret, eum ſummo cum detrimento, vel ſingulari cum infamia Vercellas eſſe rediturum. Nec multo poſt quum ab omnibus eius ſententia probaretur, ex Germania Georgius Petraplanius vir domi nobilis, & multis militiæ geſtis clarus, cum delectis cohortibus in caſtra peruenit. Venere quoque Ludouici pecunia conducti Germani equites quingenti, duce Brunſuico regulo, & ex ea gente tria milia peditum. tota autem Italia vtriuſque armaturæ equitatus & pedeſtres paſsim copiæ conſcribebantur: ita vt vno fermè tempore Gallorum auxilia Vercellas applicarent, & in caſtra ad Nouariam vndique in ſupplementum copiæ mitterentur. Interim oppidum Brionia, quæ præſidio Gallorum defendebatur, cum arce expugnata eſt, interceptiq; ſæpe commeatus, quorum vectores in prȩaltis furcis, vt obſeſsis ſpectaculo forent, ſuſpendebantur. Vaſtatus quoq; ſubita incurſione ager Vercellenſis, et abacta ingens pecoris copia. Quoniam Allobrogum principis vxor, tum vidua, Gallis ſecus ac ſe facturam ab initio promiſiſſet, apertè fauebat, Vercelliſque Gallicas copias receperat. Venit etiam in caſtra Ludouicus Sfortia, & cum eo Beatrix vxor, in cuius gratiam Mantuanus vniuerſum exercitum inſtructum, ac

omnibus inſignibus exornatum, in pompæ morem circunduxit atque recenſuit. Ferunt qui longè omnium pulcherrimo ſummo ordine incedentis exercitus ſpectaculo interfuere, nũquam poſtea vel ampliores vel ornatiores copias vnis in caſtris in Italia fuiſſe conſpectas. Erant enim paulo minus quinquaginta milia delectorum hominum, exceptis etiam militũ miniſtris. Ipſe quoq; Ludouicus tametſi in toga melior habebatur, quòd ſtatura erat geſtandis armis idonea atque decora, armatus prodijt, Galeaciumque ducem ſuum, quòd verſicolore ſagulo Gallorum more indutus erat, acerbiſsimè caſtigauit, veluti ille proprium faſtidire habitum, ac hoſtilem proferre atque imitari velle videretur. Laborabant obſeſsi in dies magis ac magis rerum omnium inopia: & iam plerisque continuò fabæ ac furfuracei panis vſu tabeſcentibus, ac morbis ſubinde per corpora hominũ vulgatis, regia auxilia deſperabant: quum inſeſſas vias, occupata oppida, exercitus adauctos, tormenta Mediolano aduecta eſſe conſpicerent. Quibus de cauſis nocturnos ignes in turribus excitare, ac tormentorum ſclopis certo ordine ac numero editis, omnibusque demum fumo ac vexillis, ſignificationibus factis, ſuprema rerum ſuarum pericula regijs exprimere, ac maturam opem implorare cœperunt. Quo pudore adducti Gallorum duces, validam peditum atque equitum manum cum ſarcinarijs iumentis, & multo commeatu Nouariam intempeſta nocte introducere ſtatuerunt. Sed Mantuanus per exploratores de eorum aduentu certior factus, in omnes partes præſidia diſpoſuit: cunctaque itinera celeriter occupauit. Progreſſusque ipſe ante alios quum ſemiarmatus ſomnum caperet, & plures equos die noctúque per vices ephippiatos & frenatos contineret, prȩter Arcum Marianũ media in via conſtitit, quò protinus Græcorum alæ & Germanorum cohortes decem accitę fuerant, eo conſilio, vt ſuis, ad quos hoſtes verterentur, quum opus foret, ſubſidio protinus aduolaret. Galli præter oppidum Lumen omnium, & Monticellum pagum itinere capto, in eas turmas quas Colleonij Bergomates ductabant, inciderunt, ſtatimque, vt eorum mos eſt qui in furto deprehenduntur, viribus atque animo conciderunt. Nec mora, quum ignota in regione denſisq; in tenebris errabundi diffugere conarẽtur, cocuntibus vndiq; Venetis ac Sfortianis, tota ea manus diſsipata captaq; eſt. Poſt id factũ Mãtuanus, vt acrius hoſtes vrgeret, cœnobium diui Nazarij, quod mœnibus erat propinquum, occupauit, Caroloque Meliteo cuſtodiæ præpoſito, foſſa atque aggere locum egregie communiuit, vnde ſine periculo collocatis pluribus tormentis, multa detrimenta obſeſsis ex ipſa præſertim ſacra turre, templique faſtigio ſæpius inferebãtur. Ab eo loco, quum fortè Mantuanus ad inſpectandam munitionem quam ad extremum ſuburbanorum tectorum caput Aurelianus erexerat, cum aliquot centurionibus proceſsiſſet, viſa eſt occaſio eius munitionis occupandæ, ſtatimque ipſo cohortante, Gorlinus Rauennas cohortis prȩfectus, vir impiger in eam tranſcendit. Galliſque intra portam compulſis totam eam munitionem, quod ex materia ceſpiteque conſtabat, protinus incendit. De prima vero vigilia, quum minus Gallorum tormenta in tenebris timerentur, ſuburbana ædificia & alteram munitionem, quæ ante Agapitanam portam conſtructa erat expugnare adortus, Iacomatio Veneto & Petro Dalmata fortem nauantibus operam, pari felicitate in poteſtatem redegit. Sed dum Dalmata portarum fores concremare conaretur, ob idque incautius propugnaculum ſubiret, tormento traiectus interijt. Ibi etiam Antonius Faber & Ioannes Feltrius

ſtrenui

ſtrenui centuriones, ſagittis conſauciati ſunt. Sequenti quoque die, quum eum ſuburbanorum ędificiorum tractum ad cohibendas Gallornm eruptiones mu niendum, præſidioque firmandum omnes cenſerent, & ibi Petilianus multus in opere verſaretur, minoris tormenti plumbea glande, nequicquam tegentibus eum armis, in rene dextro grauiter eſt vulneratus, ſic vt cum maximo omnium dolore extremum vitæ periculum adire videretur. Aurelianus eo ſucceſſu hoſtium erumpendi ab ea parte facultate ſublata, ne ſimili quoque audacia à reliquis portis ſuburbia occuparentur, ea omnia ſæuo conſilio diruit & incendit. Interim duobus ingentibus tormentis idoneo in loco conſtitutis, maioribusque mortariјs ſæpius emiſsis, & muri pariter & interna vrbis ædificia diruebantur: dabatque operam aſiduè Mantuanus oppugnando acriter, atque omni ex parte vrbem præſidiјs circa proxima templa collocatis circuendo, ne alicunde commeatus importaretur, portarumque egreſsibus conciſis atque aggere obſeptis, vt omnis vndique exitus hoſti præcluderetur. His cognitis rebus, Galli qui Vercellis erãt, copias eduxerunt, & trans Seſithen amnem quarto ab vrbe lapide apertis in campis caſtra poſuerunt: quum ſperarent hoſtes timore eorum aduentus adduci poſſe, ac eos properè copias atque tormenta longius ab vrbe remoturos, in vniuerſiq; futuri certaminis caſum animis ac virib. intentos, ſolitam cuſtodiarum acſtationum diligentiam eſſe remiſſuros, donec Carolus cum tota mole exercitus aduentaret. Sed Mantuanus munitis caſtris ſingulari animi magnitudine atque conſtantia, eodem loco conſiſtere minime dubitauit, quanquam à multis, qui magnam militaris prudentiæ opinionem adepti videbantur, vt ſeſe reciperet tormentaq; retraheret, ſollicitè moneretur: quoniam ſupra viginti milia Heluetiorum ex nouis delectibus, & validum equitatum Aurantio duce ad Carolum perueniſſe didicerant. Ipſe enim in conſilio palàm apud gregarios etiam milites reſpondebat, ea ſibi maximè ſalutaria conſilia videri, quę impauidi animi & bellici decoris plena ſpectarẽtur: ſpem enim & metum bello natura æqualiter eſſe diuiſa, ſed eum ſemper euadere victorem, qui prima alieni pauoris ſigna deprehenderet, & inclinatis protinus inſtaret: neque enim vlla ſatis valida, ſemel conuerſis ac reſpectantibus, vel amnium, vel montium eſſe munimenta: proinde eius fœdi conſiliј obliuiſcerentur, & ſe duce de matura cumulataque victoria minimè deſperarent. Cęterùm Sforτiani eam vrbem à Venetis expugnari & diripi nolle videbantur, ne capta funditùs deleretur: vniuerſæque item pugnæ euentum magnoperè formidabant, ne ſi victi forent, cæteras protinus vrbes amitterent: vel ſi victoria potirentur, Veneti rerum omnium arbitri fierent, & in ea victoria pro vetere libidine totius Italię Imperiũ vſurparẽt. Per eos dies Nicolaus Annonius & Ioannes Comes ad caſtra vſq; hoſtium prouecti, equeſtri pręlio proſperè dimicarunt, cognitumq; eſt à captiuis Regem adhuc Taurini conſidere: ſed propediem cum reliquis copiјs in caſtra proficiſci, & prælio decertare ſtatuiſſe. Sed non multo pòſt Argentonus ad Mantuanum præconem miſit, monuitque, ſi Veneti de pace loquerentur, futurum eſſe, vt neque regem neque proceres ab honeſtis conditionibus alienos inuenirent. Quamobrem quum in caſtris pacis nomen gratiſsimis omnium auribus exciperetur, ſequenti die miſſus eſt Vercellas Albertinus Boſchetus perſpicaci vir ingenio per cauſam viſendi filiј apud Triuultium aduerſa valetudine laborantis, qui apud hoſtium duces, accuratè voluntates eorum explorando, certas de pace conditiones proponeret.

Is poſtero die retulit, Gallos haud grauatè in colloquium deuenturos: duxítque in caſtra Araldum regium cum quo de die ac loco futuri colloquij, comitumque numero ſtatueretur. Nec multò poſt Mantuanus fide data atque accepta, in campum patentem ad inſidias minimè ſuſpectum, fermè medium inter vtraque caſtra eſt euocatus. Eò conuenere Aurantius princeps, Gienſis, Argentonus, & Pienes regij cubiculi præfectus: ad hos quoque Triultius, Camillusque Vitellius & plerique nobiles equites armati galeatique, veluti prælio foret contendendum. Ex altera parte Mantuanus cum Contareno illuſtribusque alijs alarum præfectis prodijt, paucisque de cauſa ſermonibus initis, quòd nec Aurantium Latinam planè callebat linguam, nec Triultius interpretis munere feliciter eo tempore fungeretur, de inducijs tranſactum eſt, vt eæ decem dies manerent, quo temporis ſpatio commodè de pacis conditionibus ageretur. Ipſique interim Veneti ac Sfortiani ab oppugnatione penitus abſtinerent, pariterque Aurelianus munitiones, quas intra murum diligenter extruebat, ſtatim intermitteret, atque alimenta dietim obſeſsis præberentur. Ea vti acta erant Aloiſius Aduocatus, & Phœbus Gonzaga caſtrorum præfecti, cum præcone Gallo vrbem ingreſsi, Aureliano minoribuſque ducibus renunciarunt. Quibus ea omnia læto animo comprobantibus, Italis poteſtas eſt facta, vt quotidie munitiones inſpicerent, ne quid eis adhuc imperfectis per noctem occulti nouique operis adderetur. Biduò poſt Ludouicus à Mediolano in caſtra ſe contulit, miſitque ad regem, Franciſcum Bernardinum Vicecomitem, & Hieronymum Stangam, qui ſumma ad componendam pacem mandata deferebant. Verùm in colloquio, vbi omnes ferè proceres erant, Briſonettus cardinalis durior eſt inuentus: vtpote qui cunctas iniurijs eo bello acceptas feruido quodam ingenio recenſeret, & conditiones ſummæ iniquitatis proponere videretur. Quamobrem rebus tum infectis, paulò poſt Argentonus, Gienſis, atque Pienes, vt coràm cum Ludouico Venetisque legatis diſceptarent, in caſtra venerunt. Ab ijs impetratum eſt, vt Aureliano eundi ad regem poteſtas foret, ea conditione, vt ſi pax ad exitum perduci minimè poſſet, cum eodem quem educeret comitatu ad reliquam eius belli fortunam ſubeundam in vrbem reuerteretur. Poſtulabat Gallus ante alia, vt Veneti Ferdinandum contra ſe Neapolitano bello, claſſe vel copijs terreſtribus iuuare nollent: Sed Senatus, quem legati per literas conſulebant, perplexè admodum reſcribebat, Venetos quandiu Carolus à ſociorum rebus abſtineret, regium eius nomẽ culturos ſemper, atq; amicitię iura ſyncera fide ſeruaturos: negabantq; legati pertinere ad eam, quam Galli cum Ludouico tractarent pacem, vt alicui nouo fœderi Senatus Venetus alligaretur, qui ei quod nuper cum Cæſare Maximiliano, & Ferdinando Hiſpaniarum rege, pontificeq; Alexandro, & Ludouico Sfortia ictum eſſet, ſe ſtaturum inconcuſſa fide promiſiſſet. Pprrò Ludouicus, quanquã & regis & procerum ſummam eſſe voluntatem, vt res non iniqua conditione componerentur, haud obſcurè intelligebat, atq; ob id eos de grauibus ipſorum poſtulatis diſputando renuendoque aliquid remiſſuros eſſe prouidebat, tamen tanta erat animi ſollicitudine, vt nunquam poſtea adeò ſecunda ſibi hominum ingenia fore putaret, vt eo periculoſi belli diſcrimine ſolutus & incolumis eriperetur: adeoque anxiè & cupidè pacem petebat, vt Ferdinandi Aragonij cauſam minimè reſpiceret

& ſe eius

& ſe eius auunculum eſſe, dum priuatim ſibi conſulit, penitus obliuiſceretur. Itaque per idoneos homines, re ſæpius accuratè atque ſubtiliter pertractata, Galli ad ſextum Idus octobris his conditionibus pacem cum Ludouico pepigerunt, vt cuncta præſidia vrbe Nouaria ac omnibus locis, quæ Ludouici ditionis fuiſſent, continuò deducerentur, ducentaque milia aureorum nummûm, quæ Rex à Ludouico fratreque eius Aſcanio cardinale, ab initio belli mutua ſumpſiſſet, duabus penſionibus redderentur. Ludouicus verò Genuenſem arcē Herculi Ateſtino ipſius ſocero, cui Carolus maximè fidebat, regio nomine cuſtodiendam traderet. Gallis item Genuæ quantam vellent claſſem parare liceret: & quas naues apud Rapallum Adurnij, Liguréſque cepiſſent, reſtituendas curaret, Ferdinandumque Aragonium ante omnia eo bello contra Gallos, copijs, claſsibus, pecuniáue minimè iuuaret. Poſtremò quinquaginta milia aureorum nummûm impenſę nomine Ludouico Aureliano perſolueret, & captiui vtrinque redderentur. Nec multò poſt Ludouicus Salaſſus & Anauolebanus Heluetius vrbe præſidium eduxerunt. Fuere equites omnis generis duo mille octingenti & quadraginta ſex: pedites verò ter mille & ſexcenti triginta quatuor, præter eum numerum quem antea per inducias ad regem profectus ſecum Aurelianus adduxerat. Eorum equi magna ex parte ſtrigoſi extremaque inedia & macie conſumpti erant: ipſa autem virorum corpora fame enecta, & triſti pallore miſerabilem in modum adeò deformata viſebantur, vt priuſquam Vercellas peruenire poſſent, plures in itinere paſsim interirent. In hunc modum rebus compoſitis, Mantuanus quum à legatis facilè impetraſſet, vt ſibi Carolum adire, atque ei coram priuato nomine pacem gratulari liceret, Vercellas cum ornatiſsimo comitatu ſe contulit, exceptuſque eſt à Rege Galliſque proceribus ſingulari humatate: certatumq; eſt vtrinq; muneribus. nec Mantuanus regiæ ceſsit liberalitati: nam quum duos eximiæ proceritatis equos, quorum alter mille aureis venierat, dono accepiſſet, aliud ipſe nobiliſsimum equorum par regi dedit, quorum alter ſpadiceo erat colore, natus in Calabris, qui incredibili ad ſeſſoris nutum agilitate, & in gyros circumflexus, & curſu ac ſaltibus incitatus, ſtupentibus Gallis regem magnopere delectauit. nemo enim totius Europæ regum ea tempeſtate, Mantuano, omnis generis militares equos vel plures vel nobiliores alebat, quòd magno ſumptu ad propagandam ſobolem, ex omni vel tranſmarina prouincia conquiſitis equabus admiſſarijs, domi greges miro feliciq́ue prouentu inſtituiſſet. At Ludouicus Carolo in Galliam profecto, legatis vti maximè debebat ingentes gratias egit, quòd imperium in tam repentino belli turbine iam propè amiſſum, non minus ipſorum virtute quàm publico Veneti Senatus præſidio confirmatus, maturè atque feliciter recepta Nouaria conſeruaſſet. Nec multò poſt Mantuanus copijs vltra Ticinum Abduamque traductis, atque in hyberna dimiſsis, ſecundo Pado Venetias enauigauit, vbi Auguſtino Barbadico cum vniuerſo Senatu in Buccintoria naue longè ornatiſsima obuiam prodeunte, tanta ciuium alacritate atque frequentia ſuſceptus eſt, vt ea innumerabiliũ cymbarum multitudo, iuſti ac ſpecioſi triumphi, vel inſignem pompam ſuperaſſe videretur. Dum hæc ad Nouariam geruntur, Florentini multò acrius quàm antea cum Piſanis bellum gerebant. Enimuerò quum ſe Gallica fide, regijſque promiſsis planè deceptos conſpicerent, quòd diſcedente rege neque vrbem neque arcem tradidiſſet, omne ſtudium ad parandas ampliores copias contule-

runt: conductusque eſt liberali ſtipendio Guido Baldus Vrbini princeps, & plerique minores duces cum delecto equitatu, pluribusque peditum cohortibus: quibus in vnum locum adductis, & paratis maioribus tormentis, ad oppugnandum Ponteſaccum contenderunt. Erant in oppido circiter ſexcenti viri fortes, & in his Galli pedites fermè centum, qui magna vi reſiſtendo: & ab interiore muri parte munitiones ſumma celeritate ac induſtria extruendo, ſeſe perquam egregiè tuebantur, expectabantque auxilia à Piſanis; qui ſtatim cognito ſuorum periculo, omnes copias vrbe eduxerant, magnamque agreſtium armatorum multitudinem ex proximis Arni Serchijque vallibus euocarant: & apud Caſcinam cum Vitellijs fratribus, qui tum permittente Carolo Piſanorum ſtipendia merebant, vires in vnum conferre, & ſubſidio ſuis proficiſci decreuerant. Sed dum hæc pararentur, Ponteſaccenſes biduò continenter oppugnati, quum & ſtrata mœnia, & foſſæ vndique faſcibus virgultorum ac ruinis completæ, & loca interioris munitionis plurimum infeſta hoſtium tormentis forent, deſperatis auxilijs deditionem fecerunt, ea conditione, vt incolumes abire permitterētur. Sed nec fides integrè ſeruata eſt. Nam Franciſcus Montedolius, quem primùm in Lucenſi agro vulnera ſuſtuliſſe, & cohortem ſæuientibus in eam crudeliter Gallis amiſiſſe memorauimus, ira præferuidus ad vlciſcendam iniuriam, omnes ad vnum Gallos, nequicquam prohibentibus ducibus, trucidauit. Capto Ponteſacco Guidobaldus eodem circumlato belli terrore, Maluetio & Vitellijs nequaquam campo ſe committentibus, per eam regionem liberè vagatus eſt, Lariumque & Pecciolum, & quædam minora in collibus caſtella in poteſtatem redegit, murisque ea oppida penitus nudauit, vt incolæ ſublata mœnium fiducia, in poſterum ſi quis ex ipſa rerum mutatione caſus incideret, certius in fide continerentur. Nec multò poſt Toianum & Lecolum recepta: quaſſataque eſt Lecoli turris, & quum aliquandiu pertinaciter defenſa, victoris arbitrio dederetur, Zaninus Sampetrius cuſtos, & qui cum erant Piſani milites, quòd obſtinatis animis ſe defendiſſent, Ioannes Ricaſoli legati Florentini ſæuitia, ab ipſis muri pinnis ſuſpendente laqueo præcipitati ſunt. Sequenti die ad Palaiam exercitus eſt deductus, admotisque muralibus tormentis, ea die & quàm acerrimè oppugnata, Piſanis nequaquam opem ferentibus, quòd viribus impares egredi Caſcina, & offerre ſe pugnæ caſibus nolebant. Quamobrem Palaienſes, præſidiarios qui apud ſe erant milites, obnixè deprecati, ne pertinacius reſiſtendo Florentinorum animos ad ſui tectorúmque excidium irritarent, ſeptimo die ſe dediderunt. His rebus geſtis, duces legatique Florentini Vicopiſanum magno apparatu oppupnandum eſſe cenſuerunt. Id oppidum collibus adiacet, alluiturque Arno amne, qui eo in loco maximè tortuoſus peninſulam efficit: ab ea autem parte quà Bientinam ſpectat, campi ante alios eius regionis ad equeſtres pugnas maximè idonei patefcunt: ad interiorem verò oppidi angulum quadrata exurgis turris, ab eaque lapideus murus initium capit, qui oppidum vndique circundat, & frequentibus munitus propugnaculis in iuſtam magnitudinem attollitur. His in locis Lucius atq; Vitellij, qui cum delecta parte copiarum ad oppidum defendēdum adcurrerant, magnam vim omnis generis tormentorū, & ante alia ingentem colubrinam ſumma in turre collocarunt; cuius pilæ ferreæ ſexaginta pondo, ad duorum miliarium ſpatium certis prope ictibus emittebantur. Quibus rebus ad defenſionem egregiè præparatis, quum Florentini in conſpe

ctu oppidi caſtra poſuiſſent, prolatiſque tormentis murum quatere cœpiſſent, tanta pilarum vis ex oppido emiſſa eſt, vt tabernaculorum & equorum atque hominum fœda ac miſerabilis ſtrages ederetur: ita vt multi viri fortes omnibus horis paſsim occiderentur, quum nec vineas nec iuſtas munitiones quibus ſeſe ac tormenta de more protegerent, erigere vel proferre tutò poſſent. tantus enim omnes ab tormentis metus inceſſerat, vt milites ante ſua quiſque tentoria, ad excauandas foſſas, atque aggeres priuatim extruendos omne ſtudium conferrent. Piſani quoque noctu ſæpius erumpebant, & eos qui in excubijs & ſtatione erant, audacter inuadebant: excitatis vero tumultibus, quum neceſſariò ad arma conclamaretur, & ignes vndique totis caſtris ad præbendum lumen circumferrentur, qui in turribus erant tanquam ad propoſitum ſignũ tormenta protinus emittebant. Interdiu autem ſubiectis in pratis ab equitibus concurrebatur iniqua Florentinorum conditione, quum Piſanis vel pulſis vel cedentibus inſiſtere tormentorum metu nequaquam auderent, & illis ſub oppidum tutiſsimus receptus præberetur. Tantis affecti incommodis Florentini, expugnatione oppidi deſperata, nacti obſcuram noctem, vt fuga tegeretur, ſilentio extinctiſque ignibus ad Albaretum ſupra Arnum amnem caſtra reduxerunt, adeoque trepidè ac feſtinanter agmen his locis eductum eſt, vt nec more militari tabernacula incenderent, nec ipſi duces funalia præferrent, & magnum numerum haſtarum ligonumque, & plures carros relinquerent. Nec multo poſt Florentinis perſpectis eius belli difficultatibus, cum Carolo, dum ille apud Taurinum in æſtiuis eſſet, fœdus renouarunt, promiſeruntque, ſe, quandiu à Gallis in Italia bellum gereretur, copijs, & certa præſertim menſtrua pecunia regias partes eſſe iuuaturos: Rex verò per nuncios literaſque curaret, vt omnes, quas tum Galli tenerent Æthruriæ arces, Florentino populo certis legibus redderentur: iuberetque Vitellios, qui apud Piſanos militabant, vt in Florentinorum caſtra protinus tranſirent, eorumque auſpicijs aduerſus Piſanos bellum ſtrenuè atque fideliter adminiſtrarent. Nec Vitellij quin regijs epiſtolis eſſet parendum quicquam dubitarunt: ſtatimque ex Caſcina Pontaderam, vbi tum Florentinorum erat exercitus, profecti ſunt, datis ad Piſanos literis, quibus in excuſationem repentini diſceſſus, ſe eius ſacramenti militaris, quod Carolo regi antea dixiſſent, religione teneri, ipſorumque fidem veterib. regijs ſtipendijs obligatam eſſe perſcribebant. Salentius quoq; Liburni præfectus, accepta à Florentinis donatiui nomine ingenti pecunia, arcem reſtituit. Quæ res Piſanorum animos, & eam ſpem præſertim, quam de regis erga ſe voluntate anteà conceperant, magnoperè debilitauit, quanquam Antracius, qui Piſanæ arci præerat, nunquam ſe eam, iubente etiam rege, Florentinis redditurum eſſe iureiurando polliceretur, Erat enim Antracius ex clientibus Ludouici Ligninij, qui Briſſonetto cardinali admodum erat infenſus, quòd eum Florentini ante alios proceres delegiſſent, pecuniaq; donaſſent, vt patrono ſummę authoritatis vterentur, quo fauente Piſanam arcem reciperent. Ob id Ligninus Antracio ſcripſerat, vt ſuo potius commodo ꝙ alienæ auaritiæ conſuleret: at ea ſpe Florentinos omnino fruſtraretur. Quin etiam per ſe Antracius Florentinos oderat, quòd Gallos ad Ponteſaccum facta deditione trucidaſſent. Piſaniſque mirificè ſtudere videbatur propter Delantiam Piſanam nobilem puellam, quam impotenti amore deperibat: ipſoſque Piſanos, ſi partam libertatem tuerentur, perpetuos Gallorum clientes futuros exiſtimaret. Quibus de cauſis,

quum Lillenſis nobilis Gallus, qui Briſſonetto affinitate erat coniunctus, cum regijs epiſtolis in Florentinorum caſtra perueniſſet, & de recipienda arce per internuncios Gallos ageretur, Antracius per ſpecioſos verborum circuitus reſpondebat, ſe quum teſſeram, quam in ſignum regiæ voluntatis accepiſſet, ſibi remiſſam conſpiceret, neque ſuo officio neque ſuæ exiſtimationi eſſe defuturũ. Ita vt quum nihil abnuere videretur, Florentinorum animos in ſpe potiundæ arcis egregia ſimulatione contineret. At Piſani quum ad eam noui fœderis famam à Carolo ſe planè deſertos intelligerent, & non modò libertatem quam rege authore receptam fatebantur, ſed & ſalutem ſuam detractis Vitelliorum auxilijs, atque his acerbiſsimo hoſti adiunctis, penè proditam viderent, ad Ludouicum Sfortiam Venetoſque legatos confugerunt, miſſo ad Nouariam in caſtra Syluestro Pogio, viro inter patritios ſpiritu atque eloquentia maximè inſigni: qui admiſſus in prætorium talem habuit orationem. Niſi ad eos, qui ſe libertatis publicæ vindices, non ipſo tantùm ſpecioſo nomine, ſed clariſsimis etiam factis profitentur, pro tuenda libertate confugeremus, nobis profectò ad cauſam ſummæ æquitatis explicandam, commouendoſq; animos veſtros, longiore accuratioreq; oratione opus eſſet. Nemo enim quę fortuna Piſani populi fuerit per ſeptuaginta amplius annos, quibus Florentinis ſeruiuit, prorſus ignorat, quum demum, qui paulo antè vbertate agri, maris opportunitate, nauali gloria, ædificiorum pulchritudine, ciuium virtute, opibus ac inſtitutis, florẽti quondam vrbi Romæ exęquari poſſe videbamur; ad extremum deſerti à ſocijs, & a ſæuiſsimis hoſtibus ſubacti, à tanto rerum faſtigio in eas luctuoſæ ſeruitutis miſerias cecidiſſemus. Nobis hercle, non vnius hominis, cuius auaritia, crudelitas atque libido, aliquando vel Deorum reſpectu, vel metu hominum, vel ipſa ſatietate finiuntur, dominatus erat ferendus: ſed ab infinita propè multitudine, quæ tyrannorum mores prorſus induerit, perpetua ſucceſsione, omnis generis iniuriæ & calamitates patiendæ erant: & quod miſerias accumulat, compreſſo animi dolore ſuſtinendæ: ſic vt nemo Piſanorum, aut priuatim aut publicè lætitiam, pacem, requiem, vllo vnquam tempore ſibi expectandam arbitraretur. Quum Florentini vno conſenſu per manus tradito, malignè conſpirantes, antiquitati & decori vrbis, ciuium fortunis, alienæq; demum induſtriæ plurimum inuiderent: noſq; paulatim omni honore ac omnibus priſtinæ felicitatis inſtrumentis ſpoliarent: maritima negotiatione ante omnia fuit interdictum, mox ademptus ager, pręſcriptæ leges, vectigalia noua excogitata, arces ceruicibus impoſitæ, & cuncta demum veteris dignitatis iura, commoda, ornamenta, impotenti rabie penitus ablata. His tantis ærumnis & cladibus deformata ciuitate, factum eſt, vt nobiliſsimi quique Piſanorum, qui neq; ſeruire, neque patriæ interitum oculis intueri poterant, paulatim in alias terras, natali ſolo, paternis domibus, maiorumque ſepulchris ſponte relictis, emigrarint. adeoque ciuitatis facies paucis annis immutata eſt, vt nemo Italus vel externus, ſi fortè Piſas repeteret, reperiretur, qui antiquæ amplitudinis ac opulentiæ recordatione, miſerijs noſtris non illacrymaret: & ſimilem quoque cladem ipſis Florentinis, qui adeò inclementer atque crudeliter imperarent, imprecaretur. Itaque nobis in luctu ac mœrore vitam traducentibus, Gallorum aduentus occaſionem præbuit repetendæ libertatis: Dijſque bene iuuantibus fortiter iugũ excuſsimus, ac publice ſacramento adacti, fortunas, corpora, atque animos pro libertate deuouimus. Neq; hactenus tot eorum minæ, tot inſidiæ, totq; hoc in-

terne-

ternecino bello armorum conatus nobis obfuerunt: melioribus enim auſpicijs libertas defenditur, quàm eripitur. Viri hercle fortes, emori potius liberi, quàm ſerui cum ignominia viuere didicerunt. Nam ſi per ſe indignum eſt, & miſerum alienæ libidini ſeruire, etiam illud longè grauiſsimum Piſanis videtur eorum ferre iugum, qui neque vetuſtate originis, neque bellica virtute, neque vlla in re ſibi omnino conferendi eſſe uideantur. Quid enim magis intolerandum eſt, quàm vt Florentini libertatem illis inuideant, qui ante Florentiã conditam liberi florenteſque fuerunt? Idque in alio ferendum velint, quod ipſi penitus reformidant & excutiunt? Ipſi inquam Mediceos, qui nunquam niſi ſumma cum moderatione atque modeſtia publicis rebus præfuerint, quíque patriam egregijs omnium virtutũ monumentis exornarint & illuſtrarint, ferre non potuerunt: nos illos, qui ad vrbis noſtræ luctum, miſeriam, vaſtitatem nati eſſe videntur, æquiſsimis animis feremus? Hinc quoque eorum impudentiam inſanamque cupiditatem agnoſcere poteſtis, quum ſceleratis conſilijs, & vt iſperandum eſt, funeſtis, nullo totius Italię, vel ſalutis, vel dignitatis reſpectu, ipſi Itali contra Italos cum barbaro rege ad ſubigendam vaſtandamq; Italiam fœdus percuſſerunt, & tot principum fœderatorum authoritate atque potentia inſolenter contempta, pecuniam ei ingentẽ numerarunt: auxilia, commeatus & tranſitum redituris barbaris obtulerunt: ſcilicet vt vos his in caſtris oppreſſos, fugatos, et vrbibus veſtris expulſos videant: aut certè hunc veſtrum, parata iam victoria, de exactis Gallis, liberataq; Italia triumphũ retardent ac interpellent. Quibus de cauſis ęquiſsimũ videtur, vos pręcipuè Venetos qui per octingentos annos auguſtum libertatis nomen religioſè coluiſtis, & fortiſsimè defendiſtis, eorũ fortunę miſereri, qui à vobis opem implorant, vt libertatem, quam vi ſibi ereptam, Deorum beneficio recuperarunt, liceat retinere. Tè quoq; Ludouice Sfortia, qui & iure hoſpitij quum exulares, & ſanguinis affinitate quæ maiores tuos reſpicit, & veteris patrocinij Vicecomitũ, in quorum clientela ſemper fuimus, haud obſcura neceſsitudine Piſanę ciuitati cõiunctiſsimus exiſtimaris, vehemẽter obſecramus, vt nos liberos & incolumes eſſe velis. Quod facilè præſtabitur, ſi auxilia nõ modò de libertate, ſed de vita retinenda dimicantib. opportunè ſubmiſeris. Quæ etiam optimo iure tibi eſſent propere tranſmittenda, ſi nos neq; clientes tui eſſemus, neq; vllum libertas noſtra vel amiſſa vel retenta, ad vniuerſi belli fortunã inclinandam momentũ haberet. Nõ modò enim aduerſus cõmunis totius Italię fœderis hoſtes, publicęq; ſalutis oppugnatores neceſſaria ac iuſtiſsima arma ferrẽtur, ſed in eos etiam, qui ab omni hominũ annaliumq; memoria infeſti maiorib. tuis fuerũt, quiq; Gallos & Germanos, infeſtiſsimas Italico nomini nationes, in Italiã euocarunt, vt Vicecomites domo regnoq; expellerent: et florẽtiſsimã Italię partẽ, externis feriſq; gentibus inuadẽdam poſsidendamq; pręberẽt. Si veſtra igitur intereſt, vt ij qui quũ primũ nos expugnarint & oppreſſerint, ad vos extemplò oppugnãdos perdendoſq;, opes, conſilia, arma ſint conuerſuri, proprio bello diſtineantur, noſtroq; periculo reprimantur, opem ferre maturetis oportet: nam ſi ſalutem clientium veſtrorũ neglexeritis, audacia profectò hoſtium in immenſum ſucceſſu creſcet, nec facile poſtea, quũ adaucta mala ingruerint, cõmunibus periculis occurretis. Porrò ſi veſtro beneficio erimus conſeruati, non modò quas dederitis leges læti accipiemus, ſed in ditionem poteſtatemque veſtram vltrò concedemus. omnis enim reliqua vitæ conditio, modò Florentinis minimè ſeruiamus, ſum-

ma nobis erit libertas. eorum ſiquidem iugum nemo vnquam viuus ſubibit: nã ſi à vobis deſeremur, egregiè moriendo ſaltem aliquem à virtute conſtantiaque animi perennis gloriæ fructum feremus, & memorabili interitu Piſanos minimè ſeruire voluiſſe teſtabimur. Ludouicus Venetique legati, qui antea intercepto Florentinorum nuncio cum publicis literis, eorum conſilia planè cognouerant, Piſanos bono animo eſſe iuſſerunt, polliciti q; ſunt eorum libertatis ac ſalutis ſe precipuã habituros curam, et propediẽ cum auxilijs Fracaſſum San ſeuerinum eſſe tranſmiſſuros, iniuncturosque Adurnijs fratribus, vt in parandis atque adminiſtrandis his rebus, quæ bello vſui forent, amicè ac liberaliter Piſanis adeſſent, atque eos terra marique, quantis maximè poſſent opibus iuuare maturarent. Nec multò poſt Gerardus Boncontes Piſanus, qui Taurini apud Carolum legatus fuerat, ab Genua trecentos pedites & tormentarij pulueris ſagittarumque & armorum omnis generis magnam copiam, duabus biremibus Piſas aduexit, confirmauitque ciuium animos, quum Nouariam iam prope fame ſubactam eſſe, nec Gallos obſeſsis opem ferre, duobus magnis oppoſitis exercitibus, auſuros prædicaret, affirmando breui futurum, vt Florentinos initi cum Gallo fœderis omnino pœniteret. Quando cæteri Italiæ principes, pulſis Gallis, in eos tanquam publicæ libertatis proditores, arma protinus eſſent conuerſuri. Itaque Piſani ſublatis animis in tam propinqua ſpe auxiliorum, ad munienda ſuburbana ædificia, quæ tum erant extra Martianam portam, omne ſtudium contulerunt: paucorumque dierum ſpatio perpetuam munitionem, ab extrema ſuburbij porta ad Arnum amnem, procul ab arce quingentos paſſus Antracio minimè prohibente perduxerunt, vt omnis adeundæ arcis facultas Florẽtinis eriperetur. Siquidem Arnus à Spinea porta, vbi pons eſt lapideus arci coniunctus, vrbem egreditur: arcemque ad læuam manum preterluit. Ædificia verò ſuburbana quę diximus, à Martiana porta in longitudinem curuata adeò porriguntur, vt ab eorum capite extremo, vbi altera ingens porta antiqui operis viſitur, perductis ad Arnum munitionibus, arx ipſa vndique cingeretur. Sed vix dum perfectis Piſanorum operibus, Florentini duces copias omnes trifariam diuiſas in conſpectum vrbis adduxerunt, eo potius conſilio, vt quid nam propoſiti de tradenda arce Antracius haberet, accedendo certius explorarent, & Piſanos ab eruptione deterrerent, quàm vt ſuburbium oppugnare adorirentur, quod ſine iuſto tormentorum apparatu capi minimè poſſe videbatur. Verùm quum Antracius neque vexillum album proponeret, quo tutus ad arcem acceſſus indicaretur, neque vlla propenſi pacatiq; animi ſigna daret, Piſani minimè contineri potuerunt, quin extrema ſuburbij porta confeſtim erumperent, & pauci cum magna hoſtium multitudine congrederẽtur. Quoniam loco maximè fidebant, qui tutum intra portam receptũ cedentibus ipſis oſtendebat: tormentaque etiam in munitione iuxta portam collocarant, quæ in proruentes hoſtes, quum opus foret, ſe protinus emiſſuros ſperabant. Non tulere petulantiam inſultantium Piſanorum Florentini, extemploque ante alios Ranuccius Martianus, qui agminis frontem obtinebat, plures ſimul turmas cataphractorum equitum conglobauit, factoque vehemẽti impetu, Piſanos pellendo ſternendoque ad portam vſq; præcipites egit, tanta celeritate perſecutus, vt pilę tormentorum, quum ea, vt in repentino caſu ſępe accidit, à Piſanis trepidè librarentur, ſupra capita hominum prouolarent, aut certè paucos vulnerarent. Ipſi quoque pedites conſpicati hoſtium fugam, vndi-

vndique procurrerunt, vnoque fermè tempore & Montanus ab eo ſuburbij latere, quod meridiem ſpectat, hortorum ſepta maceriasque & nouas munitiones perrupit, & per ędificia in ipſum ſuburbium peruaſit: & Cyriaci cohortes, id quod diximus ad Arnum pertinere, munitionis brachium ſuperarunt: & Montedolius equitibus immiſtus portam, nequicquam ad fores obluctantibus Piſanis, inuectus eſt. Tum verò Lucius, in tam repentino grauique amittendæ vrbis periculo ſuis non deeſt: cum conferta equitum ala per medium ſuburbanæ viæ ſpatium in hoſtes procurrit, adhortatorque inſignis et bellator egregius prælium renouat, ſuſtinetq; fortiter hoſtium impetum: & à Martiana porta Piſanorum validam manum in auxilium euocatam feſtinare iubet. Pugnabatur in ipſis viæ anguſtijs acerrimè, ſed Piſani ab hoſtium vndique vrgentium multitudine maximè prem ebantur, quum ab òmni propè latere circumuenti, quid magis cauendum, aut pro ſalute tentandum foret, in tanta rerum perturbatione neſcirent. Sed dum Lucius & cæteri viri fortes incumbentium impetum ſuſtinere conantur, Paulus Vitellius cum ſuo equitatu ab vlteriore ripa reperto vado Arnũ tranſgreſſus, paulò infra munitionẽ in ipſum ſuburbium improuiſus aduolauit. Cuius aduentus quum id præter omnium opinionem accidiſſet, quòd nemo amnem eo in loco trãſiri poſſe crediderat, adeò Piſanorum animos perculit, vt quum ſe vrbe auxilijsq; interclusos eſſe conſpicerent, conuerſi in fugam & curſu ac timore plurimum incitati ad portam maximo impetu deferrentur. Perturbatis ac fugientibus Martiani Vitellianique equites inſiſtere: & quum toto viæ ſpatio Piſani multis illatis acceptisque vulneribus exacti intra vrbis portam compellerentur, nonnulli ex Vitelliani permiſti hoſtibus ingreſsi ſunt. Ne verò omnes ſimul irrumperent, & vrbs caperetur, Galli ab arce tormenta emittentes, et ſagittas ſaxaque maximè in ſubiectam turbam *ſine vllo diſcrimine* iaculantes, Florentinos auerterunt. Ipſi quoque Piſani ſicuti temerè eruperant, ita ſingulari conſtantia irruentes repreſſerunt: & valuas totius multitudinis impreſsione propulſas celeriter occluſerunt. Periere in limine plerique viri audaces, ipſeque Lucius ante alios vulneratus: cui etiam Paulus Paranius Martianæ alæ præfectus gladium ab longiore capulo correptum magna vi & ſumma cum laude dum cominus pugnaret, è manu extorſit. Paulo quoque Vitellio dextrum crus, quod ſine ocrea proceſſerat, lancea traiectum, et Vitellotius lapide ictus. Piſanorũ autem ex numero, Petrus Gambacurta, cuius maiores quondã vrbis imperium tenuerãt, et Marianus Orlandius eques illuſtris excluſi captiq; ſunt. Florentini occupatis ſuburbijs, omni bellico hoſtium apparatu, & in primis Paſſauolante ingenti æneo potiuntur: magnã quoq; còpiam, cùm vini in cellis & lacubus, vti vindemiæ tempus offerebat, tũ etiam frumenti quod erat in ſubterraneis ſcrobib. reconditum, inueniunt, & in ipſis ſuburbanis ędificijs caſtrametantur, erectis continuò contra portam munitionibus, vt hoſtes ab eruptione cohiberent. At Piſani, cum animis vix dum receptis reputando quale periculum, & ſua temeritate, & hoſtiũ felici audacia ſubijſſent, attoniti, & pauentes cogitarent, ſe deorũ immortaliũ cura nõ modò ſeruatos, ſed ea demũ die primũ natos ſe eſſe fatebãtur. Proq; ſummo beneficio gratis animis accipiebãt, quòd Antracius fidẽ, quanq̃ ambiguis tantũ promiſsis datam, in eo periculoſo diſcrimine minimè feſelliſſet: et tormẽtis emiſsis hoſtiũ impetũ opportuniſs. tẽpore retardaſſet. Ea nocte nemo ciuium fuit, qui corpus vel recẽtis prælij labore defatigatũ, quieti ſomnoq; dederit. Decuriones quoq;

Lucium inuiſerunt, vrbis ciuiumque omnium ſeruatorem appellantes, quòd non modò incredibili virtute omnibus periculis fortiter occurriſſet, verùm ob id, quòd paulò antè diuino conſilio ſuburbium minimè defendendum, ac omnino deſerendum eſſe cenſuerat: & cùm primi equites Piſani ipſius iniuſſu temerè extrema porta erumperent, reclamando ac deterrendo retinere conatus fuerat. Poſtera die Fracaſsius ad Serchij amnis hoſtium nauigio delatus, Piſas peruenit: cuius aduentus, vel ob id omnibus gratiſsimus fuit: quoniam cum Lucio, cui ſororem in matrimonium collocarat, eoſdem ſenſus in gerendis rebus, nulla interpoſita æmulationis dubitatione, habiturus eſſe videbatur. Applicuit etiam ab Genua ſcriba Venetus, pecuniamque attulit ad conducendam veteranorum cohortem. Triduo poſt Antracius in gratiam, vt poſtea creditum eſt, Delanciæ virginis, ſe arcem Piſano populo traditurum pollicitus eſt, ea lege, vt ſi Carolus intra centeſimum diem in Ethruriam nõ rediret, arx penitus ab radice dirueretur. Interea Piſani ad alendum prȩſidium Gallicum ſingulo quoque menſe bina milia aureorum nummûm, & quum primùm arx euertenda traderetur, donatiui nomine quatuordecim milia ſibi numarent. Ea omnia vti Gallus poſtulabat, obſidibus datis, & cõfectis de more publicis tabulis, decuriones pro ciuibus præſtituros receperunt. Rebus eo modo cõpoſitis, Antracius tormenta duo inuſitatæ magnitudinis rudi veterum ſeculo fabrefacta, quorum alterum ab inſculpta aue Columbina, alterum verò ab terribili ictus violentia, Deſperata vocabatur, Piſanis vendidit. Ea totius populi concurſu, funibus ſubiectiſque ſucculis ab arce ad eam muri partem ſunt conuecta, quæ inter Barbaianum propugnaculum, & Pagianam portam, intercedente Arno, ſuburbana Martiana proſpectabat. Ibi perforato muro ampliores paſsim feneſtrȩ ſunt patefactę, per quas ingentes ſaxei globi in omnes caſtrorũ hoſtilium partes, cum maximo omnium terrore atque periculo emittebantur. Erat quoque ſummus murus per interualla pinnarum minoribus tormentis adeò egregiè inſtructus, vt nullis propè temporis momentis ab infeſtandis hoſtibus ceſſaretur. Piſana etiam iuuentus per ſe acris, & vindictæ decoriſque auida, certatim cum Lucianis militibus ſæpius erumpebat. Fuitque inter multas eruptiones, ea maximè inſignis, qua Fracaſsius a Porta Maritima ſub occaſum Solis, eductis omnibus copijs improuisò hoſtes inuaſit: nam eodem tempore ex conſtituto, Galli à Martiana porta in gratiam Piſanorum repentino egreſſu, magniſque clamoribus editis erupere, & qui ad Barbaianum erant trans Arnum, tantam vim pilarum, diſploſis illis ingentibus tormentis, & minoribus colubrinis, in ſuburbana tecta adegerunt, vt equi, virique fortes pariter & ignaui, cum nullus locus periculo vacuus relinqui videretur, attoniti ac terrefacti fœda trepidatione vndique diffugerent, & totis caſtris cuncta pauore ac tumultu complerentur. Ea die caſtrorum munimenta ægrè ſunt defenſa, & plerique milites & inſignes equi tormentis diſcerpti. Poſtero die Arnus imbribus auctus intumuit vſqueadeò, vt ſummis aggerum labris exæquaretur. Qua re animaduerſa, Piſani magnam multitudinem agreſtium ad Laianum vicum conduxerunt, vt curſum incitati amnis auerterent, præciſiſque aggeribus, vbi maximè caſtigabatur, in depreſſa hoſtium caſtra profluentem effunderent. Sed Florentini duces cognito hoſtium conſilio: miſsis ad Laianum ſagittariorum turmis quatuor, & cohortibus duabus prȩſenti periculo celeriter occurrerunt: & ne quid ſimile in poſterum hoſtis moliretur, perpetuas equitum

ſta-

ſtationes qui ripas cuſtodirent, toto eo fluminis tractu diſpoſuerunt. Interea Lillenſis Gallus, qui allatis mandatis regijs, Antracium, vt arcem dederet, precibus nequicquam fatigabat, febre correptus, Florentinis in caſtris moritur. Eodemq́ue tempore certiſsimi nuncij de pace ad Nonariam facta, & Piſas et in caſtra perferuntur. Quibus de rebus, quum Piſani omnibus conceptæ lætitiæ atque hilaritatis ſignificationibus, ſe omni propè periculo in poſterum liberatos oſtendiſſent, Florentini abiectis præſentibus conſilijs, à Sanſouino in ſuperiorem Arni vallem copias reduxerunt. Triduò poſt Arnus iterum autumnalibus pluuijs adeò creuit, vt vnuſqnam tentandi vadi ſpes vlla relinqueretur. Propterea Lucius nullas veritus inſidias ſtatim ad Capronã, quæ eſt rupes viæ imminens, à qua altiſsimi montes initium ducũt, cum curulibus tormentis cõtendit, & è citeriore amnis ripa, caſtra hoſtium poſita inter Septimum & ſanctum Caſcianum infeſtare cœpit. Piſani quoque milites, qui Caſcinæ in præſidio erant, ſæpius erumpebant, & commeatus, & ipſos præſertim pabulatores intercipiebant: tantaque erat his in locis pabuli difficultas, vt ex vitium arundinumq́ue folijs magna pars equorum aleretur, & vulgus militum moliti tritici penuria laboraret. Quibus affecti incõmodis duces Florentini, quòd et hyems ſuberat, & inclinante autumno fœdę admodum tempeſtates inciderant, Ponteſaccum, & Pontaderam in hiberna conceſſerunt. Per eos dies quũ Galli arcis cuſtodes pabulum quod in maritimis vicis erat inſolenter diriperent, & id contra Fracaſsiani Piſanorum conceſsione obnixe armis tuerentur, aliquot vtrinque in ipſa rixa interfecti ſunt, exciuitq́ue rumor cruentæ contentionis ab vrbe vtriuſque partis auxilia, ac niſi Piſani, in eo tumultu ad arma vocati, Gallis opportunè fauiſſent, luctuoſum omnino facinus editum fuiſſet. Sequenti die Fracaſsius Piſanis iratus, quòd aduerſum ſe pro Gallis ſtetiſſent, vt erat ingenio maximè repentino, abducta parte præſidij Piſis exceſsit, & in Galliam Ciſalpinam profectus eſt. Non multis verò poſt diebus Antracius, cuius animus æger incredibili Delantiæ virginis amore deflagrabat, decurionibus Piſanis, matronarumq́ue nobiliſsimis in arce epulum dedit: & choreas ad tibicinum concentus ipſe ante alios duxit, omnibuſq́ue humanitatis officijs teſtatus eſt, quum primùm ex fœderis præſcriptione annus foret exactus, continuò arcem Piſano populo ſe dediturum: neque ſponſioni fides abfuit, quanquam à Florentinis mirificè ſollicitaretur, per quos ingens auri pondus, ſi Piſanos excluderet, ipſi Antracio, et nominatim ſingulis centurionibus offerebatur. Calendis namque Ianuarijs aduocata populi concione, atque indictis ſupplicationibus arcem dedidit, tranſmiſsis Petraſanctam obſidibus, vt in eius oppidi arce, quoad promiſſa pecunia foret numerata, cuſtodirentur. Mox verbis conceptis decuriones in verba Caroli Gallorum regis ſacramento adegit: tantusq́ue præ lætitià eodem temporis puncto emiſſorum tormentorum ſtrepitus, vt Florentinis in caſtris in ſpacio octuaginta amplius ſtadiorum ſit auditus. Qui ſeditionem inter Piſanos & Gallos ſubortam rati, ne occaſioni deeſſent, copias expeditas vſq; ad ſecundum lapidem properanti agmine fruſtra produxere. Piſani eodem die Antracium ac omnes vno nomine Gallos ciuitate donarunt, quibus etiam domos prædiaq́ue Florentinorum, iam initiò recuperatæ libertatis publicata decreto publico adiudicarunt. Nummus ſubinde in honorẽ Caroli regis cum liliorum nota percuſſus, & arx ipſa concurſu totius populi incredibili celeritatè ſolo æquata eſt. Nec multò poſt Galli qui Sergiani arces cuſtodiebant, An-

tracij exemplum ſecuti eas Genuenſibus magno auri pondere accepto, vendiderunt. Is quoque Roſius Baſtardus Lignini è Lucemburgenſi familia propinquus, qui Petraſanctæ pręerat, Lucenſibus triginta milia aureorum nummûm numerantibus, oppidum arcemque tradidit. Qui poſtea auaritiæ ac proditionis infamia notati, pulſique Galliæ finibus perpetuò exularunt. Cæterùm pręſentem Piſanorum lætitiam ingens cura conquirendæ pecuniæ magnoperè minuebat: perſoluendum enim erat pretium coemptæ arcis, æneorumque tormentorum quod publicè & priuatim exhauſtis grauiſsimum erat, quum quadraginta milia aureorum nummûm ſummam omnino ſuperaret. Sed tanta erat omnium alacritas pro defendenda libertate, vt vltrò nobiles matronæ ornamenta ſua, annulos, monilia, fibulasque zonarum conferrent: quæ omnia Lucenſibus pecunioſis mercatoribus in mutuam pecuniam pignori mittebantur. Sed has etiam etiam ærarij difficultates opportunè atque mirificè ſubleuauit Luſitana nauis, quæ ad ingentem vim nocturnæ tempeſtatis, ſubmerſis magna ex parte nautis, ſupra oſtium Auxeris amnis, cum pretioſis mercimonijs in littus eiecta eſt. Tantum enim pecuniæ Piſani vix toto vertente anno in bellicos ſumptus impenderant, vt nihil iam veteris argenteæ ſuppellectilis vſquam reperiretur, & vectigalium reditus multò quàm anteà deteriores facti eſſent, præuertentibus eos publicanorum vſuris, qui publicam egeſtatem ab initio præſenti pecunia ſubleuarant: adeò vt iam quoſdam ciues, ſi bellum foret diuturnum, recuperatæ libertatis pœniteret. Igitur quum ſe impares opulentis hoſtibus faterentur, atque opem, ne incœpto abſiſteretur, vndique implorãdam omnes cenſerent, oratores maximè induſtrij & eloquentes ad principes Italiæ delecti ſunt. Iêre ad Ludouicum Sfortiam Marianus Pecciolus: ad Alexandrũ pontificem Auguſtinus Dunitius: ad ipſos verò Venetos Bernardinus Agnellus: & in Galliam ad Carolum Petrus Griphus, vt frequentius Florentinorum legationibus occurreretur, qui in aula regia largiendo atque agendo procerum animos Piſanis infeſtos reddere contendebant. Nec multò poſt Sfortia tuendis Piſanis intentus, Ludouicum Mirandulam cum ala equitum, & trecentos Germanos pedites Piſas miſit. Eodem quoque tempore Veneti, id Sfortia enixè flagitante, Paulum Monfronum virum fortem, & Socinum Benzonum cum vtriuſque armaturæ equitibus ducentis, Iacobumque Tarſiam veteranæ cohortis præfectum, & cum his Franciſcum Iudecam quæſtorem cum pecunia miſêre. Ludouicus enim quanquam aduerſus Florentinos, quòd vni omnium in amicitia & ſocietate Gallorum communium hoſtium remanſiſſent, Piſanorum libertatem tueri videretur, occulto tamen exitialique conſilio Piſarum imperium affectabat: nec obſcuro quidem iure, quòd id reguli Vicecomites, ipſius progenitores quõdam tenuiſſent. Sperabat enim eam ciuitatem antiquis ac recentibus beneficijs ſibi obſtrictam, attritis paulatim diuturnitate belli Florentinorum opibus, aliquando in ipſius poteſtatem vltrò conceſſuram: & quũ ſe imparem ducendo bello cerneret, Venetos Piſano bello alligare, & aliena impenſa ad id quod inani ſpe conceperat, gradum ſibi facere contendebat: ratus Venetos nunquam adeò impudentes vel inſanos fore, vt eam vrbem vltra Apenninum ſitam, & ſpectantem ad Tyrrhenum mare, quod ab eorum negotiatione penitus eſſet diuerſum, adijcere imperio cum ſumma hominum inuidia cogitarent. Sed ipſe rerum exitus, qui ſimulata omnium conſilia patefacere ſolet, Venetos validiore aliquanto quàm Ludouicus, ſed occultiore ambitio-

nis

nis inſania laboraſſe declarauit. At Florẽtini maiore quàm antea cura atq; apparatu bello intenti, ſæuis adhuc hyemis tempeſtatibus, arcem apud vada Volaterrana terra marique obſeſſam, ac tormentis demum quaſſatam ceperunt; Piſaniſque mari opem ferre conantibus, eorum biremis altera onuſta armis & commeatibus, in proximo Liburni littore naufragium fecit: alterà cum myoparonibus aduerſo rapta vento, Lunenſem portum tenuit. Quo ſucceſſu Florentinorum claſsicula ad Arni oſtium prouecta, aliquot Ligurum et Tuſcorum nauigia, quæ frumentum Piſanis importabant, intercepit. Cæterùm Franciſcus Siccus (is enim à Carolo poſt Tarrenſem pugnam ad Florentinos redierat) receptis Vadis ad Buttum oppugnãdum cum magna parte copiarum eſt profectus: ſubuectiſque tormentis circumiectos colles occupauit, ne vllus ad oppidum aditus pateret, ſi Piſani ſuorum periculo adducti auxilio properare conarentur. Neque Siccum opinio, quam de eorum aduentu conceperat, omnino fefellit: accedentibus nãque expeditis Piſanorum copijs ad ipſas collium munitiones, atque his egregiè repulſis, oppidum ſimul atque ipſi milites deditionem fecerunt. Per eos quoque dies ſancti Michaelis vicus qui ad Verruculę montem pertinet, expugnatus eſt, quum fruſtra ad opem ferendam ab arce Piſani decurriſſent: cohortes quoque ad expugnandam Verruculam per ardua montis ductæ, commiſſumque eſt prælium vehementi vtrinque impetu: verùm ad extremum Florentini iniquitate loci & telorum ac lapidum maximè procella retardati atque deiecti, re infecta ad ſanctum Michaelem rediere. Sequenti die Siccus ad expugnandum Calcium cõtendit. quod vbi Piſis eſt nunciatum, inito conſilio vt laborantibus opem ferrent, complures eximiæ agilitatis ac fortitudinis milites ex Caſcinæ Vicopiſanique præſidijs detractos, in arcem Verruculę euadere iuſſerunt, vt quum ex edito equitatum per campos appropinquare conſpicerent, hoſtes in oppugnatione oppidi occupatos ab diuerſa parte adorirentur. Sed Lucius qui copias militares, magnamq; agreſtiũ multitudinem ad terrẽdos hoſtes in conſpectũ Calcienſium adduxerat, præoccupatos antea colles à Siccianis ſubire non potuit, alacriter tamen Verruculani deſcenderunt, illatique magno impetu in primam ſtationem caſtra ab ea parte irruperunt, interfectiſq; circiter quadraginta militibus, multis captis, & ſupra centum vulneratis, incolumes per aſperos montis calles in arcem redierunt. Quibus rebus animaduerſis præſidij præfectus, quòd muri aſsidua tormentorum vi, ſolo propè æquati erant, deditionem fecit. Amiſſo Calcio, Piſani molendi tritici difficultate laborare cœperunt, quoniam omnes eius tractus frumentariæ molæ Serchio amni impoſitę, in poteſtatẽ hoſtium deuenere. Biduo poſt quum in conſilio ducum omnium ſententiæ conueniſſent, ducere ad Verruculam atque eam expugnare decretum eſt: erat enim Piſanis omnibus, qui repentinis decurſionibus itinera infeſtabant, in eam arcem tutiſsimus receptus: eaq; pro ſpecula (vti ſuperiore libro docuimus) vtebantur. Itaque circiter duo milia peditum, & quadringenti leuis armaturę equites cum tormentis minoribus in ſummum cacumen, vbi arx erat, mittuntur. Cæteras copias, cataphractoſq; pręſertim Siccus ſub Butto oppido in exterioribus ædificijs continuit, vt ſuis Verruculam oppugnantib. pręſidio eſſet: & quæ vſui forẽt ex propinquo ſubminiſtraret. At Lucius cognita hoſtiũ profectione, ſimilem Verruculanorum & Calciẽſium oppugnationis exitum veritus, vt ſuorum periculo occurreret, & Calcij in conſpectu in ipſius nuper amiſsi dedecus audaci aliquo

faciniore reſarciret, nocturna expeditione cum delectis equitib. ex Sfortianorũ Venetorumq; auxilijs, ac ipſa Piſana iuuentute, Buttum aduolauit. Cæſisque repentino aduentu, qui excubias agebant, priuſquàm hoſtes arma caperent, in media caſtra penetrauit. In ea omniũ ſubita conſternatione, ex numero reſiſtẽtium circiter triginta ſunt interfecti, capti verò plures, & equi partim ſarcinarij, partim militares paulo minus trecenti, cæteros proximæ conualles nemoraque texerunt. Siccus ipſe ad oppidi portam curſu ſe proripiens, quum ea præ timore validis vectibus eſſet obfirmata, funibus in murũ ab oppidanis eſt ſublatus. Qui verò Verruculam oppugnabant, cognita ſuorum clade, digreſsi ſummo cacumine ad montẽ cui ab aſperitate Doloroſo nomẽ eſt, propè Buttũ ſe ſe recepere, atque inde diuiſis inter ſe copijs, duces Bientinam, Pontaderamq; reuerſi ſunt. Ex aduerſo Piſani Paulum Manfronũ cum Venetis copijs apud Vicopiſanum, Ludouicum verò Mirandulam Germanosq; vltra Arnum Caſcinæ collocarunt. Rannucio Martiano ex Pontadera cum Sfortianis res erat: à Sicco autẽ cum Manfronianis è Bientina bellum gerebatur, neq; vlla pręteribat dies, quę aliquo pręclaro belli facinore nõ eſſet inſignis: virtute enim, inſidijs, audacia, nouisq; artibus quotidie certabatur. Is namq; regionis erat ſitus, admirabili naturę varietate in patentes cãpos, et veſtitos arboribus colles terrenosq; tumulos, cauas valles, emiſſaria, paludesq; diſtinctus, vt duces ſicuti eorum ingenia ferebant, ſiue vera vi, ſiue aſtu ac dolis certandum foret, ad res gerendas cohortari atq; incitari viderẽtur. Ab Bientina campi pabulo vberes ad Vicopiſanum vſq; pertinẽt, qui paludè, collibus atq; Arno amne clauduntur. In hos Siccus, vti erat in omni militię munere peracutus et ſagax, Manfronum facilè elici, & ex inſidijs opprimi poſſe iudicauit: quòd ſciret hominem natura maximè pugnacẽ, & propterea, vti plerunq; accidit, apertũ & incautũ, pugnæ ſtudio iniquũ in locum facilè progreſſurum. Itaq; circumpoſitis inſidijs, edoctisq; militibus quid fieri vellet, quũ ſignum proponeretur, leuẽ emiſit armaturam, quę in conſpectum oppidi ſe daret, pabulatoresq; conſectando, maiore quàm anteà licentià vagaretur. At Manfronus, qui ex oppido cuncta deſpectabat, vbi pabulatores ac milites, qui eis pręſidio ſimul exierant, maiore hoſtium numero vrgeri videt, Ioannem Rhauennatem, Ioannetumq; Pallaiam cum expeditis turmis celeriter emittit: moxq; ipſe cum graui armatura equeſtri, ſubſidiarijsq; peditibus ſubſequitur. Idem facit Siccus accitis è proximo cataphractis, pręliumq; auctis vndiq; viribus, tanta animorũ alacritate committitur, vt magnorũ exercituum ſpecies ſpectantiũ oculis pręberetur. Nemo enim eques adeò ſegnis erat, qui haſtam in aduerſã aciẽ nõ perfringeret, & gladijs eductis, collatisq; equorum pectoribus, cum hoſte miſcèretur. In eo peracri concurſu quum multi equites proſtrati, & equi plures conuulnerati eſſent, Florentini Sicci monitu gradũ referre, & timoris ſimulatione terga vertere cœperũt: nec Manfronus ingenio ſuo deeſt, ſuos cohortatur vt acriter inſtent, neq; perterritis reſtituendę aciei ſpatiũ relinquant. Ipſeq; vehemẽti impetu in terga abeuntium cum delectis equitibus inuehitur: & pugnando, magnũ camporum ſpatium prætergreſſus, ad occultatos hoſtes peruenit. Tũ verò ex inſidijs nouę vndiq; turmę cohorteſq; cõſurgunt: Venetę copię circumueniũtur, ipſe Manfronus fortiter rem gerit, denſari quàmmaximè turmas iubet, & ſigna ad oppidũ retrouertit. pugnatur aliquandiu in orbem ſumma conſtantia, ſed incidentib. vndique hoſtium cuneis Manfroniani funduntur, & diſsipati paſsim à plu-

ribus

ribus opprimuntur. In ea fuga Venetæ alæ vexillifer cadit: Pallaia equitum præfectus capitur: ipſe Manfronus atque Rhauennas vulnerantur: pedites equiteſque plurimi in fugam ſe dedunt. Sed dum parta victoria Siccus incredibili lætitia afficitur, hoſteſque perſequitur, tormenti minoris glande traiectus concidit, magno quidem illudentis fortunæ caſu, quando ea pila in ſpatio trium amplius ſtadiorum ex oppidi turre in incertum emiſſa, ipſum vnum victorem ducem, miraculo quodam ſuſtuliſſe videretur: ita vt ea victoria, quanquam inſignis, Florentinis haud multum grata fuerit, quæ prudentis ſimul ac ſtrenui ducis morte conſtitiſſet. Sub idem fermè tempus quo Carolus Italia exceſsit, atque hæc in Ætruria geſta ſunt, Gilbertus Monpenſerius Neapoli obſeſſus, Gallorum ducibus, qui eadem æſtate Ferdinandum in Brutijs acie ſuperarant, ſignificauit ſe rerum omnium difficultatibus adductum, niſi auxilia terra aut mari Neapolim mitterentur, diutius obſidionem non eſſe toleraturum. Quibus de cauſis, Galli euocatis ad ſe Andegauenſium partium regulis, coactiſque militibus, prouincias inter ſe ita compararunt, vt diuiſo exercitu, alter aduerſus Conſaluum, qui ex prælio Rhegium ſe receperat, & accitis è Sicilia auxilijs bellum renouabat, Brutios tueretur: alter iuſtis itineribus Neapolim ſubſidio obſeſsis ire maturaret. Obegnino Brutij obuenere, Perſiuus adiuncto ſibi Bernardino Sanſeuerino Beſſenniani principe, qui alam vnam equitum & quatuor cohortes ex clientibus ſuis in Brutijs conſcripſerat, per Lucaniam Ebulum peruenit, quod eſt opppidum Picentinorum non longè à Sylari amne præalto in monte poſitum, & profunda vndiq; valle circumſeptum. Ferdinandus eò duces copiaſque præmiſerat ad prohibendos tranſitu Gallos, quibus iter erat ad Salernum vrbem. Ipſe Neapoli remanſerat, vt colloquijs Gallorum intereſſet, qui iam de paciſcendis inducijs arcéque dedenda deſperatis auxilijs acturi videbantur. Præerat regio exercitui Thomas Caraffa Matalonij princeps, externæ militiæ prorſus ignarus, ſed cum eo plerique viri militares aderant, & in his ante alios Venantius Camertium regulus, Lucaſque Sabellus: Quibus cognito Gallorum itinere, viribuſque eorum diligenter exploratis conſilium erat, hoſtes rectà Salernum petentes, modicis itineribus ſubſequi, auertere commeatus, nec prius acie confligere, quam eos iniquior locus exciperet, opprimendoſque prȩberet: vel quòd maximè vſui fore videretur, continuò ad oppidum cui Lacui paruulo nomen eſt, conuolare: incoliſque demigrare iuſsis, concrematoque oppido, ne commeatu ac tectis hoſtis vteretur, Salernum præcurrere. Quo perfecto negotio neceſſe foret Gallos, qui nec cocta cibaria, nec maiora tormenta conueherent, retrò in Lucaniam regredi, deſperata præſertim expugnatione Salerni, quod magnis hoſtium copijs teneretur. Verùm cæteri duces militeſque contempta hoſtium paucitate tanto pugnandi ſtudio ardebant, vt incitati ſtolida alacritate ſucclamarent, nequaquam pertinere ad regij nominis tantique exercitus dignitatem, ſi ea victoria quam propè certam exploratamque tenerent, non vera vi apertaque virtute, ſed per circuitus ignauis artibus peteretur. Eam quoque multorum temeritatem præproperi ducis imperium augebat, qui nihil in caſtra præter ſpectatam fidem, & celebris familiæ nomen attulerat. Is enim caſtigatis qui cauta, & minus decora conſilia ſequerentur: Neque inquit: Galli hodie antiqui illi Heroes ſunt, quos ab admiranda vi corporis fabuloſis carminibus Gallia celebrauit, neq; nos omnino fœminæ ſumus in virilem hunc

modum armatę atq; exornatę, vt dubitemus hos barbaros temulento agmine incedentes ad primum ſtatim cōſpectum adoriri atq; proterere. Ac ſimul hæc dixit, pronunciari iuſsit, vt omnes arma pararent, equosque frænarent: de tertiaq; vigilia omnis exercitus Ebulo ſub ſignis eductus eſt. Perſiuus & Beſſenianus ſub aurorã Sylarim amnem ponte traiecerant, & ad Salernũ iter habebant. conſpectis autẽ hoſtibus, vt æquiore loco aciem inſtruerent, per tria amplius ſtadia retrouerterunt agmen: & ingenti ſyluę quę patentibus campis adiacet, læuum latus applicarunt, ne hoſtium multitudine tantulę copię circumueniri poſſent. Erant enim vix mille Heluetij, quibus coniuncti à tergo Brutij pedites octingenti, quadratum phalangis corpus efficiebant. Equites vtriuſq; armaturę, Galli, Italiq; circiter mille denſati in vnum agmen, lateri peditum adhæſere. At Matalonius omnes copias, veterum morem ſecutus, qui noſtris ſæpius funeſtus fuit, in quinq; acies diuiſit, quæ pari fronte ad ſimilitudinem directorum cornuũ a medio agmine extendebãtur, in quo ipſe Lucasq; Sabellus conſtiterunt, ſepti à læua mille Cantabris, à dextra vero tribus milibus peditum Italorũ. In extremis autem cornib. cum ſuo quiſq; equitatu: hinc Venantius Camers: illinc Hieronymus Tutauilla Sarnenſis regulus curabant, eo conſilio, vt quũ primum Matalonius peditatu pedites Heluetios, equitatu verò equites Gallos à fronte adoriretur, Venantius ſe cũ turmis ſuis Cantabrorumq; cohortibus inter hoſtes & ſyluã facto impetu protinus inſinuaret, & eodem ſimul tempore læuũ cornu à Tutauilla in latus ac terga hoſtiũ duceretur, nõ abſurda quidẽ ratione, ſi militũ animi ac acierum motus, quos mille caſibus Fortuna ſubijcit, quum manus cõſeruntur, ipſis ducũ conſilijs atq; imperijs pleniſſimè reſponderent, vt tum fortè accidit Nam prę ter id quod Aragonia acies eo loco imprudenter erat collocata, vbi aduerſi orientis Solis radij militũ oculos magnoperè perſtringebant, ob id etiam temerè inſtructa videbatur: quoniam ordinib. modico interuallo diſiunctis, neq; ſatis roboris inerat ad conſiſtendũ, neq; ſingulis tantũ ſpatij relinquebatur, vt ſi circumagere conuerterèq; aciem oporteret, fieri nõ poſſet, quin mutuò ſe implicarẽt, ac perturbarent: ſed quod magno fuit detrimento, & militiæ videtur execrandũ, miles ipſo tyrocinio alacer, quũ nec dicto parere, nec bene pugnare didiciſſet, neutrum diſciplinę munus impleuit. Namq; vt primum à longè emiſſa fuere tormenta, aliquot nobiles ſplendidiq; equites, vt cæteris ſpectatæ virtutis decus prærriperent, iniuſſu extra ordinẽ inclinatis haſtis, alij poſt alios, certatim equos in aduerſos hoſtes concitarunt. Quorum impetum, quum denſata incõcuſsi agminis fronte Gallicus equitatus excepiſſet, nonnulliq; aduerſis hoſtium haſtis induti repulſiq; ex equis cecidiſſent, reliqui omnes extemplo retrouertentes equos vehementi ac tumultuario quodam recurſu in Cantabros inciderunt, totamque eorum aciem perturbatam à dextro latere in Venantianam alam propulerũt, ita vt fluctuantibus prementibusq; Cantabris, equitum ordines non modò impulſi, verùm etiam proſtrati ſoluerentur. Eodem quoque temporis momento Aragonij pedites incitati curſu, Heluetios pari temeritate ſunt adorti: nam quum alij ſcutati intortis haſtilibus gladios ſtringerent, alij aut aurita venabula, aut rhomphæas adunco ancipitique ferro lato præfixas ferrent, ad ipſum corpus phalangis longiores lanceas ericij modo prætendentis, peruenire minimè potuerunt. Tantaque conſecuta eſt animorum commutatio, vt qui modò ſingulari ferocia ſummaque alacritate præcurrerant, retrò ſtatim, facto virium

periculo,

periculo, ſuorum maximè intercurrente equitatu pauidi verterentur. Perſiuus tantę rei miraculo ſtupefactus, ne Fortunæ contra ſpem obnixè fauenti deeſſet, gradum intulit, & ſupra aceruos hominum equorumque cadentium audacter progreſſus, quod vix credibile eſt, ſemihoræ ſpatio, penè ſine ſuorum vulnere hoſtium copias profligauit. peditatus Italicus fermè totus ab Heluetijs eſt conciſus, ac ſimul deleta cohors vna inſignis audaciæ, quam ex ſicarijs Neapoli conſcripſerant, periereque dum cæteri terga verterent, egregiè repugnando ſtrenui centuriones, Henricus nobilis Corſus, Aloiſius Squarcia, & Vincentius Capecius. Cantabros armis expeditos atque agiles, denſiſsimæ ſyluæ, armatis haud facilè penetrabiles protexerunt. Matalonius verò cæterique duces multis equitibus amiſsis, Ebulum fœda fuga petiuere. Sed dum ęgrè intra portam reciperentur, & Galli equites tergis inhærerent, Venantius conſtanti vir animo, hoſtium impetũ á nouiſsimo agmine fortiter ſuſtinens, egregieq; dimicans, capitur. Cęteri porrò equites numerò fermè trecẽti, capto circuitu per iniqua loca ad auerſam oppidi portam peruolarunt. Verùm tanta erat in oppido omnium conſternatio, vt nemo eſſet qui portam aperiri permitteret, vel tendentium ad muros pro ſalute ſupplices manus, periculo permoueretur. Sed Galli ſicuti imperitia ignauiaque hoſtium victores euaſerant, ita pleniore vti victoria, fatali ſua ſocordia neſciuerunt. delendorum enim equitum occaſionẽ Perſiuus amiſit, quum fortè nihil explorato circum exteriores foſſas oppidi ſitu, inſtructam ſuorum aciem ad id tantùm, quod ante oppidum erat, patentis areæ ſpatium produxiſſet, mirabundus & expectans, vt portæ ab his, qui tam fœdè fugerant, victoribus aperirentur. Verùm Galli non multò poſt, quum expugnando oppido tormenta deeſſent, & Baſſennianus Serpentinę pila, quę propugnaculo fortè emiſſa gladij capulum deterſerat, thoracemque colliſerat, propè exanimatus cecidiſſet, ad ſpolianda cadauera redierunt. quibus abeuntibus equitatus ſupremo timore atque periculo liberatus eſt, & intra portam receptus. Eò quoque poſt aliquot horas Cantabri ſyluarum beneficio ſeruati, & qui varijs fugæ caſibus cladem euaſerant, cateruatim peruenere. Quòd ſi Perſiuus ad Ebulum caſtra poſuiſſet, plerique affirmant oppidanos, quòd Andegauenſis erant factionis, ſequenti die adapertis Gallo portis, copias omnes Aragonias fuiſſe tradituros. Ea quæ ſecuta eſt nocte, Tutauilla cum parte copiarum ad firmandum præſidio Sarnum eſt profectus: quò etiam Proſper è Neapoli ad eius cladis nuncium applicuit. Galli præda onuſti, omnibusq; oppidis ſtudio aut metu liberaliter recepti, ab Salerno ad Sarnum amnem, vbi oppidũ eſt eius nominis, biduò poſt peruenere, ac ponte quem Proſper Tutauillaque reſciderant, ſuper veteres ſublicas refecto, nequaquam tentata oppidi oppugnatione Neapolim contendere. Interea Ferdinandus, tota Neapoli ob amiſſos ciues metu ſimul ac dolore conſternata, incredibili animi ſollicitudine torquebatur. Nam ſupra cladem fuſi cæſique turpiter exercitus, etiam ingenti ſuſpenſus cura magnopere timebat, ne eius acceptæ cladis fama victoriſque ſimul exercitus aduentus, ab obſeſsis aliqua Andegauenſium fraude ſentiretur. Nam Galli, quum iam pleroſque eorum concluſionis vitijs affectos grauis autũnus valitudine tentaſſet, nec iam reliqui extremam rerum inopiam perferre poſſent, nequaquam ſpernendas de dedendis arcibus conditiones obtulerant, deſperatis præſertim maritimis auxilijs, quòd littora Tyrrheni maris Aragonia claſſe clauſa atque obſeſſa tenebantur. Quibus de cauſis agendo per crebra col-

loquia cum regijs nuncijs, ad vltimam diſceptationem tranſigendæ pactionis erat peruentum. Ob id Ferdinandus in omnem adeò vrgentis metus diſsimulationem compoſitus, quòd maturè facto opus erat Mompenſerio earum rerum penitus ignaro denunciauit, ſi intra præſentis diei ſpacium, in eas quas obtuliſſet conditiones de dedendis arcibus ex æquo paciſceretur, ſe cuncta quæ obſignatis tabulis promitteret, regia fide præſtiturum. Porrò ſi ad extrahendum tempus impudenter eludendo fallacibus colloquijs vteretur, nullam Gallos poſtea impetrandæ veniæ facultatem habituros: Se propterea inuitis etiam amicis, ipſisque præſertim fœderatis principibus, præbuiſſe aures admodum benignas eorum poſtulatis, vt ſine ſanguine, vlloque vtriuſque partis incommodo pax ipſa pararetur, quòd natura ab omni crudelitate penitus abhorreret, qua ſe poſtea abiecta omni humanitate neceſſariò vſurum ſciret, ſi bellum non certa ac tolerabili conditione mutuæ pactionis, ſed inſana animorum obſtinatione ac pertinacibus armis finiretur. Ad ea Mompenſerius reſpondit, ſe eo animo de arcium deditione ſemper egiſſe, vt ſi æqua vel certè non indecora conditione fieri poſſet, nequaquam pacem abnueret. Idcirco ſe cum ducibus egreſſurum, ſi rex obſidibus caueret, nec ab ęquabili compoſitione diſcederet, totumq; id incundæ pacis negotium expeditis ſermonibus eſſe confecturum. Itaque ſtatuitur colloquio locus in Aragonia trireme, mittiturque pro obſide in arcem Dimaſius Triuentij claſsis præfecti frater. Nec mora, Mompenſerius, Alegria, Belcarius, Gratianus Guerra, ipſeque Salernitanus cum Gallo quæſtore, nobilioribusque nauarchis, ad prætoriam triremem accedunt: eò quoque ſimul Triuentius, Proſper Columna, Albericus Caraffa, Andreasq; Gennarius peruehuntur. Fit magna, vti debebat, de ſumma re in vtramq; partem diſceptatio, ita vt colloquium mutuis altercationibus plurimum extenderetur. Erant ob id ſuſpenſi omnium animi expectatione tantæ rei: ipſeq; antè alios Ferdinandus maximis incertæ mentis fluctibus agitabatur, vt qui nec rem maximæ ſpei feſtinatione ſua impedire ac conturbare vellet, nec vllam moram animus inquies omnino pateretur, quum Gallica caſtra non procul abeſſe putaret, eorumque fremitum auribus prope percipere videretur, vti anxijs ſuſpenſiſque frequenter accidit, quibus vanæ atque inanes remotiſsimarum rerum imagines deceptis ſenſibus offeruntur. Igitur moræ impatiens, Franciſcum Capuanum aſtuto ingenio iuuenem ſcaphæ impoſitum ad eos mittit, vt regio nomine Proſperum ac cæteros coarguat, quòd ſe inanibus verbis ac ambagibus diſtineri, ac longius abduci paterentur: ſimulque imperet, niſi Galli intra horæ ſpatium de deditione pepigerint, tabulisq; ſubſcripſerint, vti eos confeſtim abire iubeant, ijsque omni ſpe, vel colloquij, vel pacis in poſterum ſublata, perpetuò cuncta hoſtilia, & quàm maxime ſæua denuntient. Quibus auditis Galli fortunæ ſuæ prorſus ignari, quum quiſque de propria ſalute ſollicitus, calamitoſum diuturnæ obſidionis exitum demiſſo animo formidaret, cunctique ſi incolumes inde euaderent, renouato bello, neque plenam iterum victoriam, neque ipſas demum arces ſibi defuturas exiſtimarent, in has conditiones de dendis arcibus pepigerunt. Vti intra certum diem, niſi tanta terra marìue Gallorum auxilia ſuperuenirent, vt eorum metu adductus Ferdinandi exercitus, relictis patētibus campis intra oppida ſe recipere cogeretur, arces omnino dederent: ipſique per id tempus quotidianis cibarijs impenſo pretio iuuarentur. Intereaque datis decem obſidibus quos Ferdinandus deligeret, terra ac mari manerent inducię ne

vllum

vllum omnino telum vtrinque mitteretur. Inducijs opportuniſsimo tempore conſtitutis, Ferdinandus, vti erat altera tanti negotij cura liberatus, quibuſnam modo belli artibus aduenienti Perſiuo obſiſtendum foret, ſumma ſollicitudine conſultabat. Variæ ſiquidem pro ingenio ducum ſententiæ dicebantur, nec deerant ex intimis amicorum Albericus Caraffa, Marinusque Brancatius qui quum bis victis perterritisque militibus magnopere diffiderent, copias intra vrbem recipiendas, congreſſumque victoris exercitus omnino deuitãdum diſſerebant: quando munitiones, quæ arcem perpetua continuatione ab vrbe penitus excluderent, nullo cum periculo, & ſolis propè tormentis defendi poſſe viderētur: quibus defenſis neceſſe foret tantam Gallorum multitudine paucis diebus abſumpto omni vetere pariter ac aduectitio commeatu, inedia penitus interire, quòd militũ numero propemodum duplicato, qui aduenissent, nõ modò pręſentē inopiam aliqua ex parte ſubleuare, ſed nec ſeipſos quidem alere poſſent, etiam ſi contra prodigę gentis morē cibaria parciſsimè metirentur. Inſanæ demũ eſſe pertinacię, ac temeritatis potius q̃ veræ virtutis, copias apertũ in locum educere, & toties victoris exercitus vim periclitari, quando ſalus omnium atq; imperiũ periniqua ſorte vnius prælij aleę committi videretur, ſi milites magna ex parte aut vulneratos, aut recenti metu trepidantes, victoribus Gallis, quorum arma, criſtæ, ſagulaque Aragonio ſanguine redundarent, pecudum more mactandos obijceret. His maximè verbis, quæ timidorum auribus magnoperè placebant, adeo præſentium animi ſunt permoti, vt qui nullis etiã manifeſtis vitæ periculis pro tuenda regis ſalute dignitateq; terreri didicerant, Alberici, Mariniq́ue ſententiæ aſſenſuri viderentur, niſi eos Proſper Columna qui magnitudine animi ac dicendi libertate ante alios erat inſignis, contrà diſſerendo acerbiſsimis verbis caſtigaſſet. Qui copias, inquit, in vrbem non modò turpi, ſed admodũ pernicioſo conſilio reducendas cenſent, ij mihi potius de fuga nauibus capeſſenda, q̃ de munitionibus fortiter defendendis cogitare vidētur. Quid enim nobis intra vrbē metu compulſis, reliquæ ſpei ſupererit, ſi hoſtes tam valida recentiq; manu militum adaucti, ob idque ſublatis iureinducijs, ex omnibus munitionũ locis eruperint? Puerorũ puto ac fœminarũ planctus, in ipſo vrbis ſupremo diſcrimine, trepidantiũ in tergo auditus, vires addet, vel animos excitabit: conſiſtentq; fortiter, alacriterq; pugnabunt, qui ſalutem ſuam in aliena virtute vel ignauia poſitã eſſe conſpicient, quũ diuerſis in locis, varia fortuna dimicari ad euentũ ſummę rei, ſuſpenſis animis cogitabunt. An vobis mente atq; memoria excidit quanto cum labore, quantóq; cum periculo repētinas hoſtiũ eruptiones ſuſtinuerimus? vt nũc omnino inſani ſimus, ſi qui Gallis equitibus pedeſtri in pugna vix ęquabamur, nunc demũ Heluetię phalangis vim ſuſtinere ex improuiſo poſſe cõfidimus. Ego certè quanq̃ ſciam multò facilius eſſe cõtra diſſerendo alienis obtrectare conſilijs, q̃ veram in ſumma negotij difficultate ſalutis atq; victoriæ rationē inuenire, nullam tñ reliquã ad auertendos hoſtes viã ſupereſſe cõſtanter affirmauerim, præter eam, quę nobis in hac rerũ omnium anguſtia ſecuritatē pollicetur, nõ modò ſalua, verũ etiã amplificata regij nominis exiſtimatione, qua vna re vel infirmos exercitus feliciter regi, & plena ſpe ad victoriã facile perduci videmus. Caſtra etenim ad Ecciam loco aperto atq; munito locãda, concidendosq; omnes aditus, quà iter ad arcem facturus ſit hoſtis, ea ratione cenſeo, vt nec hoſtes temerè cõtemnere, nec eos demiſsè nimis ac perditè timere videamur. Exercitus nanq; noſter decoro

in ſpeciem egreſſu eo tutior atque nobilior erit, quòd vallatis caſt[illegible] locoq; na[illegible] tura permunito, & prohibere ex tuto hoſtem, ſi temerè [illegible]gredi pergat, & oſtentare vires poterit ſine vllo coactæ dimicatio[illegible] periculo: ij quoque qui in arcibus ſunt omnino conquieſcent, nec i[illegible]ucias, vt datis obſidibus caueant, vnquam violabunt. Quòd ſi con[illegible]um nõ dictu modò fœdum, ſed ipſo etiam exitu luctuoſum ſequemur [illegible] copias in vrbe continendo, ſtratum atque expeditum iter ad arcem [illegible]uo relinquamus, nõ modò de tuenda Neapoli, ſed de ſumma belli [illegible]oria omnino nobis erit deſperandum: quando receptis ſemel intra [illegible]s tot hoſtibus, ijsque omni induciarum religione ſolutis, nec robuſtiſ[illegible]us quidem exercitus repugnabit. At ſi quoſque aditus locorumque anguſtias vel iuſto opere, vel congerie lapidum, deciſiſque & obiectis arboribus, vt ipſa loci fert natura, ſtrenuè atque celeriter muniamus, hæc quæ pleriſque ardua videntur, opinione omnium faciliora euadent, conatusque hoſtium maiore aliquanto cum voluptate quàm periculo noſtrorum militum penitus eludentur. Ergo ſi vrbem incolumem, Ferdinande, ſaluum imperium, ciues pariter ac milites tuos ſeruatos, victoresque, quàm hæc omnia veluti vno fulminis ictu concuſſa atque proſtrata videre malueris, protinus ad Ecciam educ ſigna, regijque animi vigorem, quum maximè facto opus eſt, alacritatis atque fiduciæ plenus oſtende. Aliena namque virtus vel falſo etiam fulgore hoſtibus ſæpe timorem præbet, animusque vel aduerſo ſucceſſu conſternatus plerumque ad alieni metus imaginem vel falsò conceptam erigitur. Sed hæc tibi extemplò peragenda ſunt: nam in præcipiti bellicarum rerum occaſione, grauia repentinaque pericula multæ deliberationis conſilium non admittunt. Ferdinandus ea permotus oratione, veluti diſcuſſo ancipiti metu, animum erexit, quãquam eum ingentis ſpei plenum binæ clades vehementer contudiſſe viderentur: ſtatuitque, vt protinus ad Ecciam periti locorum atque militiæ mitterentur, qui inſpicerent cuncta oculis, diligenterque luſtrarent, ſi concidi ac muniri aditus poſſent: ſe nihil moraturum quin eò copias omnes educeret, & Proſperi conſilia ſequeretur. Nec multo pòſt Ioannes Montanus fide virtuteque animi illuſtris, qui pedeſtribus copijs præerat, deſumpto ſibi eo munere Ecciam profectus, renunciauit, ea quæ Proſper docuiſſet, optimo prouiſo fuiſſe conſilio: operamque ſuam ad ea perficienda maximè conſtanter obtulit, ita vt conductis operis prolixè polliceretur, ſe celeriter munitiones eſſe perducturum, quæ niſi ſumma cum pernicie accedentium hoſtium non modo ſuperari, ſed nec oppugnari quidem poſſe omnium iudicio videantur. Itaque magnus numerus agreſtium ad faciendum tuendumq; opus, finitimis totius Campaniæ imperatur. Vrbana omnis multitudo, ac milites qui ex prælio Neapolim fuga repetebant, educitur: tormentaq; in primis Ecciam conuehuntur. Is eſt locus admodum editus non procul ab occidentali porta, qui ad arcẽ Pizafalconis extenditur, deſinitque in prætaltam cautem præciſo vndique deiectu mari imminentem, quà Gallis ad arcem tendentibus neceſſe erat penetrare. Paulo infra Ecciam, cœnobium eſt Capellæ nomine nuncupatum. Id ad mare pertinet, impoſitumque eſt viæ inferiori, quæ maris fluctibus alluitur. In eo cœnobio tormenta locis idoneis ſunt collocata: hiſque vrbanæ cohortes duæ præſidio additæ: vt ab omni ſimul parte accedendi facultas Gallis eriperetur. Montanus etiã Cryptæ viam, quæ perforato antiquitùs monte Pauſilipo, Puteolos rectà perducit, aggeſtitia materia præcludere conatus eſt. Sed Perſiuus prima luce motis caſtris,

ſtris,per dorſum Pauſilippi agmen erigere cœpit:cuius ductu Aragonij ab opere reuocati,inſtructis ordinib.vti rex iuſſerat,ſuis locis parati ad pugnã conſtiterunt.Collucebãt proximi colles ingenti armatorũ agreſtiũ multitudine, quorũ inconditis clamorib.cuncta reſonabãt.Regię verò copię paulo infra arduo atq; opportuno loco tenebãtur,adeò vt procul in magnis tympanorum, tubarumq; concẽtibus, tormentorumq; ſtrepitu,longè maximi exercitus ſpecies ſubeũtib.Gallis redderetur.Perſiuus ſua opinione deceptus paululũ ſubſtitit: quippe qui regẽ ad famam tãtę victoriæ perterritũ,atq; adductũ ancipiti periculo,nõ modò extra vrbẽ habiturũ caſtra,ſed fuga ſibi omnino conſulturũ crediderat.Mox vbi ſuos nihil ab arcibus moliri,neq; vllum omnino lętitię ſignum diſploſis de more tormẽtis edere conſpexit, ratus eos aut deditos eſſe, aut omnino (vti erat) inducijs alligatos fidei religione detineri,ad dextram in littus deflexit,& iuxta Reginæ hortos caſtrametatus eſt. Tum verò Galli eminus è caſtris,& è Capellę cœnobio tormentis oppugnari cœpti. Imminebãtque eis è ſuperiore loco inſtructæ acies,leuiaque certamina extra ordinem ab expeditis peditibus edebantur.Sic tamen vt ſe potius pugnæ auidos inclamando atque arma quatiendo procul oſtentarent,quam vt ad conſerendas ex propinquo manus decurrere auderent.Nanq; eos Ferdinandus deſcendere prohibebat,quũ munitus caſtris egregiè ſe teneret,ne parta propè victoria in diſcrimen improuiſę pugnę temeritate militum adduceretur. Interim Perſiuus proximo in littore piſcatorium nactus lembus,de aduentu ſuo,& de pręlio ad Ebulum proſperè facto,nuncium ad arcem tranſmittit.Mompenſerius cęteriq; duces his cognitis tantam vniuerſæ victoriæ occaſionẽ nimis celeri rerum deſperatione amiſſam,nequicquã deplorant: & Fortunam quæ puncto temporis cuncta præuerterit,inanibus querelis execrantur: inſtructoque myoparone idoneos homines remittunt,qui de inducijs Perſiuum doceant, quas ſibi inopia rerum ſubactis vltima neceſsitas expreſſerit. Sibi enim quandiu Ferdinandus aperto in loco caſtrametaretur nõ licere quicquã hoſtile moliri, quod id eſſet expreſsè & iureiurando,& obſidibus cautum. Quòd ſi Perſiuus pulſis hoſtibus,patefactoque aditu ad arcem perrumperet,ſe tum inſtructa acie protinus erupturos: ſin loco viribusq; inferior id facere nequiret,& propterea regrederetur,ſe ad conſtitutam diem dedituros arces, & copias quas haberent, incolumes,expectata æquiore rerũ Fortuna,donec Carolus noua auxilia tranſmitteret,ſeruaturos.Itaque Perſiuus locorum difficultate deterritus,quum ne ad arcem neq; ad vrbis portas propter anguſtias penetrare,neq; oppugnare caſtra,niſi ſumma cum clade ſuorum militum poſſet,ea quę imminebat nocte diſcedere conſtituit,pręſertim quũ eum his in locis diutius permanere commeatus inopia minimè pateretur:neq; triremes Aragoniæ quæ Baiano ſinu eductæ,ex alto ea litora tormentis infeſtabant,Gallos apertis in locis tendere permitterẽt.De ſecunda igitur vigilia ſilenti agmine proficiſcũtur:pars eodẽ Pauſilippi dorſo iter facit,pars Cryptã quã Aragonij obſepſerãt, diſiectis paruo labore repagulis ingreditur. Tum verò cerea funalia religione hominũ ſuſpenſa in Marię virginis tẽplo quod Cryptę adiacet,ad prębendũ lumen, lixarum ac militũ concurſu rapiuntur,quãdo id iter perpetuis tenebris incultũ,ac intonãtis turbę,validoq; equorũ terrã pulſantiũ repercuſſu,Gallis et Heluetijs horrẽdum foret:qui cũ inauditã antea viã humano opere perfectã fuiſſe nõ crederẽt, veluti inferorum ingenio,magicisque artibus perfoſſa montis viſcera mirabã-

tur. Sequenti die Perſiuus pluribus carris cum magna vi omnis generis commeatus ad Cryptam relictis, quibus obſeſſorum inopiam ſe abundè ſubleuaturum ſperauerat, Pomelianum peruenit. Id oppidum cùm omnibus rebus tum maximè conſilio infirmum, Galli, quòd ab Aragoniæ factionis hominibus portæ claudebantur, nullo negotio expugnant: omneſque ad vnum, vt nec fœminis nec pueris parceretur, interficiunt: eoque immanitatis barbara ſæuitia peruenit, vt quum abditas res quærerent, latebras omnes ſedulò ſcrutarentur: quoſdam qui in furnos metu mortis ſe coniecerant, iniectis ignibus concremarint: alios in latrinis latitantes haſtis atque lapidibus demerſos fœdiſsimo mortis caſu pernecarint. Direpto atque incenſo Pomiliano, Perſiuus Nolana via iter intendit, nouiſsimum Gallorum agmen carpentibus regijs equitibus. nanque Ferdinandus motis extemplo caſtris, abeuntes ijſdem veſtigijs fuerat inſecutus: verùm adeò cunctanter & cautè, vt tergis inhærendo non procul abeſſet, & nulla dimicandi neceſsitas imponi poſſe videretur. Ad id tamen quod omnibus artibus deuitabat ſummæ rei certamen quorundam equitum petulantia pene perductus eſt. Nam quum in patentes Palmæ campos qui ad Nolam vergunt, vbi quondam Marcellus atque Annibal conflixere, eſſet peruentum, Gallorum extremum agmen vt tentaret, fortè conſedit apud villam regio ædificio inſignem, quam Alfonſus maior venandi ſtudio allectus opportuna ad id genus voluptatis regione condiderat. Quibus potantibus Aragonij equites leuis armaturę ſuperuenerũt: certatumq; eſt tumultuario prelio, ſed celeriter leuis armatura à Gallis equitibus cataphractis repulſa eſt: qui vti primùm conglobati equos incitarunt, regij non modò verterunt terga, ſed præcipiti fuga in mediam peditum ſuorum aciem, quæ non procul aberat, inciderunt, totamque fœda trepidatione iniecta perturbarunt. Montano qui peditatum regebat obſiſtenti ac ordines conſeruare conanti, aduerſa fugientis militis cuſpide crus traijcitur. Raynaldus Feramuſca atque Cerbellio leuis armaturæ pręfecti, immiſti hoſtibus denſiſsimi pulueris beneficio ſeruãtur: iſque tumultus & conſternati metu exercitus fuga ad regem momento peruenit: adeò vt rex ipſe, & Proſper Columna oppoſitis equitum turmis effuſè fugientes multum increpando, & pleriſque ora gladijs fodiendo vix ſiſterent. Conſtat ea die tãtum exercitum parua manu deleri potuiſſe, niſi ea eleuati pulueris nubes Gallis proſpectum penitus ademiſſet. Nanque paucitatis ſuę conſcij, alienæq; trepidationis prorſus ignari, quum ſe à ſuis in multo ſpatio diſiunctos, & trahi in inſidias & circumueniri facilè poſſe iudicarent, retrò ad ſuos plenis paſsibus redierunt. Ferdinandus quanquam pleroſque ſuorum vulneraſſet, ægrè retentis & reſtitutis ordinibus, Cerbellionem atque Raynaldum temeritatis caſtigauit: & nonnullos qui proiectis fœdè armis Neapolim vſque res perditas nunciantes perfugerant, ignominia notauit. Poſtera die Perſiuum per Sarnenſes montes euadentem, concidentemque in tergo itinera, vt ſequentium curſum retardaret, ad Sanſeuerinum oppidum vſque perſecutus eſt. Inde Galli expugnatis in Samnio aliquot ignobilibus caſtellis, in Apuliam in hyberna conceſſerunt. Ferdinandus verò aliquot dies ad Auelinum moratus, multis de cauſis eos perſequi deſtitit: & quòd hyems ſuberat, & ad recipiendas arces exactis iam inducijs Neapolim vocabatur, eò cum familiaribus equitibus eſt reuerſus. Cæterùm Mompenſerius priuſquam induciæ pręfixo ad certum diem exitu finirentur, arcemque dederet, contra iuſiurandum

ex arce

ex arce Noua cum lectiſsimis ſuorum equitum, noctu conſcenſis nauibus Salernũ profugit, ipſius maximè Salernitani conſilium ſecutus: qui cũ ſe nunquã alicuius Aragonij principis fidei ſalutem ſuam commiſſurum iuraſſet, Gallos omnes omnibus arcis locis concionabundus ad renouandum bellum hortabatur: quando ſi victorum arbitrio ſe dederent, non modò hoſtium fraude, qui nullum iuſiurandum nullamq; pietatem colerent, fœdè perituri eſſent: ſed cæterorum quoque omnium Gallorum, qui in præſidijs toto regno eſſent diſperſi, ſalutem proderituri viderentur. Supereſſe bis victorem exercitum, egregia vbique Andegauenſium ſtudia vigere, Caietam Tarentumque validiſsimas regni vrbes præſidijs teneri: expectari claſſes quæ in Gallia atque Liguria pararentur: non eſſe cur regem inani multitudinis ſtudio in ſpem obtinendi regni ſublatum, cæterum profligatum, exutum armis exhauſtumque pecunia, Neapoli ac regno interim expelli poſſe diffiderent. Si enim neque animos dimittant, neque arma turpiter abijciant, cuncta ipſos, quò ſemel vires ac animi verterentur, proſperè tentaturos. At turpe non modò ſed ærumnoſum omnibus fore, ſi Mompenſerius & perſonæ quam gereret, & ſupremi officij militaris, quod ab Carolo ſibi eſſet demandatum, penitus obliuiſceretur. Debere eũ ſicuti præproperè inducias paciſcendo, victoriam aliorum virtute partam interpellarit, inexpiabilis eius errati detrimentum fortioribus conſilijs reſarcire. Nec tum ipſi duci præclara audenti milites defuturos, qui publicũ Galliæ decus reſpicerent, ipſamque omnium ſalutem ac libertatem obnixè tuerentur. Se quidem qui id conſilij præberet, omnes Lucaniæ opes permultis & recentis et veteris belli caſibus Gallico nomini obligatas confeſtim additurum, & ad extremum conſtanter in fide perſiſtendo, ſi Dij tantis ac vtique prudenter initis ſuſceptisque conſilijs infeſti forent, Carolo Regi vel acerbiſsima morte ſatisfacturum. Erat enim Salernitanus Aragonijs omnibus maximè infenſus: nec vllum omnino gratię, aut veniæ locum vllo vnquam tempore apud eos ſibi futurum arbitrabatur, propter inſignes iniurias quibus ſeniorem Ferdinandum affecerat, quũ & anteà deprauatis concitatisq; omnibus ferè totius regni proceribus, aduerſus eum coniuraſſet: ac tum demum quum in Gallia exularet, Alfonſo regi tantũ bellum vndique concitaſſet. Mompenſerio Salernitanoq; in Lucaniam ad inſtaurandum bellum profectis, cæteri duces Galli arces dediderũt: obſidibusq; receptis cum reliquis copijs Caietam nauigarunt. Nec multo poſt Alfonſus febre ſęua correptus, quam ex atris humorib. conceperat, Meſſanæ interijt: tanta quũ moreretur cęleſtis vitę cura, adeoq; inſigni in Deũ pietate, vt qui regia licentia per omnnẽ ætatem cunctis voluptatib. effuſè ſeruierat, deſpectis humanis rebus, longè omniũ ſanctiſsimè ex hac luce migraſſe diceretur, quanquã poſt Ferdinandi filij reditũ, arcesq; receptas, rurſus eum repetendi regni cupido inuaſerit: quum animus haud ſatis conſtantibus decretis ad priuatam vitã fortiter ferendã confirmatus, ſeſe in his arridẽtis Fortunæ ſucceſsibus erexiſſet. Obtulerat enim Ferdinando prætèr veteris gazæ reliquias, induſtriam ſuam, ſi ea ad conficiendum bellum vſui futura videretur. Cæterum ſe ab omni humanarum rerum cura penitus abdicatum, arce Capuana contentum fore, quæ amœniſsimum regalis Podij ſeceſſum extremo in vrbis angulo abſconditum deſpectaret, atque ibi vitæ reliquum procul à conſpectu multitudinis tranquilla in pace finiturum. Sed Ferdinandus vti regum ferè omnium mos eſt, qui regnandi cauſa, neq; pietate, neq; verecundia permo-

uentur, quum eadem imperij libidine teneretur, inſanientis patris deſiderium celeriter eluſit, deprecando ne initia infirmæ adhuc victoriæ intempeſtiuo aduentu ſuo perturbaret & euerteret: quò erga eum alieno eſſent animo non modo ipſi Andegauenſes, ſed omnes propè Aragonij, qui veteris eius imperij memoriam reformidarent, & ſtudia in Gallos, ſi tum aduenirent, ſubita animorũ conſternatione conuerſuri viderentur. Ob id Alfonſus ſuo pudore planè caſtigatus, omnem recuperandæ regiæ dignitatis ſpem penitus abrupit: contulitque ſe in contubernium ſacerdotum, vbi ſacris intentus literis religioſiſsimi officium vſque ad vitæ exitum pleniſsimè vel ſimulauit, vel impleuit.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI HISTORIARVM SVI TEMPORIS.

LIBER IIII.

INTEREA Carolus qui iam ſuperatis Alpibus in Galliam vlteriorem peruenerat, poſtquam de Perſiui victoria certius cognouit, eos qui bis collatis ſignis adeò feliciter dimicaſſent, auxilijs terra marique tranſmiſsis iuuare conſtituit. Itaq; in maximam ſpem belli proſperè conficiendi haud dubiè erectus, naues onerarias inſignis magnitudinis parari atque exornari Maſsiliæ iubet: mittunturque Genuam ad alias pecunia conducendas Orphæus præfectus nauium Gallicarum, & Primodeius quæſtor: qui tametſi ab his rebus adminiſtrandis per Ludouicum Sfortiam haud obſcuris artibus retardabantur, claſſem tamen coactis vndique nauibus celeriter compararunt: copijsque impoſitis, nautas Caietam curſum dirigere iuſſerunt. In ea claſſe Buſſechus & Anzoltus erant cum aliquot delectis Germanorum Heluetiorumq; cohortibus, præterea circiter mille Vaſcones ſagittarij, & nõnulli equites Galli illuſtres cum Aloiſio Arſio duce impigro: itemq; ex Neapolitanis Andegauenſis factionis Aloiſius Geſualdius Compſanus princeps, et Traianus Papacauda magni vir conſilij, gnarusque militiæ, qui Carolum ſecuti, pace demum apud Vercellas conſtituta, eum proceresque omnes ad tranſmittenda auxilia continuis cohortationib. accenderant. Interim Ferdinandus à Ludouico Sfortia de aduentu claſsis certior fiebat. nam qui ex fœdere, quin portus, claſſes, cunctaque regijs procuratoribus paterent, prohibere non poterat, aſsiduè monebat Aragonios, vt quanta maximè poſſent cura ac celeritate claſſem augerent ac educerent: quando interclus̃is maritimis auxilijs, non multo poſt veluti deſperata victoria, & Mompenſerio & cæteris Gallis omnibus regno eſſet cedendum. Quòd ſi eam hoſtium claſſem Caietam libero mari incolumem deferri paterentur, ipſos victoriam quæ iam certa exploratać; eſſet, non in dubium modò, ſed in funeſtum rerum omnium diſcrimen eſſe deuocaturos. Verùm ea fuit

ſupra

ſupra cæteras rerum difficultates in educenda atque expedienda claſſe Aragonijs, incuria, vt Gallicæ naues quæ auerti vel opprimi facilè poterant, prius Càietanum in portum ex alto ſe intulerint, quàm Triuentius ex Pontia inſula, vbi ſtationem habuerat, eas adipiſci potuerit: vna tamen, magnitudine inſigni nomine Magdalena, milite commeatuque onuſta, quæ cæterarum curſum æquàre non potuit, intercepta eſt. Per eos quoque dies conductus Gallico ſtipendio Virginius Vrſinus, & cum eo plerique viri illuſtres ex eadem familia, qui eius tanquam factionis militiæque principis nomen atque authoritatem ſequebantur. Is enim quum captiuus in Galliam à Carolo duceretur, ea forte die qua ad Tarrum eſt dimicatum, æger pedibus ad Foronouum in Apennino ſubſtiterat, incertũ, data fide, an cuſtodum incuria, regis ſcilicet Gallorumque omnium animis atque oculis in eius imminentis pugnæ diſcrimen intentis. Exinde nonnihil in Gallia Ciſalpina moratus eſt, vt belli inclinationem potius quàm exitum expectaret, exploratàque principum erga ſe voluntate, nouæ fortunæ conſilia ſequeretur. Tranſiuit non multò poſt in agrum Romanũ, & veteres milites coegit pecunia Petri Medicis maximè adiutus, quem ſe vel primum exercitus ſub ſignis foret, Florentiam reducturum pollicebatur. Indè profectus in Vmbriam, Valdum Nucerini agri oppidum in gratiam Baleonũ Peruſię principum, qui id armis repetebant, oppugnauit, ſed fœdo admodum exitu: nam defendentibus non modò mœnia Fulginatium cohortibus, verum etiam audacter erumpentibus, aliquot milites & ferreum ingens tormentum amiſit: filijque eius Carolus atque Iordanes, itemque Liuianus, conuulnerati fuere. Nec irrito incœpto abſcedentem, ac ſigna in Etruriam vertentem, Baleoni ſecuti ſunt, vti ſe facturos promiſerant: quando eum qui in oppugnatione oppidi plures dies fruſtra hæſiſſet, tantæ molis bellum parum proſpere tentaturum apparebat. Virginius Vmbria digreſſus, ſuperato Clani amne, ad Rapolanas aquas in finibus Cluſinorum conſedit, magnumque Florentinis amittendæ libertatis timorem præbuit. plerique enim ſuſpenſa metu ciuitate occultas cõiurationes à veteribus Mediceorum amicis, clientibusque initas eſſe ſuſpectabant, verebanturque ne eę copiæ, quæ tum exiguæ erant, occulto Ludouici Venetorumque conſilio maximi exercitus initium fierent: quãdo illi iam ex profeſſo, & tueri Piſanos vellent, & Gallorum ſocios pro hoſtibus habere, belloque perſequi decreuiſſent. Quibus de cauſis Florentini, ne aliqua vis inteſtinę fraudis erumperet, ſuſpectos ciues in proxima oppida pręſcriptis finibus ablegarunt: aduentantique Virginio Herculem Bentiuolum, & Rannucium Martianum apud Cortonam oppoſuerunt, quos ex agro Piſano cum expeditis copijs euocarant. Ob id Virginius per niuoſa loca copias circumducens, ad alẽdum militem aliquot ignobiles villas expugnauit, quum nec ſibi ſatis viriũ eſſet, vti vim magno conatu moliretur, aperteque perrumperet, neque Petro Medici conſilia procederent, qui amicorum erga ſe ſtudia opinione debiliora fuerat expertus. Interim Camillus Vitellius cum Gimello Gallo equite è Gallia miſſus, ad Virginium cum mãdatis regijs peruenit, attulitq; in ſtipendium duodecim milia aureorum nummûm, congreſſusque cum Virginio & filijs, præfectisque eius magnis pollicitationibus nutantem, perpulit, vt Gallorum partes ſequeretur. Veneti nanq; & Ludouicus Sforza, itemq; Alexander Pontifex per idoneos homines Virginiũ Ferdinando conciliare conati fuerant: ac ſum maximè hominẽ obteſtabantur, ne cõtra totius Italiæ conſenſum atq; iu-

diciũ publicis hoſtibus adhęrere vellet: Fore etenim à Ferdinando, qui iã honeſtiſsimas obtuliſſet conditiones, in antiquam amiſſorum oppidorũ poſſeſſionem, priſtinamque militiæ dignitatem reſtitueretur, ſi vti erat humaniter inuitatus, vetera erga Aragonios beneficia nouis virtutis ac fidei meritis cumularet. Enimuerò Ferdinandus Tallacotium in Marſis, & alia oppida Virginij ditionis, Fabritio Columnæ attribuerat, quæ ab eo ſub Caroli aduentum fuerant capta. Ipſeque Fabritius Magiſter equitum erat creatus, quem honorem militiæ longè ampliſsimum ſub Ferdinando ſeniore, Alfonſoque Virginius antea geſſerat. Ea vna re animus eius nequaquam ſuperiorem vel parem dignitate ferre ſolitus, vehemẽter offendebatur. Portò ſi in partes Gallorum tranſiret, ducis quidem nomen penes Mompenſerium fore, cæterùm in caſtris Gallos ſibi vni obtemperaturos exiſtimabat, quòd neminem eſſe, qui ſe melius Aragonię militię rationes, regni, opum, locorumque omnium notitiam teneret, arbitraretur: neque vtile ſibi vel decorum putabat, ſi Ferdinando ſeſe viresque adderet, apud quem aduerſæ factionis principes Proſper atque Fabritius veteres ipſius hoſtes primum honoris & gratiæ locum occupaſſent. Liuianus tamẽ ſæpius eſt eum deprecatus, ne ſeſe totque clientes ſuos, ac vniuerſam Vrſinam familiam in ſummum diſcrimen adduceret. Quoniam aduerſus ſummas opes tantorum regum, qui Ferdinãdo ex fœdere fauerent, eam belli expeditionem, dijs atq; hominibus infeſtis, ſuſcepturus eſſe videretur. Sed Virginium vel innata elato eius animo contra æquum & bonum contumacia, vel occulta vis fati, quæ ſæpenumero prudentes ad inſaniam vertit, contactu Gallicæ pecuniæ corruptum, aliò rapiebant. Itaque Petrum Medicem quem pecunijs nuper exhauſerat, magnificis ſolatus verbis, dimittit: abeuntem orat, vt neque de ſua erga ipſum voluntate, neque de Fortuna deſperare velit. Fore etenim vt Neapolitanæ victoriæ, quam ipſe concepiſſet, fructum maturè ſentiret, quando ipſe non prius quàm Mediceam familiam armis Florentiam reduxiſſet, corpore vel animo eſſet conquieturus. Eo dimiſſo Carolum filium pro obſide in Galliam tranſmiſit, & per Tudertinum Sabinumque agrum Aquilam profectus eſt. Eius aduentu timore adductus Cantelmus Populi Comes, cum Aragonio præſidio vrbe exceſsit: ſimulque Interamna in Præcutinis partes Gallorum ſequuta eſt. Monteleonem quoque oppidum à Vitellianis ex itinere captum, & cum multa cæde oppidanorum crudeliter direptum: paucisque diebus Lancianum celeberrimum Apuliæ emporium, quod antiquitus Anxanum Frentanorum fuit, magno Aragoniorum cum terrore peruenit. Erant enim ſub ſignis Virginij equites cataphracti circiter quingenti, & totidem leuis armaturæ: ſingulas alas ductabant Iordanes filius, Paulus & Franciottus Vrſini: præterea Liuianus, & Antonius Comes: itemque Baleonij eximiæ virtutis iuuenes Simonettus, Carolus & Hadrianus à proceritate corporis cognomento Morgantes: Vitellij quoque Camillus & Paulus (nam Vitellocius Tiferni remanſerat, vt in Galliam pro obſide proficiſceretur) quadringentos vtriuſque armaturæ equites militariter potius quàm ſplendidè inſtructos adduxerant. His quoque Baylíuus Vitrius qui Aprutinam præfecturam obtinebat, cum ala Gallorum ex itinere ſe adiunxerat. Ab Gratiano autem Guerra, Ioanneque Rouereo, & Sigiſmundo Cantelmo in Marſis & Pelignis bellum impigrè gerebatur. Belcarius Caietę proximisq; Campaniæ oppidis copias, quæ è Gallia nauibus aduenerant, ſingulari cura recreabat, armis veſteque ac rebus reliquis

omnibus

omnibus adornabat, Ipſe Mompenſerius & Perſiuus, Salernitanusque & Beſennianus copijs nouo delectu auctis, ex Lucania in Hirpinos ita opportunè tranſierant, vt Ferdinandus qui Apenninum tranſgreſſus ad Fogiam vrbem in Apulia conſederat, vndique magnis hoſtium exercitibus circumuentus eſſe videretur. Quibus de cauſis in ſummas eius belli difficultates adductus, quòd extrema pecuniæ inopia premebatur, ad Venetos confugit, orando; vt ſicuti totius Italiæ egregijs operibus editis conſeruatores omnium iudicio nuper extitiſſent, ita imperij Neapolitani atq; ipſius Aragoniæ domus ſalutis ac dignitatis curam ſuſciperent: ſe in teſtimonium egregiæ voluntatis, ad gratiam eius accepti immortalis beneficij integra fide, cum potis foret, referēdam, conceſſurum in eorum poteſtatem quas vellent Apuliæ vrbes pignoris nomine, donec eæ, reſtituta pecunia quam mutuam dediſſent, recuperatæ forent: futurumq; eſſe, vt ſi ipſis maturè opem ferentibus Aragoniæ res ſtabunt, ac eiecto externo hoſte firmarentur, ipſe, Aragonijq; poſteri omnes Venetos tanquam præcipuos patronos ac tutelares dominos ſtudioſiſsimè colerent. Veneti qui tū magnis opibus florebant, ac imperij fines extra principum inuidiam proferre cupiebant, adhortantibus maximè Ludouico Alexandroq; pontifice, defendendi aduerſus Gallorum vim Ferdinādi, conſeruandiq; eius regni negotium ſuſceperunt, ea conditione, vt ſibi maritimæ vrbes Tranium, Monopolis, Polygnanum, Mola, Hydruntum, atq; Brunduſium in Apulia traderētur, eſſentq; Venetæ ditionis, donec Ferdinandus impenſam eo bello pecuniā Senatui Veneto perſoluiſſet. Nec multò pòſt Mantuanus recenti rerū geſtarum gloria clarus, quum neminē eo fortius Gallos debellare poſſe homines crederent, eamq; præcipuè Ferdinandus flagitaret, Imperator deligitur, additurq; legatus Paulus Capellius excellenti virtute patritius. Itaque circiter Idus Februarias, euocatis ad ſe Mantuam ex hybernis delectis militibus, hisq; nauibus impoſitis ſecūdo Pado Rhauennam deuehitur: atq; inde per Vmbriam itinere facto paucis diebus Romā eſt profectus, putans Alexādrum pontificē in ipſius gratiam, vt ille promiſerat, Sigiſmundum fratrē purpurei galeri dignitate protinus ornaturum, quòd in ea periculoſi admodum belli difficultate, & à Senatu Veneto, & à Ludouico Sfortia, magnoperè in eius honoris petitione fuerat commendatus. Verùm quum ab Alexandro, qui iam aliquot neq; animi virtute, neq; natalibus inſignes, Sigiſmundo præterito, in eum ordinem legerat, falſis pollicitationibus impleretur, auerſatus hominis ingenium Roma exceſsit, tranſgreſſusque ſancti Germani ſaltus anguſtias, & Venafro ex itinere recepto, Capuam, atq; inde Beneuentum exercitu incolumi peruenit, vbi tum erat Federicus regis patruus, qui vrbē pontificiæ ditionis aduerſus Gallos ex omnib. Samnij oppidis imminentes, præſidio impoſito tuebatur. Eius aduentus labantem Aragoniorū rerum fortunā mirificè ſubleuauit: adduxerat enim vtriuſq; armaturæ equites eximiè ornatos, circiter mille & quingentos, in queis erant ſeptingenti, partim Græci, partim Epirotæ duce Contareno. Sed in ijs minores præfecti plures erant probatæ virtutis, & ante alos Dominicus Boſigia, & Mercurius, viri in eo genere militiæ omnium poſtea eius nationis longè clariſsimi. *Mille* quoque veterani pedites, quibus ob ſpectatam virtutem pace ac bello ſtipendio ſoluebantur, Craſſo duce, ſecundum Adriatici oram nauibus in Apuliam delati, ad eum peruenerant. Dum Mantuanus è Latino agro in Campaniam tranſiret, Galli de eius aduentu multorum literis certiores facti,

diuerſa gerendi belli conſilia inibant. Virginius ad eum intercludendum ex Apulia in Campaniam proficiſci oportere cenſebat, coniunctiſq; viribus cum his, qui mari aduenissent ducibus, et tormentis ex arce claſſeque detractis, dum Ferdinandus in Samnio moraretur, ad oppugnandã Neapolim properè contendendum eſſe diſſerebat. Quod conſilium cùm ab ipſo Belcario, tum à cæteris qui Caietæ erant, maximè probabatur. Mompenſerius verò atque Perſiuus præſentis potius commodi, quàm vniuerſi belli exitus rationẽ ſequuti, ex Hirpinis perſcribebant, non videri ſibi cur alibi potius quàm in Apulia bellum geri deberet. Imminere adulti Veris tempus, quo portorium pecoris, ijs, qui in Apulia viribus pollerent, exigendum foret, vti ex mutua pactione cum hoſtibus conueniſſent: ex eo vectigali ſupra centum milia aureorũ nummûm pendi: propterea nihil ſtultius fore, quàm ſi ipſorum beneficio, Ferdinandus pecuniarum inops, tantum opimi portorij emolumentò ditaretur. Quòd ſi in Apulia vndique Gallorum arma coirent, milites qui iam debita ſibi ſtipendia flagitare cœpiſſent, in tam propinqua ſpe noui prouentus, non modò conquieturos eſſe, ſed in ea alacritate omnem penitus exiſtimationẽ, quę vana potius regij nominis imagine, q̃ veris viribus conſtaret, hoſtium copijs erepturos: proinde ſibi videri magno vſui fore, ſi Vitellij fratres cũ alis ſuis ad Caietana præſidia ex itinere excipienda mitterentur, vt ad ſe per Hirpinos iter facturis tutiſſimus aduerſus hoſtium inſidias tranſitus præberetur. Virginius qui nec abſentes docere poterat, monſtrando qualis occaſio ad ſummæ victoriæ profectum eo in Apuliã tranſitu penitus amitteretur, & Gallos homines ab eo conſilio literis dimoueri nõ facilè poſſe intelligebat, Vtinam, inquit, Fortuna, quæ recta monentes ſæpius eludit, opinionem meam fallat: ducemque noſtrum præpoſteris vtentem cõſilijs, ſecunda ac fauens omnino ſubſequatur. Nec multò pòſt Vitellij trans Apenninum in Campaniam mittuntur, vt pedeſtribus copijs ac tormentis pręſidio eſſent. Quibus exceptis iunctiſq; in vnum copijs, ad Mompenſerium contenderunt. Cognitis hoſtium conſilijs Ferdinandus è Samnio, ſicuti diximus, in Apuliam trangreſſus, Fogiæ, quæ vrbs ex Harporum ruinis creuit, conſederat, vrbeſq; mediterraneas, opportunaq; oppida præſidijs munierat, cum ora maritima fermè omnis Venetæ claſsis præſidio, Aragoniæ in fide teneretur. Ex aduerſo Virginius ad ſancti Seueri oppidum agri Sipontini caſtra promouerat, omniumq; vtriuſq; partis animi in eam curam erant intenti, vt coactis ac oſtentatis viribus, aduerſarios ad pugnam prouocarent, ac patentibus vagando campis, hoſti detrectanti certamen amiſſę poſſeſsionis Apuliæ confeſsionem exprimerent. Quoniam qui eam rem obtinuiſſent, ex præſcripta pactione exigendi vectigalis iura habituri viderentur. Inclinauerat enim iam ſe annus ex ſęua hyeme, ac vernum tempus appetebat, vt armẽta, quæ niuoſis Pręcutinorum Pelignorumq; mõtibus deducta, in herbidis et apricis Apuliæ campis hyemem abſumpſerant, à paſtoribus reducerentur, qui non procul à Gargano monte quum tranſibant, portorium regijs publicanis perſoluere conſueuerãt. Per eos dies, cum Ferdinandus ad tentandas Virginij vires leuem armaturam qua maximè valebat, ſæpius emitteret, Franciſcus Ruſticus Romanus ſagittariorum equitum præfectus, & Theodorus Bocalus Gręcorum dux non procul à ſancti Seueri oppido cum Virginij equitatu proſperè conflixerunt: occiſoque Antiquario inſigni architecto, & Morgante conſauciato, pluribuſq; alijs interfectis, et captis, cęteros perterritos intra oppidi portam com-

tam compulerunt. Quo ſucceſſu Rex inuitatus, ſequenti die omnes copias in conſpectum oppidi inſtructis ordinibus adduxit, vt prius quàm Mompenſerius Vitelliјque cum Germanis in Apuliam deſcenderent, cum Virginio manus conſereret, ſi temeritate hoſtium aut caſu aliquo pugnandi facultas præberetur. Quòd ſi Virginius ad pugnam elici non poſſet, campos circumeundo adeptæ poſſeſsionis portorij nomen apud paſtores adſequeretur. Sed quum Virginius cauto innixus conſilio munitis locis ac Vinetis, quæ oppido iungebantur, ſe cōtineret, Ferdinandus alterum propoſitum tenuit: circumuectusq; oppidum alas in pompæ morem explicando ac ignauiam hoſtibus exprobrando, ita vt ex propinquo militum voces exaudirentur, Fogiam victori ſimilis eſt reuerſus. Triduo poſt Mompenſerius apud Caſalem arborem, quod eſt oppidum Hirpinorũ in radicibus Apennini poſitum, cum pedeſtribus copijs, quæ ab Caieta ad ſe peruenerant, caſtra coniunxit, depoſitisq; ibi maioribus tormẽtis, quoniam ad exigendum pecoris vectigal celeritate potius quàm vera vi opus eſſe putabat, expedito cum exercitu in Apuliam deſcendit. Ei quoque ab ſancto Seuero obuiam progreſsi Virginius Bayliuusq; Vitrius, apud Syluam planam Troiani agri cum omni equitatu coniunguntur. Fit magna gratulatio tantis in vnum coactis auxilijs. Buſecus Germanus & Anzoltus Heluetius cohortes ſuas producunt: explicatisq; vexillis ac inſtructis ordinibus eas oſtentant: ingreſsiq; in ſermonem de Tarrenſi pugna, cōtemptim de Italis, de ſe verò ac Gallis magnificè proloquuntur: omnibusque de obtinenda non modo pecunia ex ipſa poſſeſsione vectigalis, ſed de ſummæ rei victoria ſpes confirmatur. Erant enim in caſtris cataphracti mille & centum, leuis autem armaturę equites circiter mille et quadringenti, peditum Germanorum ac Heluetiorum ſex milia, Brutiorum & Lucanorum quos Beſennianus, & Salernitanus adduxerant, adiunctis Vaſconibus, cohortes decem: quibus cum minimè congreſſurus eſſe videbatur Ferdinandus, priuſquam Mantuanus cum auxilijs ſuperueniret, quum & numero & virtute militum inferior haberetur. Erat eius exercitus trifariam diuiſus: Fabritius Columna Troiæ præſidio erat impoſitus: Proſper Columna Luceriam tuebatur: ipſe, vt diximus, Fogiæ caſtra habebat. Gallis propter Luceriam ac Troiam iter erat cōtendentibus Manfredoniam, quæ Sipontus olim fuit, vt publicanos locumque exigendi portorij præoccuparent. Iis in itinere obuij fiunt ſeptingenti Germani pedites duce Hederlino, qui Troia egreſsi, vt ſe cum cæteris Germanis Proſperoque coniungerent, Luceriam petebant. Eos Fabritius monendo deterrendoque, ne ſe in tanta hoſtiũ propinquitate ad apertis præſertim locis ſine equitatu committerent, multum fuerat obteſtatus. Sed Hederlinus ſuorum virtuti confiſus, omne periculum ſtolida temeritate contempſerat. Itaque patentibus in campis à Vitellianis, qui antecurſores erant, circumueniuntur. Germani diſciplinæ memores, pectora obuertunt, ac in orbem depugnant, cominusque præ longis haſtis, eminus vero ſclopettis rem gerunt. Contra Vitelliani quum ordines fruſtra incurrendo perrumpere conati eſſent, multique equi pilarum procella ſauciarētur, baliſtis ac ſclopettis vti cœperunt, ſic vt quaternæ turmæ ſibijpſis in gyrum ſuccedentes, orbem incedentium hoſtium ſagittando perpetuo ordine circuirent, multique paſsim quum nulla ſagitta confertis fruſtra incideret, configerentur. In tanta prœlij iniquitate Germani pertinacia ac rabie quadam incitati, quod neque alicunde ſubſidium expectabant, neque ſe in tanto emenſi itineris

ſpatio, ſi conſeruatis ordinibus ſe reciperent, ſagittarũ vim tolerare poſſe iudicabant, aperto orbe circiter ducentos emiſerunt, factoque impetu in equites, eos pluribus interfectis diſiecerunt. Periere eo concurſu Cemperuſius nobilis Gallus, Aletij in Salentinis regulus. item Petrus Poctius turmæ ſagittariorum præfectus, & Buſus inſignis eques veteranus. Sed quum Germanis nullus diſciplinæ ac virtuti locus relinqueretur, abſumpto præſertim omni puluere ſulphureo, quod & repugnantes extra ordinem multitudine equitum opprimebantur, & denſato agmine incedentes, à circumfuſis ſagittarijs delebantur, deſperata ſalute ad Chilonem amnem peruenerunt. Ibi, quod ſolutis ordinibus propter impeditas ripas deſcendere erat neceſſe, Hederlinus, quem multis miſerabiliter confixum ſagittis exanimẽ, equoque impoſitum ſumma pietate deferebant, à ſuis deſeritur: cæteri incredibili peruicacia repugnando ad vnum omnes interficiũtur. Eius celebris facti laus penes Camillum Vitellium fuit, cui quum equus fuiſſet interfectus, & pharetras equitũ exinanitas eſſe animaduertiſſet, cataphractos deſcendere ex equis iuſsit, & ijs pedes in fluminis alueũ, vbi ſuprema Germanorum obſtinatione pugnabatur, ſingulari promptitudine ſe coniecit. Ea die ſclopettarios equites, quos Camillus ſuopte militari ingenio nuper inſtituerat, tum primùm in aciem & felici quidem periculo productos fuiſſe conſtat. Deletis iam magna ex parte Germanis, Liuianus cum ala ſubſidio Vitellijs aduolauit: alijq; deinceps, ac alij duces: ipſeq; demum Mompenſerius atque Virginius ſuperuenerunt. Iacebant paſsim, vti incedentes ſanguis viresq; defecerant, toto eo itineris tractu ingentia corpora Germanorum: ipſeque amnis, quanquam exiguas vndas traheret, obice cadauerum retentus, alueum cruentis aquis reſtagnantem tranſeuntibus oſtendebat. Eius cladis fama vno ſimul tempore Luceriam, Troiam, Fogiamque delata, Aragoniorum animos magnoperè perturbauit, auxitq; Gallis ducibus audaciam, quam nuper cunctarum virium, opportuna coniunctione conceperant. Nec mora eo ſucceſſu alacres rectà Fogiam pergunt, vt regem inſultando ac prouocando ad certamen extraherent: ſi fortè iuuentæ vigore præferuidus ad periclitandas vires, potiore decoris quàm ſalutis cura duceretur. Sed Ferdinandus ſuorum ducum monitis obtemperare ſolitus, diſpoſitis vndiq; tormentis, copias ita eduxit: vt à mœnibus portisq; minimè diſcederet: et Græcorum tãtùm leuis armatura, quæ ei erat mirifica, audacter emitteretur. Nanq; ijs fermè diebus ſupra mille egregij equites Venetorum pecunia conducti, è Macedonia Fogiam peruenerant. Horum alacri ac ſpecioſo admodum egreſſu confirmatus, defenſuſq; præſidio tormentorum, quæ in mœnibus erant, aliquandiu in acie ſtetit: atq; ea mora tandiu hoſtes futuræ pugnæ expectatione fruſtratus eſt, vt iam ipſum minimè prælio defugiſſe appareret, & Galli ingruentibus tenebris, magno cũ incommodo caſtra ponere cogerentur. Poſtero die Galli promotis caſtris, inſtructaq; & parata ad dimicandum acie, Fogiæ mœnia prætervecti, ad Deiparæ virginis Coronatæ Fanum, quod in medijs nemoribus eſt poſitum, conceſſerunt. Tuncque primùm priſtini erroris ſui incommodum Mompenſerius ſenſit, quod tormentis maioribus ad Caſalem arborem relictis, præpropera atque inani feſtinatione in Apuliam tranſcendiſſet. Nam omnium opinione conſtabat, regem turpiſsimè fugere, relictis impedimentis neceſſe fuiſſe, aut eum, ſi dignitatis iacturam quàm ſalutis potiorem duxiſſet, expugnata nullo negotio Fogia opprimi potuiſſe. Sed is animo erat ad victoriam adeò confirmato,

mato, vt quo Gallos magis deſpicere videretur, falconum aucupio intentus Fogia exiret, & per eos campos ipſo propè in conſpectu hoſtium, incredibili fiducia vagaretur: ita vt quum ſemel omnibus de eius ſalute ſollicitis, errabundus in multam noctem rediſſet, à Proſpero ſingulisque militum ordinibus, qui armati obuiam prodierant, tantæ temeritatis libera voce reprehenderetur. Inde Galli ad armenta cogenda traducendaque, Liuianum cum leui armatura præmiſere. Interim verò Mantuanus à Samnio frequentibus nuncijs accerſitus, Aſculum Apulorum profectus eſt: ibique præſidio relicto, ad Ferdinandum in ſubiectis Fogiæ campis peruenit, à quo incredibili lætitia, ſingularique totius exercitus alacritate ſuſceptus eſt. Enimuerò nō modò auxilia ſummæ ſpei, ſed & famam pugnaciſsimi ducis attulerat: ad cuius nomen ſæpius Galli duces excitabantur, qui ab eo belli initio Italos aliquanto conſilijs quàm manu meliores eſſe perſuaſum habebant: videbaturque is nullam occaſionem prætermiſſurus, quin ex æquo manus confereret, quum iam Gallicæ militiæ morem non modò tenere, ſed contrarijs adinuentis artibus propè contemnere diceretur.

Coactis in vnum ducibus, qui in proximis erant præſidijs, & de tota belli adminiſtrationione aliquot initis conſilijs, ſtatuerunt prælio ſuperſedere, tueri circumiecta oppida, & iter per Apenninum in Campaniam atque Neapolim aperire: quoniam in Samnij vallibus pleraque oppida vexilla Gallorum erexerant. Fiebatque eorum latrocinijs & locorum opportunitate, vt commeatus in Apuliam ægrè conueheretur. Poteratq; ideo trahi bellum nullo metu amittendæ exiſtimationis, quòd vndique auxilia à Venetis, Alexandroque Pontifice maturè conuentura nunciarentur. Mantuanus nauandæ operæ cupidus, eam prouinciam vltrò ſibi deſumpſit: progreſſusque cum Franciſco Vrſino Grauinæ regulo, regionis admodum perito, & Aragoniæ domui in primis fideli, celeriter Montemuiridem, Rochettam & Carbonariam in fidem recepit. Vallata quoque oppidum in edito colle poſitum, magna vi atque ira militum expugnata, trucidatisq; ad vnū fermè omnibus oppidanis, direpta, quod Vallatenſes agreſti feritate in fide Gallorum perſeuerantes, primo ſtatim aduentu ad colloquium progreſſos, Alexium Beccacutum, Aloiſiumq; Albertum delectorum cohortis præfectum, & Craſſum cēturionem, miſsilibus vulneraſſent, Suardinoq; etiam ex armigeris familiaribus nobili decoroque adoleſcenti, aduerſum os lapidis ictu deformaſſent. Vallatenſium calamitate permoti populi omnes, qui Vicobiſazam, Cariſras, Guardiam, ſancti Angeli caſtrū, Vrbemq; Cidoniam incolunt, præmiſsis oratoribus, ad Aragoniam fidem redierunt. Idem paulo poſt fecere Pandinenſes, & Montacutani: totumque id iter vna atque ea admodum celeri expeditione patefactum eſt. Galli interea ad ſanctum Seuerum innumerabilem pecoris multitudinem coegerunt. Verùm quum pecuniam ex vectigali ſe exacturos ſperarent, Ferdinandus vniuerſum equitatum noctu Fogia emiſit: accerſitaque leui armatura Mantuani, & tumultuario prælio pluribus ſimul locis inito, magnam pecoris partem auertit & abripuit, eo euentu, vt Galli gregibus in vtriuſque partis militum prædam conuerſis, & captis diſperſisque paſtoribus, fugatisq; demum Publicanis, omnem penitus præoccupandæ pecuniæ facultatem amiſerint. Erant, quod vix dictu credibile eſt, ſupra ſexcenta milia minoris pecoris, maioris verò circiter ducenta milia. Fuit eius editi facinoris ſpectaculum valde deforme & miſerabile, quum eo tumultu innocentiſsimorum populorum opes inexpectata ca-

lamitate conciderint. Videre enim erat milites inter ſe latronum more de præda decertare, armenta ipſa aſpectu armatorum & concurſu rapiẽtium metu conſternata vndique diffugere: paſtores vinctos trahi, tumultuoſoque contentionis genere cuncta permiſceri: & quod propè ridiculum erat, milites deſperatione maioris lucri, oues raptim detundere, alios iugulatas excoriare, vt lana ac pellibus potirentur. Aragonij partem pecoris Troiam abegerunt: Galli verò multò maximam ad Garganum, atque inde in Aprutij fines, vt dominis, qui Andegauenſis factionis eſſent, redderetur, deduxerunt. Verùm & ea pars pecoris paulo pòſt ab Aragonijs eſt direpta, quum fortè Gratianus & plerique alij Andegauenſes reguli, qui præſidio armentis ſatis incautè per Pelignos ferebãtur, in Cantelmum Populi Comitem, Traianumq; Sabellum incidiſſent, à quibus apud Pallenam agri Sulmonenſis tumultuaria pugna ſuperati ſunt. Mompenſerius eo depulſus conſilio, quod neque ſibi neq; hoſti vectigalis pecunia ceſſerat, ad Caſalem arborem iter intendit, vt ſumptis ſibi maioribus tormẽtis priſtinam belli rationem in repetenda Neapoli ſequeretur. Ex itinere Colleoneſium oppidum poſt factam deditionem Germanorũ & Gallorum crudelitate, trucidatis ferè omnibus oppidanis, & fœminis ad libidinem abductis, deletum eſt. Petracallum quoq; haud ignobile caſtellum, eandem ſæui impetus fortunam tulit: atq; inde Caſalem arborem per Apennini valles eſt peruentum. Ferdinandus interea apud Luceriam cum Mantuano caſtra coniunxit: prouiſoq; commeatu medium iter tenuit, vt hoſtium veſtigia ſequeretur: nam duo omnino erãt itinera, quibus Galli diuerſo conſilio, aut Pelignos, aut Neapolim per Sannitium fines petituri videbantur. Sed ij ſpe potiundi Beneuenti ad læuam deflexere. Verùm quum eam vrbem, et regio pręſidio, et recentibus Ioannis Sfortiæ Piſaurenſium reguli auxilijs firmatam nequicquam tentaſſent, retrò Murconẽ abſceſſere. Regius verò exercitus ad Poctum caſtellum cõſedit: quò etiam Ioannes Gonzaga Mantuani frater, alam equitum ſuo ære conductam regi in auxilium adduxit. Sequenti die Circellum oppidum à Gallis infeliciter eſt oppugnatũ: nam Camillus Vitellius, quum lenta admodum ac ſegnis pugna à Vaſconibus iniretur, & militibus ignauiam increpitãs, multis ſecum ex equis deſilire iuſsis, audacius muro ſucceſsiſſet, lapidis ictu colliſa vehementer galea occubuit: vir profectò corporis ac ingenij eximijs dotibus inter paucos ætatis noſtræ duces numerandus, ſi ſupremos egregiæ virtutis conatus, nequaquam tunc pro externi regis amplitudine, ſed pro ſeruituræ mox Italiæ libertate deuouiſſet. Camillo proſtrato, cohortes occupatæ metu, & ducum imperio reuocatæ, retrò pedem retulere: nam tum fortè Mantuanus cum vniuerſo leuis armaturæ equitatu caſtra improuisò adortus, interceptis vndique commeatus ſubuectoribus, & ex numero vagantium militum multis captis & interfectis, magnam vndique trepidationem intulerat. Quo ſpatio temporis, oppidani qui ęgerrimè aquabantur, liberè egreſsi, ex ſubiecto amne proximisq; fontibus aquam ſumpſerunt, et nuncios de ſua conſtantia ad regem protinus emiſerunt. Eodem die Ferdinandus in ipſo hoſtium conſpectu, Frangeto tormenta admouit, vt Galli amittendi eius oppidi, quod Andegauenſis nominis maximè erat ſtudioſum, periculo adducti, à Circelli oppugnatione diſcedere cogerentur. Erant ei oppido paulo antè præſidio impoſiti circiter quadringenti Vaſcones, qui quum murus haud multis tormentorum ictibus eſſet quaſſatus atque diſruptus, & propterea vehementer

de ſua

de ſua ſalute dubitarent, admiſſo ad colloquium Cerbellione, ſeſe ac oppidum præter omnium opinionem extemplò dediderunt. Cerbellio nanq; , vti ſuprà docuimus, ſub Carolo meruerat, eorumque noticia ac familiaritate adductus, facilè perſuaſerat, ne ſupremos oppugnationis impetus expectarent: ne dum ſerò oppidum præſidio ac mœnibus infirmiſsimum tueri aduerſus tanti exercitus vim ſtultè contenderent, ad vnum omnes pro aliena ſalute trucidarentur. Qua repentina Vaſconum deditione mox effectum eſt, vt Galli duces, qui reductis à Circello tormentis, Frangetanis auxilio ire maturabant, vtranque & Circelli capiendi, et Frangeti periculo liberãdi occaſionem amiſerint. Nam dum appropinquarent, non modò oppidum ab regijs occupatum ſenſerunt, verùm diſcuſſa radijs ſolaribus matutina craſsiore nebula, quæ proſpectum adimebat, tecta oppidi incendio fumantia ex propinquo conſpexerunt. Quoniam Ferdinandus de hoſtium aduentu certior factus, quum prælio decertare neceſſe fore exiſtimaret, nec milites prædabundi commeſſabundiq; vllo militari ſigno propoſito educi poſſent, tectis faces iniecerat. Mompenſerius contra oppidum molli in tumulo conſtitit: & quanquam, vti conſilio repente depulſis ſæpè accidit, militibus eam quam modò pugnæ auidi feroceſque attulérant animorum alacritatem, reſediſſe cerneret, pugnæ tamen ſignum multo tympanorum tubarumq; concentu edidit. Intererat modica vallis inter Frangetum et caſtra, in quam primò Gallis erat deſcendẽdum, mox verò haud multum lato aditu per collis dorſum in planiciẽ ad oppidum pertinentem, vbi regiæ copię conſederant, erat euadendum. Is aditus vtrinq; deiectus habebat inæquales & abruptos, nec tantum ſpatij viæ militaris in medio relinquebatur, vt exercitus expanſa acie ſubire poſſet. Verùm Mompenſerius atq; Virginius, quo minus ad hoſtem extemplo contenderent, nulla eius loci iniquitate deterrebantur, quum Germanorum Heluetiorumq; virtuti plurimum confiderẽt, & multis de cauſis reliquas ſpes omnes ad vnam eius prælij fortunam omnino periclitandam recidiſſe conſpicerent. Contrà autẽ Perſiuus, Paulus Vrſinus & Liuianus, inſaniæ vel vltimæ deſperationis conſilium eſſe diſſerebant: milites æſtu ac itineris labore fatigatos iniquiſsimo acceſſu recentibus hoſtibus, qui loco opere munito ſe continerent, ac oppido potirentur, obiectare: non defuturam mox occaſionem ex æquo confligendi, niſi tum Germanorũ ac Heluetiorum alacritate penitus abuterentur, qui campeſtribus in locis, ſi ſigna conferrent, hoſtilem aciem cæſis nuper ad Luceriam fortiſsimis Germanorum cohortibus vehementer attenuatam, nullo negotio proſtraturi viderentur. Tum verò Ferdinandus & Mantuanus vultu quidem alacres, ſed intimis ſenſibus maximè ſuſpenſi, milites ad ſigna vocare, acies idoneis locis inſtruere, non modò duces atque præfectos obſecrare ac obteſtari, verùm ſingulos quoq; milites nominatim appellãdo cohortari, vt pro ſalute omnium, pro libertate, dignitatẽque Italiæ, pro præmijs, quæ ſingulis ex ampliſsimi regni opibus promiſſa eſſent, forti animo conſiſtere, & ſtrenuè manus conſerere vellent. Sed ea erat inſita Aragoniorum animis de externo hoſte virtutis & crudelitatis opinio, vt plerique præda onuſti ardentibus ac ſemiuſtis in tectis ſe conderent, aut turpi fuga dilaberentur: neceſſeque eſſet regem ipſum ſua manu alios laqueo ſuſpendere, alios intentato gladio vulnerare, ac interficere. Interim Proſper atque Fabritius qui antea in poſtremo agmine curarant, è vetere diſciplina, foſſam in fronte eius planiciei tranſuerſam tumultuario opere perduxerunt:

quę tametſi latitudine erat mediocris, nec moratura hoſtium impetum videbatur, ob id tamē magno vſui fuit, quod terrenū vallum in aduerſum foſſæ labrū de more eiectum ſpeculantibus Gallis amplioris munitionis ſpeciē procul oſtendebat. Iam leuis Gallorum armatura, & ex aduerſo Gręcorum turmæ pugnam clamorib. cientes in ſubiectam vallem deuolarāt: ipſeq; Virginius quanquam ętate ac obeſo corpore valde grauis, vndique tamen armis protectus ac paludatus, ad cohortādos milites proceſſerat, quum Heluetij merita ſtipendia et donatiuum certaturis dari ſolitum depoſcere cœperūt, qua inopinata ac planè flagitioſa cunctatione, paratorū ad pugnam ducum & militū impetus eſt retardatus. Iis porrò creuere animi, qui dudum aduerſus ſummos duces ineundę pugnę conſiliū improbarant. Itaque quum ſemel auarè et turpiter conſternatę legionis animi, vel multis pecuniæ pollicitationib. ægrè pacarentur, ingentis victorię occaſio à Gallis amiſſa videri potuit. Ferunt Heluetios per ſe ſpecie amplioris hoſtium munitionis deterritos, etiam Perſiui obliquis artibus, apud quos ille authoritate plurimum valebat, ad detrectandum certamen fuiſſe inductos:. Quòd ille ſupra verum decus ad Semenariam atque Ebulum inſigni virtutę partum, nouam ac inanem gloriam ex Mompenſerij æmuli ſui infelicitate turpiter quæſiuiſſe diceretur. Virginius nequicquam Heluetiorum, qui adeo impudenter ſummi imperij iuſſa contemnerent, ingenia deteſtatus, quū e manibus eripi ſibi victoriam quereretur, vti verus vates calamitoſi exitus, fatales lachrymas tenere non potuit. Sequenti die Galli victis ſimiles, Murconē atque inde Andretam ſigna verterunt, vt in fines Hirpinorum & Lucanorum proficiſcerentur. Ibiq; amicarum ciuitatū ſtudijs & fertiliſsimę regionis copijs freti, reliquum æſtatis extraherent, donec ampliora præſidia pararentur. Andegauenſes autē reguli Beſennianus, Salernitanus, & Compſanus, ſiue deſperatis rebus, ſiue, vt ipſi dicebant, ad accerſendum è Brutijs Obignium, nouóſque exercitus comparandos in ſuæ ditionis regiones diſceſſerunt. Abeuntibus Gallis, Fabritius Colūna, vti erat alacri pugnaciq; ingenio, Inſiſtamus, inquit, abeuntium tergis, more militiæ maximè tuto decoroq;, vt qui vltrò abeunt, vi pelli fugarique videantur. Nec mora, rege, Mantuanoque approbantibus, tanta vis equitum nouiſsimū agmen perſequuta eſt, vt quum Gallicus equitatus vndiq; inſultantes ac vrgentes ęgerrimè ſuſtineret, Heluetij, & Germani ſclopetarij à media acie reducti in terga agmen claudere ac laceſſentes ſummouere cogerentur. Ferdinandus interea æquioribus locis exercitum ita ductabat, vt nec à veſtigijs, nec à conſpectu hoſtium abſcederet, præmiſſaq; leui armatura eos omnibus partibus ſectaretur: ſæpeq; fiebat, vti ex eodem flumine aquarentur, leuibusque continuè commiſsis certaminibus, Galli cataphracti galeati intentiq; in pugnā in ſummis Solis feruoribus magno cum incommodo diſtinerentur. Tertio die Ferdinandus in conſpectu hoſtium Geſualdiū Compſani reguli oppidum expugnauit, arcemq; recepit: quum fortè miraculo quodam vni e cuſtodibus è ſumma arce Gallicū vexillum vibranti, falconis pila brachiū cum vexillo fuiſſet abreptū. Eodem die Galli haud multū ab tergo laceſsiti, Atellam Hirpinorū oppidum conceſſerunt: primoq; aduentu oppidi arce, quā Gurellus Caracciolus auaritia infamis, vt pręſidij ſtipendiū interuerteret, cuſtodiendam acceperat, abſq; vllo certamine potiti ſunt. Eos Ferdinandus Andreta, Paternoq; ex itinere receptis, biduò poſt cum toto exercitu atque apparatu tormētorum eſt conſecutus. Gallis in Atellam compulſis, varia ab ducib. ad ge-

ad gerendum bellum conſilia agitabantur. Virginius eius tum belli euentus ſæpius diuina mente præſentire ſolitus, niſi maturè inde mouerent caſtra, Atellam ipſis, quæ Capua quondam Pœnis extitiſſet, haud dubiè futuram teſtabatur. Quando ea vini rerumque omnium copia, qua adeò licenter ac auidè milites veſcerentur, omnem corporum ac animorum vigorem, prius extinctura videretur, quàm è Gallia terra aut mari auxilia ſuperuenirent: ex aduerſo regē hoſtem, qui mox tota mole exercitus vndique oppidum eſſet circumſeſſurus; Hiſpanos & Conſaluum magnum ducem è Brutijs, nouaque ab Pontifice auxilia propediem expectare, nec obſidionem tolerātibus in tam longinqua ſpe auxiliorum commeatum exigui oppidi, quanquam multus eſſe videretur, diu ſuffecturum: milites enim, externoque præſertim, quia ex alieno penu largè prodigeque conuiuarentur, ſerò vel præſcripta demum victus ratione, futurā penuriam præcauere conſueuiſſe: nec vllum ab ijs, qui mercenarij eſſent, ac inter ſe moribus linguaque differrent, erga duces in perferendis obſidionis incōmodis obſequium ſperari, quum modo in acie ad claſsici ſignum adeò inſolenter atque obſtinatè dicto audientes eſſe noluerint: Venuſiam vnis caſtris contendi poſſe, vbi ad trahendum bellum commeatum affatim & pulueris ſulphurei pilarumque et tormentorum apparatum eſſent inuenturi: in tergo quoque eſſe pleraque oppida arte ac natura locorum permunita, eximiæ tum fidei tum fertilitatis Andegauenſium regulorum: ac patere expeditum iter commeantibus in Lucanos & Brutios: nec diu moraturos regulos, quin coactis & iunctis cum Obignino validis copijs ad ſe reuerterentur. Si id conſilij extemplo caperent, integra adhuc ſpe, nec iniqua fortuna geſturos bellum: at ſi cunctarētur, & ſententijs diſsiderent, ipſos non multò poſt ſeſe ac legiones regi, cùm ex merito implacabili atque acerbiſsimo hoſti, tum ex natura familiæ crudeli ac ſęuo ſub iugum mittendas: & quod Dij auerterent, ſub fide mactandas præbituros. At Mompenſerius probare quidem conſilium prouidentiæ militaris plenum, ſed militem ſtipendia merita flagitātem, conſternatū adhuc alienatumq; ab ducibus circumducere, quotidianisq; minutis prælijs obiectare, multo periculoſius videri: Germanos robur eſſe totius exercitus, gentem ex leuibus ſępe offenſionibus turbida conſilia agitare ſolitam: æquiore eos animo ſtipendiorum dilationem perlaturos, ſi in oppido omni cibariorum genere affluenti gratuitò alerētur. Quòd ſi in itinere ab innumerabili hoſtium equitatu, aliquo adficerentur incommodo, & in congreſsibus cum conſanguineis ſuis, qui apud Regem militarent, colloquerētur, facilè futurum eſſe, vti belli tædio, & regijs pollicitationibus repentina defectione ad hoſtem tranſirent: quarum rerum occaſio munito oppido ſe tenentibus omnino tolleretur. Neque ſe dubitare, quin prius quàm omnē abſumerent commeatum, certi nuntij de aduentu claſſis atque auxiliorum in caſtra perferrentur. Alienum nanque eſſe à iudicio fortiſsimorum virorum, ſi putarent Carolum regem cunctosq; Gallię principes, omnem penitus rerum humanarum memoriam amiſiſſe: adeo vt ſubita mentis commotione, vel inaudita ſegnitie atq; ſocordia oppreſſos, ciuium, fratrū, conſanguineorum, amicorum, commilitonumq; ſuorum ſalutem neglectam ac perditam velint. An non audiſtis inquit, quanto ardore, quantoque apparatu Galli duces ab Narbona in Hiſpaniæ fines irruperint? Salſularumque munitiſsimo in Pyrenæis propugnaculo vi capto, Catelanorum nobilitate trucidata, quantum bellum hoſtium noſtrorum fœderatis intulerint? Maiore

profectò cura incolumitatem noſtram reſpicient, qui vt in Italia hoſtibus Aragonijs Hiſpanorum auxilia detraherent, finitimam nationem animis viribuſque potentem, vltrò armis laceſſere minimè dubitarunt. Virginius poſtquã ex Gallorum omnium ſententia Atellæ commorandum eſſe vidit, vt ipſe cum Italico equitatu in Brutios mitteretur, ſuadere conatus eſt, quòd ij qui Atellæ remanerent, ipſius diſceſſu ampliore copia commeatus potituri eſſent. Andegauenſes quoque inquit, reguli, me cohortante, & bellum iuſtis viribus adminiſtrante, alacrius copias cogent, atque euocato ex vltimis Brutiorum finibus Obiguino, ad Atellam obſidione liberandam maiore ſtudio reuertentur. Sed Galli communi ſorte fortunam, quęcunque ab Dijs pararetur, ſubeundam eſſe ſucclamarunt. Quoniam ſuſpicioſi homines Virginium durioribus, quæ imminerent belli difficultatibus ſeſe ac ſuos explicare potius cupere, quàm ſalubri conſilio futuris malis remedia parare exiſtimabant. Interim Ferdinandus iuxta oppidum Callitras, editum montem, qui à ſeptentrione Atellam & ſubiectos deſpectat campos, munitis caſtris occupauit. Atella quidem in æqua planicie poſita eſt: ſed cum mille fermè paſſus ab oppido receſſeris, perpetui montes in altitudinem ſex ſtadiorum molliter aſſurgunt, non omnino ardui, verũ agricolarum induſtria impediti atque difficiles, quum paſsim in ipſo aſcenſu æquiora loca per gradus aratris proſcindantur: cætera verò quum frequentibus vinetis tum frugiferis arboribus pulcherrimo artis atque naturæ ordine ita veſtiantur, vt ab tribus fermè lateribus oppidum in orbem cingant, et in medium relicto camporum ſpatio, ingentis theatri ſpeciem ſpectantium oculis repræſentent. A læua vrbs Melficta conſpicitur: à dextra vbi Compſana eſt via, denſiſsimæ occurrunt ſyluæ: ab occaſu æſtiuo amnis decurrit paruus qui mediam planiciem irrigat, latoque circuitu Atellam præterlapſus, coarctatusque anguſtiore alueo frumentarias agit molas, atque inde effuſus in Aufidum amnem euoluitur. Ab ortu Ripacandida oppidum Venuſinæ viæ impoſitum eſt, qua ex parte liberè Galli frumentari pabularique poterant, quòd Ripacandida eorum pręſidio tenebatur, omneſq; finitimi populi Andegauenſium reb. maximè ſtudebant: ab alijs verò partibus propter leuis armaturæ equitum multitudinem, niſi magnis cum pręſidijs ſummoque periculo exire ac longius euagari non licebat. Græci enim inſidioſi expeditique homines è ſummis collibus ſeſe ſenſim demittebant: & quominus ab hoſte conſpicerentur, equos loris pertrahebant, arboribusque & vinetis condebantur: quum verò Galli pabulatores oppido exibant, improuiſi ex omnibus locis euolabant: atque omni re ſuperiores, cum Gallis diſperſis atque perterritis in ea planicie præliabãtur: eoque audaciæ ſucceſſu quotidiani certaminis erant euecti, vt non modò Gallorum equitum arcus, Italorumq; baliſtas contemnerent, ſed cataphractorum integras turmas oblongis ac inflexis protecti clypeis, adoriri, & cominus equos admittere auderent. Fiebat enim equorum pernicitate equitandiq; peritia, vt ſæpe Galli cataphracti, quum inſolentius appropinquantes reprimere magna vi contenderent, ab inermib. circumuenti celeriter opprimerentur. Tormenta quoque maiora editioribus locis opportunè collocata, & ad conſpectum exeuntium agminum emiſſa, nihil tutum in ea planicie relinquebãt. Dum hęc initio obſidionis fiunt, Conſaluus cum centum cataphractis, quingẽtis verò Hiſpanis ſcutatis equitibus, & duobus milibus Hiſpanorũ peditum in caſtra peruenit. Is ſuperiore hyeme in Magna Gręcia pluribus oppidis atq;

vrbibus Gallos expulerat, Scyllaceum, Sybarim, Crotonem, Semenariam, Neocaſtrum, Terranouamque vi aut voluntate receperat. Inde initio ſtatim Veris Coſentiam progreſſus, Gallis acie pulſis, eam vrbem ceperat: domitisq; agreſtibus, qui Cratis amnis valles incolunt, ad Laynum oppidum, Andegauenſium partium copias, interfecto Americo Sanſeuerino earum duce, repente adortus oppreſſerat: omiſſoque Obignino & reliquis regulis, ab Ferdinando Alexandroque Pontifice euocatus, Atellam iuſtis itineribus contenderat, iudicans in Brutijs hoſtium reliquias facilè poſſe debellari, ſi hoſtes vbi maiore belli mole regem vrgerent, perquàm maturè vincerentur. Igitur primo aduentu locorum ſitum ſtationesque hoſtium ſpeculatus, non longè à frumentarijs molis conſedit: ac mox vti erat in prouidendis perficiendisque rebus ingenij maximè præſtantis & celeritatis eximiæ, profeſſus eſt, ſe non prius milites cibum capere permiſſurum, quàm præſidium quod ad molas erat expugnarent. Nec mora, Hiſpanis bipartitò ad munitiones ſigna ferentibus, ſtrenueque irrumpentibus, præſidium Gallorum deijcitur: multisque cùm in ipſo certamine tum in fuga trucidatis, machinarum molares lapides, rotæque ligneæ perfringuntur. Ea res Gallorum animos magnoperè conterruit, quod ab nouo hoſte primo ſtatim eius aduentu in oculis ipſorum penè prius confecta fuerat, quàm ab oppido prouideri ſuccurriq; potuerit. Triduo poſt equitatum quem Alexander Pontifex mittebat, Petrus Gonzaga et Nicolaus Gambara alarum duces in caſtra perduxerunt. Superuenit quoque Philippus Roſcius Venetæ militiæ equitum præfectus: qui in tranſitu Sorani ſaltus à Gratiano Guerra impedimentis & magna parte equitum exutus fuerat: nouæque ab Neapoli Italorum cohortes quotidie mittebantur. Regij, aduentu auxiliorum ſpe ac viribus aucti, maiore ſtudio atque fiducia Gallorum pabulationes, frumentationesque obſeruabant, ac euectos procul ab oppido, quum proximis euaſtatis agris longius neceſſariò procederent, ex omnibus locis adoriebãtur, magnisq; incommodis afficiebant. Nam ſæpe pulſo fuſoque præſidio, & multis ſarcinarijs iumentis cum toto calonum grege ſimul interceptis, non quotidiana modò, ſed ſingularum propè horarum exercitatione in caſtra reuertebantur. Quibus detrimentis Galli duces, quantum ratione prouideri poterat, pabulatoribus magna addendo præſidia, explorando loca, & idonea tempora quum hoſtes corpora curarent, captando, diligenter occurrebant. Sed ijs innixi conſilijs, quum iam neceſſariarum rerum inopiam ſentirent, & Gallorum Germanorumque corpora in magna recentium obſoniorum viniquè penuria, immoderatis æſtibus conficerentur, tertiam equitum partem Venuſina via emittere ſtatuerunt. Itaque Nonis Sextilibus, delecto ad fallendos hoſtes meridiano tẽpore, quo maximè, vt in ſæuis Apuliæ feruoribus accidit, iumenta atque homines ab omni militiæ munere quieſcebant, Pauli duo, Vrſinus atque Vitellius ſub ſignis agmen educunt. Conſpiciuntur Galli vndiq; è ſummis iugis, & totis caſtris ad arma conclamatur. Alexius qui in ſtatione erat, frenatosque equos ſub tuguriolis vmbraculis atque tentorijs continebat, cum leui armatura Italica primus procurrit. Contarenus Græcis conſcendere equos iuſsis, extemplo ſubſequitur. Ipſe Mantuanus ſtatim arma induit, & cum reliqua expeditorum equitum multitudine ad hoſtes contendit: conſeritur ingenti tumultu magnisque clamoribus prælium. Pauli denſato agmine incedunt, circumuenti tiq; ab omni parte neminem acie excedere permittendo, fortiter depugnant, in-

ta vt tantæ multitudinis impetus egregiè à cataphractis ſuſtineretur. Sed dum Græci à fronte, à tergo, latereque omni acrius ac inſolentius laceſſunt, atque agmen totum demorantur, fortè Peruſinus eques cataphractus, natura ferox & quietis impatiens, appellatis proximis equitibus tribus, vt inſultantium arrogantiam vnà ſupprimerent, intenta haſta in medios hoſtes incurrit, Græcúmque equitem eo impetu transfigit. Idem cęteri feliciter audent, totumque proximum hoſtium globum propellunt. Sed illi ex fuga, maiore demum audacia in hoſtes reuertuntur. At dum Peruſinus cæterique ægrè ſe explicant, & recurrentes à ſuis recipiuntur, laxatur agmen, mirumque dictu, Græci equites in medios cataphractos ſe celeriter inſinuant: momentoque temporis cuneata acie totum eorum agmen aperiunt, atque perturbant. Tum verò in maxima nube eleuati pulueris atrox prælium committitur, cohortante atque vrgente acriter Mantuano, Gallorum vexilla ſternuntur, & ſupra trecenti vtriuſque armaturæ equites interficiuntur aut capiuntur. Vrſinus autem atque Vitellius cum confertiſsima delectorum turma ſeſe ab circumfuſis Græcis eripiunt: beneficioque Liuiani & Iordanis Virginij filij, qui ſubſidio cum duabus cataphractorum turmis adcurrerant, impetumque perſequentium retardarant, ſeruantur: reliqui verò omnes in oppidum ex fuga pauidi compelluntur. Ea die Græcorum Italorumque leuis equitatus maximam virtutis opinionem apud omnes vindicauit, qui tot cataphractis oppoſitus, nullo peditum aut grauis armaturæ ſubſidio, tãtum facinus ſingulari felicitate peregiſſet. Non multo poſt Ripamcandidam pedeſtres copiæ cum tormentis ductæ: repulſæq; primo in certamine Conſalui cohortes. Erant ij ex vltima Hiſpania Callaici Oceano proximi, quibus eo tempore in vniuerſum ſcuta erant ingentia breueſque tragulę: alijs parui vmbones ferrei cum haſtilibus prælongis, ab hoc inepto armorum genere cunctis ridiculi, ſed qui audacia & corporis agilitate minimè contemnendi viderentur. Callaicis à muro fœdè repulſis Craſſus cum veteranis Italis ſucceſsit, & ſecundum eos Cantabri, ac reliquæ demum Italorum Germanorumq; cohortes: paucisq; horis oppidum pari propè virtute ac pertinacia defenſum atque expugnatum eſt. Ripacandida hoſtibus adempta, Ferdinandus è ſuperioribus locis in aduerſam planiciem tranſtulit caſtra, & ad intercludendum iter Venuſina via conſedit: duaſque res hoſtibus maximè aduerſas, ea caſtrorum mutatione eſt conſecutus: nam occupato & planè obſtructo aditu, qui antea commeantibus liber erat, & recipiendi commeatus ab Andegauenſibus populis, & Venuſiam euadendi, ſpes omnis hoſtibus erepta videbatur: promotiſque in oppidi conſpectum caſtris, hoſtes grauiore indies obſidione premebantur. Iamque ad eas rerum difficultates Galli peruenerant, vt quum molis paulo antè vi hoſtium perfractis farina deficeret, ſinguli panes ſingulis regalibus denarijs venirent: & gregarij milites fabis coctoque tritico veſcerentur. Aliud quoque incommodum iam penè ſubactis acceſſerat, quòd niſi ſummo cum periculo magniſque adductis præſidijs aquabantur: quum ex eodem amniculo vtriuſque exercitus iumenta potarent: fierique non poſſet quin ad acceſſum tantæ multitudinis mulionum & militum, incredibili contentione omnibus horis in ipſo flumine certaretur. Galli in parte fluminis propinquiore dolia vinaria lapidibus plena medio in vado collocarant, adiectoq; aggere profluentem excepẽrãt, vt pleniore alueo & tutiore loco aquarentur. Ibi quaterna vexilla Heluetiorum & Germanorum perpetua in ſtatione excubabant:

aquato-

aquatoribusque quum hoſtis vrgeret, ex propinquo celeriter auxilium ferebant. Fortè inclinante in veſperam Sole pugna ſolito tumultuoſior ad aquam, creſcentibus vtrinq; auxilijs erat accenſa: eoque res ſummo contentionis ardore proceſſerat, vt neutra pars ſeſe inde explicare atque recipere ſine magno incommodo ſingularique infamia poſſe videretur, quòd regijs qui audacter flumen tranſierant difficilis in æquioribus locis receptus dabatur, & Galli, ſi locũ pulſi reliquiſſent, ſummo cum dedecore cuncta exercitus iumenta paulo poſt ſiti interitura exiſtimarent. Aderat ſpectator pugnæ Ferdinandus, qui quum Germanos pro numero admodum fortiter rem gerere animaduerteret, Annibalque Pandonius Camilli filius ante oculos eſſet interfectus, & Octauianus Columna inſignis adoleſcens ex equo deturbatus, in ſummo vitæ periculo verſaretur, quin ſubſidio ſuis ire contenderet, minimè dubitauit: delatusq; in pugnam cum lectiſsimis familiarium equitum, Germanorum ordines perrupit, duabusque primis cohortibus cataphractorum repentino turbine diſsipatis, reliquos in fugam coniecit: qui quum ad oppidum ſe reciperent, Ioanne Spinello nobili iuuene obliquum iter regijs monſtrante à tergo circumueniuntur, ac paſsim vndique irruente, & conſectante equitatu trucidantur. Tantus vero terror eo tumultu hoſtibus illatus eſt, vt Galli qui in oppidi porta ſtationem agebant, nulla Germanorum in fuga pereuntium miſericordia adducti, præ timore obſeratis valuis complures excluderent, & eos ante portam crudeliter interfici paterentur. Periere eo prælio amplius trecenti Heluetij, Germaniq;, & fermè totidem capti, vexilla duo relata, aliquotq; aurei ac plures argentei torques, & operoſa ex argento emblemata, quibus plumeas criſtas in pileis induebant, occiſis captiuisq; detracta. Repertus quoq; eſt Germanus ſignifer amputata dextra manu, & læua fœdo vulnere diſciſſa vexillum mordicus retinens, ita vt in veſtigio inuictæ virtutis expiraſſe videretur. Poſt id factum Germani manipulatim ad regem tranſire cœperunt: quos protinus interceſsione eorum, qui apud ſe militabant, in ſupplementum cohortium duplicatis ſtipendijs adſcribebat. Meleager quoque Foroliuienſis equitum præfectus multis antea à Gallis affectus contumelijs, ad Mantuanum tranſiuit: adeoque tum aduerſis prælijs, tum crebris transfugijs, vti in ſuprema rerum deſperatione contingit, Gallorum copiæ erant extenuatæ, vt iam Galli atque Heluetij in coronis paſsim, & abſentis Caroli regis, & præſentium ducum nomen maledictis apertè lacerarent: quod hi malignis prauisq; diſſenſionibus, tot fortiſsimos milites toties victores, è ſumma ſpe victoriæ, in eas calamitates morte ipſa duriores adduxiſſent. Ille verò nefaria ſegnitie atque infami negligentia, tot milia bene meritorum de ſe militum, contra fidem datam omni ope deſtituta, in vltimis Italiæ finibus ab infenſiſsimo rege trucidanda reliquiſſet. Has militum querimonias acerbioresq; ſermones Perſiuus excipiens, vtpote qui res maximè afflictas ad inuidiam aliorum ducum vertere cupiebat, Bono, inquit, animo eſtote mei commilitones: nam poſtquam Fortuna ſuo more mutabilis & nuſquam fida conſilijs noſtris illudens, nos omnes huc compulit, dabo operam, vt me ſequeſtro, conditiones ab hoſtibus, nec Gallico nomine, nec ſuperioribus victorijs noſtris indignas referatis. Quòd ſi illi crudelius ſanguinem noſtrum exhaurire quàm moderata potiri victoria maluerint, efficiam profectò, vt vos qui mecum hos ipſos ſæpius ſine veſtro vulnere cæcidiſtis, ſi à Dijs omnino deſeremur, implacabili hoſti victoriam longè omnium luctuoſiſsimã

relinquatis. Quibus dictis, pauca ad duces in Prętorio prolocutus maximo militum aſſenſu ad amnem contendit: & pręcone tranſmiſſo, regem ad colloquiū euocauit. nam & pridie quęſtor Gallus apud regios milites captiuus, quum fide data ad cogendam pecuniam qua redimeretur vltro citroque commearet, de compoſitione loqui cœperat. Itaque concurſu multorum facto, & rege alacriter prodeunte, Perſiuus ab vlteriore fluminis ripa, in hunc modum loquutus eſt. Aequū videtur, inquit, Ferdinande, vt ego ante omnes Gallos, qui duabus illatis cladibus, res tuas afflixerim, hodie gratiſsimum tibi de optima ſpe futuræ pacis nuncium feram, vt hoc meo inſigni erga te officio, veteres iniuriæ penitus expientur. Trium dierum inducias poſtulo, vt commodè deliberando de compoſitione agi poſsit. Conditiones verò tales erunt, vt nos aliquanto maiore virtute cepiſſe hoc regnum, quàm reliquiſſe videamur: & tu toties acie victus, egregium victoris titulum feras. Qui verò ſperatam victoriam nulla dubij euentus æquitate præfiniunt, ſumma & immoderata cupientes, ſæpe aduerſam, non ſemper æqui Martis vim experiuntur. Proinde ſi amici ſocijq; tui ferocius loquentes, animum à pace alienum oſtenderint, imprudenter feceris, quum alieno arbitrio in ipſa ſummæ rei tuę cauſa periculoſum conſilium ſumes. Potior enim eſt moderata ſine vulnere victoria, quàm eadem ſi decertes & vincas ſummè optima cruentaque. Conſilium meum propterea ne ſpreueris, quod non voluntate atque iudicio, ſed vltima expreſſum neceſsitate videatur. Nam publicus hoſtis ſalubria tutaque conſilia aduerſarijs aliquando tulit. Sed de pace belloue quæcunque mens tua fuerit, quod dederis alacriter accipiemus: nam inuictos Gallorum animos, & ad vtranque fortunam egregiè paratos inuenies. Ferdinandus ad ea reſpondit: diuinâ fieri iuſtitia, vt qui primi bellum iniquè & arroganter intulerint, ſupplices pacem petant: ſed porrò quòd totius iniuriæ obliuiſci malit, quàm non omnino clementiæ ac humanitatis meminiſſe, planè pacatum pronumque animum ad complectendam pacem oſtenſurum: quanquam ea naturæ ſuæ lenitas neque vtilis neque decora quibuſdam videri poſſet, vel ob id, quòd ipſe non ignarus militiæ, & profligatas Gallorū vires, & ſpes omnes penitus acciſas præclarè conſpiciat, ita vt bellum funeſto hoſtium exitu propediem ſe finiturum ſperet. Cæterùm generoſi propoſiti ſummam eſſe, vt eos qui etiam crudelius victoriam exercuerint, incolumes velit: modò conditiones accipiant, quas ex ſententia ducum ſuorum, qui eſſent viri ſummæ ęquitatis, paulo poſt daturus eſſet. Dirempto colloquio ſequenti die Liuianus, Bertanus Manglos, Petrus Cræſius, Buſius, Buſecus, & Anzoltus, cum ſummis de pace mandatis ad regem mittuntur: breuique diſceptatione res his legibus vigeſimoſeptimo obſidionis die componuntur. Mompenſerius atque Virginius niſi iuſta obſeſsis auxilia intra trigeſimum diem alicundæ ſubmittantur, cum omnibus copijs in Gallias ſe profecturos promittunt. Tormenta ænea, equoſq; omnes regia nota inſcriptos relinquent. omnes regni arces reſtituent, præter Tarentinam, Venuſinam, & Caietanam, quibus diſcedens Carolus cuſtodes præfeciſſet, teſſeraſq; acceptę fidei in Galliam detuliſſet. Captiui vtrinq; ſine pretio redderentur, ac Obignino Gratianoque & omnibus regulis Andegauenſibus, qui in partibus Gallorum eſſent, eius fœderis beneficio vti liceret. Rex interim commeatus ac naues quibus tranſportarētur, expediret, vt intra ſtatutum tempus in Galliam enauigare poſſent. Vt hæc porro firma rataq; ſint, ſingularum nationum obſides dantur. Pro Gallis Perſiuus,

ſiuus, Bayliuusque Vitrius, & Aloiſius Arſius: pro Italis Pauli duo, Vrſinus atque Vitellius: pro Germanis Brocardus: pro Heluetijs autem Heſcuia, primarum cohortium præfecti. Traianus verò Papacauda Neapolitanus, & Leonius Tyburs Virginij medicus, vt rerum exitum Carolo regi certius demonſtrent, & initæ ad Atellam pactionis tabulas deferant, in Galliã abire permittuntur. Ex aduerſo autem, Ioannes Borgia Cardinalis pro pontifice, Conſaluus pro Ferdinando Hiſpaniarum rege, Paulus Capellius pro Veneto Senatu, Franciſcus autem Caſatus pro Ludouico Sfortia, regem cuncta quæ ille promiſiſſet Gallis integra fide præſtaturum receperũt. Rebus in hunc modum compoſitis, Perſiuus equum illum ab incredibili præſtantia ſupra cæteros omnes maximè celebratum, Ferdinando reſtituit, cuius lapſu regem in pugnà ad Semenariam penè oppreſſum & captum à Gallis fuiſſe memorauimus. Poſtero die Ferdinandus mouit caſtra, & ex itinere Arrianum recepit: Sanſeuerinum interfectis defenſoribus expugnauit. Inde Salernum profectus vrbem & arcem ſeptimo die in deditionem accepit. Interea Gallorum copiæ Caſtellum quòd ad mare dicitur, iuxta veteres Stabias peruenere: pars eorum in Baianũ ſinum delata eſt. Quibus in locis, quòd tum ad mare grauis erat autumnus, & Gallorum Heluetiorumq; corpora æſtibus ac ſiti maximè obnoxia, quum vino & vuis, omniſque generis pomis diſſoluto quodam vitæ genere immoderatius indulgerẽt, tanta vis morbi eos inuaſit, vt infinitis propè funeribus ea litora complerentur. Mompenſerius ante alios, quum ſeruari & abduci inuitante Mantuano, cuius ſororem in matrimonium habebat, recuſaſſet, ne exercitũ turpiter deſeruiſſe videretur, Puteolis interijt. Similiter Vitrius Bayliuus, & Anzoltus ventris profluuio perierunt. Fuere ex Gallis qui vina veneno infecta ab Aragonijs ſibi vendita dicerent: quorum etiam opera naualem apparatum, *interpoſitis* quotidianis difficultatibus, vt nemo in Galliam rediret retardatum eſſe querebantur. Sed eius ſceleris ſuſpicionẽ celeriter extinxit inſigniũ virorum interitus: quum ijſdem fermè diebus exercitus Aragonius peſtilenti propè valetudine tentatus, Contarenum & Craſſum & Bartholomæum Georgium Venetæ claſsis præfectum amiſiſſet, & ipſe Mantuanus, & Paulus Capellius, & plerique alij viri fortes, ſæuis impliciti morbis ſummum vitæ periculum adijſſent. Reliqui Galli, atq; Heluetij nauibus impoſiti, quum quibuſdam folles tubiq; ſpiritales ad exhauriendam ſentinam, & quibuſdam armamenta deficerent, iactati etiam aduerſis tempeſtatibus, partim naufragium fecere, partim Genuæ omnibusq; prouinciæ portubus, quòd nauigationis tædia ferre non poterant, contabefactis corporibus interierunt. Germani verò magna ex parte conſanguineorũ ſuorum beneficio non modò ſeruati ſunt, ſed regijs ſtipendijs addicti. Reliqua tot nationum inutilis multitudo nauibus minimè recepta miſerabili errore, rerum omnium egena, per omnem Italiam cõuerſæ ac illudentis fortunæ ſpectaculum præbuit. Vrſinorum quoq; copiæ, quum pacatum eis iter, vt in Romanũ agrum redirent, regio diplomate Ferdinandus præſtitiſſet, in Pelignis Alexandri pontificis iuſſu, ab Guidone Vrbinatium regulo, armis & equis exutæ ſunt, captiq; Liuianus & Iordanes. Sed Liuianus fide data, quũ liberius cuſtodiretur, per feneſtram noctu euaſit. Iordanes verò Neapolim miſſus eſt, vbi Virginius pater contra iuſiurãdum, quum ſe in Galliam profecturum ſperaret, in Oui arce ſeruabatur. Enimuerò Pontifex Alexander quo nemo principum ea tempeſtate atrocior fuit, Ferdinandum datam fidem

ſeruare cupientem, monendo ac ſæua denuntiando induxerat, vt Virginium cuſtodiæ traderet, quod ille aduerſum Aragonios prioris ſacramenti militaris religionem violaſſet, atque inſanabili peruicacia perpetuum bellum moliturus eſſe videretur. Borgia quoque Cardinalis Paulum Vitellium iuſſu Pontificis ſibi tradi poſtulauit. Sed Mantuanus, cuius fidei Vitellius ſalutem ſuam antea commendarat, omnes vrgentis pontificis minas contempſit, ne ſummæ virtutis virum ad ſupplicium cruento generi hominum traderet: atque ita nequicquam inſidiante pontifice, incolumis Mantuam eſt perductus. Agitabat enim vir ille immoderatus, & perſonæ quam gereret penitus oblitus, quibuſnam modis ingentes opes filijs pararet, quod niſi multo cum ſcelere, multorumque inſontium regulorum nece fieri non poterat: propterea vtriuſque factionis inſignes viros, qui viribus authoritateque pollebant, ne conſilijs ſuis alicunde obuiā iretur, vti poſtea perfecit, pellere ac interficere ſtatuebat. Intereà dum Federicus Caietam parat oppugnare, Ferdinandus multis militię laboribus confectus, in villa apud Veſeuum montem, dyſenteria laborare cœpit. Erat habitu corporis ad perferendam omnem aduerſæ rei contumeliam valdè firmo, ſed cum intemperantius nouæ nuptæ, quæ Ferdinandi aui filia erat, cōplexibus indulſiſſet, & iam fermè peſtilens eſſet autumnus, vim morbi ſuſtinere non potuit. Neminem regum maioribus omnis generis hominum, aut certè verioribus lachrimis tumulatum ferunt, quòd ille tanta animi corporiſque virtute prędictus, in medio ætatis flore, ipſoq; partę victoriæ ac recepti regni limine, cum maximè primum laboris fructum capere deberet, iniqua fatorum lege fuiſſet extinctus. Celebrato funere Federicus patruus rex ſalutatur, aliquāto Andegauenſibus gratior quàm Aragonijs, quum ex præclara regis iuuenis liberalitate, in quem certatim omnes ſtudia oraq; conuerterāt, incredibilia ſperarent: contrà verò Federicū lenem potius, ęquū et moderatū regem, quàm gratum et liberalem fore arbitrarētur: quòd ex priuata vita tale prorſus ingenij ſpecimē oſtēdiſſet, vt in ſummo etiā imperij faſtigio neq; inimicis valde infenſus, neq; amicis et clientibus valde indulgēs atq; beneficus futurus eſſe crederetur. Eorum enim mos eſt, qui obſequijs et certis bello et pace facinorib. editis principum gratiā quęrunt, vt eos & iuſtos et tēperatos eſſe nolint: propenſum verò erga nominis ſui ſtudioſos, et veterum factionū memorem citoq; exorabilem, parati ad omne vitæ diſcrimen ſingulari beneuolentia proſequantur. Mortuo Ferdinando Beſennianus & Compſanus, qui paucis ante diebus ad Aragoniam fidem redierant, Salernitanum lenitate naturæ noui regis inductum, impetrata venia in partes pertraxerunt. Sed is cum ſolenni die feſto multa omnium alacritate Federicus regali diademate ornaretur, euocatus ad celebrandam pompam Neapolim venire recuſauit: & vti erat ſuſpicioſus, & Gallicis ſtudijs inueteratus, bellum renouare cœpit. Qua hominis amentia permotus Federicus, in Lucaniam exercitum duxit: expugnatoque Diano celebri oppido, omnibus eum ditionis locis expulit. Ad extremum eum, vt in Galliam abire permitteretur, impetraſſet, ad fallendas inſidias, quas ſibi regios tetendiſſe putabat, Senogalliam auijs itineribus profugit: quo ſe Ioannes Rouereus Sora pulſus receperat, atque ibi aliquanto poſt, qui tantum bellum Aragonijs ad exitium Italiæ concitarat, & calamitoſus & exul interijt. Exinde Caieta terra marique obſeſſa verius quàm oppugnata. nam Melchior Triuiſanus, qui pace ad Nouariam facta Grimano in claſsis præfectura ſucceſſerat, ad-

iunctis

iunctis Aragoniorum triremibus latè maria tuebatur, ne Gallicæ naues, vti antea proſperè tentarant, Caietanis commeatus importarent. Federicus autem à terra bellum impigrè gerebat. & quanquam ea vrbs monte ac ſumma arce munita, difficilem ac periculoſam habebat oppugnationem, et Obertus Roſſettus præſidij præfectus virtutis & contumaciæ ſingularis egregiè ſe defenderet, tamen nullis incommodis deterrebatur, quominus eam vrbem in poteſtatem redigeret. Sed quum durior indies & grauior obſidio obſeſsis pariter ac obſidentibus eſſet, & plerique viri fortes, & in iis Rainaldus Feramuſca, tormentis icti periſſent, Eberardus Obigninus obſidioni finem impoſuit. Is enim Atellani fœderis beneficio vſus, cum è Brutijs oppidorum facta deditione, vt in Galliam abiret, Neapolim veniſſet, vti erat ſummæ apud Gallos authoritatis, Oberto perſuaſit, vt fortunæ ex profeſſo Gallis infeſtæ reluctari deſineret, ne vana & mox nocitura pertinacia, ſeſe reliquosque milites ſummis vitæ periculis implicaret. Obertus non minus extremis rerum difficultatibus, quàm eius longè clariſsimi viri exemplo, monitisque compulſus Caietam reliquit, & Gratianus Guerra ex Aprutio ſub id tempus, quique Tarenti & Venuſiæ in præſidijs erant, ad extremum tædio rerum belloque domiti, regni finibus exceſſerunt. Hunc exitum habuit terribilis paulò ante Gallorum aduentus: qui ſicuti ab initio diſiunctis, inermibus atq; imperitis hominib. maximum negotium fecit, ita ſucceſſu belli, quum deprehenſę artes, & collatę in vnum ſunt vires talis apparuit, vt eam gentem noſtris tantùm diſſenſionibus ualidos impetus habuiſſe conſtet, vel ob id quòd non multo poſt Italia priſtini atque inſani pertæſa erroris, dum ſera propè cõcordia conſentit, quod libertati omnium imminebat diſcrimen, reparata militia, poſitisque odijs, haud longo labore depulerit. Sed eo grauior Gallorum aduentus omnibus eſt viſus, quoniam poſt turbatam quietem, etiam inauditum prioribus ſeculis morbum nobis importauit, ei hercle perſimilem, qui Tiberio imperante ſub Mentagræ nomine vehementer Romæ graſſatus eſt. Is veluti occultiore vi ſyderum cœlo demiſſus, dira ac admirabili contagione ſexum omnem ac ætatem inuadebat. Venereis maximè contactibus & multo accubitu vulgabatur: à pudendis idcirco primum virus erumpebat, ſæua ſerpigine cuncta paſsim abrodens: inde cætera membra, atque ipſa præſertim ora vlceribus ac puſtulis fœdabantur. Irrequieti porrò cruciatus ſingulis artubus intolerabiles, exteriora pariter ac interiora corporis vaſtabant: neque tædio miſerabilis vitæ confectis & fruſtra mortem inuocantibus, quiſquam mortalium ab arte medica felix remedium tulit. Aliqui tamen ex argento viuo axungia permiſto, triduana inunctione conualuerunt, ſed vt enormia morbi veſtigia relinquerentur. Alij laborioſo exercitationis genere, & parca exquiſitaque victus ratione, quum ſæuas manus medicorum alieno periculo remedia quærentium effugerent, certiora ſubſidia repererunt. Fuere qui crederent id malum ab nouo orbe ad occidentem reperto, initium duxiſſe, & ab Iudæis ſub id tempus tota Hiſpania pulſis, in Italiam cæterasque regiones vario eorum errore delatum, ſub id tempus quo Carolus paſsim victor Italiam percurrit. Sed ubi & quando cœperit, diligentiores veſtigabunt, & verius nomen imponent: conſenſu certè multarum gentium Gallici cognomen tulit, ita vt ea natio inquieta & vehemens, quæ infeſtis armis felicitati Italiæ ſæpius inuidit, & hoc quoque peſtilenti vulnere inflicto, ſempiternam nobis odij ſui memoriam reliquiſſe videatur. Gallorum

copijs ad Neapolim varijs caſibus terra marique deletis, quanquam Italia omnis grauiſsimo ingentis belli periculo leuata videbatur, nequaquam tamen bellum eſſe deſierat. Nanque pontifex Alexander veteribus ſuis innixus conſilijs, Vrſinorum opes euertere, ipſiusque Virginij maximè oppida occupare maturabat: & Florentini Piſas cùm Veneto tum Sfortiano milite ſummaque ciuium pertinacia defenſas, incredibili omnium ordinum ſtudio, totisque collatis in ærarium ciuitatis opibus repetebant. Carolus quoque regni pariter atque exercitus amiſsi dolore permotus, renouandi belli conſilia agitare nunciabatur. Is enim Fuſium Aquitanum regulum cum valido equitatu, Vaſconumq; cohortibus, & tribus Heluetiorum milibus Heynauolebano duce clariſsimo, ad Pyrenęos premiſerat: qui quum Perpenniano plurimum imminerent, & aliquandiu ad fallenda Hiſpanorum præſidia Toloſatium fines circuiſſent, improuiſi diuerſis itineribus ad oppugnandas Salſas conuolarunt. Salſæ hodie vocantur, quæ antiquitùs Salſulæ fuerunt, ad ſtagnum ſalſæ àquæ verius quàm dulcis Narbonenſi viæ impoſitæ, vbi extrema Pyrenæorum iuga Balearici maris fluctibus alluuntur. Propugnaculum id potius diceres aduerſus Gallos quàm oppidum: nam pauci admodum, præter eos qui meritorias tabernas exercent, locum grauitate aeris infamem incolunt. Eò valida manus Hiſpanorum equitum & peditum proceſſerat, quotidianiſque excurſionibus finitimos Gallorum pagos prædabantur. Salſis tum præerat Bernardus Franceſius vir eximiæ virtutis atque conſtantiæ. Is Henricum Albadeliſtæ regulum, copiarum quæ Perpenniani erant, ducem de aduentu Gallorum certiorem facere: monere, vt aduerſus eorum vim atque celeritatem præſidia parata haberet. Salſas cùm muro tum munitione infirmas eſſe, tamen ſe militum virtuti confiſum, quin tridui oppugnationem ſuſtinere queat minimè dubitare. At Henricus qui anguſtias aditus inter ſtagnum & imas montium radices ad Salſas pertinentes, vel parua manu tueri, & Gallos tranſitu prohibere poterat, Fuſium tranſire permiſit, ſperans circiter quatuordecim cohortes, quæ proximis in oppidis conſcriptæ fuerant, ad ſe biduò peruenturas: foreque vt vno tempore à læua per montes ductis pedeſtribus copijs, à dextra verò per militarem viam, quæ inter ſtagnum extremamque maris marginem, Narbonam ducit, immiſſo equitatu, a tergo obſeſſurum hoſtes: interceptoque commeatu eos pene ſine vulnere deleturum. Verùm pedites citerioris Hiſpaniæ edicto regio in ſpeciem tantùm conſcripti, quum ſe non modò ad bellum, ſed ad ipſum ineundæ pugnæ diſcrimen duci conſpicerent, vna edita voce ſe progreſſuros negarunt, niſi ſtipendium ampliſsimis paulo antè verbis promiſſum, præſenti pecunia ſolueretur. Qua fœda inopinataque tot cohortium conſternatione, Henricus tota ſpe perficiendi ſuſcepti conſilij deiectus, neceſſariò ſeſe continuit. Perſcripſitq; regi, vt pacandis cohortibus pecuniam in ſtipendium, vel paucorum dierum ſubmittere maturaret. Ferdinãdus enim ad Gerondam cum Eliſabella vxore conſederat, euentum Gallici motus expectans: vt pote qui maximè cautus & pecuniæ tenax, ſpeciem ingentis coacti exercitus ad deterrendos hoſtes præbere, quàm bellum gerere mallet, quum id ſine ingenti pecunia adminiſtrari non poſſe intelligeret: & Gallos cùm hyemis tum locorum difficultate & tanti apparatus adductos, extemplo retroceſſuros arbitraretur. Itaq; Fuſius bidui ſpacium nactus, à ſtagno ad prærupti montis radices perpetuam munitionem perduxit: iterque maritimum peranguſtæ eius viæ,

præſidio

præſidio impoſito celeriter occupauit: & caſtris vndique permunitis prolato tormentorum apparatu, oppidum oppugnare adortus eſt. Murus erat perantiquus & debilis, & qua parte vetuſtate erat collapſus, ea terreni aggeres multa materia conſepti, & in mediocrem altitudinem educti oppidum vallabant. Sed ea vis erat ingenium colubrinarum, vt non modò aggerem, ſed coniunctas etiam muro domos, et mirum dictu, nonnunquam aduerſæ partis oppidi murum, pilæ ferreæ, cum multa obuiorum hominum ſtrage penetrarent. In ea rerum acerbitate, Hiſpani, tametſi neque multis, vel idoneis tormentis vterentur, neque perfracti aggeres muriue ſine certa cæde reparari poſſent, neque vllum ab Henrico ſubſidium expectarent, vſi tamen inuictis animis aliquandiu reſtiterunt. Cæterùm tertio die, quum vulneribus laboreque & continuis vigilijs confecti eſſent, peruadente in oppidum per ruinas hoſte, ad vnum ferme omnes memorabili ſæuitia trucidati ſunt. Periere circiter ducenti nobiles ex vlteriori Hiſpania equites: & in ijs illuſtres eorum duces, Petrus Solerius à Corduba, & Didacus Azauedius Archiepiſcopi Toletani frater. Bernardus ipſe multis acceptis vulneribus viuus in poteſtatem hoſtium deuenit. At Henricus captis iam Salſis nequicquam promoto equitatu, in cõſpectum hoſtium deuenit, proximæque Catalanorum cohortes pudore excitæ caſtra compleuerunt. Verùm Fuſius quanquam multo tubarum cantu ad pugnam ab Hiſpanis prouocaretur, ſuis munitionibus quas tormentis in hoſtem verſis inſtruxerat, ſe tenebat: miſsiſque præconibus ſe prælio congreſſurum profitebatur, ſi ad ſe oppugnandum propius munitiones acceſsiſſent: quando non eo conſilio Hiſpaniæ fines intraſſet, vt ad nutum hoſtium dimicaret, ſed vt Salſas in conſpectu Hiſpanorum, qui nihil dedecoris admiſſuri viderentur, oppugnaret & caperet. Iis feliciter expugnatis, ſatis abundè expiatas videri iniurias, quas ipſi paulo antè Galliæ populis omni præſidio nudatis intuliſſent. Quòd ſi dolorẽ interfectorum affinium, & commilitonum permouerentur, eorumq; cædem vlciſci vellent, debere ipſos innatam virtutem aliquo nobili edito facinore periclitari: neque id ab hoſte petere, quod ne inſulſiſsimæ quidem gentes, vel ab imperitis hoſtibus poſtularent. Hybernæ tum pluuiæ campos molliuerant, fœdoque cœno cuncta tenente itinera, propter difficillimas ſubuectiones, Galli pariter atque Hiſpani commeatus anguſtijs premebantur. Quibus de rebus, quum Henricus neque hoſtem elicere, neque bellum duriſsimo anni tempore pecuniæque inopia conſternatis cohortibus, proſperè ſe geſturum prouideret, cum hoſte quatuor menſium inducias pepigit, Fuſio nequaquam detrectante, quum Hiſpanorum audaciam, Salſis expugnatis, cæſoque præſidio, ſatis abundè repreſſam eſſe arbitraretur. Interea quum Carolus Amboſiæ hyemaret, ac eius victoriæ nuncio maximè lætaretur, regia aula exulibus & legatis, omniſque generis hominibus belli & nouarum rerum cupidis plena erat. Florentini ante alios regiam fidem implorabant: Venetorumque & Ludouici Sfortiæ communium hoſtium opibus Piſanos aduerſum ſe defendi, & bellum ſumma eorum iniquitate geri querebantur. Iulianus quoque Rouereus, Paulusque Fregoſius Cardinales, & Hiblettus Fliſcus, cum ducibus Gallis veteribusq; amicis ſuis inuadendę Ligurię conſilia agitabant. Carolus item Vrſinus Virginij patris, fratriſq; Iordanis, & Pauli Vrſini ſalutẽ, cùm regi tum purpuratis aſsiduè cõmendabat: quòd omnis pactionis dateq; fidei violata religione, in cathenis Neapoli ſeruarentur, ipſeq; pontifex Alexander cunctis Vrſinę

familiæ oppidis immineret. Vitellocius etiam, quanquam Paulum fratrem beneficio Mantuani è manibus infeſti pontificis, & vitę periculo ereptum ſciret, de eius tamen libertate ſollicitus, Carolum obnixe deprecabatur, ne Tifernates omneſque Vitelliæ domus fortunas, ſe abſente, altero præſertim fratre capto, altero in partibus Gallorum interfecto, ab nemine defenſas, ſæui pōtificis cæterorumque inimicorum iniurijs diutius expoſitas eſſe vellet: fore etenim, ſi clientium ſalutem non omnino negligeret, vt Gallici nominis hoſtes non diu ea victoria lætarentur, quam multi potius perfidia fallaciſsimiſque artibus, quàm vera virtute ſibi peperiſſent. Nec Traianus Papacauda, quem ab Atella in Galliam miſſum fuiſſe docuimus, tot exulum opem implorantium querelis deerat, quin et regem et proceres multiplici oratione ad renouandum bellum hortaretur: ſupereſſe plures regulos, et in primis Salernitanum ipſum, qui Gallica in fide non modò perſeueraret, ſed bellum vimque omnem Aragonij exercitus egregiè ſuſtineret, felici certè conſtantia, niſi à Gallis pro quibus vitam ac fortunas deuouiſſet, omnino deſereretur. extinctum eſſe Ferdinandum, cui generoſi planeque regij, & militares ſpiritus inerant: ac in regno ſucceſsiſſe Federicum, qui inſitam animo eius timiditatem inani prudentiæ nomine contegere ab ineunte ætate conſueſſet. Sed ante alios Aurelianus Ciſalpini imperij auidus, & Triuultius Ludouico Sforciæ maximè infenſus non modò regem, ſed & ingentes duces & proceres, omnibus quibus poterant artibus ad repetendam Italiam concitabant. His iuſtis clientium ſuorum querelis adductus Carolus, Florentinorum legatos, qui apud ſe erant, cohortes ſagittariorum Vaſconum conſcribere, & naues Maſsiliæ conducere permittit. Carolum Vrſinum & Vitellocium conſolatur, eis vetera ſtipendia perſoluit, multaque pecunia ambos replet, vt in Italiam ad tuendas res ſuas proficiſcantur. Triuultium cum alis duabus equitum Alpes tranſgredi, et in Aſtenſi agro hyemare iubet, vt primo quoque tempore, maioribus e Gallia tranſmiſsis copijs Liguriæ bellum inferretur. Quibus cognitis rebus Ludouicus, Venetiq; & Alexander pontifex, vt Gallorum & Florentinorum conſilijs obuiam iretur, Maximilianum Cæſarem in Italiam euocare ſtatuerunt. Erat magna eius viri bellicæ virtutis fama, & publico priuatoque odio Gallorum hoſtis eſſe videbatur. Florentini quoque Cęſaris nomen horrebant, quod infenſum ſibi atque terribile ſuperioribus ſeculis extitiſſet: & is tum iure ſuo Auguſtæ maieſtatis Piſas ſuæ ditionis eſſe prædicaret, pecuniamque ingentem tributi nomine repeteret, quam Florentini veteres Cęſarum ſtipendiarij à multis annis pendere neglexiſſent. ſperabant enim ipſo Cęſaris aduentu, Florentinos veluti impares ei bello, quod tantis auſpicijs gereretur, à Piſanorum oppugnandorum conſilio Gallorumq; ſocietate diſceſſuros: ne ſi pertinacius Piſanos bello perſequi perſeuerarent, aliquo fortè aduerſo prælio contuſis viribus, vicinas vrbes amitterent: & quod ſummæ rerum graue momentum ſecum trahere poſſe videbatur, nouus non planè confirmata republica ciuitatis ſtatus periculum adiret, Mediceæ præſertim factionis vigentibus ſtudijs. In hæc quanquam fœderati omnes conſentirent, quiſque tamen diſsimulanter priuatis commodis ſtudebat. Ludouicus enim ex aliqua tādem turbatarum rerum compoſitione, ijs de cauſis quas ſuprà memorauimus, Piſas in ditionem ſibi conceſſuras, & Gallico metu ſe liberatum iri exiſtimabat. Contrà veneti, quòd magnis opibus & ſpecioſo quidem prætextu Piſanorum libertatem tuerentur, & ciuium

propen-

propenſione & defatigatione hoſtium eam vrbem imperio ſe adiecturos confidebant. Ipſe verò Cæſar & tenuitate Germanici regni, & profuſiore ſua liberalitate pecuniarum maximè inops, ſi Italiæ fines ingrederetur adeundis liberis vrbibus, appellandiſque regulis, præter ipſa ſtipendia magnum auri pondus ſe coacturum ſperabat: rebaturque ſibi oblatam iri Auguſti imperij coronam, qua mox ex ipſo rerum proſperè geſtarum ſucceſſu, ad vrbem Romam euocatus à pontifice more maiorum ornaretur. Itaq; Ludouicus cum vxore inſignique comitatu per Larium lacum et Volturenam vallem Burmium extremum Italiæ oppidum ad Abduæ fontes profectus, cum Maximiliano, qui Malſium pagum vſque proceſſerat, coràm tranſegit, vt accepta pecunia, conſcriptiſque militibus in Italiam iiſdem tramitibus deſcendere maturaret. Interea dum à Cæſare copiæ parantur, à Venetis maiora indies præſidia terra marique Piſas mittebantur. Triremes decem ab Siculo freto Italiæ oram circumuectæ, cum multo commeatu Arni oſtia ſubierunt: Iuſtinianuſque Maurocenus patritius cum octingentis partim Græcis partim Epirotis equitibus, per Lucenſium fines Piſas peruenit. ea equitum ala vel equorum genere, vel hominum cultu virtuteque nihil ornatius fuit. Erant in ea centurijs præfecti Ioannes Paleologus, Nicolaus Annonius, Ioannes Zaphinus, Theodorus Fruſsinius, & Demetrius Bizantius, quem ab militari indole Megaducem appellabant, viri eo tempore illuſtres: ſed qui poſtea alijs bellis eximia cum laude floruerunt. Per eos dies Lucius Maluetius, quo nemo tum vigilantior aut acrior fuit, intempeſta nocte Ponteſaccum adortus, ſcalis magno ſilentio admotis, cæſiſque vigilibus, oppidum irrupit: captoq; Ludouico Martiano Rannucij fratre cum amplius ducentis armatis equitibus, cætera verò turba peditum atque oppidanorum à Germanis fœdè trucidata, priuſquam à Florentinis ducibus ſentiretur, Caſcinam reuerſus eſt. Nec multo pòſt eadem felicitate peruagatus Piſcienſem agrum, abactaque multa pecoris atque hominum præda, Buggianum vicum concrematis ſoribus expugnauit atque diripuit. Exinde ſancti Reguli vicus, et Larium oppidum à Piſanis fruſtra tentata. triduoque pòſt Græci equites qui in Volaterrano agro Villamagnæ vicum diripuerant, & opimam prædam Piſas reducebant, in itinere à Martianis equitibus exuti præda fugatique ſunt. Quo prælio non pauci ex Græcis confixi ſagittis, aut in foſſas vtrinque militari via adiacentes vi cataphractorum præcipitati, perierunt. Ex Florentinis autem aliquot occiſorum capita haſtis præfixa, Græci ne omnino victi viderentur, ad Venetum legatum detulere. Per eos quoque dies Piſanorum manus Vaianæ caſtellum cepit, & Lucius Butum oppidum conuectis eò tormentis, dedenteq; ſe ad victoris arbitrium Florentino præſidio, celeriter expugnauit. commiſſa quoque ſunt inter Caſcinam & Eræpontem aliquot prælia quum pabulatoribus vtrinque præſidio iretur, modò ijs modò illis aduerſa ſecundaque: in queis Nicolaus Annonius graui baliſtaria ſagitta à tergo transfixus interijt: & Pyrrhus Martianus Rannucij frater Græcorum inſidijs eſt interceptus. Erat id belli genus, vt neutri cunctas vires in vnum cogerēt, aut iuſta acie præliarentur: ſed diſperſi in præſidijs oppidorum, intentique in omnes caſus, hoſtium motus notarent: & quantum occultis itineribus, vel repentinis & nocturnis excurſionibus fieri poſſet, aduerſarijs detrimenta inferrent, pabulationes impedirent, & dolis atque inſidijs magis quàm vera virtute niterentur. Sed Piſani in ea militum exercitatione, Græcorum equitum numero freti,

propter eorum vigilantiam & celeritatem ſæpius ſuperiores euadebant. Ii enim tantam vim pecoris omnis generis, & bubalorum e maritimis locis, quæ ad Volaterranorum fines vergunt, longinquis excurſionibus abegerant, vt ſuperioris anni incommoda toties ab hoſte perpeſſa, ampliore armentorum copia ſarcirentur. Sed ea die Græcorum equitum virtus plurimum enituit, quũ Rannucius cum valida parte exercitus maioribusque tormentis tribus ad oppugnandam Vaianam ab Eræponte deſcendit. Piſani enim qui Lauentiæ erant, animaduerſo ſuorum periculo, quum ad ferendum opem properarent, et caſtello virtute Ranucij celeriter expugnato, ſerò appropinquaſſent, Græci equites caſtra adorti memorabile certamen ediderunt. Ibi lato ac patenti campo videre fuit leuis armaturæ equites cataphractis inſultare, eos circumire, audacter intentis haſtis adoriri, ac ſi paulum turmæ laxarentur, miro celeriq; impetu intercurrere, cuncta perrumpere, clauis ferreis, & incuruis grauioribus gladijs incredibilia vulnera inferre, agilitateque corporum & equorum hoſtium ictus atque impetum ludificari, et ipſos denique inermes (mirum dictu) vndique armis protectos equites paſsim capere atque proſternere. Nicolaus Martianus Ranucij patruelis alæ præfectus fortiſsimè dimicans, & cum eo circiter viginti cataphracti equites interficiuntur. equi inſignes perpictis bardis contecti, triginta ſex capiuntur: multoque maior clades fuiſſet accepta, niſi Ranucius, qui ab initio eius certaminis in expugnatione caſtelli fuerat occupatus, ſubſidio laborantibus confertiſsimas turmas adduxiſſet: & Græcos, cæſis qui pertinacius prædæ inhærebant, effuse refugere coegiſſet. Nec multis poſt diebus Venetæ copiæ Laurentianum vicum, & ſancti Reguli oppidum expugnarunt. A Florentinis verò ducibus Solliana oppidulum improſperè tentatum: nam Petrus Caponius legatus Florentinus, quum in adminiſtrandis ſcalis cohortandiſque militibus intrepidè periculoſo in loco verſaretur, è muro minoris tormenti glande ictus interijt, vir inter patritios, cùm vetuſtate familiæ, tum eo præſertim celebri facto valdè inſignis, quòd pro dignitate patriæ aduerſus purpuratorum Caroli regis ſuperbiam, iniqui fœderis libellum libera voce edita concerpſiſſet. Per eos dies Veneti rebus ad Atellam feliciter cõfectis, quum Piſanum bellum intentiore demum cura adminiſtrandum eſſe cenſuiſſent, Annibalem Bentiuolum cum trecentis vtriuſque armaturæ equitibus, & cohortibus veteranis duabus, ſtipendio conductum, Piſas miſerunt. Ei Lucenſium alpium iuga ſuperanti, Cyriacus cum expedito peditatu ad Bargam vicum obuius fuit, vt fauces Apennini quibus munitionem addiderat, euocatis agreſtibus tueretur. Sed Annibal præſidio inconditæ multitudinis deiecto, iter expeditum facilè ſibi patefecit, & in Piſanum agrum deſcendit. Eius aduentu vehementer permotus Lucius Maluetius, Piſis egreditur, & cum Sfortianis copijs iter in Galliam Ciſalpinam intendens, Apenninum tranſcendit, quod Bentiuolis, aduerſus quos ipſe paucis ante annis Bononiæ cum vniuerſa Maluetiorum familia coniuraſſet, ſalutem ſuam minimè committendam exiſtimabat. Ea res Ludouici animum vehementer pupugit, quòd nemo adeo abſurdis ſenſibus erat, qui non Bentiuolum propterea Piſas miſſum iudicaret, vt Maluetius cum Sfortianis inde pelleretur: & Piſæ demum omni alio eiecto præſidio in poteſtatem Venetorum concederent. Hæc fuere initia eius execrabilis inſanæq; diſſenſionis inter Ludouicum & Venetos, quæ non multo poſt, quum vtroiq; longè maximis bellorum cladibus inuectis penitus obruiſſet,

fuiſſet, vniuerſam penè Italiam fractis opibus labantem, in externarum gentiũ ſeruitutem adduxit. Interea Maximilianus Rhæticis Alpibus, & Lario lacu in Italiam deſcendit, adeo tenui comitatu, vt frequentiam populorum officij cauſa obuiam prodeuntium deuitaret: nec vrbes Comum & Mediolanum ingrederetur, quæ in eius honorem portas templaque & domos ſingulari ſtudio exornarant. Cæterum obliquis tramitibus iter facientem, delectæ cohortes decem & quingenti Germani galeati equites ſequebantur. Equitibus decora erant arma ſingulis commenſurata artubus, ac interciſis ad Elegantiam ſagulis emicantia: ab haſtarum cuſpidibus quod erat probatæ virtutis argumentum, vulpinæ caudæ dependebant. Equis verò eorum omnibus, caudæ penitus abſciſſæ, nobis quidem ridendo, ſed veteri probatoque Germanorum & Belgarum more, quod ob id equi certa contractioris alimenti ratione pinguiores, & ſpinæ robore fortiores euadere exiſtimantur. Ludouicus & Bernardinus Caruaial Cardinalis, Alexandri Pontificis Legatus, Mediolano profecti Comenſi via apud Medam pagum Cæſari affuerunt. Ibi de genere ac numero auxiliorum, de itinere ac ratione gerendi belli conſilia inita: attributusque Cæſari Calatinus cum Sfortianis equitibus vtriuſque armaturę ſeptingentis: quibus coactis copijs acceptaque pecunia Genuam peruenit. Adurnij fratres venientem ſummo cum honore, ac inſigni maximè liberalitate ſuſcepere: parata verò claſſe atque expectata idonea ad nauigandum tempeſtate, poſtridie Nonas Octobres, qua die Rex Ferdinandus ad Veſeuum exceſsit è vita, nauem conſcendit, & legendo oram, Piſas eſt deuectus. Tum verò Piſani incredibili gaudio exultare, omnibus regionibus effundi, lætis acclamationibus, multiſque tormentorum bombis ſtudium atque alacritatem ſignificare: Maximiliani inuicti Cæſaris omnium liberatoris nomen ingeminare: mirari auguſtam faciem, in qua tantum maieſtatis, tantumq; bellici vigoris, ac benignæ probitatis ineſſe prædicarēt. Cæſar à Decurionibus vrbis, legatiſq; Venetis in Mediceam domum deducitur, ſcutumq; marmoreum cum liliorum aureorum inſigni, quod in honorem Caroli regis, Piſani medio in ponte collocãrant, multitudinis concurſu in Cęſaris gratiam confringitur, & in Arnũ pręcipitatur. Poſtero die conueniunt omnium principũ legationes: Liburnum propter maris opportunitatem terra marique oppugnandum decernitur, ne vllus Gallicis claſsibus receptus in Italia relinquatur. Piſani magno agreſtium fabrorumq; coacto numero, paludem Liburnina via maximè impeditam, & inſuperabilem, veteribus refectis pontibus conſternunt: tormenta aliquot ænea, inſpiciente nec probante Cæſare, ad aptiorem formam conflata renouantur: & cuncta deniq; quę res poſceret, mira celeritate ac diligentia comparantur. Cæſar in conſpectum Liburni portus, qui Veneta claſſe obſidebatur, trireme deuectus, ex alto oppidi ſitum, portus littoriſq; ſpatia deſpectauit: inde Piſas reuerſus ad Liburnum oppugnandum copias duxit. Florentini in oppidum duas delectorum militum cohortes: itemq; tormenta omnis generis abundè contulerant: Bettinum Ricaſolum legatum ſupra togæ opinionem virum forte ac ſtrenuũ, præſidio præfecerant. Is ante octogoniam turrē Lunenſi è marmore decoro artificio paruã in inſula ædificatam, quæ latè maria, portum, littoraq; tuetur, circumducto aggere communiuerat, refertamq; tormentis Florentinis ciuibus cuſtodiendam attribuerat. arcis atq; oppidi mœnia in longo belli metu refecta; conſtitutis paſſim idoneis in propugnaculis maioribus tormentis inſtruxerat: domoſq; ad-

uerſus omnem inopiæ metum, vino, frumento, pecoreque repleuerat. Erant ad dextram tres aliæ marmorea aliquanto minores lateritiæ turres, quæ mari pariter alluuntur. Eę primum tormentis verberari cœptæ, conſilio, & à Cæſarianis militibus, & ab hoſtibus pariter ridendo, quum longo in ſpatio emiſſæ cannonibus pilæ contumacibus muris fruſtra inciderent: nec patefactæ etiam vel dirutæ turres, vllum omnino momentum ad expugnandum oppidum habituræ viderentur. Veneti nanque & Sfortiani nequaquam bonis artibus bellum gerebant: quoniam de obtinendo Liburno, ſi caperetur, magna cõtentione in concilio certatum fuerat: quum Ludouicus oppidum portumque ſibi tradi vſque ad belli exitum poſtularet: Venetis id ſibi cuſtodiendum iure deberi prædicantibus, quòd eorum claſſe maria tenerentur. Dixerant aliqui mediam ſententiam, vt ſcilicet Cæſaris æquiſsimi ducis arbitri permitteretur, cuius auſpicio bellum gererent. Ea ex ore Ludouici mitti videbantur: qui quum Venetos Piſarum imperio potiri ægerrimè ferret, nimiam eorũ potentiam reformidans, etiam maritimũ oppidum ad inuadendas Piſas opportunum eorũ præſidio occupari nolebat. Veneti verò tametſi occultè ipſorum cupiditatis præſentem inuidiam vitare cuperent, eoq; haud ęgrè deſcenderent, vt Cæſari traderetur, conditionem periculoſi conſilij renuebant, quum Cæſarem ex inopia auguſtalis ærarij, & plerunque ex inconſulta liberalitate alienæ pecuniæ auidum, à Florentinis auro corrumpi poſſe, vt oppidum ſibi emptionis iure de manu traderetur, magnopere dubitarent. Sed dum turres haud obſcuro quodam ludo tormentis verberantur, turmæ nauales, quę in terram deſcenderant, eruptione præſidij ac oppidanorũ ad triremes cum cæde ac trepidatione ſunt compulſæ. Poſtera die Gallica claſsis in cõſpectum ſe dedit, nauisq; vna cognomento Normanna ante alias pręgrandis, et militariter exornata, ſecundum nacta ventum, deſpectis Venetis triremibus, & ingenti naue Liguſtica, plenis velis in portum ſe intulit, et octingentos Vaſcones mercede conductos expoſuit, commeatuq; omnis generis oppidanos repleuit. In ea naue fuere Carolus Vrſinus & Vitellocius, qui regia onuſti pecunia tranſuerſis itineribus, Peruſiam ad cogendos milites contenderunt. Interim obortæ ſunt fœdæ tempeſtates, adeoque ſæuus Aphricus pluuia commixtus inualuit, vt Germani pedites, qui tabernacula ſecum ferre minimè conſuerunt, duritiæ frigoris ſubacti Piſas refugerent, aliorumque militum tentoria paſsim ſternerẽtur: quo etiam ventorum turbine, quòd portui Liburnio ventus Aphricus maximè eſt aduerſus, triremes vehementer ſunt conflictatæ, vnaq; in littus eiecta atque perfracta naufragium fecit: & eo quidem miſerabilius, quòd enatantibus ſocijs naualibus, aut vulnere aut fluctibus, effuſo ad prędam hoſte, erat pereundum. Adurnia quoque oneraria admodum inſignis, quum abruptis rudentibus quibus anchoræ diſtinebantur vim tempeſtatis ſuſtinere non poſſet, interijt. Quibus detrimẽtis veluti aduerſo omine permotus Cęſar ſæpe dictitans ſe, Dijs atque hominibus infenſis, bellum non eſſe geſturum, copias reduxit: à valida tamen Germanorum manu quæ longius prædatũ ierat, Burgarũ oppidum vi captum, ac occiſo Henrico maritimæ regionis regulo, cunctiſq; ferè incolis crudeliter interfectis, incenſum atque deletum. Nec multo pòſt Cæſar diuerſis itineribus pręmiſſo milite Apenninũ Pontremulanis iugis trãſgreſſus, Ticinũ vbi tum erat Ludouicus peruenit: atq; inde per Larium lacum media hyeme, niuoſis admodum alpibus, in Germaniam eſt reuerſus, non vno in loco iratè atque mina-

citer

citer iurans ſe non venatoris habitu, vt tum ſociorum auxilijs confiſus incautè feciſſet, ſed armati Cæſaris more totis imperij viribus inſtructum, in Italiam aliquando rediturum. Maximiliano Piſis excedente Germani omnes Sfortianique milites pariter in Ciſalpinam Galliam abierunt: ac tum demum Piſæ in Venetorum poteſtate ſunt conſtitutæ. Nam quum Piſani aduerſus vim Florentinorum longè infirmiſsimas ciuitatis opes eſſe conſpicerent, ac ſe planè reliquo omni auxilio deſtitutos intuerentur, arcem veterem, quę ad mare ſpectat & Stampacis propugnaculum ad paruæ arcis effigiem citra flumen exporrectum, omniaque belli iura Venetis vltrò conceſſerant: Caſcinamque & Verruculanam ſpeculam Venetis præſidijs commiſerant, vt liberaliter fidenterq́; cuncta concedendo, Venetorum voluntates redimerent, ac maiore eorum ſtudio, amplioribusque præſidijs in tuenda libertate vterentur: aut ſi Dijs omnino infeſtis de Repub. foret deſperandum, mitioribus certè atque potentiorib. dominis ſeruirent, poſtquam extrema ſupplicia potius pati, quàm Florentinorum imperium rurſus perferre, publicè decreuiſſent. Dum hęc in Ethruria geruntur, Alexāder pontifex, vt Vrbis proceres deleret, quos Romanorum pontificum compedes appellabat, vtq́; maior inde filijs potentia ſtrueretur, ad oppugnanda Virginij oppida copias miſit. Iere cum Franciſco Borgia filio principe Candiano Guido Feltrius, Fabritius Columna, Antonellusque Sabellus: primoque aductu oppida circa Caſsiam viam, Inſula, Galeria, Campanianum atque Scrofanum facilè occupata: quæ verò ad Sabatinum lacum pertinent, Trebonianum, Anguillaria, & Braccianum ditionis caput veterano Virginij milite tenebantur. Eò enim Liuianus ex fuga ſe contulerat, vt afflictis familiæ rebus, extremam operam nauaret. Is milites armis, equis, veſteque ſpoliatos exceperat, ſingulis equos indomitos ex armentis attribuerat, liberalitateq́; Bartholomeæ virilis animi fœminæ, quæ Virginij ſoror erat, recrearat, & inſtruxerat, quum ea maritales zonas mundumque omnem muliebrem, ac veſtes nuptiales, vt ex ijs ſaga militibus fierent, alacriter protuliſſet. Mira quoque Liuiani celeritate Braccianum valido aggere communitum, tormēta vetera coaptata, agreſteſque eius tractus fermè omnes euocati armatique: miſsilis plurimus ignis in ollis teſtaceis fabrefactus: itemq́; trabes onuſtæ lapidibus in ſumma pinnarum corona, ad obruendos hoſtes collocatę. Nanque Liuiano neque ardens ſtudium in gerendis rebus, neque militaris induſtria vnquam defuerunt. Interim Trebonianum in ora lacus ab hoſte conuectis eò tormentis oppugnari cœptum. Liuianus præpoſitis oppido peritis centurionibus, id egregiè tueri: ab aduerſa ripa recentes milites lembis tranſmittere: ſpe maioris celeriſque ſubſidij, vbi periculum poſceret, oppidanos implere: hoſtiumque impetum nauigationis beneficio retardare atque fruſtrari. Quibus rebus quum nulla vi terreſtris exercitus occurri poſſet, Duces à pontifice poſtulabant, vt ab vrbe myoparonem plauſtris ad ſe deuehi curet: ſperare ſe eo fretos nauigio celeriter & Treboniano & Bracciano eſſe potituros. Pontifex myoparonem ſumptum è Tyberi, cohortis vigilum præfecto, Troiloque Sabello impigro iuueni conuehendum tradit. Id autem ad Liuianum, Vrſinæ factionis hominem ſtudio ac diligentia celeriter defertur. Quare cognita vehementer perturbatur, quum valido nauigij genere res ſuas profligatas iri videat. Cæterùm à pręſenti animo audax, ſed euentu felix conſilium capit: cum delecta nanque ſuorum manu tectus intempeſtæ noctis tenebris, aduentantibus obuiam progre-

ditur, cæteris oppidum tueri, & ſui maximè præſentis ſpeciem præbere iuſsis. Vix dum pontificij myoparonem ad ſextum ab vrbe lapidem conuexerant: quum Liuianus inexpectatus ſuperuenit, magnoque impetu facto, ſublatoq; ab omnibus clamore hoſtes adoritur. Cohors & turma præfecti vigilum aſſuetæ triumuiris capitalibus infamem præſtare operam, terga protinus vertunt. Troilus ſtrenuè dimicans, vulnerato Liuiani manu quo vehebatur equo, in fugam conijcitur: eo pulſo cæteri profligantur. Liuianus deſertum ab hoſtibus nauigium incendit, ac omnibus ſuis incolumibus, negotioque fortiter ac feliciter confecto Braccianum reuertitur. Ea res pontificijs in caſtris nunciata, ſecus ac Liuianus putarat, omnium animos plurimum incitauit: quum plerunq; fiat, vt ex dolore contumeliæ, vel ignaui milites ad virtutem accendantur. Itaque frequentibus tormentorum ictibus Treboniani mœnia perrumpuntur. Pontificius ſubit miles: Vrſini multitudine oppreſsi cedunt: oppidum capitur atque diripitur. Treboniano capto tormēta ad Braccianum traducuntur. Ibi maiore vi plures dies eſt repugnatum: nam & ipſe Liuianus aderat, & cohortator & propugnator egregius: & viri fortiſsimi qui factioni Vrſinæ Virginioque duci antea ſe deuouerant, & loca periculi plena ſibi egregia virtute tuenda deſumpſerant. Sæpe pontificij è propugnaculis ruiniſque procidentium murorum deturbati, ſæpe eruptione certatum: repulſis fugatiſque hoſtibus ſingulari eorum cum ignominia tormenta occupata, clauiſque confixa: ita vt pontificij duces Vrſinis ſæpe è muro irridentibus, eorumque conatus contemptui atque ludibrio haberi viderentur: idq; maiore ipſorum fiducia fiebat, quoniam à Tifernatibus, Peruſinis, Tudertibusque ac cæteris Vrſinæ familię clientibus, auxilia propediem ſibi ventura ſperabant, Carolumque Vrſinum & Vitellocium coactis in vnum copijs ad ſe maturare cognouerant. Vitellocius enim poſtquam è Liburno Tifernum venit, quantum equitum ac peditū cogi potuit, celeriter armauit: & phalangem eduxit ex oppidanis delectiſque agreſtibus & colonis, militari diſciplina inſtitutam. Ipſe enim & Camillus Paulusque fratres vni huic rei maximè ſtuduerant, vt aduerſus finitimorum iniurias, Romanorumque pontificum vim omni tempore ſibi metuendam certa atque domeſtica præſidia compararent, quum pedeſtri præcipuè opera bella confici parariq; victorias cùm recēti maximè Gallorum exemplo, tum antiquorum more, prorſus intelligerent. Erant homines intonſi ſimplices ipſo agreſti habitu, aſpectuq; propemodum contemnendi: ſed certa animi contumacia, corporiſque duritie, & fide admodum conſtanti: multoque ducum amore & parendi obſequio, optimorum militum nomine digni. Eos Germanicæ militiæ more gladijs haſtiſq; inſtruxerant: ſigna ſequi tympanorum certis pulſibus, ſcienter obtemperare, conuertere, dirigereq; aciem, in cocleam decurrere, et denique multa arte hoſtem ferire, exacteque ordines ſeruare docuerant. Quodque magno vſui ſemper fuit, omnibus eorum manipulis miſcuerant viros militares ſuperioribus bellis exercitatos ac ingenio maximè valentes, qui multitudinem regerent, & ſubitis caſibus atq; periculis ſe primos offerrent. Præter hos plæriq; veterani equites aderāt, Peruſia, Tuderto, Narnia, atque vrbe Roma euocati: plures ab Atella redierant. multi etiam partium ſtudio, et propter veteres clientelę neceſsitudines, vt ſemioppreſsis opem ferrent, in caſtra ferebantur. Validam quoq; cataphractorū turmam Ambroſius Landrianus Ioannis Rouerei equitum pręfectus adduxerat. Coniunctis in Orthano agro

no agro omnibus copijs, Vitellocius & Carolus Surianum proficiſcuntur. Id Sabini agri oppidum inter Caſsiam viam atq; Flaminiam arduo in monte poſitum eſt, vbi tum erant Baptiſta Cardinalis & Iulius Vrſini fratres, qui metû pontificis Vrbe profugerant. Ibi caſtra ea nocte habita, militesque oppidi cõpijs abunde recreati, ſequenti die vix dum exorto Sole, dum de itinere profectioneque deliberant, pluribus nuncijs affertur, pontificios duces de ipſorum aduentu certiores factos, Bracciani oppugnationem reliquiſſe, ſub Ciminio monte per Capenates iter habere, atque aduentare eo conſilio, vt locis à Bracciano maxime remotis æquiore conditione confligant. Vix dum eorum aduẽtu certius cognito, vel explorato, Vrſini pontificios antecurſores denſis nemoribus egreſſos conſpiciunt, & ab ijs quoque pari proſpectu atque eodem tempore Vrſinorum caſtra videntur. Vitellocius & Carolus alacriter aciem inſtruunt, ac expeditam equitum alam in hoſtes emittunt: concurritur impeditis in locis. Pontificij repentino hoſtium incurſu perturbati, dum ad ſuos ſe recipere cupiunt, vt hoſtes adeſſe renuncient, in fugam verſi, ad tormenta vſq; compelluntur. Erant in prima agminis fronte Antonellus atque Fabritius cum Romano equitatu. Ii cum ſuorum fuga, tum hoſtium inſolentia permoti, vti erant duces eius ætatis longe omnium manu promptiſsimi, extemplo concitatis equis prorupere: alijsque ſubinde ſubſequentibus turmis, Vrſinorum equitatũ multis vulneratis atq; proſtratis in fugam coniecere. Erat eo loco ſylua admodum rara, ſed frequentibus dumetis impedita, quam pontificiæ copiæ iam euaſerant: ab ea, planities ad effigiem oblongæ conuallis vtrinq; ſepta nemoribus, ad Vrſinorum integros ordines extendebatur. Ibi lato ſpatio magna vi eſt decertatum: tantoque hoſtium impetu Vrſinorum primæ turmę ſunt repulſæ ac profligatæ, vt debellatum eſſe iudicantes præ timore late profugerint, Florâ braccęique ante alios Baleoni, equitum inſignis præfectus ad Stipicianum vſque ſuę ditionis oppidum ingenti curſu ſe proripuerit. In ea perturbatione turmarum Roſſetus Tifernas ſingularis animi vir phalangisque prębfectus, quum extra ordinem equo aduectus procurriſſet, & cum eo Franciottus Vrſinus, qui poſtea Cardinalis fuit, circumuenti captique ſunt. Sed quominus pontificij perturbatis inſiſterent, & in delendo hoſte præſenti fortuna vterentur, locus qui à leua procerioribus virgultis denſus aditum impediebat, plurimum retardauit: ac ſimul Vrbinas & Candianus longius prouectos reuocauere: qui niſi productis ante aciem tormentis, promotoque Germanorum peditatu, quem in poſtremo agmine reliquerant, cum pedeſtribus hoſtium copijs confligere nolebant. Ea res manifeſtam eorum victoriam interpellauit. Nam Vitellocius ſuos confirmandi atq; adhortandi ſpatium nactus, ęquo in loco phalangẽ conſtituit: eamque ab latere dextro totius reliqui equitatus ſubſidio firmauit. At dum Vitellocius cruentum gladium tenens, multoque hoſtium & ipſius equi in ceruice ſaucij cruore perfuſus, educta caſsidis buccula ad Tifernates ſuos concionatur, & Carolus reductos conglobatosque equites ad demendam ignominiam accendit, pontificij promouent tormenta, quorum pilæ altius forte collibrantibus magiſtris emiſſæ, ſine detrimento hoſtilem aciem præteruolant: tum vero cum tota mole copiarum incumbunt. Landrianus denſata ſuorum ala proruentes egregie ſuſtinet: Tifernates quoque pedites ſingulari conſtantia Germanorum impreſsionem excipiunt, prælium que magnis clamoribus committitur: Germani iniquo cõgreſsi loco longioribus Tifernatum lanceis;

quæ Germanicas cubito ſuperabant, facilè confodiuntur: atque in conſpectu equitatus ad vnum omnes temporis puncto trucidantur. Ea re conſpecta equites timore conſternati, fugæ ſe mandant. Dux ipſe hoſtium Guido Feltrius in depreſſum callem ex fuga præcipitatus, dum ruina ſupercollapſi equi oppri-meretur, Baptiſtę Tophio nobili Vrſino equiti ſe dedit: & ab eo abſciſis ephippij loris vitæ periculo eximitur. Ioannes Petrus etiam Gonzaga ab hoſte circumuentus deditionem facit. Vexilla & tormenta cunctaque exercitus impedimenta capiuntur. Mutius Columna acerrimus iuuenis in inguine ſagitta vehementer vulneratus euaſit. In ea fuga Bernardinum Lunatum Ticinenſem Cardinalem, qui in caſtris legatus erat, adeò vehementer incitaſſe equum ferunt, vt ex pauore concepto atq; ea inſolita iactatione paulò poſt obierit. Vrſini duces ea victoria læti curandis corporibus & diuidendæ prædæ, biduum quietis militi conceſſerunt. Tertio die promota ſigna iunctis cum Liuiano copijs, qui in caſtra ab Bracciano victoriam ducibus gratulatum adcurrerat, oppida paulo antè amiſſa, præter Anguillariam & Trebonianum ſunt recepta. Paulò poſt quum Vitellocius victoriæ moderandum, nec pontifici vlterius inſultandum eſſe iudicaret: & pontifex ſuſcepti temere belli pudore adductus, mitioris animi ſigna præbuiſſet, pax eſt confecta auſpicijs Federici Sanſeuerini Cardinalis, qui Vrſinam familiam eo tempore ſingulari patrocinio tuebatur. Septuaginta milia aureorum nummûm ab Vrſinis impenſæ nomine pontifici perſoluta ſunt: cuius ſummæ maiorem partem Guido Feltrius vt carcere educeretur appendit: cautumque eſt, vt Vrſini, qui Neapoli in cuſtodia erant, ſine pretio dimitterentur: curaretque pontifex, vt Paulus Vitellius à Mantuano libertatem impetraret. Sed quum ad ſeptimum Calendas Februarias ad Surianum eſſet pugnatum, ſeptimo antè die Virginius in Oui arce, ſenio mœroreque confectus vita exceſſerat: vir ætatis ſuæ ſummis honoribus militiæ geſtis longè clariſsimus. Nam ſupra peritiæ militaris opinionem, quod nequaquam inane noſtro ſeculo cenſetur, multo etiam ſplendore liberalis vitæ cultuque familiæ, ac ipſa demum apud factioſos confirmata Romani nominis authoritate, vel æmulos Columnas proceres anteibat: quibus virtutum dotibus ſupra paternas opes, quæ erant ampliſsimæ, feliciter accumulatis, felix profectò videri potuit, niſi periniqua, aut certè fatali peruicacia ab æquo & bono importunè abductus, in ipſo vindicandæ contumeliæ conatu, in arcta cuſtodia miſerrimè concidiſſet. Luxerunt eum non ſecus ac optimum parentem, exactæque diſciplinæ magiſtrum pernobiles alumni, cùm ipſi gentiles Vrſini, tum Comites Vitellij, Anguilarij, & Baleones, qui ex eius domo tanquam illuſtri ſchola prodeuntes, præclari demum bello duces euaſere. Nec multo poſt Iordanes filius & Paulus Vrſinus à rege dimiſsi ſunt, quòd odio ac inuidiæ vanius Virginij morte ſatisfactum eſſe videretur: conceſſumque filio patris cadauer, quod apud Cære Vetus totius familiæ concurſu, & magna clientum veteranorumque militum frequentia, celebratis exequijs, tumulatum eſt.

FINIS QVARTI LIBRI.

PRIMÆ huius decadis poſtremi ſex libri clade Vrbis perierunt, quos tamē author ex ſchedijs exemplaribus ſua fretus memoria (modò vita ſuppetat) reſtitui poſſe non deſperat. Errera nanque Cordubenſis, & Antonius Gamboa Cantaber cohortium præfecti, quum in templo diuæ Mariæ ad Mineruam excruciatis æditui̋s, omnes latebras exploraſſent, ferratam arcam inuenerunt, in quam author elaborati argenti pondo centum & hiſtoriarum codices condiderat. Sed Gamboa argento contentus libros tanquam inutilem prædam abiecit. Errera verò non inſulſo ingenio partem eorum collegit, eos ſcilicet qui in membranis ſcripti erant, & purpureo contecti corio, papyraceos autem contempſit, eo euentu, vt diſsipati in fœdos vſus omnino perierint. Collectos autem ad authorem inde tulit, vt præmium acciperet: idq́ munus pontifex authoris lachrymis exoratus ſacerdotio rependit, quod Errera, Hiſpano ſacerdote defuncto, apud patrios Lares magnopere expetebat.

HORVM SEX LIBRORVM, QVI CLADE VRBIS PERIERVNT, AVTHOR EPITOMATA

appoſuit, vt legentes interruptæ hiſtoriæ deſiderium lenius ferant, ſupplereq́, volentes, ab his rerum ſeriem perdiſcant.

QVINTO itaque libro, narratur bellum inter Columnios & Vrſinos Romanos proceres ortum. Pugnatur ad Monticellum Cruſtumini agri ab vtraque factione. vincentibus Columnijs, Carolus Vrſinus capitur, moxque ciuili humanitate, pace facta dimittitur, quòd Alexandri pontificis aſtuta conſilia in vtriusq; factionis perniciem verſa deprehendiſſent. Interim Carolus rex Galliæ, quum è ludo paruæ ſphęrę in cubiculum alienum feſſus ſe reciperet, apoplexia correptus, moritur, eique ſuccedit Ludouicus Aurelianus, vir apprimè bellicoſus. Florentini factionibus inter ſe fluctuantes, Hieronymum Sauonarolam cucullatum, de pontificis poteſtate malè ſentientem, & humanis rebus ſeſe ambitioſius, quàm ſacratum virum deceret, immiſcentem, ſed indignum Chriſtianæ doctrinæ nomine, adeò atroci ſupplicio in foro comburunt. Veneti qui antea hortatu Ludouici Sfortiæ Piſanos aduerſus Florentinorum vim defendendos ſuſceperant, quòd magis ac magis præſidia augerent, & Piſani eorum nouo imperio lętarentur, cum magna inuidia in ſuſpicionē occupandæ eius vrbis venerunt. Quibus de cauſis Ludouicus Sfortia, ne Veneti immodica affectātes imperia, ea opportuniſsima Etruſco in mari vrbe potirentur, ab eorū amicitia diſcedit, Florentinisq; adhęrens trāſmiſsis auxilijs Venetorū duces cum magnis copijs Apenninū tranſcendere maturātes, vt ſummis iugis arceantur, operam dat. Nam Paulus Vitellius Florentinorū dux, poſt illata Piſanis Venetisq; prę ſidijs aliquot detrimēta, e Piſano agro reuocatus, ad tutandas Caſentinatis ſaltus ſummitates, ad pagū diui Stephani peruenerat, multisq; pręlijs factis Guidonem Feltriū, Liuianū, Aſtoremq; Baleonū Venetos duces ſingulari virtute profligarat, atq; deiecerat, vſq; adeò graui cū dolore ab ea irrita ſpe Veneti ſena

tus, vt implacabile odium aduerſus Sfortiam conceperit, & cum nouo Galliæ rege, Alexandroque pontifice, ad conturbandum totius Italiæ ſtatum coniurarit, diuiſis inter ſe totius ferè Italiæ vrbibus. Ex ea diuiſione Mediolani principatus non obſcuro iure hæreditatis Ludouico quærebatur. Is Cremonam Venetis eius belli ſocijs in præmium ſocietatis & fœderis concedebat. Cæſari Borgiæ Alexandri pontificis filio, qui ſe à ſacra purpura abdicarat, interfectóque Candiano fratre magnum imperium affectabat, Togatæ Galliæ & Vmbriæ reguli concedebantur: aſcitusque in id fœdus Ferdinandus Hiſpaniæ rex cum Gallo clam Apuliæ regnum fuerat partitus. Quibus conſilijs ingens mox bellum exortum eſt. Nam Florentini recuperandæ Piſanæ vrbis auiditate, in id fœdus conſenſere, ea cõditione, vt Gallorũ auxilijs freti, Piſanos ſubigerent.

SEXTO libro narrantur res geſtæ eius anni qui ſecularem ab Alexandro conditum anteceſsit. Ludouicus Sfortia cognito rerum ſuarum periculo, quòd aduerſum ſe tot principes coniuraſſent, litem de imperio Mediolanenſi per conditiones annui tributi cum Gallo componere, deprecarique iniuriam à Venetis conatus, poſtquam omnia fruſtra tentarentur, ad Baiazetem Turcarum imperatorem confugit: per legatos quorſum hæ coniurationes tenderent demõſtrat, atque auxilium petit. Barbarus occaſionem intelligit, & terra marique in Venetos arma parat. Veneti ingentem claſſem Grimano præfecto Ionio in mari Turcarum claſsi opponunt. Sed Grimanus malè explicata claſſe, & trierarchis nequaquam præſenti animo pugnam ineuntibus, ad Protum inſulam inter Sporadas, turpem in fugam conijcitur, quum explorata victoria penè eſſet in manibus, niſi trierarchi ceſſauiſſent, Albano Armerio, & Andrea Lauredano, qui vni omnium impigrè pugnam inierant, miſerabili incendio abſumptis: quum in ingentem nauem Baracchi Smirnei prædonis, cum duabus vtrinque celocibus vehementer inuecti, poſt iniectas harpagonum ferreas manus Barbari deſperata ſalute, vltro repentinum incendium excitaſſent, quo victi victoresque concremati ſunt. Poſt rem malè geſtam, Grimanus ad Sphragiæ inſulæ portum, cui Sapientiæ nomen eſt, ſe contulit. Dauthes autem Turcicæ præfectus claſsis, deſertis & amiſsis aliquot triremibus, in Naupacteum ſinum abſceſsit, Naupactumque ſegniter defendente Veneto, in poteſtatem redegit. Nec multò poſt Grimanus propter rem malè geſtam reuocatus Venetias, in compedibus cauſam dixit, damnatusque eſt, & relegatus in Oſſarum Abſyrtidum inſulam, inuidioſo nimiſque ſeuero Senatus iudicio; quòd nihil Dominici cardinalis pro ſene patre deprecantis, ſacratiſque manibus ſubleuantis paternos compedes, conſpectus, & purpura, aut preces valuiſſent: quando etiam oborta in Senatu miſericordia, multis honeſtæ lachrymæ manarent, vel ob id præſertim, quòd in trierarchos quoſdam nobiles minus imperio parentes non animaduertendo, pro priuata eius clementia, publicæ ſeueritatis pœnam ſubijſſet. Exitu quoque eius æſtatis Scanderbeſſa Illyrici præfectus, cum duodecim milibus equitum, per Aquileienſem agrum in Euganeos, altiſsimis fluminibus ſuperatis, populabundus penetrauit: captoque magno hominum numero, quod nemo armatus obſiſteret, & trucidatis immaniter ſenibus, ita Tiliauenti amnis ripa, vnde venerat, graui ex incendijs & cæde luctu in his regionibus relicto, reuerſus eſt, poſtquam ſe ſeram Ludouico Sfortiæ opem attuliſſe didicit.

SEPTI-

SEPTIMVS liber, eiuſdem anni per autumnũ res geſtas refert. Narratur bellum ortum inter Heluetios & Germanos Rheno propinquos. Hi vallis Agnedinę incolas, qui inter Rhętos (Griſoni hodie vocantur) incurſione facta ferro atque igne populati fuerant: quibus opem implorantibus, Heluetij vetuſto fœdere coniuncti non defuerunt, conflixereq; cum Germanis ad Suatzualdum, qui locus combuſti nemoris nomen ſonat. Eo prælio Heynauolebanus Heluetiorum dux peritiſsimus, ordines partiendo promouendoque, ita hoſtium aciem perfregit, vt celebri victoria ſit potitus. Sed quum ante alios pulſum loco hoſtem acrius vrgeret, iam planè victor, plumbea pila caput ictus occubuit. Sub id quoq; tempus Paulus Vitellius Florentini dux exercitus tormentis admotis magno apparatu, ſed infelici conatu Piſas oppugnauit. Quum enim Stampacis propugnaculum, quod in meridiem vertitur, deiectis atq; interfectis defenſoribus occupaſſet, atque inde in vrbem irrupturus eſſe videretur, Piſani ab interiore area in eam partem ingens tormentum, quod Bubalus ab incredibili violentia vocabatur, obuerterunt. Tanta verò pilarum eius vis extitit, vt omnia munimenta a Vitellio obiecta deſijceret, neminemque propugnatorem introrſus conſiſtere ſine certa pernicie pateretur. Itaq; propugnatoribus Stampace denudato, Vitelliani pedem retulerunt, ſic vt ſpe ferè captæ vrbis Paulus deijceretur, et autumnus grauis exercitum inuecto peſtilenti morbo mirum in modum vaſtaret. At Vitellium poſt tãta res paulo antè proſperè geſtas, quòd nouiſsimo conatui Fortuna non arriſiſſet, inuidia inuaſit, prębuitq; cauſam accuſationi Ranucio Martiano perpetuo hoſti ſuo atq; obtrectatori, vt apud Florentinos facilè ſuſpicaces, nõ vi, ſed dolo ceſsiſſe, nec potiri Piſis voluiſſe crederetur, ꝙ Ludouici Sfortię literis obtẽperare potius, quàm Reipub. commodo, extremũ capiendę vrbis periculum facere voluiſſet. Itaq; ea oneratus calumnia, nihil tale timẽs Caſcina in oppido à legatis Florẽtinis capitur, Vitellocio fratre per tumultum elabente. Perductus autẽ Florentiam exquiſitiſsimis tormentis ſubditur, nec quicꝗ quo nominis fama maculari poſſet, ab inſonte atq; fortiſsimo viro elici potuit, quũ tantum ſe à fortuna ſua miſerè deſeri, & ingratè plecti quereretur. Sed Ranuccianę factionis Octouiri, quẽ iure damnare nõ poterãt, impotentib. ſuffragijs, ne iniurię vltor euaderet, capitali ſupplicio damnarunt. Per eoſdem dies Galli in Italiam trãſcedunt, ac Obignino & Triuultio ducib. Aratium & Annoniũ Sfortiani imperij arces expugnant: atq; inde ad Alexandriã deferuntur, magnaq; vi tormentorũ murũ quatiunt. Sfortianis copijs pręerat Galeacius Sãſeuerinus. Is, vti poſtea dicebat, falſis Calatini germani fratris literis, quaſi id iuberet Sfortia, pręſidio excedere, & Mediolanũ reuerti iuſſus, magnã partẽ exercitus interclusum Pado, Gallis diripiendã prębuit, turpiterq; aufugiens vrbẽ hoſti occupandã reliquit. At Sfortia, ad profligati exercitus, amiſſęq; Alexandrię nunciũ perculſus, quũ fortè Simon Horrigonius Inſuber, homo facinoroſus, Antonium Landrianũ ærarij præfectũ trucidaſſet, ab eaq; cæde expediendę pecunię facultas conturbata videretur, animũ deſpondit, Comumq; profectus cũ Aſcanio cardinale fratre & liberis, in Germaniã ad Maximilianum Cęſarẽ confugit. Nec multò poſt ex eius victoriæ lætiſsimo nuncio, Ludouicus rex Mediolanũ venit, cui cunctæ Sfortiani imperij vrbes cum Genua deditionẽ fecerunt. Cremona autẽ ex cõditione fœderis Veneto ceſsit. Arcem verò Mediolanẽſem longè omniũ munitiſsimam atq; pulcherrimã, Bernardinus Curtius inſigni auaritia atq; perfidia vir, qui Sfortię alumnus fuerat,

Gallis prodidit. Per id tempus Cæſar Borgia, Heluetijs mercede conductis, adiunctoq; ſibi Gallico equitatu, cui Alegria preerat, Catharinā Sfortiā Forocornelij & Foroliuij vrbibus expulit, dedentemq; ſe demum, captiuam Romā duxit. Quum verò Fauētiæ, Arimino, atq; Piſauro imperij auidus immineret, Sfortia poſt quintum exilij menſem, quòd tædio Gallorum ab Inſubribus accerſeretur, cum manu Heluetiorum Mediolanum eſt reuerſus. Verùm intra paucos dies poſt Nouariam tormentis receptam, nouus Gallorum exercitus duce Tramulio cum veteribus Lignīnij & Triuultij copijs coniunctus, eum magnopere conterruit, ob id maximè quòd magnus Heluetiorum numerus Gallicis in caſtris militaret, miſceretq; facile ſermones cum conſanguineis ſuis, qui apud ſe ſtipendia merebant. Ludouicum quoque Valdreium virum Sequanum, qui trecētos galeatos equites adduxerat, à Gallis ei notis ducibus ſollicitari ad defectionem didicerat. In eo graui metu Sfortia certa tributi pactione cum Lignino, vt ſe periculo eriperet, tranſigere conatus eſt: ſed eius conſilia Fortuna iam pridem infeſta penitus eluſit. Nam Heluetij vtriuſque partis Gallica pecunia corrupti, cum habitu Heluetij militis inter phalangis ordines prodeuntem, Gallis ducibus tradiderunt, precipuis tantę perfidiæ authorib. ducibus duobus. Sfortiam in Galliam perductū, Ludouicus rex nullā humanitatis & clemētię laudem quærens, in predurum carcerem ſine ſcribendi ſolatio conieciт. Eandem fortunam tulit Aſcanius cardinalis in Placentino agro, dum effugeret, à Conrado Lando Venetis equitibus proditus. Hunc poſtea Venetijs diu cuſtoditum, depoſcenti regi Senatus tradidit, vt in Gallia ſeruaretur.

OCTAVVS liber Baiazetis Turcarum Imperatoris in Greciam aduentum continet. Is anno ſeculari cum centum quinquaginta armatorum milibus ab Iſthmo Pelloponneſum ingreſſus, trinis caſtris ad Metonem poſitis, turrem portæ imminentem maioribus Tormentis eſt demolitus, murumque tribus in locis aperuit. Sed poſt varia certamina vtrinque acerrimè depugnata, Ianizari pedites à ſanctæ Mauræ porta in vrbem perruperunt, quum fortè miſerabili caſu Metonenſes conſpectis quinq; triremibus Venetis, quæ arma, milites, & commeatum obſeſsis afferebant, vt appulſos exciperent, ad mare deſertis ſtationibus deſcendiſſent. Itaque Barbari potiti lato aditu, editaque magna cæde, Grecos ſimul & Venetos milites obtruncant: cohortemque dudum expoſitam, et à portu intrantem concidunt. In ea ſtrage Antonius Fabrius, & Bardella præſidij prefecti trucidantur, Andreęque Falconi Metonenſium Epiſcopo, qui in ſacra veſte hortabundus prodierat, mitratum caput barbari gladio detruncant: neque cuiquam armato vel inermi Turca miles pepercit, niſi quem aut ętas aut decora forma conſeruauit. Captiui longis nexi reſtibus ſupra mille perducti ad prætorium, in conſpectu imperatoris trucidati ſunt. Cuſtodiæ tamen iniectis cathenis traduntur Gabriel prætor, & Balaſtrus queſtor cum Aurelio ſcriba: atque item Sebaſtianus è monte Silice, qui veteri præſidio præfuerat. Inde Baiazetes Coroneos Metonenſium caſu perterritos in deditionem accepit. Criſſeum quoque à Cherſeogle baſſa Baiazetis genero, tormentis eſt expugnatum. Tentauit & fruſtra Nauplium Helibaſſa: & Pylus olim Neſtoris ſedes, hodie Nauarrinum Iunco portui impoſitum, metu exterrito arcis cuſtode, Barbaris eſt deditus. Quibus rebus geſtis Baiazetes terra & mari planè victor,

ctor, quod Veneta claſsis nuſquam congredi auſa certamen detrectaſſet, Bizantium eſt reuerſus. Nec multo poſt à Conſaluo, cui propter ſingularem virtutũ conſenſus militum Magni cognomen dedit, coniuncto ſibi Piſaurio Venetæ claſsis præfecto, Cephalænia poſt longos difficileſque labores expugnata eſt, quum Turcæ ferme omnes in veſtigio ſtationis cum Giſdare pręfecto non inulti cecidiſſent. Piſaurus quoque, quum multa Turcis detrimenta agilitate triremium ſuarum intuliſſet, ſanctæ Mauræ oppidum, ad Leucadem Neritho in inſula fortiter expugnauit, Turcarum equitibus per vada reciprocantis Euripi ab Ætolico littore obſeſsis, opem ferre fruſtra conantibus. Sed nequaquam pari fortuna Gallica claſsis, quæ ſubſidio miſſa in Græciã peruenerat, mari rem geſsit. Nam Rauaſtenius pręfectus ad Lesbum inſulam delatus, Mitylenaſque tormentis oppugnare adortus, Turca ſe impigrè defendente, ita incœpto abſceſsit, vt ſæuiente tempeſtate, claſsis eius diſiecta ſit, ipſeq; poſt multa pericula ac naufragia ad Tarentum euaſerit. Galliæ atque Hiſpaniæ reges ex compoſito Federicum Aragonium adoriuntur: Magnus Conſaluus tecto conſilio, ſimulataque amicitia Brutijs & Apulis imminet. Namurſius Gallorum dux, adiuncto ſibi Cæſare Borgia per Campaniam delatus, Capuam vrbem oppugnat, atque inter conditiones dedentium ſe ducum hoſtiliter irrumpit: direptiſque Campanis, & Aragonijs militibus malè mulctatis, Fabricius Columna & Ranucius Martianus capiuntur. Hunc vulneratum Vitellocius, vt Pauli fratris manibus parentaret, veneno plagæ indito tollendum curauit. Illum Iordanes Vrſinus è manibus Gallorum liberaliter præbito auro redemit. Federicus exutus copijs et conſilij inops, quum antea à Conſaluo opem fruſtra imploraſſet, relicto regno deditiſque arcibus, ad Ludouicum regem verum hoſtem nauigare, quàm ad Hiſpanum conſanguineum, à quo ſe iniquiſsimè atque ingratiſsimè proditum querebatur, confugere maluit. Itaque Conſaluus ſine vulnere Brutios & Apulos in ditionem Ferdinandi regis redegit: eoque euentu Ferdinandũ Federici filium Tarenti obſedit, vt quum adoleſcens certa libertatis conditione inexpugnabilem vrbem dederet, contra iuſiurandi religionem caperetur, vt vnicus Neapolitani regni hæres in Hiſpania ſeruaretur. Nec diu poſt Hiſpani & Galli ex propinquis præſidijs de finium diuiſione diſputantes, ad arma acerrimumque bellum deſcenderunt: quo exorto, Gallis paratioribus, Conſaluus in Barolum compellitur. Eo obſeſſo noua auxilia, cum ab Hiſpanis, tum è Germania per Hadriaticum Conſaluo ſuperuenerunt. Quibus fretus cum hoſte ad Gerionem in Apulia proſperè conflixit, interfecto in acie Namurſio duce. Pari etiam fortuna in Brutijs Vgo Cardonius Obigninum Gallorum ducem ad Semenariã debellauit, quum ab eo paulo antè apud Gioiam Brutij agri, acie fuiſſet profligatus: geminataque eo modo Hiſpanorum victoria, Galli vix retenta Caieta, Neapolitano regno depulſi ſunt. Sub id tempus Cæſar Borgia, qui quatuor Varanios proceres antiquiſsimæ ſtirpis Camertes necarat, vt eorum imperio & opibus potiretur: Guidonem Feltrium Vrbino, Pandulphum Malateſtam Arimino depulerat, Aſtoremq; Manfredum expugnata Fauentia ſub fide deditum ſtrangularat: ſanguinarias manus Vrſinę factionis atq; familię proceribus admouit. Primò Vitellocium ab inſigni virtute inuiſum, & Liberottũ Firmanũ, moxq; Paulum Vrſinũ Latini cardinalis filium, & Frãciſcum Vrſinũ Grauinę regulum in Vmbria tetro ſupplicio ſuſtulit: eodemq; die ab Alexandro põtifice ad conſtitutũ tempus Baptiſta,

Vrſinus cardinalis in mole Hadriani cantaridum veneno ſublatus eſt. Sed Italicæ nobilitatis ſtirpes excindenti, affectantique regnum Italiæ, non diu Fortuna arriſit: quum cœnaret enim Vaticana in villa inuitatus à patre pontifice venenum bibit, quod conuiuis quibuſdam ſenatoribus ditiſsimis paratum erat, fallente lagenas incautè à poculis miniſtro. Sed Alexandro vim veneni nõ ferente, ipſe Cæſar paterno funeri miſeriæque ſuæ interfuit. Nam Iulius Alexandro ſuffectus, eum exutum exercitu in arce ſub cuſtodia tenuit, quoad miſſis teſſeris arx Oſtienſis redderetur. Fide demum à Conſaluo accepta, Neapolim nauigauit, vbi dum compararet copias, & nouas res moliturus videretur, captus eſt, et in Hiſpania cuſtodiẽdus ad Setabã tranſmiſſus. Alexandro mortuo atque item Pio tertio, qui pauciſsimis diebus regnauit, nec adhuc per comitia Iulio creato, nouus Gallorum exercitus Romã intrauit, Tramulio, & Franciſco Gonzaga Mantuano principe ducibus. Ii Appia atque Latina via bipartitò regnum ingreſsi, nulla memorabili re geſta, totam ferè hyemem in Aquinate, & Fregellano agro conſumpſerunt: mirificè eis reſiſtente Conſaluo, qui Lyrim amnem ponte tranſgredi auſos, fortiſsimè reppulit: caſtraque demum eorum adortus, quum noctu ſuperioribus vadis copias omnes traduxiſſet, in fœdam fugam per Formianum littus cum multa cæde coniecit. Quo aduerſo rerum ſucceſſu, Galli duces animis fracti Caietam dediderunt, ea conditione, vt ſua claſſe vecti, inermes in Galliam redirent.

LIBRO nono Iulius pontifex, Ioannem Bentiuolum ab inueterata tyrannide, cœtuque & audacia filiorum præpotentem Bononia expellit, ope Gallorum adiutus, qui ad portas exercitum admouerant. Bentiuolus ſeptuagenarius ſenex, animum deſpondens, quum ferociam imminentis Pontificis magnopere timeret, ad caſtra Gallorum confugit, nullo in ſuprema rerum difficultate, aut virtutis, aut induſtriæ conatu edito: ſic vt poſtea apud Mediolanum in exilio perierit. Domus eius incomparabilis ſtructuræ, quam media in vrbe ædificarat, vt abominandi dominatus memoria tolleretur, concurſu populi à fundamentis euerſa eſt. Sub id tempus Philippus Maximiliani Cæſaris filius Belgarum princeps in Hiſpaniam nauigauit, vt Iſabellæ ſocrus dotale regnum adiret. Receptus eſt ab Hiſpaniæ proceribus vſque adeò ſtudioſè, vt Ferdinãdum regem ſocerum desererent: cui tanquam ſeni & parum liberali facilè omnes florentem ætate & ſplendore vitæ nouum regem anteponabant. Ferdinandus ſuorum leuitatem perfidiæ proximam deteſtatus, Neapolim nauigauit. Nec multo poſt Philippus ab intemperie noui cæli, cui Belgicæ epulę minimè congruebant, oborta febre ſurreptus eſt. Eius mortem luridus cometes portendit, qui per aliquot dies ad occiduam plagam arſerat. Exinde Ferdinandus Neapoli rebus compoſitis, & Magno Conſaluo propter affectati regni ſuſpicionem abducto, ad ſua regna rediens, collocutus eſt cum Ludouico Galliæ rege apud Sauonam, de inuadendisque Venetis conſilium ab vtroque initum eſt. Tum enim Ludouicus Genuenſes armis ſubegerat, quum pulſa nobilitate ſtatum popularem induxiſſent, reſiſtereque auſi e culminibus montium deiecti, victique ad Gallicum imperium impetrata venia rediſſent. Paulus Nouius vir plebeius, qui ad ſummum honorem fauore plebis erepſerat, inauſpicati principatus pœnas capite perſoluit. Secutum eſt demum bellum, quod Germani authore Cæ-

re Cȩſare cum Venetis geſſerunt, partim à Carnicis alpibus, partim ad Tridentinas fauces. Hinc ad Petram caſtellum Pitilianus & Triuultius cum Gallicis copijs, Hiſpanorumque cohortibus, Germanos facilè repreſſerunt. Ad Cadurium verò oppidum alteram Germanorum manum per niuoſa Carnorum iuga Liuianus ita cæcidit, vt ab eo cruento prælio aliquot oppida Germanicæ ditionis, & in his Tergeſtum vrbem vi expugnatã, Veneto imperio adiecerit. Qua affectus iniuria Cæſar, concitante Iulio pontifice cum cæteris Europȩ regibus coniurauit aduerſus Venetos: eaque coniuratione Italia ſupremam propè adijt cladem. Veneti enim immoderata affecti cupiditate, peramplum, obidque inuidioſum ex aliorum ruina imperium condiderant: fremente pontifice, quòd Ariminum, atque Fauentia vrbes, pontificio imperio ereptæ, ex æquo & bono ſæpius repetitæ minimè redderentur. Non ferebat Gallus Cremonam ditioni ſuæ detractam, & Hiſpanus rex nequaquam ſibi integrè partũ Neapolitanum regnum exiſtimabat, quum maritimæ Apulorum vrbes oppignoratæ iam pridem ab Aragonijs, Sypontus, Tranium Monopolis, Brundiſium & Hydruntum Venetis præſidijs tenerentur. Coiuere legati principũ ad vrbem Cameracum in Belgis, decretumque eſt communibus viribus in Venetos bellum, tanto ſilentio, vt quum eius ſuſcepti conſilij ſuſpiciones emanarent, Venetijs nequaquam maturè crederetur. Eo modo Ludouicus in Italiam cum ingentibus copijs tranſgreſſus, ad Abduam Venetos caſtra conferre, atque aciem tentare auſos cum magna cæde profligat, capto Liuiano. Secundum eam victoriam intra pauciſsimos dies, non modò ſua quæ repetebat, Bergogum, Cremonam, Cremam & Brixiam ſine vulnere recepit, ſed eodem terrore Veronam, Vicentiam, atque Patauium Cæſari capienda præbuit, quòd deleto exercitu cum paucis Pitilianus, deſperatis rebus ad Meſtrium extremũ continentis oppidum refugiſſet. Pari quoque curſu Iulius non Ariminum modò atque Fauentiam, ſed Ceruiam & Rhauennam recepit: vltroque Senatus Venetus Apuliæ vrbes Hiſpano regi dedendas curauit: ſic vt tanta modò Veneti imperij fortuna Italis hominibus planè miſerabilis, externis verò ridenda videretur, quando vni omnium Turcæ pacis paulo antè confectæ memores, non modò fidem ſeruarint, verùm auxilia in id bellum amicè ſtudioſeque obtulerint: ſed barbaro regi, quòd fidem pacemque egregiè tueretur, gratias egit, quum huiuſmodi auxilijs nequaquam è Republica vtendum eſſe cenſuiſſet. Nauarrus ex gregario milite, commendatione virtutis dux factus, quum antea auſpicijs Ximenis archiepiſcopi Toletani claſſem ſua pecunia adornantis, Oranum Mauritaniæ emporium in magno portu occupaſſet, Buziam demũ in Numidia vrbem Mahometanorum gymnaſio claram cepit, atque diripuit: emenſoque inde Africȩ littore Tripolim inter duas Syrtes, terra mariq; admotis copijs expugnauit. Sed reuectus ad Mœnicem inſulam, quum Girapolim adoriretur, inſigne accepit detrimentum. Ingruentibus enim Barbaris, Hiſpani milites per loca aquæ indiga, torrente Sole ſitim perpeſsi, ordines ſeruare nequiuerunt, verſiq; in fugam, dum ad nauigia quȩ in alto erant, deficientibus ſcaphis enatare properarent, ab hoſte cædebantur. In eo tumultu Garzias Toletanus illuſtris iuuenis fortiter repugnans eſt interfectus.

DECIMO libro, Andreas Grittus Venetus legatus Patauium, ſegniter tuentibus eam vrbem Cæſarianis, recepit, Leonardo Dreſſano nō diu tuente arcem. Is quòd eſſet Vicentinus ciuis, in baratrum teterrimi carceris Venetijs eſt deiectus. Quatuor verò è patritijs Patauinis, qui ſtultè perfidioſeque Venetis ſe auerſos oſtenderant, in foro Veneto latronum more ſtrangulati ſunt. Maximilianus Cæſar, ſuorum incuria amiſſam vrbem vt reciperet coacto validiſsimo exercitu è Germania deſcendit, ad quem Gallorum & Hiſpanorum Pontificiorumque militum auxilia acceſſerunt. Sed latè proſtratis muris oppugnatio eum habuit euētum, vt Pitilianus conſtantiſsimus dux, vrbem inſigni cum laude defenderit, irritoque incœpto Cæſar in Germaniam redierit. Poſt ſeruatum egregiè Patauium, Veneti contra Alfonſum Ferrariæ principem, aduerſo Pado, claſſem viginti triremium miſerunt. Eam Ferrarienſes poſt varia accepta incommoda, authore Hippolyto Ateſtino cardinale, tormentis ſub aggere conſtitutis ita perfregerunt & demerſerunt, vt vix Angelus Triſanus claſſis præfectus effugerit. Senatus Venetus graui ſalubrique ſuſcepto conſilio, veniam pacemque à Iulio pontifice per legatos ſupplex petijt, facileque impetrauit, quum ille generoſo ſpiritu publicum Italiæ corruentis decus, diſcrimenq; proſpiceret. Magno ſiquidem ei pudori erat, ſacrorum principis perſonam ſuſtinenti, ſubiectis non parcere, quando ipſe feruidiore ira concitatus, nobiliſſimæ Reipublicę excidium paraſſe diceretur. Id factum nouarum cladium initium fuit. Nam Iulius Venetos defendens, Alfonſo Ferrarienſi bellum intulit. Hunc Ludouicus Rex quum tuendum ſuſciperet, Pontificis hoſtis effectus eſt. Cuius controuerſiæ is extitit finis, vt Gallus per Triuultium ducem, profligato pontificio exercitu, cui Feltrius pręerat, Bononiam reductis Bentiuolis, pōtifici eriperet. Ea vis Pontificio nomini illata, deprecante iniuriam Iulio, atque opem implorante, vniuerſos prope Europæ Reges aduerſus Gallos ita concitauit, vt Africanæ legiones à Ferdinando rege, quæ pontifici opem ferrent, in Italiam mitterentur: Heluetijque pontificem contra Gallos tuendum ſuſciperent. Gallus ſuis ſubnixus viribus, ſacra anathematis tela contemnens, vt omnē Pontificis authoritatem conuelleret, Concilium Piſis indixit, concedentibus primò Florentinis, & mox Gallica præſidia reſpuentibus, ſic vt ſacerdotes à Iulio transfugæ Piſis exacti, Mediolanum confugerent, atque ibi Concilium celebrarent. Interim Gaſto Foiſſeius ſorore Ludouici regis genitus, copijs præficitur. Is ſemel atque iterum Heluetios infeſta populatione in agrum Inſubrum deſcendentes repreſsit. Bononienſibus raptato per lutulenta itinera valido exercitu, opem tulit, quum Hiſpanorum et Pontificiorum mœnia quatientium vim ægrè ſuſtineret Alegria Gallici præſidij præfectus. Eius aduentu non planè maturè cognito, Nauarrus atque Cardonius tormenta retraxerunt, & ſe per Æmiliam viam receperunt, ne ante portas bellicoſę ciuitatis cum Gallis pręlio congredi cogerentur. Gaſto liberata Bononia, incredibili celeritate aduerſus Venetos traiecto Pado conuolauit, qui Brixiam proditione receperant, arce adhuc Gallico præſidio retenta: ad quam expugnandam, quum Paulus Baleonus à Senatu mitteretur, in itinere Gaſtoni fit obuius ad turrem Magnanini, quæ eſt prope Atheſim, ſtatimque improuiſa vtrinque exorta eſt pugna, qua Baleonus viribus impar, profligato exercitu ſuo, quum Atheſim tranaſſet, ex fuga vix ſeruatus eſt. Ea bene re geſta, Gaſto vbi Brixiam peruenit, per arcem

ingenti

ingenti cęde edita, vrbem recuperauit, capto Gritto. De Aloiſio autem Aduocato, qui defectionis author fuerat, ſupplicium in foro, ipſo ſpectante deſumptum eſt. Direpta miſerabilem in modum, & cadaueribus repleta Brixia, Gaſto vnde venerat rediens, ſuperato rurſus Pado, pugnæ auidus, ad oppugnandam Rhauennam delatus eſt, ratus vti euenit, Cardonium atque Nauarrum obſeſſæ vrbi ad non dubiam conſerendæ pugnæ occaſionem, opem allaturos. Sed oppugnantem triduo fortiſsimè ſuſtinuerunt M. Antonius Columna, & Petrus Caſtrius. In ea oppugnatione Gaſto, Spinæū tormentorū magiſtrum, & Cetellionem è Colinga familia, ducem clariſsimū tormentis ictos amiſit. Quum verò hoſtes aduentare cognoſceret, caſtra mouit, tranſgreſſuſque Vitim amnem, quę hodie Aquaduſſa appellabatur, cum hoſte conflixit. Eo prælio longè omnium cruentiſsimo, tormentis vtrinque acies proſternentibus res geſta eſt, ſed maiore Hiſpanorū incommodo, quum Alfonſus Ateſtinus, qui primā aciem ductabat, capto opportuno circuitu, tormenta ſua in latera hoſtiū direxiſſet, non paucis etiam è numero ſuorū interfectis. Verùm Gaſto ingenti potitus victoria, quum recipientes ſe per aggerem Hiſpanorū legionem intemperanter perſequeretur, immoderatę virtutis iuuenis à globo hoſtium circumuentus, atq; interfectus eſt. Galli prope pari affecti clade, campo atq; hoſtium caſtris potiti ſunt: atq; inde Rhauennates ſe dedentes, contra fidem, violatis etiam templis, magna clade affecerunt. Eo prælio captus eſt Ioannes Medices Cardinalis Pontificis legatus, & cum eo Nauarrus. Supra verò quadraginta maiorum minorumque ducum cadauera reperta ſunt. Secundum autem famam prælij Rhauennatis, Heluetij à Iulio infracti animi Pontifice in auxilium exciti, per Tridentinas alpes intra pauciſsimos dies in Veronenſem agrum deſcenderunt: repulſoque ab Atheſi Gallorum exercitu, cui Palicia præerat, retrocedentes, nec congredi auſos, Gallos Ticino in vrbe obſederunt. Nec multò pòſt quum Baleonus cum iuſto exercitu tormentorumque apparatu Heluetijs ſe coniunxiſſet, Galli Ticino eiecti, compulſique in fugam vltra Alpes redierunt: atque ita Iulius liberatæ à Gallis Italiæ titulum prætulit, egregieque vltus eſt Florentinos, qui authore Soderino ipſorum dictatore, cōcilio ſedem dediſſent: reduxitque in patriam Ioannem Medicem Cardinalem, qui magno caſu è Gallorum manibus elapſus, cum reliquijs Hiſpanorum in Etruriam peruenerat. Sed Iulius ſeptuagenarius ſenex vel felix ea victoria, lethiferum concepit morbum: Romæque fato functus eſt. Succeſsit autem ei Ioannes Medices, in comitio iuniorum ſuffragijs ſubleuatus: qui Leo, mutato de more eius nomine, Decimus appellatus eſt.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

LIBER XI.

LEONE Decimo pontificatum ineunte, quum is ad tertium Idus Aprilis thiaram ſacri imperij more maiorum accepiſſet, vt dies quo ad Rhauennam captus fuerat, circumagente ſe anno, infauſtus tanti ſpectaculi celebritate ex atro in candidum verteretur, ex Rufi legati literis cognitum eſt, Ferdinandum regem occultas cum Ludouico inducias pepigiſſe. Ea re Britanniæ regem grauiſsimè commoueri, quod ſe deceptum à ſocero quereretur, cuius hortatu Dorſetium cum valida claſſe ad inuadendam Aquitaniæ oram tranſmiſiſſet. Enimuerò Ferdinandus cunctas belli rationes fœderumque iura, vel cum pudenda mutatæ fidei labe, & graui ſociorum iniuria, ad commodum ſuum referre erat ſolitus. Nam poſtquam Ioannem Cantabriæ regno expulſum, Gallicisque armis id repetere conantem Albanij virtute repulerat, noui regni gentem Alibretis antiquis regibus deditam, induciarum ſpatio confirmandam exiſtimabat, ratus vtique opportuni eius regni acceſsionem multo potiorem vtilioremque defenſione Ciſalpinæ Galliæ, cuius auiditate Ludouicus inde pulſus vſque adeò ardere videretur, vt Ioannem ex antiqua Gallorum amicitia, recentique eius ſocietate regno eiectum, atque ob id apud ſe exulem, tota ſpe recuperandi regni deijcere non puderet. Ex horum enim longè maximorum noſtræ tempeſtatis regum ingenijs, & tum liquidò, & multum anteà præclarè compertum eſt, nihil omnino ſanctum & inuiolabile, vel in ritè conceptis ſancitisq; fœderibus reperiri, quod in proferendis imperijs augendisq; opibus, apud eos nihil ad illuſtris famę decus intereſſet, dolóne & nuſquam ſine fallacijs, an fide integra veraq; virtute niterentur. Itaque Ferdinando, quòd de inducijs occultè tranſactum erat, egregiè diſsimulante, et Gallis arma parantibus, Moronus Maximiliani Sforziæ Legatus à Leone ſupplex maturam opē implorat: Placentiam, Parmamque vrbes, ſi Sfortia deſeratur, ad Gallos redituras docet: Venetos porrò aduentanti Gallo minimè defuturos demonſtrat, quòd per ſummam iniuriam Brixia excluſi, ex nouo fœdere Cremonam repetant: & Veronam quoquè Gallicis freti auxilijs ſe recuperaturos ſperent. Proinde maturè cauendum eſſe, ne conſilia Iulij fortiſsimi pontificis, non ſine diuino numine ad Italiæ libertatem explicata, totque partis victorijs egregiè confirmata, cum dira rerum omnium conturbatione ſubuertantur. Ipſum autem ſociorum omnium eſſe vnum, qui imminentibus malis occurrere poſsit, & præclaro facto res omnium ſeruare incolumes, poſtquam Hiſpanus à fœdere iam planè diſceſſerit, ſi pecuniam ex ſacro ærario Sfortiæ ſuppeditet, vt perſolutis ſtipendijs Heluetij ingentibus animis ad tuendam Sfortiæ cauſam parati, in vetere ſtudio & fide contineantur. Hæc diſſerenti Morono, vehemens

adiutor

adiutor aderat Sedunenſis Cardinalis, qui ex profeſſo Gallorum hoſtis ſuæ gentis principes Sfortianæ cauſæ, quæ pontificiam dignitatem includeret, ius & nomen conſtantiſsime defenſuros pollicebatur. Eos enim vbi pontificē, & nouo nomine, & paterno ſpiritu generoſum, nihil animo labare, ſed pontificij Italicique nominis decus auguſto conſtantique decreto tueri velle audierint, extemplo inuictis armis oſtenſuros, quo ſtudio, qua fide, qua denique virtute, haſtatus miles Heluetius pro ſocijs ſemel in tutelam receptis, aduerſus ſacroſanctæ maieſtatis violatores pugnare ſit ſolitus. At Leo de commutata Ferdinandi regis voluntate certior factus, præſentique adductus periculo, quòd iam Galli ad Cottias alpes perueniſſent: tametſi, vti accidit nouo principatu, nondum rerum publicarum cogitationes explicaſſet: graui tamen expeditoq; iudicio, ijſdem quibus Iulius fortiter glorioſeque ire inſtiterat conſiliorum veſtigijs ſibi conſiſtendum exiſtimauit: eo quidem temperamento, vt apertè neminem offenderet, & pacificatoris nomē ſacroſancto omnium parente digniſſimum tueretur. Sfortiæ nanque ſalutem omnino negligere: populique Heluetij amicitiam tanquam vtilem decoramque Romano pontifici, niſi impensè & & grauiter æſtimare non poterat, poſtquam Iulius Maximiliano Sfortia legitimis, ideoque felicibus armis reſtituto, paternam ei ditionem ex decreto ſenatus adiudicaſſet: & populus Heluetius fide, virtute, et recenti victoria inclytus, ſpecioſo decoroque titulo Defenſor pontificiæ libertatis eſſet appellatus. Itaq; Morono in ſtipendium pecunia numeratur: quam ille magnis itineribus Placentiam contendens, Heluetijs cohortibus diuidat, egregium Leonis ſtudium oſtentet: detque operam, vt Cardonius, qui ad Trebiam amnem habebat caſtra, ſuperato Pado cum Heluetijs ſe coniungat. Sed his ad famam propenſi, amiciq; Pontificis abundè exhilaratis, & quod ſummæ rerum intererat, præſentis pecuniæ conſpectu opportunè confirmatis, nihil plus à Cardonio de inducijs ab rege ſuo pariter & à Gallis diligenter edocto impetrari potuit, quàm vt promouendo caſtra, Padum traiecturi ſpeciem præberet, & Romana via præter Claſtidium atq; Derthonam, Hiſpani leuis armaturæ equites, ad continendos in fide ſocios Gallorum metu nutantes, excurrere iuberentur. Verùm ea ſimulati auxilij oſtentatio vel multis impetrata precibus, magno detrimento ſocijs ceſsit. Nam quum Piſcario cum peditatu præeuntes equites ſubſequenti, Vicoirienſes tanquam rapacis ac impotentis gentis timore adducti, portas clauſiſſent, nec poſtulanti commeatum niſi corbibus è muro demiſſum pręberent, vſq; adeò grauis toto agmine indignãtium militum fremitus eſt exortus, vt cohortes ſub ſignis arma caperent, vlturæ contumeliam, quòd ab agreſti inhoſpitaliq; populo minimè receptæ, ſub diuo tendere cogerentur. Itaque facto impetu prolatiſque tormentis muro portæque ſuccedunt: refractoque ponte ligneo, & deiectis ex muri corona defenſionem parantibus, nihil vetante Piſcario in oppidum irrumpunt: crudelique cæde edita, per ſe opulentum & ex terrore Gallici belli eò confugientium diuitijs refertum hoſtiliter diripiunt, inſigni cum infamia Piſcarij ducis, qui aduerſus miſerè atque improuidè obſiſtentes ſocios dignitatem ſuam, vel iniquo maximeque ſęuo facinore edito, vt milites ditaret, tueri contendebat. Interea Ludouicus ex inducijs ab Hiſpania omni belli metu liberatus, & valida claſſe in Oceano aduerſus Britannos Armorici littoris vrbes defendens, duos ſummæ authoritatis atq; peritiæ duces, qui Alpes tranſcendant, Tramulium atq; Triuultium deligit: euocat Robertum Se-

danium in Eburonibus principē cum nigra Germanorum legione: atq; item Aloiſium Beomontium è Cantabriæ finibus accerſit, cum his Vaſconum cohortibus, quæ paulo antè Palicia duce ad Pompelonem cum Hiſpanis bellum geſſerant. His quoque admiſcet è Gallia aliquot peditum vexilla delectę iuuētutis: quòd tum honeſtiſsimus quiſque, qui non eſſet ad equum reſcriptus, alacritate inſigni pedibus militare decorum putaret. Hos omnes magno tormentorum apparatu inſtructos in Italiam maturare, communicatiſque cum Veneto Senatu conſilijs, Sfortiam ſolis Heluetiorū auxilijs confiſum adoriri iubet. Veneti enim ab Hiſpanis cōtra fœdus intercepta Brixia indignè pro hoſtibus habiti, cum Gallo in amicitiam redierant: his legibus renouato fœdere, vt confecto communibus armis Sfortiano bello, Cremona potirentur, & reliquas demum ſuę ditionis vrbes Gallorum adiuti copijs recuperarent. Quibus obſignatis tabulis, Liuianus diuturno atque duriſsimo carcere eductus, in Italiam venerat, & à Senatu in honore militaris imperij Pitiliano ſuffectus, nouas copias veteribus addendo, iuſtum atque optimè inſtructum exercitum compararat. Idem quoque ex fœdere conceſſæ libertatis beneficium Grittus tulit, quem ſuperiore anno Brixię captum diximus. Huic iniunctum eſt, vt Tramulio atq; Triuultio comes iret, & pro legato expediendis conſilijs caſtra Gallica ſequeretur. Eodem quoque tempore Ludouicus intentus in eam curam, vt Genuenſem arcem, quam Laternam vocant, obſidione liberaret, per Renatum Sabaudiæ baſtardum cum Adurnijs fratribus egit, vt coacta per Apennini vicos Ligurum manu, nouas res Genuæ aduerſus Fregoſios molirentur. Præerat tum Liguriæ Ianus Fregoſius, ſtudio atque opibus Iulij pontificis in ciuitate principatum conſecutus. Is paulo antè Hieronymum Fliſcum ſummo loco natum, Gallicis ſtudentem rebus, quum exiret è curia, per propinquos ſuos ſanguinarios homines ſingulari crudelitate trucidarat. Qua cęde exacerbati fratres eius, Othobonus & Sinibaldus, ita vrbe exceſſerunt, vt paratis ad vindictam animis, cum Adurnijs Fregoſiorum hoſtibus conſilia atque arma conſociarent. Ab eo atroci facto Ianus populari inuidia vſque adeo deflagrauit, vt iam planè auerſa magna Senatus parte, vim imperij ægerrimè retineret, quòd Adurnij Gallica inſtructi pecunia per Pulciferæ valles aduentarent: & Præianes Gallicæ claſsis præfectus Liguſtico mari vagaretur, obſeſsiſque in arce Gallis per minora nauigia ad fallendam magnarum nauium cuſtodiam idonea, commeatum ſæpe ſubmitteret, eo grauiore Genuenſium incommodo, quòd mercaturæ negociationes intercluſa nauigatione ſuſtuliſſet, totuſque curuatæ molis portus Laternæ arcis tormentis expoſitus, ab eo periculo inutilis atq; infeſtus redderetur. Qua rerum difficultate circumuentus Ianus, quòd neque pecuniam imperare, neque imperatam à factioſis dubijſque ciuibus exigere auderet, animum deſpondit. Adurnij nanq; opinione celerius in ſuburbana tecta ad diui Petri Arenam peruenerant: commiſſoque peracri prælio in aſcenſu collis qui Laternæ arci imminet, vrbemque deſpicit, Fregoſias cohortes in fugam verterant. neque in eo tumultu quiſquam è populo turbulentis ſeditionibus aſſueto defuit, quin ſecundis acclamationibus victores exciperet: & Fliſci pariter à diuerſa porta armatis clientibus vrbē introirent: à quibus Zacharias Iani frater, vnus è percuſſoribus Hieronymi trucidatus, & pedibus raptatus per vrbem, patratæ cædis pœnas dedit. Ianus autem in eo occupatæ vrbis aduerſo fremitu, conſcenſa nauicula ad ſuam claſſem profugit. Nec multò

poſt

poſt Antoniottus Adurnius ſaluis Galli regis auſpicijs, & Laternæ arcis cuſtodibus omni genere commeatus abundè recreatis, à Senatu populoque ciuitatis atque Liguriæ princeps eſt appellatus. Dum hæc in Liguria geruntur, Heluetij de Gallorum apparatu tranſituque Alpium certiores facti, concilio indicto, dictisque ſententijs, admirabili Pagorum omnium conſenſu Sfortiam omnino defendendum cenſent. viri longè omnium promptiſsimi gerendo bello duces deliguntur, & ante alios Altoſaxus antiqua ſua nobilitate clarus, & tū præcipua de exactis Italia Gallis laude illuſtris: qui ſublatis vexillis confeſtim in Italiam contendant. Itaque paſsim ſcribuntur milites, nullo propoſito ſtipendio, nullaque præſenti pecunia, quòd nunquam anteà acciderat, nomina dantes: tanta quidem alacritate, vt mirum videri poſſet, noua odia, veteribus fidelis amicitiæ fœderibus inducta, tantum valuiſſe. Feri enim homines probeque conſtantes, & ſua ſimplicitate generoſi, æquo animo ferre non poterant, quòd Ludouicus varias ipſorum forti opera multoq; ſanguine victorias conſecutus, illiberali demum ingratoque ingenio, vt minores bello ſumptus faceret, Germanos vagæ incertæque militię mercenarios & ignotos, ipſis prętuliſſet, qui & vicini eſſent, & Galliam omni tempore aduerſus externam vim promptiſsimè defendiſſent. Primi omnium Vraniæ, Suithiæ, Vnderualdięq; prætores, quos Hamanos vocant, vti Italiæ proximi, Alpes tranſierunt: peculiari etiam rerum ſuarum metu concitati. ſuperioribus enim bellis erepta Gallis Bellizona, & Lugano demum occupato, in Italiam imperij ditionem extenderant, quam omnino tueri oportere, cum magni prouentus, tum publicæ exiſtimationis cauſa iudicabant. Hos continenti agmine reliquæ cohortes e Glarona, Zuchio, Lucerna, Ceſuſio & demum ex interuallo Tigurinorum & Bernenſium ſummæ authoritatis atque potentiæ Pagorum vexilla ſequebantur. In poſtremo agmine, in quo erant quinque milia delectorum peditum, fuit Altoſaxus, per diſpoſitos in itinere commeatus quantum fieri viæ compendio poſſet, per Griſonos feſtinare iuſſus. Ad hos enim Lepontiæ alpes pertinent, quæ Splugæ & Septæ nomine hodie vocantur, & è Curia Rhætorum vrbe per Clauennam ad Larium lacum perducunt. Sub idem tempus Sfortia aduerſis nutantis Ligurię rumoribus, & Sacramori Vicecomitis inexpectata defectione perculſus, cum primis Heluetiorum cohortibus Nouariam contenderat: vt opportuna in vrbe tutus ab inſidijs, aduentantes legiones expectaret. Sacramorus circumuallandæ arci pręerat, vir principe ortus familia, ſed maiorum ſuorum virtutis & gloriæ penitus oblitus, vtpote qui fortuna ſua minimè contentus, ad antiquum inclytæ domus decus nequaquam bonis artibus aſpiraręt. Alebat enim circa ſe audaces veteranos ab egeſtate atque ſuperbia cædibus aſſuetos & maleficijs infames: & in his aliquot primæ nobilitatis adoleſcentes diſſoluta vita perditos & effrænes, qui à parentum imperio gratiaque dilapſi, licentiæ militaris libertatem quærebant. His omnibus in turmas cohorteſque deſcriptis, Sacramori fratrumque domus, penuarijs copijs inconditè & liberaliter expoſitis, ita patebat, vt quum extra modum prodigo, neque patrimonij prouentus, neque ſtipendia ſufficerent, vecordia præceps ad retinendum inſtituti luxus nomen, nonnunquam in pecunioſos fœneratores & opifices noctu graſſaretur: atque inde infame noui Catilinæ nomen apud Inſubres referret: nec inſulsè quidem, quum multo ære alieno oppreſſus, ne decoqueret, ſibi omnino coniurandum arbitraretur. Quibus

de cauſis, quòd ſe multis inuiſum, & principi ſuſpectum noſſet, cum Triuultio transfegit, vt alæ equitum præfectus regia ſtipendia mereret, quæ erant maxime opulenta atque perpetua. Interim daret ſedulò operam, vt obſeſſorum inediæ occurreret: & ſi fieri poſſet, Sfortia per inſidias interficeretur. Vt eo inſigni munere, quo tota belli controuerſia finiretur, ad regem tranſiret. Ab hac pactione, nocturnæ ſtationes ad valli munitionem ita ſenſim laxatæ ſunt, vt Galli ex compoſito exeuntes, ſingulis noctibus paratũ, & gratuitò traditum omnis generis commeatum in arcem referrent. Sed ea diſsimulatio non occultæ plena perfidiæ, diu tegi non potuit, quin emanaret, prodentibus fortè baiulis, qui quaterni multo labore ſuccollãtes integram vini vegetem, ad vallum obſeſſę arcis intempeſta nocte comportaſſent. Hac re deprehenſa, Sacramoroq; detecto, atq; eo vim parante, Maximilianus per ſe pauidus, monentibus amicis vt ſibi caueret, deſperatis Hiſpanorum auxilijs, Mediolano excedẽs (vt diximus) Nouariam contendit. Meminerat enim ſe non multum anteà, quum è feſto matronarum conuiuio noctu ſine funalibus in Curiam rediret, occurſu incognitę armatorum cateruæ inſolenter atque acriter omnibus telis petitum fuiſſe: quo tumultu Galeacius Sfortia Piſaurenſis principis frater, ipſius lateri comes hærens glande traiectus interijſſet: nonnullis proculdubio eam vim atrocis facti nequaquam fortuitò, ſed parato dolo illatam, ad Sacramori ſatellites referentibus. Conſtabat enim Sacramori domum, quæ vna ex Vicecomitibus Magni Matthæi, poſterorumque eius Mediolani principum, quanquam ex notho proauo veram ſtirpem reſpiceret, Sfortianis tanquam inſititijs nouiſque principibus imperium ſemper inuidiſſe: quòd poſt Philippum Fato functum ex Blancæ ſpuriæ connubio freti armis, illud intercepiſſe viderentur. Tum verò Sacramorus quòd nullus iam locus, Sfortia profecto, tendendis inſidijs relinqueretur, nihil ſibi moræ attulit, quin impotẽtis animi perfidiam nudaret. Iam enim Galli duces è Taurino ad oppugnandam Nouariam conuolabant, & Liuianus tranſuerſis itineribus per Tartari amnis paludes perducto exercitu ad occupandam Cremonam iter intenderat. Primum omnium aduocata concione commutatę voluntatis cauſas exponit: noui conſilij neceſsitatem demonſtrat: opimiorà ſtipendia & præmia ex liberalitate opulentiſsimi regis ſingulis pollicetur: patefactaque munitione, aliquot euocat Gallos: explicatisq; regijs vexillis, ingenti armatorum ſtipatus agmine, per mediam vrbem in forum percurrit. occupat extemplo curiam, plebique diripiendam præbet: nec vlli tamen ciuium ab armatis vis infertur. Exinde populum tantæ rei nouitate & certo metu a Gallis & Venetis imminente perterritum, patritijs improuiſo timore præpeditis, hortatur, vt ad veterem Galliæ regis fidem redeat: Sfortiani dominatus obliuiſci velit: qui multis ab iniqua proſcriptione exilium, fugam, egeſtatem, compedes & fœdę necis laqueos attulerit, quando Ludouicus ad nõ dubiam clementiã ſemper victor, ab immenſisq; opibus regum maximus, rapaci ſęuoq; tyranno ſemper egenti, et iam planè ab omnibus deſerto pręferendus videatur. Per hunc modum Mediolanẽſes, vt plerunq; accidit, ex timore in nouam ſpem proclinatis, arma tenẽti facilè parent: nouũ Ludouico regi ſacramẽtum dicũt: reſtitutoq; Senatu, Sfortiana inſignia publicis locis deradunt. Nec multo poſt Sacramorus pacata vrbe accitus in caſtra, quòd Heluetij numero aucti pręter opinionẽ feroces animos pręferrent, & prælio certaturi viderẽtur, ſupra octingentos galeatos equites educens, ad Ticinum amnẽ contendit. Eo-

dem

dem tempore quo hæc Mediolani geſta ſunt, à Gallis ducibus ad Agapitanã portam magno tormentorum apparatu Nouariæ mœnia quaſſabantur, tam graui ciuium metu, quàm inſigni Heluetiorum alacritate. Hi enim egregio conſenſu intrepidisque animis, quanquam proſtrato adapertoq; penitus muro, ita vim tanti inſtructi exercitus, & Gallorum minas deſpiciebãt, vt nullum introrſus aggerem more militiæ, nullaque prorſus ad ſuſtinendum inuadentis hoſtis impetum munimenta ſe erecturos profiterentur, fruſtra obſecrante Siluio Sabello, vt tranſuerſam ſaltem foſſam Italorum militum ciuiumque labore iuxta ruinas perduci ſinerent. Idem quoque cæteri Sfortiani proceres non ignari militiæ poſtulabant, & ante alios Ioannes Gonzaga, Alexander Bentiuolus & Camillus Montanus Prætorij præfectus, quod fortibus æquè & peritis ducibus maximè decorũ foret, de temerarijs hoſtibus minore quàm fieri poſſet labore atque incommodo victoriam retuliſſe. Sed his obteſtationibus ſuperba fronte reiectis, Iordinus Vnderualdius præſtantis elatique animi Tribunus, ad eos conuerſus, Deſinite viri. inquit, fide & dignitate veſtra illuſtres, vobis timere, & tantopere ſolliciti eſſe de belli euentu. Nam his armis, forti dextra alabardam quaſſans, & haſtatorum coronam oſtendens, cùm publicam omnium ſalutem, tum maximè principis decus & dignitatem noſtrã procul dubio ſtrenuè atque feliciter defendemus: modò Gallis ſua inani iactantia ferocibus, tantum animi tantumque bellici ardoris inſit, vt propius accedere, intrareque per patentem murum audeant. Experientur enim qua diſciplinæ conſtantia, quo robore animorum, qua deniq; vi corporum, Heluetiæ legiones hoſtes ſecum congredi auſos excipere vlciſcique ſolitæ ſint. Tum vero ad minuendam irridendamq; Gallorum audaciam, qui promota acie ſe irrupturos quum ſignum daretur, neminique parſuros iactabant, quod nemo vnquã tanta hoſtium contemptione factum antea meminiſſet, lectorum linea tranſuerſis ſuſpenſa perticis, cõtra hiatus proſtrati muri prętenderunt, vt commeantes in vrbe milites in ſtationeque diſpoſiti, nec ab hoſte conſpici, nec ideo certis minorum tormentorum ictibus peti poſſent. Emiſeruntque ſubinde tubicinẽ pacati oratoris tuta inſignia præferentem ad hoſtium duces, qui mandata ferret. Petebant Heluetij non abſurdè per iocum, vt iam tandem Galli libratores ab emittendis tormẽtis temperarent, vt tantis ſulphurei pulueris pilarumque vanis ſumptibus parceretur: poſtquam nõ vno in loco latè proſtrata mœnia æquatum ſolo aditum irrupturis præberent: nec vllæ intus munitiones, quæ vel quadratis ordinibus intrantes morarentur inſtitutæ paratęque eſſent. Proinde ſecuri aduerſus omnes inſidias, quibus Heluetij, confiſi vera virtute minimè niterentur, ſi Galli Germanique viri eſſent, arma atq; animos expedirent, vt æquiſsima conditione cum paucis cohortibus congrederentur, antequam maiora ſuæ gentis auxilia, quæ iam nõ procul abeſſent, importuno ipſis tẽpore ſuperuenirent. Ad ea Triuultius grauiter reſpõdit, Heluetios, qui in rẽ ſuam nuſquam proterui aut ſtolidi eſſe conſueſſent, rectè conſulteq; facturos, ſi pro Sfortia exuto vrbibus, & ab amicis fœderatisq; deſerto, pugnare atq; inſanire deſinirent, aduerſus maximum pręſertim inuictumq; regem, cuius modò tot principes acerbiſsimè coniurati, neq; opes neq; ſpiritus infregerint. Debere eos ſi ſaperent, et liberis ac vxoribus optimè conſultum vellent, quod pro ſua peculiari erga gentem amicitia atque beneuolentia vehementer optaret, recentis & vetuſtæ Gallorum neceſsitudinis meminiſſe: opportuneque proſpi-

cere,an aliunde quàm è Gallia,pace et bello,ſtata atque vberrima ſtipendia inter niuoſas Alpes rerum propè omnium egenis eſſent prouentura. Quorſum, inquit,eorum qui obſtinatè ſtulteque ferociunt conſilia euadent,ſi trahere atque alere bellum velimus,quum affluente commeatu atque pecunia,quæ duo præcipuè nobis deſunt,redeuntibus ad fidem populis abundemus? Neque enim eos vſqueadeò vecordes & vitæ prodigos eſſe crediderim, vt nos vallatis munitos caſtris, tot tormentis inſtructos,validiſsimiſque Germanorum & Cantabrorum auxilijs,& peramplo fretos equitatu,adoriri & in veſtigio efferæ temeritatis pœnas dare malint,quàm cum triplici ſtipendio, & certis opulentiſque muneribus ad vxores domum redire: quæ omnia abundè ex fide regia ſtatim conſequentur, ſi Sfortiam, vti antea ex merito patrem eius inuiſum terris,cæloque damnatum tradiderunt, continuò in manus tradant, aut certè dedita vrbe,nudatum præſidio, fortunæ ſuæ iactandum relinquant. Hæc tubicen renunciare iuſſus,pecuniaque donatus ad ſuos in vrbem rediit. Cæterùm his reſponſis ad duces relatis,& mox per ſingulas cohortes emanantibus, tantum abfuit,vt quiſquam è primoribus atque ſigniferis permoueretur, vt præ inſita confirmataque audacibus animis ferocia,vix ab eruptione temperarent: quanquam nonnulli Gallico,vt creditur,capti auro ſententijs labarent,& certa oblatæ pacis præmia dubio & difficillimo bello,cautis & ſatagentibus anteponenda diſſererent. In eam enim curam ſedulo Triuultius incumbebat,vt peruicacium feritas per partes occulta largitione molliretur. Id autem eo facilius commodiuſque iam à pluribus tentari cœperat, quòd Vertius inſignis è Glarona veteranus,vti erat ab aſtuto venalique ingenio maximè vafer,deprauandis militibus induſtriam ſuam venditaſſet. Interea Maximiliano ingenti cura anxio,pauentique ad omnes rumores, Heluetiorũ auxilia citatis agminibus aduentare, Altoſaxum verò Comenſi via ad antiquum Galeritæ cohortis vicum peruenisse nunciatur. Eodem quoque tempore Tramulius atque Triuultius de hoſtium itinere per exploratores cognoſcunt. Aduocatur itaque conſilium : aſtrictiſque ſententijs deliberando diſputatur, mouere ne retrò caſtra expediat,longiuſque ab vrbe loco tuto conſidere,an cum expedita exercitus parte nouos hoſtes patentibus in campis adoriri, ſine tormentis,ſine equite,diſſolutoque agmine properantes : quandoquidem circumfuſo equitatu, productiſque falconibus per agiles currus cohortibuſque leuis armaturæ Vaſconum ſagittis rem gerentibus,aut proteri,aut magno certè illato detrimento ad Ticinum retrudi poſsint, priuſquam eis è Nouaria, vel ab Altoſaxo, qui in Ticini tranſitu adhuc hæreat,in tempore ſuccurratur. nec interea manente eadem caſtrorũ forma,& Germanis ſuo peculiari vallo incluſis,reliquiſq; copijs maiorum tormentorũ corona præſeptis, quicquam de hoſtium eruptione timeri poſsit. Hoc maximè probabat Robertus Sedanius,ſuſpenſo nec abnuente Tramulio,vti erat pugnaci ingenio,& ad omnẽ vel dubię pugnæ aleã parato. Sed Triuultius peruicacis et feruidę gentis recentẽ vim reformidans,omne prælij diſcrimẽ vitandum eſſe teſtabatur,vti alienum aut certè nõ neceſſarium ad ſperatę victorię prouentũ,qui planè ſine vllo incõmodo à cautis minimeq; pręproperis ſperari deberet. Indomitę,inquit,vires, quę vel graui impetu ſine multo ſanguine detrimentoq; perrumpi nequeunt,plærunq; mora vtili,et tuta cunctatione diffringuntur. Quod hercle magno vſui nobis eueniet,ſi hinc ad Riottam vicum procul ab vrbe viginti ſtadijs caſtra referamus. Neque

enim

enim eius ſententiæ ceſſerim, niſi imprudens ſenex ſim, qui diuidendas cópias putet, ne vtrique parti tanquam infirmæ & inualidæ ad reſiſtendum conandumque vires deſint, & nobis cum triplici hoſte, ſi ita ſors ferat, vno tempore fuerit dimicandum. Erant vera hæc, planeque ſecura quæ Triuultius aſſentientibus cęteris afferebat, niſi Fortuna (vt plerunque accidit) ſanis infeſta conſilijs, cuncta quæ ille optima ratione prouiderat, inopinato veluti correpta turbine præuertiſſet. Nihil enim à tanto duce, qui Italicarum rerum vſu, regioniſque peritia ac ætatis honore Gallos anteiret, temerè confirmari videbatur, vel ob id præſertim, quod in latifundijs ſuis peculiarique etiam ſibi noto in prædio ad Moram amnem ponenda caſtra iudicabat: quamobrem ſubticente Sedanio, vel à ſtrenuis et pugnæ cupidis in Triuultij ſententiam ibatur. Itaque nullo ſtrepitu edito, rebus omnibus ad profectionem inſtructis, ab oppugnatione recedunt, & ad Riottam caſtrametantur. Eo modo Heluetij nemine hoſtiũ qui contrà iret, in itinere conſpecto, Nouariam peruenerunt, magnaque gratulatione & lætitia omnium, quũ donati vino largiter ientaſſent, vix vnius horæ ſpatio ad quietem deſumpto, noui duces in cõſilium deſcenderunt. Nam priores, vt qui antea moueri retro caſtra reduciq; tormenta conſpexiſſent, iam hoſtes ad Riottam conſtitiſſe didicerant: edoctique ab incolis de natura loci ſituq; camporum, & de vado, ripa, & flexibus decurrentis amnis, priuſquam hoſtes ab vrbe longius recederent, confeſtim audendum, fortibuſque animis inuadenda caſtra iudicabant: vel exigua nanque mora hoſtem emitti è manibus rebantur, quòd non poſtea, vt æqua conditione confligerent, occaſionem eſſent reperturi. Nam alias quoque Gallorum cohortes: aliáſque turmas equitum adducente Stuardo Albaniæ regulo, alpes tranſiſſe cognouerant: quæ copiæ magno incommodo ipſis aduerſæ forent, hoſtibus verò peropportunæ, atque adeò tanquam vtiliſsima ratione bellum trahentibus expectandæ cenſerentur. Tum verò exurgens Craſſius Tigurini pagi magiſter, vir eximię authoritatis, Nolite, obſecro, inuicti fratres (inquit) differendo committere, vt conſilium ingentibus animis ſuſceptum, importuna Altoſaxi atque auxiliorum expectatione corrumpatur. Id enim vna maximè celeritate tutum & euentu felix euadet. Nec quicquam aliud nobis rectè & nauiter decernentibus, quàm maturè facto opus eſt, ne tantæ occaſioni, quæ in hanc ſpem rei benegerendæ nobis offertur, & leui temporis momento præuerti poteſt, nequaquam impigrè deſimus: ſatis nanque erunt, vel paucæ cohortes inuictæ virtutis ad opprimendos hoſtes, dum nihil nos ante auſuros, quàm ſe coniungat Altoſaxus exiſtimant. Proinde vtamur illorum errore, & incautè ſuperbis opinioneque deceptis inexpectato impetu improuiſum terrorem ad non dubiam cædem & fugam inferamus. Vicimus profectò, ſi victoria egregio conſilio concepta atque explorata, intrepidis animis & fortibus dexteris quæratur. Tum verò cuncti ad vnum duces atque ſigniferi, nullam omnino moram ſibi afferunt, quin peroranti Craſſio ſtatim accedant: de ratione ineundæ pugnæ grauiter decernunt: ediciturque militibus, vt cibo, & quiete corpora curent, & poſt ſecundam vigiliam ad vexilla coeant: quid fieri velint ante auroram duces imperaturos. At Maximilianus qui dudum legiones paternæ proditionis recordatione ſuſpectas, ipſoſque eoſdem hoſtium geminos duces, qui patrem cepiſſent, tanquam deſtinante Fortuna ad exitium Sfortiani nominis datos, illos quoque recentis adhuc perfidiæ memoria infames

infatuus campos, tanquam ſibi fatales aſpiciens anxio ſatiſcentique animo ſuprema volutabat: tum primùm ſeſe erigere confirmareque: præclarum erga ſe gentis ſtudium, tantumque animorum ardorem admirari: complecti ſingulos centuriones, hiſque prolixè teſtari, quibus imperium, fortunas, ſalutemque deberet, gratias ingentes relaturum. Sed dum intentis omnium animis in euentum futuræ pugnæ arma pararentur, & Sol iam in occaſum inclinaret, mirum dictu, & quod memoriæ prodendum videtur, Gallorum canes relictis caſtris magno continentique agmine Nouariam intrarunt, admiſtiq; Heluetijs, qui in ſtatione erant, eorum crura lambere, caudas adulanter quatere, demiſsiſque blandè auribus ſingulis applaudere cœperunt: tanquam Heluetij iam ipſorum eſſent domini, aut certè futuri, vt mox apparuit. Primus omnium Iacobus Mottinus ex Altorfio, nequaquam agreſti ingenio vir, & Italicę gnarus linguæ, tanquam auguralis diſciplinæ, vti ab euentu credi par eſt, non imperitus, omine accepto ad Maximilianum contendit, eique victoriam de Gallis eſt pollicitus, quòd à maioribus gentis eſſet obſeruatum in auſpicijs pręliorum, proculdubio eorum fore victoriam, ad quos hoſtium canes tanquam ex infelicibus caſtris ad tuta fortunataque hoſpitia perueniſſent. Igitur Heluetij duces ſimulando aliud quàm quod parabatur, tympana tota nocte pulſari et circumferri per vrbem iubent: vt ſpeculatoribus, ſi qui adeſſent, exeundi ſpeciem pręberent: ideoq; hoſtes quos tota die in armis fuiſſe conſtabat, etiam nocte eadem inſtructos in equis diſtinerent. Cæterùm imperatur omnibus, vt cibo & ſomno corpora firment, et lucem opperiantur: vt quiſque virtutem ſuam pulcherrima decoris contentione in pręclara luce oſtenderet: nec ignauos porrò impunè terga vertere, aut deſerere ordines auſuros. Hę ſiquidem Heluetiorum ſeueriſsimæ ſunt leges, vt ſub oculis ſpectantis exercitus, qui præ metu turpia atque indigna viro forti tentauerint, à proximis commilitonibus ſtatim obtruncentur. Ita maior metus minorem vincit: & metu fœdæ mortis, decora mors non timetur. At paulo antè quàm diluceſceret, duces ex omnibus copijs (erant eæ ad nouem milia peditum) mille ſpectatæ virtutis deligunt, qui octo falconibus præſint, & Maximilianum equiteſque eius, qui admodum erant pauci, ſed primæ nobilitatis, comitentur. Reliqui in duas ſeſe acies pandunt, & diuerſo itinere, nequaquam ſtrepentibus tympanis, ſilentique prorſus agmine ad hoſtes feruntur. At Triuultius, qui tametſi inueteratæ prudentiæ dux habebatur, paucos tamen feſſoſque pedites antequàm adueniret Altoſaxus, egreſſuros aduerſus firmiſsimas copias, aut quicquam de fortuna prælij tentaturos non putabat, vbi hoſtium aciem in conſpectu eſſe cognouit, Tramulium cæteroſque duces excitat: ſigna canere, tormenta in aduerſos collocari, & cuncta pro neceſsitate periculi, quæ vſu & diſciplina didicerat adminiſtrari iubet. Temporis tanta fuit exiguitas, hoſtiumque tam paratus ad dimicandum animus, vt Galli equites vix adfrænandos equos & galeas induendas tempus habuerint: vtpote qui magna parte diei & noctis, intenti ad imperia in armis cōſtitiſſent: & ſerò demum, quòd Nouariæ pacata omnia nunciarentur, in tabernacula ad quietem ſe recepiſſent. Satis tamen opportuno tempore leuis armatura equeſtris vti expeditior, extenſo ad lęuam longiſsimo cornu, venientibus mille Heluetijs occurrit, qui vt hoſtium tormenta declinarent, quod his iam peterentur, ſinuoſo circuitu ad Motam fluuium contendebant: vt inde ponte ſuperato, terga hoſtium & tabernacula adorirentur. Erat enim is amniculus

quan-

quãquam ſuo decurſu lenis, ſi vado tranſiretur, quòd mediam æquaret coxam, pediti calceato & iam pugnanti valde incommodus. Hunc Ludouicus Sfortia ab emiſſario Seſithis amnis ad vbertatem agri, indito ſuo cognomine, in ea prata deduxerat. Itaque Heluetij ad pontem patenti via procedentes tormentis hoſtium ex tranſuerſo peti, ingruenteque per alueum & vtranque ripam procella equitum vehementer premi cœperunt. Tum verò Mottinus præſenti animo conſilium mutat, & Maximilianum, qui inſultantibus Epirotis magno in diſcrimine verſabatur, pugna excedere, & continuò in vrbem reuerti iubet: vt belli caput acerbitati fortunæ expoſitum ſperatæ victoriæ conſeruaret. Eum vero generosè renitentem, et vt ſe communis ſortis caſum ſubire pateretur cõſtanti animo deprecantem, duo centuriones cum totidem manipulis frænò arreptum, & detractis caſſide criſtis, indutaque vili chlamide vt paludamentum tegeretur, ex acie ſubducunt, conglobatoque equitum agmine in vrbem redire cogunt, vt inde periculo vacuus, ipſorum virtutis ſpectator, maturæ victoriæ nuncium expectaret. Itaque Mottinus ea ſollicitudine liberatus, nutantem ſuorum aciem, quæ iam tres falcones amiſerat, ſaucijs in medium receptis componit, & vi facta magnoque impetu prouectos Epirotas propellit, interfectoque ibi Alexio Boſigio nobili Græco Epirotarum alæ præfecto, latè profligat. Eodem quoque impetu defertur ad hoſtium caſtra, cæſiſque lixis, & ſtationis militibus perturbatis, impedimenta capiuntur. Paulo autẽ antè quàm hęc à Mottino fierent, aliud agmen capto per adultę ſegetis campos longiore itinere, paruoque ob id à tormentis accepto detrimento, in latus hoſtium impetum fecit. Conſtiterat eo loco Gallica acies tripartita: hinc Tramulius, Robertus illinc cornibus præerant: Triuultius medium agmen tuebatur, proximaque inter equitum acies Germanorum phalãx intra modicam foſſam ſe receperat, quod vallum noui ac admirabilis artificij ad præliorum caſus, quo ſe includeret à Sedanio inſtitutum, in eo hoſtium improuiſo ſuperuentu defigi atque erigi nequiuiſſet. In hanc itaque Heluetij, circumducta ad dextram acie, concitatis animis ſe conuerterunt, quòd victoriam ſibi facilem tum fore intelligerent, quum hoſtilis exercitus præcipuum robur facto cuneo perrupiſſent. Id Galli duces è proximo conſpicati, tormenta ſtatim in confertos dirigi, & lata ſtrage ordines perrumpi, mox in latus fatiſcentis agminis equites cataphractos vehementi impetu procurrere iubent. In eo tumultu Bernenſium tribunus in aduerſum os pila verberatus, & Antius Aman Zuchius pugnantes cadunt: nihil tamen horum milites, vel ducum morte, vel periculo ſuo, vel commilitonum horribili clade perterriti, ſeſe collectis viribus in globum è diſciplina componunt: equites magna vi propellunt, et ſtatim, vti anteà decreuerant, ſuperata foſſa Germanos adoriuntur. Ibi continuò cruentum & atrox prælium ſubortum eſt: nullæ tamen vtrinque voces, ſed horrendus armorum fragor & ſummiſsi cadentium gemitus audiebantur. Germani, vt commilitones ſuperiore anno ad Ticinum cęſos vlciſcerentur, & vt belli gloriam ante quatuordecim annos apud Syluam nigram in Rauracorum finibus amiſſam, nouo decore redimerent, ardentiſsimè præliabantur. Heluetij verò vt veteres & proprios hoſtes è Germania profugos, in cõtumeliam Cæſaris pro Gallo mercede pugnãtes aliquando delerent, paribus animis et viribus decertabant. Interea dum collato pede cum Germanis res gereretur, Triuultio atque Tramulio impedimenta capta, trucidatosque caſtrorum cuſtodes, atque omnia in tergo tumultu & cædibus com-

P

pleri nunciatum eſt. Cuius rei fama adeò Gallorum animos turbauit, vt eò magna pars equitum, dum quiſque ſollicitus ſuis ſarcinis impedimentiſque proſpiceret, ad recuperandam prædam ſine imperio conuolarint. Parte quoque altera eodem penè temporis momento, tertia Heluetiorum acies à fronte ſeſe oſtendit. Quæ dum tormenta à Gallis in oppoſitam ſyluam fruſtra emitterentur, quòd inter arbores ad fallendum hoſtem inutiles miniſtros, qui armatorum ſpeciem facerent, aſtutè reliquiſſet, per obliquum ſenſim irrepſerat, inclinatis humi corporibus, & attractis per cuſpides maioribus haſtis, vt prætereuolantes globos euitarent. Tanta fuit contemptio incidentium pilarum, & tantus incumbentium impetus, vt Galli & Cantabri pedites, cadente Aloiſio Beamontio ipſorum duce, & cum his cohortes duæ Ligurum & Salaſſorum celeriter cæſæ fuſæque ſint, & capta inſuper tormenta victores in fugientium terga conuerterint. Quod vbi conſpexere cæteri equites, tormenta ſcilicet ab hoſtibus occupata, in quibus Galli ſemper plus fiduciæ, quàm in dextris atq; virtute omnibus bellis poſuiſſent, deletos iam propè Germanos, tentoria capta, atque hoſtes ſternere omnia, & campo latè potiri, inter pudorem & metũ terga verterunt. Duces perculſis omnibus, ipſi ſatis vt in trepida re impauidi, turbatos ordines conuertentes ſe, ad diſſonos clamores ſociorum inſtruere conari: conſiſtere & pugnare cogere: adhortari præfectos atque ſigniferos, vt metum ponerent, & paucos agreſtes ſeſſos, inermes, & iam vulneribus debilitatos tantiſper ſuſtinerent, dum leuis armatura circumfunditur. Germani prælij pondus ſuſtinent, & pugna omnibus locis reparatur. Sed nihil his vocibus cohortantium atque imperantium ducum permoti equites, ſeſe in turpiſsimam fugam dederunt. Quoniam Heluetij, quanquam dux eorum Mottinus tormento diſcerptus concidiſſet, potiti caſtris cruenti atque feroces iam ſiniſtrum latus equitum inuaſerant. A dextra verò & in tergis maior acies infeſtis cuſpidibus territos & confuſos acerrimè perurgebat. Perierunt in reparanda acie Monſalco Albanianæ alæ præfectus, & Coriolanus Triuultius ſummæ ſpei adoleſcens. At Germani, qui plus dimidia parte cæſa, amiſsiſque duobus vexillis, & Florantio duce grauiter vulnerato, aliquandiu conſtantiſsimè depugnarant, vbi ſe ab equitatu deſeri, reliquum peditatum vndique deletum, & tormẽta capta conſpexere, quòd fuga turpis et minimè tuta videretur, erectis ſuo more cuſpidibus, dedentes ſeſe, à victore hoſte clementiam quæſiuerunt. In eo graui tumultu Sedanius impotenti dolore percitus, vt Florantio & Gemeſio filijs in tanto vitæ diſcrimine circumuentis extremam opem ferret, adacto cataphractorum vehementi cuneo ad mediam hoſtium aciem penetrauit, filióſque iacentes inter cadauera & multis fœdatos vulneribus, ita erexit & ſuſtulit, vt ſemianimes ſarcinæ modo ceruicibus equorum aſportati, cum ſumma paternæ pietatis & bellicæ virtutis laude, ad parata iam futuris bellis decora ſeruarentur. Ita Heluetij triplici agmine dimicantes, ſeſquihoræ ſpatio & memorabile prælium & grauiſsimum bellum confecerunt. Nec tamen vel tanta hoſtium ſtrage edita, ad prædam diſcurſum eſt, quanquam pretioſa ſuppellex ducum, & cuncta opulenti exercitus impedimenta multorum animos allicerent. Viri enim patriæ diſciplinæ memores, quòd neminem armatum in acie viuum capere, nec vertentem terga inſequi liceret, medio in campo confertis ordinibus in multam diem immoti conſtiterunt, ne Galli equites aut ducum aſtu, aut ſuo pudore concitati regrederentur, & ſpoliandis cadaueribus occupatos

patos opprimerent. Verum adeo pertinax & intenta hoſtium fuga fuerat, vt Triuultius voce rauca puluerulentus adequitans, nec adhortationibus, nec cōtumelijs, nec authoritate Imperij ſigna ſiſtere, aut præcurrentes abiectis haſtis equites retinere valuerit. Conſtat Griteum eius infauſtæ expeditionis comitem, qui vna profugiebat, ſæpius in turba properantium dixiſſe, hodie, vt video, equites veterani, qui tam effuſè calcaribus ſtudetis, iam non eſtis Venetorum cataphracti, ſed nobiles Galli, qui eos fugaces fœminas appellare conſueuiſtis. Nunquam enim acciderat, vt inuicti fortunatique antea duces, tanto inſtructi exercitu, à paucis peditibus ludente Fortuna funderentur. Ferunt Gallicum equitatum in fuga deleri potuiſſe, ſi Maximilianus ducentos ſaltem cataphractos habuiſſet. Nemo enim è Gallis equitibus (tātus erat euadendi ardor) lanceam vltra Seſithem tulit: inſecuti tamen ſunt fugientes ex interuallo Syluius Sabellus & Corradinus Cribellus cum expeditis turmis ad Trecatum vſque oppidum. Pagani vero ab agris atque omnibus vicis ad prædam effuſi, vbi ſepes, foſſæ, conciſaúe aruorum itinera palantes & trepidos morabantur, ipſi plures conſpecta præda paucos & curſu feſſos crudeliter opprimebāt. Vixdum confecto prælio, & adhuc ſpirantibus qui ceciderant, ſuperuenit Altoſaxus lupina pelle cōtectus, atroci vultu, promiſſa & perhorrida barba hoſti formidandus. Is quòd ſerò cum cohortibus aduenisset, præ dolore gemens fremensque barbam conuellebat, quòd incruentis alabardis inglorius confecto bello, domum redire cogeretur. Enimuerò Vertius ille, de quo antea diximus, Gallicę factionis Heluetius, inchoata iam pugna, ex acie Olegium profugerat, exitiali mendacio deletos Heluetios, Maximilianum captum, atq; omnia aduerſa in prælio obueniſſe renuncians. Quo nuncio commotus Altoſaxus, qui & ipſe dudum ſuperato Ticino Olegium peruenerat, vti cautum ducem, et de legionum ſalute ſollicitū decebat, paululum ſubſtitit, ſed mox auditis tormentorum fragoribus, tametſi vera eſſe quæ Vertius attulerat magna ex parte putabat: opinione tamen inuictæ virtutis primarum cohortium, fractas attritasq; Gallorum vires ſe inuenturum ratus, iuſtis paſsibus ad hoſtes properauit. Paucos verò poſt dies, quum Altoſaxus in concilio Heluetiorum ab æmulis atque inuidis tarditatis accuſaretur, & indicio Vertij qui perfidiosè varium rumorē attulerat, ſuſpicionem criminis pręclarè diluiſſet, Vertius conquiſitus atque ita damnatus eſt, vt more maiorum in fruſta ſecaretur. Eodem die Heluetij collecta ſuorum cadauera humeris in vrbem reportarunt, vt optimè de Republica meritis iuſta ſoluerentur. Deſiderati ſunt in ea victoria mille circiter & trecēti, è quibus ſupra ſeptingentos tormentis diſcerptos retulere, quum ferè totidē ſauciati è prælio diſceſsiſſent. Periere autem in partibus Gallorum ad octo milia omnis generis. Inter Heluetios duces Iordini Vnderualdij immanis et propè effera virtus emicuit, qui conſenſu multorum ſupra viginti hoſtes alabarda confecit & certæ laudis præmia tulit. Tum verò Maximilianus tanto ſucceſſu lætus aduocata concione, quum præ gaudio manarent lachrymæ, & vix effari poſſet, cunctis gratias egit, & quod præſentis lætitiæ munus eſſe poterat, commeatum omnem donatiui nomine militibus diuidendum dedit. Tormēta quoq; & quicquid prędę partum fuerat, cohortibus in præmium virtutis acceſſere. Sed vallum de hoſte captum Maximilianus tanquam victoriæ monumentum porticibus affixit. Huius valli ſtructura quam nos vidimus, vt poſteris documento atque vſui eſſe poſsit, paucis explicanda videtur. Dimenſo ad

paruam caſtrorum effigiem quadrato paſſuum quinquageſimū ſpatio, quatuor ſolidi ſtipites in angulis defigebantur ad vmbelicum ſolo extantes, latera minoribus aliquot tignis per interualla pariter defixis ſepiebantur: ad ea plicatiles cancellos ferreis anſis recta ſerie confibulatos applicabant. Intra hanc munitionem legio ita ſe inſtruebat, vt totius ambitus ſumma corona centum ferè muralibus ſclopettis aduerſus hoſtes vndique muniretur. Hoc modo ingruētium hoſtium vim ſuſtineri,& planè refringi poſſe Sedanius exiſtimarat, quòd Heluetios, priuſquam ad haſtas manuſque venirent, inconſulti impetus pœnas daturos credebat, quum prætentis haſtis hiſpida phalanx, & ſuo tuta robore inſuperabilis, defenſura vallum, & demum in perturbatos patefacta munitione, ad non dubiam victoriam eruptura videretur. Sed hæc militari ingenio excogitata, tantoq; labore & ſumptu per Alpes aduecta, ſicuti ſpectantium oculos nouitate formæ & ſpe victoriæ ſubnixos animos magnopere delectabant, ita vt plerunque ſolet, Fortuna ſubtilibus artificijs nihil arridens, tum maximè quum oportebat, rationi atque operi ſucceſſum eripuit. Id verò Germanos feſellit, quod eodem die moturis retrò caſtra ducibus, eius valli apparatū vti ſuis iam impoſitum curribus minimè erigendum putaſſent. Sed id acceptū vulnus Tramulius, quum hæc ab eo Bononiæ quęreremus, in Triuultium nō inſulſe reiecit, quaſi ille in prædijs ſuis, vt adulto pabulo parceretur, ſecus ac ipſe diſſeruerat, caſtrametari noluiſſet. Triuultius verò vti nuſquam antea victus, quum de eius prælij euentu multa narraret, ad fatalem nomini ſuo iniuriam referebat, quòd temerarijs & in furorem actis nulla ratione vel à peritiſſimo duce obuiam iri poſſe prędicaret. At Sacramorus, qui vt ad Nouariam in caſtra contenderet, ad Ticinum continuò traiecturus peruenerat, vbi primum ex multo reboatu & continenti fragore tormentorum, proculdubio accenſa pugna rem geri præſenſit, coacto ſuorum agmine paululum ſubſtitit, vt ex euentu pugnæ conſilium caperet. Sed non multo poſt, quum ex multorum fuga Heluetios profligatis Gallis campo victoriaque potiri didiciſſet, ne interclusus fluminibus, cùm ab hoſte tum ab infeſtis ſibi vndique incolis deleretur, retrò ad Abduam eſt profectus, ſuperatoque amne ad Cremonenſium fines Venetis copijs ſe coniunxit. Per eos enim dies Liuianus cum omnibus copijs Cremona exceſſerat. nam paulo antè plebe ad Venetum nomen inclinante in vrbem fuerat receptus, quanquam Galeacius Pallauicinus, rem ad Gallos deducere conaretur, & nonnulli ciues ex prima nobilitate Sfortiano nomini ſtuderent, quod à Brunorio Petra arcis cuſtode, vt belli exitum expectare vellent, continuis obteſtationibus in fide continerentur. Sed iam Sfortianæ victorię fama adeo latè emanarat, vt Liuianus, qui eam diu ſupprimere nequiuerat, ſuſpenſis adhuc ciuibus & integris rebus ſuis excedendum exiſtimarit. Itaque eadem celeritate qua dudum venerat, Veronam contendit, prolatoq; tormentorum apparatu ad diuæ Luciæ templum vrbem oppugnare eſt adortus. Vir enim in omni conſilio viuidus & ferox, reique gerendæ percupidus, aliquid ſibi omnino tentandum exiſtimabat, vt audaci facinore Gallicę cladis fama tegeretur, & quales erga Venetum nomen Veronenſium animi forent, vehemēti facto impetu tanquam ex itinere protinus experiretur. Sed is conatus ad incertam ſpem præpropere ſuſceptus, eum habuit euentū, vt quum deterſis pinnis depulſiſq; propugnatoribus milites ingenti animo per ſcalas in ſummam muri coronam euaſiſſent, nec præalto exitialiq; ſaltu in vrbem ſe demittere auderent,

derent, vndiq; glandibus traiecti atque interfecti deijcerentur. Inter quos fuere ſummæ fortitudinis Centuriones, Thomas Fabronus è Piſtorio, & Vicinius Vmber, qui primi conſcenderant. Georgius nanque Tridentinus antiſtes, ſubitario delectu ſeptem cohortes adduxerat, quæ confertis ordinibus ſub muro hoſtium deſcenſum expectabant. Quo animaduerſo periculo, nemo militum fuit, qui non excipientis phalangis cuſpides formidaret: & pudore & metu confuſus in muro minimè cunctaretur. Ea re improſperè tentata, Liuianus vſque adeo feſtinanter reductis tormentis, & ſigno profectionis dato è conſpectu vrbis diſceſsit ne ab erupturo hoſte diſtineretur, vt aliquot notos milites, qui ad proximum puteum ardentiſsimo ſole potandi cauſa ex acie diuerterãt, crudeli manu confoderet, fruſtra deprecante Paulo Baleono, qui in feſſos ſitique confectos à mucrone temperandum eſſe diſſerebat: iuſtiſque inde confectis itineribus ad Tombas Vicentini agri in ſtatiua caſtra conceſsit. Baleonus autem ad dextrã cum parte copiarum Allieniacum petere iuſſus, id oppidum & arcem paucis diebus expugnauit, Villiada Hiſpano ad extremum ſe dedente, qui exigua manu arcem acerrimè defenderat. Hiſdem quoque diebus Octauianus Fregoſius Nouarienſis victoriæ fama excitus, cõmendante Leone Pontifice, vt Genuam reduceretur, cum Cardonio atque Piſcario tranſegit. Octauianum enim præſtãti ingenio hominem, & multis bonis artibus inſtructum, Iulianus Leonis frater veteris amicitiæ nomine mirificè ſubleuabat: parique ſtudio Piſcarius affinitate ſibi coniunctum, pollicentemq; pecuniam Hiſpanis in ſtipendia diuidendam, Iano Fregoſio anteferendum arbitrabatur. Hunc enim quum plæriq; ciuium tanquam nimis properè à ſe deſertum omnino metuerent, multi etiam in vniuerſum oderant, quòd ipſo conniuente ſanguinarij fratres nefarias manus Hieronymi Fliſci ſanguine imbuiſſent: Illum verò patre principe genitum egregiæque virtutis fama illuſtrem adeò populus expetebat, vt in omni re ciuili vel bellica Iano potiorem exiſtimaret, quòd in longo exilio à Fortuna grauiter eruditus, in gubernanda Republica, magnam ſpem lenitatis, & temperantię allaturus eſſe videretur. Itaque Piſcario in Pulciferam vallem, ab Apennini iugo pulſis vndique montanis Liguribus, cum exercitu deſcendente, Adurnij fratres deſperatis Gallorum auxilijs, conſilium ſummæ pietatis atque prudentiæ ſibi deſumpſerunt: profeſsique in concione ſe publicam ciuium ſalutem principatu & patrijs penatibus cariorem habituros, eo animo, vt patriam omni tumultu belliquè periculo liberarent, poſitis armis ab Genua diſceſſerunt, quum alterum tantum atq; vigeſimum diem dominatum tenuiſſent: tanta quidem cum laude, vt magna pars ſenatus abeuntibus gratias ageret, & plerique honeſti amanteſque patriæ ciues, nuſquam obſtrepente populo, vel natura inſolenti & factioſo, eos ferè cum lachrymis ad multum ſpatiũ proſequerentur. Othobonus quoque & Sinibaldus Fliſci eodem conſilio, ſed æquioribus animis, quòd fortunam inueterata conſuetudine ſolis Gibellinis attributam minimè reſpicerent, & fraternę cędis iniuriam probè vindicaſſent, in Caſtella ſua, quæ ad Tiguliorum montes & Lauaniam amnem pertinent, profecti ſunt. Eo modo Fregoſius pacato agmine in vrbem receptus, & à populo dux & princeps eſt appellatus: triduoque poſt, imperata pecunia, quæ octuaginta milium aureorum nummûm ſummam excedebat, Hiſpanis ſtipendia perſoluit: remuneratuſque Piſcarium, id ab eo impetrauit, vt ſine maleficio finibus excederetur: atque ita cum omnibus copijs in Placentinum agrum

eſt reuerſus, indignantibus Heluetijs, quòd Hiſpani, qui eo bello neque fidem neque opem difficillimis ipſorum rebus præſtiterant, alieno ſanguine parta victoriæ præmia intercepiſſent. Hiſdem porrò diebus quibus Adurnij fratres principatu & patria deceſſerunt, Præianes Gallus, quum intromiſſa in Laternam arcem quanta maximè potuit commeatus & tormentarij pulueris copia cuſtodes diligentiſsimè confirmaſſet, iuſſu regis è Liguria cum quatuor triremibus, quòd nemo anteà auſus fuerat, per Gaditanum fretum ad Armoricum Oceanum enauigauit. Eo enim tempore Britanni valida claſſe per Galliæ oram infeſta populatione vagabantur. Exiſtimabat enim Præianes triremes ſuas tranquillo præſertim mari, & nullo ſpirante vento, aduerſus maiora hoſtium nauigia quæ velis agerentur, magno vſui futuras: quòd hoſtium excelſæ naues (vt nonnunquam æſtate accidit) ex malacia in alto deſtitutæ expedito longarum nauium remigio circumſiſti, & adactis colubrinis expugnari atque demergi poſſe viderentur. Sed nihil ea æſtate tantis claſsium incurſionibus magis memorabile geſtum eſt, quàm vt Odoardus Surrei filius, Britannicæ claſsis præfectus, magno caſu penè ſolus occideretur. Is iuuenis vt magnitudinem animi oſtentaret, quum ſecundo vento inflatis velis Præianem ad Vidanam portum, qui Breſtius dicitur, fruſtra perſequeretur, ita demum demiſſis antemnis ſubſtitit, vt opprimendi hoſtis cupiditate in magnarũ nauium ſcaphas delecto inſtructas milite audacter deſiliret, & triremes humili ſabuloſoq; in littore ſemiductas adoriretur. Quo certamine, quum Præianis epibatæ acerrimè ſeſe defenderent, Odoardus dum in prætoriam ſcandere conaretur, à prora reiectus contis, & ſecure vulneratus in mare concidit: atq; ita Britanni amiſſo claſsis præfecto, re infecta ad claſſem redierunt. Triduo autem Odoardi cadauer fluctibus expulſum in arena repertum eſt, & ſtatim agnitum: quoniã aureum corniculum collo ſuſpenſum geſtaret, quod pręfecti maris eſt inſigne. Eo enim fiſtulæ more inflato, magiſtri nauium diuerſis ſibilis & cantibus opportunè editis, nautas ad officia reuocare atq; incitare conſueuerunt. Nec multò poſt duæ maiores Britannicæ naues, Thoma Gniueto immenſæ fortitudinis præfecto, audente concitanteq;, Gallicam inuſitatæ magnitudinis nauem quam Chordigeram appellabant, adortæ ſunt, tormentis vtrinque latera pertundentes. Chordigeræ præerat Plumorgher, inter Gallos Oceani accolas rei naualis peritiſsimus. Is præſenti infauſtoque conſilio in hoſtiles naues ex propinquo ſubeuntes, quod in acerrimo certamine ſæpe factum legimus, catenatos harpagones iniecit, terribilique fragore tormentorum vndique edito, ita prælium exarſit, vt cum facibus, incendiarijsque malleolis ad mutuam cladem res gereretur, vno tempore tres ſimul naues miſerabili exitu cremarentur, & ſupra duo milia hominum aut diſcerpta tormentis, aut flammis circumuenta, aut demum ſemiambuſta ſponte in Oceanum pręcipitata perierint, totidemq; ferè omnis generis ænea tormenta Oceano mergerentur. At Ludouicus maiores etiam è Britannia motus expectans, cum iam ira & dolore multum exarſiſſet, quòd pauci atque inermes Heluetij, peritiſsimos duces, veteranum equitatum, & pedites numero roboreque præſtantes vera virtute ſuperaſſent, omnibus regni viribus in Belgarum fines traductis, ad Britannicum bellum ſe conuertit. Enimuerò Henricus fama rerum ad Nouariam geſtarũ permotus, cum iam anteà in Aquitaniam ad populandam oram maritimam Odoardo Surrei filio cum claſſe tranſmiſſo, ingentes copias terra marique paraſſet, ab Anthona

Dobraq;

Dobraqque Caleſiam (quæ portus Icius olim fuit) ipſe breui ſubſecuturus maximam partem exercitus traiecit. Siquidem rex iuuenis ſupra inſitum à natura odium aduerſus Gallos, ſtudio etiam glorię accenſus, quòd defendere iniurias ſacroſancti Pontificis, & tueri armis religionis cauſam æquum atque magnificum rebatur, ipſe transfretare conſtituit, conciliandis maximè Germanorum animis, quorum ingentem numerum mercede conduxerat. Nanq; Cæſar huic bello intentus, & Margarita eius filia virilis animi mulier, ob veterem repudij contumeliam Gallis infenſa, quæ tunc Adoleſcentis Caroli tutrix, in Ciſrhenana Germania (ea Belgicę pars eſt) longè lateq; imperitabat, auxilia cataphractorum equitum & peditum paſsim ex vtraque Rheni ripa Britannicis caſtris adiunxerant. Iam Britanni duce Talbotto e Caleſia Taroannam Morinorum vrbem oppugnatum venerant, admotiſque muralibus tormentis, mœnia magna vi & ſumma pertinaciæ fama quaſſabant. Ea vrbs muri circuitu parua, ſed ædificijs frequens, quod ab imminenti monte & ab Lyſia impeditiſsimo flumine muniebatur, ex omni parte difficilem habebat oppugnationem. Addita erant aſperitati ſitus mœnia foſſæque, & ſuper hæc equitum & peditum præſidia, quibus præerant ſtrenuiſsimi duces Pontiremius atq; Rouergas. Interea dum Talbottus Taroannam continenter oppugnat, Henricus è Britannia ſuperato freto Caleſiam venit: quod vbi per Gallias vario rumore vulgatum eſt, Ludouicus intentiſsima cura delectus habere: euocare quoſq; nobiles, ac veteres equites perſunctos iam militia: claſſem in Oceano ædificare: proſpicere ſimul omnibus regni lateribus, & ad omnes caſus remedia comparare: omnium primum Narbonam, & quęq; proxima Pyrenęis ſaltibus præſidio firmat, Hiſpano haud ſatis fidens, etſi cum eo inducias paulo antè pepigerat, ne finitimæ gentes belli auidę in tergo repentinum bellum aperirent: Heluetiorum quoq; in finibus iuſtum propè exercitum, qui Heduos ab iniuria tueatur decernit. Ii namq; vix dum è Nouaria victores domum reuerſi, concilio Turegi habito, quum legati magiſtratusq; omnium oppidorum vno tenore de inferēdo Galliæ bello retuliſſent, ſublatis vexillis arma ceperant, eo conſilio, vt monte Iura ſuperato, per Sequanorū fines in hoſtilem agrū irrumperent: atq; omnem eam Burgundiæ partem, quę Gallorum eſt (ea ad Ararim & ad vlteriorem Alduaduſij ripam ſpectat) vi ad defectionem compellerent, vel effuſe popularentur. Enimuerò Cęſar, vt Heduorum vrbes, quas in altera Burgundię parte poſt Carolum eius ſocerum ab Heluetijs ad Nanſim cum exercitu cæſum, Galli armis per occaſionem occupauerant, veteri nepotis imperio reſtitueret, Heluetios iure fœderis ad tranſmittenda auxilia, et ad maturandam profectionem ſollicitabat. Eos quoq; Henricus oſtentatis præmijs atq; ſtipendijs, & Maximilianus Sfortia nondum arcibus receptis, firmādi imperij cura anxius, vt quandoq; ſemel cœptū bellum finirent, in eaq; temporum fortuna ſuperbos hoſtes in perpetuum domarent, vterenturque recēti victoria, continuis legationibus adhortabantur. Quibus de cauſis, Ludouicus Tramulium cum parte equitatus & cohortibus ex itinere conſcriptis in Heduos maturare, & totis viribus prohibere tranſitu Heluetios iubet. Demum Roberto Sedanio mandat, vt quam maximum poteſt peditatum in Eburonibus Arduennæque ſyluæ proximis populis mercede conducat, & continuò in Morinos proficiſcatur. Idem vt faciat Carolo Gheldriæ Duci iniungit. Is, quoniam initium diſſenſionis inter Gallum & Cæſarem atque huius belli non obſcura cauſa fuerat, è Mena-

pijs atque Sicambris quibus imperitat, legiones duas, adiuncta Batauorum manu expertæ virtutis mittit. Ita breui Ludouicus maximo equitatu è tota Gallia coacto, & Germanorum auxilijs ingenti pecunia comparatis, ad hoſtes qui iam in Morinos peruenerant contendit. Eodem quoque tempore Henricus, vt vires cum Talbotto perquammaturè coniungeret, paratis quæ ad profectionem pertinebant, è Caleſia mouit, inſtructo agmine procedens itineri ſimul ac pręlio intentus. Venerant enim Gallorum antecurſores, et leuibus pręlijs agmina in itinere laceſſebant: mox aliæ atque aliæ turmæ equitum atq; ipſa ſub vexillis grauis armatura equeſtris in patentibus campis ſeſe oſtenderat, non eo quidem conſilio vt acie confligerent, ſed vt Britannos oſtentatis virib. magis ac magis morarentur. Verùm Henricus, quum maiora quædam tormēta ſuo pondere effractis axibus, ac comminutis paſsim curruum rotis tenaci in limo forte hæſiſſent, & ob eam cauſam neceſſariò ſubſiſtere, & tardius agere agmen cogeretur, directa acie bis pugnæ poteſtatem fecit. Contrà verò Gallis conſulto certamen detrectantibus, quòd vniuerſæ dimicationis caſum neceſſarium non ducebant, ad ſanctum Odemarum (id caſtellum eſt) ſubſedit. Sequentibus verò diebus intermiſſo nunquam itinere, pluribus equeſtribus pręlijs decertatum eſt: perijtque in partibus Gallorum Matthæus Coroneus nobilis Gręcus leuiorum equitum pręfectus. Ita Henricus incolumi exercitu, nequicquam Gallo iter demorante, quartis caſtris Taroannam peruenit. Tunc primum vrbs quàm acerrimè oppugnari cœpta: nanque tripartitò hinc Talbottus, illinc Carolus Somerſetus, & tertio loco Rex ipſe ingentibus tormentis, murorum pinnas & interna vrbis ædificia diruebant. Ex aduerſo Pontiremius atque Rouergas nouis operibus mœnia quaſſata reficere: contrà & ipſi hoſtium caſtra tormentis infeſtare: die noctuque pro mœnibus, pro portis agere ſtationes: nihil ſe animo demittere, & ſumma ſpe auxilia Gallorum opperiri. Interea ad famam aduentus Henrici regis Cæſar maiore animo quàm viribus bellum complexus, tendentibus iam in Heduos Heluetiorum legionibus, paucos Germaniæ proceres ſecum ducens ad Henricum peruenit. Secuta eum quoque eſt magna Germanorum multitudo, qui pacis odio & lucri cupiditate ad id bellum, in quo tres potentiſsimi Reges de imperio dimicaturi videbantur, ex omni ſe prouincia effuderant. Henricus quoque, vt erat quatuor fermè & viginti annos natus, ab excelſo florentis ætatis vigore, pecuniæ profuſus ſuper aduectos ab inſula ingentes theſauros, immenſæ liberalitatis fama, & ſtudio erga milites incredibili mortalium mentes accenderat: magnitudo enim animi, corporis decus atque proceritas, admirationis humanæ in eo rege modum exceſſerant. Appropinquanti igitur Cæſari obuiam ad ſancti Odemari oppidum proceſsit Henricus: conſalutatumque eum & patrem appellatum in caſtra perduxit. Venerat eò Cæſar magnis itineribus, ſine regio apparatu, vt alicui memorabili prælio intereſſet. Nam in ſuperiore quoq; Germania fama erat, aduẽtare cum magnis copijs Ludouicum, vt liberaret obſidione Taroannam, aut cum Britannis de ſumma rerum dimicaret. At dum reges mutata veſte circumuecti mœnia, apparatum oppugnandæ vrbis munitionumque naturam inſpiciunt, ac de genere prælij expugnationeque deliberant, nunciatur ab exploratoribus, Ludouicum qui in Ambianis ſubſederat, cum omni genere commeatus vniuerſum equitatum intra biduum Toroannam eſſe ſubmiſſurum, quod ſciret concluſos diuturnitate oppugnationis feſſos, ac neceſſa-

neceſſariarum rerum penuria laborantes, diutius non eſſe tantas difficultates toleraturos. Quod vbi Ceſar pro comperto habuit, quoniam & rei militaris peritia, & notitia locorum plurimum valebat, communicato cum Rege conſilio, traducere in vlteriorem Liſiæ ripam maximam exercitus partem, & ad hoſtes ſumma celeritate, vt imparatos inuaderet, contendere decernit. Ergo quatuor pontibus vnius horæ propè momento perfectis, quibus ſimul omnes copiæ tranſmitterentur, relicto in oppugnatione Talbotto, Liſiam traijciunt, & ad Ghingatam vicum duobus paſſuum milibus ab vrbe diſtantem pergunt. Erat Ghingata obſcurus antea pagus: ſed duabus iam Cæſaris victorijs Gallo infauſtus: ſiquidem Ludouico vndecimo Gallorum rege cum Germanis de finibus contendente, ipſe Cæſar vixdum pubuſcens, Philippum Dechordum expertiſsimum ducem, cum triginta milibus Gallorum hiſdem in campis acie ſuperarat. Igitur Galli, vt obſeſsis in tanta rerum egeſtate ſuccurrerent, cum octo milibus equitum, receptis in medium ſarcinarijs iumentis, recta Taroannam mouent. Præerat omnibus Pienes, vir in Morinis ſummæ nobilitatis: quoniam in prouincia, quam ipſe iam pridem à Ludouico regendam acceperat, bellum gerebatur. Verùm cum eo aderant clariſsimi quique Gallorum ductores, atque equitatus duratus in armis, & multarum gentium victor: in quo nihil præter Fortunam veterem deſiderabatur. Eo modo Pienes quum è tumulis deſcendens, qui ad Ghingatam vergunt, in ſubiecta planicie ſigna atque equites oſtendiſſet, Cæſar & Henricus incredibili pugnæ deſiderio deflagrantes partiti inter ſe copias, ea ſorte vt alter equitatum in hoſtes duceret, alter verò cum peditatu & curulibus tormentis continuò ſequeretur, inſtruere ordines, quid fieri velint præfectos docere, adequitare legionibus, hic Germanos & Belgas, ille Brittannos, quos ab inſula tranſuexiſſet, adhortari, ne veteris gloriæ militaris obliuiſcerentur: ne eos hoſtes aut fortes, aut inſuperabiles exiſtimarent, quos omnibus bellis atque omnibus ſeculis & progenitores ſui, & nuper Heluetij pedites acie deuiciſſent: Adniterentur, auderentque primo impetu, ac ſibi ducibus, & regibus ſuis, qui opinione virtutis omnem dignitatem atque ſalutem in dextris militum poſuiſſent, fortem operam maturamque victoriam preſtarent. Germani pedites ignari adhuc aduentus Ceſaris, vt eum aperto capite paludatum ſingulis ordinibus adequitantem cognouerunt, ex eius preſentia victoriam auſpicati ſtatim acclamauere, Salue Cæſar, Salue pater optime, Imperator inuicte, te duce iam vicimus. Is vt ardorem militum vidit, non cunctandum ratus, arreptis ſecum quatuor milibus equitum in quibus Hippotoxotæ Britanni, & Cisrhenani equites cataphracti ſub Hanſeo Roſeo, atque Laleno fortiſsimis ducibus fuerant, ad Gallos pergit. Henricus quoque pari paſſu cum robore legionũ, ſagittarijs ſuis immixtus ſubſequitur. Iam plures Gallorum equitum vt commeatum intromitterent, circumducti ab læua, ad eam portam, quæ ſegniorem Britannorum ſtationem habitura videbatur, peruenerant, & à Talbotto qui paratus in armis adſtiterat, cum detrimento repulſi fuerant: quum Henricus ad primum hoſtium conſpectum, ad perturbandos eorum ordines duas eminus colubrinas diſplodi iuſsit. Mox Cæſar, quem fatalis hoſti locus & antiqua victoria claris auſpicijs ad prælium accendebant, in aduerſos impetum fecit. Tanta fuit ſagittarum vis, tantusque cataphractorum irruentium ardor, vt primo concurſu Galli equites turbati fuſique ſint, quanquam acerrimi duces manu prompti inſignibusque fulgentes

ante alios fortiſsimè decertarent, atque impetum hoſtium ſuſtinere, & reparare perculſam aciem increpitis retentisq; militibus conarentur. Cæterùm quoniam nec tormenta nec pedites in ſubſidium equitatus adduxerant, vrgente Cęſare, & approquinquãte cum tota mole peditatus Henrico, et cedere & ter-terga dare coacti ſunt. Duces ipſi in tãta equitum perturbatione dedecoris metu, dum acrius reſiſtunt, capiuntur. Ante alios Marchio Rothelinius, qui paulo antè Donesio fratre mortuo, dux Longauillæ creatus fuerat. Cum eo Palicia, Imbercurtius, Baiardus atque Buſiuus. Sed Palicia & Imbercurtius ob veterem amicitiam & cognationem, quæ cum Roſco intercedebat, ab equitibus Sequanis in acie dimiſsi ſunt. Signa verò quæ in illam vſque diem tot gentiũ cruore conſperſa, in tot bellis atq; periculis ſeruata fuerant, occiſis aut captis ſigniferis, in poteſtatem Britannorũ deuenerunt. Fuit hæc pugna periculo ducum magis quàm militum cæde inſignis: quum nec peditatus conflixerit, nec tormenta vſui fuerint, & ſolis haſtis atque mucronibus vſi cataphracti, vtrinq; colluctati inter ſe equis atque corporibus maiorem tumultum quàm cædem ediderint. Pienes paucis ſuorum deſideratis, trepidanti agmine ad Blangim vnde venerat, celeri fuga ſe recepit. Cæſar autem & Henricus captiuis comiter apud ſe habitis, in vetera caſtra redierunt. Iam Talbottus cuniculos effoderat, tormentis muri partem diſiecerat, & magna ſpe iam tum expugnandæ vrbis tenebatur, quum Pontiremius atque Rouergas, Britannis captiuos Gallos oſtentantibus, deſperato commeatu, per colloquium tridui inducias poſtulãt. Quibus impetratis, pacti vt inde cum armis atque vexillis ſine fraude diſcedere liceret, vrbem continuo dedunt: paulo poſt victores, colonis aliò migrare iuſsis, vt abſimili pertinacia cæteras vrbes deterrerent, ſeruatis templis incendunt. Ita clariſsima Morinorum ciuitas Milleſimo quingenteſimo tertiodecimo anno à partu Virginis, Nono Calendas Septembris exciſa eſt. Ludouicus interea ad Motrellum coactis copijs & indicto concilio procerum, decreuit idoneo omnibus rebus loco caſtris ſe tenere, neque ad euentum Fortunæ experiri iterum hoſtium vires: qui magnam bellicæ laudis opinionem, deuicto veterano equitatu adepti fuerant. Enimuerò manu promptus & conſilio optimus, quanquam vniuerſi certaminis deſiderio teneretur, præfectique omnes ad abolendam ignominiam, deuouendo ſeſe pro victoria prælium depoſcerent, haud tamen tutum fore exiſtimabat, ſi perculſos animo milites, ac ſuperiore gloria rei militaris obſcurata, quaſi degeneres factos, quum intra ſeptuageſimum diem ad Nouariam atque Ghingatam infeliciter dimicaſſent, fortiſsimis hoſtibus, ac tum recenti victoria elatis obieciſſet, vel ob id maximè quòd rumor in caſtris percrebuerat, Heluetiorum viginti quinque milia cum duobus millibus equitum, quos Cæſar addiderat, per anguſtias Sequanorum in Heduos penetraſſe, & iam eorum agros magna belli clade populari, neque Tramulium continuè caſtra mutantem aut ire obuiam, aut manus conſerere audere. Quibus de cauſis Ludouicus, ſuſpenſa Gallia, & ad noui belli periculum excitata, cunctando circumſpectare hoſtium motus: & reliquum æſtatis extrahere, quàm in diſcrimen ſummæ rei deuenire malebat. Mox conuerſus ad altiora conſilia, Iacobum Scotorum regem iam tum antea precibus fatigatum, per legatos ſollicitat ad nouas res in inſula moliendas, gerendumque apertè bellum aduerſus Henricum. Erat Iacobus maximis beneficijs & antiquis ſuperiorum regum neceſsitudinibus Gallo obſtri-

ctus,

ctus, ob idque facilè impelli poterat ad quamcunque belli fortunam ſubeundam: quanquam per ſe animo immodicus, & natura infenſus Anglico nomini, priuatis etiam laceſsitus iniurijs, inferre vltrò bellum & proferre Imperij fines meditaretur. Nec deerant, præter Gallorum legatos, arma, pecuniam, tormenta, duces, claſſes atque omnem belli apparatum pollicentes, qui mobile regis ingenium varijs artibus expugnarent ex intima aula ſpectatæ apud eum gratiæ regni proceres, muneribus empti ab Gallo, vt propoſita præſentium rerum occaſione, ac oſtentato totius inſulæ Imperio, in ſpem proſperi euentus & magnæ fortunæ erectum, ad ſumenda arma vehementer accenderent: quando abductis in continentem omnibus fermè copijs, & Henrico in Gallia bellum gerente, regnum ſub vxoris tutela relictum inuadere, atq; armis exagitare interiora Britanniæ haud factu difficile videretur. At hæc ſecum quum ipſe multum animo varius reputaret, obuerſabantur ante oculos vxor, quæ Henrici ſoror erat, & nouum pariter atque antiquum pacis fœdus ſub Alexandro Pontifice iam pridem cum Henrico ſolenni ſacramento percuſſum, & ab Iulio bullatis item tabulis confirmatum. Diræ demum imprecationesque Pontificis, ac polluendæ religionis metus, ſi defenſores Pontificiæ dignitatis oppugnaret, & expoſitum iniuriæ nudatumque præſidijs regnum, nihil tale verente Henrico, vi & armis aggrederetur. Ex aduerſo autem rerum ſuarum ſollicitus, vtpote cui iam pridem ſuſpecta erat Henrici potentia, nimio plus creſcere rem Anglicam, & ferocem iuuenem in tranſmarina prouincia bello clarum fieri non ferebat. Quoniam finito in Gallia bello eum hoſtem ingentis ſpiritus, ac ſemel militiæ ſtudio accenſum minimè quieturum apparebat, ſed continuo non cōtentum finibus ſuis, illaturum arma, ac ſubactis Scotis, ſeque paterna ſede pulſo, vnius inſulæ vnum regnum eſſe facturum. At in contrario rerum ſucceſſu, ſi fortè Henricum imperitum militiæ pugnaciſsimam Gallorum gentem, ac talem tantumque regem in hoſtili ſolo difficili bello pulſantem, aliquo ingenti prælio ſuperatum Fortuna deſtitueret, idem regnum ac eadem tota Britannia mouenti modo arma, ac Fortunam ex tuto tentanti ceſſura videbantur.

Hac inani ſpe ſublatus, alienato animo, vt cauſas violati fœderis prætenderet, antequam hoſtilia moliretur, literas ad Henricum querimoniarum plenas cōſcribit. Egiſſe iam pridem Henricum multa in contumeliam Scotici nominis, eaque ſe pro iure affinitatis ac fœderis forti animo ſemper tuliſſe, quum grauiſſima damna finitimis Scotis illata, vt conſtitutum fuerat, Henricus minimè reſarciret: quū in percuſſores Bartonis piratæ Scoti nō animaduerteret: & Spurium Heronem, qui præfectum confinium Scotiæ interfecerat, impunè agere in Anglia pateretur: legatos ſuos contra ius gentium non admiſiſſet: oratorem vxoris inuito retentum non dimiſiſſet: complures nobiles Scotos in Scotia captos vinctosque crudeliter etiam tunc in cuſtodia haberet. Ea omnia quanquam per ſe magna et intoleranda, diſsimulari tamen potuiſſe: at non ſe paſſurum vlterius, Ludouicum amicum regem, cognatione et fœdere ſibi obſtrictū, ab eo ad internetionem oppugnari: Caroli Gheldrij conſanguinei agrum pluſquam hoſtiliter ab Anglis deuaſtari: propterea eſſe ſupremum animi ſui iudicium, cauſam ſocij regis iure fœderis defendere velle, neque interea ſe finem facturum populationibus atque incendijs, quamdiu Ludouicus ab eo in Gallia vexaretur. His Henricus ita reſpondit, ſe nō magnoperè mirari, quòd Rex Scotorum pro vetere gentis inſtituto fidem falleret: Nouiſſe enim iampridem eius

animi inconſtantiam,& conſiliorum leuitatem: quibus eò dementiæ perdu-
ctus eſſet, vt alienam cauſam proprio periculo tueri, & florentes res ſuas cum perditis Gallorum rebus permiſcere contenderet. Quòd ſi violare iuſiurandum, fidem prodere, & arctiſsimæ neceſsitudinis obliuiſci æquum & regium putaret, neque multum eò dedecore permoueretur, timeret ſaltem Deos immortales, qui turbatę pacis & ruptorum fœderum vindices eſſe conſueuiſſent: adduceretúrque exemplo regis Nauarræ, quem Dijs ita iubentibus, ex patrio regno in eas miſerias pręcipitatum, Ludouicus in Gallia ſine regno tranquillè regnare permitteret. Proinde deſineret memorare atque obijcere, quæ ad violandam pacem ipſe confinxiſſet: ea enim ſe iam pridem literis atq; legationib. vt vetera omnino, vanaque diluiſſe. Cæterùm eum impudentiſsimè feciſſe, quòd nihil earum rerum antequàm ipſe mare traijceret, commemorarit. Propterea ſciret apud ſe etiam abſentem, non eſſe tantæ exiſtimationis Scotorum regem, vt eius repentina atque inſperata perfidia terreri poſſet. Ageret modò vt luberet, ſe enim neque vlla denunciatione periculi deſtiturum ab fœlici incœpto, neque iniuriam animo depoſiturum. Igitur Iacobus indicto bello, vniuerſas regni vires contrahit: atque omni nobilitate armata, ad Tuedum fluuiū, qui vtriuſque Imperij limes eſt, contendit. Britannia nanque omnis, intercurrente per tranſuerſum Tuedo, vbi æſtuaria ab diuerſo littore introrſus arctiſſimè ſinuantur, atque aliam propè inſulam efficiunt in duas partes diuiditur. Maiorem proximam continenti Galliæ, vergentem ad Hyberniam & ad Cātabricum Oceanum, Angliam ab Anglis populis appellant: qui quondam ab Hercynio ſaltu per Germaniam profecti, ad quęrendas nouas ſedes in inſulam traiecerint: ac pulſis indigenis, propter agrorum fertilitatem ibi conſederint. Alteram verò tertia ex parte Anglia minorem, effractis longè latéque littoribus, ad Thulem in Arctum prominētem, vbi Caledonia ſylua, & breuiſsimus in Orcadas traiectus, ab recentibus etiam populis eò tranſgreſsis, Scotiam vocant. Hæc importuoſa, parum vrbibus frequens, horrida ſyluis atque frigoribus, ab humanitate & cultu cæterarum gentium recedit. Illa verò propinquitate continentis, benigniore cæli temperie, metallorum & pecoris fœcunditate florentiſsima omnium inſularum in morem noſtrum ædificat, atque elegantiæ plurimum ſtudet. Angli & Scoti eadem fermè lingua, quæ Germanicæ haud abſimilis eſt, vtuntur. Vtriſque ſtudium rei militaris propè par: atque eadem arma, lignei & ingentes arcus, alabardæ demum ac prælongi conti: clauæ quoque ferreæ (accias ipſi vocant) quas ambabus manibus regunt. Præcipuum apud vtroſque robur in pedite. Si qui adſint in bello equites, magna pars ſagittarij ſunt, pauci verò cataphracti, quòd eorum equi, quanquam acres, ad iuſtam magnitudinem non exceſcant, vt Friſij, Bethici, atque Apuli: & propterea ſtaturæ pugnæ minus idonei exiſtimentur. Corpora virorum alba, lacertoſa: comæ autem omnibus breues, & barbæ ſubrutilæ. Vniuerſa verò gens ſupra cæteros mortales conuiuiorum ſtudioſiſsima. Ea enim per varias & exquiſitas dapes, interpoſitis muſicis atq; ioculatoribus, in multas ſæpius horas extrahunt: ac ſubinde perductis choreis, amoribus fœminarum indulgent. Religione, inſtitutis ac legibus, atque eodem corporis ac ingenij habitu, medij inter Gallos atque Germanos collocantur. Fuere eæ gentes paulò antè Iulium Cæſarem, qui primus nobis Britanniam aperuit, agreſtes atque efferæ, nulla nauigandi peritia, nullo propè militię vſu, aut externarum rerum cognitione,
quod

quod ſpatio dirimentis Oceani ab noſtro orbe diuiſi dicerentur. Sed quum Romana arma viderunt, atque eos ſub Claudio Scapula Oſtorius, Suetonius, Paulinus, & Veſpaſianus, ac mox ſub Flauijs, Cerialis, Frontinus & Agricola magni duces, atque ipſe demum Seuerus Imperator, dum Romanum floreret imperium, circumducta claſſe interiora quoque inſulæ peruagati, cæſis hoſtiũ exercitibus, ſaltibus penetratis, atque ipſa naturæ rerum difficultate perdomita, & pacem & iugum pati coegerunt. Cœpere tunc primùm, repreſsi tamen magis quàm domiti, intellectis continuò Romanis artibus, è diſciplina belli negotia adminiſtrare, condere leges, & corporis robur ingenij viribus temperare. Nec multò poſt aduentu nouarum nationum compoſitis moribus, quum per calamitatem ruentis imperij Cæſares fatali deſidia veterem fortunam amiſiſſent, excuſſo ſtatim iugo, opibus & belli gloria plurimum valuerunt. Nanque inſtructis claſsibus, vt vires in alieno ſolo experirentur, in continentem delati, Hiſpanis, Gallis, atque Germanis maximas clades intulerunt. Protulereque in Italiam mercenaria arma. Siquidem Guelphis Gibellinisque ferro inter ſe ad internitionem debacchantibus, qua clade attritis omnium virib. res Itala penitus ab ſtirpe interijt: Anglos equites Ioanne Aucutho duce maximis ſtipendijs conductos, ob eximiam virtutis opinionem, tyrannorum auſpicijs in Italia militaſſe conſtat. Nouiſsima autem expeditione patrum noſtrorũ memoria, aduerſus Gallos multa præclara militiæ facinora geſſerunt: & egregiæ virtutis teſtimonium præbet Caleſia ad Geſſoriacum littus, eo bello Gallis ablata, et in hanc diem ob maximam traiectus opportunitatem, maiore gentis opinione, quàm præſidij viribus pertinaciſsimè conſeruata. Cæterùm Iacobus ab Tuedo Humeum virũ nobilem cum parte exercitus ad populandos hoſtium fines præmittit. Is repentina incurſione oppreſsis finitimis, obuios capit: reſiſtentes obtruncat: eorum pagos incendit: coactaque omnis generis hominum & pecoris præda, in pacatum regredi parat. Sed Angli quos ſubitus aduentantium hoſtium rumor, mox villarum incendia, & maioris etiam cladis metus, ad arma exciuerant, vindictæ ira perciti, ac dolore ſimul amiſſarum rerum, ad occupandas viarum anguſtias, qua Humeum rediturum exiſtimabãt, contendunt: adortique è ſuperiore loco graue ſub ſarcinis hoſtium agmen, clamore, multitudine telorum, ac mox tumultuario omnium procurſu, vniuerſos fundunt, ac magna cæde edita Humeum fugientem perſequuti, Scotorum fines irrumpunt: abactisque armentis, & concrematis pluribus vicis, in Angliã reuertuntur. At Iacobus nihil eius primi certaminis omine, quod mox infelicẽ rerum exitum portendit, permotus, vt detrimẽtum acceptum maiore commodo atque victoria reſarciret, omnes copias ad Norbanum oppidum ducit. Id corona cinctum vi capit, ac ſolo æquat. Inde populabundus & ferox ad oppugnandum Beruicum munitiſsimum oppidum, quod in finibus Scotiæ Henrici præſidijs tenebatur, proficiſcitur. Interea Surreius Britanniæ procerum longè nobiliſsimus, quem paulò antè Henricus ob egregiam fidem atque virtutem ad incerta belli, & ad tuendos regni fines cum imperio & iuſto exercitu in Britannia reliquerat, coactis copijs ad Iacobum cuncta belli clade vaſtantem contendit. Aderant cum eo Dacreus finium præfectus, vir omni bellica laude inſignis: Odardus Stanleius & Spurius Heron cum valida turma equitum, quam ipſe nuper exul ab Scotia atque Anglia in ſyluis per latrocinia & cædes exercuerat, atque alij cum auxilijs, quæ paſsim à regina per vrbes ſcribebantur.

Etenim ad noui belli famam, non tantùm proximi Scotis, vti periculo expoſiti, ſed remotæ etiam gentes, maiore odio quàm metu, quum omnes iniquo animo violati fœderis iniuriam ferrent, voluntariam militiam ſecutę, ad Surreiũ feſtinabant. Poſuerat tunc caſtra Iacobus in vertice montis, quem Floddon incolę appellant, loco, arte atque natura munitiſsimo: nanque ab lęua continens palus quam limoſæ voragines atque internata paſsim arundineta plurimum impediebant, ſubiectam planiciem occupauerat: ab dextra Tylus fluuius profunditate aluei & aquarũ rapiditate difficilior, quàm vt vado tranſiri poſſet, ad imas montis radices labebatur. Terga quoq; pręciſę rupes et denſiſsima nemora protegebant. A fronte verò vbi mollem aſcenſum atq; vnum omnino aditũ natura reliquerat, Iacobus perducta foſſa & collocatis in interiore labro omnibus tormentis, adeò egregiè ſe muniuerat, vt circumuallari ab inferiore loco, aut oppugnari ſine pernitioſa hoſtium dimicatione non poſſet. Eò Surreius cum perueniſſet, admiratus locorum iniquitatẽ, quòd nequaq̃ temerè ſibi oppugnãda caſtra cenſebat, ad Iacobũ cum mandatis Araldum regiũ mittit: quorum hęc ſumma erat: Videri ſibi Iacobum impiè crudeliterq; feciſſe, quòd ſolenne pacis iuſiurandũ violarit: ſanctiſsimę cognationis iura polluerit: abſenti Henrico bellũ intulerit: & ſuccenſis caſtellis finibusq; vaſtatis, Anglos nihil tale verentes eodem impetu trucidarit. Propterea ſe veniſſe cum exercitu vltum iniurias: deligeret ipſe ęquũ locum, et certam diem vniuerſo certamini: ſe enim nulla interpoſita dubitatione, quũ primùm pugnę poteſtatẽ faceret, de ſumma rei dimicaturũ. Ad hęc Iacobus, vt erat elati animi ſpectatęq; promptitudinis, Araldo comiter appellato, gratias Surreio agit: additque publicè laudes, quòd pugnam vltro depoſceret, quã omnibus cum artibus vitaturũ diu anxio moleſtoq; animo timuiſſet. Itaq; ſecundum eos ſpiritus pararet arma: et haſtatas Scotorum phalanges tertia die in patentib. campis expectaret. Ibi ſe de iniurijs ſeuerè cogniturũ, quas intempeſtiuè contumelioſeque memoraſſet: & nouas veteresq; controuerſias armis finiturũ. Conſtituta die Surreius in ſubiecta planicie tribus paſſuum milibus ab hoſte conſedit, atque aciem direxit. Sed Iacobus tametſi paratus erat prælio decertare, ſuis tamen caſtris atq; munitionibus ſe continuit. Quoniam ab expertiſsimo quoq; procerum, committendę pugnæ conſilium improbabatur: & ante alios Huntleius, quo nemo fortior in eo exercitu aut callidior habebatur, clariore voce, vt prętoriani quoq; milites audirent, in conſilio dixerat, Nihil ſtultius aut leuius eſſe, quàm authore hoſte manus conſerere, & ad eius arbitrium atq; libidinem ſummæ rei fortunam periclitari: Teneret ſe opportuno ipſo loco, & ferocem hoſtem cunctatione ludificaretur: magnam enim eſſe in hoſtilibus caſtris rei frumentarię penuriam: neq; commeatum ab interiore Anglia in ſummis itinerum difficultatibus ob perpetuos imbres poſſe facilè comportari. Sedendo, ac nihil temerè agendo breui regem fecundiſsimis pugnaturum auſpicijs: & hoſtes iniquitate loci et commeatus inopia ſuperatos, ex tuto cædendos militibus ſuis præbiturum. Multa quoque prodigij loco habita, quanquam vana, & fortuita putabantur, eius animo religionem & nouum terrorem incuſſerant. Eo enim cum ducibus de pręlij ratione diſputante, lepus è prętorio proſilierat; ac mille petitus telis per mediam ſtationem intactus euaſerat. Quin & mures ea nocte lorum galeæ fibulamque corroſerant: & vela interioris tabernaculi ſub Auroram ſanguineo rore fuiſſe conſperſa dicebantur. His de cauſis nequaquam prodeunte in aciem

Rege,

Rege, Surreius qui paluſtribus & fœdiſsimis in locis ob rerum omnium difficultatem diutius conſiſtere nõ poterat, nec iudicabat hoſtem, niſi ſumma compulſum neceſsitate dimicaturum, caſtra mouit: & relictis ad læuam hoſtibus, traiectoque Tylo flumine in æquiorem locum ad initia Barmoreę ſylue ſe contulit, eo conſilio, vt milites quos maximis etiam itineribus confectis feſſos, toto eo triduo tenuiſsimé aluerat, fertiliore & tutiore in loco recrearet, nouas interim expectaret copias & ad motus hoſtium, qui multitudine ſua proximos mõtes compleuerant, nouam & ipſe gerendi belli rationem ſequeretur. Intererat tantum flumen Tylus inter bina caſtra regis atque Surreij, nec vtrinque ab tormentis atque miſsilibus temperabatur. Sed magno vſui Surreio erat collis ab citeriore ripa in altitudinem mille paſſuum molliter aſſurgens, qui caſtrorum frontem ab omni tormentorum iniuria protegebat. Ex eo colle Thomas Hauardus Surreij filius, eximiæ virtutis iuuenis, circumiectos colles, quos hoſtis occupauerat, ſubiectamque planiciem oculis contemplatus, patri renunciat, Iacobum ab Scotia excludi: aut ex munitiſsimo loco detractum, elici ad pugnã facile poſſe, ſi rurſus copias ſuperiore in loco Tylum traducat, & non magno circuitu capto, introrſus quantum montis anguſtiæ patiantur, à tergo ſeſe oſtẽdat. Surreius qui vni huic rei, vt congrederetur animum intenderat, ſummiſsis locorum atque militiæ peritiſsimis, qui maiore cura ſitum regionis inſpicerent, quum eadem illi afferrent, Hauardique conſilium omnium opinionẽ confirmaretur, extemplo conclamari, & colligi vaſa iubet. Inde ad tria milia paſſuum promotis caſtris, bipartitò binisque pontibus vno tempore flumen tranſmittit. At Iacobus de Surreij conſilio coniectura iudicans, ne circa eadem iuga ſedendo contra dignitatem ſuam interclusus ab Scotia liberam frumentandi facultatem amitteret: ac ſimul, quod ad retinendam authoritatem pertinere cenſebat, ne ex detrectatione prælij obſeſſo ſimilis, aliquantum plus fiduciæ in loco atque munitionibus, quàm in militum virtute ponere videretur, caſtra protinus mouet, & ad occupandum proximum montem, quem ne hoſtis prior obtineret magnopere timebat, rectà contendit. Factum eſt ſumma eius celeritate & calonum induſtria, qui in diſceſſu (vt imperatum fuerat) tuguriolis militum ſtramentisque & reliquo omni pabulo incenſis eam regionem continenti fumo atque atra caligine compleuerant, vt Iacobus propoſitum locum prius attigerit, quàm Surreius, qui ab hoſte vix mille paſſus aberat, aut diſceſſum eius ſenſerit, aut longa incedentium agmina fuerit conſpicatus. Ita Iacobo ſumma collium tenente, Surreius ad radices cum omnibus copijs ſucceſsit, paululumque ibi commoratus, quòd mons neque arduus neque difficilis videbatur, antequam hoſtes caſtra munirent, conſcendere atque omnino prælio decertare conſtituit. Mox aduocata militum concione demonſtrat quem in locum deuenerint: hinc præaltas fluminis ripas, illinc abruptos & perpetuos montes, niſi quàm acerrimè pugnent, & fortiter vincant, omnem ſalutis ſpem & fugæ rationem adimere. Auderent contra perfidos hoſtes, qui violato fœdere per occaſionem abſentis Regis, de Imperio totius Britanniæ cogitandum ſibi exiſtimauerint: neque eorum multitudine magnopere animo perturbarentur: ſatis eſſe perſpectum frequentibus patrum victorijs, quantum in Scoto roboris eſſet atque conſtantiæ: nec defuturos in acie Deos ipſos, ſicuti antea aduerſus violatores fidei, & humani iuris atque religionis contemptores nunquam ex merito defuiſſent, modo ſuæ pri-

ſtinæ virtutis milites memoriam retinerent: conſenſu enim omnium mortalium, iuſtiſsimam eſſe belli cauſam, propulſare iniurias, & tueri armis focos, liberos, coniuges: & quod his multo præclarius videretur, libertatis pontificiæ dignitatem, quam Henricus magno animo & ſanctiore conſilio defendendam ſuſceperit: ob id mare traiecerit: atque ita Dijs bene iuuantibus, impios ſacroſanctæ maieſtatis oppugnatores prælio pulſos, captis eorum ducibus, & munitiſsima vrbe recepta, in interiora Galliæ compulerit. Quin igitur Dijs hiſdem auſpicibus eadem pollutæ religionis contagione fœdatos aggrederentur: & ſi gentis decus, ſi regis exiſtimationem, priuatam denique gloriam atque ſalutem chariſsima haberent, ſe ducem ſequerentur, paratum ſcilicet, aut egregiè vincere, aut pulcherrimam mortem oppetere. Conclamauere ſtatim milites, pugnæ ſignum daret, neque dubitaret committere prælium iniquo etiam in loco: ſe enim in aduerſa montis iuga infeſtis armis peruaſuros confirmant, neque niſi victores in caſtra redituros. Igitur Surreius in ea ſpe & militum alacritate, ex omnibus copijs tres acies facit: Hauardo primam attribuit, in qua etiam Edemundum alterum filium curare iubet, ipſe medium agmen tuetur: Odoardum Stanleium tertiæ præficit: Dacreum cum equitatu in ſubſidijs collocat: tormenta certis interuallis inter ordines & in fronte diſponit, & ad hoſtes iuſto paſſu progreditur. Interea Iacobus, vt erat ex eo monte deſpectus in ſubiectos campos, quum procul armorum fulgor, diſtinctaque hoſtium agmina viſerentur: ratus ſibi ea die victoriæ occaſionem dari, ſi natura loci atque amplitudine copiarum ſuperior, quamprimum cum hoſte confligeret, vrgente fato prælij ſignum propoſuit, conuerſusque ad regni proceres, qui proximi adſtiterant, talem habuit orationem: Poſtquam, fortiſsimi commilitones, meliori conditione quàm vnquam antea maiores noſtri cum hoc hoſte pugnauerint, nobis hodie dimicandum eſt, memineritis hanc eſſe illam diem ſupremæ occaſionis ad vindicandas iniurias, quam nec venturam ſperaſtis vnquam, & fruſtra hactenus exoptaſtis, quum a ſuperbiſsimis hoſtibus omnes indignitates & contumelias pateremini. Verùm qui hæc diu per inanem iram gemendo, inuocandoque ſæpius vltores Deos domi pertulimus, & tandem in hac pulcherrima rerum occaſione tam iuſta quàm neceſſaria arma cepimus, viliſsima profectò capita eſſemus, & leuiſsimi omnium mortalium, ſi, quum facto & vera virtute opus eſt, & conferre pedem, & per mortes & vulnera victoriam appetere oportet, tunc hoſtium faciem timeamus, & belli pericula trepido animo metiamur. Ego quidem in bona pace his Imperij finibus contentus, tranquillitati atque otio ſtudere potui, & carere periculis atque laboribus, quos quotidie bellum affert, ſi nulla dedecoris cura habita, priuatam felicitatem & gentis dignitate & ſalute veſtra potiorem exiſtimaſſem: ſed frequentiſsimo veſtro conſenſu in maxima vlciſcendæ iniuriæ atque omnium rerum opportunitate, quum gerendum apertè bellum omnes cenſeretis, quòd ea quæ nos & progenitores noſtri ab infenſiſsimis hoſtibus ſuſtinuiſſent, fœda, aſpera, intolerandaque erant, bellum magno animo indixi: & quod peramplam mihi victoriæ ſpem facit, vos maiore ſtudio, maximo ardore, & incredibili alacritate ſigna ſecuti eſtis, vt quandoque inſigni facinore, atq; vltimo veluti virtutis opere edito, egregiam animi fortitudinem teſtaremur, atque imtales controuerſias memorabili victoria finiremus. An fortè de ſecundo prælij ſucceſſu dubitandum? quum hoſtiũ exercitus nulla in re cum noſtro ſit comparandus,

parandus, qui totus ex fugaciſsimo genere militum conſtat: tyrones enim ſunt ex tumultuarijs delectibus in ſpeciem militum armis inſtructi, dum veterani omnes, aut iuuentæ robore & ſpecie bello idonei ab Henrico in Galliam traducerentur. Hos ergo numero paucos, laſsitudine fameque confectos quum appropinquauerint, ex ſuperiore loco telorum multitudine nõ obruetis? Succedunt colli inſtructa acie, non quia audent, ſed quia neceſſe eſt, vt honeſtius atque celerius inſoliti laboris ac inediæ dolorem morte effugiant ferarum more, quas furor in rabiem agit, quum impatientia animum, & fames ventrem exagitauerint. Mecum ergo ferrum ſtringite, & iugulum horum tyronum impetite, pudeatque eò non progredi mortis metu, quò me ducem veſtrum pro gloria vadentem videritis. Alloquentis adhuc regis orationem, armorum ſtrepitu ac diſſonis clamoribus milites excepere. Nec mora Iacobus primum ſuo, deinde omnium è conſpectu remotis equis, vt æquato omnium periculo, & ſpe fugæ ſublata (ſicuti gentis mos eſt) ſimul & corporis robur atque animi virtutem oſtenderet, omnes copias in quinque quadratas acies diſpertit, ea ratione, vt tertium agmen, in quo ſignum regium erat, atq; omnes viri inſignes militabant, duplici vtrinq; aciem tanquam duobus cornibus clauderetur. In dextro Huntleius, Crafordius & Montiroſeus: in ſiniſtro Humeus, Lenuoxius & Argilius, qui ſingularem militiæ vſum habere dicebantur, curabant. Præficitque ſingulis cohortibus ſingulos ex ordine equeſtri: & cum his aliquot centuriones Gallos, quos paulo antè in Scotiam Ludouicus ad tradendam diſciplinam tranſmiſerat: collocatiſque idoneo in loco omnibus tormentis, quæ magno vſui per decliuia montis eſſe non poterant, ipſe in medio agmine contra Surreium cõſtitit. Iam erexerat in aduerſum collem primas cohortes Edemundus, quum tormentis vtrinq; emiſsis, turbatiſque primis ordinibus, Humeus, haſtatos induxit, qui adeò acri impetu ſubeuntibus incubuerunt, vt cæſis anteſignanorum promptiſsimis, & ſtrato Edemundo, totam propè aciem in fugã conuerterint. Iamq; nulla ſpes reliqua erat conſiſtendi, perterritis ſemel pulſiſque cohortibus, niſi in tanto diſcrimine, hinc Spurius Heron, vir admirandis corporis atq; animi viribus inſignis, ſuo alienoque cruore perfuſus Edemundum ſubleuaſſet, et ab alia parte Dacreus ad ſubita pugnæ intentus, tranſuerſo curſu in latus hoſtium procellam equitum immiſiſſet. Mox ſuccedente etiam Hauardo cum lectiſsimis militum, haud dubiè reſtituta acies, redditúſque iam victis animi vigor. Ita æquata prælij fortuna, aliæ atq; aliæ Anglorum cohortes afflictæ cum integris ipſo impetu commiſtæ, æmulatione virtutis rectam agminis frontem erigere in montes cœperunt. Ibi quum ad robora Scotorum peruentum eſt, & vtrinque maioribus propè odijs quàm viribus certaretur, Montiroſeus atq; Crafordius ad cohortandos milites in primam aciem prouecti, pugnantes cadunt, perrumpiturque haſtatorum phalanx: ac diſsipata per iniqua montis ab equite pediteque conciditur. In ſiniſtro autem cornu eodem tempore Stanleius iam contracto certamine Scotos æquioribus locis detraxerat, & ſuperfuſa ſagittarum multitudine eò adegerat, vt non conferti, ſed laxatis ordinibus, rari ac vitabundi pugnarent, eorumque ſigna fluctuare inciperent. Quod vbi animaduertit, circumductis cõtinuo tribus ſubſidiarijs cohortibus in aperta hoſtium latera, tantum terrorẽ intulit, vt ſuſtinere irruentium impetum, aut conſiſtere nequierint: ſed protinus coniecti in fugam, & per deiectus mõtis præcipitati, in ſyluas ſe condiderint. Ibi Argilius atq; Len-

uoxius voce manibusque inclinatam aciem retentantes interficiuntur. Interim Iacobus qui paulo antè cum Surreio pugnam inierat, vt ab cornibus turbari ſuorum ordines, atque hoſtes ab lateribus circumfundi videt, cohortem prætoriam euocans, & proceres quos circa ſe habebat adhortatus, vt nihil ſe, nihil maioribus ſuis indignum committerent, in medios hoſtes inducit: Ita nouum priori acrius de integro prælium ortum, quòd tota ea acies tecta ferro, Anglorum ſagittas egregiè ſuſtinuerat, obtruncatisq; primorum ordinum aliquot centurionibus, ad ſigna propè peruaſerat. Erant vtrinque procera virorum corpora opinione virtutis ad ſupremos caſus ab vtroque duce delecta: præliumq; vt neceſſe erat, varium, anceps, modò his, & modò illis proſperum & exitiabile. Rex ipſe ante ſigna pedeſter pertinaciſsimè pugnam ciens, alios laude, pudore alios, omnes denique vario hortatu accendebat, vt quod tantopere deſideraſſent, adepti hoſtes ferro atque vulneribus vlciſcerentur. Contra Surreius, quum optimus quiſque, aut caderet, aut ſauciaretur, magna vi cõtendere, vulneratos in poſtremam aciem ſubducere, ſuos plurimum adhortari vt ad gladios rem adducerent: & qua maximè hoſtes vrgebant, multùm ipſe pugnare. Sed dum incerto adhuc pugnæ euentu ad vexilla res geritur, Hauardus & Stanleius qui ab vtroque cornu pulſis hoſtibus victores ad medium agmen redibant, conuerſi in hoſtem bipartitò ſigna intulerunt: & in tempore Dacreus quoque in terga quàm maximè confertis equis incurrit. Ita Scoti quũ ab fronte, ab latere, à tergo cæderentur, neque labore & vulneribus feſsi, per aceruos corporum atq; armorum perrumpere poſſent, circumuenti in orbem pugnare coguntur. Tum verò Iacobus quum regium vexillum, cadente Adamo, cui Forman erat cognomen, ſtratum vidiſſet, nihil iam dubitans quin è veſtigio moriendum eſſet, vt ab imminentibus contumelijs animum vindicaret, in conſertiſsimos hoſtes procurrit, ibique pugnans confoditur. Nec longè ab eo pari pertinacia atq; virtute contendentes interficiuntur viri ſacrati, & ſacerdotijs inſignes, archiepiſcopus vnus, epiſcopi duo, abbates quatuor: proceres verò, et equeſtri dignitate honoribusq; militiæ illuſtres triginta ſex. Humdius, & Huntleius equos per tumultũ nacti, cum poſtremis cohortibus, quę vt conſtabant ex ignauiſsimo genere militum, manus nõ conſeruerant beneficio imminentis noctis in Scotiam profugerunt. Ad octo milia Scotorum ea die cæſa: totidem fermè capta ſunt: omnia verò ſigna militaria relata: & tormenta maiora viginti duo: in queis fuere colubrinæ ſeptem ingentis magnitudinis, quas Iacobus à ſimilitudine, ſeptem ſorores appellabat. Caſtra verò eodem impetu expugnata, direptaq;: cadauer regis poſtero die à Dacreo repertum, & Beruicum delatum, vbi diu ſepultura caruit: nam ab Anglis, quòd Gallis ſchiſmaticisque fauiſſet, ſancto funeris ſepulchrique honore, & Chriſtianis cæremonijs indignus putabatur. Adnotabant plerique repetita ſuperiorum regum memoria, Iacobum infelici potius Stuardæ familiæ fato, quàm ſuo cecidiſſe, quòd pater, auus & proauus eodem potiti regno, atque idem ſortiti nomen, ante diem ferro perempti mortem oppetijſſent. Sed hunc tanquam ad meritam raptum pœnam nemo defleuit, quòd ipſo pugnante, pater in aduerſa acie ad parricidij notam fuerit interfectus. Eo modo quum ad Tylum quarto Idus Septembris, anno à Chriſti natali milleſimo quingenteſimo tertiodecimo ad internitionem Scotię nobilitatis pugnatum eſſet, Surreius ſpeculatoria naui, quanta maximè potuit celeritate, literas rei feliciter geſtæ, & occiſi regis paludamen-

damen-

damentum multo cruore conſperſum Henrico tranſmiſit. Diuerterat Henricus per eos dies Lillam: vbi capta Taroanna Margaritam Cæſaris filiam conuenit. Ea etenim illuſtribus fœminis comitata ſtudio viſendi regis, & vt patrem exciperet, è Gandauo illuc vſque gratulabunda proceſſerat. Itaque pręletitia perpetui dies edendis ſpectaculis atque conuiuijs abſumpti: decurrereque nobiliſsimi Belgarum cum Britannis, omnibus vtrinque cultu virtuteque certantibus. Sed Henricus cognitis rebus, quę in Britannia geſtæ fuerant, in ea rerum fortuna non cunctandum ratus, ad Tornacum exercitum mouit. Ea eſt ciuitas Neruiorum longè ampliſsima, & mercatorum concurſu atque opibus celeberrima: quam non multis antè annis ſuo iure viuentem, Gallorum reges in fidem ditionemq; receperant. Nec Tornacenſes in eo bellorum metu, quanquam haud dubiè libertatem amiſiſſent, ſtudendum ſibi nouis rebus, aut quicquam aduerſus Gallos moliendum arbitrabantur: quoniam ab his in vtraque temporum fortuna belli & pacis, clementiſsimè ſibi imperitatum exiſtimabāt. Igitur vbi Henricus magnitudine caſtrorum vrbem circumplexus tormenta admouit, cenſu eorum habito qui propugnare poſſent, ſupra triginta milia hominum conſcribunt: magnam vim telorum in murum comportant: reficiendis mœnibus atque extruendo intus aggeri plurimum ſtudent: & ſumma alacritate (vt ſunt ad quæque rerum initia ardentiſsimi plebis animi) primos oppugnationis impetus egregiè ſuſtentant. Sed quum maioribus tormentis propugnacula deijcerentur, nec poteſtas eſſet conſiſtendi in muro, & vno atq; altero in loco inſtitutę interius munitiones continentibus mœnium ruinis nudarentur, cœpere tunc primùm præſentibus periculis territi propriæ quiſque ſaluti cōſulere, loca deſerere, ab ſignis domum dilabi, ac demum cogitare quod in diſcrimen ſe, liberos, coniuges, atque omnes vrbis fortunas conijcerent, ſi diutius ſine militum præſidio tueri mœnia aduerſus tantum exercitum conarentur. Ita Neruij quondam Belgarum fortiſsimi, nihil memorabile, aut dignū priſca belli gloria in oppugnatione perpeſſi, quum fruſtra Gallorum auxilia expectarentur, emiſsis oratoribus, qui ſe imperata facturos dicerent, mulctati pecunia deditionem fecerunt. At Heluetij paucis antè diebus quàm hæc in Britannia fierent, Heduorum fines hoſtiliter ingreſsi, ab ea quoque parte Gallis magnum terrorem fecerunt. Nanque Tramulium, qui opportunis in locis oſtentata acie venientibus ſeſe obiecerat, ac ſe demum tantę multitudini imparem ratus, paſsim cedendo ac detrectando certamen retro abierat, in vrbem Diuionum compulerant: & prolato oppugnandæ vrbis apparatu, circumſeſsisq; itineribus ad teli iactum ab muro caſtra poſuerant. Erat apud Heluetios Germanorum equitum præfectus Vldericus Virtembergenſis regulus: per quem Heluetij rem frumentariam prouiſam habebant: explorabant itinera, loca caſtris antececeperant: & quæ pedeſtribus copijs vſui forent, ſumma facilitate conſequebantur. Is quanto maximè poterat ſtudio cœptæ oppugnationis negotiū adminiſtrabat: totoq; animo ad celeritatē incitatus, in qua ſpem ipſe poſuerat, nihil apud ſuos, nihil apud hoſtes remiſſum patiebatur. Quod neq; perterritis hoſtibus, aut confirmandi ſeſe, aut muniendę vrbis ſpatium dari, neq; mora interpoſita diffiſus Heluetiorum ingenijs, multitudinis frangi impetum, quæ haud facilè vno conſilio agitur, volebat. Ita, quum latè murorum ſtrage edita, interiora vrbis paterent, & per ruinas quæ foſſam magna ex parte compleuerant, ad irrumpendum aditus cōtinuè pararetur, ipſe circumeundo opera atq;

manipulos, adhortari gregarios milites, ac docere quantum ad ſummam victorię pertineret, potiri omnium rerum plena atq; opportuna vrbe, in qua ſi paululum adniterentur, & dux belli atque ornatiſsima ala equitum cum ipſis ciuiũ fortunis, in præmium laboris atque victoriæ ceſſura eſſent. Aduerſum ea Tramulius, tametſi vſus egregia ciuium voluntate, & perpetuo labore militum ſubitarias munitiones erexerat, tormenta & omne genus telorum in murum cõtulerat, cataphractos pedibus pugnare iuſſos in prima acie ſtatuerat, ciues ad omnes quoq; caſus confirmatis eorum animis armauerat: nihilominus quòd dudum rem in Morinis infeliciter geſtam eſſe compluribus nuncijs afferebatur, nullam ſibi iam prælij fortunam expectandam ratus, tentare Heluetiorum animos antequam per ſe gens effera cæde atque vulneribus irritaretur: & denique omnibus conditionibus pacem petere conſtituit. Igitur idoneos nactus homines, qui vnà cum Heluetijs in Italia fuerant, & ex longa militandi conſuetudine & mores gentis, & ducum ſtudia, & veteranorum etiam voluntatẽ apprimè nouerant, impetrato colloquio emittit. Ii familiares centurionum & eorum præſertim pagorum ſigniferos, quos haud obſcurè Gallicis rebus fauere compertum habebant, adeunt: in primis veterem & recentem Gallorum amicitiam cum Heluetijs, & antiqua odia Germanorum proponũt, & quamdemiſsè deprecantur, ne finitimum regem in ea rerum fortuna opportunum iniuriæ exiſtiment, ne eum ſocium amicumque tam ingratè oppugnare contendant, qui Heluetios in honore ſemper habuerit, & maximis ſtipendijs, & & priuatis quoque muneribus liberaliſsimè pace belloque affecerit, & in eam demum rerum amplitudinem & virtutis exiſtimationem ſuis auſpicijs perduxerit. Tribuerent aliquid antiquis fœderibus, neque pro leuibus atque alienis belli cauſis, ſumma beneficia animo deponerent. Quòd ſi bellum quàm æquiſſimam pacem malint, & Galliæ vires tantoperè deſpiciant, vt belli caſus communes eſſe non exiſtiment, recordarẽtur quibus iniurijs, quot cladibus illatis, Cæſarem & Germanos antiquos hoſtes affecerint, quò potentiæ eos euecturi ſint, ſi cum parta victoria, Burgundiam antiquis imperij finibus adijciãt. Num Cæſarem verum & proprium hoſtem putent ſtaturum nouis fœderibus? ac nihil mox auſurum aduerſus eam gentem, cuius ſanguine Caroli ſoceri manibus parentare, & vlciſci lethale vulnus ad Baſileam acceptum quandoque deſideret? Hæc illi publicè, & ad vulgus militum. Cæterùm priuatim largitionibus aggreſsi pagorum primores, ingentia pollicendo, atq; omnes ad pacem pertentãdo aditus, breui plurium animos expugnarunt, quòd neque arduum aut difficile fuit, propter factiones, quæ apud Heluetios erant. Nanque ſicuti cæterarum quoque gentium mentes communis vnus morbus agitare conſueuit, quo ſe contraria in ſtudia ſcindant, & ſi externa deſint mala, inſanis diſſenſionibus domi ſæuiant: ita Heluetios eadem mali tabes inuaſerat. nanque aſperi montaniq; homines quondam facta coniuratione, quum omnem ſuam nobilitatem vno prçlio crudeliſsimè deleuiſſent, pugnaſſentque multis annis pro ſola libertate ſumma eorum concordia viribus in vnum coaleſcentibus, & partium nomen, et diuerſa ſtudia dedidicerant. Sed poſteaquam ſecundis bellorũ euentibus, apud exteras nationes magni clariq; fuere creſcente ſuperbia ſimul & auaritia, vrbes atque oppida finitimorum occupare certantibus inter ſe bello regibus, mercenaria auxilia ſubmittere, contemnere ſingulos principes, & denique illam veterem egregiamq; maiorum virtutem et diſciplinam fidemq;

venalia

venalia habere cœperunt. Ita vni ſoli pecuniæ, publicè priuatéque ſeruientes, quum multi liberalis opimæque militiæ apud Gallos actæ, memores inexplebili auiditate, totius propè Italiæ pecunijs ſatisfieri ſibi minimè poſſe exiſtimarent, ſeceſsione facta ab his, qui ſecundum veterem conſtantiã, publico cõſilio agebantur, ad fouendas Gallorum partes operam ſuam tranſtulerunt. Primi omnium Bernenſes, amplitudine ciuitatis & militum numero magnæ inter cæteros authoritatis: Lucernenſes demum & Friburgenſes, ac multi præterea ex alijs pagis iam vulgata inter milites pacis mentione, atque ex ea cauſa intermiſſo ardore oppugnationis, rem ad conſilium deferunt: in quo principes exercitus, tribuni, & primorum ordinum centuriones, pręterea ſcribæ & ſigniferi ſentẽtias dicere, & de ſummis rebus deliberare conſueuerunt. Nec Vldericum adhibent, quòd virum fortem in ea rerum occaſione belli auidum, & Cęſaris ſequutum partes, paci aduerſaturum intelligebant. Quare vt ex corruptiſſimo genere hominum conſilium conſtabat, ita cuncti propè ad Gallum inclinant animos, ac petentibus pacem dandam, & reducendas legiones eſſe cenſent. Verùm quo honeſtius commutaſſe belli conſilia viderentur, & Cęſarem, ad quem tota facti contumelia recidebat, aliqua ex parte lenirent, in has conditiones pacem tam Gallo ſalubrem, quàm poſtea ſibi calamitoſam dixerunt.

Ludouicus Gallorum rex concilium Piſanum, quod in Galliam translatum ſit, atque omnem ſacerdotum controuerſiam edictis tollat. In poſterum ab Romano pontifice non diſcedat, neque eius vrbes oppidáue attrectet. Eam Burgundiæ partem, quam iureconſulti ſtatuerint, Carolo Cęſaris nepoti reſtituat: ex arcibus Mediolani & Cremonæ præſidia deducat: Gallia omni Ciſalpina in poſterum abſtineat: milites Heluetios niſi vniuerſi oppidorũ Magiſtratus aſſentiant, mercede non conducat: Heluetijs pro impenſa ſuſceptæ expeditionis quater cẽtena milia aureorum nummûm exoluat, intra quindecim dies dimidium eius ſummæ, reliquum intra menſes duos: Item Vlderico & decurionibus equitum octo milia pro mercede impendat. Erant ſuperbæ & periniquæ conditiones, Gallorumq; animos ex indignitate rerum eò furoris adegerant, vt conſcriptas tabellas propè diſcerperent, quòd Alpini homines inter ſyluas, armenta, & abruptos montes nati, atque omnium propè humanarum rerum egeni tantos ſibi ſpiritus, ac tantam denique arrogantiam ſumerent, vt circumſcribere præpotentem regem, eique per ludibrium acerbiſsimas leges imponere auderent. Sed Tramulius nihil ea pudoris vanitate permotus, quod reſpicere ad ſummam belli, atque omni induſtria præſentibus malis occurrere ſani & prudentis imperatoris arbitrabatur, concedendum aliquid neceſsitati atque periculo, quod haud dubiè omnium ſalutem trahebat, iudicauit. Porrò Heluetij, quum iniuſſu regis nec pacẽ vllam fœdúſue rectè fieri poſſe, nec ſponſori Tramulio credere tutum eſſe exiſtimarent, propter neceſſariam temporis dilationem, quo ſpatio Ludouicus conſuleretur, obſides poſtularunt, qui capite luerent, ſi citra ſtatutum tempus pacto non ſtaretur, aut rex acta Tramulij minimè rata & firma eſſe cenſeret. Itaque obſidibus acceptis, & ex formula iuriſiurandi tabulis conditionum obſignatis, caſtra mouent, & per Sequanorum fines ſine maleficio domum reuertuntur. Hæc vbi in Morinos literis & fama perlata ſunt, Cæſar, & Henricus haud ignari tantum ſibi ad conficiendum bellum facultatis & virium detractum iri, quantum hoſtibus ex ignominioſa pace terroris atque periculi deceſsiſſet, fractis tanta ſpe animis, ad aliam belli

gerendi rationem omnes cogitationes conuerterunt. Sed paulo poſt Cæſar mærens querensq; ſecum, quod in eo genere hominum ampliorem fiduciam poſuiſſet, qui ſuperioribus annis cæterorum etiam principum opinionem fefelliſſent, eadem celeritate qua venerat, in vlteriorem Germaniam abſceſsit. Henricus autem poſt aliquot dies oppidis propè omnibus Neruiorum in poteſtatem redactis, quum diu rerum Hiſpanicarum expectatione fruſtratus, deluſus ab Heluetijs, & ab cunctantibus Gallis iam exacta æſtate, bellum ſpargere, & ad ſingulas vrbes circumducere exercitus nollet, relictis præſidijs ad tuenda quæ cœperat, Caleſiam redijt, primo quoque tempore ad triumphum Scoticum in Britanniam traiecturus. Sed dum milites atque tormenta nauibus imponit, & tranquillitatem maris opperitur, Gallica claſsis quæ poſt Odoardum ad Blancaſabiam interfectum, nihil ea æſtate memorabile geſſerat, è ſuperioribus portubus deducta, ad freti anguſtias deflexit, eo conſilio, vt Britannicam claſſem tranſportandis militibus occupatam aggrederetur, onerariaſque ad Porteſmutum inſulam in ſtatione relictas incēderent. Verùm tanta ſubitò tempeſtas coorta eſt, vt magnis, ſi vnquam fluctibus mare illud intumuit, tunc maximè vadoſi freti æſtu, & valida refluxus mole inſanierit. Ita Gallicæ naues puncto temporis diſsipatę, quum aliquas hauſiſſet Oceanus, aliquas litorum ſcopulis alliſiſſet, ante portum Humfluorum naufragium fecerunt: aliquæ fuſis armamentis quæ curſum tenere non poterant, capiendas ſeſe parato hoſti præbuerunt. Erant nonnulli mortales qui hæc in religionem verterent, & diuinam eſſe iram interpretarentur, quod ſchiſmate ſacerdotumq; diſsidio pollutam eſſe Galliam exiſtimarent: quanquam ea die quæ fuit Idibus Octobris, acciderit, vt Luna plena eſſet, qui dies teſtimonio C. Cæſaris maritimos ęſtus maximos in Oceano facere conſueuit. At Ludouicus poſt pudendam pacem, diſsimulata palam ea inſigni contumelia, quum deceſsiſſe finibus Heluetios, Ferdinandumque regem nihil Henrici generi ſucceſsibus permotum, pręclare induciarum fidem tueri, contentumque Cantabria ſuis ſe tenere Pyrenęi ſaltibus, etiam ſeneſcere Britannicum bellum, inſtareque hyemem aduerteret, nudato animo conditiones improbare atque reijcere cœpit, tanquam ſummæ iniquitatis & inſolentiæ plenas: ideoque teſtari, ſe tam ſuperbæ paci nequaquam ſtaturum, quam Tramulius ex arbitrio cum Heluetijs ſpopondiſſet. Conſiliarij quoq; & magna pars togatorum, poſtquam ex indignitate pactionis regem furere, criminarique vltro Tramulium viderunt, ex adulatione & metu potius, quam quod id ex æquo & iure eſſe dicerent, vt pacem irritam facerent, pœnitentiæ & fraudi vanam iuris ſpeciem imponere contendebant, quod Tramulio iniuſſu regis non licuerit vlla turpi ſponſione bellum finire, exemploque Caudinæ pacis quondam cum Samnitibus à Conſule Poſthumio factæ, nihil quod Gallos ex pacto, vel religione obligaret, iniuſſu regis ritè fieri ſanciriue potuiſſe. Num etiam eodem iure, ſi Tramulius ex metu, vel ſua temeritate ſpopondiſſet, Regem diadema poſiturum, vel Luteciam Pariſiorũ antiquiſsimam regiam deſerturum, traditurum arma & vniuerſam Galliam Heluetijs vectigalem facturum, ea omnia ex ęquo & bono ſponſionis pariter ſeruanda forent? Ex aduerſo quoque non deerant, qui hæc vti inania & puerilia deteſtantes, priuatis ſermonibus dicerent, Tramuliũ egregium fortemq; virum cuncta ordine ſapientiſsimeque feciſſe, quòd in ea rerum deſperatione tot hoſtibus coniuratis, hinc & inde prementibus, atque alijs haud ſincera fide

euentum

euentum belli ſpectantibus, ſaluti totius Galliæ maturè atque opportunè conſuluiſſet: cum eſſe inter Gallię proceres, qui multis rebus integrè & feliciter geſtis, carpentis vulgi inuidiam virtute ſuperet: non ea rectè improbari conſilia, quibus cautus Imperator atq; hoſtium expertus, magnis periculis occurrendū eſſe duxerit. Cęterum Heluetij quum ſe deceptos intelligerent, quòd Ludouicus pecuniā non dinumeraret, quā ipſi ante alia depoſcebant, manifeſteq́; appareret, nihil cum ex eo fœdere pręſtatum, coacto apud Lucernam concilio, iureiurando omnes affirmauerunt, ſe quàmprimū per occaſionem poſſent, vlturos deceptorem regem, atq; eadem quę fœdere promiſiſſet, armis repetituros. Habitæ inſuper quęſtiones de his qui enixè fouiſſe Gallorum partes ferebantur. Tortus inter alios Gaſpar Goldilus factionis princeps: de aliquibus etiam crudeliter ſuppliciū ſumptum: nam vulgus militum et ſordidiſsimi quiq; procul à militia, claros homines multis fortibus factis, qui ordines apud Gallos duxerant, crimini atq; inuidię expoſitos deferebant. In quos ab accenſis ira Magiſtratibus tanto ſeuerius animaduertebatur, quanto omnes eluare infamiam turpiſsimi facti, & fœderatis principibus ſatisfacere cupiebant. Eadem ęſtate iuſſu Leonis pontificis, Bernardinus Caruaial & Federicus Sanſeuerinas pſeudocardinales, quos per interregnum ad Liburni portum captos, & Florentiæ aſſeruatos memorauimus, Romam venerunt. Quibus mox à Leone ſupplicibus ac veniam petentibus, antiquus pilei honos reſtitutus, magna tamen patrū diſſenſione. Nanq; Matthęus Sedunenſis efficacis ingenij, & acerrimę vir eloquentię, Chriſtophorusq; Eboracenſis Gallorum hoſtes, grauiſsimis orationibus aduerſabantur, quòd ad eoſdem dignitatis gradus, fœdo, & in poſterum exitiabili exemplo reducerētur, qui miſerę in primis Italię, & ſacroſancto pontificię libertatis propugnatori, excitato vbiq; terrarum belli incendio, tot calamitates intuliſſent. Verùm pontifex cuius mite ingenium facilemq; naturam in ſpecimen cęterarum virtutū omnes illo tempore laudabāt, clementius agendum ſibi aduerſus eos, quos opera ſua captos conſtabat, exiſtimauit, vt pontificatus initia quiete rerum paceq; firmaret, & finē imponeret controuerſijs, quas translato Lugdunum concilio turbulenti ſacerdotes excitarant. Siquidem feſſos, & aduerſis ſucceſsibus fractos, oſtentata ſpe veniæ, ad ſanitatem redituros apparebat. Nec multo poſt Ludouicus haud ignarus tantam bellorum molē, qua ipſe obrutus quaſſatusq; vix ſteterit, ab diuina ira pendere, vt religioni ac pontificię maieſtati ſatis faceret, perturbatoq; & exhauſto regno conſuleret, adulterinum cōcilium abrogauit: iuſsitq; Claudium Maſsilienſem Epiſcopum et Solerium legatos ſuos Lateranenſi adhęrere: illudq;, prędamnato Piſano, vt ſanctum atq; legittimū approbare. Idem fecere Gulielmus Maclouienſis, et Renatus Baiocenſis: qui & ipſi antea à Iulio gradu pulſi, ad priſtinos honores redierunt. Eodem quoq; anno Iulianus Medices Leonis frater, ab Senatu populoq; Romano ciuitate donatus eſt. in cuius gratiam, in area Capitolij temporarium theatrum extructum eſt, omni picturarum varietate mirificè cultum. Egere in ſcena Plauti Penulum decore mirabili, & priſca quidem elegantia Romanę iuuentutis lepidiſsimi quique, variaq; extra ordinem poemata recitata, florentibus non aliàs fœcundiore ſeculo Poetarum ingenijs. Siquidem pontifex liberalibus diſciplinis inſtitutus, veluti paternam gloriam in eo virtutis genere ſuperaturus, quum publico elogio, Literatorum PRESIDIVM inſcriberetur, ſtudioſos omnis elegantiæ, qui inter armorum ſtrepitus nō emerſerant, iam tum magna ſpe liberalitatis accenderat.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

LIBER XII.

DVM hæc in Gallia atque Britannia gererentur, Cardonius & Proſper, qui vt ſuprà memorauimus, Gallo ab Heluetijs profligato, Liuianum è Tombis Patauium redeuntem ſubſecuti, in Venetiam duxerāt, Patauinum omnem agrum ac Vicentinum nullo prohibente populabantur. Enimuerò Liuianus & Balconus ex decreto Senatus partiri inter ſe copias, & Patauium atq; Taruiſium pręſidio tueri iuſsi, vt imminentem hyemem expectarēt, nullam hoſtibus pugnæ copiam faciebant. Emittebatur autem leuis armatura equeſtris, quæ ſubitis excurſionibus hoſtium pabulatores infeſtaret, cognoſcendisque eorum conſilijs, ad caſtra exercitatione quotidiana progrederetur. neque id ſæpius fruſtra factum: nam quum Caruaial è caſtris in proximum pagum diuertiſſet, à Mercurio, qui per momenta temporis veſtigia hoſtium obſeruabat, captus eſt. Eius equites, inter quos erat Spinoſa vir fortis cum duobus militum præfectis, diu fruſtra per anguſtias viarum colluctati, vt eruptione euaderent, in poteſtatem abſque vulnere deuenerunt. Transfugerat paulo antè Mercurius a Cæſare ad Venetos ex inconſtantia animi, an ob iram fortè aliquam, vel ſpem liberalioris militiæ, nobis incompertum. Cæterùm Cardonius oſtenſurus magis oppugnationem, quàm tale negotium ſumma vi tentaturus, productis caſtris duobus paſſuum milibus à Patauio conſedit: neque enim propius caſtrametari licuerat: quoniam Veneti per id tempus, quod vacuum à bello atque ab hoſte ocioſum fuerat, Patauium tanquam belli arcem, & Venetiarum propugnaculum mirabili ſtudio communiuerant. Suburbanas villas, hortorum ſepes atque macerias, exciſis quoque opacis arboribus, ne vel vmbram quidem qua tegeretur hoſtis haberet, ſolo æquauerant. Inde felicis agri vaſta planicies circumquaque pateſcens, nihil tutum ſi in conſpectum vrbis venirent, à tormentis, quæ pro turribus diſpoſita fuerant, relinquebat. Ob eas difficultates Cardonius & Proſper foſſam, per quam tutò copias atque, tormenta ad murum perducerent, facere inſtituunt, ea quidem ratione, vt egeſta humus in læuo margine aggerem faceret, atque altitudine ſua commeantes milites ab omni miſsilium iniuria tueretur: ita ex tuto mœnibus appropinquare, vineas agere, & nouis operibus obiectis muralia tormenta ſubuehere poſſe cōfidebant. Verum quum per aliquot dies contracto ex agris magno agricolarū numero, aliquam operis partem perfeciſſent, & ex vrbe expeditę cohortes atq; equitū turmę in opus molientes emiſſę, omnia turbarēt: inſtitutū aggeris quod minoribus etiam ducibus difficile videbatur, omiſſum eſt. Sed nec poſtea per otium dies acti: nam vtrinque equites & pedites leuia certamina committebant. Vnum fuit memorabile, Tres Hiſpani pedites elati animi, Italos ad certamen

tamen prouocarunt, nulla quidem priuata ſimultate: ſed vt ſi eſſent aliqui Romanæ indolis in Veneto exercitu, contrà progrederentur, & paribus armis pro gloria decertarent. Liuianus, quum ea vox a militibus alacriter excepta fuiſſet, multique certatim eas partes depoſcerent, totidem manipularios expertæ virtutis emiſit: qui breui vno è tribus Hiſpanis interfecto, cæteris ſauciatis & captis, victoriam cum plauſu & gratulatione militum retulerunt. Iam æſtas præcipitauerat: Cardoniusque & Proſper nequicquam oppugnatione tentata, ad Albaretum prope Atheſim caſtra reduxerant, quum Matthæus Gurcenſis cardinalis, qui tunc Veronæ præerat, vrgere literis ac nuncijs duces cœpit: incuſare eorum otium, & palàm conqueri, quòd exercitum tot auxilijs firmum, paratumque omnes labores pro Cæſare ſubire, in æſtiuis tam diu eſſe paterentur: nihilq; iam propè exacto autumno, quod ad commodum tuendamque exiſtimationem Cæſaris pertineret, effeciſſent. Ducerent quoquo modo in hoſtem, & cum excidio hoſtilis agri Fortunam periclitarentur. Milites quoque Germani atque Hiſpani, apud quos ſpes prædæ, cædes, vulnera, & virtutis decus omni ſecuritate atq; otio cariora ducebantur, turbidis vocibus, vti ad aliquod egregium facinus educerentur, flagitare: vix abſtinere à probris: & ducum famam lacerare. Quibus de cauſis excitatus Cardonius, commutãdam ſibi omnẽ belli rationem exiſtimauit, vocatisque in prætorium præfectis: Scio, inquit, viri fortes vſuque militiæ periti, perfidiæ mihi vel ignominiæ parari contumeliam, ſi nouum conſilium euentu aut aſperum aut felix minimè capiamus. Enimuerò patientiam meam vinci patiar: ſuccumbamque paucorum libidini, qui me dicunt ex compoſito bellum alere, & delectari magis Imperio & populationibus, quàm vera laude maturaque victoria. Duæ ſunt in conſpectu munitiſsimæ hoſtium vrbes, Patauium atque Taruiſium, quæ oppugnari capiue noſtris viribus haud facile poſſunt, quum id Cæſar ipſe, ac paulo pòſt Roſeus atque Palitia multitudine fortiſsimorum militum, ac mirifico oppugnandæ vrbis apparatu freti, difficillimis etiam Reipublicæ Venetæ temporibus, cum iactura tentauerint. Supereſt, poſtquam finiendum eſt bellum, vt noſtra virtute atque auſu, omnibus incommodis atq; omnibus belli calamitatibus hoſtes, qui congreſſum vanis artibus deuitant, exagitemus. Neque hoc erit factu difficile, ſi trãſmiſſo Medoaco, ea oppida quæ ad mare ſunt infeſtis armis adeamus, atque omnia ferro igneque populemur. Tunc enim hoſtes, qui per ignauiam incluſi mœnibus hybernorũ tempus opperiuntur, vlturi iniurias, aut in aciem deſcendent facultatemque victoriæ præbebunt, aut luctuoſum regionis excidium proſpectantes, nos omni præda onuſtos & intactos redire patientur. Duces qui in conſilio aderant, in vtranque partem diſputatione habita, variè ſentiebant. Alij enim quibus feruida ingenia, elatis exercitus viribus proſperos rerum ſucceſſus polliceri, conſilium Imperatoris qui dignos ſuo nomine ſpiritus gereret, laudare: alij contrà rerum vſu & militari prudentia inſignes, intempeſtiuam Cardonij audaciam non probare: non eſſe enim eò temere procurrendum, vnde vel difficilis receptus foret, vel clades, aut ignominia timerentur. Ipſe ante alios Proſper Columna, qui virtutis militaris inueteratæque prudentiæ fama, quanquam ad Cardonium ſumma imperij reſpiceret, cuncta propè in eo exercitu adminiſtrabat, cunctator natura, & cui belli caſus atque fortuna maximè diſplicebant, multis rationibus Cardonij conſilium improbare, immoderatam eorum fortitudinem, qui temeritatem atque Fortunam pro diſci-

plina ſequerentur, coarguere. Qui ſi, inquit, poſtquam hoſtes contemnitis, dum in ſinu eorum cuncta ferro flammaque populamini, tunc imbres è turbida nube ceciderint, vt anni tempus & regionis natura minantur? Num aliquã aut reditus aut ſalutis ſpem habebitis? Num putatis, dum inexplicabiles imbribus viæ, lubricus & limoſus ager inflatique amnes iter expeditum denegabunt, tunc Liuiani ingenium percitum & ferox quieturum? Non conuolaturam ad excidium noſtrum montanorum agreſtium multitudinem, quibus nihil infeſtius, nihil crudelius? Num ſi obſeſsis itineribus commeatum auertãt, & eminus & cominus laceſſant agmina, onuſti ſarcinis, enecti fame, nullo ſtabili veſtigio innixi aciem explicabitis? & ſpem in dextris atque virtute ponetis? Ego Cardoni ſicuti finem belli atque victoriam hoc exercitu incolumi nobis non ſerò obuenturam arbitror, ita propoſiti tui ſententiam graui proximam periculo minime laudarim: quòd ſi id duxeris è commodo Ferdinandi regis & Cæſaris, ipſe votis nuncupatis, vt ea res proſperè atque feliciter cedat, lubens volensque iter & arma primus arripiam. His verbis Proſper, quanquã iniecto diſcriminis metu aliquorum animos perculiſſet, videreturq; is ardor, vt ex vultu apparebat, aliqua ex parte refrixiſſe, nihilominus Cardonius in ſententia, vt proficiſcendum eſſet, perſeuerare, nihilque dictis Proſperi commoueri, vrgente maximè Piſcario, qui quum pedeſtribus copijs præeſſet, agendo pugnandoque laudem quærebat. Igitur poſtquam de profectione decretum fuit, pronunciari iubet, vt milites ſcorta, quæ in varios vſus Germani, Hiſpani vero ad libidinem trahere conſueuerunt, inutileſque miniſtros dimittant, ſarcinas & impedimenta relinquant: nihil præter arma parent. Hæc omnia, ſimul & inualidos vel parum idoneos milites Veronam remittit. Poſtero die luſtrato exercitu cognoſcit, hanc eſſe ſummam copiarum: Hiſpanorum tricenarias cohortes quindecim: Germanorum ſeptem, quarum ſingulæ quingentis ferè militibus conſtabant, veteranus vterque miles, & recenti virtutis gloria inſignis, vtpote qui nuper ad Rhauennam inter ſe fortiſsimè dimicarant. Hiſpanis Piſcarius, Germanis Iacobus Landaus præerant. Septingenti item equites cataphracti ex vetere militia Ferdinandi Regis. Centum quoque & quinquaginta Germani ſub Riciano, & Celembergo Cæſaris ducibus: atque item leuis armaturæ expedita manus, quam Succarus Heduus ductabat. Ex Pontificio verò exercitu (nam Leo fauere Cæſari ex Iulij põtificis fœdere tenebatur) Troilus Sabellus, Mutius Columna, & Vrſinus Mognanius: hic leuis armaturæ equitum alam vnam, illi autem cataphractorum duas àdduxerant. Sexcenti etiam Hiſpanici generis equites, in queis plerique ſagittarij ſub Petro Caſtrio cenſebantur. His copijs optimè inſtructis, Cardonius duodecim falcones æneos præſidij cauſa adiungit, & ab Albareto ad Bouolentam caſtra mouẽs (Id oppidum opulentum & frequens, primo incurſu occupat ac diripit) Inde ad Medoacum progreſſus incerto profundoque alueo decurrentem, cymbis ac lintribus, quas carris aduexerat inter ſe connexis, continuò ſuperat, atque in ſinum fertiliſsimæ regionis cuncta belli clade euaſtans defertur. Hinc Plebis Sacci celebre oppidum euertitur, capti incolæ, direptæ domus, abacta armenta, & iniectæ demum ædibus faces: mox quum furens barbarus in ipſas ſuburbani littoris delitias perueniſſet, infelices paſsim villas, & ſuperba prætoria, quæ regio ſumptu longa in pace ac florentibus Reipublicæ temporibus Veneti primates extruxerãt, maiore quàm vnquam ininuidia in Italia debacchatum

tum

tum fuerit, miſerabili incendio abſumpſit. Troilus quoque qui triennio ante à Venetis diſceſſerat, cum equitibus ſuis & cohorte vna progreſſus ad Liceſucinam vicum, vbi naues verſatili machina è Medoaco in Hadriaticum traducuntur, omnia metu complet, ac in prædam vertit. Deſeruerant ædificia accolæ: & cum armentis metu territi Medoacum tranſierant: religatiſque in vlteriore ripa omnibus nauigijs, ne illis potitus hoſtis ad tranſitum vteretur, ſagittis eminus ſeſe ac ripam tuebantur. Troilus contrà diſpoſitis ſclopettarijs eos territat, atque è ripa depellit: mox militem adnatare & retrahere ſcapham iubet. Qua è veſtigio retracta ſcandentibus plurimis, cęterę naues ab vlteriore ripa ſoluuntur ac traducuntur: confeſtimque earum beneficio flumen traijcitur. Agreſtes etſi multitudini ſuæ, & ſagittis quas ligneis arcubus emittunt, multum confidebant, quum militum impetum ſuſtinere non poſſent, in proximas paludes confugerunt. Hoc confecto negotio Troilus ex priuato quoq; odio hoſpitalibus diuerſorijs cæteriſque ædificijs incenſis, in caſtra reuertitur. Eodem quoque tempore Mutius cum ala equitũ & valida Germanorum manu, Meſtriũ frequentiſsimum oppidum contendit: fuſiſque in itinere paucis hoſtium equitibus, quum coniectos in fugam continuò ſequeretur, eodem curſu immixtus Venetis, portam irrumpit, viribuſque ſuperior, deſertum à Meſtrinis oppidum occupat: arcemque pari fortuna temerè munitam interfectis defenſorib. capit, ac ſtatim ſęuientibus Germanis in diſceſſu oppidum incenditur. At Cardonius & Proſper interea cum tota mole exercitus circumiectum agrum eximiæ fertilitatis effuſè populati, ad Margheriam maritimum vicum caſtrametantur: indeque breuiſsimo maris interiectu proſpectantes hoſtium ſedem, tormenta per aggerem in proximum littus deduci, & in contumeliam ſuperbę atque opulentiſsimæ ciuitatis diſplodi iubent. Ea res non aliâs maiore metu attonita ciuitate, non tam ſclopis boatuque horriſono plebis fœminarumque aures perculit, quàm conſcriptos patres: atque ipſos magiſtratus in aduerſis ſemper intrepidos, incredibili mœrore affecit. Fumabant procul graſſantibus incendijs villæ, vici, caſtella, oppida: neque aliud quam tantulum maris ſpatium ſimilem vrbis calamitatem morari videbatur. Erant qui è ſacris turribus, & ſpeculis, cognito tractûs ac littoris ſitu, propriarum villarum flammas agnoſcerent, et cadentes domos fruſtra lachrymis proſequerentur. In tanta calamitate, quum omnium animi ad vlciſcendum arderent, Liuianus propè inſaniens, per literas ac nuncios ſingulis horarum momentis ab Senatu petere, ne ſe diutius in otio clauſum teneri, ne tot ac tantas iniurias cum ignominia è mœnibus contemplari ac deflere abſque vllo vindictæ ſolatio paterentur: habere ſe iuſtũ exercitum duratum in armis, ardentem pugnæ ſtudio, vindictæ cupidine vehementer incitatum, quo demorari hoſtes impeditos prædæ onere, tranſitu fluminis prohibere, ac concidere facilè poſsit, ſi ſibi ius imperij pugnandique poteſtas libera relinquatur. Ergo ſummo omnium ſtudio ab Senatu Liuiano reſcribitur, exercitum ſub ſignis educat: cum Baleono iũctis viribus vna caſtra faciat: & ſi id è commodo reipublicę duxerit, quàm primum nactus & loci & temporis opportunitatem, cum hoſte confligat. Decreto Senatus accepto, Liuianus parat ſacra publico ac patenti in loco. Quibus peractis, apud milites cõcionatus, exploratam, inquit, certamque victoriam hodie non haberem de barbaris immaniſsimisq; latronibus, qui tot calamitatibus illatis, onuſti præda ſimili quoque temeritate effugere imminentem cladem, & pacato itinere redire

poſſe confidunt: niſi vos illi ijdem eſſetis, qui tot efferis nationibus ad excidiũ Veneti nominis conſpirãtibus, quod reliquum ſupereſt Italicæ virtutis decus per tot caſus atque pericula conſtantiſsimè conſeruaſtis. Enimuerò cum vos conſidero milites, atque hoſtium conditionem intueor, magna me ſpes victoriæ tenet: ab longa ſiquidem quiete recentium virium robore præſtantes, magno atque exercitato equitatu, tormentorum omniumque rerum apparatu ad copia, quæ deſiderari in negotio poſsint, inſtructi, cum his hoſtibus pugnaturi eſtis, qui præda graues, confecti propè inedia, numero pauci, & linguarum varietate diſsimiles, vix primum noſtrorum impetum ſuſtinebunt, quum maximè nobis obſtantibus, experiri altitudinem fluminis, in ripa conſiſtere, pugnareque oportebit. Neque hoſtium duces in dubijs & repentinis pugnæ caſibus vno conſenſu eadem conſilia capturos arbitremini, quibus diuerſa omnino ingenia & varios animi impetus diſsimili linguæ morumque commercio aliud atque aliud cælum indiderit. An dum hic pandi aciem, ille denſari, & ſiſti agmen, inferriue ſigno vno tempore mixto imperio videbunt, & tunc Germanus Hiſpanum, & vtrunque Italus audiet, vel iuuabit? Vicimus profectò milites, vicimus, niſi Dij, qui ſatis ſuperque hactenus huic reipub. irati infeſtique fuere, tãtorum ſcelerum vltores adeſſe noluerint. Hæc quum dixiſſet, acclamantibus præfectis, atque vniuerſa concione, vt ſignum profectionis daret, magna ſpe & lætitia omnium copias eduxit: & ad Medoacum vbi hoſtes tranſituros exiſtimabat contendit. Inde Baleonum à Teruiſio, & cæteros milites, qui in præſidijs erant, ad ſigna venire: Paulumque Manfronum ad contrahendam agreſtium multitudinem in ſaltuoſa & montana loca proficiſci iubet. Habebant tunc caſtra Hiſpani ad Campum ſancti Petri, quum nunciatum eſt, Liuianum cum vniuerſis copijs vltra Medoacum conſediſſe: ibique prælij & vindictæ auidum, quominus flumen tranſeatur armis prohibiturum eſſe. Ea res vaſtitati finem fecit: quoniam ſuſpenſis omnium animis audaciſsimi etiam quique militum, non quàm latè, aut crudeliter vexandi incolę, exurendúſue amœniſsimus ager forent, ſed quo modo prædam referre, & vitam tueri oporteret, cogitabant. Igitur Cardonius coacta præda vt antequam Liuianus vniuerſas vires contraheret, ipſe ſuperato flumine in pacata loca reuerteretur, ad Medoacum vbi in vlteriora ripa hoſtes conſtiterant, peruenit. Eo in loco aliter atque ipſe putauerat, quum difficilia aduerſaque omnia reperiſſet, paratos ſcilicet in armis hoſtes, ripam magno tormẽtorum numero communitam, ducem ferocem promptumque ad omne belli facinus obeundum, cœpit animo agitare quo detrimento militum, & quanto totius ſummæ rei periculo, ſi in ea parte vadum fluminis tentaretur, vniuerſus exercitus traducendus eſſet: ac demum accire Proſperum atque Piſcarium, cæterosque duces conſulere, quoniã de ſalute omnium agebatur. Viſum eſt peritioribus ſuperiora vada fluminis eſſe pertentanda, noctuq; eo progrediẽdum, ac ignaris hoſtibus è veſtigio tranſeundum. Miſsi exploratores renunciauere poſſe facilè ſuperari amnem, ſi ſupra ad ſextum miliare æquioribus ripis coercitum ac placidè decurrentem peterent. Ergo Cardonius de ſecunda vigilia caſtra mouet: relinquit ignes atque omnem leuem armaturã equeſtrem, quæ ſpeciem præſentis exercitus faceret, atq; hoſtes diſtineret. His demum imperat, vt exoriente ſole plures in ripa fluminis obuerſentur, ac ſimulato tranſitu alueum tentent: cæterum globo facto caſtra ſubſequantur. Vixdum certa luce ad locum peruentum eſt, quum extem

plo

plo primi agminis duces flumen ingreſsi, omnem ſimul equitatum in aduerſam ripā educunt. Hiſpanorum quoq; phalanx eodē tempore infra equites, qui impetum fluminis refringebant, conſertis ſtipatisq́ue ordinibus non formidauit altitudinem profluentis. Nanque ſicuti incertis paſsim vadis tranſibant, accidebat vt aliqui pectoribus tenus mergerentur, aliqui vero capite ſolo extarent. Erant magnum ad ſuperandam vim fluminis incitamentum, ipſe ante ōmnes Piſcarius pedes cohortando ſigniferos flumen intrans: & cum eo ornatiſſimi primorum ordinum centuriones, qui ducis exemplo ex equis deſcenderant, & ante alios in amnem ſe coniecerant, vt manipularibus ſuis æquarentur. Hiſpanos Germani, & mox Cardonius & Proſper cum alijs copijs ſubſecuti ſunt, ac demum leuis armaturæ equites: qui ex compoſito ludificati hoſtem, vt imperatum fuerat, conſequebantur, fluuium tranſmiſerunt. Occurrere ſatis in tempore tranſeuntibus Epirotæ antecurſores. Nam Liuianus ſuſpicatus quod erat, intempeſta nocte hoſtes inde mouiſſe, expeditam equitum manum ſpeculatum præmiſerat: ipſeque inalbeſcente cælo, cognito hoſtium diſceſſu, fuerat inſecutus. Verùm quum hoſtes paratos ad dimicandum in acie reperiſſet, leui certamine ad aquam facto prælio abſtinuit: ſiue quòd Baleonum accitum è Taruiſio expectandum eſſe cenſebat: ſiue quòd ad iniquā pugnandi conditionem perducendos prius hoſtes eſſe, quàm manus cōſereret, arbitrabatur. Ita à ſuperiore conſilio depulſus Liuianus, alia ratione hoſtibus iter præcluſurus Vicentiam cōtendit: nam euaſtata vrbs illius futura erat, qui prius incuſtoditam neglectamq; occupaſſet. Erat locus in via publica, ſecundo ab vrbe lapide, prope pagum cui Vlmo nomen eſt, ſatis idoneus, ſi vel mediocriter operibus muniretur, ad prohibendos tranſitu hoſtes: quoniam nulla commodior via, qua eos redire neceſſe erat, Veronam ferebatur. Hunc locum Liuianus aggere propè extructo ac perducta foſſa, vt viç ſpaciū concideretur, adductis tormentis egregiè communit, ac opportunè cū Baleono, qui dudum venerat, citra loci anguſtias caſtrametatur, lætus admodum quòd hoſtes aut ex iniquiſsimo loco, ſi vi euadere tentarent, pugnaturos, aut ſi abſterriti aliò iter flecterent, ad extremam commeatus inopiam, & mox in deditionem peruenturos eſſe iudicabat. Interea Cardonius eo conſilio vt rectà Veronam contenderet, cum omnibus copijs ad Vlmum proceſsit, vbi quū conciſa itinera, occurſuq́ue hoſtium occupatas viæ & collium fauces cognouit, quoniā diei parum ſupererat, & feſſus itinere miles erat, quingentis paſsibus ab Liuiano caſtra ponere coactus eſt, maximo ſuorum cum labore: nam legentes locum figentesq; tentoria, directis tormentis Veneti, metu, cæde, incommodisq́ue turbabant. Fuere Hiſpanorū caſtra, quandiu ab luce diei permiſſum eſt, pauoris atq; periculi plena, quum nihil tutum à tormentis relinqueretur. Tanta erat pilarum vis quæ frontem lateraq; feriebant, vt integri peditum ordines, extenſis humi pectoribus procumbere, equites poſt dumeta atque arborum ſtipites occulere ſeſe, aut depreſsiora loca quæritare cogerentur. Sed nox inſequens creſcente metu durior atq; turbidior fuit: quoniam Baleonum caſtra caſtris iunxiſſe, et magnum numerum agreſtiū à tergo inſtare: & queq; viarum plana, perductis paſsim foſſis, atq; aggeſtis ceſpitibus, interrupiſſe cognouerant. Quibus de cauſis fiebat, vt quum à fronte obſtante Liuiano perrumpere in patentē viam non poſſent, conſternatis metu omnium animis, nulla ſolita alacritas, nulla ſpes, nullaq; priſtina virtus in mœſto exercitu viſeretur. Iamq; apparebat Proſperū; qui teme-

ritatē ſuſceptæ expeditionis damnauerat, vatem futurū, ſi effuſior imber (quod ſolum ad extremam calamitatē deerat) ſuperueniret. Ad hæc incommoda biduo antè abſumpta omni re frumentaria, ſolis abactę prędę carnibus fatigatus exercitus veſcens: ita excitatis ignibus, quantum nec ſatis eſſet ad torrendos boues, quos ab aratris abduxerāt, feſsi attonitiq;, lucem ſimul atq; euentum incertæ ſalutis opperiebantur. Interim dum inſtratis equis, induti arma inſomnes totam noctem agunt, pręfecti alarū ac primores ordinum ad prætoriū Cardonij frequentes adeſſe, de ſumma tanti diſcriminis conſultare, per vices circuire exercitum, milites bono animo eſſe iubere, nihilq; quod metū alijs augeret vultu præferre. Inter alios Proſper diſcurrendo legiones & equites allocutus, cunctos certa ſpe fiduciaq; complebat. Tanta erat eius viri opinio, vt in ſumma etiam rerum difficultate, eo duce nihil aduerſi contingere ſibi milites poſſe timerent. His rerum anguſtijs dum pręmerentur, diſputatione habita, eò omnium ſententiæ inclinarunt, vt retrocedendum, ac mox dextrorſum qua via Baſsianum ducit, iter flectendum eſſet: eo quidem cōſilio, vt diſcedentes, Liuianum, quem natura pugnacem atq; inſigne aliquod facinus acri animo voluentem agnoſcebant, ex munitiſsimo loco in ęquam planiciem attraherent, atq; ibi vel antea depopoſciſſent animo confirmati conſererent manus: aut ſi hoſtis pugna perſecutioneq; abſtineret, iuxta Tridentinos montes circuitu capto, atq; euitata Vicentia, Veronam incolumes reuerterentur. Igitur Cardonius paulo antequam diluceſceret, vaſa colligi, & ſine tumultu ſignum profectionis militib. dari iubet. Sed dum pręmiſsis impedimentis, Proſperum, qui ex inſtituto primum agmen ductare conſueſſet, ad capiendum extendendumq; iter hortaretur, ſuborta eſt grauis & decora contentio inter eos de ordine acierum: quæ (vt mihi videtur) pro diſciplina in reliquum tempus documēto eſſe poſsit, negante ſcilicet Proſpero ſe anteceſſurum, quando ſibi tum poſtrema acies certo iure conuertendæ in hoſtem frontis, inſigniq; ineundę pugnę prerogatiua deberetur. Diſſerebat enim acriter Romano more, decus ſuum tueri ſolitus, ex lege militari nequaquam eam eſſe primam aciem, quæ in itinere incedenteq; toto exercitu cęteras omnes anteiret: ſed eam omnino vocari primam, quæ opinione virtutis firmiſsima, graui iudicio inſtitutoq;, vel à fronte, vel à tergo occurrenti hoſti opponenda cenſeretur. Id quum præfecti veteres approbarent, Cardonius pro ſuo ingenio altercanti facilè ceſsit: adeoque expeditè et cupidè pręgreſſus eſt, vt Alarco vir ſalſus, & cautè mordax, Imperatorem rectè probeque facere diceret, quod abſq; alienæ laudis obtrectatione, vt inſtantis pugnæ periculo honeſte ſubduceretur, legibus parēre didiciſſet. Ex euentu enim prælij ad Rhauennam, vnde intactus euaſerat, nō magnoperè pugnax, ſed cautus habebatur. At Liuianus qui ſtatim ab aurora regreſſum hoſtium iterue, et eorum ordinem, quod nebula denſior orta ex humore telluris intexerat campos, clarè proſpicere nequiuerat, vt primùm comperit diſcedere hoſtes, quanquam animus aliàs moræ impatiens, nequaquam arderet cupiditate pugnandi, increpante ſegnitiem atque imperante Lauredano legato, tanquam incompoſiti ac planè fugientes e manibus elaberentur, ſigna canere, & duce Antiniola procurrere expeditos equites iubet. Verùm conuerſus ad Hugonem Pepulum, Guidonemque Rangonum, periclitemur, inquit, vel temerè, ſed generoſè tamen prælij fortunam, poſtquam immodica vis Imperij rationem vincit, ne ſi hodie cautus & cunctator eſſe velim, paulo pòſt ignauiæ aut perfidiæ accuſatus in

Senatu

Senatu prægrauante inuidia, funeſto Garmagnolæ exemplo, aduerſis ac malignis imperitorum ſuffragijs concidam. Hęc ab his, qui aderant didicimus. Via erat, vt ſuprà memorauimus, perangusta in faucibus collium, per quam Venetus extenuatis ordinibus tranſire cogebatur, inde latior campus quo Hiſpani inſederant, circumquaque mollibus tumulis concluſus in medio pateſcebat. Illuc vſque euectus Liuianus, præmiſſa primò leui armatura equeſtri, cum tribus falconibus, quæ poſtremum abeuntium agmen carperet, ac demoraretur, omnes copias ac tormenta ſuperatis anguſtijs in planiciem eduxit. Iam equeſtre prælium, quod primò ſegniter fuerat initum, diſploſis ſtatim falconib. exte ardebat, quum Germani equites globo facto procurſantes Venetos propellunt, coniectoſque in fugam deſerere falcones cogunt. Conſpicatus hoc vixdum inſtructa acie Liuianus, nulla interpoſita dubitatione, quòd res in celeritate poſita videbatur, ne primi refugientes alios iniecta trepidatione turbarēt, pugnæ ſignum proponit, Baleonum, quem dextro cornu præfecerat, laxiore circuitu in latus apertum irruere: Antonium Pium ab læuo arctius aduerſus hoſtium pedites conſiſtere, & circumfundere velitum alas iubet. Ipſe mediam aciem ex flore, et robore militum denſatam in qua Sacramorus, Guido Rangonus & Hermes Bentiuolus curabant, in medios hoſtes inducit. Re cognita Cardonius, & Proſper qui quadrato agmine incedebant, vt ſi qua imponeretur dimicandi neceſsitas, ſubitum caſum expedito exercitu ſubirent, primi agminis præfectis ſignificant, vt quum primùm hoſtium pedites in proximo conſpexerint, prælium committere non dubitent. Interim è media acie Veneta cataphracti equites, Germanos quos cœptæ victorię ſpes ardentius prouehebat, adorti primo impulſu repellunt, ſtratis vulneratiſque Ricciano & Celembergo, Succaroque eorum ducibus, fuſos ad ſigna vſque ſequuntur. Troilus, qui in ea parte iuxta viam publicam ante vexilla turmarum conſtiterat, animaduerſo periculo, laxari aperirique paulum ordines, ac liberum ſpacium fugientibus dari, ne turbati ac trepidantes integrã certamq; aciem miſcerent, eoſq; vt tranſibant nequicquam morari, ſed continuò in poſtremum agmen refugere iubet. Demum ipſe & Mutius, & Alarco, quum vniuerſæ pugnæ, quam omnibus artibus petebant, occaſionem adeſſe cernerent, ſigna inferunt: & ſi vnquam aliàs magno ardore procurſum fuit, in prouentes hoſtes incurrunt. Erat vtraque acies et numero & virtute equitũ propè par. Quingenti enim fermè vtrinque ex Italia veterani ſingulari decoris ſtudio atrociſsimã pugnam edebant. Iamq; Liuianus huc & illuc volitãs, teſtatus illam diem, illam aciem fore & laborum finem & premiorum initium, tanta vincendi ſpe ſuorũ animos accenderat, vt nonnulli per confertiſsimos acerrimè depugnando ad vexilla vſq; penetrauerint, conatiq; ea abripere, quũ fortiter reſiſteretur, diſcerpſerint: & Ebrardum Gorneũ Mutianę alę ſigniferum egregię virtutis ſenem, cũ filio impigro iuuene interfecerint. Verũ integra ſpe atq; integro vtrinq; metu, dũ equites in fronte cõcurrunt, Proſper cõcionabundus ſingulos ordines præteruectus, hinc Piſcarium cum Hiſpanis, illinc Landaũ cum Germanis peditib. pari acie ac paſſu inferre gradum, ac peruadere in medias hoſtium cohortes iubet. Eorum tãtus fuit ſuo põdere incumbentium impetus, vt cohortes Baboni Breſcchelli, quas eximiæ virtutis opinione Liuianus primas hoſti obiecerat, vix tentato certamine, penè priuſquam hoſtem viderent, terga verterint. Tunc media acies equeſtris, ab latere vno pedité nudata, impelli primò ac vrgeri acrius, mox cum

cæde conuerti in fugam cœpit, neque cadentibus primis, quanquam pugnaciſſimi quique equitum, impreſsionem hoſtium ſuſtinere conarentur, ſemel turbata impulſaq; acies reparari, retineriſue potuit. Ita occiſis qui reſiſtebant, ſtrata ſunt vexilla, ac in primis inſigne Liuiani, quod ad extremũ moriens M. Antonius Montanus diu ſeruauerat. Eodem impetu, Sacramorus & Hermes ab equis deturbati, occurſu Germanorum obtruncantur. Piſcarius Othonem Sacramori fratrem vel priuatè ſibi inimicum generosè conſeruauit. Ab ſiniſtro autem cornu Antoniani milites, vt mediam aciem, in qua victoriæ ratio, & prælij moles futura eſſe videbantur, cæſam profligatamque ſenſere, abiectis fœdè armis terga dederunt. Idem pari ignauia ac fato Baleonij fecere: nam Paulus quum haud ſatis in tẽpore ob paluſtre ac limoſum ſolum, in quod circumeundo hoſtes forte inciderat, dextrũ cornu circumtuliſſet, Liuianusq; aliter ac ipſe putauerat, celerius pugnam inijſſet, factum eſt, vt conſpecta aliorum cæde ac fuga, diffiſi viribus ſuis integri intactique diffugerent. In fronte tamen quanquam pauor & fuga omnium occupauerat animos, complures egregij cohortium præfecti, pro tuenda dignitate anteactæ militiæ, dum fugientes prehenſant, dum ordines ac locum ſeruare conantur, atque impigrè hoſtes feriunt, deſerti ab ſuis, et à multitudine hoſtium circumuenti, interficiuntur. In his fuere paulo clarioris nominis, Ioannes Bernardinus Aleccius Salentinus, Ioannes Baptiſta Doctus è Patauio, Seraphinus Gallia Vmber, Alfonſus Mutus Piſanus, Philippus Carſolcius & Annibal Simonius è Bononia, qui primos ordines ducebant. Paulus autem amiſsis Troiano atque Hieronymo ſpurijs fratribus, ac diſpalato omni ſuo equitatu, rebus deſperatis aufugiens in paluſtrem delatus campum, ab Hiſpanis equitibus capitur. Liuianus itinera, quanquam à ſuis & à Fortuna deſerebatur, diu fuga increpita redintegrare prœliũ conatus, ad extremũ fractus animo ac virib. è pugna ſe proripuit, ſuperatoq; cum maximo diſcrimine Eretano amne, Deos incuſans Patauium contendit. Cæteri Duces fermè omnes in fuga capti, aut à Germanis qui nemini pepercere, interfecti ſunt. Multos hauſit, & in primis Antonium Pium, Bachillio amnis, qui è Vicentinis iugis defluens, celeri curſu atque impeditis vbique ripis apud Patauium Medoaco miſcetur. Nam vt ad ripam feſſi trepidantesque perueniebant, aut gurgitibus abſumebantur, aut inter cunctationem tẽtãdi fluminis, oppreſsi ab hoſte varijs caſibus interibant. Germani quoque & Hiſpani ſolutis ordinibus ſectati hoſtes, quos præcurrentes equites ſtrauerant, aut turba fugientium cumuliq; armorum paſsim inuenti tardauerãt, interfecere. Andreas Lauredanus legatus, vir indignus ea calamitate, niſi infauſtus funeſtæ pugnæ author extitiſſet, dum captus extra pugnam ingens auri pondus quo ſe redimeret polliceretur, crudeliſsimè à quodã lixa iugulatus eſt. Andreas vero Grittus Vicentiam ſe recepit, ægreque, quoniam à principio fugæ cataracta portæ demiſſa fuerat, ſeruatur. Ea res multis exitium peperit: nam ſpe deiecti ingrediendę Vicentię retrocedentes hoſtibus occurrebant. Ab his occiſi alarum pręfecti Carolus Montonius, Franciſcus Saxatellus, Conſtantius Pius Antonij filius, Meleager Foroliuienſis: præfecti verò cohortium ac centuriones ſupra viginti ſex. Multi ab Italis & Hiſpanis cõſeruati ſunt: ſed ij quos Fortuna paſsim Germanis obiecit, interiere. Cadurianæ enim cladis memores, vt propinquos & commilitones vlciſcerentur, nemine ſe parſuros ſolenni ſacramento iurauerant. Cæſa ea die, quæ fuit Nonis Octobris è Veneto exercitu ſupra quinque

milia:

millia: & in his, quod nullo antea prælio acciderat, quadringenti equites cataphracti. Tormenta quoque currulia XXIIII cum omnibus ſignis militaribus capta: è victoribus pauci deſiderati. Agreſtes verò qui circumiectis collibus occupatis, expectantes prælij euentum, eminus quatiebant arma, ac truci vlulatu exitium hoſtibus minabantur, vt Venetos fuſos viderunt, antequam Caſtrius cum equitibus in collium ſumma peruaderet, in proximas ac continentes ſyluas confugerunt. At Venetijs acceptæ cladis fama omnium mentes perculit, quòd Rempublicam, quam iam pridem attenuatis viribus infirmam affectamque intelligebant, difficulter atque egrè reparaturam equitatum conſtabat. Meminerant enim ad Agnadellum paditatu occidione occiſo, integras tamen equitum alas ſuperfuiſſe, quibus haud dubiè quartum iam annum bellicoſiſsimarũ nationum impetus ſuſtinuiſſent. Sed hic publicus mœror nequaquam tamen à belli cura patres auertit. Decreuere enim conſcribendas eſſe vrbanas cohortes, quæ continuò præſidij cauſa Patauium atque Taruiſium mitterentur. Nec mora nobiliſsimi Venetę iuuentutis, ſicuti cenſu, & ſeruandæ patriæ ſtudio inter ſe certabant, armatis clientibus ſingulos manipulos ad defenſionem earum vrbium adduxerunt. Ea manus quãquam tumultuarium ac deforme auxilium erat, Liuiano tamen & Gritto (hic enim Taruiſij, ille Patauij infelicis exercitus reliquias colligebant) defendendorum mœnium ſpem fecit. Verùm Cardonius, etſi hoſte propè deleto conficiendi belli occaſionem ſibi dari exiſtimabat, ſi cõtinuò ad oppugnandam alteram vrbium victorem exercitum duceret, paulò poſt tamen, quòd per anni tempus impediebatur, ac omnia indies in negotio difficiliora fore animaduertebat, hyematurus circa Vitentiam in hyberna deduxit exercitum. Per eos dies de permutatione Baleoni & Caruaialis in Senatu actum: dimiſſusque à Cardonio Baleonus Venetias contendit, eo pacto vt Caruaialem, qui in cuſtodia Venetijs erat, liberum in caſtra perduceret: aut ſi id ab Senatu impetrari non poſſet, ipſe bona fide reuerteretur. Itaque Baleonus fauentibus ſuffragijs rem facilè pro meritis impetrat: & Caruaialem tranſmiſſurus, cum ad Cardonium Patauium perducit. Sed dum parantur comites, expectaturque Hiſpanus caduceator, Gurcenſis Cardinalis, quo minus permutatio tranſigeretur, interceſsit, teſtatus id è commodo Cæſaris minimè fieri, quòd Baleonus apud hoſtes multo maiori vſui momentoque in tanta ducum orbitate, quàm apud ſuos Caruaial futurus eſſe videretur. Ad hęc Baleonus, quando non Cęſaris, ſed Cardonij captiuus eſſet, ex fide & pacto ſe liberum dicere, teſtari demum ſi Caruaial quem offerebat minimè reciperetur, ſe lege ſolutum, nequaquam in caſtra rediturum. Sed dum inter has iuris contentiones tempus abſumitur, Caruaial quum ſe poſtponi Baleono minimè pateretur, neq; eam dignitatis contumeliam elato ingenio ferret, in ſupremam valetudinem incidit, moxq; ex ira indignationeq; exęſtuãs, iam antea ſenio & carcere confectus interijt. Baleonus verò à Leone Pontifice literis adſcitus, nequaquam finita controuerſia Romam ſe contulit. Sub idem tempus ad radices Alpium quà itur in Heluetios, ſupra Bellizonam, præaltus mons terræ motu concuſſus ingenti fragore edito corruit: totaque ea conuulſarum rupium moles in læuam prolapſa fauces conuallis per quam Brennio amnis decurrens Ticino miſcebatur, obſtruxit. Quo caſu ſtagnare amnis, & nequaquam tanta obice vi vndarum prærupto vallis ſpacium implere coactus eſt. Vnde mox in cẽtum ferè ſtadiorum magnitudinem lacus excreſcens,

accolarum ędificia ac prędia, antequam annus circumageretur, oppreſsit. Contraria autem ratione Ticinus deſertus ab ſocio amne, ac nihil alienis viribus auctus, qui paulo antè Bellizonæ pōte lapideo & ratibus iungebatur, quum ſuas tantùm vndas traheret, humilis in Verbanum effugit. Ea tamen aquarum vis poſt vigeſimum menſem, vt in proceſſu operis memorabimus, cum vaſtitate pulcherrimi tractus, & miſerabili multorum mortalium interitu, effracta mole prolapſi montis erupit. Adulta verò iam hyeme Mediolanenſis arcis cuſtodes ad extremam commeatus inopiam perducti, quum nec ſpes tolerādæ vlterius famis vlla iam eſſet, & clarè intelligerēt Gallorum auxilia fruſtra expectari: quòd Alpibus niue geluq; rigentibus, nihil iuſta expeditione Ludouicū regem moturū conſtabat, in has conditiones arcē dediderunt: Vt ſi intra trigeſimū diem Ludouicus opem nō tuliſſet, ipſi cōtinuò arcē relinquerent. Interim datis obſidibus, quotidianis cibarijs iuuarentur, poteſtasq; eſſet emittendi eos præſidiarios quos valetudo tentaſſet. Ita multi ſemianimes, vt erant ſqualida fame, et grauitate, vitioq; aeris propè enecti, in hoſpitales domos, vbi ingenuis, ac miſeris, publica liberalitate alimēta dantur, educti, ac medelis refoti fuerunt. At quum ſtatuta die nihil omnino è Gallia, quod ad negotium pertineret, afferretur, Louanius relicto omni tormentorum apparatu, arce exceſsit decimo quarto anno ex quo ea Gallus potitus fuerat. Nec multo pòſt pari neceſsitate compulſus arcis Cremonenſis cuſtos Binnonus, ſimiles inducias pepigit, atq; arcem tradidit. Galli verò ad alpes dimiſsi, comitante ala equitum, ne quà tranſeuntibus iniuria inferretur, incolumes in Galliam abierunt. Ob eas res trium dierum ſupplicationes decretæ, quòd tunc primùm firmato imperio Maximilianus rerum Mediolanenſium potiri videbatur. Poſt cladem ad Vicentiam, legati, & ducis temeritate acceptam, ad Maranum Foroiulij oppidum res quoque infeliciter à Venetis geſta. Occupauerant paulo antè Maranum Germani, ſacerdote quodam prodente, qui poſtea captus & in fruſta diſſectus, perfidiæ pœnas dedit. Id oppidum in intimo ſinu ad Aquileienſium paludes poſitum, quod natura loci alendo bello valde opportunum videbatur, Veneti tranſmiſsis eò cum copijs Paulo Manfrono, et Balthaſare Scipione, terra marique haud ſegniter oppugnabant. Id cum Chriſtophorus Francapanes frequentibus nuncijs Maranenſium auxilia implorantium maturè cognouiſſet, ex omnibus caſtellis quæ Venetis priore bello ablata in finibus Hiſtriæ & Foroiulij armis Cæſaris, atque prēſidijs tenebantur, amplam militum manum collegit, & Maranum contendit. Eius aduentu ſoluta obſidione, magnum hoſtibus ex inſperato detrimentum eſt illatum. Manfronus & Scipio nequicquā oppugnatione tentata, cum numero inferiores erumpentibus oppidanis atq; inſtante Chriſtophoro ancipiti pugna diſtinerentur, pulſi primò, mox præcipiti fuga in proximum littus acti, dum pars ſcandere naues tentat, alij per auia rupium, alij conuerſi in hoſtem, vario euentu ſalutem quęrunt, vulnerato Scipione funduntur, triremiſq; vna capitur quum metu premente, ac impedientibus ſeſe militibus, remiges obuertēdi facultatem ab initio tumultus amiſiſſent. Sed quum hæc Venetijs nunciata eſſent, & nouo fletu prioris calamitatis memoria ægris omnium animis induceretur, longè maiore cladis mole rem Venetam afflixit natum repentè incendium media in vrbe, atrox ſi vnquā antea, et luctuoſum atq; terribile. Siquidem initio ſtatim ſequentis anni, qui fuit à partu Virginis milleſimus quingenteſimus quartus decimus, tertio Idus Ian. de

prima

prima vigilia, in Riualto frequentiſsima vrbis regione, repentinus ac validus ignis, multiplicis mercimonij tabernas primùm inflammauit, mox iuuantibus aquilonibus, qui ſæuiſsimi ea nocte fortè perflabant, attigua etiam ædificia corripuit. mirum dictu ac viſu horrendum. quanta velocitate, & ſimul cœperit, & dextra læuaque in immenſum populabundus, innumeras ædes, Diui Ioannis templum, & cuncta ſimul quæ ad Farinas (id loci nomen eſt) & ad forum Piſcarium vergunt, abſumpſerit. Ita vt momento temporis, ſuper ſemiuſtas & corruentes domos, miſerabili vaſtitate inſolitum atq; inane loci ſpacium flammæ patefecerint. Eadem violentia hauſtis nummulariorum officinis, recta per argentarios ad templum Apollinaris vſque peruagatus, nihil reliquum fecit, præueniendo remedia miſerorum ſui rapiditate atque ſæuitia. Stetit intactum ope fauentis numinis Diui Iacobi vetuſtiſsiſsimum ſacellum, circumambuſtis lateribus. Eo nihil antiquius Venetijs habetur, vtpote quòd in ipſo naſcentis vrbis primordio, ab circumiectis populis in Hadriaticas paludes Barbarorum metu fugientibus, ædificatum fuerit. Ii enim haud irritis auſpicijs orſi à religione, eius vrbis fundamēta iecerunt, quæ poſt euaſtatam varijs excidijs Romam, & ſitus miraculo, & diuturnitate imperij atque opibus cæteras poſtea ſuperauit. Inde perpetuam noctem debacchante flamma, neque exitus calamitatis, neque remedium reperiebatur. Nam ipſa noctis obſcuritas, vbi exitialis ſplendor non aderat, turbatum ventis mare, & diſcurrentibus in contraria cymbis aduerſum, diſſonę plorantium voces ac fugientium, callibus anguſtis pauidarum turba mulierum, humanum omne ſubſidium abſtulerant. Denique omnia plena luctus atque mœroris. Nec deerant qui ſpecie officij, dum res è proximis flammis ereptas, ac per manus traditas ſimulatione iuuantium accipiunt, dominis alio atque alio diſcrimine attonitis, paſsim furarentur. At prima luce cum magiſtratibus Andreas Grittus ſuperuenit, iuſsitque fabros continuò demoliri domos ardentibus iunctas, vt graſſantibus incendijs liber campus, atq; ipſum cęlum occurreret. Ita tandem reſtinctum eſt. Fuere qui non caſu ſed dolo factum id crederent: quòd eodem quoque temporis puncto, diuerſa in regione vrbis, cœnobium Cruciferorum conflagrauerat: ſubijciebantque crimini, & inuidiæ Germanos, tanquam ij pari calamitate illata, ſimilem iniuriam vlciſci contenderent, quoniam ſuperiore anno oppida duo in Germania fraude Venetorum arſiſſe dicebantur. Conſtrauit hæc inopia & miſerabilis clades ciuium animos: qui eo atrocius id damnum æſtimabant, quòd ſuper inſignes exercituum iacturas in difficili rerum ſtatu, & graue & inſperatum ingruerat: quaſi Fortuna miſera imperij nihil reliquū nomini Veneto facere videretur. Eiuſdem ęſtatis fine, qua hæc in Venetia geſta ſunt, in Cęnomanis, quanquam omnia bello arderent, haud magni rerum motus fuere. Stabat à Venetis Crema, eamque ſupra ciuium egregiam fidem mirabili operum munitione firmatam cum valida militū manu Rentius Ceres tuebatur: vir indefeſſus & fortis, atq; ea maximè obſidione clariſsimus. Brixiam autem & Bergomum pro Cæſare Hiſpani præſidio impoſito tenebant. Sed tunc maximè Bergomatium res in anguſto poſitæ erāt: quoniā attritis recenti clade Brixianis, ſoli propè hybernorum incōmoda tolerare, & pecuniam in ſtipendium præbere cogebantur. Quibus de cauſis exulcerati ciuiū animi, quanquā ex vetere etiam ſtudio in Venetos defectionis tempus circumſpectarent, eò inclinarunt, vt accerſenda eſſet ab Crema militum manus, qua præſidium Hiſpanorum opprimerent, & mu-

tata fide tranſirent ad Venetos. Erat tunc fortè apud Rentium Cognolus quidam Bergomas cohortis præfectus, cui cuncta tradendæ vrbis conſilia à ſpeculatoribus ac transfugis deferebantur. Is quum obnixè operam ſuam pollicendo, docendoque quibus artibus facilè vrbe eſſet potiturus, ſpem haud dubiam perficiendi negotij Rentio dediſſet, cum Marcello Aſtallo equitum præfecto & duabus delectorum cohortibus Bergomum mittitur: atque ita viarum compendio ac notitia vſus, confecto per noctem itinere, antequàm Hiſpani & bona pars ciuium aduentum Venetorum ſentirent, ab his cum quibus egerat introducitur. Nec mora, ad domum regij quæſtoris conuolant: eam facilè expugnant: pecuniã quam paulo antè Hiſpani inclementer exegerant, diripiunt: & præſidij partem trucidant, partem comprehendunt: mox quoque arcem veterem interfectis propugnatoribus vi capiunt. Hoc confecto negotio, Cagnolus atque Marcellus partem militum præſidij cauſa apud ſe retinent: cæteri eadem celeritate qua venerant, Cremam remittuntur. Ea Bergomatium defectione commotus Maximilianus Sfortia, ſtatuit nihil eſſe cunctandum, ne fama vicinæ ſibi vrbis captæ, nimio plus Venetorum vires coaleſcerent: alienarenturque eorum animi, qui partes Cæſaris ſequebantur. Itaque coactis copijs Syluium Sabellum, & Oldradum Lamponianum Abduam continuò tranſmittere, atque hoſtiliter ducere in Bergomates iubet. Ii circumiectum agrum populati, ad ædem Diui Antonij in ſuburbanis ædificijs caſtra locant: atque vno tempore obſidione oppugnationibusque incluſos premunt. Non erat omnino Syluius abſq; fiducia vrbis per vim capiendę, etſi nõ multũ ſpei in virtute collectitij exercitus reponebat, quoniã magna pars optimatum diuerſo ſtudio ab plebe, quę ſemper ab initio etiam belli Gallici ex occulto rem Venetam fouerat, diſſentire dicebatur: habebatque ea res maximum excitandæ ſeditionis momentum: mœnia quoque nec ſatis altitudine muri foſſarúmue obiectu munita, minimè difficilem expugnationem habebant. Hiſpani etiam è ſtatiuis agri Brixiani in auxilium exciti aduentare, comminarique direptionem ferebantur. His de rebus ſolliciti ciues, Rentium admonent, & ſalutis & fortunarum ſuarum periculum exponunt: obteſtanturque per antiquam vrbis erga Venetos fidem, velit quàm maturè perditis propè rebus accurrere. Rentius Bergomates, quos ipſe dudum in diſcrimen rebellionemque perduxerat, minimè deſerendos exiſtimans, ad ſexcentos vtriuſque armaturę equites, & quingentos fortiſsimos pedites deligit, parti peditum equos attribuit, vt confecto itinere deſilire ab equis, ac nequicquam fatigati, rem pedibus gerere poſsint: Marianum Alecium & Chriſtophorum Epirotam his præficit, imperatque vt quamcelerrimè Bergomum contendant: & ab ea parte qua ſegnius ſtationem haberi cognouerint, magno impetu caſtra hoſtium adoriantur, atque excitato ad eruptionem Cognolo, ex occaſione vel manus conſerant, vel augendi præſidij cauſa & confirmandis ciuium animis militum partem intromittãt. Igitur Marianus atque Chriſtophorus ab Crema proficiſcuntur, ac ſilenti citatoque agmine aduentus ſui famam prætergreſsi, in cõſpectum hoſtium deueniunt: paucos inermes qui licentius euagabantur, opprimunt, fugantque, ac delati eodem curſu in raram militum ſtationem, occiſo ibi Cittadino centurione, & Guerrerio Celanio equitum præfecto, magnum terrorem atque tumultum ad portam caſtrorum incutiunt. Sfortiani, vtpote qui nihil tale timuerant, trepidare, diffugere, alij arma capere, alij vt virtus & tela in promptu erant, vbi

diſcri-

diſcrimen poſcebat, accurrere. Syluius ipſe magnitudine periculi propè attonitus, cum paucis tamen aduerſus irruentes hoſtes egreditur: nomine quemque fortiſsimum ac veteranum ſuum vocans, eos conglobat, ſummotisque paululum hoſtibus, concellatos caſtrorum poſtes, quos iam Veneti magna vi impulerant, claudi iubet. Ipſe excluſus & hoſtibus immixtus, loci notitia magis quàm ſuorum virtute ſuperata materia, incolumis in caſtra reuertitur. Porta quoq; caſtrorum eodem temporis puncto egregiè denſata virtute Ioannis Petri Surræ, qui decies ſepties olim ex prouocatione victor, ob ſummam fortitudinis opinionem, duarum cohortium præfecturam adeptus fuerat. Clamabāt è mœnibus Bergomates, atque ipſe Cagnolus, puluerem, ſtrepitum, clamoremque pugnantium oculis atque auribus accipiebant: apparebatque Sfortianos facilè fundi delerique poſſe, ſi præſidiarij eruptione facta, diſperſos varijs in locis, diuerſo prælij euentu pugnantes inuaderent. Verùm dum Cagnolus atque Marcellus partim ciuium diffiſi animis, partim veriti ne à Virgilio Syluij præfecto, qui cum cohorte mœnibus ſucceſſerat, libero egreſſu prohiberentur, nihil ab vrbe mouent. Sfortiani equos conſcendunt, ſuperuentuque Cæſaris Feramuſcæ, qui equites in auxilium adduxerat, Venetos primò repellunt, mox cunctis denſata fronte procurrentibus, occiſo Piſone Romano centurione, cum cæde in fugam conuertunt. Ea re turbati Marianus atque Chriſtophorus, quòd latere aperto ab valida & vetere turma equitum impetebantur, nec reparare turbatam aciem poterant, quantum inter vulnera commodè fieri potuit, ad ſalutem proripere ſe in fugam cœperunt: ita hoſtium terga cædentes Sfortiani, multis interfectis, complurib. captis, in quibus fuit ipſe Chriſtophorus cum maximo dolore Bergomatium in caſtra redierunt. Poſtero die ad expugnandum Orinianum caſtellum copiæ ductæ. Id erat Coleonorū, qui Bartholomæo eiuſdem familiæ clariſsimo duce progeniti, Venetis plurimum fauebant. Quod vti erat haud mediocriter munitum, primo impetu captum ac direptum fuit. Cæterùm Bergomates, poſtquam omnia aduerſa obuenerant, ne ſi inter deditionis conſilia cunctarentur, ſe ac fortunas ſuas maiori periculo implicarent, ad Hiſpanos (ij enim in Brixiano agro erant) oratores mittunt, qui nomine Senatus vrbem dedant: defectionis veniam deprecentur: ac propere ex Hiſpanis præſidium adducant. Cauſa accælerandæ legationis fuit, vt Sfortianos vrbe excluderent, cum quibus vetera atque acerbiſsima odia exercebant: ac tunc maximè exacerbati recentibus iniurijs, quòd nuper Sfortiani traiecto Abdua, feroces ac lingua immodici, direptionem atque omnia hoſtilia comminati fuerant. Ita Bergomates iterum ab Hiſpanis facta deditione in fidē recepti, dimiſſumque per aduerſam portam Venetum præſidium. Pœna cæſi præſidij atque defectionis fuere pecuniæ: nanq; Matthæus Granata Hiſpanorum præfectus, vt erat miti ingenio ac ſapientiæ ſtudijs potius quàm militia clarus, nemine percuſſo, eos lenitate conditionum magis quam ſeueritate ac metu in fide continendos eſſe arbitrabatur. Capellam demum arcem in edito ſitam expugnare adortus (veterem enim Cagnolus deſeruerat) quum diu in tormentis diuerberatam turrem labefactare nō poſſet, cuniculum agere inſtituit, quem excauata rupe, incluſis ſulphureis ignibus nota atque inſtituta ratione, fundamenta murorum excinderet. Verùm paulo pòſt Granata, dum vrgente fato incautius in opere verſaretur, tormēto ab arce emiſſo interfectus eſt. Amiſſo duce Hiſpani nihilo ſegnius incœptū cuniculum continuo labore proſecuti,

rem eò perduxerunt, vt metu atque periculo expugnatus Hieronymus Tartarus cuſtos, arcem dediderit. Recepto Bergomo & Capella arce in poteſtatem redacta, Sfortiani et Hiſpani diductis per municipia, et pagos omnibus copijs, in finibus Cremenſium conſedere, coercendis potius Venetis, quàm quòd iuſta obſidione infeſtam vrbem premere arctius, aut oppugnare poſſe confiderent. Enimuerò Rentiani crebris excurſionibus prædas agebant: neque intercludi ab Crema vi aut arte vlla, nec quin erumperent vbi vellent, prohiberi poterant. Ea erant ſtudia colonorum, qui Venetum nomen maximis etiam attriti calamitatibus excolebant, vt ſummittere commeatum incluſis, ſpeculari conſilia progreſſusq; Sfortianorum, & cuncta quæ in eorum contubernijs cognouiſſent, Venetis quàmocculte deferre non dubitarent. Quibus de cauſis ſæpe Rentius, vt erat intentus in omnes occaſiones feliciter erumpebat. Erat in Calcinato vico Cæſar Feramuſca cum equitibus incurioſe, vt plerunque fit ex recenti victoria, moram trahens, confiſus ſcilicet oppidanorum fidei, & viribus ſuis. Hunc Calcinatenſes nequaquam dilata perfidia, vt otioſe & negligenter conſedebat, Cremenſibus renunciant: pollicenturq; ſi eò Rentius equitum turmam quàmocculte tranſmittat, fore vt Cæſar cum omnibus equitibus ſuis ſine vulnere in poteſtatem deueniat. Rentius haud moratus in ea facultate opprimendi eius hoſtis, qui nuper ad Bergomum cladem intulerat, de ſecunda vigilia cum delecta equitum manu Marcellum emittit. Is vt compoſitum à Calcinatenſibus fuerat, ex improuiſo oppidum occupat, et ad contubernia militum contendit. Cæſar tumultu audito, ac cæteri equites è ſtratis ſemiſomnes, dum correptis armis fruſtra defenſionem parãt, vinciuntur, & Cremam perducuntur. Marcellus autem haud multum ea re geſta lætatus, quum inter obluctantes veteranos, qui ſtrictis gladijs ne caperentur reſiſtebãt, lethale vulnus in pede accepiſſet, paulo poſt Cremæ interijt. Paucis inde diebus, quum propius Cremam acceſſum eſſet, Sfortiani excurſionibus, & contrà eruptionibus Cremenſes ex occaſione frumentandi, ſæpius equeſtri prælio decertarunt. Enimuerò frequentes eius regionis vici & caſtella direptionibus opportuna, labantibus nunc huc, nunc illuc incolarum ſtudijs, materiam quotidiani certaminis præbebant. Siquidem tueri partium opes, aduerſarijs calamitates inferre, & mutuis acceſsibus, vt ex Fortuna varios belli euetus rerum commutatio ſequebatur, aut præſto adeſſe, aut vim inſultantium ſuſtinere neceſſe erat. Fortè ab Syluio, M. Antonius Philetinus et Baptiſta Piſinſanctes equitum præfecti, ad Vmbrianum vicum nõ longè ab Crema excurrere iuſſi, magnam ex hoſtilib; pagis omnis generis prædam ceperant: iamque eam carris impoſitam, in pacatum propè aduexerant: quum Rentiani ne tantam ſocij atque amici Veneti nominis contumeliam detrimentumq; accipere præſidiariorum incuria viderentur, erumpunt: ac breui confecto itinere, Piſinſanctem agminis coactorem, eiusque leuis armaturæ equites magna vi à tergo adoriuntur. Piſinſanctes conuerſo agmine irruentes ſuſtinet, primosq; repellit: mox maiore mole ingruentibus Rentianis (aliæ etenim atque aliæ equitum turmæ ab Crema ſubmittebãtur) recipere ſeſe equites iubet. Philetinum de multitudine hoſtium certiorem facit, hortaturque, vt quàm mature coacta præda cum plauſtris, et graui armatura citatiore itinere antecedat: ſe interea hoſtes retardaturum, ac mox ſaluti equorum velocitate conſulturum. Philetinus adhęc, vt erat magni vir animi atque audaciæ ſingularis, ſe non prius quàm hoſtium faciem uideat, aut loco moturum,

turum, aut arrepturum iter quod fugæ ſimile videatur reſpondit: atque ita aduentante hoſte, noui decoris cupidus, quod nuper eum Syluius alæ cataphractorum prefecerat, cohortatus equites ne opinionē ducis fallerent, in proruentes infeſtis haſtis incurrit: quo impulſu turbauit primos atq; diſiecit. Verum quum equitū numero longè inferior eſſet, Marianusq; & Tullius hoſtium duces id conſpicati, circumfuſis vndiq; turmis paucos inuaderēt, cœpit temeritatis ſentire incommodum, atq; acrius vt euaderet colluctari: ſed Piſin ſancte prelio excedente, & ſuis varia ſorte pugnantibus, ipſe fruſtra propria virtute contendens, ſuffoſſo equo capitur: deductusq; ad Rentium, vt erat grauiter vulneratus, Cremę moritur. Nec multo poſt haud abſimili caſu Tullius, qui in prefectura equit. Marcello ſucceſſerat, frumētatū ad Abduam vſq; progreſſus, cū Sfortianis fines Laudenſium tutantib. manus conſeruit: vbi ipſe, vt erat manu promptus, in nouiſsimo ſuorum agmine depugnans, iam præmiſſa præda interficitur. Ita tres magnæ indolis atq; virtutis Romani iuuenes, Marcellus, Pauletinus, & Tullius egregie fato functi paucorū dierum ſpatio perierunt. Obſideri demum Crema arctius cœpta: eruptionesq; Rentianorum aliquāto attentius quàm anteà factum fuerat, vi arteq; prohibitæ. Nanque Proſper Columna ad Maximilianum venerat: aſſentienteq; Ferdinando Rége, Dux Sfortianarū copiarum declaratus, cum equitatu veterano, Hiſpanorumq; cohortibus quatuor Cremam accellerat. Genus obſidionis tale inſtituebatur, vt ex omnib. copijs bina caſtra facerent. Syluius ab ea parte qua Crema Laudem Pompéiam atque Abduam ſpectat, quam latè longeq; porrectis munitionibus: Proſper verò diuerſa in parte ab Syluianis operibus, ad fanum ſancti Bernardini, Trauaconæ paludis interiectu, omnem frumentandi erumpendiq; facultatem hoſtibus adimerent: & aliunde comportari in vrbem commeatus vigilijs ſtationibusq; diſpoſitis prohiberent. Eiuſdem anni Vere primo legati Emanuelis regis Luſitanię Romam venerunt, tulereq; Leoni pontifici è victorijs Indicis dona magnifica, Elephantē ab multis ſeculis Romę non viſum animal, Leænamque, & diuini cultus veſtes innumerabilib. margaritis exornatas: in quibus operoſis artificum texturis pictę acu diuinarū rerum imagines viſebantur. Erat legationis princeps Triſtanus Cunnius, vir triumphalib. inſignibus & rerum in India geſtarum gloria clarus. Is multa de gentiū moribus, vbertate ſoli, natura ac vaſtitate maris, & de antarcticæ plagæ ſyderibus memorabat. Enimuerò paucis ante annis, iubente eodem Emanuele, Luſitani inſana nauigatione Atlanticum, Fortunatasq; inſulas preteruecti, promontorijs Praxio et Bonę ſpei ſuperatis, Aethiopicum littus adiuerāt: gentes ſubegerant: Rubri maris ac Perſici ſinus anguſtias ſuperarant. In Carmania atq; India bello victis regibus Cannanoræ, Cucini, & Calecuthę, celeberrimis emporijs exercendę mercaturę ſedes arcesq; poſuerant. Proximè vero, quum nouorū ducum aduentu aucta eſſet claſsis, vltimos Indiæ orbisq; terminos ſibi propoſuerunt: atq; ita felici auſu eadem ducti peritia nauigādi, ab Calecutha præter Indum ac Gangem fluuios ad auream Cherſoneſum peruenerunt: vbi regem Malachæ armis defenſionē parantem tormentorū nouitate abſterritum, ac prælio victum, tributarium fecerunt. Ab alia quoq; parte Indorum claſsibus ſepe deletis, cuſtoditisque Erithræi faucibus, ac ſinus Arabici nauigatione Aegyptijs mercatorib. intercluſa, Indi maris Imperium tenuerunt. At hiſdem ferme diebus, Liuianus, qui Patauij poſt cladem acceptam reparandis copijs intentus, ſatis amplam militum

manum in ſpeciẽ iuſti exercitus coegerat, quum tota hyeme in hybernis quieuiſſet, ad recuperandum Foroliuium ſe conuertit. Enimuerò Germani, duce Chriſtophoro Francapane, iam antea pulſis ab Marano Venetis, cuncta quæ ab ora maris ad Oppitergínos montes, & ad ſuperiora Carnorũ vergunt, vſq; ad Liquentiam flumen, in poteſtatem redegerant, præter vnum omnino oppidum nomine Oſophum, quod per ſe aſperitate loci atque incolarum ſtudio munitum, Hieronymus Sauornianus cum equitib. ſagittarijs tuebatur. Id quũ Chriſtophorus ſibi totis viribus oppugnandum propoſuiſſet: & collectis circiter duobus milibus peditum, & ſeptingentis equitibus, in quibus Germani pleriq; nobiles euocati, & prętoriani Cæſaris erant, eò cum omni tormentorũ apparatu contendiſſent, cauſa fuit Liuiano celerius quàm conſtituerat mouendi ex hybernis. Siquidem in eo afflictæ rei Venetæ ſtatus, quum omnia ad defectionem ſpectarent, occurrendum erat victori hoſti: qui haud dubiè, ſi Oſophum caperetur, ad inuadenda vlteriora Venetię maiorem facultatem eſſet habiturus. Igitur Liuianus ſedentibus ad Ateſte & ad Montagnanam Hiſpanis, è Patauio cum amplius mille & ducentis vtriuſq; armaturę equitibus Taruiſiũ verſus mouet. Ibi falcones ſex, et cohortem vnam expediti militis ex Taruiſino præſidio cæteris copijs adiungit: indeq; perpetuo curſu, quòd in pręſentiam celeritate opus erat Conejanum ac mox Sicillum petit. Erant Sicilli pręſidio Veneti equites fermè ducenti, qui cum Germanis apud Portumnouũ hybernantibus, ex occaſione pabulandi, quotidie leuia certamina committebant. Hos Liuianus excurrere in conſpectum hoſtilis oppidi, ac elicere omnibus artibus ad pugnam Germanos iubet. Cæterùm præcurrentibus Malateſta Baleonum Pauli filium acerrimum iuuenem cum cataphractis ſubmittit. Nec fefellêre opinionem Germani: nanq; è mœnibus conſpicati hoſtium equites, ex conſuetudine ſuperiorum certaminum properè equos conſcendunt: ac patenti porta euecti in concurſantes impetum faciunt. Contrà Veneti proprio conſilio conuerſi in fugam, quum longius incautos abduxiſſent, adeſſetque ſubſidiarius eques, continuò obuertunt ſeſe, impetum proruentium excipiunt, & pugnam inſtaurant. Malateſta inſigni equo in primam aciem prouectus, Ricianũ Germanorum ducem antè alios egregiè decertantem ſingulari certamine aggreditur: coniectoq; poſt mutuos ictus per caſsidem in aduerſum os gladio, vulneratum ab æquo deturbat & capit: cæteri amiſſo duce, celeri fuga, amplius triginta ſuorum interfectis aut captis, in Portumnouum ſe recipiunt. Eos cum omnibus copijs Liuianus ad portas vſq; perſecutus oppido includit: ac ſimul productis tormentis, ne reſpirandi victis vel minimum quidem tempus relinqueretur, imparatos oppugnat. Ita incredibili militum ſtudio, cõtinuata per diem ac noctẽ oppugnatione, iam feſsis defenſoribus, quà murus vetuſtate debilior vi tormentorum collapſus, ingreſſum præbebat, oppidum intrat: ac paucis in tumultu occiſis, comprehenſoq; pręſidio, diripit: atq; eadem fortuna vſus, arce potitur. Paucarum demum horarum quiete militibus data, caſtra mouet, & ſuperato Tiliauento flumine, ad oppidum Sancti Danielis proficiſcitur. Inde Nicolaum Vendraminum cum Epirotis, & Bernardinum Antiniolam cum ſagittarijs ad deterrendum ab incœpto Francapanem, Oſophum præcurrere iubet. Verùm is paulo antè, quum id oppidum abruptis rupibus impoſitum, quod ſumma fide atq; virtute Hieronymi defenderetur, fruſtra ab ſe oppugnari perſpiceret, ſimul ac de aduerſo pręlio equeſtri, et de Liuiani aduentu certior factus,

factus, ſoluta obſidione ad Ventionum ſupra Natiſonem fluuium iter facere cœperat. Veneti nouiſsimum abeuntium agmen velocitate equorum conſecuti in tergo cædem & tumultum maximum ediderunt: conanteq; Chriſtophoro explicare aciem, & prælium iniquo in loco committere, conturbata extrema acie, vltimos quoque equitum multitudine ſagittariorum circumuentos fuderũt. In ea rerum aſperitate Chriſtophorus, quum milites vniuerſas hoſtiũ copias adeſſe putarent, & proterea quòd anguſto in loco res erat, vbique trepidaretur, relictis maioribus tormentis ac compluribus ſuorum amiſsis, ipſe vulneratus per abruptos calles in montana ſe recipit: neque vlla re magis quàm celeritate & locorum notitia vſus, ſalutis diſcrimen euaſit. Nanque premente in tergis Liuiano, Sauornianus cum expedita clientium & montanorum manu ab Oſopho tranſuerſis tramitibus, ad occupandas viarum anguſtias contenderat: cuius aduentu, quòd peritus locorum vndiq; infeſta arma fugientibus intuliſſet, diſsipato cęſoque Germanorum agmine, tormenta octo muralia capta ſunt. Ea verò Hieronymus perduxit Venetias: & vt eſſent victoriæ monumẽtum, in naualia intulit, ita gratias agente Senatu, vt ab inſigni fide virtuteque, commendante Luca Trono, celebratus, præmia meruerit: ſcilicet, vt Oſophi commeantium è Germania mercium perpetua ſtatio cum vectigali, immunitateque incolarum ſtatueretur: & præſidio (quòd egregiè ſe defendiſſet) virtutis ergò perpetua ſtipendia prouenirent. His rebus geſtis Liuianus cuncta ea oppida, quæ metu aut vi ad Germanos defecerant, in fidem recepit, præter Goriciam atq; Gradiſcam: ad quæ eodem ſecundo rerum curſu cum omnibus copijs ferebatur, vt præſentis fortunæ periculum faceret, niſi Hiſpani cognita eius profectione, motis properé caſtris, vt interclaſo itinere eum reditu, & Patauinis mœnibus prphiberent, in maxima ſpe gerendarum rerum è Foroiulio reuocaſſent. Effuderant enim ſe per Patauinum agrum, & intactas ſuperiore hyeme poſſeſsiones impunè populabantur. Sed vix dum Liuianus Patauiũ redierat, quum Francapanis, dum armandis agreſtibus & ſuſcitandis ad renouandum bellum populis, per Altinatium fines & ſaltuoſa Carnorum volitaret, præcipitatus in inſidias à Ioanne Vetturio, qui cum Epirotis ea pariter ſaxa circuibat, captus eſt: ſuoque & alieno cruore perfuſus (multum enim vir lacertoſus atque terribilis, ne viuus in poteſtatem hoſtium veniret, repugnarat) Venetias perductus, teterrimo carcere includitur. Gratias Senatus Vetturio egit, quòd eum hominem cepiſſet, qui ſupra belli cauſam, Veneto nomini infenſiſsimus, per quinq; annos, poſitis nunquam armis, Venetorum partes oppugnaſſet, inhumanamq; crudelitatem in captiuos exercuiſſet. Nam quibusdã oculos eruerat, alijs amputauerat manus, aut aures abſciderat: videbaturq; is, ſi pacis vnquã mentio fieret, æquiores conditiones allaturus: quoniam Gurcenſis cardinalis, ſororem ei in matrimonium collocarat: & Cæſar fideli eius ſemper atque fortiſsima opera vſus, calamitoſi viri rationem habituri videbantur. Sed Vetturius haud diu ea re bene geſta lætatus, cum in explorato itinere per impedita regionis euagaretur, cum ala ſuorum equitũ à Cæſarianis captus eſt, resq; poſtea in Foroiulio aliquanto quietiores fuere. Sed paulò poſt ad Citadellam agri Vicentini, longè plures Venetorum equites, quàm ipſi ex Cæſarianis ad Portumnouum ceperant, ab Hiſpanis oppreſſi ſunt. Pręmiſerat enim Liuianus ſupra Vicentiam, Bernardinum Antiniolam cum trecentis equitib. ad tuenda ea pręſertim oppida, quæ vagantibus Hiſpanis maximè opportuna

iniuriæ videbantur. Erat id genus præſidij incertum & vagum: nam quicquid camporum & collium inter Baſsianum, Citadellam atq; Maroſticam interiacet, interdiu circumducto equitatu percurrebatur: cæterùm noctu ad vnum trium oppidorum equites ſe recipiebant. Quibus de cauſis, quum improuiſi omnibus horis, ac omnibus in locis occurrerẽt, nulla niſi bene valida hoſtium manus, aut in pagis tutò conſiſtere, aut ex priore conſuetudine, paulo liberius prædatum ire audebat. Verùm eæ rerum difficultates paulo poſt breui negotio ſublatę. Nanque Cardonius multum antea in eos equites intentus, vt pabulatoribus ſuis pacatum agrum redderet, circum emiſsis ſpeculatoribus, occaſionem opprimendi hoſtis inuenit. Fortè enim ab excurſione Cittadellam ſe receperat cum equitibus Antiniola, vt eo in oppido ex quotidiana conſuetudine pernoctaret. Id cum properè nunciatum eſſet, Cardonius nequaquam moratus, depoſcente Piſcario, omnem leuem armaturam expedire arma, atque equos aſcendere iubet, & ſupra quingentos ex omnibus cohortibus lectiſsimos pedites ita adiungit, vt accelerandi itineris cauſa, ſinguli equites poſt ſeſe ſingulos eodem equo conſeſſores pedites adueherent. Piſcario autem pręcipit, vt cum ea manu Cittadellam contendat, vtatur noctis beneficio, & ne quod effugium pateat hoſti, ſine tumultu portas diſpoſitis ſtationibus obſeruet. Ipſe vero cum tormẽtis & maiore parte exercitus iuſtis paſsibus, atq; hiſdem veſtigijs Piſcarium ſubſecutus, eò proficiſcitur. Antiniola qui nihil minus quàm Cardonium, quẽ eo ipſo die ad vetera caſtra ſedere per exploratores cognouerat, aut moturum inde, aut educto exercitu ad ſe opprimendum tanta celeritate conuolaturum putauerat, poſtquam ab excubijs conclamatum eſt adeſſe hoſtes, tuba ſignum proponit, quo moneantur milites, vt equos inſternant, atq; arma capiant. Verùm antequam milites è contubernijs repentino metu exciti ad ſigna quæ in foro erant, coirent, iam oppidum corona cinctum erat. Tum verò Antiniola dux impiger eruptione facta, in hoſtes inuehitur, impetum irruentis Piſcarius per ſclopettarios egregiè ſuſtinet, confoſſo cadenteq; equo in pedes deſilit, compulſiſque intra portam hoſtibus muro tormenta admouet. Nec mora, patefacto anguſto aditu, Hiſpani vi facta irrumpere conantur. Veneti equites acerrime propugnant, Ferdinandumq; Nigrum eximię virtutis centurionem interficiunt. Dum eo modo contenditur, atq; hoſtes diſtinentur, Piſcarius ad aduerſam oppidi partẽ ſcalas ferri, apponiq; imperat, ipſeq; inter primos murum conſcendit: hortatur Romerium ſigniferũ, vt ſaltu intro audacter ſe deijciat. hunc perfracta coxa ex caſu ægrè ſe erigentem, Mancius ſummę fortitudinis centurio ſubſequitur. Tum verò alij atq; alij per lanceas ſe deijciunt, oppidoq; nemine ab ea parte defendente, potiuntur. Itaq; Antiniola vndique circumuentus vulneratur, & capitur: oppidumq; multis equis multaq; diuite præda repletũ ab Hiſpanis diripitur. Antiniola verò (quod erat ex ſorore Liuiani genitus) reliquis ferè omnibus dimiſsis, honeſta in cuſtodia ſeruatus eſt. Ad Veronam autẽ Malateſta Baleonus nõ multos poſt dies incõmodum Cittadellæ acceptum aliqua ex parte ſarciuit. Is enim per montana delatus in agrũ Veronenſem, nõ longè à vico ſancti Martini delectos ſingulari pernicitate Epirotas equites pręmiſit, qui in ſuburbanas villas excurrerent, et proxima quęque mœnibus, tumultu per agros excitato popularẽtur: ratus, ſicuti proſpero euẽtu ad Portumnouũ acciderat, præſidiarios eruptione ſeſe in temere prouectos Epirotas effuſuros, & bene gerendę rei occaſionẽ prębituros. Nec eum fe-

fellit

fellit opinio: namq; vt primũ adeſſe hoſtes agreſtium clamore & fuga nunciatũ eſt, moxq; è mœnibus in proxima volitantes, ac omnis pecoris abigentes prædam cernerẽtur: Cęſariani nulla interpoſita dubitatione quin erumperent, & in primis Succarus iuuenta & robore viriũ ferox, patefacta porta in hoſtes citatis equis impetũ faciunt. Epirotę quo magis inſidię tegerentur, conglobati primo terga vertere, pecus et ſarcinas prę ſe agere, ac demũ ſimulare ſe numero hoſtiũ territos, & paſsim deſerere prędam. At Succarus, vt primo congreſſu recuperatam maximã prędæ partem, atq; hoſtes loco pulſos pleniore curſu regredi videt, conuerſus ad ſuos, Patiemúrne, inquit, ſemper hoc fugaciſsimũ hoſtium genus pro portis impunè latrocinari? Quin feſſos recentibus equis inſequimur, & temeritatis pœnas dare cogimus? Hæc dicentem atq; acrius incitãtem equum plures varij generis equites inſecuti, dum in nouiſsimo fugientiũ agmine multum curſu vulneribusq; contendiſſent, in inſidias pręcipitantur. Malateſta enim qui ex compoſito in caua valle tectus arborib. inſtructos equites cõtinebat, dato repente ſigno per tranſuerſum in patentẽ viam proſilijt: atq; ardẽtius euectos hoſtes à tergo adortus, nouam aciẽ intercluſis oſtendit. Cæſariani vndiq; circumuenti, dum facto cuneo perrumpere in proximũ campũ contendunt, ab circumfuſis opprimuntur. Ex Pontificijs, Tiberius Galeſius equitum pręfectus haſta transfixus cadit. Aſcanius Romanus Columnię alę vexillifer, et Succarus ipſe, & Gothifredus Calearius Veronenſis prętoriæ cohortis præfectus, capiuntur. Hos cùm Malateſta cũ alijs captiuis in caſtra perduxiſſet, Liuianus Aſcanio & Succaro comiter appellatis, Gothifredũ multis verborũ contumelijs affectum fruſtra deprecante Malateſta, è veſtigio necari iuſsit: quoniam quũ ſermo de Liuiano incidebat, petulantius obloqui, & ſine pręfatione honoris, puſillã eum & gibberoſam beluam appellare conſueuerat. Acceſsit quoque ad maturandum ſupplicium, quod partium Cęſarianarum caput erat: & multùm manu conſilioque ne Venetus vrbe reciperetur, obſtiterat: quum per varias bellorum occaſiones multi e ciuibus tædio præſentium rerum atque hybernorum incommodis fatigati, à Cæſare ſeſe totos alienaſſent. Succarum autem tanto in honore apud ſe habuit, vt eum quod eſt inuiolabilis amicitiæ ſacramentum, his ſacris adhibuerit, quibus luſtrico die Liuium Septimum nuper ex ſorore Baleoni ſuſceptum baptiſmate abluit. Ea res ſolenni ritu & maioribus cæremonijs celebrata eſt: ſiquidem in ripa profluentis Medoaci, armatus & diuiſus exercitus tanquam aduerſæ acies in ſimulachrum iuſtæ pugnæ præpilatis haſtis concurrit: diſploſaque puncto temporis tormenta omnia in lætitiæ ſignum, tanto armorum fragore et clamore militum, vt præteruolantes aues exanimatæ ceciderint. At Rentius qui Cremæ cuncta obſidionis mala ſingulari conſtantia perpeſſus totum æſtatis tempus extraxerat, videbatur ob peſtilentiam Fortunæ ceſſurus, quæ, vulgata paſsim per milites ac oppidanos cõtagione, multisq; hominum milibus ea lue abſumptis, in eius quoq; prętoriũ irrepſerat. Sed miteſcente iã cęlo, et quũ iam rari eſſent in quos ea vis graſſaretur, omni diligẽtia remedijs cõparatis, priſtinas animi vires recipere, ac redire in antiquã ſpem ſuſtinendæ obſidionis cœpit: his maximè de cauſis, quòd conniuente ad hæc Pontifice, à Placentia commeatus liberè ſupportabantur: neque id omnino paucitate militum prohibere poterant Proſper & Syluius. Cremenſis autem obſidionis impediendæ negotium ſuſceperat Nicolaus Scotus, & cum eo multi eiuſdem factionis Maximiliano Sfortiæ infenſi: quod

animo propoſuerant propinquitate regionis atque notitia itinerum ſumma facilitate conſequebantur. Erant qui exiſtimarent, Pontificem harum rerum eſſe authorem, qui haud diſsimulanter diſtineri attenuarique eo bello Maximilianum volebat: ne ſi Crema potiretur, bello vacuus in eodem victoriæ curſu Placentiam Parmamque reciperet. Cui vni curæ Heluetios quoque animum intendere, nec per occaſionem, quin eas vrbes repeterent, poſtquam legationib. id fruſtra tentauerant, vllam moram facturos apparebat. Igitur ob eas res obſeſſi, auctis animis bona ſpe compleri: in Syluianis verò caſtris refrigere obſidionis apparatus, remiſſa corruptaque omnia eſſe. Enimuerò quum ſtipendia minime procederent, & ſeueritate Poſperi ab rapinis milites abſterrerentur, multi deiecti ſpe prædæ, quòd Cremam expugnari poſſe deſperabant, alij occultè dilabi, alij oppreſsi ære alieno atque omnium rerum inopia, equos vendere, alij victi diuturnitate quotidiani laboris miſsionem petere. Syluius verò ſingulos complexus, deprecari ne poſtquàm ad laborum finem peruentum eſſet, diſcedere vellent ab ſe duce, ab ſemicapta vrbe, ab his deniq; munitionibus quas tanto ſtudio laboreque perfeciſſent: affore breui, qui ab Mediolano pecuniam afferant, ſtipendumque perſoluant. Sed poſtquam ſuper ea re ſæpe ad Maximilianum fruſtra ſcripſerat, apud Proſperum demum legatumque principis agere, ac obteſtari ſe deſerturũ eas munitiones: aut ſi coactus eo in loco permaneat, ni confeſtim copijs pecuniaque iuuetur, aliquod lethale vulnus accepturum. Hæc & ſi ſanis auribus accipiebantur, attamen quoniam fama erat, Syluium, alioqui nobilem ſtrenuumque virum paulo illiberalius quæſtui vacare, & milites ſtipendijs ſuis fraudare, nihil quod vſui eſſet, ab Mediolano ſubmittebatur. Verùm, vt poſtea cognitum eſt, Maximilianus longè altiore conſilio negligentiam ſimulabat: patiebaturque bellum incurioſius geri, quoniam Cæſar, ſi Crema caperetur, aliena pecunia, alienoque etiam periculo partam, eodem iure quo Brixia & Bergomum tenebantur, acquiri ſibi volebat: atque adijci veteri imperio, quod Abdua flumine finiretur: quæ res haud mediocrem Maximiliano formidinem intenderat. Is enim rerum ſuarum ſollicitus, hoſtem Venetum viribus attenuatum imperio ſuo finitimum eſſe malebat, quàm amicũ Cæſarem in Italia eò potentiæ efferri, quæ mox ſibi formidini atque exitio foret. Siquidem conſtabat Cæſarem pulſis ab Italia Gallis, quum Maximilianum in Inſubres è Germania properantem ab itinere ad Conſtantiam retinuiſſet, cogitaſſe de tradendo Inſubriæ imperio Carolo nepoti: traditurumque fuiſſe, niſi Heluetij & Iulius pontifex, ad quorum dignitatem pertinebat potiri rerum Sfortianos, apertè conatibus eius obſtitiſſent. Igitur dum peruerſis conſilijs Sfortiani bellum gerunt, Rentius nactus occaſionem inuadendi hoſtis parat ſulphureos ignes, quos ligneis tubis tripedalibus atque ollis teſtaceis incluſerat, quorum formam rationemque tradidimus in memorabili oppugnatione Rhauennæ. Sebaſto autem Narnienſi imperat, Andreæque Matritio præfectis, vt cohortes inſtructas ſub ſignis de prima vigilia ad portam ducant, ibiq; ſignum profectionis expectent. Erant duo omnino aditus quibus adoriri Syluiana caſtra poterant, ab læua vbi latior campus & via publica quæ ad Vmbrianum ducit, difficilem habebant oppugnationem: quoniam ab ea parte Syluius firmiſsimas munitiones erexerat, ac locis idoneis tormenta & perpetuas militum ſtationes impoſuerat: ab dextra autem nec foſſam nec vallo, ſed ſegni tantum cuſtodia muniebantur, quòd iuxta erat palus limoſis atque

perpe-

atq; perpetuis aquis fœda & inacceſsibilis. ab foſſa etenim quæ ab incolis Trauaconia appellatur, vitio interrupti aggeris magna vis aquæ in ſubiectam planiciem effundebatur. Ab hac parte Rentius, quòd nihil tale expectaturos hoſtes intelligebat, audendum eſſe ratus, pontibus per noctem palude conſtrata, omnes pedites traijcit. Ipſe verò, vt ſuis, ſi quid durius accideret, ſubſidio eſſe poſſet, cum equitibus idoneo in loco conſtitit. Cæterùm Sebaſtus atq; Matritius edocti ab duce quid fieri vellet, traductis cohortibus maximo cum ſilētio, ſub teli iactum ad caſtra hoſtium cōtendunt. Ibi ſigniferis ſubſiſtere iuſsis, prægreſsi ipſi militum agmen noctis tenebris tecti ad Syluianos vigiles ſuſpenſo gradu perueniunt. Eos tanquam ſocij eſſent ex Syluianis exploratorib. demiſſa voce leniq́ue ſibilo deceptos, ac ſerò teſſeram poſtulantes truncant, confeſtimq́ue vocatis ad ſe cohortibus delati ad caſtra, ignes quos parauerant in ſemiſopitam ſtationem, & in proxima tabernacula militum iaculantur. Ita puncto temporis omnib. fermè tuguriolis incenſis, quàmlatè relucens flamma fœdam militum, æquorum trepidationem & fugam, qualem in nocturno metu oriri neceſſe erat, & armatam hoſtium aciem irruentem oſtendit.. Heluetij qui ex prima cohorte ducenti fermè aderant, quanquam ab ſomno attoniti, & turbati incendio aſpectuq́ue hoſtium ſatis pro diſciplina ſolitaq́ue virtute conferti irrumpentes excipiunt, aduentuq́ue Syluij, qui arrepto ſcuto per ignes & ſemiambuſtorum equorum fugam, inermiumq; militum tumultum cum familiaribus aduolauerat, impetus hoſtium aliquantum repreſſus. Sed quum tubi formidabilem vomentes ignem, atque ollæ cum exitiabili flamma intortæ ab Venetis per turmas expedientesq; arma milites volitarent, tanta conſecuta eſt omnium trepidatio, vt diſsipatis ordinibus, ac neglecto ducis imperio, nemo conſiſtere auderet, ſed protinus euitatis incendijs ſaluti fuga conſuleret. Ita in confuſos conſternatosq; illati Veneti occiſo Pettero Heluetiorum duce, & Florabraccio Stipiciano equitum præfecto, caſtra occupant, tormenta, quę per tumultum à Syluianis diſplodi non potuerant, in fugientes conuertunt, & cum ingenti equorum atq; hominum præda ſatis magna hoſtium cęde edita, in oppidum reuertuntur. At Proſper qui mille & quingentos amplius paſſus inde aberat, quanquã ex incendio caſtrorum tormentorumq; boatu, haud incertus erat, verſari in maximo diſcrimine Syluium, ſiue is hoſtilis vel fortuitus ignis foret, nihilominus nocturna prælia non eſſe tentanda exiſtimans, neq; temerè exeundum, vt ſera remedia perditis iam rebus afferrentur, cauto magis quàm nobili conſilio armatus ſuis munitionibus ſe continuit. Syluius verò è medijs hoſtibus flammisq́ue conſcenſo, quem ſors obtulerat equo degeneri, incolumis Laudem ſe recepit. Ea clade hoſtili illata, Cremenſes quum ab magna rerũ omnium inopia in eo ſucceſſu victorię ſubleuarentur, nõ tantùm liberati obſidione, ſed obſeſſuri vltrò Proſperi caſtra commutata belli ratione videbantur. Eodem quoque tempore Liuianus animo agitans, quibus maximè conſilijs atque artibus acceptas clades vlciſceretur, Hiſpanos qui ſecundum Atheſim æſtiua habebant, adoriri conſtituit: neque id tamen aperta vi, quòd exercitui ex nouis delectibus refecto minus fidebat, tentandum ſibi arbitrabatur. Erat quatuor in partes diductus Hiſpanorum exercitus: apud Lendenariam vicum Piſcarius cum tribus milibus peditum: ad Rodigium Garcias Manricus cum ducentis amplius equitibus cataphractis: alia verò equitum ac peditum manus apud Baſtiam pagũ agebant. plures etiam ad ſui præſidium Cardonius Veronã

adduxerat, quòd tunc fortè à Cæſarianis de belli ſumma Veronæ concilium habebatur. Igitur Liuianus vt hoſtium ſpeculatores falleret, aliud ſimulando, quam quod ſibi occulte atque celeriter perficiendum propoſuerat, edicit, vt de prima vigilia omnes armati paratique ad profectionem ad ſigna conueniant. Interim quo magis conſilium tegeretur, aliquot tormenta addito præſidio ad Anaxum flumen (id hodie Piaua eſt) via Taruiſina aduehi iubet: cæterum diuerſo itinere intempeſta nocte à Brentellis tertio a Patauio lapide, quo in loco plures dies ſtatiua habuerat, caſtra mouet, & Maroſticam verſus atque Vicentiam, ignaris militibus quò ducerentur, contendit. Demum mutatis ſæpè caſtris per abrupta loca itineraq; autumnalibus pluuijs corrupta, noctu plurimũ iter faciens, cælo etiam ob aſsiduos imbres infenſo, ad Atheſim deflexit. Inde paululum moratus in his munitionibus, quas paucos ante dies, capto ibi Morellione Hiſpano, & præſidiarijs interfectis, Malateſta & Vrſinus occupauerant, conſtructo ex ratibus ponte flumen traiecit. Tum verò Liuianus militib. gratias egit, quod infeſti cæli iniurias & difficillimi itineris aſperitates forti animo toleraſſent: quòd ſingulari celeritate eo perueniſſent, vnde cum maxima præda ac laude eſſent diſceſſuri. Pararent extemplo arma, neq; laſsitudine aut alio corporis incommodo permouerentur: paratam enim eſſe prædam, facilemque victoriam, ſi eadem celeritate, vti ad Portumnouum feliciter egiſſent, & pari prope errore hoſtium vterētur. Demum Cardillum virum impigrum quem familiaribus equitibus ſuis pręfecerat, & Malateſtam cum expeditis turmis Rodigium præcurrere, & quoſq; obuios capere ac vincire, ne per illos aliqua aduentus fama ad Hiſpanos deferretur, atque occupare demum portam iubet. Ipſe continuò ſubſecutus triplici acie inſtructa, paratus oppugnare incluſos aut prælio decertare, ſi cognito eius aduentu hoſtes erumperent, ad oppidum pergit, tanta felicitate atq; ſilentio, vt quum ſubiectos mœnibus campos iuſtus teneret exercitus, nemo tamen id ſenſerit, aut viderit. Ea enim erat in oppido rerum tranquillitas, vt Hiſpani, qui nuper audierant Liuianũ ſupra Maroſticam raptare exercitũ, veluti in ſumma quadam ſecuritate ſoluti ocioſiq; ſine cuſtodia, ſine ſtatione in foro eſſent: nam ea fortè die mercatus rerum venalium ab agreſtibus qui è proximis pagis conuenerant, habebatur. Ita Cardillus & Malateſta per quem Liuianus omnia difficilia atque aſpęra tentabat, nemine prohibente, citato curſu portam irrumpunt, atq; in forum conuolant. Extemplò turbata ibi omnia, fœminæ agreſtes, oppidani, tumultuari, diffugere, militibus Hiſpanis maximo impedimento eſſe. Tamen milites quanquàm repentino periculo exterriti, quòd arma induere, capere haſtas, equóſue conſcendere vndiq; circumuenti non poterant, ſiniſtras ſagis inuoluunt, gladioſq; diſtringunt, ac multis illatis & acceptis vulneribus Cardillum ante alios impigrè pugnantē interficiunt. Sed ſuperuentu cohortiũ quas Vrſinus introduxerat, et multitudine equitum oppreſsi obrutiq;, quum virtutē irritam ac exitialē fore cognoſcerēt, ſi pertinacius reſiſteretur, gladijs proiectis deditionē fecerũt. Ita fortiſsima atque ornatiſsima ala equitum cum ingenti pręda capta, atq; oppidum cum externis etiã mercimonijs, quæ fors ea die congeſſerat, direptum: Garcias Manricus cum ſigniferis turmarumque pręfectis Venetias perductus & in carcerem conditus eſt. At Piſcarius ſerò de ſuorum fortuna certior factus, quum coactas in vnum copias in hoſtem via Rodigina ducere cœpiſſet, cognouiſſetque non multo poſt Liuianum cum vniuerſo prope exercitu eam rem

confeciſſe

confeciſſe, erectoq; animo maiora moliri, ab Lendenaria mutato conſilio Veronam ſe recepit. Interea Rentius deletis Sylui copijs, de ſucceſſu Liuiani per literas edoctus, in ea rerum occaſione, ſuadente legato Veneto, Bergomum contendit: vltroque receptus ab his ciuibus qui ſemper victi mulctatique pecunia, nec tum quidem à prima fide, vel infelici exitu diſceſſerant, vrbe potitur.

Occupato Bergomo, ſpes quoque recipiendi Brixiæ Venetis facta eſt. Nec mora cum duabus cohortibus & turma equitum Bartolomæus Villaclara nobilis Brixianus, cuius forti opera eo bello Veneti vſi fuerant, & cum eo Nicolaus Scotus Brixiam mittuntur, qui ciuium animos tentent, augeantque in maius Rodiginam victoriam, & Bergomatium facti exemplum ad laudem proponant. Verùm ij quòd virtute & diligentia Aloiſij Icardi, qui tunc arcis cuſtos & præſidij præfectus erat, ambiguæ fidei ciues in officio continebantur, irrito incœpto Cremam redierunt. Secundum tamen Bergomatium defectionem, quum Hiſpanos fermè omnes vndique deletos eſſe falſis finitimorum rumoribus afferretur, pleriq; ſociorum inclinatis ad rebellionem animis, res nouas molituri videbantur. Cæterùm Cardonius ab Verona cum valida parte exercitus, et ab Crema Proſper motis properè caſtris, ad oppugnandum Bergomũ vno tempore conuolarunt. Syluius quoque ab recenti clade reparatis copijs, accitisque è Briganteis montibus peditum auxilijs, cum apparatu oppugnandæ vrbis Bergomum contendit. At Rentius qui res hoſtium perditas ac profligatas eſſe exiſtimans, relicta Crema, Bergomo parum munitæ vrbi ac muro debili, cùm ſuam tum exercitus ſalutem temerè commiſerat, cognito diſcrimine, parare ea cœpit, quæ ad defenſionem pertinebant. Concionatusque ad Bergomates, docuit rem nullius eſſe periculi, modò priſtinæ fidei memores eſſe, et iuuare rem Venetam vellent, ſicuti antea impigrè liberaliterq; feciſſent. Scire ſe propediem affuturũ cum victore exercitu Liuianũ: nec dubitare de victoria: futurum enim eſſe, vt hoſtiũ copiæ, in quibus nihil præter vana ducum nomina roboris ineſſet, vna die aut nocte altera delerentur. Ante omnia ſuſceptos hoſpitio milites alerent, darentq; operam, ne qui temerè per vrbem tumultus excitarentur; cætera ſibi curæ fore. Ita ciuibus alacriter imperata facietibus, ſuburbana ædificia lugente populo diruit, coactisq; ad opus ex plebe & ex agreſtium numero tribus hominum milibus, introrſus ab muro foſſam denos pedes latam perducit; omne genus telorũ locis idoneis imponit: & ſingulis cohortibus ſecundum vrbanas tribus, certa mœnium ſpacia defendenda attribuit. Campanas demũ (inuiolatũ ante eam diem, ſacri æris genus) tẽplorum turrib. detrahit, & cõflat: eorumq; metallo vtitur ad fundendas colubrinas. Hæc ſicuti impigrè Rentius Bergomatesq; parabant, ita foris egregiè ab tribus ducibus bellum gerebatur. Syluius, cui id negotium demandatum erat, ab ea parte qua ſuperiore anno caſtra habuerat, mœnia tormentis aggreſſus: quũ abolendæ ignominiæ auidus, obuiã eundo periculis ingentem mœniũ ruinam edidiſſet, magis ac magis patefacto aditu, magnam ſpem irrumpendi Hiſpanis militibus fecit. Neq; Rentiani per decliuia, ideoq; expoſita falconũ ictibus loca, abſque magno periculo hiantem maximis paſsim feneſtris murũ ligneis dolijs atq; ceſpitibus obiectis ſarcire poterant. Quibus de cauſis, quum pauor & conſternatio ciuium ac militum animos occupaſſet, Rentius ſeruandi exercitus, ac dedendæ vrbis conſilium cepit. apparebat enim eos vix primum hoſtium impetum toleraturos, Hiſpanorumque præſertim, qui ſupra cæteras bellicæ virtutis laudes, ſcientia

atque artibus expugnandarum vrbium maximè valerent. Eo etiam minore ciuium ſpe, militumque fiducia, quòd conanti per egregios artifices tormenta conflare, nullum iuſtæ magnitudinis effingi potuerat, tanquam Dijs iratis, & ſua æra in humanam perniciem transfundi vetantibus. Igitur Rentius nullam prælij fortunam periclitatus, ſicuti omnium opinione celerius, ita non pro vetere virtutis fama tubicinem emittit, & cum eo idoneos ex numero ciuium & militum, qui deditione cum hoſtibus agant. Quod vbi in caſtris vulgatum eſt, conclamant milites è manibus eripi ſibi victoriam: contumelioſeque & ingratè facere duces, quòd ſe omnium rerum indignos, & militum miſerrimos, confectos labore atque vulneribus tenuiſsimis ſtipendijs alant: quum verò ad prędam & ad parata belli præmia virtute viam aperuerint, tunc malignis conſilijs & fœdis pactionibus faciles expeditasque victorias interpellerent. Seruari eo modo hoſtes, non deleri, ac foueri bella, non confici, dum priuatis quæſtibus duces ſtudent, & ſanguine militum abutuntur. Ideoque ſe in poſterum dicto audientes non futuros, ſi in tanta delendi hoſtis occaſione, ſuis pręmijs & propoſita laude fraudentur. Syluius quoque, quòd eum recentis iniuriæ dolor vehementer incitaret, ad Rentij priuati hoſtis & opulentæ vrbis excidium ferebatur. Sed contrà differebat Proſper, ab inſita moderatione clementiaque Italico præcipue ſanguini parcere, & clades ab agris atque vrbibus auertere ſolitus. Non enim militum libidini obtemperare duces debere, qui militiæ ad ſummũ laudis decus aſpirent, et à iuſta generoſi animi probitate famam quærant, latrocinantiumq; militum immanitatem abominentur. Eam enim eſſe propriæ diſciplinæ rationem, vt incruentis, quantum fieri poſsit, armis victoria petatur: & vrbes ad partę pacis commoda diligentiſsimè conſeruentur, vt inde vberrima militi ſtipendia cum laude, non ſpolia immerentibus populis, aut altaribus et fanis cum nefario ſcelere detracta proueniant. Itaque ſibi videri cum Rentio Bergomatibusque de deditione perquàm maturè tranſigendum, proficiſcendumque continuò aduerſus Liuianum circa Atheſim cuncta metu cladibusq; miſcentem, quem facilè paludibus implicitum oppreſſuri ſint, ſi in eum totam belli molem conuertant: opportunè quoque Piſcarium iam à Verona deſcendentem facturum inde negotium hoſti, ad non dubiam victoriæ ſpem: quòd ſi hæreant, atque oppugnando dubiam prælij fortunam tentent, & incerta certiſſimis anteponant, accidere poſſe, vt hinc & illinc elapſam occaſionem conquerantur. Quin etiam meminiſſent ſe cum ſtrenuo duce, cum valido veteranoq; præſidio, cum pertinaciſsimis ciuibus ex iniquo loco dimicaturos. Quòd ſi id Fortuna tribuat, vt paruo detrimento victoria paretur, nihil certè deuictis hoſtibus Cæſari præter deletę vrbis riuinas relinquendum: & quod ſuorum ſingulari damno incommodoq; accidet, ditati præda milites à ſignis ſine miſsione aliò atque aliò dilapſuros. At vrbe incolumi ſperari inde certa ſtipendia, quibus milites in officio continerent: permanſuroſque demum in perpetua fide Bergomates, ſi eo clementiæ beneficio deuincirentur. Huic tutæ mitioriq; ſententiæ Cardonius facilè aſſentit, & Bergomatibus ex merito de fortunis ac vita deſperantibus incolumitas datur. Rentius verò cum præſidio (erant ij ad quatuor milia equitum ac peditum) ſine tuba, ſine tympano Cremam redire permittitur, ea conditione, vt quantum ad rem Cremenſem pertineret, trium menſium induciæ forent: atque ita Bergomates mulctati pecunia, leuitatis ſuæ pœnas dederunt. His rebus confectis Cardonius & Proſper ſtipendium militi perſol-

perſoluunt:& cum expedita parte exercitus,ſicuti animo propoſuerant,ad Liuianum qui tunc ad Alieniacum caſtra habebat, quàm maximé poſſunt iuſtis itineribus proficiſcuntur. Eodem quoque vſi conſilio Piſcarius & Alarco, eductis Verona copijs ad Montem Silicem iam peruenerant, atque idoneo in loco vltra Atheſim caſtra poſuerant:rati Liuianum è Rodigio atque Alieniaco in vetera caſtra redeuntem, à propoſito itinere auerti atque intercludi poſſe, vel neceſsitate itineris in proximas regreſſum paludes expugnatum iri ab ipſa locorum iniquitate. Sed Liuianus haud ignarus rerum quæ ad Bergomum infelicem exitum habuerũt,iudicans Cardonium & Proſperum nullam moram facturos,quin celeriter ad ſe opprimendum per Cremonenſem agrum et Mantuanum conuolarent,ne ſibi cum duobus exercitibus res foret, in pacatum excogitato nouo itinere ſe recepit. Tormentis enim ac totius exercitus impedimẽtis ratibus impoſitis, quæ ſecundo amne Atheſi in Hadriaticum deueherentur,ipſe cõtinentes ac difficillimas paludes ingreſſus, quà nunquam antea exercitus ductus fuerat,ad Caput aggeris maritimum vicum nõ longè à Clodia foſſa,præter hoſtium atq; accolarum opinionem,incolumem reduxit exercitum. Nec multò poſt Maximilianus Sfortia Nicolaum Scotum, quem non longè ab Abdua cum equitum & peditum manu auxilio Bergomatibus venientem pauci Heluetij in itinere ceperant,capitali ſupplicio affecit. Erat is propter bellicam virtutem maioribus ſuis dignus,ſed qui lingua immodicus, dum Maximilianum inſolenter carpit,malè principum vires ſuperbo præcipitique ingenio metiretur. Sub idem tempus Galli, qui reliqui omnium in Italia apud Genuam in arce Phari,tunc maximè terra marique obſidebantur,deditionem fecerunt. Verùm quum per viginti ſeptem menſes,quibus egregiè obſeſsi omnes rerum aſperitates tolerauerant,(ſępe varij et memorabiles caſus acciderant, non prætermittendum videtur,quod dignum memoria exiſtimauimus. Soluerat à Nicæa Prouinciæ Ludouici Regis iuſſu vir Dalmata, rei maritimæ aſſuetus,cum nauigio iuſtæ magnitudinis omnis genere commeatus onuſto, eo conſilio,vt ſuis ad Phari arcem multarum rerum inopia laborãtibus opem ferret,quod duobus minoribus ante nauigijs felici nauigatione contigerat. Is prętereuectus ſuperiorem Ligurię oram,imprudentibus his,qui cum expedita claſſe ea maria cuſtodiebant,rapidum ex alto nactus Aphricũ conuerſis velis Pharum tenuit,atque arcis ſcopulo appulſus,obſeſsis quibus attineretur, rudentes dedit,& anchoras iecit,tanta Gallorum lætitia, quanta neceſſe erat in ſumma rei frumentariæ deſperatione. Nec liguſtica claſsis quæ in ſtatione erat, quanquam ex itinere prætereuntem tormentis peteret, contra ventorum vim eius impetum prohibere potuit. Itaque Galli nautæ in proximum littus exponere partem commeatus iam cœperãt cum maximo dolore populi Genuenſis, qui ad mare effuſus,& ſpeculas & littoris ſpatia compleuerat, gemens frendensq; impotenti ira, quòd tot menſium diligentiam & operam ac paratum laboris, & induſtriæ fructum puncto temporis amiſiſſent. Cæterùm Emanuel Caballus inter Ligures rei naualis peritiſsimus conuerſus ad multitudinem:hodiernum,inquit,negocium occaſionis eſt atque virtutis,non irarum vel intempeſtiui quæſtus. Quare macti virtute iuuenes,qui tantum dedecoris animo atq; oculis ſuſtinere non poteſtis,mecum hanc nauem ſtatim conſcendite:& ſi vnquam pro gloria dimicaſtis,nunc maximè ad retinendam naualis diſciplinę exiſtimationẽ,patriæ ac ciuibus fortiſsimam operam præſtate. Nec mora,ſcan-

dentem onerariam nauem trecenti fermè iuuenes, duce Andrea Auria viro impigro, ſecuti ſunt, nihil miſerabile mortis genus horrentes, quum haud dubiè obuiam hoſtium tormentis eundum eſſe intrepidis animis reputarent. Emanuel ſumma celeritate explicatis armamẽtis ſtatione egreſſus, modico in altum capto circuitu, quo aura plenius vela inflaret, ſecundiſsimi venti beneficio rectà ad hoſtium nauem contendit: nihilque territus crebris pilarum ictibus, quibus continẽter ab arce petebatur, iniecto ſtatim harpagone in eam primus inſiliit: & præciſis rudentibus, quibus propugnaculo arcis alligabatur, momento temporis àuulſam in altum abripuit, tanta arte atque peritia inter ſcopulos hoſtileque nauigium directa prora, vt quod propoſiti erat in maximo periculo, & nauem excluſerit, & abraſis ſcopulis paratum naufragium euitarit. Interiere tamen aliqui tormentis dilacerati, & Andreas ea incidentiũ pilarum procella attonitus, vix poſt multos dies ad ſe rediit. Dalmatam verò nauis præfectum, qui in mare ſe præcipitauerat, vt ad arcis ſcopulos adnataret, Iuſtinianus nobilis adoleſcens per vndas itidem adnatando, euadentem conſecutus, crinibus arreptum in proximum littus pertraxit. At Caballus captiuam trahens nauim, dum extra tormenti iactus in altum eueheretur, facilè ex alta naui in humilem tranſcendentibus armatis, ad ſexaginta Gallos interfecit aut cepit: mox regreſſus ad claſſem, ſumma populi gratulatione ſuſcipitur, donaturque quingentis aureis: præda verò ſociis naualibus diuiſa. Fuere ad centum vini amphoræ: frumenti & ſalitæ carnis vis ingens: tormentarii pulueris triginta cadi: præterea arma omnis generis: ſignata pecunia in ſtipendium triplex: veſtis multa, & varia id genus, quæ ad ſoluendam obſeſſorum inopiam excogitari paratiue potuerant. Ea res nõ tantum præſentis commeatus certam ſpem interpellauit, ſed in poſterum docuit, nihil temerè nauibus committendum aduerſus eos hoſtes, qui in re maritima virtute atque peritia longè alias gentes anteirent. Poſt id factum, apparuit, Gallos, qui omne cibariorum genus abſumpſerant, dedituros fuiſſe arcem, niſi (vt ſuo loco memorauimus) ante euentum prælii Nouarienſis, Adurnii & Fliſci eos omnibus neceſſariis rebus adiuuiſſent. Nouiſsimè verò Octauiano rerum potiente, quum ciues diuturnæ obſidionis tædio atq; incommodis fatigati, nec ſupremam hoſtium famem, nec vllam iam temporis moram æquo animo diutius ferrent, nouum oppugnationis genus inſtituerunt. Vni enim huic curæ maximè erant intenti, vt quandoq; infeſtiſsima arx, quam Galli Liguriæ frenum appellabant, in perpetuam ſpem libertatis expugnata tolleretur. Perſuaſerat Octauiano atque Senatui Petrus Hetruſcus machinator & artifex mirabilium operum, poſſe facilè excindi arcem, ſi actis per ſubiectam rupem cuniculis, immiſſoque tormentario puluere, exemplo Neapolitanæ arcis, nota certaque ratione ſequuturi demum intus ignes excitarentur. Verum quum nec à terra, nec ab aperto mari, vi ac multitudine tormentorum hoſtilium prohibente, deſtinatus animo artificis locus adiri tutò poſſet, ſumma negotii difficultas ab omnibus proponebatur. Arx enim præciſo vndique ſcopulo impoſita, qui porrectus in mare, peninſulæ formam efficit, à continente propter oppoſiti montis frontem, anguſtum & abruptum locum habebat, omni iniuriæ tormentorum atque telorum expoſitum. Quà verò circumfluo mari alluitur, propugnacula erant idoneis in locis erecta, inſtructaque maioribus colubrinis: quibus conſpecta in alto nauigia interuallo etiam viginti ſtadiorum, è deſtinato peti poterant: ſimulque lunata facie pateſcens portus & o-

peroſa

peroſa moles quę in altum excurrens frontem oſtendit, adeò infeſta reddebantur, vt nec humile quidem nauigium in portu conſiſtere auderet: atque vniuerſa claſsis ad Carinnianum littus, quod obiectu molis tegebatur, ſuſpectâ & male fida in ſtatione agere cogeretur. Hac etiam rerum iniquitate propoſitâ, quum humanis artibus locorum aſperitates audendo agendoque ſuperari poſſe exiſtimarent, eodem Hetruſco authore, nauigium ad Pontonis formam ædificant planiore carina latum capaxq;, & ingentis etiam molis patiens: huius latera cingebantur continenti & perpetua ſaccorum ſerie, in queis lanæ tomentaque inerant, atque id genus rerum quæ molliter cedendo vim tormentorum facile excipere atque eludere conſueuerunt. Id noctu ad arcis ſcopulos impunè adigi poſſe ſperabant: quò ſi peruenirent, quod nullus tormentorum vſus ab alta arce in ſubiectos foret, pluteis ac modica teſtudine tectis foſſoribus excauari tutò poſſe ſuppoſitam rupem omnium opinione confirmabant. Igitur paratis ad hoc ferramentis fabros imponunt, adduntq; præſidio cum delectis militibus Gigantem Corſum ſingularis animi centurionem. Ratio autem adigendi nauigij hęc vna reperiebatur, ſi noctu ingentem anchoram lembo aduectam ſub arce profundo mergerent, indeq; ductarium & longiſsimum funem ad nauigium perducerent, ea ſpe vt cum verſatili machina colligere funem cœpiſſent, reſiſtente anchora nauigium neceſſariò pertraheretur. Hæc quum imperata atque feliciter perfecta fuiſſent, & quieto mari intempeſtaque nocte nauigium adigeretur, Galli in omnes hoſtium motus excubantes, vtpote qui per ſuæ factionis homines multum antea cognitis eorum conſilijs Pontonis aduentum ſenſerant, ſubitò ſaxa, tormenta atque animos ad id certamen præpararunt. Enimuerò, vt poſtea ab ipſis Gallis cognitum eſt, ſummæ audaciæ vrinatores non deerant, qui noctu ſtationem fallerent, & literas in arcem deferrent. Iam dimidium itineris nauis confecerat, quum Galli extructam in ſummis propugnaculis ingentem pyram continuò ſuccenderunt: cuius late relucens flamma ſubiectum mare diſcuſsis tenebris illuſtrauit, tanta claritate vt tormentorum certiſsimis ſemper ictibus nauigium peteretur, & penitus transfuerberaretur. Quæ res omnium animos fregit, quod ſe noctis tenebris tectos fore, et obiecta remedia omnem eam vim impunè latura crediderant: quod ſecus accidit: nam prima pila adacta in proram, dilaceratis aliquot militibus & fabris, à puppe etiam euaſit: ſecunda pariter & tertia ac quarta innumerabilesq; aliæ, horrenda intus ſtrage edita, diſiectis miſerabiliter humanis artubus, cruore, cadaueribus et deſperatione totum nauigium compleuerūt. Ita quum quiſque metu mortis ab officio diſceſsiſſet, nec vlla iam ſpes ſalutis conſternatis corpore atq; animo relinqueretur, in mare præcipites deſiliunt. Ibi plures ſcaphis excepti quæ ad ferendum auxilium periclitantibus ſuis aduolauerant: alij verò, in queis fuere Gigas & Hetruſcus nantes, oppugnati etiam in vndis multis falconum ictibus, incolumes tamē ad littus peruenerunt: nauigium verò quaſſatum pertuſumque varijs in locis, paulo poſt eſt demerſum. At tunc maximè vſus rerum omnium magiſter edocuit, nihil validum aduerſus vim atque impetum tormentorum humana ſolertia poſſe comparari. Inclinante autem æſtate, quum Octauianus ſumma diligentia, qua Pharus terreſtri itinere aditur, diſpoſitis in ſtatione cohortibus, et triplici claſſe in alto conſtituta, veluti lunari acie circumiecta maria clauſiſſet, cuſtodes ad deditionem compulit: nanque intolerantia famis Gallorum corpora aduerſa valetudo tentauerat: atq; ea vis

morbi ingruente autumno, & deſperatis vitæ ſubſidijs, grauiſsimè graſſatura videbatur. His verò conditionibus arce exceſſum eſt, vt præſidiarijs ſtipendiũ ab Octauiano populoque Genuenſi continuò perſolueretur, & ſine fraude nauibus Maſsiliam aducherentur. Ita tradita arce et recepto ſtipendio incolumes in Galliam tranſportati. Populus verò leuatus tanto onere ac cura, quanquam ſuperis gratias ageret, & plurimum ea victoria lætaretur, omnes tamen cum memoria repeterent, quo dolore, quantaq; pecunia eam arcem impotenti Imperio victoris regis in collum propriosq; humeros erexiſſent, illam demum captam pauidis etiam animis horrebant. Apparrebatque eam maiores calamitates quandoque allaturam liberæ ciuitati, niſi quàmprimùm veluti excuſſo ſeruitutis iugo, fortes atque optimi ciues in memoriam recuperatæ libertatis, tanquam ſuſpectam & exitiabilem excinderent, atque delerent. Vnus quo minus id fieret Octauianus prohibere poterat, quum arma præſidiaque teneret. Sed is magno & liberali animo priuatis ambitionibus publicum decus prætulit, maximoque fauore omnium à fundamentis arcem euertit: aliquanto tamen maiore virtutis indole deſiderio ciuium ſatis fecit, quàm poſtea dignitati, patriæ atque Italiæ conſuluerit.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS.

LIBER XIII.

ANNVS qui fuit à partu Virginis milleſimus quingenteſimus quartuſdecimus, vniuerſam in primis Italiam cæterasque prouincias, quę proximè bello exarſerant, quietiſsimas habuit: nulla tamen ſpe futurę pacis: quandoquidem diuturnitate bellorum feſsi principes, quum haud dubiè attritæ omnium vires facilè reparari non poſſent, veluti conſenſu quodam arma poſuerãt, quę mox infenſioribus animis reſumerent. Adeò acerba inter ſe odia victi victoresque exercebant: vt veteres controuerſias, quibus notas etiam belli cauſas in tanta varietate caſuum addiderant, finituri minimè viderentur, niſi alterutris nihil reliquum Fortuna faceret, vel vtrique per mutuas clades ad internitionem bellando conciderent. Sed quantum pacata Italia Occidentisq; prouinciæ leuatæ bello videbantur, tantum Septentrio, & magna pars Orientis eo belli incendio deflagrarunt, quòd continenti veluti flamma, à viginti annis vniuerſum terrarum orbem peruagatum, & magna imperia, & nobiliſſimas gentes, cladibus terroreque concuſſerat. Ortum primò bellum in Pannonia atrocitate ſceleris potius nouitateque periculi, quàm rei geſtæ ſucceſſu memorabile. Imperabat tunc Pannonijs Vladiſlaus Sigiſmundi Sarmatarum regis frater, Matthiæ Coruino Hunniadis filio, cui ſucceſſerat, omnino diſsimilis,

miliſ. Nanque Matthias rei militaris peritia, magnitudine animi, & felicitate rerum geſtarum veterum Imperatorum gloriam æquauerat: hic verò diſcordia atque ambitione procerum, & viduæ reginæ libidine, quæ formoſi & maxime illuſtris noui regis nuptias appetebat, potius quàm inſigni virtute à Bohemico ad Pannonicum Imperium euectus cum ſingulari prouinciæ detrimento & fortiſsimæ gentis ignominia, ſæpe pudendam pacem atque otium neceſſario bello prætulit. Siquidem Turcarum incurſionibus ſæpe laceſsitus, qui finitimos agros exurere, et magnã captiuorum multitudinẽ quotannis abducere conſueuerunt, ſemel aut bis iuſtum exercitum inſtruxit: quo terrore repreſsis hoſtibus, præſenti metu potius finitimos ſoluit, quàm quòd exemplo Hunniadis, hoſtile ſolũ infeſtis armis ingreſſus populando vrendoq́; eos quoque ſimiles clades timere docuerit. Sed quum Selymus Turcarum imperator Perſico bello implicitus (vt mox ex ordine rerũ memorabimus) omnes Europæ copias per Helleſpontum in Aſiam traiecturus eſſet: vigeretque etiam tunc bellum in Croatia, plerique regni proceres, & in primis Thomas cardinalis Strigonienſis, excitato rege, propulſandi atque inferendi belli conſilium cœperunt, quaſi nutu Deorum bene gerendæ rei facultas offerretur: quòd nudata præſidio Mœſia, & Illirij Triballique infenſiſsimi Pannonijs hoſtes, abducto à Selymo flore militum, inualidi ad reſiſtendum videbantur. Verùm ea tempeſtate adeò affectus Pannonicarum rerum ſtatus erat, vt opulentiſsimũ paulò antè imperium commutata cum rege fortuna, inteſtinis malis corruptum, ignobile exhauſtumque iaceret. Namque Vladislaus cùm ſenio, tum multa obeſi corporis aruina oppreſſus, & ſolis confiſus Dei Diuorumq́; auxilijs, quos ſumma pietate pro ſalute ſua atque incolumitate imperij iam pridem accuratis precibus fatigabat, omnem regni adminiſtrationem omiſerat: ab vna tantùm innocentia, facilitate, indulgentia, & quòd plerunque ſui ac imperij obliuiſceretur, à proceribus commendatus. Quam occaſionẽ nacti complures reguli, & quiſque in prouincia potentiſsimus, qui Matthia vita functo, atque extincta cum eo militia, otio atque auaritiæ ſe corrumpendos dederant, fraude & malis artibus regnum prædæ loco habere cœperunt: oppugnare oppida & vrbes, plebem et miſeros agricolas impotenti dominatu & intolerandis exactionibus exagitare: non armis, non equis, aut denique militari gloria (vti mos gentis erat) ſed vni tantùm rapinæ atque auaritiæ ſtudere. Quibus de cauſis quum regni opes fœdiſsime dilaberentur, neque reditibus imminutis atque euerſis vectigalibus pecuniæ bellorum nerui pacisque ſubſidia vllæ iam apud regem eſſent, neque propoſiti rationem, neque modum cogendi exercitus facilè reperiebant. In ea difficultate negotij, quum res ad conſilium deferretur, aliqui ſuadebant nihil temere audendum contra eum hoſtem, qui ſi Aſiatico bello ſe explicet, aut diuiſis viribus retroſpiciat, aduerſus tyronem & collectitium exercitum robuſtiſsimas Ianizarorum legiones, & exercitatum atque innumerabilem equitatum tanquam ad certam paratamque victoriam ducturus ſit. Proinde ea maturius conſideratiusque tractarent: pertinere eandem belli cauſam ad Cæſarem & Sigiſmundum Sarmatarum regem, qui in Carinthia atque Polonia hiſdem quoque periculis miſcerentur. Itaque explorarent eorum animos, voluntatesque perſpicerent: quum nihil rectè aut ordine fieri poſsit, niſi communi conſilio & viribus bellum geratur. Erant vera hæc: ſed vanum aut difficile videbatur ſera ab his expectare auxilia, qui proprijs bellis diſtinerentur.

Nam Cæſarem Italiæ rebus intentum Venetus multò pertinacius quàm vnquam anteà, amiſſas vrbes bello repetens, exercebat. Sigiſmundum verò in finibus Lithuaniæ, Moſcorum & Scytharum arma, qui ſuperiore æſtate incurſiones fecerant, & Smolenchum oppidum occupauerant, ſuarum rerum ſollicitum alienos caſus reſpicere minimè patiebantur. At cum Tinninum Illyricę Croatiæ oppidum, propter maximam loci opportunitatem totius regionis propugnaculum, interea Turcarum impetum ægrè ſuſtineret, appareretque Turcas, qui è proximis pręſidijs vni huic curæ animos intenderant, vt loco potirentur, nullo poſteà negotio ad vlteriores gentes peruaſuros, in conſilio decernitur, euocandos eſſe milites, qui Chriſtianæ religionis auſpicijs militent, & gratuita opera regni fines tueantur, maximeque Tinninum atque omnem Croatiam ab iniuria defendant. Ea regio ad Illyricum pertinet: ab Aquilone latos habet campos, ab Auſtro ad Iulias alpes vſque ad Lyburnicæ oram ſe extendit. Introrſus Sauus flumen ex Carnicis alpibus per Illyricos placido curſu effuſus, ſimul Cetinna & Hunna minores amnes prouinciam claudunt. Igitur Thomas, qui nuper à Leone Pontifice legatione ſuſcepta ad Vladiſlaum venerat, aduocata frequēti concione, & recitatis ſacris diplomatibus, pollicetur eis qui arma induerint, & pro Chriſto Deo aduerſus Turcas in acie ſteterint, eorum criminum veniam, quæ humana fragilitate præter inſtituta legis impiè commiſiſſent: & denique egregiam mortem occumbentibus æternam cum diuis felicitatem. Ad huius edicti famam multi mortales coiuere, quibus Cardinalis purpurea cruce obſignari pectus iubet, eosque Cruciferos milites appellat. Sed mox quum latius per regni fines ea fama vagaretur, innumerabilis agreſtium multitudo relictis pagis arma ſumpſit: etenim durum laborem aſpernati, & tunc maxime nobilium odio deflagrantes, pars multò maxima tædio vitæ potius quàm pietate religionis adducti, ad vrbem Peſtum confluebant. Ea vrbs in vlteriore ripa Danubij ſita, interlabente fluuio Budam contrà reſpicit. Nec Peſti ſolum, ſed in vicis atque oppidis, vbi primi hiſdem perſuaſionib. domo exciti ex itinere alios atque alios ſibi aſſociauerant, non contemnendæ manus armabantur. Igitur barbara atque incondita multarum gentium colluuies, quæ ſicuti non vna cauſa arma ceperat, ita nullo ſalubri conſilio regebatur, primò inſoleſcere aduerſus nobiles, ac iactare, veniſſe tempus quo ſerui cum dominis vitæ conditionem commutarent. Poſtremò ſumma procacitate poſcere commeatum, rapto paſsim viuere, & comminari nobilibus excidium, niſi continuò eorum facultatibus iuuarentur. Thomas qui ab initio ad duo milia equitum & peditum ęgrè ſe conſcripturum putauerat, vbi renunciatum eſt paſsim manus cogi, exciri ſedibus remotas etiam gētes, et breui demum, ſi ſparſæ vires in vnum conferantur, ſupra quadraginta milia bellatorum in armis fore: tanta territus multitudine, publico edicto vetat ſuperuenientes cruce ſignari: ſi qui priuato conſilio ſibi cruces affixerint, his aqua & igni interdicit: atque eadem cęteris comminatur, ſi his tanquam impijs & ſceleratis non deceſſerint. Primi ex voluntarijs in queis erant plerique viri honeſti, qui pietate & promerendis cæleſtis vitæ præmijs nomina dederant, & à Cardinale cruces ſumpſerant, Ambroſio duce continuò ſeceſſerunt, atq; arma poſuerunt. Cæterùm alia multitudo quum neq; diris & execrationibus, neq; vlla denunciatione ſupplicij permoueretur, nequaquā à tam fœdo incœpto abſiſtere, populari vicos, expugnare villas, capere et per omnes cruciatus interficere nobiles, atq; eorum

agros

agros omni belli clade vaſtare. Nec mora, feroces et turbidi neglecta religione, & ſpreta authoritate regis atque legati, ne ſine imperatore, ſine auſpicijs exercitus eſſet, regem deligunt Georgium quendam Sechelum, virum fortem, intrepidum, omnis ſceleris audentem, nec ignarum militiæ: & ſuper hæc, nobilitatis hoſtem acerrimum. Is bipartito exercitu quo latius terrorem ſpargeret, & quàm effuſe graſſaretur, minoribus copijs Lucatium fratrem pręeſſe iubet: ipſe cum robore exercitus ſublato crucis vexillo ad vrbem Varadinum hoſtiliter ducit: in itinere cuncta in prædam vertit: nobiles quos capit, adacta per ſedem præacuta ſude, miſerabili ſupplico enecat: matronas, ingenuas virgines vniuerſo exercitui proſtituit. Varadinenſes cognita agreſtium immanitate, equitatum omnem vrbanum emittunt, vt agrum ab iniuria defendant: cum his agreſtes ineunt pugnam, ac primo impetu temerè inuectos equites fundunt, & magna ex parte trucidant. In ea rerum perturbatione Vladislaus & Thomas conſilij propè inopes, quòd ex inſperato omnia fœda aduerſaque obuenerant, trepidare, armare prætorianos: pręſidia ab finibus Turcarum reuocare, quod Peſti, quod Budæ equitũ erat colligere, atq; auxilia demum à Cæſare, à Sigiſmundo, à Bohemis poſtulare. Interea Georgius ad Cianadium contendit: eam vrbem, quòd vt pleraque regionis ædificia ex cratibus materiaque conſtabat, cumulo ſarmentorum & ſtramenti ſtruibus circumuallare inſtituit, vt nec tentata quidem oppugnatione ſubitis flammis incluſos, atque ædificia ſimul abſumeret. Vrbis Epiſcopus, qui ex apparatu hoſtium futuram calamitatem pręſenſerat, clàm ex oppido in proximas ſyluas effugit. Cæteri ferè omnes pars fumo, pars igne aut telis circumfuſę ſtationis, quę, ne vllum miſeris pateret effugium, loca flammis intacta, atque omnes exitus obſeruabat, cum oppido miſerabiliter perierunt. Poſtridie verò Georgius Cianadienſem Epiſcopum, quem repertum in ſyluis agreſtes vinctum in caſtra perduxerant, coram multis affectum probris & contumelijs, ferrea claua percuſsit, & ſemianimem palo infixum ſpectandum exercitui præbuit. Simili quoque rabie quoſque clariſsimos genere & opibus, aut ſacerdotijs inſignes conſectatus, vt in manus venerant, exquiſitiſsimis tormentis dilaniauit. His acceptis incommodis, & maioris etiam cladis metu perculſa nobilitas, paſsim per vrbes habitis conſilijs, quibus tanto diſcrimini atque imminentibus malis obuiam iretur, arma, tela, equos, tormenta, quanta fieri potuit celeritate aduerſus hoſtes comparauit. Primus omnium Ioannes Bornemiſſa, vir inter eas gentes, vt barbarum nomen ſonat, maximè ſobrius, delectus à rege cum Budano exercitu Danubium traiecit, & in patentibus campis contra agreſtes, quibus Lucatius præerat, aciẽ inſtruxit. Sed non prius ſolerti vir ingenio pugnandum ſibi cum efferis hoſtibus iudicauit, quàm eorum animos pertentaret, experireturq;, an vllis perſuaſionibus ſanari poſſent. Igitur circumemiſſo præcone, qui propoſita venia & oſtentatis præmijs liberam tranſeundi ad ſe poteſtatem pronunciaret: eos verò qui apud Lucatium manſiſſent, nullam ſpem poſtea ſalutis habituros, breui non cõtemnendam eorum manum in deditionem acceptam in caſtra recepit. Mox Lucatium, & cæteros crebris ſuorum transfugijs territos, eminus tormẽtis oppugnare adortus, quum inter munimenta carrorum, quos illi pro vallo Budanis obiecerant, pilarum procella magnam ſtragem edidiſſet, & mox collatis ſignis & circumfuſo equitatu fuſos & diſiectos latè occidiſſet, magnam eorum partem deleuit. Lucatius ab initio pugnæ, quum hauddubiè fortuna

hoſtium eſſet territus, cum paucis celeri fuga ad Georgium fratrem ſe cõtulit. Bornemiſſa ea parta victoria, Budam triumphanti ſimilis inuectus, dedititios magiſtratibus tradidit, vt ij ex iure & æquo quam mature decernerent impijs ne data fide ſeruanda, an ab his qui tot calamitatibus intuliſſent, nobilium ſanguis paribus ſupplicijs repetendus. Medium quoddam cenſuere patres, vt in defectionis authores, atque aliquos maleficijs inſignes animaduerteretur, ne fallendo publicam fidem, ius gentium violare viderentur: paucorum tamen exemplo terrerent cæteros, pluresque ſeruatos vellent: ne ſublata ſpe veniæ, efferatos iam multis immanibus factis aliorum animos, ad maiora ſcelera in ea deſperatione ſalutis accenderent. Itaque octo fermè ſecuri percuſsi, quinque ſudibus infixi, gratiſsimum nobilium oculis ſpectaculum præbuerunt. Nec multo pòſt nobiles ſucceſſu Bornemiſſæ aucti animis: quum vagi & in plures exercitus diuiſi agreſtes eadem ſæuitia, igne ferroque omnia popularentur, prope ad internicionem gentis aliquot ſecunda prælia fecerunt. Dimicauère primò ad Nagelacum vicum feliciter, mox apud Agriam vrbem aliquanto maioribus viribus, & pleniore victoria. Varadinenſes quoque dolore interfectorũ ciuium, ac vindictæ cupiditate accenſi, proſpero pugnæ euentu recentem iniuriam expiarunt. At Georgius tametſi tot cladibus acceptis, et vires, & ex aduerſa fortuna omnem ſuam exiſtimationem, quæ maxima ſæpe rerum momenta in ipſis negotijs afferre conſueuit, fratris vitio atque imperitia legatorum amiſerat, nihilominus ipſe animo non deficit: contractis reliquijs ac accitis nouis auxilijs bellum reparat, & ad Tybiſcum amnem progreditur. Oritur is in finibus Sarmatarum, delatusq; per vlteriorem Pannoniam, recepta prius Temeſa, haud ignobili flumine apud Furtarchum Danubio miſcetur. Ea erat natura rapadiſsimi fluminis, vt propter aquarũ multitudinem vado tranſiri non poſſet. Itaque Georgius ex proximis ædificijs dolia lignea, catenas ferreas, tigna, trabesque conquirit: ex his repentè pontem fabricat, tabulisq; conſternit tanta operis firmitudine, vt tormenta ęnea, onuſtos commeatibus currus, atq; omnia impedimenta exercitus facilè pateretur: atque ita omnes copias traducit, eo conſilio, vt in pacatiora loca abſcedendo, nouas vires acquireret, occuparetque aliquod oppidum in finibus Turcarum, quo ſe recipere, fruſtrari hoſtium impetus, atq; inde tanquam ex munita tutaque arce bellum in hyemem extrahere poſſet. Nanque ex Bohemia omni bellico apparatu inſtructas copias ad ſe opprimendum aduentare: præterea omnes nobiles & epiſcopos qui ex ſacris reditibus turmas equitum alere conſueuerunt, cum regio equitatu conferre in vnum vires audierat. Erat Temeſuar oppidum ab flumine Temeſa præterlabente nomen accipiens, arte naturaque munitum, quod maximo Pannoniorum ſtudio propter finitimos Turcas valido præſidio tenebatur: id Georgius ſibi animo propoſuerat expugnandum, ratus ſi eo potiretur veniæ & pacis magnã mercedem habiturũ: vel ſi Rex pacem abnueret, ipſe demum tradito oppido cum inſigni munere ad Turcas deficeret. Igitur prolatis tormentis quę bello ceperat, vel ipſe in caſtris cõflauerat, mœnia quatit. Mox vbi parum proficere viſus eſt propter loci iniquitatem, ſuorum imperitiam, propugnatorúmque virtutem, conſilium cepit inuadendi ab ea parte oppidi, qua flumine muniebatur: quod ibi nec altitudine muri, nec omnino arduo anſcenſu tutam, facilem & expeditam viam victoriam oſtẽdebat. Ergo in idoneum locum magna ſuorũ multitudine ad opus ducta, foſſas plures facere inſtituit: quib. Temeſam

paulò

pauló ſupra oppidum defixis in vado ſublicis, atque aggeſtis cratibus obſtructum magna ex parte auerteret. Nec ſucceſſus deerat, niſi induſtria obſeſſorum & prouincialium perfidia eares in irritum ceſsiſſet. ſiquidem magnis pollicitationibus atque pecuniis empti aliquot eius regionis agricolæ, qui in caſtris officij cauſa verſabãtur, noctu tranſgreſsi in aggerem, quum nulla ibi militum ſtatio excubaret, effractis obicibus, quibus ab priore vado repellebatur amnis, omnem illam aquarum molem veteri alueo reddiderũt. Georgius ſpe potiundi oppidi ſua etiam confeſsione deiectus, quum huc atque illuc raptando exercitum animo varius & conſcientia ſcelerum exęſtuans, nullum ſalubre exitum malè ſanis conſilijs ſuis inueniret, per exploratores fit certior, appropinquare cum magnis copijs Ioannem Tranſyluaniæ pręfectum, quem Pannonij Vayuodam vocant. Is nuncius Georgium quanquam ad omnia impauidum maximè perculit, & vim omnem agreſtium & ſpiritus fregit. Erat enim Vayuoda, qui ſibi poſtea regis nomen parauit, tametſi adhuc imberbis, propria indole & virtute paterna, multis fortibus factis apud Turcas æquè atque apud Pannonios clarus: magnaque erat eius exercitus opinio, quo cum Turci Zapolnis pater in finibus Tranſyluaniæ multos annos continenter bella geſſerat.

Tranſyluania vltra Danubium longè lateque patens regio, veteres Dacos & inferioris Myſiæ partem, extinctis priſcis nominibus occupat: eius ſolum varijs in locis auriferos ſurculos & glebulas aureas paſsim gignit. Cæterum paucæ vrbes, multa verò oppida, nec rara paſsim ædificia viſuntur. In vniuerſum armentorum diues eſt, & militarium equorũ ferax. Vladislaus regionem obtinet maiore gloria quam prouentu. Siquidem veteribus prouincię terminis ab Aquilone Sarmatas, ab ortu Valachos, Getas, & Turcarum fines attingit. Igitur Georgius vt vidit inſtare fatale prælium, quod haud dubiè ſupremis conatibus ſibi agendum pro ſalute, aut egregiè cadendum iudicabat, circumeundo exercitum, capere arma milites iubet, & in æquum locum deducit. Inde aduocata concione breuiſsimè docet, quę ſupplicia & cruciatus eos maneant, qui ab ſuo regę defecerint, & nobilibus tot calamitates intulerint, niſi vnum omnes ſentiant: & deſperata ſalutis conditione, forti animo prælij fortunam periclitentur. Nihil iam commeatus, nihil ſpei, nihil denique conſilij in caſtris ſupereſſe præter vnam virtutem & audaciam: qua freti ſi obſtinatè in animum inducant, aut vincendum egregiè, aut in veſtigio moriendum, commeatus abundè, tutos receptus, amicas gentes, & ex vſu victoriæ ſalutem, opes, gloriam inuenirẽt. Ex aduerſo Vayuoda nulla magis ad milites cohortatione vſus quàm vt inermes ſceleratosque latrones deſpicerent: neque alicuius negotij futuram victoriam arbitrarentur, qui multos annos bellando pugnandoque cum Turcis & Valachis, fortiſsimarum gentium victores diſceſsiſſent, propius exercitũ admouit, immiſsisque leuis armaturæ equitibus, qui expedientes arma hoſtes iniecta trepidatione turbarent, aciem direxit, extenſis ab cornibus quãtum maximè poterat equitum alis: vt à fronte ſimul et à lateribus imperitam multitudinem adoriretur. Georgius vt in trepidare infracto animo quicquid roboris in exercitu erat, in fronte collocat: cęteros quibus parum fidebat in ſubſidijs & in poſtremo agmine agere iubet, & citato equo ad primos aduehitur. Ibi continuò, & propoſitum pugnæ ſignum, & acriter vtrinque procurſum, ſtetêre aliquantulum vtraque acies incerta victoria, ſed quum Vayuodani virtute, armorum vſu, & belli cauſa longe ſuperiores eſſent, circumfuſo equitatu, primos

qui peruicaci audacia aliquandiu conſeruatis ordinibus reſtiterant, protriuerunt, mox alios primorum cæde territos, acri impetu loco pulſos in fugam verterunt. Georgius cum Lucatio fratre, quibus vt parceretur Vayuoda iuſſerat, viuus capitur, alij fœdiſsima fuga toto campo ſparſi ab equitatu paſsim interficiuntur. Magna tamen pars eorum quum proiectis ad terram armis flentes ſalutem peterent, cõſeruati fuerunt. Vayuoda ad internitionem Cruciferi nominis confecto prælio, Georgium tortorib. excruciandum tradit. Illi nudum et catenis vinctum in equuleo cõſtituunt, & corona cãdenti ex vomere conflata, vt regum mos eſt, coronant: venisq; diſſectis profluentem ſanguinem potãdum Lucatio præbent. Deinde ad viginti agreſtes qui in exercitu ordines duxerant, tridui inedia maceratos ad id crudelitatis cogunt, vt dentibus ſpirantis ducis artus dilacerent atque deglutiant. Ille mira conſtantia, neque gemitum edere, neque in miſerabili mortis genere quicquam horreſcere, vnum tantùm deprecari, ne inſontem Lucatium, quem ipſe renitentem ad id bellum perduxiſſet, his cruciatibus dignum exiſtimarent. Poſtremò laniatis omnibus membris, quum diutius grauiſsimos dolores vel immani ſpiritu ſuſtinere non poſſet, extractis viſceribus exenterant, in fruſta ſecant, atque ahenis & verubus coctum, commedendum militibus ſuis apponunt. Eos verò talibus epulis ſaciatos cũ Lucatio omnibus ſupplicijs dilaceratos interficiunt, horrendum ſanè ſpectaculum, & ante memoriam noſtram inauditum Barbarici ſupplicij genus: à quo tamen, & ſi Georgius extrema quæque meruerat, viri Chriſtiani animum atque oculos auertere debuiſſent. Ea miſerabili carnificina deletis agreſtibus qui duorum fratrum ſigna ſecuti fuerant, cæteri earum partium per Pannoniam in plures manus ſparſi, cognita ſuorum fortuna ſuas quiſque domos detractis crucibus abierunt. Enimuerò & duces ſibi fecerant, & coalituri creſcente etiam tum perditorum multitudine, bellumque priore atrocius iunctis viribus tracturi videbantur, niſi ab incœpto deterritos quàm maturè Vayuodanus exercitus oppreſsiſſet. Tot verò tantiſque ſucceſsibus elata nobilitas, quum adhuc arma retineret, in Cardinalem penè bellum conuertit: authorem enim eum tantorum malorum calamitatumque fuiſſe dictitabant. Nec abſtinebant à probris & contumelijs, quòd is ſumma auaritia, intoleranda ſuperbia atque ambitione regni opes afflictaſſet, & Regem vix mente integra & ſenectæ vitijs affectum, peruerſis conſultationibus in ea pericula conijceret, vnde ſibi cum excidio prouincialium ingentia auri argentique pondera, & quàm latiſsimos fines pararet: ceſſiſſe auaritiæ atque libidini eius Strigonium nobiliſsimam vrbem profano iure abolito, & breui quoque ceſſuram Budam atque vniuerſam Pannoniam, niſi ſemel temeritati atque auaritiæ ſuſpectiſsimi hominis occurratur. Thomas conſenſum atque iudicium id totius nobilitatis exiſtimans, ne authoritatem ſuam atque ſalutem temerè Fortunæ caſibus obiectaret, plures dies Strigonij mœnibus ſe continuit: Inde per literas atque legationes apud Regem his diluendis quæ nobiles obijcerent, docuit nihil minus ſibi ſeni ditiſsimo, & maioribus ſacerdotijs inſigni conuenire, quàm dolum, auaritiam, aut libidinem proferendæ potentiæ: quæ tanta eſſet, quantam ipſe ex humili fortuna ad ſummos honores euectus nunquam deſideraſſet. Extare fidei atque virtutis ſuæ monumenta, vnde ſibi pro beneficijs contumeliam ignominiamq; reddẽdam, quòd pro dignitate Pannonici Imperij, et commodo Reipub. Chriſtianæ, id ſumma fide & ſyncera piaque voluntate tentandum agen-

agendumque exiſtimauerit: quod poſtea (fatis ita iubentibus) corruptiſsimi omnium mortalium ſumma impietate atque perfidia perturbaſſent. Dum hęc vtrinque iactarentur, Bohemi iam pridem in auxilium aduerſus agreſtes Cruciferos ab Vladislao acciti ſuperuenere, virtute & genere armorum Germanis atque Hungaris pares. Ii duce Bartholomæo profeſsi ſe tutaturos regiam dignitatem, & vindicaturos armis quæ Rex fraude & furto procerum amiſiſſet, quum omnium animos in ſe conuertiſſent, inteſtini belli initia ſuſtulerunt: maximè quòd Vladislaum cum Strigonienſi conſentire & fauere illius cauſæ, neque paſſurum vt ille procerum armis oppugnaretur, apparebat. Nobis autē perſuaſum eſt, Bohemos, poſtquam Cruciferorum nomen interierat, domo iā excitos pecunia Cardinalis in Pannoniam perueniſſe, ea de cauſa, vt nobilium ferociam, qui inſolentiores ſpiritus ſumpſerāt, reprimeret: & dignitatem ſuam certiſsimis præſidijs aduerſus eorum inuidiam tueretur. At dum Vladislaus egregia de Cruciferis parta victoria, atq; inteſtini belli compreſsis initijs, Pannoniam priſtinæ paci quietique reſtituit, Sigiſmundus frater aduerſus Moſcouitas maiore fama ac viribus bellum gerebat. Exarſerat id multis antea annis tradita per manus à maioribus controuerſia, quam de finibus Caſimirus pater, ac mox fratres Albertus & Alexander vario euentu, atque interpoſitis nonnunquam inducijs, cum eius gentis regibus exercuerant. Moſcouitæ inter Sarmatas & Scythas poſiti ad Riphæos montes pertinent, vltimosque Europæ atque Aſiæ terminos ad Septentrionem incolunt: extenduntur q; ſupra Tanais fontes vſque ad Hyperboreos & glacialem Oceanum. Vaſtæ ſunt eius regionis ſolitudines, attamen ſolum multis in locis frumenti atque hordei ferax: ac paſsim herbidum, vnde illis ceræ ac mellis magna copia, & ex armentis præcipuę facultates. Cæterùm quum introrſus proceſſeris, vitium, pomorumque & melioris frugis impatiens, quòd terra omnis Aquilonis flatibus expoſita, & perpetuis inculta frigoribus, nō multum agricultura ſubleuatur. Metallorum variæ ſunt apud eos lecturæ, quibus æs, plumbum, ferrumque educuntur: nulla auri vel argenti fœcunditate. Pro his tamen rarò ac diuerſo munere ſmaragdos & margaritas natura tribuit, & tenuiſsimas quoque pelles, Cebellinas vocant. Eæ tergora paruorum felium colore ſubfuluo & mirabili leuore conſpicua, adeò apud nos inſigni raritate ac pretio, vt in fulctura veſtium à ſolis principibus vſurpentur. Moſca vrbs Regia, atque eam alluens Moſcus amnis vniuerſæ genti nomen indiderunt. Influit Moſcus in Volgam amnem, qui priſco vocabulo Rha fuit. Oritur is in Hyperboreis, ac directo in occaſum curſu, campos Tanai proximos alluit. Inde curuatur, & retrò deflectit in Orientem ingenti ſinu effecto: ac mox in Hircanum præceps euoluitur. Ab eo mari emporioque Citracham, & aduerſo flumine Volga Perſarum merces panni ſerico & auro intexti, quibus Moſcouitæ ſumptuoſius veſtiuntur, in Moſcouiam perueniunt. Circa Volgam longè lateque ſolitudines patent, quas Tartari Scythæ incolunt, gens inhumana feritate, & incertis ſemper ſedibus errans, ignara diuitiarum, atque inſcia voluptatum: quippe qui in curribus degant: & ſolis tecti centonibus, frigora & perpetuas niues tollerent: quin & equina carne, eaque ſæpius cruda veſcantur. Cæterùm equitandi peritiſsima gens, quum arcum tenet, aut acinacem ſtringit, cæteros mortales in prælio contemnere conſueuit. Ante Tamerlanem eorum Imperatorem, qui Baiazetem Othomanum ingenti prælio ſuperatum cepit: atque Aſiam Syriamq; victore

exercitu populatus eſt, quum nullis religionibus addicti, nec Chriſtianos nec Turcicos ritus aut vix fama nouiſſent, maiora ſydera pro Dijs, & cõſpicuas ſtellas venerabantur: quarum obſeruatione in ea vaſtitate camporum recta itinera tenere didicerant. Vltra Volgam conſtat plures eſſe Scytharum imperatores, qui ad Imaum vſque immenſa terrarum ſpatia diuiſis imperijs obtineant. Vnus ex eis cognomento Mingareſius paulò antè patrum noſtrorum memoriam, cum amplius octuaginta milibus equitum Tanaim traiecit: victorq; oram Mæotidis vſque ad Boryſthenem fluuium populatus, Tauricam Cherſoneſum occupauit, in qua eſt Theodoſia nobiliſsima Gennuenſium colonia, quæ Capha dicitur. Sed hæc aliquanto poſtea Turcarum armis ceſsit. Porrò Mingareſius, quo tutius in Europa conſiſteret, aduerſus Sarmatarum Roxolanorumque impetum, in Iſthmo à Mæothide in Pontum foſſam perduxit, atque perpetuo aggere communiuit. Id anguſtæ terrę ſpatium antiqui Dromon Achillis vocabant, ab eaque interciſa peninſulæ ceruice Tartaros Tauricæ incolas, Roxolani hodie Præcopitas appellant. Igitur Moſcouitæ ad Orientem Tartaros habent, ab Aquilone autem vltimi mortalium perhibentur: ab Occaſu mare Sarmaticum attingunt: habentque in ora ſupra Liuonicum littus Nogardiam vrbem totius Aquilonis emporium. Ab continenti Moſcouiæ, terra ingẽs enormi ac flexuoſo littore peninſulæ formam, in Occiduas partes excurrit, adeò oblongis littorum ſpatijs, vt extremo promõtorio quod Nodroſium vocant, Orcadas atque ipſam Thulem attingere videatur. In eo terrarum tractu ſunt Noruegia atque Suetia, latæ nec omnino incultæ prouinciæ, & ignotæ priſcis authoribus. Eæ gentes maximè piſcibus viuunt, quorum magna captura eſt, dum piger Oceanus gelu cogitur, vel æſtiuis caloribus reſoluta glacie colliqueſcit. Brumalibus diebus vix horarum trium lucem habent. Internum mare vadoſum eſt, & certis anni temporibus irremigabile. In eo quoque ſinu innumerabiles inſulæ conſpiciuntur, inter quas Gothia origine Gothorum clara. Et ab Riga Liuoniæ inſigni vrbe modico freto dirimitur. Secũdum Gothiam Selandia eſt in Venedico ſinu contra Viſtulæ oſtium, antiqui Scandauiam vocauère: vnde nonnulli Longobardos profectos exiſtimant, qui poſtea ſedes in Gallia Ciſalpina tenuerint. In hac Inſula Cobena eſt Regia Chriſtierni Dacorum regis, omnium diſciplinarum gymnaſio inſignis. Diſtat paribus interuallis atque vnius diei nauigatione à Noruegia, à Prutenico littore, & ab Cimbrica Cherſoneſo. Ad auſtrum vero Moſcouia Ruſsiæ & Lithuaniæ finibus terminatur. Ruſsiæ autem duæ ſunt, altera ad Hercynium ſaltum, & ad vtranque Axiacis fluminis ripam vergit, Poloniæ & Tranſyluaniæ proxima. Tenuere quondam regionem Getę, Daci, & Baſtarnæ, triumphis atque victorijs Romanorum celebrati. Altera quam Barbari Albam vocant, vltra Boryſthenem iuxta eandem Hercyniam ad Tanaim vſque porrigitur, à Roxolanis populis nomen accipiens, qui in eo tractu maxime bellicoſi, ab Othonianis ducibus clade accepta, clarum apud Romanos gentis nomen fecerunt. Hęc quam Albam vlterioremque vocamus, Baſilij Moſcouitarum regis imperio paret. Illa verò Polonici regni pars eſt. At Lithuania Poloniæ iungitur, adiacetque Liuoniæ, quæ tota ferme littoralis eſt. Nanque ab intimo ſinu Cimbricæ (quæ hodie Dacia eſt) vbi Lubeca celeberrima ciuitas, vſque ad Noruegiæ Iſthmum & Suetiæ initia Pomerani, inde Pruteni ac Liuones, tanti ambitus maris perpetuam oram tenent. Sic Poloni nouo vocabulo, quòd patentes incolant

colant campos, pro Sarmatis appellati à Prutenis & à Liuonibus. Lithuani introrſus à Sarmatico mari ſummouentur. Lithuaniæ caput Vilna antiquorum ducum ſedes. Vniuerſa regio nemoroſa eſt & paluſtris, æſtate vix peruia, glacie & niuibus in lacunas abeuntibus: hyeme autem ſæuo Borea duratæ niues, expeditis etiam curribus iter præbent. Vltimi in Europa qui Gentilium ritus exuerint fuere Lithuani, tempeſtate Vitoldi ducis, tunc primùm Chriſtianorum ſacris initiati. Ea gens equitatu maximè valet, vnde magna Polono auxilia. Sed ij leuis armaturæ omnes, egregium tamen ſubſidij genus cataphractis equitibus, quibus Poloni Germanico more vtuntur. Polonia verò ea eſt, quæ olim Sarmatia, tota fermè circa Viſtulam patens: eam etiam complexa Germaniæ partem, quæ ab Odera ad Viſtulam vergit. Hic amnis veteris Germaniæ & Sarmatiæ terminus erat, nunc prouinciam ſecat, ac receptis amplius quatuordecim fluminibus, in Venedicum ſinum apud Dantiſcum celeberrimam vrbem effunditur. Sarmatarum regia Cracouia eſt, quam idem Viſtula amnis interfluit. Ibi mathematicarum ſtudia maximè florent. Publicè enim literarum ſtudioſi bonas artes docentur, et in primis ſupputare ſyderum curſus, atque inde temporum vices, incerta bellorum, & in vtranque hominum fortunam arcana fatorum aperire conſueuerunt. Regnum diuitijs, vbertate agri, atque virorum ingenijs Pannonico vix cedit. Adepta quoque gens eſt magnam bellicæ virtutis opinionem pluribus ac difficillimis expeditionibus. Prutenos quondam auxiliaresque Germanos ingenti prælio victos, interfecto Prutenicæ militiæ magiſtro, occidione deleuerunt. Amurathen Turcarum imperatorem ad Euxinum vſque promotis caſtris, ad cogitationem inferendæ ſibi mortis quandoque compulerunt. Noſtra verò memoria vicère Valachos, à quibus paulò antè infelici prælio inſignem cladem acceperant, quum eis Albertus rex diro conſilio Sarmatiæ nobilitatē trucidandam obieciſſet: nec multis inde annis magnam Tartarorum multitudinem, qui ab Taurica populabundi Sarmatiæ fines inuaſerant, quum onuſti præda redire transfoſſam pararent, circumuentos ad internitionem deleuerunt. De Moſcouitis verò cum quibus continenter bella gerunt, frequentiores victorias enumerãt: nam ſemper de ea gente triumphi acti, quoties iuſto prælio dimicatum. Cęterum Poloni, Moſcouitę Lithuani et Roxolani non multum cultu corporis, genere armorum, lingua ac moribus inter ſe differunt. Veſtes omnibus longæ more Turcarum, ſagittas, velitarem haſtam, & curuatos enſes, armorum potiora exiſtimant: equitatuiq; confidunt, peditatus inutilis ęſtimatur. Poloni tamē in aciem cataphracti prodeunt, & maiores equos ad ſtatariam pugnam magis quàm ad excurſiones idoneos habent: quorum anteriora ferreis laminis tegunt. Ipſi duobus cinguntur gladijs, altero oblongo & quadrato, quo punctim, altero autem lato ac breui quo cæſim feriant. Quin & legionem, in qua magna pars peditum ſclopettarij ſunt, Germanicè inſtructam ad longinquum etiam bellum ducere conſueuerunt. Lingua Illyrica vtuntur omnes, corrupta tamen, vtpote quàm diuerſi inter ſe populi, diuerſis vocum inflexionibus inuerterint. Chriſtum Deum omnes colunt. Verùm Moſcouitæ, & vtrique Roxolani Græcorum ritus ſequuntur. Moſcouitæ verò equorum atque hominum multitudine cęteros antecedunt. etenim eos poſſe conficere centum & quinquaginta milia equitum conſtat, quod fortè ſupra veri fidem poſitum videbitur. Nobis ſanè retulerunt Petrus Aretinus architectus, et Paulinus Inſuber tormentorum & bellicarum

machinarum egregius artifex, centum milia equitum in caſtris vidiſſe, quum Ioannes Baſilij pater, apud quem plures annos ſtipendia meruerunt, aduerſus Tartaros bellum gereret. Id quoque prolixè confirmauit Demetrius Baſilij regis legatus ad Clementem miſſus: quo docente, iubenteque Pontifice Moſcorum mores & eorum regionis ſitum, peculiari libello deſcripſimus. Sed vt ad inſtitutum operis reuertamur: Erat in finibus Moſcouitarum Smolenchum oppidum, quod propter crebras eius gentis incurſiones, Sigiſmundi præſidijs tenebatur. Adiacet opportuno in loco vlteriori Boryſthenis ripæ, non autem Ruboni amni, ſicuti perperam collocauêre qui Ptolemæi libris nouas incogniti orbis tabulas inſeruerunt. Nanque Smolenchum neque Liuonio mari proximum eſt, neque Moſchæ vrbi comparatum ad Septentriones vergit, vt ab expertiſsimis prouincialibus, qui huic quoque bello interfuerunt, didicimus. Id oppidum Baſilius ſicuti pleraque alia Ruſsiæ & Lithuaniæ loca, veteri quodam iure pertinere ad Moſcouitarum imperium ratus, ſuperiore anno oppugnauerat: obſederatque per aliquot menſes tanta pertinacia, vt munitiſſimam arcem ceſſuram acerrimo hoſti appareret, niſi ſumma virtute præſidij defenſa fuiſſet, & in tempore à Sigiſmundo Lithuanorum auxilia ſuperueniſſent. Quorum aduentu Moſcouita irrito incœpto abſcedere coactus, quòd viribus inferior erat, & brumales dies ſuberant, in ipſa profectionis feſtinatione relictis pluribus tormentis, & multò maxima impedimentorum parte amiſſa, in regionis vlteriora conceſsit. Eam verò quę ſecuta eſt hyemē in apparatu noui belli totam abſumſit, animo agitans quibus conſilijs ac viribus Smolencho potiri poſſet: ratus ea arce ſemel capta propter maximam loci opportunitatē, ſe liberè Lithuaniam omnem, atque Poloniam infeſto agmine peruagaturum. Itaque quum iam Vernum tempus appeteret, coactis ſupra quadraginta millibus equitum ad oppugnandum Smolenchum deſcendit. Nec multo pòſt nactus quoſdam ſummæ perfidiæ præſidiarios, quorum animos per occulta colloquia maximis pollicitationibus diu antè tentauerat, per proditionem oppidum cepit. Occupato Smolencho, Baſilius tres equitum manus circumemiſit, populatusque proximos hoſtium fines Lithuaniam irrupit, cuncta ſimili belli clade vaſtaturus. At Sigiſmundus qui tum ſub ipſam aduentus hoſtium famam è Cracouia Vilnam venerat, vt ex propinquo intentus in omnes rerum caſus facilius bellum adminiſtraret, cum valido exercitu Conſtantinum Rutenum ad hoſtes progredi iubet. Erat Conſtantinus inter eas gentes celeberrimi nominis Imperator, multum conſilio & virtute animi, ſed maximè corporis viribus pollens: qui bello quondam captus vulneratusque apud Moſcouitas in catenis atque compedibus ſeptem annos fuerat. Vnde illi ex dolore vinculorum & vulnerum, vindictæ cupidine ſummus ardor, & ſingularis induſtria in eo bello incomparabilem gloriam pepererunt. Sexcentis milibus paſſuum à Vilna Smolenchum diſtat, tantundem fermè itineris eſt è Smolencho Moſcam, pariterque à Cracouia Vilnam, ſi rectà inter Ortum & Septentrionem proceſſeris. Sed è Vilna Smolenchum vſque itinera paluſtria, inculta, ſolitudine vaſta, ducendo exercitui maximas afferunt difficultates, niſi in multos dies prouiſo commeatu, & longitudini itineris & locorum ſterilitati, quàm maturè conſultant qui copijs præſunt. Vſu enim apud eos compertum eſt, nulla re magis quàm commeatus inopia exercitus vinci, propterea ingentem quadrigarum numerum, quibus homini iumentoque victus feratur, du-

cere

cere conſueuerunt, in queis & ſalus exercitus & vincendi ſpes omnis collocatur. Conſtantinus his omnibus ſumma diligentia comparatis, ad Boryſthenem decimis quartis caſtris peruenit. Ibi Moſcouita vlteriorem ripam perpetua militum acie communiuerat, & idoneis in locis tormenta collocauerat, ſperans Polonos pugnę auidos, ingreſſuros temere amnem, & iniquiſsimo etiam loco prælium commiſſuros. Cæterum Conſtantinus quum biduo ante citra amnem cum antecurſoribus hoſtium, qui ad explorandum quales quantæque Polonorum copiæ eſſent, ſuperiore vado tranſierant, ſecundum prælium feciſſet, edito in loco ſubſiſtit, iudicans non temere incertis rapidi fluminis vadis exercitum committendum, ne ſibi cum parato hoſte, cum tormentis, ac ſimul cum ipſo vorticoſi amnis impetu vno tempore res foret. Siquidem Boryſthenes recepto Neprio amne ingentem aquarum molem trahens, cæca vada & abruptas paſsim ripas limoſo inæqualique alueo tranſeuntibus prębet. Quibus de cauſis Conſtantinus paulo ſupra caſtrorum locum miſsis exploratoribus qui altitudinem fluminis percontarentur, vadum reperit, & ab quietiore fluminis curſu non omnino difficilem locum quo equitatum tranſduceret. Ergo contractis quam occultè lintribus ac lembis, atque ex his ſubitario ponte effecto, peditatum & tormenta traducit, equitatum verò omnem conferta acie, vno impetu ingredi amnem iubet, progreſſusque ante alios vniuerſum agmen ne vno quidem milite amiſſo in aduerſam ripam ducit. Moſcouitę qui ſatis in tempore cognito per exploratores hoſtium conſilio, ducere eò inſtructas acies, interſcindere pontem, atque equitatum tranſitu prohibere poterant, nec loco nec veſtigio ſe mouerunt, neque vnum quidem telum in hoſtes emiſerunt, tanta hoſtium contemtione, vt præ inſita Barbarorum animis arrogantia (ſicuti ab captiuis poſteà cognitum eſt) tertiam ſuorum partem ſatis eſſe ad delendum Polonorum exercitum exiſtimarent. Enimuerò exploratores retulerant dimidio minores eſſe hoſtium copias, in queis etiam pedites eſſent, neque tam paruam manum tanti equitatus impetum eſſe toleraturam. Habebat Conſtantinus duo milia Polonorum equitum grauis armaturæ, ad duodecim verò milia Lithuanorum, qui hippotoxotæ fermè omnes erant. Præterea peditum tria milia, in quorum virtute dum aciem inſtrueret, eius diei victoriã conſtare admonuit. Erant ij partim haſtati, partim ſclopettarij. At Moſcouitæ qui ſupra quadraginta milia equitum erant, cum numero longè ſuperiores eſſent, neque ſibi Polonos aut Lithuanos virtute bellica pares exiſtimarent, nihil de euentu imminentis prælij dubitabant: quin quo maior ea victoria atq; præclarior pararetur, præmiſsis præconibus ad tranſeuntes Polonos tota acie pronunciari iuſſerunt, ne dolum, ne occultas inſidiarium fraudes ſuſpenſis animis timerent, pararent arma, atque aciem quieti inſtruerent. Baſilium ea die vt progenitores conſueuiſſent, vera virtute dimicaturum. Poloni tametſi magnam ſpem atque fiduciam in armis atq; virtute poſuerant, ſtupentibus tamen ſimiles, ab eo hoſte qui ſæpius rupto fœdere & violatis inducijs fidem feſelliſſet, dolos & inſidias ſuſpectabant. Etenim quiſque ſanæ mentis, aut magno conſilio aut certè ſtolida ac barbara ratione tantam occaſionem prętermiſſam ab hoſtibus iudicabat, quum impeditos flumine acripis inuadere, & primos ſaltē tantæ multitudinis impetu proterere potuiſſent. Sed adeò ferocibus elati animis erant, vt in præcipiti temporis articulo, omnem æquioris loci conditionem deſpicerent, quaſi non ea plena veraque victoria exiſtimanda, quæ ducis inge-

nio,atque artibus magis,quàm quæ aperta virtute atq; audacia militum comparetur. Sic Romani quondam omnium gentium victores, ferocia atque immania eius cæli corpora ſolis confiſa viribus atque lacertis,ſæpe prælio ſuperarunt,quum illi diſciplinam atq; aſtus imperatorios antecapere locum caſtris, circumuallare exercitus,non ordine,non acie iniuſſu ducis excedere,ex iniquo loco nunquam dimicare, nihil ex prouocatione commoueri, plures ex inſidijs paucos circumuenire,dolum,timorem,ignauiam,proditionem appellare conſueuiſſent. Igitur Baſilius vana ſpe victoriæ inflatus,quum tranſiſſe Polonos omneis ab exploratoribus referretur,conuerſus ad duces præfectosq;,tranſiuêre(inquit)hoſtes amnem,non redituri,ſi viri eritis.Quare fortiſsimi commilitones accepto ſigno ſtatim irrumpite quàm maxime cõferti,& quum hoſtium agmini ſagittarum nubem ſuperfuderitis, ſingulos bini circumſiſtite, atque ex hodierna victoria opulentas Vrbes Vilnam atque Cracouiam diripiendas vobis proponite. Hæc vbi dixit,ex vniuerſo exercitu ad ſeptem milia fortiſsimorum equitum delegit. quibus imperat,vt hoſtes à tergo circumueniant: atque illinc quum in fronte prælium ardere cognouerint,auerſos ac nihil tale timentes totis viribus adoriantur.Erat enim ab læua modica vallis ad occultandas ſimiles inſidias nata, quam perpetui colles veſtiti denſiſsimis vepribus contegebant.Ii molli ac demiſſo ſenſim iugo ad ripam Boriſthenis extendebantur, nec ab equitatu ſuperari poterant,dumetis ac fruticibus continenti veprium ſerie cuncta tenentibus.Eo itinere equites proficiſci iubet,ex alijs verò copijs tres acies facit. Primam,in qua fuere ad duodecim milia equitum,in dextro cornu collocat,eique Michaelem Golijzam virum ſtrenuum præficit:ſecundam pro ſiniſtro cornu conſtituit iuxta colles tanquam ſubſidiariam, apud ſarcinas atq; alia impedimenta exercitus,ipſe cum robore virorum mediam tenuit. Ex aduerſo Conſtantinus non ignarus inermem hoſtem ſibi nulla ex parte parem futurum,ſi ad primum eius procurſum ſagittarum multitudinẽ ſuſtineret, & res ipſa collato pede gereretur:& quominus cõfertis equis geri poſſet,omnes cataphractos in fronte conſtituit, qui primã vim ſagittarum exciperẽt:vtrunq; autem cornu Lithuanis,terga verò pedite firmauit.Inde prouectus equo ſingulis ordinibus adequitans, Non iam,inquit,aut pro gloria,aut quomodo Smolenchum fraude amiſſum armis recuperetis,ſed ne perfidi & fœdiſsimi Moſcouitæ Lithuanis atque Polonis imperitent,vobis hodie dimicandum. Neque ego vos mei commilitones vlla magis adhortatione ad virtutem atque victoriam accendam, quàm vt memineritis eſſe in tergo Boryſthenem amnem, quem ſi cedendo,aut turpiter fugiendo ab armato hoſte pulſi ignauiq; tranſiri iterum poſſe putaueritis,cum maxima gentis ignominia atque inſigni veſtra clade nobilitabitis.Sed ne tantum dedecus atque flagitium admitti meis auſpicijs patiamini,oro obteſtorq; te Deus Opt.Max.vosq; Polonici imperij vindices tutoresq; certiſsimi, diue Ladislae ac Caſimire, voueoq; ambob. aram ac templum ſi vobis cordi erit Polonum vincere,ac mihi fas fuerit fuſis fugatisq; perduellibus,maturam plenamq; victoriam reportare. Dicente adhuc Conſtantino à Moſcouitis ſigna cecinerunt,ac ſimul ab dextro cornu Michael equitatũ ſuum procurrere & dirigere ſagittas iuſsit. Nec Conſtantinus(vt in ordinanda acie præfectos docuerat)cataphractos continuit.Sed continuò inclinatis haſtis impetum facere,et rem ad gladios celeriter adducere iuſsit.Tanta fuit eorum celeritas,vt ſpatia cadentium ſagittarum præteruecti,magna ex parte ingruentem

illum

illum imbrem effugerint, ac mox equorum pectoribus armiſque vrgentes hoſtem, hippotoxotis vſum arcus & ſecundas ſagittas, in quibus ſummopere confidebant, ademerint. Contrà Lithuani quàmmaximè expanſis alis in latus hoſtium inuecti, in confertiſsimam eorum aciem innumerabiles ſagittas emiſerunt, quo caſu oppreſsi Moſcouitæ, quum nec à fronte perrumpere inſtantibus cataphractis, nec cedere prementibus extremis poſſent, ſoluta acie in vtrunque Lithuanorum cornu ſeſe præcipites effuderunt. Ibique duo ſimul prælia diuerſis in locis inierunt. Eodem quoq; tempore equites, quos per occultã vallem in terga Polonorũ a Baſilio miſſos docuimus cum ingenti clamore & maximis tubarum clangoribus, quo maioris multitudinis ſpeciem facerent adorti, nouiſsimos in tergo pugnare cœperunt: quod vbi animaduerſum fuit, præfecti quidam viri fortes, inter quos fuit Poloſca regulus, tametſi Conſtantinus ne ſe loco mouerent, ne pugnã iniuſſu capeſſerent, edixerat, rati tamen in ſubitis & difficillimis pugnę caſibus, non ad pręſcriptum agenda omnia, ſed occurrendum præſenti rerum occaſioni, quod imperatorẽ aliâ in parte pugnantem conſulere, aut omnino certiorem facere in ea temporis exiguitate non poterãt, phalangem peditum in hoſtem conuerterunt. Phalanx ſuo ordine immobilis & firma, tametſi ab ſagittis aliquot detrimentum acceperat, attamen diſploſis omnibus ſclopettis, ſtratiſque ea pilarum procella primis hoſtium ordinibus, ad contos alabardasq; deuenit: atque equitatum impulſu ac virtute repulit. Equites quum ſua impediti multitudine explicare ſe perſultareq; non poſſent, cum magna cæde in anguſtijs prælium ſuſtinebant. Ibi ardente certamine, videre erat viros equoſque ſingulis ictibus transfodi, proturbari, ingentes cadauerum tumulos paſsim accumulari, cruore et morientium gemitu cuncta compleri. At in altera parte Conſtantinus perruptis hoſtium ordinibus, & Michaelis equitatu propè deleto, iam ad medium agmen peruenerat, contractóque acri certamine primos impetu ac cæde turbauerat, quum Baſilius tertiæ aciei ac viribus ſuis diffidens retroceſsit: nec tamen terga vertit, ſummæ rei euentum expectans. Nanque equitatum quem in terga hoſtium præmiſerat, ab ea parte improuidis ſubitam ex inſperato atque eo maiorem trepidationem iniecturum putabat. Sed pedites qui eos pepulerant, conuerſis ordinibus in ſubſidiariam aciem pleno gradu illati, omnem eius reliquam ſpem atque animum fregerunt. Ita Baſilius cum globo nobilium equitum prælio excedens, citatis equis effugit. Fugientem ſecuta eſt ea acies, quam in ſubſidijs ad colles fuiſſe collocatam demonſtrauimus, quum nec aſpectum quidem cruenti atque victoris peditis ſuſtinere potuiſſet. Inde fœda fuga toto campo facta, media tamen acies acriter irruentes ſumma conſtantia excepit. Nam Baſilius armatum quemque & pugnaciſsimos totius exercitus circa ſigna, & in eius agminis fronte poſuerat. Diu itaque pugnatum eſt incerto euentu ac ſumma omnium contentione, periereque nonnulli clari equites Poloni, & duo reguli adoleſcentes, dum ardentius in confertam hoſtium aciem equos concitaſſent. Tandem quum Lithuani & pedites profligatis cum quibus pugnauerant ab diuerſo loco infeſtis cuſpidibus ſuperuenirent, Moſcouitæ antequam in tergo pugnare cogerẽtur, ſibi celerrima fuga conſuluerunt. Poloni victores, potiti hoſtium caſtris, magnam prædam ex regio apparatu, & quinque milia equorum ceperunt. ſupra ſeptem hominum milia interfecerunt. Michael quoque, & cum eo illuſtres aliquot duces capti, quos poſtea Sigiſmundus vinctos cum ſignis militaribus

triumphans Vilnam inuexit. Confecto prælio, ad oppugnandum Smolenſchum exercitus ductus. Sed non eadem fortuna bellum à Conſtantino adminiſtratum eſt: nanq; Baſilius ex fuga intromiſsis delectis equitibus, oppidum nouo præſidio firmauerat: exiſtimans ſi primos oppugnationis impetus præſidiarij ſuſtinerent, Polonos poſtea quòd anni tempore excluderentur, de obſidione minime cogitaturos: enimuero ſexto Idus Septembris pugnatum eſt. Quamobrem Conſtantinus quum ſua ſpe difficiliorem oppugnationem inueniſſet, neque natura gelidæ regionis ſub pellibus atque tentorijs contineri milites pateretur, deſperata obſidione citra Boryſthenē in hyberna reduxit exercitum. Paucis antè diebus quàm ad Boryſthenem pugnatum eſſet, Selymus Turcarum Imperator cum Perſis in Armenia ad Calderanos campos ſecundo prælio dimicauit. Exarſitque ſubinde vniuerſa Aſia duobus maximis bellis, quorum motus, cauſas, euentusq; tametſi nullo confinio rem Chriſtianam attigerint, breuiter recenſere non alienū ab inſtituto opere exiſtimaui, cùm propter varietatem atque amplitudinem rerum geſtarum, tum vt principes Chriſtiani, ſi diutius inter ſe ferro ſæuierint, cum eo hoſte quandoque ſibi rem futuram intelligant, qui duos longè potentiſsimos terrarum orbis reges in aliena prouincia, iuſta acie ſuperarit. Conſultò quoque hæc in vnum locum contulimus, ne confuſa rerum ſerie, perpetuus hiſtoriæ curſus abrumperetur, & externa ſuo digeſta ordine, cognoſci facilius poſſent. Poſt bellum Peloponeſiacumquo (vt ſuprà memorauimus) Naupactus, Coron, Pylus, Cryſſeum, Methoneque Turcarum armis ceſſerunt, quum Veneti reddita Neritho, quam ad Leucadem vi ceperant, authore Andrea Gritto, cum hoſte pacem pepigiſſent, Baiazetes in poſterum Europa abſtinuit, toto animo in Aſiam verſus, vt illinc nouis bellorum motibus occurreret, quibus ſub aduētum Techellis noui prophetæ, viri apud eas gentes admirabilis, iam tum Lycaoniæ & Cappadociæ vrbes agitabantur, magno quidem commodo Venetorum, et Hungarorum, quibus Baiazetes, niſi Aſiatico tumultu reuocatus, pacem nequaquam daturus eſſe credebatur. Erat autem Techellis origine Perſa, regiæ gentis cognatione anteà clarus, ſed longè illi maiorem famam & claritudinem addiderant ſtudia literarum, vitæ integritas, & ſumma religio, ob quæ poſtea diuini vatis nomen promeruit. Fuerat Aidaris cognomento Harduellis diſcipulus viri doctrina & probitate inſignis, quem Iacuppus Chiorzeynal (id eſt, Perſica lingua, ſtrabo) magni Vſſuncaſſanis filius crudeliter interfecit. De quo Harduelle breuiter aliquid memorandum exiſtimauimus, vt quibus procellis iactatum ſit Perſarum imperium, quantoq; periculo Turcæ Techellis fama ac viribus, tumultuantē minorem Aſiam retinuerint, prodita rerum origine cognoſcatur. Fuit Harduelles inter Perſas regulus haud ignobilis, cæterùm ingenio ac moribus propè diuinus. Qui quum honores, diuitias, voluptates, & cultioris vitæ commoda (quæ vulgo munera humanæ felicitatis appellantur) veras ærumnas, fortunæque ludibria exiſtimaret, eaque palàm ageret mira animi fortitudine, quæ populus continentiæ & doloris impatiens miraretur, magis quàm imitari poſſe confideret: tantam excellentis virtutis opinionem adeptus eſt, vt eum, quanquam imparem regiæ ſtirpi, Aſsimbeius Vſſumcaſſanes in generum ſibi aſciuerit, tradita ei Martha, quam ex Deſpina Caloiannis Trapezontiorum & Ponti regis filia ſuſceperat. Eius autem connubij lex fuit, vt Vſſumcaſſanes Deſpinam paterno more Chriſtum Deum colere pateretur,

atque

atque ita factũ euenit, vt Martha Deſpinę matris authoritatem ſecuta, legis noſtræ ritus perdiſceret, vnde poſtea obortam in Europa opinionem videmus, Hyſmaelem Sophum tanquam auiæ matriſq; diſciplinæ imbutum, Chriſtianos homines nuſquam improbatis eorum ſacris, in honore ſemper habuiſſe. Cur autem Caloiannes Rex Chriſtianus, Vſſumcaſſani viro Mahometano filiam nuptui dederit, & ille conditionem acceperit, præclarè intelligi poteſt, vtrunque rebus ſuis timentem, ex ea cognatione mutua præſidia comparare voluiſſe aduerſus impotentem vim Othomani Mahometis, qui deleto Græcorũ Imperio in orientem vires extenderat. Sed Mahometes nouo, ideoque Perſis terribili tormẽtorum fretus apparatu, quum Vſſumcaſſanem ad Tabendam, quæ Toccata hodie dicitur, in Anſerinis campis profligaſſet, facilè poſtea Caloiannem oppreſsit, Trapezontiſq; & totius Ponti Imperio vſque ad Colchos in prouinciam redacto, eum Conſtantinopolim perductum in carcere necauit. Cæterum vt ad Iacuppum Harduellemque reuertamur, exiſtimauêre plerique, regem metu potius rerum nouarum, quàm optimi eius viri obſeruantia eas filiæ nuptias quæſiuiſſe, quoniam Harduelles vulgata noua religione, immutatiſq; priſcæ legis myſterijs apud Tauriſium, quum è tota Perſide Armeniaq; viſendi hominis ſtudio innumeri mortales confluerent, tantum ſibi nominis ac virium comparauerat, vt ſi ſectatores ſuos cogere atq; armare vellet, magnas eum copias breui collecturum appareret. Illud in primis veluti diuino ſpiritu afflatus perſuaſerat, Neminem ex his poſt mortem cęleſtia regna petiturum qui Mahometem colerent, niſi eos legis ritus ſequerentur, quos Haly Mahometis interpres & ſocius, ſcribendo ac docendo poſteris tradidiſſet. Ea erãt magna ex parte diuerſa atque aliena penitus ab perſuaſionibus atque myſterijs quibus Aſia omnis & Africa ea tempeſtate tenebantur. Nam Homarem alterũ ex Mahometis diſcipulis, tanquam grauius & certius leges interpretantem, Halys doctrinæ præferebant. Nec multum poſtea temporis interceſsit, quum Iacuppus, Vſſumcaſſane vita functo, in paternum regnũ aſſumptus, Harduellis potentiam atque eius religionis cœtus hominum ſuſpectos habere, ac vereri cœpit, ne Perſæ qui antiquorum regum ſtirpi occultè fauebant, ſub ſpecie religionis atque ſacrorum coirent, & excitatis factionibus nouas res nondum firmato imperio molirentur. Nanque Aſsimbeius Vſſumcaſſanes quondam Armeniæ procurator & dux, validæ equitum manus, interfecto Molaonchre legitimo rege, vi fraudeq; regnum adeptus fuerat: putabatur enim Molaoncher ex ſtirpe Gempſę, maximi Parthorum Sulthani, qui in oriẽte latum imperium vſque ad Bactrianos & Aracoſios tenuerat. Vnde poſtea ortæ duæ hominum factiones: nam alij nouis regibus, alij autem priſco & regio ſanguini fauere videbantur. Quibus de cauſis Iacuppus, vt erat ſuſpicaci turbidoque ingenio, quum regnandi cauſa neque neceſsitudine neque optimi viri innocentia permoueretur, Harduellem nihil tale timentem ſubmiſsis percuſſoribus interfecit, ſectatoribuſq; eius aut cæſis aut pulſis, in poſterum vano metu, atque inani ſollicitudine crudelem animum liberauit. Hyſmael Harduellis filius, qui nunc cognomento Sophus maximo terrarũ orbis imperio potitur, eo tempore puer adhuc, per tumultum fato quodam ſeruatus auunculi ſæuitiam vitauit, confugitq; in Hyrcaniam ad Pyrchalim amicum paternum, qui ſupra Caſpium mare, paucis oppidis imperitabat. Ex Harduellis verò diſcipulis vnus ante alios Techellis, qui poſtea Cuſelbas, hoc eſt, Rubrum caput cognominatus eſt, vir

tute doctrinæque notitia magiſtro comparandus, eam quoque tempeſtatem aufugiens, ſuperato Euphrate in minorem Armeniam peruenit: poſuitque ſedem in Antitauro monte, vbi ad radices perfoſſæ rupes natura atq; arte hominum, opacos ſpecus habent, qui Rubra ſaxa ab incolis nuncupantur. Ea eſt ſalubris & peramœna loci facies propter frequentiam varietatemque pomiferarum arborum ac perennes aquarum fontes, quibus & plana rigantur, & colles toto anni tempore veſtiuntur. Ibi Techellis procul à commercio hominum in altitudinem contemplationis conditus, dum diuina cæleſtiaque rimatur, per aliquot annos duriſsimam vitam egit, contentus his quæ ſponte terræ atque ipſius naturæ benignitate naſcebantur. Is primò à paſtoribus viſus & agnitus, deinde ab agricolis qui victus duritiem pietatemque hominis admirabantur, neceſſarijs ad vitam rebus donatus eſt: ac demum quum reſponſa daret, & iam maior homine videretur, gliſcente in immenſum diuinitatis opinione à curioſis in pagos tractus, ac mox ſtulto ſimilis in proximas deductus vrbes, omnem prouinciam ſui fama admirationeque compleuit. Nec publicatis ſemel nouæ legis interpretationibus mortales defuerunt, qui (vti apud Perſas Harduelli acciderat) hominem adorarent, arbitrarenturque niſi ea iuſſa pręceptaque capeſſerent, animas poſt interitum corporis æternos ignis cruciatus ſubituras. Talia frequentiſsimis concionibus atque reſponſis quum omnibus facilè perſuaſiſſet, mobilem gentem ac ſuperſtitionibus deditam, breui ad ſui ſtudium pertraxit, iuſsitque vt ſectatores turbinatum capitis tegumentum linthea in ſpiras circundante faſcia pro inſigni nouæ religionis rubro colore diſtinguerent, ita vt nouæ huius hęreſeos ſtudioſi à rubro colore pileorum, Cuſelbaſę toto oriēte vocitentur. Simili quoque, ſed meliore fortuna Hyſmael eoſdem ritus quos pater in Perſide tradidiſſet, ingenuo animo complexus eſt: nanque ipſe poſcentibus fatis, vt primum adoleuit admirabili virtutis indole patris veſtigia ſecutus, quum iam eloquio, decore vultus, ſapientia, atque animi magnitudine diuis ipſis quam mortalibus propior haberetur, & maximum nomen & ingentes vires apud eas gentes compararat. Nec ignobile tantum vulgus, ſed plerique natalibus ac diuitijs clari, ſemel capti nouitate religionis, vt præclarius eorum ſtudium videretur, poſtquam ab vetere diſciplina diſceſsiſſent, eum in ſummam virtutis & dignitatis exiſtimationem euexerant. Ipſe quoque nondum pubeſcens ſupra veras virtutes, inani etiam morum ſpecie in ſui admirationem compoſitus, opes, gloriam, imperium quę cupere videri nollet, vt ſimulator egregius abnuenti perſimilis adſequebatur. Non defuere etiam qui iurarent Harduellem patrem (vt erat ſyderalis ſcientiæ peritiſsimus) inſpecta filij genitura Hyſmaelem, & prophetam ſummum, & verę legis conditorem futurum, ſubactaque maxima parte Orientis, Mahometis gloriam pietate et rebus bellicis æquaturum, quæ haud temerè iactata in vulgus altiorem materiam ſermonibus præbuerunt. Nec multo poſt Hyſmaeli cognomētum Sophus, quod ab admiratione aſſentationeque familiarium multum antea iam cœperat, omnium conſenſu inditum eſt, vt credi par ſit petitum ab vetere Magorum memoria, qui quōdam apud Perſas ipſis etiam regibus imperabant. Nam ſophus apud eas gentes Deorum interpretem ſapientemque ſignificat. His auſpicijs haud dubie in magnam ſpem gerendarum rerum erectus, auunculo Iacuppo veneficæ vxoris fraude ſublato, paternos agros & modicum illud imperium, quod dotale matris fuerat, repetere cogitauit, armatisq; ſuę ſectę promptiorib.

& à Pyrchale regulo ſumptis auxilijs, ingreſſus Armeniam, fama magis atque hominum beneuolentia quàm viribus, breui paternam ditionem vendicauit. Mox eo ſucceſſu firmior factus, quum multi qui Harduellis dogmata alieno periculoſoque tempore metu mortis deſeruerant, tunc oblato duce fiducia pleni eandem hæreſim ſequerentur, adauctis copijs ad vrbem Sumachiam, quæ eſt in finibus Mediæ, duxit: atque eam vi captam hoſtiliter diripuit. Capta Sumachia maximam conſecutus eſt nominis exiſtimationem, quæ fortia & præalta facinora nauiter audentes, ex primis rerum motibus ad ſummam victoriæ ſæpenumero perducere conſueuit: & quod poſtea plurimum contuliſſe iúdicatum eſt, inermem magna ex parte exercitum ditatum præda, militariter inſtruxit. Inde nõ iam vrbes, ſed Perſarum imperium animo voluens, quum iam Fortuna quę cuncta detulerat, viam quoq; melioribus fatis aperiret, ad Tauriſium nobiliſsimam maioris Armeniæ vrbem contendit. Ea vrbs Perſarum regia eſt, numero hominum atque opibus totius Orientis celeberrima, quæ antiquitus Terua vocabatur, diſtans a proximo littore Caſpij maris itinere expediti equitis quatuor dierum, non longè ab emporio Derbento: vbi portæ ferreæ inter montes & mare anguſtias arcendis eo aditu Scythis præcludunt. Inuaſit autem Sophus Hyſmael Perſarum imperium, nouaq; Mahometanæ ſuperſtitionis opinio, quam à patre cœptam aliquandiu ſupplicij metus oppreſſerat, promulgata & latè diſſeminata eſt, anno Chriſtianæ ſalutis ſupra milleſimum & quadringenteſimum nonageſimo nono, quo Italia Gallorum aduentu maximas adijt clades, & Veneti cum Turcarũ claſſe ad Protum inſulam congreſsi, fœdiſsimè rem geſſerunt. Nec multo pòſt exarſit in Germania authore Luthero dira hæreſis, quæ populis, vt in Perſide acciderat, ad inſaniam verſis, Chriſtiani dogmatis placita, & veteres ſacrorũ ritus vehementiſsimè cõturbauit. Ita vt facile crediderim ab occulta cæli poteſtate, malignoq; ſyderum cõcurſu proueniſſe, vt religiones toto terrarũ orbe enatis factionibus vno tempore ſcinderentur, quando nõ Mahometani modo Chriſtianiq;, ſed et remotiſsimę gentes idololatrę, aut ſydera aut portenta pro dijs venerãtes, cùm in India quæ ad Orientẽ vergit, tum in Nouo orbe ad Occiduam plagã reperto, nouas ſacrorũ opiniones induerint. Sed vt ad rerũ ſeriem reuertamur: Aduentãte Hyſmaele, Tauriſij erat Aluãtes Iacuppi filius, qui paulò antè de regni poſſeſsione cum Moratchamo fratre armis cõtenderat, eumq; prę lio victũ Armenia Perſideq; pepulerat. Is, vt ciuilibus diſcordijs plerunq; accidit, quum primores ciuiũ qui in Moratchami partib. fuerant armis perſecutus occidendo aut proſcribendo, in ipſa victoria totam vrbẽ mœrore atq; funerib. compleuiſſet, magnã ſibi inuidiam conflauerat. Quam occaſionẽ nactus Hyſmael, quò ciuium animos odio ſæuiſsimi regis (ſi propius acceſsiſſet) res nouas in vrbe molituros intelligebat, inſtructo exercitu protinus ad vrbis portas perrexit. Nec Aluanti, qui repentino bello oppreſſus, aut milites comparare, aut vllo ſatis opportuno præſidio mœnia firmare nequiuerat, tantum animi ac virium fuit, vt aduerſus eam belli molem perſiſtendũ: aut de vita cum imperio dimicandũ eſſe cẽſeret. Quamobrem diffiſus rebus ſuis, dum tumultum atque arma iratorum ciuium ex merito pertimeſcit: trepidanti atque attonito ſimilis, vrbe excedit: portęque Hyſmaeli ſtatim aperiuntur. Nanque ciues, qui luctuoſis temporibus quibus inter ſe de imperio reges decertarunt, maxima ex mutuis cladib. damna pertulerant, tutã in eo periculo atque vtilem pacem habére malebant ab victore tanti nominis,

quàm pro cruento rege ad internitionẽ iterum diſſentire: maximè quòd vna omnibus incolumitas proponebatur, patebatq; ampliſsimus gratiæ locus apud nouum regem, his qui eius religionis diſciplinam profiterentur. Hyſmael ingreſſus vrbem aliquot prætorianis per tumultum interfectis, qui fugientem regem ſequi nequiuerant, ſepulchrum eximij operis, quo auunculus more Perſarum conditus fuerat, euertit, oſsibusque diſiectis, & abraſis tota vrbe eius titulis, quò dolorem paternæ cædis expiaret, ac iuſta perſolueret parentis manibus, omnem illius memoriam aboleuit. Interea dum Sophus Hyſmael Aluante incolumi minimè debellatum eſſe exiſtimans, maiores etiam copias parat, easque aprrto veteri armamentario militariter inſtruit. crebris rumoribus ac nuncijs afferebatur aduentare Aluantem, quem ex fuga periſſe Scyras vrbẽ, atque in vltimas regni partes ad mare penitus conceſsiſſe fama cognouerat: trahereque illum præter innumerabiles pedites, ſex milia cataphractorum equitum, & magnum numerum ſagittariorum, qui partim equis, partim camelis inſideant: & Moratchamum quoque fratrem in Aſsyria, ad vrbem Bagadad (Semiramidis Babylon hæc olim fuit) exercitum comparaſſe, poſitisque in communi periculo priuatis cõtentionibus, vniuerſas mox vires cum fratre iuncturum. Hæc tametſi omniũ ſermonibus celebrabantur, nihil tamen eo apparatu territus Hyſmael, quod deorum auſpicijs, & maiore aliquanto fiducia, quàm proprijs viribus poſſet, bellum gerere videretur, ad hoſtem ire cõſtituit: prouiſaq; re frumentaria, ac luſtrato exercitu vrbe egreditur, nulla magis oratione vſus, qua militum animos alacri ſpe compleret, quàm vt maturarent, & ſe ducem quem dij dediſſent, ad certam victoriam ſequerentur. Aberat Aluantes à Tauriſio itinere decem dierum, quum Hyſmael ſui famam incredibili celeritate prætergreſſus, ad Niphates montes peruenit, qui Armeniã ab Aſsyria diſterminant. Eos Aluantes magnam molem exercitus, & plurima impedimẽta more Perſarum trahens, prҿmiſsis exploratoribus, qui vbi tranſitus difficiles forent munirent vias, & ſaltum non vno in loco cҿſis arboribus aperirent, breui ſuperare decreuerat. Quod vbi cognouit Hyſmael, iudicans ſe cum imparato hoſte ex æquiſsimo loco dimicaturum, ſi prior ipſe tranſcenderet, hoſtemq; apud quem, vt in nullo metu, neglecta ſolutaq; omnia futura eſſent, inuaderet, continuò in aduerſos montes primum agmen erexit, ac deiectis e ſummo vertice hoſtium præſidijs, eo ipſo die vixdum refectis ex labore militibus, Aluantis caſtra, quæ ad vlteriores montiũ radices erant, adortus eſt. Tanta è conſpectu appropinquantiũ hoſtium in caſtris perturbatio exorta, vt præ tumultu ac trepidatione militum arma poſcentium, quibus fœminarum greges, lixҿ, calonesq; pauidum genus immiſcebantur, vix Aluantes, quid fieri vellet præfectos docere, aut milites cohortari, aut deniq; aciem explicare potuerit. Ita irruentibus recta fronte Armenis, magnum atq; atrox prælium cœptum. Neq; Hyſmaeli, cui nunquã animus virtusq; defuerant, eo die etiam Fortuna defuit. Nanq; per cuneos tribus ſimul locis aggreſſus hoſtem, antequam cataphracti equites, quorum magna pars non ſtratos, nõ frҿnatos equos habebant, arma induerẽt, in aciemq; prodirent, proſtrata prima acie, peditatum in fugam vertit. Aluantes, qui nihil earum rerũ antè prouiderat, quòd ad famam tanti comparati exercitus nec Tauriſij quidem, nec in Armenia omnino ſe inuenturũ hoſtem putaſſet, concurſare, appellare milites, retentare conuerſam aciem, ac multum ipſe pugnare. Sed quũ ſubita eius cõſilia, quæ in ipſo periculo

capere

capere cogebatur, nec duces, nec milites exequerentur, pudore ac deſperatione victus, dum in primo agmine acrius pugnat, obtruncatur. Interfecto Aluante, cæſisque Perſarum promptiſsimis: cataphracti, qua parte virium Aluantes ſuperior erat, cum iam non eſſet pro quo depugnarēt, effugere non dubitarunt. Idem fecere ſagittarij, & cæteri poſtremi agminis milites: qui audito ſtatim tumultu, fugæ magis quàm prælio arma atque animos præpararant. Hyſmael cum minore aliquanto hoſtium cęde quàm pro tanta victoria quis crederet, caſtris potitus, quòd antequam fugatum hoſtem ſectaretur, exanimatos milites defatigatione itineris ac labore prælij reficiēdos eſſe exiſtimabat, eo in loco per aliquot dies ſtatiua habuit. Inde quum ab finitimis populis legati ad dedendas vrbes ſuperuenirent, & quò victoria, eò etiam gentium fauor inclinarat, ad vrbem Scyras exercitum duxit. Nec ciues multùm antè ad famam ingentis victoriæ parati ea facere, quæ diuinus victorque Hiſmael imperaſſet, cum vrbe recipere, commeatu pecuniaque iuuare in ea rerum commutatione recuſarunt.

Sophus ab ſupplici ciuitate omnibus diuinis atque humanis honoribus affectus, ſæpe ad populum de veritate atque præſtantia nouæ religionis concionatus eſt: edixitque ſe pro hoſtibus habiturum, qui intra trigeſimum diem antiquos ritus minimè reliquiſſent. Quamobrem quamdiu illinc ex ſucceſſu victoriæ certiſsima præmia, hinc vero ſi pertinacius abnuerent, exilia aut cruciatus proponebantur, breui omnem propè multitudinem in partes deduxit.

Mox ex opulentiſsimæ vrbis diuitijs perſoluto militi ſtipendio, veteres nouosque milites quibus arma, equi, tela, veſtisue deerant, omnibus rebus inſtructos exornauit. Nanque in vrbe quæ inter cæteras Orientis ſummam obtinet claritatem, frequentes erant officinæ omnis generis armorum pleniſsimæ, ea mirabili ingenio artifices ex ferro calybeque recoctis, & ex herbarum ſuccis addita inſigni temperatura, longè elegātius, quàm apud nos id fiat, fabricare conſueuerunt: nec galeas tantùm, thoraces & ocreas, ſed equorum etiam perpetua ex tenuiſsimis laminis tegumenta. Poſt receptam vrbem Scyras, Scapham quoque, quæ Suſa antiquitus fuiſſe exiſtimatur, & Sulthaniam, quam propter admirabiles ingentium ædificiorum reliquias Tigranocertam fuiſſe arbitramur, in fidem accepit. His rebus celeriter confectis, conſtitutisque per ſingulas vrbes ſuæ ſectæ magiſtratibus, Hyſmael ſuperato Tigri in Meſopotamiam profectus eſt, vt Moratchamum Babyloniæ poſſeſsione depelleret, arma adhuc exercitumque tenentem, quo (vt ſuprà memorauimus) iunctis cum Aluante viribus in Armeniam tranſire ſtatuerat. Sed is fraternæ calamitatis exemplo territus, quādo Aluantes & Perſarum exercitus cum ampliſsimis regni facultatibus, è tanto faſtigio vnius diei negotio corruiſſent, iudicauit minimè ſibi armis Fortunam periclitandam: ſed in vlteriora regni ad meliores caſus expectandos continuè fugiendum, quòd victori hoſti ac tum ingentes trahenti copias, qui numeroſum exercitum parua manu cecidiſſet, minimè ſe parem futurum intelligebat. Igitur Sophus Hyſmael tantæ virtutis fama, magnitudine copiarum, & ipſo deniq; Deorum immortalium fauore terribilis, Meſopotamiam ingreſſus cedente Moratchamo, & certantibus inter ſe populis, qui nam primi victoris gratiam deditionis celeritate mererētur, omnem prouinciam in deditionē accepit. Porro Moratchamus nec copijs ſuis, terrore perculſus, ſatis fidens, nec vllis ſe vrbiū mœnibus credere tutū exiſtimans, collecta ſupellectile cum vxoribus ac liberis in Arabiam profugit. At Hyſmael maxi-

mam Orientis partē victricibus armis peruagatus, ab Aſsyria in Mediam tranſcendit: vrbes, caſtellaq; aliquot in Zagro monte, quæ Aluantis præſidiis tenebantur, expugnauit: regreſſusq; in Armeniam, Albanis, Hiberis & Scythis, qui vlteriorem Caſpij maris oram tenent, bellum intulit: quòd eæ gentes tributariæ quondam Perſarum regum ex occaſione ciuilis belli, quo Perſis totusq; Oriens cum excidio regiæ domus proximè conflagrarant, neque tributa quartum iam annum perſoluiſſent, neque ſolitas omnino legationes in tanta præſertim victoria miſiſſent. Dum hæc ab Hyſmaele geruntur, Techellis Cuſelbas, quem ex heremo in vrbes ductum, Armeniam, minorisque Aſię magnam partem noua religione compleſſe paulò antè memorauimus, conflato exercitu ex fœderatis eius diſciplinæ hominibus, Turcarum fines inuaſit. Enimuerò quum Techellis in cœtu mortalium futura ſæpius mira felicitate prædixiſſet, Sophusq; Hyſmael dudum exul & profugus non ſorte, non humano ſubſidio, ſed pietate ac certiſsimæ religionis auſpiciis, in eam rerum amplitudinem creuiſſe videretur, tanta ſuſcipiendæ eius ſuperſtitionis omnium animos cupido inceſſerat, vt circumiectę vrbes atque oppida iam plena eſſent his hominibus, qui pro teſſera nouę profeſsionis rubris pileis vterentur. Conuenêre primo apud Taſciam vrbem, quæ ad Antitauri radices ſita eſt, ſupra ſex milia hominū, vbi à Techelli perſuaſi vt arma capeſſerent, quibus ſi quid durius ab impiis Turcis accideret, ſeſe & veram religionem tuerentur, omnes iureiurando affirmauerunt, ſe neq; ducem in vlla fortunæ acerbitate deſerturos, neq; pro ſanctiſſimę hęreſeos dignitate, cui iam pridem corpora atq; animos deuouiſſent, laborem vllum aut vlla vitæ pericula recuſaturos. Techellis poſtquam videt ſuorū animos ſingulari omnium conſenſu ſummaque virtutis fiducia confirmatos, quum pecuniæ quæ liberaliter a prouincialibus pietatis ſtudio erogabantur, ad alendam tantam multitudinem non ſufficerent, edixit, vt frumentatū quàquauerſum irent, & eorum maximè facultatibus atque diuitiis vterentur, qui nouis ſacris initiari nollent. Itaque in plures manus diducti, è proximis agris magnam vim commeatus & pecoris in caſtra conuexerunt: ac mox creſcente multitudine, è finibus Cappadociæ in Lycaoniæ vbertate agri & accolarum frequentia pernobilem regionem profecti ſunt, vbi multis diebus eo terrore belli per agros impune circunducto, ſeipſos aluerunt, tantumque formidinis omnibus intulerunt, vt qui oppida & vicos incolebant, inſtante metu, omnes fortunas ſuas cum vxoribus ac liberis in vrbem Iconium comportare cogerentur. Nanque edictum Techellis nomine pluribus locis propoſitum erat, quo diuina humanaque præmia his omnibus oſtendebantur, qui continuo in partes tranſirent, & vulgatam multum antea Perſarum religionem ſequerentur. Quod ſi qui pertinacius in errore perſiſterent, eos quum gladium ſemel eduxerit, faceſque ſuccenderit, nullum poſtea veniæ aut ſaluti locum inuenturos. Omnibus tam atroci denunciatione perterritis, alij mortis metu, alij mobilitate animi, alij res ſuas agroſque omni religione potiora exiſtimantes, alij verò obærati, infames, capitalia auſi: prætereà ſerui complures, fuga facta quotidie ad Techellim tranſibant. Nec multò poſt, Turcis contra arma parantibus, auxilia quoque equitum ab Hyſmaele miſſa opportuniſsimo tempore ſuperuenerunt. Namque Hyſmael ex fœdere communis diſciplinæ iam tum anteà per legatos Techellim ſuerat adhortatus, vt ſacroſanctis cœptis inſiſteret, introductæque religioni vim armaque adderet, ac magno animo progrederetur. Se enim

nim negotio minimè defuturum, & peritos rei militaris qui ordines ducerent, & pecuniam qua caſtrenſis apparatus comparari poſſet, continuè ſubminiſtraturum. Hęc haud occultè Sophus Hyſmael contra Baiazetem moliebatur, vt paruis initijs, maioris belli cauſas ſereret. Nanq; & veteribus odijs quæ propter bella continua cum Turcis intercedebant, et ex priuata quoque religionis diſſenſione Baiazeti infenſus, nihil magis in maxima virium amplitudine, & in ſecundiſsimo rerum curſu, iuuentæ etiam calore præferuidus, quam Othomanicum bellum animo volutabat. Quin & legatos ad Senatum Venetias miſit, qui fœdus atque amicitiam peterent, in eam maximè formulam, qua Catarinus Zenus, Ioſaphates Barbarus, & Ambroſius Contarenus legati in Armenia cum Vſſumcaſſane materno auo quondam pepigiſſent. Ii enim diuerſa via totum Orientem peruagati, officiorum ſuorum ac itinerum commentarios poſteris reliquerunt. Id in primis Hyſmael poſtulabat, vt artifices, qui ænea tormenta conflarent, ab Italia ſibi per Syriam mitterentur, & decreta in Gręciam atque Aſiam valida claſſe, Baiazetem maritimo bello diſtinerent: ſe vero terreſtribus copijs minorem Aſiam completurum, prębiturumque pulcherrimam occaſionem Venetæ claſsi ad ea recipienda, quæ in ora Gręciæ ſuperiore & recenti bello amiſiſſent. Senatus legatis perhumanè ac liberaliter habitis reſpondit: neque veteris amicitię, neque fœderis, quæ ſibi cum Perſarum regibus fuiſſent, obliuiſci, gratamque ſemper futuram apud Senatum eius rei memoriam, ſed eo ſummopere lætari, quòd nouus Rex Sophus Turcarũ hoſtis eſſet: quod curæ haberet communicare belli cauſam, atque ea polliceri, quæ ſi Vſſumcaſſanes Iacuppusq; filius præſtitiſſent, nequaquam ſibi bellum cum Othomanis gerendum foret. Cæterum eas eſſe rerum vices, vt ſicuti Perſarum reges domi eà tempeſtate ocioſi occupato in Europa Baiazete, nihil ſibi mouendum exiſtimauerint: ita Senatum in deteriore et periniqua temporũ conditione, quod velit ac maxime optet pręſtare non poſſe, quòd pacem quinquennio antè cum Baiazete factam ſibi minimè violandam exiſtimet: occupari enim ſe grauiſsimo bello, quod præferoces Europæ gentes coniuratione facta, & maximi reges nullis laceſsiti iniurijs, ſed ſola concitati Venetæ felicitatis inuidia, nuper intulerint, ſperare tamen ſtaturos à iuſtiori cauſa Deos immortales, & Rempublicam, quam vlla vis per ſeptingentos amplius annos non fregiſſet, ab immanitate tot hoſtium ſeruaturos. Proinde ſuo regi referrent, Senatum quum per occaſionem poſſet, daturum operam, vt Sophus intelligeret nihil ſibi Perſarum amicitia antiquius eſſe, aut ſpecioſius quicquam futurum, quàm Turcas Chriſtiani nominis hoſtes, quibus ipſe infenſus eſſet, mutuis conſilijs ac parib. armis oppugnare. Legati paulò poſt cum ſpe magis ineundi fœderis, quàm quòd reipſa quicquam impetraſſent, donati muneribus in Cyprum triremibus reuecti, in Syriam traiecerunt: habuereq; occulta colloquia cum Petro Zeno (is Catarini legatione Perſica clari filius fuit) qui tunc Damaſci negotiatoribus Venetis præerat. Qua de cauſa Baiazetes cognita legatorum profectione, per oratores & literas queſtus eſt apud Campſonem Gaurum Ægypti regem, eum minus amicè facere, quòd Perſarum legatos per mediam Syriam ad communes hoſtes ad concitanda externa arma tranſire permitteret. Vnde mox irato Aegyptio omnes Veneti mercatores, & ante alios ipſe Zenus, qui Tripoli, Alepi, Berythi atque Alexandriæ agebant perducti Memphim, coram Campſone ſępius cauſam ex catenis dicere coacti ſunt, vixque poſt annum quo om-

nes contumelias ab immanibus Mamaluchis pertulerant, vitam et libertatem impetrarunt. At Techellis Perſarum auxilij firmato exercitu, ad Iconium celeberrimam Lycaoniæ vrbem iam peruenerat, populatuſque vniuerſum agrum magnam hominum multitudinem ad cultum nouæ religionis perduxerat. Quibus de rebus Orcanes & Mahometes Baiazetis nepotes, qui Alempſaco & Sciaenſciao patribus morbo extinctis, his regionibus imperabant, coactis copijs, ne tantam ignominiam in conſpectu nobiliſsimę vrbis à latronibus paterentur, in aciem deſcenderunt. Sed illi adoleſcentiæ ardore præproperi, quū iniquo in loco prælium commiſiſſent, ab hoſte fuſi fugatique ſunt. Neque in ea victoria Techellis ab oppugnatione Iconij temperaſſet, niſi tormenta apparatuſque expugnandarum vrbium tumultuario exercitui defuiſſent. Inde conuerſo agmine per mediam latitudinem minoris Aſiæ ad Ancyram, quam hodie Angorim dicunt, profectus eſt. Nec Corcuthus Baiazetis filius, qui Thyatiræ, Sypilli, Magneſiæ, Phocæque exercitum comparauerat, quum latè effuſus hoſtis in proximo eſſet, aut procedendum, aut de prælio omnino ſibi cogitandum exiſtimauit. Techellis per Galatiam infeſto exercitu in Bithyniā contendens, non longè à Sangario flumine Caragiū Baſſam, qui Bellerbecus tunc erat, (hoc eſt totius Aſiatici equitatus magiſter) cum inſtructis copijs obuium habuit. Parauerat is paulò antè haud mediocrem exercitum ad famam imminentis belli, iuſſeratque Achomatem natu maximum Baiazetis filium, Cappadociæ Pontique præfectum conſcribere nouos milites, & in tergo moliri bellum, vt Techellis ſi ſemel pelleretur, neque ſe in tutum recipere, neque in prouincia, obſtante in tergo exercitu conquieſcere, aut morari omnino poſſet. Sed hæc conſilia Techellis ſua celeritate præuertit: nanque maioribus itineribus ad hoſtem progreſſus, tum delectibus habendis intentum, aliaſque tanquam ad iuſtum bellum copias expectantem, ad Horminium montem adeptus eſt. Nec Bellerbechus pugnam detrectauit, tametſi non prius quàm maioribus copijs exercitum ſuppleſſet, prælio decertare decreuerat. Erat enim in eius exercitu incondita peditum multitudo, homines ex Paphlagonia, Galatia, Bithynia & Ponto ignari militiæ, & magna ex parte inermes, vt fermè ſunt qui imperati vrbibus atque oppidis inuiti militant, atque vno nomine Aſappi à Turcis nuncupantur. Virtuti autem veteranorum equitum ſummopere confidebat, quorum opera ſi aduerſi quicquam accideret, ceſſurum ſe prælio & ſigna ſeruaturum arbitrabatur. Ex aduerſo Techellis cui robur totum in pedite erat, nihil ſpei in fuga habere: ſed in ſuorum virtute victoriam collocare, adhortari ſuos, vt reminiſcerentur quam in regionem veniſſent: Quæ, inquit, ſociæ vrbes, qui noui exercitus, qui alij dij tutelares, ſi pro his hodie malè pugnaueritis, vos excipient, aut iuuabunt? Agite viri fortiſsimi, atque acriter irrumpite, vt vincendo & religionis dignitatem pro qua corpora atque animos deuouiſtis, & ſalutem veſtram tueamini. Hæc quum diceret, tota acie horrendus clamor ſublatus eſt, ſtatimque concurſum. Bellerbechus peditatum in medio, equites in cornibus collocauit, quibus hoſtilem aciem circumueniret. Techellis autē vno corpore atq; vno impetu quadratam ſuorum aciem induxit, equites quos Hyſmael paucis ante diebus miſerat, in ſubſidijs reliquit. Non tulêre Aſappi impetum neq; aſpectum quidem Techellini exercitus: nanque in fronte quiq; optimè armati conſtiterant, & pileata acies vno colore rubro conſpicua, quod tota cruore conſperſa videbatur, tyronibus & imperitis hominibus formidinē

intende-

intenderat. Ita quum vix horæ dimidio prælium Aſappi ſuſtinere potuiſſent, tota media acies cæſa fugataque eſt. Equites Turcæ qui in latera hoſtium vtrinque magno impetu incurrerant, tametſi multos ſagittis lanceisq; confixerant, atque ordines aliquantum turbarant, quod pedites loco excedere & procurrere cogebantur, nihilominus quum de victis Aſappis, Techellini in cohortes atq; manipulos ſeſe diduxiſſent & cominus prælongis haſtis equos petere cœpiſſent, & ipſi continuo in fugam conuerſi ſunt. Perſæ equites qui ſpectatores pugnæ fuerant, è ſubſidijs in fugientes turbatosq; inuecti, multos protriuerũt, longiusque progreſsi, Bellerbechum ſiſtentem fugam, nec veri quicquam in denſiſsimo puluere diſcernentem, circumuenerunt, cepiſſentque eum, ni à fortiſsimis ſtipatoribus periculo exemptus fuiſſet. Equites paucis amiſsis, fuga ſibi cõſuluere. Aſappi ſupra ſeptem milia interfecti: præterea omnia peditum ſigna & vis ingens commeatus capta. Techellis quiete vnius diei militibus data, ad vrbem Cutheiam, quę ad Horminium eſt, exercitum admouit. Ea vrbs totius minoris Aſiæ vmbilicum tenet, Anatoliæque Magiſtri equitum ſedes eſt, ſicuti in Europa quæ Romania dicitur, apud Sophiam Mœſię vrbem, alterum Bellerbechum conſidere videmus. Fama enim erat magnas opes propter munitionis opinionem eò à finitimis vrbibus in ipſo terrore belli fuiſſe comportatas, & cognouerant, Bellerbechum ſe ex fuga in eam vrbem cum nobiliſſimis equitum contuliſſe. Nec dubium erat ditari poſſe exercitum, ſi aduerſo prælij ſucceſſu conſternatis metu hoſtibus, omnes vires vno tempore admouerentur. Igitur Techellis dignam eam vrbem ratus, quę aliquo periculo peteretur, tormenta minora quæ bello ceperat, & ſagittarios idoneis locis imponit, vt propugnatores è muro deſtinatis ictibus deijcerentur. Demum comportari ſcalas, & tota acie pronunciari iubet, omnem prędam militum fore, his verò qui primi conſcenderent, maiora præmia tributurum. Ea ſpe murum ſubeunt, nulla vi hoſtium, nulla telorum multitudine, nullo mortis metu deterrentur, quin certatim ſcalas aut conſcendant, aut per confragoſa muri alij aliorum innixi humeris connitantur. Supernè verò ingentia ſaxa, ardentes faces, & toto paſſim muro feruentis aquæ, calcis, ac arenę vis ingens in ſubiectos continuè prouoluebantur. Nec in tanta certaminis iniquitate, quum multi ipſo molarium pondere comminutis ſcalis, laceri, exanimes, atq; omnibus deniq; incommodis conflictati è muro præcipitarentur, quiſquam tamen in eo periculo tot ingruẽtibus telis, pedem referebat. Ignauię enim virtutisq; militum teſtes ſpectatoresque aderant Bellerbechus atque Techellis: hic ne irrito incœpto abſcederet, ira et pudore acceſus: ille vt dignitatem, ſalutem, ac omnes deniq; fortunas ſuas in eo diſcrimine tueretur, pari animo ducis atque optimi militis officia implebat. Tandem feſsis & magna ex parte ſaucijs propugnatoribus, quum Techellis integros milites qui prælium exciperent, ac vulneratos reuocarent, continuè ſummitteret, facto impetu duobus ſimul locis per aceruos cæſorum in vrbem peruaſerunt, obtruncatisq; propugnatoribus, ac refracta porta omnẽ exercitum introduxerunt. Inde per omnes domos miſerabilis Turcarum cædes edita: expugnatumque eodem impetu prætorium, quo ſe cum familia Bellerbechus receperat. Dux ipſe cum vxoribus captus, & prætorium ſecto marmore & nobili ſtructura inſigne concrematum. Cutheia capta & Turcarum ſpolijs ornato exercitu, Techellis in animum induxit expugnari poſſe Pruſiam Bithyniæ caput, ſi priuſquam hoſtium vires coaleſcerent, aut ciues perterritis

omnibus, aliquid conſilij pro tuenda patria capere poſſent, ipſe confeſtim eò contenderet: & in ea fortuna ſtudio atque ardore militum vteretur. Quamobrem indicta profectionis die, militibus imperauit, vt corpora curarent, ſcalas, arma, telaque pararent, quibus opulentiſsimam vrbem, nec mœnibus tutã, nec vllo firmatam præſidio, hoſtium opinione celerius aggrederentur. Hæc parantem nouus Turcarum exercitus, qui nuper ab Gallipoli per Helleſpontum in Aſiam traiecerat, à propoſito oppugnandæ vrbis auertit. Nanque Baiazetes multum anteà ad Tecchellis nomen, & ad Perſicæ religionis famam excitatus, filijs, nepotibus ac Bellerbecho Aſiæ præfecto ſcripſerat, vt pararent arma, nouæ ſuperſtitionis initia opprimerent, darentque operam, ne quid detrimenti in ea prouincia caperetur. Poſtquàm verò Techellim ex heremita Imperatorem factum, innitique eum haud obſcurè Perſarum viribus, & ardere bello Aſiam vidit, Halybaſſam cum Europæis copijs eò emiſit. Erat Halybaſſa genere Macedo, tametſi eunuchus, virtute tamen viris fortiſsimis comparandus, qui ſub Mahomete multis fortibus factis militarem gloriam, atque optimi ducis nomen adeptus fuerat. Is deducto flore equitum ex Epiro, Macedonia, Mœſia, Illyrico, Traciaque, ac adiunctis ſibi prętorianorum ſeptem milibus (Ianizarij Turcica lingua vocantur) in queis ob confirmatã bellicæ laudis opinionem in omni Turcarum expeditione, & ſumma virium, & vincendi certiſsima ratio ſemper fuit, ex Cherſoneſo in Phrigiam profectus eſt, ſcripſitque ex itinere Corcutho, & Acomati Baiazetis filijs, omnibusque equitum præfectis (quos Sanzacos vocant) vt quàm maxima poſſent celeritate copias compararent, & in Galatiam progrederentur. At Techellis de aduentu hoſtiũ certior factus, excedendum Ponto, ac ſibi omnino multis de cauſis in pacatam regionem redeundum exiſtimauit, ne coeuntibus vndique Turcarum copijs, circumueniretur, néue cogeretur iniquiſsima belli conditione dimicare. Nanque, nec tutum iter, nec pacatum quicquam, ſi vel paruam aliquam moram traheret, ſe habiturum arbitrabatur, quum tantum terrarum in tergo relinqueret, tot hoſtiles vrbes, tot flumina, tot infenſos populos, quę omnia paulò antè primus hominum fauor, victoriæque celeritas aperuiſſent. Igitur re ad conſilium delata, quòd præfecti omnes tantulis copijs ſine iuſto equitatu, cum eo hoſte qui & locorum notitia, & genere ac numero militum longè ſuperior erat, pręlio decertare ſummæ dementiæ, aut extremæ neceſsitatis conſilium eſſe cenſebant, collecta pretioſiore præda, ab Horminio per Galatiam citatiore itinere regredi cœpit. At Halybaſſa, cui, vt ſtatim in Aſiam ventum, ſingulis propè horis à prouincialibus de abſceſſu itinereque hoſtium literæ, pernicibus tabellarijs afferebantur, cognita eorum profectione, Sangarium flumen ſuperat: ac tranſuerſis itineribus rectà iter Cutheiam & Ancyram, quà tranſituros hoſtes coniectura iudicabat, pergit. Inde quum minimum tempus, aut naturæ deſiderio, aut laſsitudini militum tribueret: quintis caſtris ad Caraaſſar in plana Galatiæ peruenit, & nouiſsimos agminis hoſtium feſſos, vulneribus debilitatos adeptus, interficit. Ibi Techellis vt hoſtes atroci ſpectaculo edito, aut demoraretur, aut á perſequendo deterreret, Bellerbechum quem vinctum trahebat, media in via ſequentibus ſpectandum palo infixit. Nec Halybaſſa horrendo clariſſimi viri interitu permotus, quicquam tamen de celeritate ſibi remittendum exiſtimauit. Quin milites conſolatus, vt æquo animo itineris laborem ferrent, ac paululum adniterentur, vt ſupplicium ſumerent de immaniſsimis latronibus, quæ

bus, qui, euaſtata prouincia, nec impuberibus quidem, aut Deorum templis pepercißent, ſequente die in Ancyreorum agrum deſcendit. Achomates quoque cum decem milibus armatorum, vt vires iungeret, eo ipſo die ſuperuenit. Quamobrem Halybaſſa, qui nec cõtinuo quidem curſu magnis itineribus antecedentem toto exercitu conſequi poterat, iniquo animo ferens ſæuiſsimum hoſtem impunè elabi è manibus, inſiſtere hiſdem fugientium veſtigijs, cum expedito equitatu conſtituit. Itaq; relictis pedeſtribus copijs, & Achomati commiſſa exercitus cura, cum octo milibus equitum abeuntes citatiſsimo curſu perſecutus, extremum eorum agmen ad Olygam montem, qui ab Ancyra parum diſtat, laceſſere, & inito acri prælio perturbare cœpit. Techellis, qui in edito idoneum locum caſtris paulo antè ceperat, tametſi laſsitudine atq; æſtu torrentis Solis exanimatos eſſe milites intelligebat, nihilominus, quum æquiſsimo in loco, cum ſolis equitibus ſibi rem futuram ſciret, conuerſo agmine, ac conſtitutis pro natura loci & temporis exiguitate ſuorum ordinibus, Turcarum impetum egregie excepit, inuectosque equites prælongis haſtis ſagittisque ſummouit: apparebatq; haſtatum peditem phalange facta, inſultante equitatu, nec ceſſurum loco, neq; indignum quicquam ſuperiore victoria commiſſurum, niſi Halybaſſa mille amplius ſclopettarios equites induxiſſet, qui per vices alij alijs turmatim miro ordine ſuccedentes, plumbeas glandes in confertiſsimam hoſtium aciem ſpargerent. Quæ procella, quum magnus eorum numerus ſterneretur, neceſſe fuit phalangem ſolui. Inde haſtati equites, quà diſsipatis cæſisque militibus denſa & ſtabilis ea acies laxabatur, vehementiore illati impetu cædendo ſternendoq; totum propè primum agmen deleuerunt. Techellis in media ſuorum ſtrage vbiq; cõſpicuus, quod vnum in tãtis malis remedium relinquebatur, ex promptiſsimis atq; optime armatis nouam aciem facit, eamq; à nouiſſimo agmine in frontẽ ductam, equitatui opponit: iubetq; pronunciari, vt milites pleno gradu pugnando in colles ſeſe recipiant, eo conſilio, vt milites timore adducti, non metu ipſo, ſed iuſſu Imperatoris id facere viderentur. Ita exiſtimare natura loci diffiſos hoſtes, vrgendi inſequendiq; finem eſſe facturos. Halybaſſa primo prælij ſucceſſu ferox, haud dubie iam inclinata victoria equites cohortatus, ne ſpaciũ euadendi in montem fugientib. relinquerent, premendo vrgendoq; inſtarent: ac breuiſsimi laboris operam, quà bellum vel vno eo prælio finiretur, ſibi ac Baiazeti imperatori præſtarent. Hæc proclamans cum globo equitum per mediam hoſtiũ aciem perequitauit, vt cæteros accenderet, ac ſibi non deeſſe virilem animum, inſigni virtutis facinore edito teſtaretur. Quod quum ſpecioſius quàm pro diſciplina iterum eodem ardore fieri poſſe conſideret, interclusus, & in medio circumuectus interficitur. Cæſo Halybaſſa, puncto temporis prælij fortuna cõmutata eſt: nanq; Turcæ, qui dudum pulſis ſtratisq; hoſtibus acerrimè præliabantur, ducis morte perterriti, remittere pugnandi ardorem, ſenſim cedere, ac demũ conuerſis equis pugnæ loco excedere cœperũt. Ex aduerſo Techellini qui plus ſpei in loci munitione, ac mõtibus, quàm in armis atque virtute poſuerant, auctis noua ſpe animis, & in ſegni iam pugna collectis virib. procurrere, truci vlulatu victoriã conclamare, atq; hoſtem in fugã vertere. Ita fortiſſimi equites pugnæ atq; itineris labore confecti, quum feſsis ac fluẽtibus ſudore equis perſiſtere non poſſent, inſignem certamq; victoriam, quam dux ipſe virtute partam, morte poſteà temeritateq; corruperat, reliquerũt. Techellis tametſi nec reſiei equos, nec in patentib. campis tutò conſiſtere hoſtem

poſſe, ſi veſtigijs inſiſteret, ſperabat: orbatus tamen ſuorum promptiſsimis, atque vniuerſo exercitu inedia, vigilijs, & vulneribus affectis, in Olyga monte conquieſcere ſtatuit. Inde paucos poſt dies trans Halym flumen ductis copijs ad Taſciam, & in Rubra demum ſaxa ſe recepit, non procul ab vrbe Celenis, quam Marſia amnis Poetarum carminibus inclitus mediam interluit, hodieq; Maras Aladuli principis ragia vocatur. Turcę vlti magis iniurias, quàm plenam adepti victoriam, ad Achomatē, vbi ſigna et prętoriani milites erant, redierunt. Nec multo poſt Iunusbaſſa ſummæ virtutis Epirota, qui magnū in militia vſum habere dicebatur, à Baiazete delectus, cum imperio ad exercitum venit. Is ſtatim, quum ſibi copias omnes Achomates tradidiſſet, in Cappadociam profectus, dextrorſum ad Antitaurum iter flectens, paucis diebus ad Taſciam peruenit, vrendoque ac vaſtando paſsim vniuerſum agrum ſub radicibus montis poſuit caſtra. Habebat Iunusbaſſa ſupra quadraginta milia equitum ac peditū: præterea magnum numerū curralium tormentorum, ingentemq; vim omnis generis commeatus. Quo apparatu territus Techellis, quòd nulla auxilia ab ab Hyſmaele mittebantur: quòd nullam tormentorum copiam habebat: quòd clade ad Olygam accepta ſaucios conſternatosq; metu milites, tantæ multitudini hoſtium obijcere miſerrimum putabat, montibus, ac ſyluis ſe tenere conſtituit, ſperans ſi munito in loco cunctaretur, aut ventura interim Perſarum auxilia, aut temeritate hoſtium non omnino iniquam pugnandi occaſionem aliquādo haud ſibi defuturam. Interea ſingulis diebus haud ſatis digna memoratu prælia varijs in locis conſerebantur. Nanq; Turcę explorando quęritandóque faciles aditus circumiecti montes, ſæpius accliuis collibus ad hoſtes perueniebāt. Techellini contrà è ſyluis euolabant, & è pręruptis locis, quę ipſi in caſtellorū ſpeciem communiuerāt, acerrimè depugnabant. Tandem, quum diu quotidiana conſuetudine veluti per luſum leuibus prælijs vtrinq; vires tentarentur, animaduertēre nonnulli milites itinera duo non omnino dificilia, per quæ haud anguſtis callibus exercitus ſub ſignis duci poſſet. Iunusbaſſa loci naturam cōtemplatus, eodem tempore, hinc Aſappos, illinc prætorianos milites cohortatus, erigere aciem in colles non dubitauit, qui per ardua leni gradu prętentis ſcutis aduerſus hoſtium miſsilia ſubeuntes magno animo ingētem telorum multitudinē ſuſtinuerunt. Nanq; hoſtes occupatis editioribus locis, veluti è propugnaculis, & tela omnis generis conijciebant, & maiores lapides prouoluebant. Sed directis in eum locum minoribus tormentis, ab ea munitione deturbati, celerrimè locum reliquerunt, quum ſigna ſcutatosq; valida ſclopettariorū manus ſequeretur, et veluti grādine effuſa tota acies obrueretur: móxq; Techelle receptui canente, in interiores ac munitiores ſyluas ſe condiderunt. Sequenti nocte Techellis haud ignarus quātum ſibi authoritatis ac virium ex aduerſo certamine deceſsiſſet, extinctis ignibus cum maximo ſilentio ſaltu exceſsit, & per aduerſos montes in minorē Armeniam deſcendit. Nec prius illorum fugam Turcę ſenſerunt, quàm albeſcente iam cælo, exploratores qui ſaltū ingreſsi, impedimenta, & paucos ſemianimes inuenerant, renunciauêre, euaſiſſe hoſtes, eosq; præcipiti fuga petere minorem Armeniam. Quod quū Iunusbaſſa ex captiuis etiā cognouiſſet, impotenti ira gemens, frendensq; quòd non ſtatim ab victoria ſaltum omnem indagine clauſiſſet, equitatum qui abeuntes ſectaretur plurimis itinerib. emiſit: nequicquam tn̄ perſecuti hoſtes, quòd Techellis notis tramitib. rectà in Armeniā properabat, paucis in itinere captis ad

ducem

ducem tradiderunt. Pulſo Techelle, Iunusbaſſa per omnes minoris Aſiæ vrbes intentiſsima inquiſitione habita, quos Perſicę religionis cultores inuęnit, omnibus tormentis excruciatos interfecit: his verò qui bello minimè interfuiſſent, neq; arma tractaſſent, inuſsit frontem, vt ſtigmate defectionis titulum præferrent, quos protinus cum affinibus, atq; propinquis eorum qui ſecuti Techellim fuerant in Europam traduxit: ſparſitq; per Macedoniam, Epirum, & Peloponeſi oram, ne ſi Techellis, qui ad Hyſmaelem in finibus Scytharum bellum gerentem confugerat, copias comparare alias, & bellum renouare vellet, coirent rurſus, & nouas res, noua defectione molirentur. Vix dum pulſo Techelli bellum aliud ſtatim ortum atrox cruentumque inteſtinis cædibus, quo clariſsima terrarum orbis Othomannorum domus, vnius ambitione atq; ſæuitia ab ſtirpe propè interijt. Præceſsère imminentes calamitates prodigij loco habitæ, ingens atque terribilis, ſi vnquam antea, terræmotus, ac ſubinde repentina & maximè grauis peſtilentia, quæ Bizantium imperij caput ruinis atque funeribus compleuerunt. Quibus periculis territus Baiazetes, ab peſtilenti maris ora, in ſaluberrima Thraciæ loca ſeceſsit, egitque complures menſes ſub Rhodope monte apud Hadrianopolim: vbi quum minimè proſpera valetudine vteretur, nec dolore pedum, & ſenecta inualidus munia imperij obiret, de ſucceſſore deligendo cum purpuratis & familiaribus agitare cœpit, diffiſus maximè filiorum ingenijs, quos præpotentes ferocesque de imperio dimicaturos arbitrabatur: niſi ſe ſuperſtite in principatum vnus aſciſceretur, qui conciliato fauore militum, opportunas regni arces, pecuniam publicam, claſſes atque exercitus obtineret. Supererant Baiazeti filij tres, Sciauſciao, Mahumeto, & Alemſciaco iam pridem morbo abſumptis: Achomates, Corchutus atque Selymus, florenti ætate omnes, ſed diuerſis inter ſe vitijs, atque virtutibus inſignes. Achomates conſilio, æquitate, belli & pacis artibus pollens, clarusque, quod duobus iam regiæ indolis adoleſcentibus filijs ſtiparetur, ſecunda nominis fama ipſos præſertim Aſiæ populos & principes aulæ, paternúmque animum occuparat. At Corcuthus ob mite ingenium, tranquillioremque naturam ſapientiæ ſtudijs deditus, tametſi cognitione humanarum rerum, ac ætatis prærogatiua ab Achomate ſuperabatur, nihilominus quum apud patrem veteris pietatis, & ſummi beneficij memoriam non omnino obliteratam eſſe cõſideret, imperium triginta ante annis apud eum depoſitum repoſcebat. Nanque Mahomete vita functo, & Baiazete eius filio in Cappadocia procul agente, prætoriani milites, & nonnulli equeſtris militiæ principes, qui tunc Bizantij aderant, Iſacho & Meſithe purpuratis attollentibus Corchutum adoleſcentulum imperatorem delegerunt, & traditis arcibus, atque theſauris auito in ſolio conſtituerunt: vt ipſi tutelæ nomine, ex arbitrio cuncta imperij munia adminiſtrarent. Nec Baiazetes ab Amaſia Cappadociæ rediens, quanquam ſe fraudatum iure imperij planéque proditum ab omnibus quereretur, quicquam tamen præcibus & lachrymis impetraſſet, niſi in ipſo egregie pio, modeſtiſsimoque adoleſcente primis ſtatim imperij diebus ingenuus pudor, & parentis reuerentia, omnem regnandi libidinem ſuperaſſent. Siquidem Corchutus nolentibus etiam his qui detulerant, ſceptrum patri reſtituit, vnde illi mox liberalitate patris Lycia, Caria atque Ionia, cum nobiliſsima Aſiæ ora ab Attalico ſinu Phocęam vſque ceſſerunt. Porrò Selymus maiores ſpiritus gerens quum priuatam fortunam minimè pateretur, vt rei bellicæ magnopere

deditus, vna maximè liberalitate, aſtu, comitate, bonis maliſq; artibus ad Imperium contendebat. Nec maximũ bellum et paternum regnum affectanti, ſtudia prætorianorũ deerant, qui miſceri cuncta bellico tumultu malebant, vnde honores, atque diuitiæ certa laboris atque audaciæ pręmia peterentur, quàm ſub æquo ſedatoq; principe, qui eſſet damnoſæ pacis cultor, inglorius otioſam inutilemque militiam perferre. Is habitus animorum erat in prætoriano equite, & Ianizarorum peditum conſenſus, quum Baiazetes, qui haud dubiè Achomatem ſucceſſorem ſibi deſtinabat, ſparſis in aula ſuper ea re non omnino vanis rumoribus, filios pari ambitione ad imperium properantes ſuis ſedibus exciuit. Primus omnium Selymus claſſe in Ponto comparata ab Trapezunte vrbe, Theodoſiam adnauigauit: adijtque in eadem Cherſoneſſo Mahometem Præcopitarum & Tartarorum regem, cuius filiam iam anteà inuito Baiazete vxorem duxerat. Eum detectis conſilijs ſuis obſecrat, obteſtaturque per fœdera ſanctiſsimæ cognationis, ne ſibi genero in ſumma rerum occaſione deeſſe velit: docetque quanta ſibi ſpes adipiſcendi imperij ab amicis prætorianiſque militibus proponatur, ſi propius accedat: patremque de transferendo imperio cogitantem, aut arte conciliet, aut ab inſtituto conſilio eligendi conſtituendique ſucceſſoris, ducto in Græciam exercitu armis deterreat. Tartarus collaudatis eius conſilijs, vt ſocerum decuit, alias confeſtim naues ex Ponto atque Mæotide, viciniſque præſertim Coppa Tanaque emporijs, quæ ſunt ad Tanaim amnem, cogi iubet. Quindecim milia equitum armat, atque hæc omnia Selymo attribuit, ac maiores copias ſi bello contendat, ſe continuò miſſurum pollicetur. His properè confectis Selymus Boryſthene ſuperato per Valachiam profectus, Danubium apud Cheliam vrbem equitatum omnem traducit. Claſſem verò ad Varnæ portum, quæ Dionyſiopolis olim fuit, in finibus Bulgariæ & Thraciæ conuenire iubet. Ipſe alias ex itinere copias conſcribens ſimulando aliud, quo ſuum cõſilium tegeretur, expeditionem in Pannoniam edicit. At Baiazetes, qui Selymum ab Trapezunte in Europam multò antè tranſiſſe cognouerat, admiratus, quòd non planè ſedato Techellis & Perſarum bello, ex Aſia diſceſsiſſet: quòd priuato conſilio contractis externis auxilijs aduerſus pugnaciſsimam Hungarorum gentem difficile bellum pararet: quòd loca Thracię proxima terreſtri exercitu, Euxinum verò validis claſsibus obtineret, timere cœpit ne hæc omnia contra ſe pararentur. Enimuerò inquieti turbidique hominis ingenium callidus pater perſpectum habebat, vel ex eo maximè, quòd ſe inſcio ſuperbè admodum ac inſolenter, ducendam ſibi vxorem è Tartaris iudicaſſet, ac ſumma demum arrogantia exercitus terra mariq; paraſſet: intelligebatque modico eum imperio non contentum fore, qui ampliſsimum audacia ac ſcelere parari poſſe cõſideret. Attamen eius vim atque ferociam diſsimulatione leniendam magis, quàm eo tempore contumelijs exagitandam exiſtimans, oratores ad eum mittit qui doceant quanto cum periculo Turcæ ſuperioribus temporibus ea bella tractauerint: exemplo debere eſſe auum Mahometem, qui infeliciter Pannoniorum arma ſæpe expertus eſſet: proinde commodiorem rerum occaſionem opperiretur, vt maturiore ideoque tutiore conſilio & maioribus viribus id bellum ſuſcipere, & cum certa propè ſpe victoriæ gerere poſſet. Ad hæc Selymus reſpondit, ſe Achomatis iniurijs extimulatum, Aſiam reliquiſſe, tranſiſſeque propterea in Europam, vt amplioris ditionis præfecturam pro anguſta ſcilicet ſterilique, & tum ex indu-

cijs

cijs pacatam, quàm ſpectantem ad Hiberos & Colchos, inter ſaxa montium degentes pater attribuiſſet, ſibi armis ex hoſtili prouincia vindicaret. Quòd verò Hungaros tanquã inſuperabiles bello minimè laceſſendos diceret, ſe non eſſe eius animi, vt vllis periculis, vlliſue difficultatibus terreretur, quando antiqua illa iam mutata eſſent, mutatis ſcilicet regibus, & non labante modò, ſed ferè euerſa gentis vetere diſciplina: Vladislaus diſpar ingenio virtuteque Matthiæ fortiſsimo ſucceſsiſſet: nec ipſe morte aut belli communes caſus ab ineunte ætate timere didicerit: forti enim animo & honeſta quidem petenti audentique neque Deos neque homines defuturos. Decreuiſſe ſe pro ſua dignitate, quam pater nimia fratrum potentia confregiſſet, aut in acie non indecoram mortem obire, aut propagare imperij fines, ne omnino poſtremo loco natus, in Othomanica domo poſtremus quoque virtute & gloria videretur. Legati tametſi Selymus omnibus ſermonibus nihil pacatum oſtenderat, munera tamẽ patris nomine, quibus ferox atque immitis animus molliretur addiderunt. Nam Samandriam, quam Scenderouium Belgrado oppoſitum Hungari vocant, validam Myſorum vrbem in Pannoniæ finibus, & complura oppida regionis veteri eius imperio adijciunt: itemque ſexaginta aureorum nummûm milia dinumerant: præterea lanceas addunt, & ſericas veſtes mille numero, magnamque vim commeatus, quibus rebus contractos milites donaret, atque aleret, ne ſpe prædæ domo exciti grauiter ferrent, ſi abſque munere dimitterentur. Selymus oblatis opportunè muneribus acceptis, ambiguo magis reſponſo atque incerta ſpe ſuſpenſos legatos ad patrem remiſit, quàm quod ex antiquis conſilijs ſuis quicquam remiſerit. Exacuebant animum imperij cupiditate accenſum occulti ab amicis nuncij, ac literæ monentes vti approperaret, atque omnem ſpem in celeritate poneret, quod ſub eius profectione Achomatem à patre accerſitũ ex Cappadocia mouiſſe arma cognouerant. Interea Baiazetes his etiam de cauſis permotus, ad id quod animo multum antè propoſuerat deſcendit, ac regem ſucceſſoremque dicturum profitetur, qui ſe annis valitudineque confecto, parem tanto imperio regendo vigorem integræ ætatis afferret. Ea quum per quatuor Baſſas qui bello paceque proximum regi locum obtinent, prætorianis militibus deferrentur, extemplò ab omnibus ordinibus reclamatum eſt, ſe nullum alium quàm Baiazetem, cuius auſpicijs ampliùs triginta annos meruiſſent, imperatorem velle: non paſſuros priuatum eum in obſcuro vitam agere, qui tot victorijs, tot vrbibus bello captis, Othomannicum imperium in ſummam amplitudinem perduxiſſet. Satis in eo virium ſupereſſe, ſi vegetæ adhuc ætatis honore, dignitatem diuturnitate imperij, & gloria rerum geſtarum partam retinere vellet. Eum enim ex liberis ad imperij ſedem ſuo tempore peruenturum, qui patri legitimè ſucceſſurus eſſet; viueret modò ipſe incolumis ac multos regnaret annos: nullam quidem poſt fata patris futuram apud filios de regno controuerſiam, quum id Othomannorum proles, vetere patrum inſtituto, iure tantùm atque ordine, nullo ambitu, & nullis adiuta ſuffragijs adipiſci conſueuerit. Quòd ſi forte priuato iudicio & noua tanquam inducta adoptione, eum non deligat, quem per leges nunquam antea violatas populi militumque conſenſus imperio deſtinarint, fore, vt humana diuinaque omnia miſceantur. Cæteros enim fratres, tam inſignem contumeliam non laturos, nec quieturos vnquam, donec impotenti patris libidine amiſſam dignitatem, tanquam abdicati ſpretique cum omnium rerum contur-

bationearmis recuperent. Hęc milites edocti ab amicis fautoribuſque Selymi qui centuriones & vexilliferos pecunia & pollicitationib. ſubornarant, palàm eloquebantur, vt Baiazetem à propoſito deterrerent. Cæterùm ille eorum animos ab Achomate minimè alienos eſſe exiſtimans, quòd illius dignitatem ad quem ſpectaret imperium, aduerſus omnium iniurias tutaturos, elato animo profiterentur, Achomatem electurum ſe dixit, ſi is ab omnibus ordinibus probaretur. Sed prætoriani qui corrupti muneribus fidem libertatemque vendiderant, probare quidem ac laudare Achomatem, ſed principem creari ſuperſtite altero, neque ex vetere Othomannorum conſuetudine, neque ex commodo militum, neque ex vſu imperij eſſe dicere, quando nec fratres Corchutus, atque Selymus, nec ipſi prætoriani vllam ex infidelitatis ſuſpicione calumniam ęquo animo toleraturi ſint: ſi de voluntate atque modeſtia optimorum filiorũ ſuſpicioſus pater, aut de fide conſtantiaque fideliſsimi exercitus, eum ſæpe numero expertus imperator addubitet. Intolerãdum quoq; cunctis videri, quod præmijs per interregnum dari ſolitis, ex ipſa externę religionis hominum prę da, odioſo eius inſoliti facti præiudicio, milites fraudentur. Nanque mos eſt, vt defuncto ſtatim principe, Iudæi & Chriſtiani expoſiti Turcarum iniurijs, qui Bizantij, Peræ, Hadrianopoli, Theſſalonicæ, Pruſiæue mercaturæ cauſa degunt, à prętorianis per tumultum mercimonijs omniquę ſubſtantia ſpolientur, prædæque habeantur. Neque prius milites ſacramento rogati in verba noui principis iurant, quàm is omnem prædam donatiui nomine conceſſerit, & per caput ſuum, quod maximum apud Turcas iuſiurandum exiſtimatur, affirmarit, ſe nullam ex ſontibus petiturum pœnam, atq; omnem eius maleficij memoriam aboliturum. Baiazetes poſtquàm omnibus conſilijs ſuis aduerſari milites vidit, vt corruptæ eorum mentes ampliore pecunia caperentur, quingenta aureorum milia prętorianis ſe diuiſurum pollicitus eſt, ſi Achomati fauerẽt, neque ius, aut poteſtatem dicendi noui regis interceſsionibus impedirent. Nec publicani redemptoreſque deerant, qui magna ex parte ab hiſdem peregrinis mercatoribus, eam ſummam ſe exacturos, & in gratiam Baiazetis repræſentaturos profiterentur. Vicit tamen Fortunam Achomatis improbitas & peruicacia prætoriani militis, quanquam magna erant quæ proponebantur. Siquidem vberiora præmia deſtinauerant animis, ſi pro temperato proboque principe, prodigijs ferox, & pacis impatiens, ſtudio atque opera militum ad Imperium eueheretur. Per hunc modum ſua ſpe depulſus Baiazetes, diſsimulãdum ſibi in præſens, & compreſſo animi dolore ignominiam, quam occultè ferendam exiſtimauit, dum ſeſe occaſio conficiendæ rei aptior & tutior aperiret. Interea Selymus ab amicis certior factus quanto ſtudio, quantaque partium contentione prætoriani patris conatibus obſtitiſſent, ne diutius hominum voluntates mora & tarditate fruſtraretur, neu propẽſiſsimis in ſe militum animis diffidere videretur, relictis Pannoniæ finibus exercituque in Thraciam ducto, non longè ab Hadrianopoli loco edito conſedit, vnde caſtrorum fremitus exaudiri, & tentoria è ſummis vrbis tectis conſpici poterant. Mittitur inde ab Selymo in vrbem nuncius, qui mandata patri ferret. Eorum ſumma fuit, deſiderare ſe plurimum, qui per multos annos abſens patrem non vidiſſet, in eius complexus deuenire, antequàm Trapezuntem petiturus mare traijceret, quando eum exacta & præcipiti ætate nunquam fortè eſſet interuiſurus. Pertinere quoque ad quietem Aſiæ, liberorumque concordiam, ſi apud patrem,

trem, communem arbitrum & diſceptatorem controuerſiæ, proponerentur quæ ſibi cum Achomate intercederent, nec tutò ſeruorum fidei committi poſſent: ſtatueret colloquio diem, locumq; deligeret, nec grauaretur exoſculandæ manus facere poteſtatem, quòd obſcuris & tenuibus amicis, nedum liberis, maiores tribuere conſueuiſſent. Baiazetes qui paucis antè diebus cognito Selymi aduentu, planeque perſpectis eius conſilijs, aliquot Sanzaccos cum delecto equitatu è proxima Græcia præſidio acciuerat, & cuſtodias in vrbe diſpoſuerat, timens ne ſpecie colloquij milites à filio amicisque eius deprauati, qui iam tum onerati promiſsis atq; muneribus occultè deſciuerant, abſe penitus alienarentur, atque ipſe demum vel aperta vi, vel inſidijs circumuentus opprimeretur, ſpem omnem colloquij tollendam iudicauit: grauiter incuſato Selymo, quòd alienam prouinciam introductis copijs occupaſſet: quòd armatus colloquium poſtularet: quòd denique ſua humanitate ac patientia tam inſolenter abuteretur. Non eſſe ab eo quicquam expectandum, quòd ad concordiam pacemque pertineat, qui externo equitatu circundatus, iniuſſu patris bellum pararet, & fideliſsimas Othomannico nomini gentes, per quas iter faceret effusè popularetur. Proinde cum rectè facturum ſi Thracia, Europaque excederet, & dimiſſo exercitu in Pontum prouinciam ſuam reuerteretur. Hoc ſi faceret maiorem ſibi quàm vnquam antea apud patrem gratiam beneuolentiamq; pariturum: ſi in incœpto perſiſteret, ſe eum non pro filio, ſed pro hoſte habiturum, nec defuturos, qui tantam audaciam, ſummæ proximam perfidiæ ſtatim vlciſcerentur. Dimiſsis legatis, Baiazetes ea quæ ſequuta eſt nocte per ſpeculatores cognoſcit, Selymum motis caſtris rectà Bizantium petiturum, quòd ab amicis accerſeretur, qui exiſtimarent, ſi ipſe cum exercitu propius accederet, in vrbe inteſtinos motus orituros. His cognitis Bizantio timens, ne Hadrianopoli ſedendo imperij ſedes amitteretur, prima luce proficiſci conſtituit. Diſcedente autem Baiazete, Selymus trepidantibus Hadrianopolitanis, ne ſi reſiſterent intempeſtiua fides exitio foret, vrbem ingreditur: recreatoque ex præſente vrbis copia vniuerſo exercitu, quòd ante ſibi animo agendum propoſuerat, vt patrem antecederet, maioribus itineribus Bizantium verſus contendit. Vixdum Baiazetes ad vicum cui nomen eſt Chiurlus peruenerat (is medio fermè itinere à Bizantio viam militarem amplectitur) quum ab coactoribus agminis conclamatur adeſſe hoſtium antecurſores, eos carpere nouiſsimos ordines, & iam laceſſendo inſtandoque vniuerſum poſtremum agmen demorari. Baiazetes noua re perturbatus magis, quàm territus, ne quid fugæ ſimile profectio haberе videretur, ſtatui ſigna, omnemque exercitum conſiſtere iubet, eo propoſito vt ſi acrius inſtaret hoſtis, acie decertaret. Duces & purpurati qui aderant, aut vetere amicitia, aut noua inclinatione animi, aut ſpe cognationis atque potentiæ in Selymum propenſi, eique propterea obliquè callideque fauentes, non probare conſilium imperatoris, quòd leuitate atque audacia filij vſque adeo permoueretur, vt prælio rem committendam exiſtimaret: funeſtiſsimam fore victoriam ſi inconſultè ſuperbientem, ac nihil nociturum filium ſuperaret. Contrà, patrem ſi fortè ſuccumberet, miſerrimam conditionem cum vniuerſo exercitu ſubiturum: cuius euentus tanto periculoſius inſtare diſcrimen, quanto ipſe & rerum bellicarum apparatu, & numero copiarum eſſet inferior. Comprimeret iram, nec tot eximias laudes bello paceque partas, in extrema ætate, fœdo exitu maculare properaret. Vnum omnino conſilium

ſalubri prudentia plenum videri, ſi de profectione celeritateque nihil remitteret, & continuo Bizantium proficiſceretur. Selymum enim citò temeritatis pœnas daturum, ſi Bizantio excluderetur: nec dubium fore, quin in reditu ab his quorum agros eſſet populatus, honeſtius quàm paterno gladio cum latronibus ſuis cæderetur. Huius ſententiæ princeps erat Muſtaphas antiquior è tribus purpuratis, qui ſummæ rerum conſilio præpoſiti Baſſæuiſir appellantur. Is tum ingrato prauoque animo Baiazetem, tanquam nimis diu regnantem faſtidiens, oderat etiam propter priuatas offenſiones, ex collegarum æmulatione conceptas, Selymum verò ſpiritu atque oris indole Mahometem auum referentem, à quo ipſe fuerat educatus, tanquam imperio digniſsimum occulta propenſione animi proſequebatur. Erat Muſtaphas ex oppido Seres, apud Amphipolim Græco ſacerdote genitus, ingenio vafro, ſubdolo, ſemperque venali, quos animi morbos maligno obtutu diſtortisque oculis præferebat. Secundum Muſtapham erat Boſtanges hortorum præfectus, ex Ducagina familia apud Ætholos clara & illuſtri, propterea Ducaginoglis appellatus, homo auaritia, ambitione, perfidia infamis, vt poſtea turpiſsimus vitæ finis oſtendit. Huic Selymus filiam ętate iam nubilem in præmium corruptæ fidei, occulta pactione deſponderat. Quibus etiam artibus Aiacem Ianizarorum prætorijque præfectum perpulerat, vt ſibi ad imperium, quò ſe fatis vocari prædicabat, contendenti, ſtudium ſuum operamque præſtaret: centurionesque ſingulos opimi donatiui promiſsione in partes traduceret. Eòdem cæteri minores duces, aut eadem præmiorum ſpe corrupti, aut potentioribus refragari non auſi, inclinabant. Vnus omnium Cherſeoglis Baſſa, vir egregiè probus, ſine vllis fallacijs, conſtanti atque integra fide erga imperatorem eundemq; ſocerum, Selymi impotentiam ſupra fas & æquum inſoleſcentis, retundendam vi, armisque cenſebat. Non laturos inermes Scythas, vel numero ſuperiores primũ prætoriani equitis impetum: Ianizaros verò quorum fides cognita, & multis periculis ſpectata virtus eſſet, inuicti imperatoris deque ipſis optimè meriti ſalutem & dignitatem vtiq; defenſuros, atque ab eo vindicaturos, qui nec Deũ ſcelerum vltorem timeret, nec parricidij nomen apud homines vereretur. Prodiret modo ipſe ad milites vultu fiducia pleno, hortareturque, vt acceptorum beneficiorum ſacramentique meminiſſent. Admonet me locus poſtquam in mentionem Cherſeoglis incidimus, vt propter viri claritatem, cum ſumma erga Chriſtianos pietate coniunctam eius ad Turcas transfugij cauſam paucis enarrem. Non enim vt cæteri ferè omnes à prima pueritia per delectus Chriſtianis parentibus erepti, ſed iam planè vir, ita à morum religione diſceſsit, vt nunquam ex arcano veræ pietatis obliuiſceretur. Is Cherſechij reguli in Illyrico, ad montem Nigrum filius, quum adamata ei ſponſa quæ erat è ſtirpe Seruiæ Deſpoti, ad paratas nuptias duceretur, concupiuit eam illico, quòd eſſet egregię venuſtatis, procaci oculo improbus pater, omnemq; pudorem ſuperante libidine, ſibi ſtatim impotenter excluſo filio nuptias celebrauit, fruſtra reclamantibus propinquis: qui id facinus filio contumelioſum, patrique & domui infame deteſtabantur. Itaque iuuenis tantæ iniuriæ indignitate commotus, præcipitique actus deſperatione, ad proxima Turcarum præſidia, atque inde Byzantium ſe contulit. Hinc mirari licet quantũ in eo fortuna potuerit. Productum ſiquidem Baiazetes, cùm læto ore, quòd erat nobili claroque patre genitus, excepiſſet, & transfugij cauſam probaſſet, ſubridens, eſto, inquit pacato animo

nimo generoſe, ab iſta indole tua maiore multò quàm paterna domus ferat forte digniſsime. Iam tibi pro erepta ſponſa obſcuri & exulis reguli propinqua, maximi imperatoris filia, eaque pręcellentis formæ matrimonio tradetur. Nec multò pòſt abiurata Chriſti religione, Stephanique nomine depoſito, Achomates & Cherſeoglis vocatus, Baiazetis gener effectus eſt, indeque locum ſummæ dignitatis inter Baſſas purpuratos promeruit, tanto tamen noſtræ religionis ſtudio, redeundique deſiderio, vt quum in arcano animi noſtra religio conderetur, crucifixi ſeruatoris imaginem, in ſecretiſsimi cubiculi parte armario incluſam, noctu excluſis arbitris adoraret. Hoc nos à Ioanne Laſcare, cui ipſe tanquam amiciſsimo eam imaginem oſtendit, accepimus. Hic Methone capta, patritios Venetos, quum reliqua captiuorum multitudo crudelem in modum Baiazetis iuſſu in eius conſpectu trucidaretur, exorato principe conſeruauit, Andreamque poſtea Grittum, quem aliquot poſt annos inclitæ virtutis nomine Veneti principem crearunt, captum Bizantij, teterrimoque ſupplicio deſtinatum, non modò ſuis precibus eripuit, ſed impetrandæ pacis magno Reipublicæ Venetæ commodo authorem fecit: innumerabileſque Chriſtianos barbaris ſeruientes, cùm authoritate, tum ære ſuo piè redemit. Nec illud quidem erga literarum ſtudia eximię benignitatis officium prętermittendum videtur, quòd Laſcari, quem ſuprà memorauimus, Græcorum nobiliſsimo, pariter atque doctiſsimo, antiquos codices iuſſu Leonis decimi conquirenti, cunctas Gręciæ bibliothecas impetrato ad id regio diplomate, liberè excutiendas aperuit. Huius igitur viri Baiazetes, ea quam ſuprà diximus adhortatione confirmatus, quum e prætorio inuadentium iam hoſtium, ſuorumque trepidantium ſtrepitum, clamoremque audiret, & frequentes nunciarēt Selymum direptis aliquot ſarcinis, Tartaricum equitatum extremo agmini circumfudiſſe, fremens & præ impotenti ira lachrymas fundens, è tabernaculo prodit vehiculo impoſitus, quòd pedibus æger equo vti non poterat: conuerſuſque ad prætorianos de more circumfuſos, Patiemini, inquit, alumni milites, cuſtodeſque corporis mei, qui triginta amplius annos mecum ſumma felicitate militaſtis, & bello paceque ea præmia tuliſtis, quæ & ſpe veſtrâ, & ærarij facultate, ampliora conſenſus veſter actis cumulatè gratijs iudicauit: patiemini, inquam, à nequiſsimo filio nihil tale meritum patrem, à fœdiſsimis latronibus veſtrum imperatorem morbi ſenectæque vitijs conflictatum, crudeliſsimè trucidari? Deſerar ego in hac mea triſti canitie, extremoque ætatis actu, & per eos hoſtibus tradar? per eos, inquam, qui quondam ſumma fide eximiaque virtute, & dignitatem meam aduerſus Gemem fratrem, atque hoc ipſum ſæpe imperium aduerſus bellicoſiſsimas gentes tutati ſunt, & fortiter defenſum feliciſsimè prolatarunt? Neque verò ego, quæ de alienatione exercitus ad aures meas, cum maximo meo dolore perferuntur tam facilè crediderim: neque ſi maximè credam, tanti timoris ſim, vt aut animo deficiam, aut durius conſulendum mihi exiſtimem. Nam quid ego de fuga cogitem? velut alibi fideliora quàm apud vos, & maiora præſidia paraturus? Quæ porrò veſtra ſpes eſt, quanquam infamis, & perdita? Si qui veſtrum (neque enim omnes ita inſanire crediderim) nulla ſacramenti reuerentia, nullo hominum pudore, nullo cælitum metu, animum ſummi ſceleris cogitatione maculaſtis, maioráne præmia ex defectione atque perfidia, quàm ex fide conſtantique officio conſecuturos vos eſſe confiditis? At etiam nonnulli impudentiſsimè ſuadent, vt ęgrum hoc & exan-

gue corpuſculum, meliorib. caſibus ſeruem, & me fugæ atq; dedecori tradam, potiusq; ſalutem cum ignominia, quàm decorum honeſtumq; vitę finem cum dignitate & gloria complectar. Quod tantum abeſt, vt vllo metu perterritus faciam, vt contrà nullam prælio moram ſim facturus. Periclitabor in meo hoc ſupremo diſcrimine fidem virtutemque veſtram, & ſigillatim omnium voluntates, vt aut magno Deo auſpice perditiſsimi hominis impetum frāgam, aut certè cum alijs, qui in officio fideque perſtiterint, honeſto vitæ exitu triginta annorum imperator à cuſtodibus corporis fœdè ſceleſteque proditus ac deſertus occumbam. Hac oratione permoti ex Ianizarorum ordine gregarij milites, quibus propter eorum leuitatem & multitudinem, duces atque centuriones ab Selymo pecunijs expugnati, conſilia transferendi imperij minimè communicauerant, conclamare cœperunt, ne dubitaret prelium committere, & ſuam fidem priſtinamque virtutem experiri, tanta quidem alacritate ac ſtudio omnium, vt voce, manibus & telorum crepitu ſe fortiſsimam operam pręſtaturos ſignificarent: vt magno cum dolore infidelitatis ſuſpicionem ſuſtinere viderētur. Hos cæteri eodem clamore ſecuti ſunt, qui iam animo in Selymum inclinauerant, & illi in primis exercitus, atque aulæ principes commutata voluntate, ſiue pudore ſceleris, ſiue eo metu, ne ſi intempeſtiuè contra multitudinis opinionem atq; iudicium aliquid tentaretur, exitiabili incœpto, et Selymi ſpem omnem abrumperent, & ſeſe præcipites darent. Igitur, vt eſt eorum hominum conſuetudo, qui mobilitate atque malitia animi dum conuinci, aut deprehendi maximè timent, præſenti perfidiæ ſecundum ſcelus nouamq; perfidiam addunt: Muſtaphas atque Boſtanges ad cohortandos milites inſtruendamque aciem vt palàm ſummum erga imperatorem ſtudium ſimularent, è prætorio diſcedunt. Baiazetes curru vectus, monente atque inſtruente Cherſeogle acies hoc modo conſtituit. Vniuerſum Sanzacorum equitatum (erant enim circiter ſex millia) pręcedere, prętorianas verò nobilium alas, quas Spachioglanorum & Siliphtarorum vocant, ex inſtituta regij agminis ratione à dextra læuaque prætoriæ phalangis, vbi ipſe erat, latera ſtipare iubet: præſidio autem impedimentis ad quatuor millia ſeruorum equitū relinquit (Hi cultu apparatuq; armorum auratis criſtiſque capitum tegumentis, etiam ipſos Sanzacos & purpuratos, dominos ſuos virtute æquantes cum præſidio, tum ſplendori & pompę habentur) ac demum ſigna canere, rubrumque vexillum explicari imperat. Ex aduerſo Selymus Tartaris in vtroque cornu, Turcis autem in medio collocatis, lunata acie, quòd multum equitatu valebat, paternas copias ferè vndiq; circumplexus, impetum fecit. Tartari, quum ad hostē intra ſemiſtadij ſpacium perueniſſent, agminatim more ſuo ſeſe in gyros magnoſque orbes introrſus vacuos, coronæ modo decurrentes, vt aduerſi auerſique pariter ſagittarent, magnam vim ſagittarum vniuerſę propè aciei ſuperfuderunt, cum inſigni vtique Turcarum equitum equorumque maximè detrimento, quum Tartari, qui introrſus à prima ipſorum acie ſunt non rectà in hoſtem, ſed in cœlum ſagittent, vt ſagittæ grauiore impetu pondereque decidentes, inermia capita & nudos equorum clunes armoſque ex alto feriant. Sed veterani equites Sanzacorum vſu edocti, elatis ſupra capita ſcutis, veluti in cohærentem teſtudinem conſtipati, cum ſagittarum imbrem conſtantiſsimè pertulerunt concitatiſque equis, & intentis haſtis, ad congreſſum manumque venire properarunt. Neque prætorianus eques occaſioni defuit, quin in mediam Selymi aciem vbi Turcæ equi-

tes erant

tes erant inueheretur: atque ita repentè factum eſt, vt tria prælia tribus in locis vno tempore ſimul arderent. Nam Aiax ſeptingentos circiter ſclopettarios è Ianizarorum phalange detractos, Tartaris in extremo eorum cornu oppoſuerat, & ſeruorum ala, quam diximus impedimentorum pręſidio relicta, vti erat nauandæ operę cupida, altero cornu Tartaros ſarcinis hærentes cum multa cede repulerat. Pugnatum eſt à meridie ad occaſum Solis Selymo multis in locis prælium reſtituente, longeque omnium acerrimè fortiſsimeque pugnante. Sed quum fugæ initium iam ortum eſſet ab his Tartaris, qui ſclopettariorum procellam & crepitum, pauentibus præſertim eorum equis, & retrò vel inuitos ſeſſores aſportantibus, ſuſtinere nequiuerant: reliquæ acies quin fugæ ſe darent, neque imperio, neque minis, inflictis etiam vulneribus contineri potuerunt: atque ita pedites ferè omnes, quos Selymus Ianizarorum cultu armauerat, ab equitatu victore vndique circumuenti trucidatique ſunt. Selymus vbi fuſas proſtratasque copias videt, quod vulnere accepto tardabatur, in recētem equum illatus, ereptusque periculo à turmis Turcarum ſuorum, quę ſuperfuerant, Tartarorum ante abeuntium veſtigiis inſtitit. Nec multo pòſt victores ſcilicet ſubſequi, & iam adeſſe ratus, cum paucis incitato perniciſsimi equi curſu, ſeſe vtique fatis ſuis reſeruans, Varnam perfugit. Erat is equus vnicolor abſoluta nigricie, cui Carabulo, id eſt, atrę nubi nomen fuit: huic poſtea Selymus tanquam emerito vacationem dedit, ſic, vt in honore habitus ſine ſeſſore, ſola ex textili auro ſtragula protectus, ad Perſas vſque, & mox in Aegyptum deueheretur: eique demum mortuo ad Memphim, Alexandri Magni exemplum ſecutus ſepulchrum condidit, regio quidem animo, niſi necati ab eo fratres ſepulturę honore caruiſſent. Baiazetes ea die ex his qui cum Selymo fuerant paulo minus dimidia parte cæſa aut capta, ſexcentos tantùm equites pediteſque deſiderauit, Scythicis autem ſagittis amplius tria millia hominum vulnerata reperit: quod detrimentum ſumma crudelitate mox expiatum eſt: producti enim captiui ferè omnes in conſpectum, iubente eo, trucidantur. Ab hac memorabili pugna Chiurleus pagus, anteà obſcurus & ignobilis, claritatem accepit. Sed multo quidem maiorem à fatali Selymi ſorte, quũ paucos poſt annos eodem in loco Selymus, peſtifero atrocique ictus morbo, immaturum acerbiſsimumque vitæ finem inuenerit, magno Deo (quod credi par eſt) primæ temeritatis ſcelus vindicante, & patrati parricidij iuſtas exigente pœnas.

Neque enim ſuperi eos in terris diu felices eſſe volunt, qui ab immani crudelitate omnem humanitatem exuerint.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XIIII.

BAIAZETES ſecundum eam victoriam Byzantium reuerſus, primum omnium donatiuum militi exoluit: coactisque ad opus circiter quindecim ſeruorum millibus, mœnia terræmotu multis in locis hiantia, aut collapſa reſtituit: deditque operam miteſcente iam peſtilentia, vt reuocatis incolis, diu intermiſſus aulæ ſplendor, & priſtina deſertæ vrbi frequentia redderetur. Interea Achomates, quem vix dum pacata Cappadocia propter fratris profectionem, & famam comparati exercitus ab Amaſia mouiſſe demonſtrauimus, cum viginti millibus armatorum per Galatiam atque Bithyniam, Scutarim venit. id oppidum Chalcedon olim fuit, pertinetque ad Thracij freti angustias contra Byzantium: poſitisq; iuxta litus tabernaculis, quid pater ab tanta victoria conſilij caperet, opperiebatur. Etenim eius animum ſumma obtinendi imperij ſpe impleuerant, pręter iuris pręrogatiuam, patriſque iudicium & popularis fauor, & propria virtus. Igitur frequentes nuncios Byzantiũ lembis diu noctuq; transmittere, Baiazetem per literas ſummis precibus obteſtari, & orare, vt maturè quod animo deſtinarat, in ea rerum occaſione perficeret. Amicos verò ac familiares ſuos ſollicitare, vt propenſiorem ſibi redderent patrem, conſilia creandi regis magis & magis laudarent: darentque operam, vt poſtquam Selymi temeritatem atque impetum dij & Fortuna ex merito confregiſſent, ipſe amicorum beneficio ſubleuatus, & ſuo iure, & rerum imperio potiretur. Baiazetes qui vetere ſuo propoſito totus in Achomatem ferebatur, hís quoque ſermonibus ad id, quod ſibi conſtituendum eſſe decreuerat, facilè perductus eſt. At protinus patefacto conſilio triremes exornari iubet, quibus Achomates ab Chalcedone Byzantium adueheretur. Sed milites præfectique quos Selymo fauere ſuprà docuimus, iterũ refragari, eademq; illa memorare, quæ apud Hadrianopolim adduxerant: in ſumma, non eſſe paſſuros cum tanq̃ ętate inutilem eiurare imperium, qui modò forti conſtantiq; animo pro imperio ac dignitate feliciter dimicaſſet: ſe Baiazete incolumi neminẽ alium imperatorem ſalutaturos: neq; ſe tñ ſpem pręcidere Achomati: neq; verò ipſum volũtatib. militum debere diffidere, quin eorũ fauore & ſtudio, vir cognitę probatęq; virtutis & ius ęquum, & imperiũ, quod ſine controuerſia ad ipſum tanquã natu maximum pertineret, ſuo tempore poſſet adipiſci: ſatis ſuperque recenti pręlio demonſtratum eſſe, quantum ſpei ab imperatore in militum animis ſit reponendum, qui pro fide atque officio offerre ſe morti, & iniquiſsimo prælio non recuſarint. Hac militum conſternatione Baiazetes ſpe ſua deiectus, ſiue (vt aliqui crediderunt) regnandi conſuetudine allectus, quòd ab recenti victoria, neque ſenem ſe, neque inualidum ad regendam eam imperij molem,

veluti

veluti rediuiuo quodam animi vigore iudicabat, Achomatem monuit, vt ab Chalcedone abſcederet, atq; in prouinciam ſuam reuerteretur, ſe tũc eum Cappadocia accerſiturum, quum liberalitate mollitis prætorianorũ animis, & collecta ſenſim principum gratia, melior conficiendæ rei occaſio præberetur. Achomates ſpe atque opinione fraudatus, ſeque & à patre deludi, & à prætorianis militibus deſpici queſtus, nouis precibus minas addit: in patrem acerbè inuehitur, quod ſe tot terrarum ſpacia emenſum, ipſiusque præſertim literis euocatum, deſpectui omnibus atque ludibrio exponeret. Quod ſi Baiazetes deſipere perſeueret, & tanti gratiam faciat prætorianorum, vt præ illa nec æquitatis, nec promiſſorum ſuorum rationem habẽdam putet, ſe dignitatem ſuam, quam apud parum æquum patrem obtinere non poſsit, armis vindicaturum. Ad ea Baiazetes per Cadileſcherum ſacræ legis interpretem, ſummæ apud eos authoritatis virum, reſpondit: nec cautè ſatis, nec prudenter eum facere, qui inſolentius iraſcatur, quum beneficium, quod ſola beneuolentia comparari poſsit, vi & contumelijs extorquere contendat: omnia ei integra reſeruari: ceſſurumque ei proculdubio imperium, niſi præpropera feſtinatione ſpes ſuas corrumperet, quas tolerantia atque expectatione alere deberet. Diſceret ex recenti exemplo, fortunaque Selymi fratris, quod ipſi quoque vſui ſalutique eſſe poſſet, longè periculoſius eſſe violentiæ audaciæque confidere, quàm perverſos animi impetus recta ratione moderare, & opportuna temporum & rerum momenta expectare. Achomates, quum mandata patris exponerentur ira atque dolore inflammatus, patris legatum obliquis verborum contumelijs dehoneſtatum propè violauit, crebrò dictitans, & patrem commutatæ voluntatis, & proditores perfidiæ propediem pœnas daturos: motisque properè caſtris Bithyniam, per quam iter faciebat, hoſtiliter deprædatus, Amaſiam redijt. Ibi magis ac magis repulſæ dolore atque ignominia extimulatus, conſilium cepit inuadendæ minoris Aſiæ: vt ſi de Byzantij imperio armis certandum foret, ampliſsimis eius prouinciæ opibus vteretur: vel ſi id minus conſequi poſſet, dimidium ſaltem regnum, tranſmarinis regionibus in poteſtatem redactis, in omnes belli euentus occuparet. Itaque vocatis ad ſe Amurathe atque Aladino adoleſcentibus filijs, multum de inimicorum acerbitate alienationeque Baiazetis conqueſtus, docuit nihil ſibi ſperandum de ſucceſsione imperij, niſi protinus arma capeſſerent, ac dignitatem ſuam aduerſus inimicorum iniurias tuerentur: Poſſe facilè minorem Aſiam occupari, ſi celeriter audendum ſibi exiſtimarent, quando Piſidia, Lycaonia, atque omnis Pamphyliæ & Ioniæ ora, nullis exercitibus aut claſsibus tenerentur. Corcuthum quoque vel ſua animi tranquillitate atque ocio contentum fore, vel æquitatis atque iuſtitiæ ſtudio in partes tranſiturum: ſin ſecuras res ſuas dubijs permiſcendas putaret, & pararet arma, eum protinus ad primum belli impetum poſſeſsione ditionis exceſſurum: cæteros autem prouinciæ regulos illius authoritatem vel fortunam ſecuturos. Proinde virilem animum induerent, & in proximas regiones ad delectus habendos, & ad omnis generis præſidia comparanda proficiſcerentur. Adoleſcentes, & propria indole, & paternis adhortationibus excitati, imperata faciunt: ſtatimque ex amicis, militibus, ſeruiſque præſertim egregiam armatorum manum cogunt. Ipſe verò præter veterem exercitum quem aduerſus Perſas habuerat, nouos milites conſcribit: ex finitimis vrbibus ſtrenuiſsimum quemque euocat, percurritque prouinciam, & ſe ipſum Aſiæ

regem declarat. Eos porrò qui non ſtatim ſe dedere velint, ipſe & Amurathes & Aladinus diuerſis in locis bello perſequuntur. Eo terrore circumducto multæ vrbes aut debili, aut nullo penitus muro cinctæ, pars voluntate, pars metu atque armis expugnatæ, in poteſtatem Achomatis deuenerunt. Inde progreſſus in Lycaoniæ, interiorisque Ciliciæ fines, Mahometem fratris filium, qui regionibus Caramaniæ proximis imperabat, per legatos & literas hortatur, vt ſibi auxilio eſſe velit ad recuperandam dignitatem, atque vlciſcendas iniurias aduerſus eos, qui Baiazetem dolis malignisq; perſuaſionibus ab ſe deductum deprauatumque eò perduxerint, vt alium quàm primogenitum filium imperij hæredem conſtituendum exiſtimarit. Dijs tamen bene iuuantibus ſe præoccupaturum eorum malitiam, ac vindicaturum armis, quod ſibi iure deberetur, ſi Mahometes arma, milites frumentumque in caſtra tranſmitteret, faueretque honeſtiſsimæ cauſæ: reperturum eum longè meliorem patruum, quàm ipſe patrem inuenerit: qui ſi ſecum amicè ac liberaliter ageret, cumulatiſsimas gratias in poſterum eſſet relaturus. Mahometes aliquid earum rerum quas peteret ſe facturum negat, niſi aui Baiazetis literis id facere iubeatur, ad quem ſumma imperij reſpiciat: non eſſe ſui iudicij diſcernere an iure recteque fecerit Baiazetes, quod ſe ſoſpite regnum filio tradere noluerit. Cæterùm non ignorare nulli alteri parendum eſſe viuente imperatore, in cuius verba & Scianſciaus pater, & ipſe iurauerit: propterea debere eum iracundiæ modum imponere, ne quum inimicis nocere ſe ſperet, cum magna omnium inuidia patri noceat: & ſpem & dignitatem ſuam, quæ ex merito, ſi patientia vtatur, paululúmque cunctetur, maxima futura, præpropera animi perturbatione corrumpat. Achomates qui præſtò ſibi affuturum Mahometem crediderat, quum poſtulatis ſuis grauius conſideratiusque ab iuuene reſponderetur, exercitum in fines eius ducit, & regionem igne ferroque deuaſtat. Nec multo poſt Mahometem ipſum cum exiguo exercitu ſubſidio ſuis venientem, ſupra Larandam in itinere profligauit, compulſumque in oppidum per aliquot dies obſedit, ac demum accepto in deditionem oppido, eum cum impubere fratre viuũ cepit: conſiliarios verò atque nutricium, quorum cõſilio perſuaſum Mahometem, atque in id diſcrimen adductum fuiſſe putabat, interficit. Quibus de cauſis Baiazetes ira ac dolore perturbatus, quòd in ea ætate oppugnari ab duobus filijs calamitoſum & planè miſerum eſſe prouidebat, legatos ad Achomatẽ mittit, qui furentem grauibus verbis caſtigarent, & Mahometem fratremque eius è cuſtodia reduci iuberent. Si id impetrari, aut ea vis inſaniæ leniri non poſſet, bellum indicerent. Sed ille, qui quanto ambitioſius poſt repulſam ad imperiũ anhelabat, tanto acerbius atque crudelius ſibi agendum arbitrabatur, principem legationis bellum atque extrema quęque audacius comminantem in conſpectu iugulari, & cęteros ante veſperam caſtris excedere iuſsit. Ea res tunc maximè Baiazetis exulcerauit animum, et ab Achomate complures mortales alienauit, quòd legatos ad componendam controuerſiam miſſos, contra ius gentium inhumane admodum ac nulla patris reuerentia violaſſet. Conclamant prætoriani qui in ſtatione erant, ita vt Baiazetes exaudiret, non ferendam eſſe temerarij hominis audaciam, ſed protinus ſceleri armis obuiam eundum. Impunitate ac mora valeſcere malorum vires. ſi cunctetur imperator, ac mitius agat, eum mox auxilium atque operam fruſtra à militibus imploraturum. Muſtaphas quoque & Boſtanges ac cæteri, qui Selymi rebus occultè fauebant, at-

que hæc

quæ hęc per idoneos homines ſingulari calliditate in vulgus militũ ſpargi curauerant, muſſare primò, atrocitatem ſceleris admirari, veluti damnarent quidem crudele factum, authorem verò minimè criminarentur. Mox vbi Baiazetem proprio ardore & vocibus militum ſatis incitatum, & ex fiducia ſuperioris victoriæ ad vlciſcendum iniuriam paratum vident, quàm acerbiſsimè et crudeliſsimè in Achomatem inuehuntur: eum vt parricidam, vt imperij hoſtẽ, bello perſequendum cenſent: tolluntque ſubinde ad cælum laudibus militum fidem atque virtutem, qui pro ſalute ac dignitate imperatoris nouos vltro labores ſibi expeterent. Ita Achomates aſtu atque ſolertia ducum, patris iracundia, atque omnium denique militum iudicio hoſtis declaratur: decernuntur prætorianæ cohortes, & magna pars Europæi equitatus, quibus primo quoque tempore aduerſus eum in Aſia bellum geratur. At quum belli dux virtute armorumque peritia inſignis deligendus eſſet, atque ea maximè cura ad Baſſas pertinere videretur, cœpere omnes aſpernari honorem illum, & pro ſe quiſq; id munus abnuere, atque indignum eſſe teſtari, vt ſerui auſpicijs, imperatoris filius oppugnaretur: milites quoque nihil ſe aduerſus regiam prolem auſuros prædicabant, niſi vnus ex ipſa Othomannorum domo copijs & ſummæ rerum pręficeretur. Sic quondam Gemem eius fratrem in Cilicia res nouas molientem, & proximè Selymum non alijs quàm Othomannis ducibus debellatos. Hæc illò perſpicuè pertinebant, vt Selymum, quem occulta beniuolentia proſequebantur (tametſi illum niſi probri cauſa nominare non licebat) obliquis artibus patri reconciliarent, viamque ei reditus Byzantium hac ratione pręſtruerent: quoniam nec Baiazetem ſenecta et valetudine conflictatum, nec Corchutum hominem philoſophum, eius belli prouinciam petituros arbitrabantur: vnum autem Selymum ex Othomannis ſupereſſe, ad quem nepotibus per ætatem minus idoneis exercitus imperium deferretur. Ad eas voces Baiazetes perplexo atque æſtuanti ſimilis in prætorium ſe contulit, morbum & inutiles annos incuſans: quærensque quòd Corchutus dum inane ſapientiæ nomen et vmbratile vitę genus ſequeretur, digniores regia fortuna artes, & honoratiora vitæ ſubſidia reliquiſſet. Hæc dicentem, volutantemque animo, Muſtaphas lenire omnes eius curas aſſuetus, in varios ſermones de ſumma belli conſultatione pertractum, parata oratione ita allocutus eſt. Noli exiſtimare, Imperator, etiamſi per proſperam valetudinem ætatemque liceret, aut tranſmittendum exercitum, aut omnino tibi in Aſiam traijciendum, ne dum tota Aſia vagum Achomatem bello perſequeris, longè acriorem hoſtem in Europa relinquas, qui Traciam, Gręciam omnem, atq; Byzantium nudatum præſidijs inuadat. An non audimus Selymũ ſupra Varnam alias parare copias? nouum à ſocero equitatum expectare, atq; imminere iterum ceruicibus noſtris? An fortè ille non maiores ſpiritus gerit, quàm aut animo frangi poſsit, aut hac vna atque fortuita dimicatione ſuperari? aut ſi veteranos in Aſiam tranſmiſeris, Corchutumq; cum ſuis ſuperioris anni delectibus, qui te ęgro Selymi conatib. obſtet, in Europam euocaueris, timebit ille tyrones Aſiaticos, aut philoſophũ ducem, qui prætorianos, robora virorũ toto orbe cõquiſita, ac te ipſum veterẽ & feliciſsimum imperatorẽ timere noluerit? Falleris Imperator, & ancipites rerum caſus non planè perſpicis, qui cum duobus vno tempore in diuerſiſsimis Aſiæ atque Europæ partibus bellum gerendum eſſe non cogitas. Etenim dum illum Cappadociæ finibus exturbare contendes, hic propior & occa-

ſioni imminens à tergo, in media regni viſcera bellum molietur. Sin periculi magnitudine permotus, & Thraciam tueri, & prætorianos retinere volueris, ardebit in conſpectu Aſia omnis, nec ille iniurijs aut bello finem faciet, donec ſibi Aſiæ imperium vendicarit. Ergo ſi non culpæ, ſed fato & fortunæ tuæ datum eſt, vt duo ex te geniti omnium conſenſu, patris & patriæ hoſtes iudicentur, quorum alter temeritate præceps, alter ſuperbia & furore actus, bellum intulerint, cur in tam impedito difficilique negotio tuta conſilia ſpecioſis non anteponis? & quos vno tempore caſtigare vlciſcique non potes, eos ſingulos atque inter ſe diſsidentes per occaſionem aggrederis? Hæc ſpes vna ſalutis, hęc vna via eſt, ſi clauum, (vt dicitur) clauo trudendum, atq; hoſtē vincendum cenſueris. Comprime tantiſper vindictæ ardorē, & diſsimulata in præſens ægritudine animi, alteri inducias ſimulatamq; pacem concede, alterum verò alterius auſu periculoque in vtrunque caſum proſpero euentu bello perſequere. Opprimes eum mox quum voles, cui ſigna exercitumque tradideris: erunt enim ſcelerum vindices militum dextrę, et tu ſumma tua ſecuritate bellum conficies, obiectando periculis quem & vincere velis, & eundem interire deſideres. Muſtapham loquentem adhuc cæteri purpurati, vt inter ſe conſtituerant, exceperunt, compoſitisque in eam ſententiam orationibus, Baiazeti perſuadere cœperunt, vt Selymum belli ducem deligeret: illum ſatis pœnarum ſuæ temeritatis dediſſe: proindeq; veluti caſtigata arrogantia in officio fideliſsimè permanſurum: Achomatem verò non facturum quicquam pro ſano, qui patris oratores violarit, niſi & ipſe armis, vt Selymus nuper victus fugatusque fuerat, tota Aſia pelleretur. Baiazetes, quòd in ea re admodum graui explicanda Cherſeoglis ſolus ferè omnium fidelis ſub triſti vultu muſſaret, diu in incerto habuit quidnam conſilij potiſsimum caperet. Obuerſabantur animo grauiſsimæ offenſiones, ſecumq; ipſe reputabat, Selymum ex Aſia inuaſiſſe Europam, occupatam ab eo Hadrianopolim, in acie ſe circumuentum, petitum ſe Scythicis ſagittis, ac ſolo propè Deorū beneficio diſceſsiſſe victorem. Illinc contempta imperia, nepotes bello capti, iura legatorū violata, ſubactæ vrbes, atque Aſia omnis perturbata, ardensq; miſerabili belli incendio, iracundiā & vindictę deſiderium acuebant. His anxium curis inſignes Græco aſtu immaniq; perfidia conſultatores, vel reclamante Cherſeogle, perpulerunt, vt literas ad Selymum ſua manu cōſcriberet, quibus priorem ei gratiā obliterata præteritorum memoria polliceretur: deferretq; copiarum imperium, ſi Byzantium quàmprimū veniret, & aduerſus Achomatē in Aſiam proficiſceretur. Dum hęc Byzantij parantur, Corchutus ab amicis & familiarib. ſuis per literas edoctus, quanta imbecillitate pater ſenex, quibúſue conſilijs poſt declaratum hoſtem Achomatē vocare ad ſe Selymū, atq; eum ducē exercitus declarare cōtenderet, è Magneſia Phocęam deſcendit, conſcenſisq; triremibus Byzantiū adnauigauit. Igitur magno comitatu amicorū progreſſus in intimū prętorium, poſtquā patrem dextra oſculo petita ſalutauit, eum poſt varios ſermones in hunc modum allocutus eſt.

Trigeſimus agitur annus, pie atq; optime pater, ex quo prærogatiua militari, conſenſu ciuium, totiusq; aulę principū iudicio creatus, atq; acclamatus imperator, hoc regnum, poſſeſsionemq; huius imperij lubens ac volens tibi de manu tradidi, quod quis tandem mortalium, niſi aut inſanus, aut optimus vnquā feciſſet? Non enim vi, non metu impulſus, ſed ſola tui reuerentia id religioſi gratique animi ſpecimen edidi. Neque poſtea me in tot annorum decurſu eius

ſingula-

ſingularis officij, & repræſentatæ pietatis vnquam pœnituit, quando his quæ poſsidenda cōceſſeras, & clariſsimi facti laude contentus fortunam hanc tuam & ſublime mortalitatis faſtigium cum tranquillitate, atque ocio ſtudiorum meorum minimè comparanda eſſe cenſebam: quum alienum prorſus à decreto compoſiti animi, inaneque eſſet ea appetere, quæ ambientis animi deſiderium non finirent, & multo meliora cunctis imperijs contemplanti animo virtus ardua, & prædulcis diuinarum rerum cognitio pollicerentur. Hac me vadentem via, & hæc tua regna faſtidientem, quum religionis ac ſapientiæ cauſa in vltimam Arabiam ad aram Diui Mahometis, & ad Indos, tāquam exactioris diſciplinæ profeſſores contenderem, medio itinere per Memphiticum regem ex Ægypto in Phrygiam retraxiſti, iuſsiſtique, vt ciuitatis (quæ neceſſe erat adire) periculis conſideratius vitæ ſalutique conſulerem, & pietatis erga te meæ, & tuę erga me beneuolentiæ fructus opperirer: ceu ventura eſſent tempora, quibus propter malorum ingenia, tibi atque Othomannorum familiæ vſui, atque ſubſidio eſſe poſſe virum innocentem atque philoſophum exiſtimares. Itaque ab eo tempore ſemper & parui imperijs tuis, & quanta maximè potui cura atque iuſtitia prouinciæ meæ ſatisfeci: & proximo Perſarum bello paraui eduxique exercitum, quo fines ab incurſionibus Barbarorum tueremur.

At cum illis minore Aſia pulſis profligatiſque, impij ac perditiſsimi fratres, alter in Europa nefario ſcelere te patrem ætate confectum, & neruorum dolore cruciatum, vt regno pelleret & interficeret, in acie circumueniſſet: alter in Aſia ſumma temeritate atque perfidia illinc regnū occupaturus fratris ſui filios adoleſcentes optimos, tibique maximè fideles obſediſſet atque cœpiſſet, exiſtimaui huc mihi omnino eſſe traijciendum: quòd non ſine Dei optimi maximi prouidentia fieri intelligebam, vt eo maximè tempore à te prudentiſsimo atque humaniſsimo patre, principeque omnis æquitatis, atque iuſticiæ cultore ſanctiſsimo, meorum erga te meritorum parem gratiam poſtularem: quo tu fratrum meorum ſcelera expertus id rectè & commodè præſtare poſſes, quod etiam nullo meo ſimili officio prouocatus certiſsima ratione concedendum arbitrarêris. Igitur te, pater optime, oro obteſtorq; per fidem erga te meã, perpetuamque pietatem, vt antequam Selymus adueniat, & dignitati meæ proſpicere, & conſulere imperio velis. Tollet ille quum armatus irruperit iura omnia conſtituendæ pacis, & fauore militari cuncta miſcebit. Audio enim prætorianos & duces exercitus conuerſis in eum ſtudijs occaſionem circumſpectare, vt quem inuiti acie profligarint, eum vltro imperatorem atque Sulthanum ſalutent. Proinde imperium quod optimo iure meum eſt, & antiquæ meæ erga te pietatis inſigni merito debetur, dum potes, dum in manu tua eſt, in hac eadem quàm præcipiti rerum occaſione reſtitue. Fruſtra enim æquiſsimæ cauſæ fauebis, quum recepto intra vrbem nefario ambitioſoque homine, imperium & libertatem amiſeris. Baiazetes Corcuthum vix tenentem lachrymas, & ipſe tenero confuſus affectu miti oratione cōſolatus, bono animo eſſe iuſsit: aperuitque conſiliorum ſuorum cauſas, paratum ſe reddere imperium: ſed quo minus id ſtatim faceret, impedimento eſſe prætorianos, qui nuper conſilijs ſuis obſtiterint. Illos enim ſi vel minimū eius rei ſuſpicionē inijceret, etiam atq; etiam aduerſaturos. Vno eo conſilio ſub ſpecie honoris detrahi tandem ex Europa Selymum, & ablegari in Aſiam prętorianos: quorū abſentia ſibi merum ac liberū imperium relinqueretur, traditurum ſe protinus ſceptrum, quum illi mare tra-

ieciſſent. Nec credere præfectos & milites qui ſe nuper acie circumuentum fortiter egregieque defenderint, aut inſidias molituros, aut recentis facti gloriam turpi facinore maculaturos. Quin & ſperare, ſuperis ita volentibus, qui immanium ſcelerum vindices ſemper extitiſſent, Selymum & Achomatem ſi ſemel acie conflixerint, mutua crudelitate perituros. Corchutus, ſiue probata ratione paterni cōſilij, ſiue cognita eius voluntate, verbis minimè diſceptandum exiſtimans, non ſine ſpe potiundi imperij ad amicos redijt, egitq; Bizantij plures dies, nec tamen, aut militum, aut ducum ſibi quenquam vel largitione vel præmiorum pollicitatione conciliauit, quòd ambitione aut pretio petendum minimè iudicabat, id quod ſibi iure optimo ex paterna gratia deberetur. Interea Selymi familiares, eum de Corcuthi aduentu certionem faciunt, admonentque vt iter maturè capiat, & Byzantium approperet: imminere enim periculum ne Baiazetes & ſenex & inconſtans, maioris filij precibus delinitus, expeditam perficiendi negotij rationem interpellet atque diſcutiat. Selymus qui in vnam eam curam excubabat, vt ſi vnquam ſibi occaſio adeundi exercitus pręberetur, ipſe ſtatim ſpe ingentium pręmiorū corruptis omnibus ordinibus imperium arriperet, nullam profectioni moram fecit, & modico equitū comitatu, cæteris ſubſequi iuſsis, Byzantiū peruenit. Corchutus cum purpuratis primoribusq; aulę, & magna parte prętorianorū ad portam vſq; obuiam progreſſus, introeuntē oſculo excepit, deduxitq; per mediam vrbem, effuſo paſsim omni populo ad ſpectaculum hominis immani audacię ſcelere cōſpicui, crebriſq; ſubinde diſploſis tormentis in lętitię ſignum, inter fauſtas acclamationes puerorum atq; militum: vt facilè appareret, omnem recentis noxæ inuidiam deceſsiſſe, eumque mox omnium iudicio rerum imperio potiturum. Poſtero die Selymus in prætorium venit, ſupplexque & pedes patris exoſculatus, temeritatis ſuæ veniam poſtulauit. Ad quem Baiazetes ſumma lenitate ſubridens, Errata, inquit, tua Selyme fili, eo minora ſunt, quòd celerem pœnitentiam inuenerunt, proinde lubentius veniam do: ſed in poſterum age & enitere, vt qui tibi induſtriam fortitudinemque tribuit Deus, & bonam quoq; mentem dediſſe videatur. Dignam quidem auſibus tuis belli materiam paratam habes, quò virtus tua eniteſcere poſsit. Nec multo poſt indicitur militare concilium de imperatore aduerſus Achomatem deligendo. Selymus ſtatim multis imperatorium nomen ſibi deferentibus ſummo aſtu reluctari cœpit: negare ſe Corchuto fratri, qui ætatis honore prudentiaque præſtaret anteponendum: illi deberi iure honorem, illum ſumma authoritate ſapientiaque bellum adminiſtraturum: ſe poſtquam paternam gratiam recuperarit, minimo quoque loco contentum fore. Corcuthi verò familiares, qui omnem ſpem ſuam atq; omnia conſilia in diſceſſu Selymi & prætorianorum collocauerant, eum rurſus, quaſi vtrinque modeſtia certaretur, hortari, orareque, vt eas partes ſuſciperet, quę ſibi ſtrenuo ac rei militaris peritiſsimo abſque vlla fratris contumelia deferrentur. Ita Selymus Corchutum fratrem atque eius fautores miris artibus ludificatus, dum ſimulando aliud quàm quod ſtruebat, vana ſpe imprudentium animos paſcit, omnibus ſuffragijs imperator exercitus declaratur. Extemplo nonnulli milites magnis acclamationibus nō ducem eum modò, ſed regem, principémque conſalutant, & properè arma corripiunt, quibus flagitium ſuum atque perfidiam tuerentur, ſi meliores obſiſtere vel diſſentire vellent. Selymus ipſe deprecanti ſimilis, quaſi delatum imperium abnueret, & patris reuerētia permoueretur,

moueretur, modò ſe commendare militibus, donatiuumque polliceri, modò duces orare, vt ad patrem pergerent, curarentque, vt poſtquam ea mens exercitus foret, imperium ſibi ſine turba, & tumultu libenti animo traderetur. Muſtaphas ſiue propria perfidia, ſiue mortis metu, quod ei Selymus, niſi hæc patri renunciaret, mortis ſupplicium comminatus fuerat, ingreſſus ad Baiazetem qui clamoribus militum excitatus è cubiculo in apertiorem ędium partem proceſſerat, Imperator, inquit, milites tui Selymum & ducem & principem in concilio ſalutarunt, poſtulantque vt id ratum habeas, facturi mox impetum in regiam, vt te meque trucident, niſi imperio ceſſeris. Petunt abs te illi ſummo conſenſu quod iam in alterius manum tranſtulerunt. Proinde longè periculoſius eſt retinere quod amiſeris, quàm iam ereptum vltro concedere, quum id nulla vi, nulla ingenij ſolertia recuperari poſsit: Arma tenent, fremunt, & qui ſemel defecere, maiora etiam ſcelera meditantur. Baiazetes metu atque ira perturbatus, ſiccíne inquit, perfidiſsimi tandem me proditis? ſummaque mea in vos beneficia, tanta perfidia compenſatis? Quin & hanc quoque animam eripitis, qui hoc corpuſculum & inſtantem vitæ meę finem expectare non potuiſtis, vt iuſto legitimoque principe eiecto, ſceleſtiſsimum vobis imperatorem præficeretis? Sed habetote principem parricidam, daturi mox eo vindice perfidiæ pœnas: atque ipſe ab irato Deo maximo non dubio vltore ſcelerum, à ſcelere auſpicetur imperium. Muſtaphas cum Roſtange & Aiace ſtatim reuerſus ad prętorianos, nulla de dolore vel iracundia Baiazetis facta mentione, cedit, inquit, Baiazetes imperio, & Selymum, cui ſuperi atque homines imperium detulerunt, ſibi ſucceſſorem decernit. Ea vox excepta omnium auribus, his primùm quos Selymus corruperat ſpiritus auxit, dehinc dubios deſperato remedio in partes traduxit. Ergo quum libidine atque impetu militum cuncta raptim agerentur, ſublatus in equum Selymus, per celeberrimas vrbis regiones deducitur, & rex & imperator, diuerſo animorum habitu acclamantibus omnibus ſalutatur. Eo die milites ſacramento adacti in verba Selymi præeuntibus ducibus iurauerunt. Corcuthus verò, vel dolore irritæ ſpei, vel mortis metu, quanquam ei Selymus Mitylenas ipſamque inſulam Lesbum dono dare ſe dixiſſet, ſolutis occultè triremibus Phocęam redijt. At Baiazetes modò terrarum orbis principum ampliſsimus, in tanta hominum perfidia & rerum omnium iniquitate, ſecedendi conſilium capit, Byzantioque excedit cum familiaribus ſuis collecta pretioſiore ſuppellectile, petiturus Dimethocā Thraciæ vrbem amœninitate hortorum, cæliq; temperie, & exilio, & præſenti fortunæ opportunam. Sed quum acerbiſsimis curis agitatus animus eum deficeret, et affectę corporis vires collaberentur, medio itinere ſtatui tabernaculum iuſsit, vt valetudinem quiete curaret. Ibi ſeptuageſimo ſexto ætatis ſuæ anno ab Hammone Iudæo medico, qui iuſſu Selymi ſalutiferæ potioni venenum miſcuerat, necatur. Aliqui tamen ſenio & longa valetudine, & ad extremum prægrauantibus curis attenuatum interijſſe contendunt. Sed Antonius Vrrius Ligur à cubiculo Baiazetis, qui de his rebus commentaria ad Leonem pontificem conſcripſit, referebat nobis, ſe in expirantis corpore non dubia veneni indicia deprehendiſſe.

Ferunt Selymum proximum paternæ vitæ exitum, vrgente etiam ſenio, expectare noluiſſe, quoniam ſi eo ſoſpite in Aſiam aduerſus Achomatem traieciſſet, nihil tutum pacatumque Byzantij ſe relicturum exiſtimabat, ratus Baiazetem, ſe abſente ad repetendum imperium nullam moram eſſe factu-

rum. Perſtrinxit quoque crudelem animum auaritia ſupra imperij ſollicitudinem: nanque vaſa auro argentoque cælata, & præter ſignatam pecuniam plenos pretioſiſsimarum gemmarum & vnionum loculos, quæ tot progenitores reges ex immenſa illa opum amplitudine reliquerant, vnus Baiazetes vniuerſa aſportabat, ingentia ſanè atque opportuna ſubſidia in proximum donatiuum, præſertim cuncta debenti militibus, qui prætio & ſpe futuræ liberalitatis vnius horæ momento cuncta detuliſſent. Paterno autem funeri delato in vrbem Byzantium ſumma in ſpeciem pietate iuſta perſoluit, ſtatuens illi æternos ignes, & ſepulchrum cælati operis, ne, cui imperium & vitam inuiderat, ſupremos quoque honores inuidiſſe videretur. Inde pecuniam, quæ in ærario erat, recognouit, diuiſitq; militibus pro donatiuo vicies centena milia aureorum: & quo magnitudinem animi perpetua liberalitate teſtaretur, ad veterem ſtipendij ſummam in ſingulos dies equiti quatuor, pediti verò duos argenteos addidit. Nec multò poſt cum exercitu in Aſiam traiecit: progreſſusque ad Ancyram vrbem, vt Achomatem perſequeretur, ea æſtate nihil memorabile geſſit. Nanque Achomates haud ignarus non adeſſe ſibi iuſtas vires quibus fraterni exercitus impetum ſuſtineret, in Armeniæ minoris fines & montana Cappadociæ penitùs conceſſerat, paſsim fidem populorum implorans, milites conſcribens, arma, pecuniam, auxilia etiam ab infimis externiſque poſtulans: vt ea omnia in tempore parata atque expedita haberet, quæ ad gerendum bellum, atque obtinendam Aſiam neceſſaria videbantur. At Selymus exacta æſtate, quum in locis Tauro proximis propter niues atque acerbiſsima frigora hyemare non poſſet, neque ſi progrederetur Achomate nuſquam conſiſtente, poſſe conficere bellum ſperaret, in Bithyniam redijt: dimiſſoque ad loca maritima Europæo equitatu, & prætorianis Byzantium reuerti iuſsis, ipſe cum cæteris Pruſiæ hyemare conſtituit. Quo tempore, quum totus in Achomatem imperij æmulũ atroci animo deferretur, ne ſibi in Aſiam bellum gerenti, quicquam hoſtile ab Europa timẽdum foret, pacem cum Venetis hiſdem legibus, quibus eam Baiazates pater ſanciuerat, confirmauit. & cum Vladiſlao Pannoniæ, Sigiſmundoque Sarmatiæ regibus, veteres inducias ad aliquot annos extendit. Nec multò poſt Selymus, quum nullam pro firmando imperio ſuſpicionem, etiam de pueris ſuperfluam exiſtimaret, quinque egregiæ indolis adoleſcentes fratrum filios necari iuſsit, inter quos erat Mahometes, quem paulò ante ad Larandam captum, Achomates audita morte Baiazetis dimiſerat. Erat is primi filij Baiazetis liberorum natu maximus, alterum & vigeſimum natus annum, ſpecie corporis & vigore animi Othomãnorum præſtantiſsimus. Quæ omnia ſicuti ei militum ac populi fauorem conciliabant, ita vno inuidente Selymo exitium pepererunt. Ferunt Mahometem ingreſſos ad ſe duos carnifices, qui nihil tale timenti moriendum eſſe denunciarent, ac mandata ſtatim exequerentur, alterum calamario cultello confeciſſe, alterum iam vulneratum interfecturum fuiſſe, niſi alij ſatellites irrupiſſent, qui fruſtra reluctantem ſtrangularunt. De Oſarne Alenſciaci & Zilibo Mahumeti, duobuſque alijs tenellis adhuc, pariter ſupplicium ſumptum, adeò conſternatis eo ſcelere omnium animis, vt complures milites tacita inuidia, per aliquot dies regis conſpectum exhorruerint. Nec tot propinquis vno furore abſumptis immitis animus ab crudeli rabie conquieuit. Nanque vt clariſsima Othomannorum ſobole extincta, vacuam ſæuitiæ ſuæ domum faceret, reliquos ex omnibus Baiazetis nepo-

tibus

tibus Amurathem & Aladinum per inſidias interficere cogitauit. Receperant illi nuper Amaſiam, qua vrbe ab Selymo ſuperiore æſtate pulſi fuerant, quum Achomates pater in montana Cappadociæ perfugiſſet. Ad eos opprimendos validam equitum manum delegit, qui magnis itineribus Amaſiam contenderent, adoleſcentesque imparatos ac nihil de præſenti periculo cogitantes comprehenderent. Neque id erat factu difficile, quum expeditus equitatus omnem ferè aduentus ſui famam celeritate præuenturus eſſet, nec vrbs ipſa aut munita mœnibus, aut tuta præſidio militum foret, quòd eo tempore Achomates in loca Caramaniæ proxima ad conducendos milites profectus erat. Sed Muſtaphas conſilij particeps, cuius ſingulari ſtudio atque opera Selymum ad imperium euectum docuimus, quum indigna morte Baiazetis & tot inſontiũ puerorum cæde permotus, totum ſe animo ab amicitia crudeliſsimi hominis auertiſſet, imminentem miſeris iuuenibus calamitatem miſeratus, per celeres tabellarios de aduentu equitum eos certiores fecit. Quibus acceptis literis, illi ſtatim patre reuocato, occulta præſidia compararunt, quibus hoſtes exciperẽtur. Ita quum paucos poſt dies Selymiani Amaſiam perueniſſent, & forte eodem tempore reuertiſſet Achomates, præcipitati in inſidias facilè trucidati captique ſunt. Accidit autem vt ſerui Achomatis, quum Selymianis captiuis illuderent, omnem inſidiarum & rei geſtæ ordinem aperuerint (vſqueadeò malè in aula principum conſilia etiam de maximis rebus occultantur) iactantes non deeſſe ſibi amicos etiam ex intimis Selymi familiaribus, qui meliori cauſæ fauerent, & graſſari ſæuireque belluam illam non paterentur. Illi autem poſtquam redempti Pruſiam rediere, quæ ab hoſtibus cognouerant regi detulerunt. Nec mora, Selymus neminem præter vnum Muſtapham authorem detegendi arcani conſilij exiſtimans: ſiue quòd iam ei tædio eſſe cœperat hominis gloria, ſiue, vt inſigne beneficium cui par gratia reddi non poterat, exitio compenſaret, eum inauditum interfici, & cadauer nudum in tantæ modò felicitatis ludibriũ in publicum abijci iuſsit. Interfecto Muſtapha, & imminente iam Vere, ne quid de inſtituta immanitate remitteret, ad tollendum Corchutũ fratrem, crudelem animum adiecit. Agebat ille Magneſiæ, nec aduerſus Selymũ abrupta ſpe imperij quidquam hoſtile moliebatur, regreſſus ad philoſophiæ ſtudia, à quibus ambitione corruptus intempeſtiuè diſceſſerat. Igitur præfectis edicit, vt ſex milia fortiſsimorum equitum deligant, qui in tertiam diem corpora, arma, equos profectioni parent, ſe in Cappadociam celerem excurſionem eſſe facturum. Statuto die Selymus Pruſia mouit conuerſo in dextrã ſuorum agmine, ita vt equites qui rectà Amaſiam petere credebant, tum demum in Lydiam ſe abduci perſpicerent. Vnus ex equitibus egregij animi, quicunque ille fuerit cõiectura iudicans, ad opprimendum Corchutum iri, velociſsimo equo vſus, per compendia viarum regem anteceſsit, Magneſiamq; peruenit. Cuius monitu Corchutus de periculo certior factus, relicta familia cum duobus ſeruis ad mare cõtendit, vt aliquod in littore nauigium nactus, in Cretam aduheretur: aut certè vel piſcatoria nauicula Rhodum perfugeret. Cæterùm Selymus improuiſo aduẽtu ſuo perterrefactis Magneſijs, prætorium fratris corona equitũ ſeptum, vt exitus præcluderentur. nullo reſiſtente cepit. Quum verò vnum omnes Corchutum per ſingulas domus latebras fruſtra perquirerent, quæſtione de ſuis habita, cognoſcit eum monitu ignoti equitis intempeſta nocte diſceſſiſſe. Quamobrem ſua ſpe fruſtratus, equitibus mille præſidio Magneſiæ reli-

ctis, qui ſumma celeritate atq; diligētia circumiectam regionem percurrerent, cum theſauris atq; omni fratris familia Pruſiam eadem celeritate reuerſus eſt. At Corchutus ſpe fugæ erepta, quòd Boſtanges Selymi gener educta claſſe omnia littora cuſtodiret, neque vlla iam ſpes fallendi hoſtis relinqueretur, non longè a Smyrna in ſpeluncam mari proximam ſe cōdidit, ſperans ſi interpoſitis aliquot diebus ſtatione claſsis abſcederet, elabendi occaſionem, vel fortunæ beneficio, vel Deorum benignitate ſibi minimè defuturam. Sed quum diu agreſtibus pomis inediam toleraſſet, victumque à paſtorali tugurio per ſeruum quærere cogeretur, indicante agricola ab inquiſitorib. comprehenditur, Pruſiamq; perducitur, vbi eum Selymus necari iuſsit. Conſtat Corchutum, quum fidib. gutturi admotis à carnifice ſtrangularetur, impetraſſe horam, cuius ſpatio amarulenta in Selymum carmina intrepido conſtantique animo conſcripſit, quibus exprobrata ſæuitia, eius capiti omnes diras imprecabatur. Selymus vero quem viuum videre noluerat, necatum ſpectare ſuſtinuit, perlegitque carmina de ſe conſcripta, nec temperauit a lachrymis, vſusque eſt lugubri veſte, vt immanis animi crudelitatem in tanta omnium inuidia falſo dolore contegeret. Iam Ver appetebat, quum Achomates comparato exercitu ab Amaſia mouit, literis amicorum euocatus, qui Selymum ſolis ſuorum cædibus intentum, poſſe in hybernis opprimi confirmabant, ſi Pruſiā cum expedito exercitu conuolaret: abeſſe enim prętorianos, Europęumque equitatum, robora exercitus, neque Selymum Dijs aduerſis, infenſiſq; hominibus, in eo periculo quod minime timeret, ſalubre conſilium eſſe capturum. Maturaret, neque mitiora Veris tempora cunctanter opperiretur, ne vel minimo eo temporis ſpatio hoſtiles copiæ ab diuerſis hybernis ad ſigna venire iuberentur: Solere Deos ipſos & præſtare occaſionem, & præbere conſilia gerendis rebus: cæterùm neque ea exequi, neque humanas mentes erepta libertate præuertere conſueuiſſe. Proinde Fortunam, quæ paulò antè paternum imperium abſtuliſſet, celeritate atque audacia ſubleuandam eſſe cenſeret. Ingruente enim æſtate, aut bello vincendum fore, aut omnino ſibi Cappadocia & tota minore Aſia decedendum. Achomates qui cuncta eo bello ſecundiora ſibi pollicebatur, quòd magnas habebat copias, quòd ab Hyſmaele Perſarum equitū auxilia impetrauerat, quòd denique, Selymum ob recentia ſcelera, omnibus inuiſum eſſe, atq; ob eam cauſam cœpto ſtatim bello à militibus deſertum iri putabat, amicis pulchra dictu, factu verò aſpera ſuadentibus obtemperauit. Igitur, quum in Galatiam, peditatu minoribus itineribus ſubſequi iuſſo, cum amplius quindecim milibus equitum perueniſſet, Selymus, de eius aduētu certior factus, per celeres tabellarios equitatum omnem Pruſiæ conuenire iubet. Interim dum Aſappos cogit, atque vniuerſas expectat copias, Fortuna quæ ſemper omnibus in rebus Selymo fauit, tunc quoque periculum, quod ſuorum fraude parabatur, diſcuſsit, & expeditam victoriæ rationem oſtendit. Nanque amici Achomatis, qui in caſtris Selymi erant, à ſuperiore in eum ſtudio ſuo non recedentes, euocatum illum cum exercitu, & iam progreſſum in Paphlagoniam, etiam atque etiam literis admonebāt, feſtinaret, antequam Selymi copiæ conuenirent. acciri enim prætorianos, contrahi equitatum, atq; omnia ab Selymo impigrè parari, ei tamen ſera omnia fore, ſi ipſe inexpectata celeritate improuiſus acceſsiſſet. Quibus fortè literis interceptis, Selymus de fratris conſilio eiusque aduentu, & de ſuorum perfidia certius cognouit. Itaque necatis, qui literas conſcripſerant,

gemma

gemma eorum ad obſignandas epiſtolas vtitur, ſcribitque interfectorum nomine ad Achomatem, vt maturaret proficiſci, peditatumque relinqueret: vel modica enim equitum manu opprimi poſſe Selymum, ſi ſe celeriter conſpiciẽdum amicis, & coniuratis daret. Fore enim vt ad datum ſignum excitato in caſtris tumultu ſeditionem militarem inducerent, atque illum turbatis rebus, incautè ordines circumeuntem aggrederentur. Achomates fide literis adhibita, vt qui plurimum viribus ſuis fidebat, pedeſtres copias, quę cum Amurathe tardius ſubſequebantur, relinquere non dubitauit, profectusque ad Horminium in ripa Parthenij amnis caſtra fecit. Selymus quoque Pruſia egreditur, & receptis in caſtris prætorianis cohortibus, quæ nuper mari tranſuectæ fuerant, Sinam baſſam præfectum Aſiatici equitatus cum valida equitũ manu ad cognoſcendas tentandasque hoſtium vires præmittit. Selymiani, quum adhuc qua in parte conſtitiſſet Achomates, & quales quantæque eius copiæ forent, exploratum non haberent, matutina caligine decepti, in iniquum locum delati ſunt, vbi Achomates proſpere cum eis conflixit, occiditque ad mille equites, cęteros præcipites in fugam dedit. Neque tamen eo accepto detrimento Selymus, aut animo perturbatur, aut ſummę rei victoriæ diffidit, ſed protinus ad Elatam flumen promouet caſtra. Labitur Elata ex Horminio monte, & rectà decurrit in Pontum, irrigans à dextro latiſsimos campos: quæ Terræ nouæ plana ab incolis hodie nuncupantur. Idem quoq; facit Achomates, qui tametſi fratrem equitatu peditatuque præſtare, atque omni ex parte ſuperiorem eſſe intelligebat, recenti tamen victoriæ prouentu alacrior factus, quòd amicos ſuos qui apud Selymum erant, aliquod inſigne facinus in ipſo negotio patraturos arbitrabatur, quòd pro ſe tanquam legitimo rege ſtaturos ſuperos iudicabat, neque cedendum, neque reliquum exercitum expectandum exiſtimauit. Intererat flumen inter bina caſtra, & à ſpeculatoribus vtrinque certus hoſtium numerus referebatur: neq; tamen Achomates, cui tutum ad ſuos receptum patentes campi præſtare poterant, conſpecta magnitudine periculi, vt ſaluti ſuæ ac militum maturè conſuleret, fatali inſania correptus adduci poterat, ita vt eum obijcere periculis & deſtinato exitio Fortuna videretur. Selymus inclinante iam Sole exercitum Elatam traducit, milites curare corpora, & in ſequentem diem parare arma atque animos ad pugnam iubet. cæterùm in proximam ſyluam mille equites mittit, quibus præerat Canoglis vxoris frater eximiæ virtutis iuuenis, quem pater ab Taurica cum lectiſsima ala Tartarorum equitum paulò antè ad generum miſerat. His iniungit vt quum intenti omnes ad pugnam forent, à tergo ſe oſtendant, & auerſos hoſtes adoriantur. Ita ſilenti agmine ad radices montis profecti, loco opportuno proceris arboribus tecto conſidunt. Nam Horminius qua parte Pontum, & Septentriones ſpectat, nemoroſus eſt, & cõplures habet colles interiectis vallibus, quibus magnus exercitus facilè conderetur. Prima luce Selymus aperto in loco aciem inſtruit, in cornibus equitatum omnem, ita vt in dextro haſtati omnes, in læuo ſagittarij & ſclopettarij eſſent: in media verò acie prætorianos pedites atque Aſappos collocat. Ex aduerſo Achomates duo tantum agmina conſtituit, & primos in dextrum hoſtium cornu procurrere iubet. Eorum primum impetum Selymiani magna conſtantia exceperunt, ſed quum ad gladios ventum eſſet, quòd cum Perſis ferro tectis, qui in ipſa fronte locum ſibi depopoſcerant, collatis equorum pectoribus res ageretur, diutius ſuſtinere non potuerunt, ac mox pulſi turbatique

cedere, & in ſuos ruere cœperunt. Id Selymus ſtatim conſpicatus increpando adhortandoque confirmatis ſuis, læuum cornu inducit, & ſclopettarios in locum haſtatorum ſuccedere iubet, producitque prætorias cohortes, quarum aſpectu totum hoſtium agmen ſagittarum, ac ſclopettorum multitudine iam territum, dare terga coactum eſt. Achomates & ipſe periculo intentus, aliquanto maiore virtute quàm fortuna, ſubſidio ſuis reliquos equites adducit, quorũ vi atque impetu prælium exæquatur. Sed dum irrumpendo ſternendoque victoriæ imminet, Canoglis auerſos adoritur: clamore edito hoſtes tum maximè pugnantes in ſe conuertit: ab fronte pedites conglobati gradum inferunt, equites verò haſtati, quos ab initio à Perſis pulſos diximus, pudore adducti in prælium reuertuntur. Ita Achomatis acies circumuenta vndique cæditur: & vexillis ſtratis omnia cæde fugaque complentur. Achomates deſperatis rebus aufugiens, dum ſaluti ſerò conſulit, in foſſam, quàm pridiani imbres aquis cœnoque compleuerant, labente equo præcipitatur. Ibi agnitus à militibus, atque comprehenſus vt ſe ſtatim interficerent impetrare non potuit. Quem Selymus iam antea neci deſtinatũ ſequenti nocte hiſdem carnificibus, qui Corchutum cæteroſque necauerant, traditum, chorda arcus eliſis ceruicibus interfici iuſsit. Amurathes in itinere à Perſis, qui cum magna parte equitum denſata acie perruptis iterum Turcarum ordinibus euaſerãt, de fortuna patris, & prælij euentu edoctus Amaſiam redijt, atq; inito de fuga conſilio cum Aladino fratre, ipſe cum equitibus Perſis traiecto Euphrate ad Hyſmaelem confugit. Aladinus verò in Cilicia Amano monte ſuperato, vt ad Campſonem Gaurum Ægypti regem ſe conferret, in Syriam profectus eſt. At Selymus ſecundum eam pugnam præmiſsis in prouincias, quę ab Achomate tenebantur ſingulis equitum præfectis, breui omnem minorem Aſiam in poteſtatem redegit. Mox reuerſus Byzantium paucis poſt diebus, quòd ibi recrudeſcente peſtilentia in ſingulos dies quingenti ferè homines abſumebantur, Hadrianopolim conceſsit, vbi reliquum æſtatis, atque hyemem venationibus intentus, tranſegit. Interea Sophus Hyſmael à Perſico Oceano ad Seruianorum fines, atque ipſum Caucaſum montem, & per Hyrcani maris Meridionalem oram ad Corazenos omni regione perdomita, Zagataiſque Tartaris, qui olim fuere Bactriani & Sogdiani ad Oxum Iaxartemque flumina pertinentes, ſępe per tres annos acie ſuperatis, in Armeniam reuerſus eſt, Amurathemq; apud Tauriſium obuium habuit. Venerat eò miſerrimus adoleſcens poſt aduerſam pugnam, patremq; interfectum, vnius horę momento regia fortuna expoliatus, vt à potentiſsimo rege in tantis calamitatibus auxilia aduerſus patruum imploraret. Hyſmael dignum fama ſua ratus, ſi ſummę ſpei adoleſcentem ad ſe profugum exciperet, atque omnib. iuuaret auxilijs, bono eum animo eſſe iuſsit: & vt ampliore ſpe confirmaret, filiam ei in matrimonium collocauit. Siquidem Othomannorũ domus concurſu calamitatum labefacta atque conuulſa, ſi Selymus fato fungeretur, neminem imperio Amurathe potiorem eſſet habitura. Quinetiam ad primos bellorum motus, ſi ipſe à Perſide arma inferret, defecturam à Selymo minorem Aſiam apparebat, quòd propter inſitam animo eius immanitatẽ ac ſæua facinora, Dijs pariter atque hominibus eſſet inuiſus. Igitur Sophus Hyſmael primo ſtatim Vere Amurathem cum decem millib. equitum ad Harſengam ſuperare Euphratẽ & peruadere in Cappadociam iubet: vt cognitis prouincialium animis, atque exploratis hoſtium viribus de tota mole belli certio-

ra conſi-

ra conſilia ſumerentur. Vſtaoglum verò apud Perſas clariſsimum ducem, cum valida parte exercitus Amurathem vnius diei itineris interuallo ſubſequi imperat. Ipſe in Armenia cum maioribus copijs ſubſtitit, ne rei frumentariæ anguſtia laboraret, quum per loca ſterilia incultaq; ampliſsimus exercitus ducendus foret. Amurathes ex improuiſo per minorem Armeniam Cappadociæ fines ingreſſus, quum tentatis amicorum voluntatibus quędam oppida recepiſſet, quædam igne ferroque vaſtaſſet, magnum toti prouinciæ terrorem intulit: quo metu iniecto deficientibus paſsim populis Amaſiam vſque peruaſurus eſſe videbatur, niſi Chendemus vir bello egregius, quem Aſię pręſidio Selymus reliquerat, Perſis cuncta bellico tumultu miſcentibus ad Sebaſtam, quæ hodie Suias dicitur, cum magnis cōpijs occurriſſet. Scripſerat quoq; Chendemus multum antea ad Selymum de apparatu aduentuq; hoſtium, quum eos ſuperaſſe Euphratem per exploratores cognouiſſet. Quibus vulgatis rumoribus, Selymus ab Hadrianopoli in Aſiam profectus, omnes copias Pruſiæ conuenire iuſſerat: habitisq; ſumma celeritate delectibus ſupra quadraginta millia Aſaporum peditum armauerat. Quod vbi per captiuos & veteres clientes ſuos Amurathes cognouit, tametſi cum Chendemo cōfligere magnopere cupiebat, ne tamen ſi forte Selymus ſua celeritate ad ſe opprimendum cōtenderet, in Antitauri anguſtijs deprehēderetur, ad Vſtaoglum regreſſus eſt. At Selymus qui toto eo anno egregium ac maximum bellum, dignamque auſibus ſuis expeditionem ingenti animo ſecum ipſe volutarat, diu incertus Pannoniā Rhodumue, an ipſam Italiam diſcordia noſtra labantem, afflictamque tot bellorum incommodis, terra mariq; inuaderet, oblata occaſione Perſici belli, ad Orientem ſe conuertit, atq; Arſengam, quam aliqui Comanam Ponticam fuiſſe iudicāt, trigeſimis caſtris peruenit: vbi iunctis cum Chendemo viribus, quū retroceſsiſſe hoſtes, vaſtatamque continenti incendio eam regionem comperiſſet, dolore iniuriæ & victoriæ fiducia incitatus, veſtigijs fugientium inſiſtere, ac vltro in maiorem Armeniam penetrare conſtituit. Erant maximæ omnium rerum difficultates, quæ huic bello à peritis regionum in concilio proponebantur, quæ poſtea trepidantibus cæteris, ipſe propria quadam felicitate & ſola animi magnitudine ſuperauit. Nanque militibus qui ab Illyrico, Myſia, Epiro, Macedoniaq; terreſtri ſemper itinere in Cappadociam venerant, nouos labores ſubire, vt ad Taurum ſęuiſsima frigora, & mox in patentib. campis vehementiſsimos calores, ſitim, inediam, atq; imam propè omnium rerum deſperationem ſubire neceſſe erat, præſertim quod Perſæ in regreſſu euaſtatis agris, vt hoſti ſolitudinem facerēt, quicquid vſui eſſe poterat, corruperant. Magnam quoq; peritis atq; prudentibus ducibus ſollicitudinē intendebant minoris Armeniæ & Aladulorum reges, quos haud ſatis clarè perſpectis eorum volūtatibus, in tergo relicturi erant, neque putabant eos quicquam pro amicis eſſe facturos: ſi quid Selymo aut in pugna, aut in ſubuehendis commeatibus, aut in locorum anguſtijs parum feliciter accidiſſet. Armenius magnam ſubminiſtrādi commeatus facultatem habebat. Aladulo verò copiæ aderant, & numero & exercitatione non contemnendæ: prętereà anguſtiæ, clauſtra omnia, & ſinguli aditus, qui è Cappadocia in Armeniam & Perſidem ducūt, aut opportunis arcibus, aut firmis eius præſidijs tenebantur. Montana enim ei parent: protenditurq; eius imperium à Scordiſcis, qui Ponto imminent, perpetuo Tauri dorſo ad Amanum montem, quo Cilicia Syriæ committitur. Inter cæteros Chendemus, qui plu-

rimum apud Selymum gratia authoritateq; pollebat, ſuadere cœpit, vt in Cappadocia ſubſiſteret: exercitũ ab labore viæ reficeret, atque illic hoſtium aduentum opperiretur. Non eſt, inquit, imperator exiſtimandum, quòd illi metu refugerint, qui nec viſo quidem hoſte retroceſſerunt: nectunt dolos, et inſidias apertè moliuntur, dum fuga timorem ſimulant. An non ſcimus quæ ingenia, quæ robora hominum Perſis ferat? Timebunt illi nudum Turcam, haſtatum vel ſagittarium, qui validiorib. equis ferro tectis, ipſi galeati loricatiq; Scytharum ſagittas non timuerunt? vel ſi hoc parum eſt, qui tot gentibus bello victis fortiſsimo imperatori ſuo maximum imperium virtute pepererunt? An te maiores vel meliores copias habere exiſtimas, quam Caſſemus quondam patruus tuus, atque auus Mahometes habuerint? qui me in eorum caſtris militãte ad Trapezuntem, & ad Nicopolis montes, non vna clade accepta, cum hoſte ſæpius dimicarunt? Neque tormenta, quæ trahimus, habere in ſe magnum ad victoriam vſum inficiabor, modò explicandis tot curribus idonea loca patuerint. Sed exuſtum hoc ſolum, rigentes atque abrupti montes, & immenſa poſt nos terrarum ſpatia me perterrent, quem armatæ hoſtium acies iniquiore etiam in loco terrere non potuerunt. Neque Armenio vel Aladulo ambiguæ fidei regibus quicquam credendum putes, tametſi primo ingreſſu amica omnia pacataque oſtenderint. Circumſpectabunt enim occaſionem, vt te imparatum per inſidias aggrediãtur. At ſi te illic explorata omnino victoria expectat, quanto tibi ea tuorum ſanguine conſtabit? quo alio milite, quibus aliȷs virib. Græciam tueberis, ſi te ſtudio proferendi imperiȷ, vel ardore comparandæ laudis abductum, in penitiſsimam Armeniam Chriſtiani reges audierint? Proinde ſi tueri tua prius eſt atque præſtantius, quàm aliena cum periculo appetere: ſi prudentiſsimi imperatores non in multa cæde hoſtium, ſed in ſalute atq; incolumitate ſuorum militum victoriæ gloriam poſuerunt, deſine te atque exercitum obiectare periculis, atque omnia temerè vni Fortunæ committere: quæ ſi inconſtans & lubrica audaciæ tuæ ſemel illuſerit, rues inſania ab tanto faſtigio longè celerius, quàm illuc paulò antè virtute conſcenderis. Selymus qui vt erat aſperi atq; immitis ingeniȷ, cuncta conſilio atque auſpiciȷs ſuis adminiſtrari volebat, quanquam vehementer ea oratione permouebatur, atque aliquot duces in ipſa periculi cogitatione ſuſpenſos videbat, paucis tamen per iracundiam confutatis, prætorium dimiſit, teſtatus ſe iterum per pacata infeſtaque & victoriam omnino relaturum, poſtquam ſenex tantopere de vita ſollicitus, honeſtiſsimam mortem timeret. Hæc dicentem regem excepêre ſtatim aliȷ duces aſſentari ſoliti, qui propter æmulationem Chendemi gloriæ atq; opibus inuidebant. Ii enim orſi à magnitudine copiarum, à militum genere, ab apparatu tormentorum, & ab ipſa quoque fortuna inuicti exercitus, cuncta ex difficillimis plana atque facilia reddere: quę verò de virtute hoſtium dicebantur verbis magnificis eleuare contendebant: mox, vt iniecta ſuſpicione perfidiæ Chendemi authoritatem conuellerent, cùm dictitare virum fortem atq; omnibus bellis intrepidum non timore aliquo, non anguſta ſpe victoriæ adductũ, ſed promiſsis Amurathis, & hoſtili auro oneratum & corruptum, tantæ expeditionis curſum, & paratæ victoriæ ſpem omnem abrumpere voluiſſe. Proinde caueret ſenis aſtutias atque perfidiam, progrederetur que audentius, nec putaret milites, aut pericula, aut labores eſſe recuſaturos, modò ipſe animo non deficeret. Paratos enim eſſe vel acerbiſsimas quaſque belli difficultates ſubire, nihilque

magis

magis exoptare, quàm vt in eas regiones ducerentur, vbi editis veræ virtutis operibus, Selymum imperatorem ſuum Alexandro, & ſe in eadem belli gloria Macedonibus exæquarent. Ad hæc, vt Chendemum opprimerent, indices ſubornarunt, qui dicerent, eum ab Amurathe pecuniam accepiſſe, nec in tempore Perſis prædatoribus, qui eo duce fines irruperant, occurrere voluiſſe: vnde tantum detrimenti prouinciæ illatum. Quibus de cauſis Selymus præpropera crudelitate præceps, Chendemum inauditum, ac vera monentem interfici iuſsit, vt cæteros ab ſimili dicendi libertate deterreret, doceretque ea eſſe optima conſilia, quæ imperator diuina veluti ratione reperiſſet. Interfecto Chendemo, occulto ſtatim metu perculſæ omnium mentes, quod clariſsimus vir tantæ modò apud regem exiſtimationis & gratiæ, indicta cauſa concidiſſet, quem paterno ac mox fraterno bello Selymi in partibus virtute atq; conſilio floruiſſe meminerant: quaſi eadem ſæuitia Selymus, vel in minimis rerum ſuſpicionibus, obſcuros eſſet oppreſſurus, qui ne amicis quidem antiquiſsimis perpeciſſet. Inde promotis caſtris, in fines Armeniorum & Aladulorum peruenit: vbi per legatos earum gentium reges qui tum in armis erant hortatus eſt, vt communi ſecum conſilio & viribus, bellum aduerſus Perſas ſuſciperent, ac ſecum in maiorem Armeniam proficiſcerentur. Se enim perfecto bello ipſis omnem agrum, & proximam regionem, quam de hoſte cepiſſent, in præmium virtutis atque nauatæ operæ conceſſurum. Reges qui Hyſmaeli pariter ac Selymo infenſi erant propter finium iniurias, inter quos medij et inualidi (vt tenuiores à potentioribus ſolent) quotidie premebantur, quum animos in vtrunque belli euentum aſtutè intentos nudare nollent, reſponderunt, quas ipſi copias contraxiſſent, ad ſui regionisque præſidium comparaſſe, non vt temerè in ambigua belli fortuna, alterum ex amicis finitimisque regibus oppugnarent: ſe verò tanti non eſſe, vt ſui iudicij putarent diſcernere, quisnam iuſtiorem belli cauſam ſequeretur. Cæterùm ſi abſque maleficio duceretur exercitus, & munita itinera & commeatus pro copia regionis, ingreſſo maiorem Armeniam præbituros. Selymus hac prima ſpe deiectus, quod eos ſibi voluntate aut metu omnibus officijs affuturos putauerat, diſsimulandum in præſens exiſtimauit, ne qui totus corpore atque animo ad Hyſmaelem ferebatur, ambiguæ fidei reges, ſi facto eos verbóue læſiſſet, in tergo pro certis hoſtibus eſſet habiturus. Igitur Selymus à Scordiſcis profectus, octauo die ad Moſchios montes peruenit: quos ingentem aquarum molem trahens Euphrates: ab Antitauro magnis effectis crepidinibus abrumpit. Percurruntij perpetuis iugis in Hyberum & Colchidem: & ab ortu maiorem Armeniam aperiunt. Ductus eſt ſub ſignis exercitus per aduerſi fluminis ripam, neq; vnquam à profluẽte diſceſſum, quod ſitis in ignota regione timebatur. Ita in Orientem directo itinere, vt à læua minor Armenia, Aladuli verò regis fines, & iuxta decurrens Euphrates à dextra relinqueretur, quouſque ad Periardem montem peruentũ fuit. Periardes duorum clariſsimorũ fluminũ origine inclytus, propter miram omniũ rerum fœcunditatem, Leprus, id eſt, frugifer à barbaris hodie nuncupatur. Namque Euphrates et Araxes ſingulis atq; aduerſis emiſſi paludibus, campeſtrem aridamque regionem emiſſariorum copia, & ſumma frugum felicitate nobilitant. Selymus tantis confectis itineribus, quum nec fama quidem vbi Hyſmaelis exercitus cõſediſſet, quẽ validũ numeroſumq; paulò antè è Cappadocia diſceſsiſſe cognouerat ſcire poſſet, cunctabundus ac timẽti ſimilis ſupra fluminis fontem

caſtra fecit, atque exploratum velociſsimos equites qui aliquos ex obuijs exciperent, vndique emiſit. Sed quum incolæ Armenij vel metu appropinquantis hoſtis, vel iuſſu Hyſmaelis omni ea regione, quæ ad iter patebat, deceſsiſſent, deſertisque ædificijs, & aſportatis, aut concrematis omnibus victui neceſſarijs, pabulum quoque & quicquid herbidum in proximis agris fuerat, euaſtaſſent, Turcæ equites nemine hoſtium intercepto biduo poſt redierunt, nunciantes eam vaſtitatem omnium frugum, latiſsimos tantùm campos, & immenſam occurrere ſolitudinem: nec vlla hominum aut equorum veſtigia reperiri. Proinde exiſtimare ſe, aut locorum errore deceptos, aut perfidia Armeniorũ, qui duces itineris erant, in deſerta perueniſſe: vbi amiſſa ſpe alendi equitatus, ac mox ceſſantibus humanis alimentis fame exercitus abſumeretur. Auxerant quoque præſentem metum duo reges relicti in tergo, & in primis Aladulus, qui, vel pudore, vel metu adductus primis diebus commeatu adiuuerat, procedenti verò in intimam Armeniam nihil ex fide officioque præſtiterat, iam tum inde gratiam Hyſmaelis captans, cuius virtuti ac viribus haud dubiè ceſſuros Turcas, ſicuti totus propè Oriens paulò antè ceſsiſſet, arbitrabatur. At Selymus ingenti cura anxius, ſuſpectare inſidias, inediam timere, horrere ſolitudinem & cuncta quę Chendemus ſenex edixerat memoria volutare: vultum tamen alacrem impauidumq; militibus oſtentare: quæ conſtantia proſperos rerum ſucceſſus, & maturam de hoſte victoriam deiectis etiam militum animis pollicebatur. Ergo coactis viæ ducibus, & per regionis peritiſsimos explicata itinerum ratione, quum à dextris vltra Periardem ſubeſſe fertiliſsimam Armeniæ partem didiciſſet, caſtra mouit: circumuectuſque montis initia qua Boream ſpectat, ad Araxem deflexit, & ſupra Choim oppidum equites vado, pedites verò modicis effectis pontibus tranſmiſit. Nanque Araxes antequam receptis amnibus, qui à Periardis paludibus oriuntur, ampliores vndas trahat, humilem alueum & faciles aſcenſu paſsim ripas tranſeuntibus oſtendit. Vixdum Selymus traducto exercitu caſtra poſuerat, quum Vſtaoglus, qui cum Amurathe iunctis copijs idoneo in loco ſubſtiterat, Choi oppido atq; inermibus oppidanis timens, ne repentino hoſtis aduentu opprimerẽtur, celeriter inde mouit, & ad hoſtem profectus eſt. Nanq; id oppidum fontium atq; amnium perennitate totius regionis amœniſsimum, quòd propter omnis generis fructuum copiam cœliq; temperiem, Perſarum reges relicto Taurifio magnã æſtatis partem his in locis agere conſueuerunt, ditiſsimos oppidanos habet, & pulcherrima ędificia: quibus in eo prælio ſuccurrendum Vſtaoglus arbitrabatur, ne ſimul contra ſuam exiſtimationẽ in conſpectu celebre oppidum amitteretur, atque hoſtis eo potitus, confectũ fame exercitum omnium rerũ copia recrearet. Choim antiquitùs fuiſſe Artaxata clariſsimam quondam vrbem à Domitio Corbulone deletam, Caſsinus natione Armenius, qui huic bello interfuit, pluribus coniecturis nobis indicauit. Nec Sophus Hyſmael quanquam maiorem copiarum partẽ aduerſus Coraxenos, Hyrcani maris accolas tumultuãtes paulò ante pręmiſerat, vt qui Turcas deſpiceret, nec eos in Armeniã venturos arbitraretur, audito ſtatim Selymi nomine in caſtra venire cũctatus nõ eſt. Fortè tum Vſtaoglus, qui in eam vſq; diem et prælio & conſpectu hoſtium cõtra ſuorum opinionem abſtinuerat, vt magis ac magis & labore itineris & deſperatione commeatus attritis hoſtium viribus, ſine pugna, & ſine ſuorum vulnere bellum conficeret, contra oppidum caſtra locauerat, quum ſub aduentum Hyſmaelis Turcæ

explora-

exploratores conſpecta pulueris nube, auditisque equorum hinnitibus, adeſſe hoſtem ſenſerunt. Quod vbi in caſtra nunciatum eſt, tum verò omnes geſtire lætitia, tum primum ſpem concipere certiſsimam de ſalute atque victoria: Dijs grates agere, quòd pro labore, inedia, cæterisque incommodis, tandem oblato hoſte egregiæ mortis facultatem tribuiſſent. Enimuero Europæi pręſertim equites, equis macie confectis, Aſappique pedites longò itinere fatigati, quibus vulgatò morbo ventres fluebant, quòd in magnis ſolis ardoribus polenta ex farina acetoque confecta, & pomorum agreſtium ſuccis vitam diu tolerarant, angente ſimul dolore animi conſternati, quòd ne viſo quidem hoſte cadendum foret, paſsim moriebantur. Hyſmael vt in conſpectum hoſtium venit, cùm ſuorum virtuti, tum fortunæ ſuæ plurimum confiſus, quò plus terroris incuteret prælium minimè differendum exiſtimauit, miſitque ad Selymum caduceatorem, & cum eo aliquot militares viros, qui diligēter, quales quantæque hoſtiū copię, quot tormēta, quæ formæ caſtrorum eſſent, ſpecularentur. Cęterum Selymo nunciarēt ambigui iuris non eſſe Armeniam: neq; vnquam cum Turcis de eius poſſeſsione fuiſſe diſceptatum; proinde ſe mirari cur infeſto exercitu in prouinciam veniſſet. Quòd ſi fortè antiquæ virtutis æmulus imitatus Alexandrum Macedonē, tantū ſoli terrarumq; iure ſuum futurum exiſtimet, quātum ſibi promotis armis victoria Fortunaque pepererint, pararet arma, & in craſtinum diem ſuas atque alienas vires periclitaretur. Selymus ad ea reſpondit: extare recentem iniuriarum memoriam, qua iuſtè ab Othomannis aduerſus Perſas arma ſumi potuerint, quū & auus Mahometes & Caſſemus patruus quondam, nuper verò Baiazetes pater, & ipſe dum fratris Achomatis armis oppugnaretur, à Perſis & ſumma detrimenta, & inſignes contumelias acceperint. Ea tamen etſi magna et grauiſsima ſint, dignas belli cauſas non putare, ſed vnū ſe repetere Amurathem fratris filium hoſtē ſuum, & Cappadocię prędatorem. Quem ſi ex ęquo amiceq; ſibi traderet, vt mutua inter reges pro tuendis firmādisq; imperijs iura poſtularent, fore, vt copias inde abduceret, & in proprios fines reuerteretur. Si verò id facere negligeret, ferro igneq; Armeniam, & Perſidem vaſtaturum. Dimiſſo caduceatore vterq; ſuis caſtris ſe continuit. Sequēti verò die Selymus ſuorum omnium hortatu copias in patētem locum eduxit: inſtructaque acie ad hoſtem, qui duobus millibus paſſuum inde aberat, profectus eſt, exiſtimans Hyſmaelem tanti nominis imperatorem, quin prælio decertaret, nullam moram eſſe facturum. Qui verò Perſarum numerus, quod equitum genus, quæ arma, quæ tela geſtarent, facilè reperire non poterat. Nam ſupra gentis ingenia calliditatis atq; conſilij plena, tantus erat militum amor, ac tanta veneratio erga Hyſmaelem regem ſuum, vt nemo repertus ſit, qui ad Turcarum caſtra transfugerit, quum multi (vt poſtea ex captiuis Perſis cognitum eſt) quotidie à Selymo ad Hyſmalem perfugerent. Selymus qui octuaginta equitum millia eo die habuiſſe dicitur, in dextro cornu Caſſembaſſam Europæi equitatus pręfectū, in lęuo Sinambaſſam eunuchum cum Aſiatico equitatu conſtituit, antecedentibus Acanzis, qui ſunt voluntariæ militiæ equites ex vario gentium genere, ſpe prædę ad bellum exciti. Media acies Aſappis peditibus data, quorum vilis ſemiermisque turba, tanquam nullius propè iacturæ hebetandis hoſtium gladijs primo ſemper congreſſui obijcitur. Poſt Aſappos tormenta recta fronte diſpoſita ſunt, additis præſidio quatuor equitum millibus. Ipſe in ſubſidijs cum lectiſsimo equite prætoriano, omnibusq; Ianizaris

paulo editiore in loco conſtitit, duplici corona tormētorum atq; impedimentorum circumuallatus: nam camelos clitellatos longa catenæ ſerie inter ſe nexos ita in orbem ſibi de more circundederat, vt ſpeciem validæ munitionis æquarent, quo veluti vallo ſeptus, & laborantibus ſuis opem ferre, & ſi quid durius accideret, veluti ab arce cum flore militum, omnem hoſtium impetum ſuſtinere poſſet: monuitque Aſappos, vt quum primum hoſtium equitatus appropinquare inciperet, diducta acie celeriter in vtranq; partem ſecederent, vt ſpacium emittendis tormētis relinqueretur. Ex aduerſo Hyſmael, qui per tranſfugas cuncta hoſtium conſilia explorata habebat, vocatis ad ſe ducibus, docuit nullius propè negotij eſſe victoriam, modò procellam tormentorū effugerent. Quod ſe facilè conſequuturum pollicebatur, ſi equites quum ſcindi Aſapporum aciem vidiſſent, & ipſi intenti paratique ſoluto ſtatim ordine in duas alas abſcederent. Itaque duo maiora vexilla propoſuit, alterum prætorium, quod certo in loco cum robore equitum ſtatuerat, alterum quod cum reliquo exercitu Vſtaoglo attribuit. Habebat Hyſmael ad triginta milia equitum abſque vllo pedeſtri ſubſidio, in queis fuere ſupra decē milia cataphracti, viri fortes, bello exercitati, ac nobilitate illuſtres. Iis inſignes equi erāt operoſo chalybe tecti, & caſsides ad orñatum terroremque criſtatæ: Præterea acinaces, & more noſtro clauæ ferreæ, atque haſtæ ſolidiores. Cæteri apertis atque oblongis galeis & ferreis thoracibus muniti, vel maiore arcu, vel lanceis fraxineis more Hiſpanico ad mediam haſtam comprehenſis, vtebantur. Cæterum apud eos nullus tormentorum apparatus, quo certè vno Turcis impares erant. Sed tantum ſpiritus, tantumque virtutis Perſarum animis inerat, vt deſpecta hoſtium multitudine, & contempto tormentorum periculo, prælium committere non dubitarent. Hyſmael dato ſigno vniuerſum agmen promouit milites cohortatus, vt diu ante partam rei militaris laudem memoria retinere vellent: ac ſe imperatorem ſuum, quem pluribus ſecundiſsimis prælijs maximum Orientis regem cōſtituiſſent, vadentem in hoſtes imitarentur: occurſuros in acie inermes Turcas leui tantum haſta & ſcutis vtentes, quorum equi ſtatura humiles, ſtrigoſi, enecti fame, ne primum quidem impetum cataphractorum eſſent toleraturi. Ab altera parte Selymus puluerem aduentantis hoſtilis exercitus conſpicatus, per duces præfectoſque tota acie pronunciari iuſsit, inſtare prælium, quo ſi egregiè dimicarent, victis gentium victoribus Othomannicum imperium à Perſico Oceano ad Caucaſum montem eſſent prolaturi. Quòd ſi quid ex priſtina virtute remiſiſſent, putarent nullam effugij ſpem ſupereſſe in ea vaſtitate camporum immenſiſque deſertis: aut enim fœde moriendum, aut perpetuò Perſarum fœminis cum ignominia ſeruiendum: quando poſt tot terrarum ſpatia, & rapidus Euphrates, & Tauri iuga, & infidus Aladulus occupatis auguſtijs, omnem ſpem redeundi in Cappadociam victis abſtuliſſent. Hyſmael quum apprppinquaſſet, & ad propoſitum ſignum Aſappi ordines aperirent, ſubindeque falcones medio interuallo diſploderentur, diducto ſtatim equitatu, in dextrum cornu impetum fecit tāto ſuorum ardore, vt quum aſperrimum inter ſemiermes Turcas, et armatos egregiè Perſas contractum eſſet certamen, obtruncato ante alios Caſſembaſſam, primis cæſis, ac mox alijs atque alijs fuſis profligatiſque totum id cornu vſque ad ſubſidia vbi ſubſtiterat Selymus propulerint. Parte alia Vſtaoglus non paruo à tormentis accepto incommodo, q̄ tardius ab eo periculo, ſeſe atque alas ſuas explicarat, Aſiaticos inuaſit: Ibi acri

commiſſa

commiſſa pugna magnam cædem hoſtium edidit, ſed nō eadem felicitate, qua Hyſmael. Nam dum inter primos acerrimè depugnaret, ſclopetto ictus occubuit. quo caſu Turcarum animis redditus vigor, ita vt qui iam pulſi loco ſuprà tertiam partem ſuorum amiſerant, redintegrato certamine, cataphractos egregiè ſuſtinuerint: & oppoſitis ſclopettarijs, quibus maximè Perſarum equi terrebantur, eos vno agmine in Aſappos præcipites egerint. Perſæ ſiue neceſsitate compulſi, quòd detrimento accepto ducem amiſerant, atque equos tormentorum fragore & tonitru territos, regere non poterant, ſiue quòd apertum latus Aſapporum meliorem rei gerendæ facultatem oſtendebat, confertis turmis per tranſuerſos pedites perruperunt: quibus magna ſtrage cæſis protritiſque ad tormenta peruentum. Ibi eorum magiſtros libratoreſque, qui, vt in magna rerum perturbatione diſploſis temere tormentis fœdiſsimam cladem ſuis æquè hoſtibuſque intulerant, circumuentos trucidarunt, continentiq; curſu in dextrum cornu hoſtium, vbi Hyſmael cum Europæis depugnabat, tanquam victores peruaſêre. Quibus de rebus Europæi, qui iam antea & ipſi amiſſo duce repulſi confectiq; vulneribus ſe ad ſubſidia receperāt, quum nouo ab latere oblato prælio impreſsionem ægrè ſuſtinerent, opem vt in extremo diſcrimine à ſubſidiarijs implorare cœperunt. In ea prælij iniquitate Selymus ſoluto curruum nexu, vallum duobus in locis patefecit, partemq́; prætoriani equitatus illico emiſit. Mox ad Ianizaros conuerſus, veſtræ, inquit, virtuti atque operæ hodierna victoria reſeruatur: macti virtute milites mei, agite dum eruptione facta, feſſos hoſtes integris viribus aggredimini. Fluunt ſudore equorū corpora, ipſiſque equites ſub tanto armorū pondere iam fatiſcunt. Hæc dicenti Selymo Ianizari haud ſanè promptè obtemperabant, quippe qui in tanta rerum deſperatione libenter ſuis ſe munitionib. continerent. Itaq; dum cunctatius ſigna efferunt, Perſæ in medio ardore victoriæ Europæis circumfuſi eos ſpectāte Selymo, ac fruſtra auxilium ferre properante occidione deleuerunt. Scripſit ad Leonem pōtificem Fabritius Carrectus Rhodiæ militiæ magiſter, ad quem omnia hæc diligentiſsimè perferebantur, Ianizaros Selymo dicto audientes non fuiſſe, neque eius adhortatione, aut precibus adduci potuiſſe, vt laborantibus Europæis auxilium ferrent: vt qui ſummæ rei diffidentes, expectare euentum, quàm ſe in manifeſto periculo equeſtri hoſtium procellæ, quæ cæteros pedites obtriuerat, obiectare malebant. Iam Perſæ ab omni parte Selymum intra ſubſidia morantem inuaſerant, quum Sinam baſſa tametſi cornu lacerum ac vehementer attenuatum trahebat, per medios Aſapporum aceruos, hoſtes inſecutus in tempore ſuperuenit: accitiſque ſubinde & inductis aliquot recentib. turmis, quæ ab Vſtaogli impetu integræ euaſerant, pugna eſt reſtituta, duorum maximè fratrum Malcociorum præcellenti virtute, Turabei & Mahometis, qui Turcica ex gente nobilitate generis ipſi Othomannæ familiæ pares, Malcocij patris luctuoſa illa in Venetos & Carnos excurſione clari ducis, magnitudinem animi vigoremque referebant. Selymus quoque minimè animum deſpondens, ſed in ſpem erectus atque alacer, id quod ſupremo diſcriminis reſeruarat, omnia tormenta dirigi in hoſtem iubet: quæ tātam equorum atque hominum ſtragem ſuis pariter atq; hoſtibus inter ſe commixtis ediderunt, vt quum viri puluere, fumo tormentorum & crepitu, vſum oculorum atq; aurium amiſiſſent, ac ſubinde equi ad inſolitū fragorem metu conſternati, cōtemptis frænis ſeſſores in diuerſum aduehérent, incerta adhuc victoria prælium

ſit diremptum. Hyſmael ſclopetti ictu ſub læuum humerum vulnere accepto, præteruectus eam procellam,vt vulnus inſpiceret, hortantibus amicis prælio exceſsit. Quę res haud dubiè Selymo ſuiſque omnibus ſalutem attulit: nanque Hyſmaelem eiuſque vexillum Perſę continuo ſubſecuti,non dubiam partamque magna ex parte omnium opinione victoriam,reliquerunt. Verùm leui nec profundo vulnere inuēto,quòd plumbea glans eam armorum partem ob ſingularem temperaturam altius penetrare nequiuerat,in prælium redire conſtituit. Sed audita morte Vſtaogli,cui propter eximiam rei bellicæ peritiam magnopere fidebat,ſuadentibus etiam amicis ne plagam adhuc calentem deſpiceret,ſalutique conſuleret,quadrato agmine ac lento gradu,vt nihil fugæ ſimile diſceſſus habere videretur,recipere ſe cœpit,præteruectuſq; Taruiſium, monitis vrbis primoribus,vt portas Turcis aperirent, præſidiumque acciperent, ne quid detrimenti ex vana conſtantia paterentur, in Medorum fines conceſſit. At Turcæ tot incommodis conflictati,quum neque prę timore animos,neque præ laſsitudine vires ad inſequendum haberent,ad Perſarum caſtra delati,ea nullo defendente ceperunt. Inuentæ ſunt,præter tabernacula picta acu,& ſerico atque auro intexta aliamque pretioſam ſuppellectilem,complures nobiliſsimæ mulieres,quæ viros ſecutæ fuerant, quas Selymus intactas ſine pretio remiſit. Retulêre qui huic prælio interfuerunt,nonnullas fœminas inter cæſorum aceruos repertas,quæ thoraces galeaſque indutę,& ſecutæ viros vnà cum eis ſtrenuè pugnando ceciderant. Hoc maximè euentu Calderanis in campis ad Choim pugnatū eſt ſeptimo Calend. Septembris, eius anni qui fuit à partu Virginis milleſimus quingenteſimus decimus quartus: quo prælio Selymus ſupra triginta milia hominum amiſit: in queis præter Caſſembaſſam Græciæ Bellerbechum, ſeptem Sanzacos, & in his ipſos quos diximus Malcocios fratres,dum alter alteri cum circumuento opem ferre conatur, cadentibus equis interfectos: ſed præter Aſapporum inconditam multitudinem obiectam cædi,equites Illyrici,Macedones,Triballi,Epirotæ, Theſſali,Thraceſque,haud dubiè flos & robur exercitus,qui in dextro cornu fuerant, magna ex parte aut cęſi aut vulneribus debilitati ſunt. Selymus confeſsione hoſtium victor,quum ab Choi cæteriſque vicinis vrbibus, & ab Tauriſio legationes in caſtra veniſſent,quæ ſe commeatum affatim dare, & imperata facere paratas dicerent, ad Tauriſium profectus eſt, ſtudio viſendæ atque obtinendæ Perſarum regiæ. Ea vrbs ab Choi vbi pugnatum eſt,itinere bidui diſtat: fuitq; antiquitus Ptolemæo Terna,quæ abeſt à proximo Hircano mari ad Bacucum portum centū quinquaginta milibus paſſuum. Ciues aduentantibus Turcis præſto fuerunt, & magnam vim commeatus extra portam conuexerunt,vbi occupatis ſuburbanis ædificijs Turcæ caſtra poſuerant,quum in maxima & frequentiſsima ciuitate pernoctare parum tutum exiſtimarent, portas tamen tradentibus Perſis,impoſito præſidio tenuerunt. Ferunt Selymum,qui ſalutem ſuam Perſis temere minimè committebat,nunquam ingreſſum vrbem, niſi gregarij equitis habitu: aliqui verò celebri pompa in regijs ædibus publicè conuiuatum fuiſſe, verbaque ad Tauriſianos de victoria conſilijſque ſuis feciſſe confirmant. Sed vix decem dies Tauriſij moratus,quum in Armenia contra voluntatem prætorianorum hyemare ſtatueret,ad frequentes de hoſte nuncios conſilium mutauit,quòd Hyſmael accita valida manu Hiberorum & Albanorum equitum, cum Parthis atque his equitibus qui pugnæ interfuerant aduentare ferebatur.

Quibus

Quibus de cauſis Selymus, qui ſupra centum & quinquaginta armatorum milibus in acie conſtitutis, ægrè ſe triginta Perſarum milia ſuſtinuiſſe, & caſu magis artificióque tormentorum, quàm vera virtute, eos ſuperaſſe meminerat, æſtimatisque Tauriſianorum viribus, quorum fidem et multitudinem ſuſpectã habebat, in Cappadociam redire cõſtituit. Itaque abductis pluribus fabrorum excellentiumque opificum familijs, eorum maximè qui arma telaque elaborati operis fabricabant, & magna vi ſerici & commeatus inde exportata, per Hobordenam & Baliſenam regiones, longiore aliquanto itinere ad Euphratem contendit. Ne enim appropinquantibus Hiberis obuius fieret, redire ad Araxem, & Periardis montes circuire nolebat. Hiſmael cognita eius profectione, quãta & ipſe maxima potuit celeritate eum ſubſecutus, magis ac magis curſum intendere, & prę feſtinatione impedimenta paſsim ac milites vulneribus & valetudine debilitatos relinqui coegit. Neque prius (quod ille magno interuallo antecedebat) extremum Turcarum agmen conſecutus eſt, quàm ad Euphratẽ peruenit. Ibi Selymus biduum moratus aliquot effectis ratibus peditatũ tranſmittebat. Quæ quum tantę multitudini non ſufficerent, plures inflatis vtribus innixi flumen tranabant: alij effractis dedita opera curribus, eorum materia ad natandum vtebantur. Ipſe imperator lintre vectus, quum vniuerſus equitatus ad perfringendam vim fluminis vno agmine ingreſſus profluenti ſe oppoſuiſſet, in vlteriorem ripam euaſit. Quæ res peditibus periculum minuit, & molliorem tranſitum currulibus tormentis, camelisq; & cæteris ſarcinarijs iumentis dedit. Periere tamen, quum iam in conſpectu Hiberorũ antecurſores eſſent, atque ob eum timorem excitato tumultu tota ripa trepidaretur, circiter duo milia hominum, hæſerantque limoſo in vado aliquot falcones, & impedimentorum quoque partem vorticoſus amnis abripuit. Hiberi qui recẽtioribus equis Perſas anteceſſerant, contenti ijs quæ relicta erant, inſequendi finem fecerunt. Nam tormentorum currus inter ſe vi vndarum implicati, bonam partem ſarcinarum retinuerant: multaque alia ripis & vadis hæſerant, quæ haud magno labore funibus extrahebantur, læto plurimum Hyſmaele, quòd tormenta quib. maximè tantam cladem acceperat, eiecto ac fugato hoſte cepiſſet. Porrò Selymus e manibus Perſarum fuga elapſus, longè infeſtiora itinera ad Antitaurum inuenit. Nanque Aladulus deſpecta eius fortuna ad prædandi occaſionem ſibi oblatam, anguſtias diſpoſitis paſsim montanis hominibus inſederat, qui more latronum noctu maximè in Turcas impetum faciebant, & quum viæ admodum ſylueſtres & confragoſæ feſſum agmen exciperent, à tergo & à lateribus incurſabant: direptisque impedimentis in nemora & notas rupes reuertebantur. Aladulus, cuius hęc fraude fiebant, interdiu excuſare ſe, nihil ſua voluntate fieri: homines agreſtes latrocinijs aſſuetos proprio conſilio atq; audacia ea damna inferre, eos tamen pœnas daturos: ſe enim breui eius maleficij authores reperturum. Interim in ſpeciem amicitiæ datis aliquot dierum cibarijs, noctu infeſtas latronũ manus, quæ opportunis in locis tranſeuntibus occurrerent, immittebat. Quibus malis neque conſilio Selymus, neque virtute milites prouidere poterant. Tandem quod diſsimulata iniuria hominis perfidiam alio tempore vindicandam arbitrabatur, Trapezuntem atque inde Amaſiam Cappadocię peruenit, vbi reparandis copijs intentus, hyemem egit, primo ſtatim Vere aduerſus Aladulum, & montanos barbaros, qui tantum detrimenti pauorisque intulerant, bellum geſturus. Lubet hoc loco tantiſper euagari dum Sely

mus atque Hyſmael, qui hac ætate terrarum orbem nominis ſui fama comple uerunt, inter ſe comparantur, vt tot ingentium præliorum admirabiliumque bello caſuum ſeriem legendo, feſsis peramœno nec inutili diuerticulo requies quæratur. Quod ob id certiore cum venia fecerim, poſtquam hic annus à turbata pace vndeuigeſimus magnis ad Orientem cladibus inſignis, ad Occaſum in ſpem exoptatæ, ſed nondum maturæ tranquillitatis bello vacuus, atque otioſus fuit. Ambo igitur ſicuti inclyto genere, ætate integra, immenſo indomiti corporis, ac ingentis animi vigore, opibus, & pari denique imperij fortuna perſimiles, parem claritatis & gloriæ famam obtinent, ita moribus, inſtitutis & diſciplina militiæ multum inter ſe differunt. Primum omnium, vt præclarè constat, ſupra mutuum vtriuſque gentis odium, ab auis patribusq; per manus traditum, inſana perſuaſione diducti inter ſe de ſacrorum placitis altercantur, quum hic Homarem, ille Halym præcipuos Mahometis interpretes diuerſa ſuperſtitione diſsidentes, altero ſanctiorem exiſtimēt, ac imagine pietatis iuſtam belli cauſſam prętexant. Quanquam non obſcurè diſsimulata cupiditate, ad id vnum, ſed diuerſo itinere contendant, vt confirmatis auctisque opibus, tot regnorum termini quàm latiſsimè proferantur. Quod ex profeſſo Hyſmael ad Darij atq; Xerxis, qui ſubacta Aſia in Europam ingenti auſu traiecerint, & Selymus ad Alexandri Macedonis, qui regna Perſarum euerterit, magnitudinē & gloriam aſpirent. Nec inanibus omnino votis, quum honeſto tuendæ religionis nomine, Fortuna pari libidine ingenio eorū ambitioſo, audaci, immoderatoque intemperanter arrideat. Qua non abſimili perturbatæ religionis peſte à Luthero Saxone nuper inuecta, Chriſtianas quoque gentes inter ſe digladiari videmus: quaſi cælum aliquo maligno ſydere pacem & tranquillitatē infami huic ſeculo prorſus inuideat. Sed in Hyſmaele mira pietas vſque adeò refulget, vt vitia, ſi qua ſint regij faſtus, eius fulgore perſtringantur. In Selymo autem omne virtutis decus inhumana crudelitas elidat & obſcuret. Hic enim pœna, & præmio vim imperij tuetur, ſed aliquanto grauiore ſeueritatis quàm beneficentiæ fama, quòd ab exacta diſciplina in ſeruos, quibus multò maxima Othomannicæ militiæ pars conſtat, lege agere vel truculenter expediat: ſecus ac vſu euenit Hyſmaeli: ex prima vtique nobilitatis claſſe liberisque hominibus militiæ robora conſcribenti, apud quos temperatæ iuſtitię, humanæ comitatis, & popularis indulgentiæ ſtudium maximè valet, vt fides & amor, & parendi obſequium parentur: quòd nemo honeſtis ortus parentibus exiſtat, qui non multò grauius flagitij dedecus, quàm ſupplicij pœnam reformidet. Vt minimè mirum eſſe videatur, ſi his tanquam generoſis artibus Hyſmael, auguſti nominis maieſtatem egregiè glorioſeque defendat. Ad hunc quoque maximarum virtutum concurſum pulcherrimo naturæ munere decora facies accedit, magnanimo digna rege: ore nanque roſeo, radiantibus oculis, flaua barba, & quod antiquum apud Perſas regiæ ſtirpis inſigne eſt, adunco naſo, illuſtríque facundia, omnium oculos atque animos capit. At in Selymo, triſte ſupercilium, prægrandes toruique oculi, & Scythico pallore ſuffuſa facies, rigentéſque ſetę à ſuperiore labro ad ceruicem retortæ, & nigricans ad mentum ſubtonſa barba, ita vim militarem & inexorabilis naturæ ſpiritum exprimunt, ſpectantesque perterrent, vt nihil omnino niſi ſæuum & immane prorſus oſtendāt. Nec diuerſos vultus, ideoq; diſsimiles animorum habitus, niſi diſpar rerū propè omnium diſciplina cōſequitur. Nam Hyſmael aditu pariter & alloquio

benignus

benignus & facilis, nihil ferè quod regiam perſonam reſpiciat, niſi palàm agit. In propatulo ſiquidem magna procerum frequentia liberaliter epulatur, & varia venatione, falconumq; volatu, & præda magnopere gaudet, cum procerib. ſemper legatisq; externorum regum communicata voluptate. In ſtadio etiam & in palæſtra cum primoribus aulę, vti eſt equitandi & ſagittãdi peritiſsimus, honeſta atque vtili contentione corpus exercet, adeò populariter, vt in piſcina inauratis ſepta porticib. palam natare minimè diſpudeat. Vxores autem quas ex Satraparum Regulorumq; ordine virgines cùm decore formę, tum pręſtanti morum fama illuſtres, in coniugalem thorum recipit: ſi fœcundæ ſint, neque faſtidit, neq; repudiat vetere Perſarum inſtituto, qui cõiuges amare tenerius, impenſius colere, in regia prætorioq; familiarius habere, & tanquam vtriuſq; fortunæ conſortes, cum liberis atq; nutricibus, & pretioſiore gaza, vel ad longinqua euntes bella ſecum ducere conſueuerunt, graui quidem impedimento ſumptuq;, quòd magnis ac ornatiſsimis camelorũ gregibus vehantur, niſi pręſentia cariſsimaq; pignora bellatores patres ad virtutem accenderẽt. Contraria ratione Selymus in arcano cuncta vitæ munera diſpenſat, puerorumq; imberbium & eunuchorum miniſterio cõtentus, ſine conuiuia diſcumbit, ac vno ferè ſimpliciſsimo cibo naturæ deſiderium implet. Raro niſi ſacrorum cauſa die Veneris, qui Turcis eſt feſtus, in publicum prodit. Sed adeò prætorianorum turba circumſeptus, vt ægrè vel ipſe ſolus eques inter haſtatos criſtatosque milites, & ſuperbè ſubmouentes ſpectantium turbam, ex facie dignoſcatur. Nec temerè equo vectus in ſuburbanis prædijs ſpatiatur, quũ per freti anguſtias ad Aſię propinqua littora bireme aduehi malit. Vxores à regiæ limine procul arcet, quas tantùm prolis cauſa, nec familiari quidem vultu complectitur, quod natura modicę libidinis, & in mares pronior, corpus atque animũ virilem fœminarum illecebris eneruari exiſtimet. Raro itaq; ad clauſtra virginũ, quę ſunt media in vrbe Byzantio, altis, & vndiq; cæcis parietibus ſepta, contendit. Has magno numero Chriſtianis parentibus ereptas, aut à prædonibus varijs interceptas caſib. matronę inſigni pudicitia, et vetuli ſpadones accuratè cuſtodiunt. Mahometanisq; ſacris initiatas diligenter erudiunt, vt Arabicè legere, ad harpem & cytharam pſallere, ſaltareq; decenter, & acu ſcitè pingere perdiſcãt. Verùm eas Selymus omnium rariſsimè inuiſere cõſueuit, vtpote qui minimè mulieroſus, nec numeroſæ ſæpeq; infauſtæ prolis cupidus, non ex ſeruili Chriſtianoque ſanguine, ſed ex Boſphorani regis filia Tartarorum ſtirpis, hunc vnum imperij hæredem Solymanũ imberbis adhuc adoleſcens ſuſcepiſſet, quem hodie ex matura iam atrociq; indole, nobis diſcordibus, ſæua arma comminantẽ (niſi magnus Deus paratam auertat cladem) vndiq; ſocordia noſtra victorem euaſurum ominamur. Otium porrò, ſi quod impenſè vigilãti & ſemper intento, ex grauiſsimarum rerũ conſilijs ſupereſt, accito in hortos aliquo purpuratorum, aut familiariũ deambulando ita traducit, vt quum longe ſeuereq; puerorum colludentium palæſtram ſpectet, de ſerijs multa ſciſcitetur atq; deliberet: ſecretiores verò mollioresq; horas balineo, euoluendisq; maiorum ſuorum & externorum regum annalibus impartiatur. Hoc quoq; ſtudio auum Mahometem ęmulatus, qui gentium propè omnium reges, rerum bello geſtarum fama inclytos verſis in Turcicam linguam hiſtorijs nõ modò ſcriptis, ſed imaginib. excellenti pictura expreſsis repręſentari ſibi, curabat, impetrato à Venetis ad id munus Gentile Bellino pictore pręſtantiſsimo, vt grauibus exemplis magis ac

magis ad extendendam famam accenderetur. Vir enim ille ex arcano animi omnis religionis contemptor, vnis tantùm bonæ Spei, bonæque Fortunæ tanquam certis numinibus ſacra faciebat. Vt non ineptè modò Selymus Baiazetis patris occupationes, atque vigilias irrideret, quòd Auerroi nihil pro certo de natura animorum, & cœleſtis motus ratione explicanti, æquo impenſius deditus, arguti philoſophi inter ocioſos ſapientiæ profeſſores, quàm inter milites ad arma natos ſtrenui imperatoris nomen tueri mallet. Cæterùm Hyſmael vti ab ineunte ætate ſacris imbutus literis, diſciplinarũ propè omnium ſtudia præalto ingenio ad cõtemplationem rerum diuinarum ita referebat, vt vetere Magorum & Brachmanorum arcano dogmate, ſeipſo, qui ambitioſum Sophi cognomen ſuſceperat, admirabilior euaderet, quum iam pridem cœleſtis ſapientiæ & diuinationis opinione, apud gentem religionibus atque miraculis capi facilem, incredibiles victorias, & tantum denique imperium ſibi nouo propè homini peperiſſet. Diuerſiſsima porrò, & vt mihi videtur planè iniqua Perſæ cõditione bella gerunt. Nam ij ſicuti equitatu mirifico maximè pollent, ita nullum omnino certum ex conſcripto inueteratoque pedite robur inſtituunt: qua parte virium Turcæ ætate noſtra memorabiles ſæpe victorias conſecuti, nec vſquam victi, grauiſsima bella confecerunt. Magno quoque incommodo Perſis euenit, quòd nec ſclopettis vtantur, nec tormentorum currulium copia abundent, quorum terribili præſidio cuncta peruincuntur, luctuoſo quidem exemplo Vſſumcaſſanis & Hyſmaelis, vel egregiè victor equitatus, & nuper in Calderanis campis, & patrum noſtrorum memoria ad Harſengam et Euphratem, inſolitum eorum equis reboatum cruentamque procellam ſuſtinere nequiuerit. Neque enim vlla in parte Perſa cataphractus, cum inermi propè Turca videtur comparandus. Nam ſquamoſi thoraces, loricæ ferreæ, bucculatæ caſsides, & cono inſignes galeæ, clypeique auratis vmbonibus rotundi Perſas vndique protegunt, Turcam vero ex Europa penitus inermem, vix dimidium quadrata & inflexa pelta operit, quũ Aſiatici clipeis molli arundine in ſpiras & diſcolore ſerico contextis vtantur. Perſa quoque brachium & dextram operoſo ferro munitus, fraxinea ancipiti lancea rem gerit, qua ad medium comprehenſa more Numidarum ab alto ſæpe ictus repetens, viros & æquos inermes facilè perſodit: quum Turcæ Græcorum conſuetudine adpreſſas lateri inclinatasque ad equi aures haſtas (vti ſunt fragili abiete leues) ad primum impetum collatis equis diffringãt, & ad gladium incuruum ſtatim clauamque ferream, reliquis armis impares redire cogantur. Neque enim Perſarum generoſis & rubuſtioribus equis inſidentium congreſſum ferre poſſunt: quoniam eorum equi frontalibus ferreis & tegumentis recocto è corio Italicarum bardarum ſimilitudine veſtiantur, quæ confertis laminis, aut infarcto bombycis & goſsipij tomento ita muniunt, vt quamlibet telorum contumeliam perferant. Qua de cauſa nemo niſi temere ſagittarios, equites aut pedites Turcas cum Perſis contulerit. Hi ſiquidem latis et multo neruorum nexu validis arcubus inſtructi, craſsiores Scythicarum inſtar, ideoq; lethales ſagittas emittunt. Qua rerum omnium collata, Sophianus exercitus, tanquam regi ſuo ab excelſæ diuinæque mentis opinione, & religioſo quodam ſacramenti iure, nuſquam reformidata morte deditus deuotusque, Turcis vel numero inferior ab eximia virtute inſuperabilis videri poſsit, niſi dira hac indignaque fortibus viris vi tormentorum, aut inuſitata multitudine copiarum obruatur. Quòd verò Hyſmael ex tot prouincijs

quondam

quódam armorum gloriæ clariſsimis in vnius imperij potentiam coactis, pauciores opinione copias educat, præſertim aduerſus Othomannum in Armeniam vſque infeſta populatione penetrantem: hanc pręcipuè cauſam reperiebamus, quòd remiſsis tributis ſublatisque vectigalibus, ad colligendam liberalitatis famam, ærario minus ſtudeat, vt tum maximè neceſſe fuit ipſi nouo regi propinquos ſuos ab Vſſumcaſſane auo patreque Iacuppo legitimos imperij hæredes impotentibus armis extrudenti. Quamobrem ſignata pecunia ſemper eget: nec ideo quum bellum oritur iuſtis & validis neruis arma expedit, quanquam multarum rerum Orientis regio ferax, & tot opulenta regna benignè atque largiſsimè ex neceſſarijs ad vitę atque militię vſum copijs ſtipendiorum ſupplementa ſuppeditent: ſecus ac Selymo accidit, cui pedites & equites tormentorumque magiſtri, & præfecti claſsium, ſingulisque etiam totius bellici & domeſtici apparatus officijs præpoſiti, diurna, aut menſtrua pręſentis pecuniæ ſtipendia à quæſtoribus accipientes perpetuò militant. Nec ad inſtitutũ theſauri vnquam deficiunt, quum Byzantij ſeptem in turrib. argenteę aureęq; monetæ inęſtimabiles cumuli recondantur, omnemque ſumptum quarta parte, tot tributorum & vectigalium annui, atque perpetui redditus exuperent.

Tria ſunt genera militum apud Perſas, Prætorianorum ſcilicet, Euocatorum, & Auxiliarium. Prætoriani certa ſtipendia merent, aluntur que ſumptu regis, qui eis vetere inſtituto, & ſtatis anni temporibus ad deſcriptam rationem, arma, equos, veſtem, tentoria, commeatum, alternante liberalitate elargitur. Horum ornatiſsimo comitatu validoque maximè pręſidio circumſeptus, frequentis aulæ dignitatem tuetur, & mutando loca ad herbidas regiones prouinciarum nobiliores vrbes inuiſit. Ingruente autem bello dynaſtę, reguli, tetrarchę, & antiquę nobilitatis beneficiarij, qui traditas à maioribus, aut à regibus dono datas oppidorum & agrorum ditiones obtinent, ad edictum euocantur. Eodem prope iure, hiſdemq; legibus imperata facientes, quibus in vniuerſum nobilitas omnis in Hiſpania, Gallia, atque Italia regibus operam præſtare conſueuit. Horum magnus eſt numerus, qui liberaliter inſtructi ad ſigna cõueniunt: ſed exquiſito delectu habito, nunquam viginti milium equitum numerum implent, quorum vix tertia pars, eo quem diximus, inſigni armorum apparatu inſtructa, in aciem prodit: quum reliqui ferè omnes contenti galeis, præduris centonum munimentis loricati, diuerſisque protecti ſcutis, haſtis ſimul et arcubus prælientur. Nam alterna arma, vti vſus locusque depoſcit, expedire, & ſcutis in tergum reiectis retroque ad lorum ſuſpenſa lancea, auerſi pariter & aduerſi ſagittare didicerunt. Verum qui è Perſide vrbeque regia nomine Scyras, in qua præcellentis temperaturæ, nobilioris que artificij ſplendida arma fabricantur accerſiti veniunt, ſummam virtutis obtinent opinionem. His Aſsyrij authoritate nominis proximi accedunt, cum Medorum & Parthorum regna omnium optimos & peritiſsimos (præter vnos Scythas) ſagittarios mittant. At Armeni in vniuerſum pedibus pugnare malunt, & in cohortes deſcribuntur: quæ longa ſerie planorum ingentium ſcutorum ſolo defixa, ſeſe tanquam obiecto vallo aduerſus equorum impetum defendunt, breuioribus haſtis & ſecuribus, ſagittisque item, & manubriata ſæpe funda cominus & eminus dimicantes. Auxiliares autem copię ex Hiberis & Albanis, ab eorum fœderatis regibus Mediæ Armeniæque finitimis mittuntur, qui magna ex parte ſemichriſtiani, par odium aduerſus Othomannos exercere, & ferre arma conſueuerunt. Sed

poſtquam ad hunc hiſtoriæ locum eſt deuentum, nõ iniucundum, vt arbitror, legentibus erit, ſi quæ de Hyſmaelis prouincijs vrbibuſque, & de Caſpij maris accolis, vlteriorumque regum potentia longo labore didicimus, ſummatim enarrentur, vt curioſis ingenijs non fabuloſa, vti paulò ante ętatem noſtram accidit, ſed certa, & explorata vndique mercatoribus, ac varijs legationum commentarijs illuſtrata referãtur. Inter Sophiani imperij prouincias, Armenia maior primam obtinet claritatem, Tauriſio regia vrbe inſignis, quę Terua Ptolemęo antiquitus fuit, vel, vt Hebræis quibuſdam linguarum & regionum peritis videtur, Suſa priſcæ quondam celebritatis. Diſtat à Caſpio mari, vrbeque Bachu orę proximioris quinq; dierũ itinere, & ab Artaxata, quę hodie Choim appellatur, Calderaniſq; campis recenti Selymi prælio nobilitatis, circiter paſſuum octuaginta milibus. Inde contendenti ad meridiem Sulthania viſitur, quæ admirandas dirutę magnę vrbis reliquias oſtendit, integris adhuc præcellentis ſtructuræ Mahometanorum delubris: quibus ſuperiore ſeculo Tamerlanes Scytharum imperator cuncta obuia immaniter euertens, tactus religione pepercerit. Hanc ex Tigranocertæ ruinis ædificatam exiſtimare par eſt. Ab hac Sulthania in Perſidem inter Meridiem & Occaſum procedentibus, oppida incurrunt Comum, Caſanum, & Hieſdum ſericæ telæ mercimonio mercatoribus nota Extenditur autem ea regio ad vrbem regiam nomine Scyras, quã non inepte Cyripolim antiquitus fuiſſe aliqui arbitrantur. Ea eſt elegantium armorum officinis toto Oriente clariſsima: nec ab hac Carmaniæ regionis caput multum diſtat, quod Chirmanim appellant, incomparabili chalybis temperatura in acinaces, & lancearum mucrones celebrata, quæ vel immenſo pretio à Turcis cupidiſsime coęmuntur. Nam eius ferri ea vis eſt, vt vno ictu noſtrorum galeæ diſcindantur, nihil retuſa omnino acie, & lancearum mucrones ſolidum pectorale transfodiant. Carmaniæ vetus nomen in Narſingam abijt, cuius hodie rex opulentus, & equitatu pollens, imperij terminos profert vſque ad Cananoræ, Cucini, & Calecutæ Indici maris emporia, quæ nobis Luſitana claſsis aperuit, quum ab Atlantico Oceano vltimum Aethiopiæ promontorium, ingenti ſpe, vnde ei nomen, inuſitatoque auſu prætereuecta vltra Arabicum, Perſicum, & Gangeticum vaſtiſsimos ſinus, ad auream vſque Cherſoneſum, extremaque Sinarum littora coemundis aromatibus negotiationem extenderent. Tertia regio Aſsyria cenſetur, cuius regia vrbs eſt Bagadad, olim Babylon, condente Semirami muro latiſsimo, atque eius reginæ penſilibus hortis, & demum Alexandri Magni immatura morte celeberrima. Ab hac Babylone Euphrates rapto ſecum Tygri amne in Perſicum euolutus ſinum claſsib. nauigatur vſq; ad Balzeram, inſigne emporium Teredonis inſulæ, quam bicornis fluuius efficit. A Balzera mercatores per ſinum nauigatione trium dierum Armuzum, quod adhuc nomen retinet, lenibus ventis perueniunt. Id poſitum eſt ad freti fauces parua in inſula tropico Cancri ſubiecta, ideoq; immenſis feruoribus ſolſtitio infamis, niſi Armuzenſes incolæ magno artificio per tubus rectà in ſumma ædium euadentes, nocturnam diurnamque auram exciperent, concitatoque demum per anguſtias incluſo ſpiritu, immitis aeris calores ventilando diſcuterent, & merſi ligneis lacubus frigidæ aquæ balneis vterentur. Armunti magnus vndique gentium propè omnium mercaturæ cauſa fit concurſus, quod in vadis Perſici ſinus vrinatores eximij margaritas & vniones piſcantur, & ad id ſummę opportunitatis emporium illinc remotiores Indi ru

des &

des & impolitos adamantes, & carbunculos, pretioſioraque aromata (hinc vero Rubri maris accolę Felicis Arabię diuitias) itemque Ægyptij, Syrij, & Luſitani corallium præſertim exoptatum Indis, & varia noſtri orbis mercimonia, tanquam ad perpetuas nundinas comportent. Meſopotamia autem, quæ in Occaſum vergit Aſsyriæ contributa, Euphrati, & Tygri, vnde ei nomen, & Tauro item monte ad Corum terminatur. In ripis Euphratis ſita eſt Byrta, quæ hodie nomen retinet, vbi commodioribus ripis hinc & inde ſuperatur. Quo traiectu vſi Perſæ, non ſemel in Comagenem vſque ad Alepum irruperunt. Quibus iniurijs commotus ætate noſtra Caithbeius Aegypti Syriæque Sulthanus, bello ſemper victor, Euphrate gemino ponte conſtrato, parem Meſopotamiæ cladem rependit ab Orpha vſque ad Caramitam, quæ vrbes antiquitus Dara atque Amida vocabantur, repentina excurſione cuncta obuia populatus. Cæterum quæ ad Orientem ſolem ſpectant Medorum & Parthorum regna, ab Occaſu mare Caſpium curuatis littoribus complectuntur. Id manifeſto exitu caret, occultis, vt credi par eſt, haurientis naturæ ſpecubus, & cęcis vadis abſorptum. Quod vtique mirum eſt, quum tot influentium amnium perpetuo decurſu, neque auctus exundet, neque diluta ſalſugine mitigatus, vnquam dulceſcat. Toto autem ambitu in ouatam ſpeciem ab Africo per obliquum ad Boream ſe extendens, Euxino ponto magnitudine ferè par euadit, ſi à Ponto Mœotis palus, Zabacca hodie vocata, recidatur. Celebres ad Mediæ littora duo ſunt portus, alter ad vrbem Bacchum, vnde mari hodie nomen, mediterraneę vrbi regiæ, quā nunc Sumachim (olim fortaſſe Gamalam) vocant, propinquus, alter vero ad Derbentum vrbem, Caſpiasq; portas ab Alexandro Magno, vt ferunt, aduerſus Scytharum irruptiones ædificatam. Abruptæ ſiquidem Caſpij montis rupes, vſque adeò ad mare coarctant iter, vt exeſi fluctibus, deuoratiq; in profundum eius littoris margines, vix duorum ſtadiorum aditum tranſeuntibus relinquant. Ea enim forma Derbentum in edita montium crepidine ſitum eſt, vt duobus ex quadrato lapide muris ad mare deductis, inferiora ędificia, & nauigiorum ſtationē tanquam duobus brachijs complectatur, non maiore quàm trecentorum paſſuum interuallo: quod ſpatium ſingulis vtrinq; ferreis portis, ſuperſtantibusque propugnaculis, ita munitur, vt perpetuis cuſtodijs, niſi clara luce & explorato littore viatores, nec admittantur, nec recepti intra portam, altera prius emittantur, quàm portorium perſoluant. Nauigia quoque intercluſo eo in littore commodam habent ſtationem. Sed toto Caſpio mari nec Hyſmael, nec quiſquam alius princeps claſſe nauigat, quòd eæ gentes rei naualis imperitę & rudes, lintribus tantùm onerarijs oram lambentes vtantur, nec alto ſe committere audeant, propterea quòd nōdum magnetis vſum, & membranas itinerum, & curſuum menſuras, ventorumque rationem pictura continentes nouerint, & magnis etiam anchoris aptioribusque dolonum velis careāt. Secundum Medos Parthi in Volturnum ſpectantes, maritimas vrbes habent Sandaram, & Strauam, et bombycū & pexi ſubtilioris Serici copia claras, ſed propter vadoſa admixtisq; dulcibus aquis paluſtria littora, peſtilentes. Ob id vrbs regia nomine Spaham à mari longiſsimè recedit. Hæc inter memorabiles magna quidem ambitu, ſed cretaceis mœnibus cincta, bellicoſo populo frequens eſt, & innumeris Serici textrinis opulenta. Ad Parthos Sophiani imperij extremos Hyrcani, & ſecundum eos Coraxanæ regionis incolæ ſuccedunt Arriani ſcilicet, Margiani, Aracoſij, Bactria-

ni,qui hodie vno nomine Zagatai vocantur, Perſarum antiqui hoſtes, atque hodie Hyſmaeli maximè infeſti, & cruenta factione diſsidentes, quòd Sophus Cuſelbas(id eſt, rubrum caput:) cõtrà Zagataijs, Cacebas(id eſt, viride caput) appellentur: ea factione deducta à coloribus, quibus tegumentorũ capitis prælongi apices cinguntur. Has gentes diuidit Oxus amnis, qui alienis vndis auctus magna aquarum mole, multiſque oſtijs in mare effunditur, adiacente vrbe Bactrà, quæ hodie Ephra dicitur. Nec inde multum abeſt vrbs Eri, Arrianę prouincię, circumambiente piſcoſo lacu egregiè munita, & cyani lapilli, quem Turchinam vocãt, prouentu pernobilis. Ad Boream verò in Sogdianis longè à mari, Iaxarti fluuio impoſita vrbs Samarcanda, Zagataiæ regionis metropolis, amplitudine & ſtructura ædificiorum rerumque propè omnium copia, cęteras eius tractus vrbes antecellit. Hanc Alexandri magni temporibus authore Q. Curtio, notam fuiſſe perſpicimus, conſtatq; inde ortum eſſe Tamerlanem, qui patriam demum ſeneſcentem & dirutam inſtaurando atque augendo, immenſis opibus & ſpolijs deuictarum ab ſe gentium exornauit. A' Samarcanda oſtioque Iaxartis molliter curuato maris ſinu, ad Rha flumen à noſtris Volga, & à Scythis Hedil appellatum, magnæ interiacent ſolitudines Tartarorum paſcuis dicatæ. Horum plura ſunt ingentia agmina errantium, ciuitatum inſtar, quæ Hordæ eorum lingua vocantur. His nobilitate generis & bellica virtute pręſtantes imperant, Caneſque appellantur, quæ vox Tartaricè imperatorem ſonat. Ea gens in vniuerſum fera & inops, omniſque humanitatis expers, ſolis confiſa ſagittis, equina carne, eaque ſemitoſta manantibus tetro cruore gingiuis ſpurciſsimè veſcitur. Continenter cum finitimis bella gerit, & vſque ad Cataium Sinarum regionem, & vrbem Cantam, totius orbis longè maximam & opulentiſsimam, extenditur. De Cataio Luſitani negociatores multa memoratu digna referunt, in primiſque Cantam vrbem Venetiarum ſimilitudine circumfluente mari ea ratione ædificatam, vt lapideis pontibus ędificia cõiungantur, eaque in ſicco ſecundum fundamenta latos aditus perpetuis munitos podijs, commeanti populo relinquant. Excelſas eſſe domos, earumque feneſtras more noſtro clatris ferreis, & ſpecularibus vitreis exornari: hortos & pomifera viridaria paſsim conſpici, quòd Arcticus polus non plus LVII gradibus eleuetur. Viros autem vxoreſque protectis nauiculis, & quum lubet equis et carpentis more noſtro circumuehi: nobiliores coloratis atque diſcinctis talaribus togis vti, barbæque habitu atque inceſſu Venetos patritios referre: diuerſa autem ab alijs gentibus numina coli: & quod maximè mirandum videtur, ibi eſſe typographos artifices, qui libros, hiſtorias, & ſacrorum cęremonias continentes more noſtro imprimant, quorum longiſsima folia introrſus quadrata ſerie complicentur. Cuius generis volumen à rege Luſitaniæ cum elephante dono miſſum, Leo põtifex humaniter nobis oſtendit, vt hinc facilè credamus eius artis exempla, antequam Luſitani in Indiam penetrarint, per Scythas & Moſcos ad incomparabile literarũ præſidium ad nos perueniſſe. Ipſum verò Catainorum regem infinitis populis terra marique imperare, tantiſq; rerum omnium opibus(quòd innumerabiles alat copias) valere, vt ei Europę reges collati in vnum pares eſſe nequeant. Sed hæc ab alijs copioſè enarrata relinquentes, ad Volgam vnde diſceſsimus, reuertemur. Is à Riphæis ortus paludibus, à Septentrione in Meridiem multis nauigabilibus fluuijs, & in his Occa & Moſco ſecum raptis, in mare Caſpium tribus faucibus prorumpit, o-

mnium

mnium qui in id influunt mare, longiſsimo curſu, & vaſta aluei latitudine maximus, vtpote qui Araxe (Armenis Arath vocato) & Oxo Bactrianorum duplo maior atque profundior exiſtimetur, ſed quem tamen Tartari tranantes minimè reformident. In eius ripa poſitum eſt emporium nomine Cytracam, vnius diei nauigatione à latiſsimo oſtio recedens. Hac in vrbe concurrentibus vndique Scythis & Moſchis, Orientis opes, aromataque in primis & Sericæ veſtes, cum Septentrionalibus mercimonijs permutantur. Ea conſtant gregibus equorum, pellibus ſibellinis, albiſque centonibus, aduerſus omnem imbrium & frigoris iniuriam probatiſsimis. A Volga directo & mox inflexo littore patentes campi degeneris pabuli feraces frequentibus, Sciabanorũ et Caſſanorum Hordis peragrati, ad Derbentum vſque extenduntur, qua ferè ſuperiorum temporum Tartari, Schytæ, Hialone, Abaga, Tamerlaneque ducibus in Cappadociam & Syriam penetrantes, quòd nullus omnino alius commodior aditus, vt iam diximus, magnis copijs ad inuadendam Citeriorem Aſiam pateat, ſi Derbentanis clauſtris arceantur. Nam Albanorum regio, quam hodie Seruan appellant, proxima Medię & mari Caſpio imminens, Caucaſeis rupibus inaceſſa eſt: cui niuoſi admodum excelſique montes & abruptæ valles catenatis inter ſe rupibus adnectuntur, pertinẽtes ad Georgianos qui hodie ſunt Hyberi: & ad Mengrellios, qui Colchorum & Albanorum regna ad Phaſim amnem incolunt, paucis ante annis Bendian Colchis, Georgianis Pancratius, Albanis Aguaſapas imperabant. Regiæ eorum ſedes ſunt, Phaſium introrſus à mari, retento veteri nomine Phaſi fluuio impoſitum. Inſula Oetis & Medeę, vellereque aureo poetarum carminibus celebrata: inde Cotachis & Gorgora Aſperrimis in ſaltibus ſitæ. Hi reguli pari ſtudio, tanquam amici fœderatique Perſarum regibus læuia tributa pendunt: Chriſtiano more, ſed Græcorum ritu ſacrificant. Ex his maximè bellicoſi Albani ſunt: ſecundum eos Hyberi, quũ Mengrellij ſtoliditate, temulentia, & latrocinijs infames exiſtimentur. Hi Othomannicis finibus ad Trapezuntem propinqui, à Caſpio mari recto itinere quingentis milibus paſſuum diſtant, nullis vnquam laceſsiti armis, quod iniquitate locorum difficultateque egregiè muniti, ſola defendentis naturę munimenta inuadentibus obijciant. Vltra Colchos Circaſsij lunatum Euxini littus vſque ad Tauricam Cherſoneſum occupant: gens rerum propè omnium indiga: ſed quæ ſorte quadam ad Aegyptij imperij fortunam aſpiret, quum inde Circaſsiorum liberi empti pecunia, & Memphim aſportati, plerunque Aegyptijs amiſſę libertatis oblitis, regium adepti nomen imperitent. Hæc ferè ſunt, quæ de Perſici imperij conditione Hyſmaeliſque moribus ſummatim deſcribi poſsint, ab occupato præſertim, & vti ſemper aliàs ad enarrandam rerum geſtarum ſeriem properante, quando iam nos Selymus reuocet, vt aliqua de natura Othomannici principatus, inſtitutiſque militiæ referantur. Quæ tum magno vſui futura arbitror, quum Chriſtiani reges non obliti veræ pietatis, ſacrũ bellum pro ſalute publica ſuſcipient. Primum omnium Selymus præclaro felicis atque inuictæ virtutis maiorum ſuorum exemplo, impotentis tyranni more, ita liberis hominibus dominatur, vt non alijs ferè quàm fortium ſeruorum conſilio & viribus tanti imperij fortuna conſtet: quòd alienas occupanti terras nihil magis expediat, quàm ignobilium ſeruientiumque voluntates & ſtudia, propoſitis præmijs promereri: quoniam id vnum ferè genus hominum, à ſpectata virtute ad opes ampliſsimas, ſummoſque honores ex tu-

to prouehi, extraque tumultum & inuidiam pro libidine plecti poſsit. Qua de cauſa homines Turcas, antiquæ ſtirpis nobilitatem referentes, ex arcano Selymus odit, quum eos tanquam imperij æmulos planè metuat. In his ſunt quatuor inſignes familiæ vetuſtate originis Othomannorum domui pares, quæ ab occulto quodam liuore in vna Othomanni ſobole, ipſis æquale fatalis imperij nomen iam per ducentos confirmatum annos propagari vehementer indignantur. Hi ſunt Michalogli, Ebrenes, Turacani, atque Malcoccij: è quibus vel ſummæ virtutis homines, neque purpurati, neq; magiſtri equitum vnquam euadunt, ne immodica virium freti potentia, ad imperium aſpirent: ſed magnos redditus ex antiqua agrorum diuiſione, ſuperioribusq; victorijs conſecuti, quòd multo pecore et frumentarijs poſſeſsionibus abundent, perpetuáque ſtipendia percipiant, cæteris opulentiores exiſtimātur, ſecus ac liceat Chriſtiano ſanguine progenitis, ſiue militiæ adſcripti ſerui ſint, ſiue incolę liberi: nā non alios habent fundos, quàm quos à principe agrorum domino ad annuum vectigal impetrarint. Magnus tamen his familijs habetur honos: nam Michalogli peculiari prærogatiua voluntarijs equitibus præficiuntur: hos Acanzes, hoc eſt, antecurſores vocant: & plerunque centum milium equitum numerum implent, quod eis ad ſpem prædæ Tartari è Taurica, & Getæ, ex Valachia gregatim miſceantur. Reliqui ex his familijs nobilioribus præfecturis ornantur, quæ nunc quadraginta octo ſunt æqua ferè portione in Europa, atq; Aſia conſtitutæ. Verum ex Aſiaticis digniores imperatoris filij obueniunt, ſicuti Amaſiæ in Cappadocia, Iconij in Lycaonia, Magneſię in Ionia: In Europa autem ad parandum militiæ decus potiores conceduntur, Peloponneſiaca, quæ Morea dicitur, Turacanis: Boſnenſis in Illyrico, Malcoccijs: Ebrenibus, Samandrica in Triballis. Nec vlla eſt tam exigua aut tenuis præfectura, quæ bina ſaltem milia equitum non alat, quum ampliores ſena & ſeptena contineant. Quibus omnibus ex deſcriptis regionum vectigalibus ſtipendia argento & certis lignorum & pabuli ſupplementis, ſingulis quoque menſibus perſoluuntur. Huius generis equites ſcripti in alas Sanzacorum Timarriotæ vocantur à Timarro, quę vox ſtipendium ab incolis contributum ſonat. In hoc equitatu pręcipuum Othomannorum robur conſiſtit: nam ad repentinum edictum pauciſsimis diebus ſeptuaginta amplius equitum milia in vnum locum à præfectis adducuntur. Nec quiſquam eorum eſt, qui ad propoſitum gerendi belli edictum, non magnoperè lætetur, & certum ex nauata opera præmium non expectet, ignauiæque pariter & delicti pœnam ſubterfugiat. Tanta enim ſeueritate iudices, qui circumeundo præfecturas ſigillatim turmas recenſent, arma, equos, & mores inſpiciunt, vt ſi qui notati exauthoratique ſunt, magnus equitum numerus in eorum ſupplementum ſeſe offerat, inſignique ſe affici beneficio exiſtiment, qui alijs eadem loca & ſtipendia diu expectantibus pręferantur. Vniuerſis duo Magiſtri equitum præſunt, qui Bellerbechi, hoc eſt, domini dominorum ſuperba appellatione vocitantur. Aſiaticus ad Cutheiam Galatiæ vrbem, Europęus ad Sophiam Myſiæ inferioris ſedes habent, conſtitutisque tribunalibus inter milites ius dicunt, quemadmodum Cadi, qui ſunt ſtatutorum & legum periti, prætoria authoritate incolarum controuerſias finire ſolent. Bellerbecho parent Sanzachi, Latinè alarum ſigniferi: Sanzachis Subaſi obediunt, qui centenarias turmas ducant. Sed nemo eſt Turcarum omnium, aut Chriſtianæ profeſsionis veterum incolarum, qui vel oppida, vel arces, vel denique

pagos

pagos more Perſarum poſsideat, aut paulò munitiores domos ædificet. Vetere enim edicto cauetur, ne quis villam pinnato muro circundet, nec ædificium ſupra primam contignationem columbaria turricula altius condat. Propterea Thraces, Græci, Macedones, Myſij, Epirotæ, Illirij, cæterique populi barbarico ſubiecti iugo, neque firmis opibus valent, neque ſi Chriſtiana arma alicunde perſtrepant, ad oblatam excutiendæ ſeruitutis occaſionem ſeſe commouere poſſunt. Singulæ nanque pręfecturæ ſuos equitatus eo ordine in æſtiuis atque hybernis pagatim diſpoſitos continent, vt vbique contra vim ſubitumque tumultum parati, inſtructique armis, prȩſtò adſint aduerſus exarmatos et inopes, qui oppreſsi celeriter teterrimi ſupplicij pœnam ſubeant. Reliquus equitatus conſtat ex prætorianis alis, quæ nobilitate ac eximio cultu omnium lectiſsimæ atque ornatiſsimæ ſunt. Eæ diſtinguuntur ordinibus, atque ſtipendijs.

Sed Spachi Oglanij, dignitate cęteros antecellunt, quòd ab imperatore filij appellentur. Nam à pueritia ex delectibus prouinciarum adducti in regiam, & poſtquam à Chriſtiana religione defecerint, per Eunuchos literis & armis liberaliter inſtituti, quum puberes euadunt ad ſummos honores prouehuntur.

Oglanis pari propè authoritate ſuccedunt Vluphagi, Siliphtari, Caripigi, & Mutpharachæ: qui à dextra leuaque diſtinctis agminibus equitantis imperatoris latera præcingunt. Sed Mutpharachæ admirabili virtute præſtantes, toto orbe conquiſiti, ea conditione militãt, vt quos velint Deos impunè colant, prȩſentique tantùm imperatori operam nauent: qua liberalitate, atque indulgentia inuitati, nõ modò Indi, Æthiopes, & Tartari extremi gentium idola priſcæ & antiquatæ religionis, aut cæli maxima ſydera pro Dijs venerantes, ſed ex noſtro etiam orbe Chriſtiani nobilitate illuſtres in eum ordinem recipiãtur. Hos equites magna delectorum ſubſeruorum multitudo ſubſequitur, adeo ſplendide armis & equis inſtructa, vt quum dominos numero multum exuperet, ornatu etiam propè par, iuſti & fulgentis exercitus ſpeciem oſtendat. Verùm inſignia vtroſque diſtinguunt. Subſerui enim non lintheis & globoſis capitum integumentis, vt heri & Turcę reliqui, ſed puniceis pileis vtuntur, quos pro galea frontalibus puro ex auro contextis, & argenteis conis ad inſerendas criſtas eleganter exornant, quum in vniuerſum etiam veſte ſerica argenteis fibulis redimita, ſquamoſoque baltheo, & inauratis phaleris conſpicui, herilis opulentiæ ſplendorem repræſentent. Nam aulæ procerum ſplendidiſsimus quiſque nihil pretioſius in cenſu habet, nec ſibi honeſtius quicquam ducit, quàm plura ſeruitia, decore militaris formæ præſtantia, pompę modo ad decus oſtentare. In hunc ſiquidem vnum præcipuè ſumptum omnes fortunas conferunt, proptereà quòd exquiſitis epulis minimè ſtudeant, nec ſumptuoſè ædificent, neq; vllis omnino damnoſæ aleæ ludis indulgeant, quum latrunculis per otium luſiſſe, viciſſeque ad ingenij laudem, quàm ad pecuniæ quæſtum nobilius exiſtiment. Sed nihil apud Selymum duarum legionũ ex Ianizaris delectarum inuicto robore prȩſtantius atq; validius cenſetur. Inſtar enim Macedonicę phalangis omnẽ vim hoſtium facilè ſuſtinent atq; perfringunt. Has ex nouę gẽtis delectu, vti nomẽ ſonat, primus Othomannorũ Amurathes Selymi proauus inſtituit, quibus regię prętorijq; cuſtodia mandaretur. Earum ſiquidẽ noua feliciq; virtute memorabilem victoriã, cæſo ad Varnam Ladislao Polonorũ & Hungarorum rege fuerat conſecutus. Nec alia demum vi quàm Ianizarorum Mahometes Byzantium, Baiazetes Methonem expugnarunt, quum hic prone-

pos nuper inuictos antea Perſas, & equitatu planè victores horum peditum virtute profligarit. Ianizari peculiari prærogatiua, exarcolam, hoc eſt, pileum album aurea anteriore faſcia, & criſtis inſignem acinaci impenetrabilem, demiſſaque per tergum lata cauda ceruices munientem pro galea geſtant. Lunatosque item calceos cæteris vetitos induunt. Arma eorum præter ſclopettos & arcus, quibus iam multò maxima eorũ pars vtitur, ſunt haſtæ Germanicis breuiores, ferro lato, aut triangulari, aut fuſcinato, aut in romphæam adunco pręfixæ. Præter hæc gladio incuruo paruaque ſecuri, quum expedit rem gerunt. Breuiores togulas colore cyaneo, aut rubro, aut praſino ab anteriore fimbria in tergum reductas baltheis ſubcingunt, & terra marique omnium audaciſsimè & conſtantiſsimè pugnant. Ex hoc mirifico inueteratæ diſciplinæ genere, tanquam ducum & præfectorum ſeminario, plerique in alas prętorianas ad equũ reſcribuntur: alij ad ſuperiores ordines traducti ad præfecturas ſcandunt, alij nulla ferè alia quàm teſtatæ virtutis commendatione Sanzachi, & quod ſupremæ eorum fortunæ munus eſt, Bellerbechi & purpurati Baſſæ creantur. Hi numero quatuor grauiſsimarum rerum conſilijs præſunt, & per ſingulas hebdomadas quatuor cõtinuis diebus in regia coeunt: ſupplicibus libellis reſpondent, lites dirimunt ipſo imperatore ex protecta velo feneſtella cunctas controuerſias querelasque populi, & Baſſarum reſponſa intentis auribus excipiente, vt tantarum rerum iudices cenſorem pœna & pręmio cuncta expendentem adeſſe intelligant. Huius ordinis antiquior principis ſcrinio gemmaque potitur, appellaturq; Veſir, & ſcribis atque notarijs decreta dictat. His rebus confectis purpurati prandent, vniuerſoque populo, qui in curiam coierit, publicè epulum datur, ſed frugi ſanè ex oriza, & veruecina carne, paneque, & aqua limpida paratum. Interea imperator præfecto ſacrarum legum, qui eſt Cadileſcher, & Quęſtorum magiſtro, qui ęrarij rationes expendit, & Dephterder vocatur, ſedulò operam dat. Hoc perpetuo rerum ciuilium officiorumque omnium tenore, & hac incomparabili militiæ diſciplina, Selymus imperium patri & fratribus ereptum, ita ſtabiliuit & auxit, vt maioribus ſuis magnitudine animi ſuperior eſſe videatur: & quòd victor in intima Perſarum viſcera penetrarit, iam Campſonem Syriæ Ægyptique Sulthanum, Baiazeti patri ex Tarſenſi victoria formidatum, promotis ad Amanum montem copijs magnopere territet, nobisque inde minetur cladem, illaturus proculdubio longè teterrimam, niſi Chriſtiani reges maturè experrecti, tam pia, quàm neceſſaria arma ad publicæ ſalutis præſidium expediant. Ea quæ ſecuta eſt hyeme Ludouicus Gallorum rex, vt poſt bellum terra mariq; infeliciter geſtum, tandem quieti Gallię non indecora pace parta conſuleret, Mariam Britannam Henrici infenſiſsimi hoſtis ſororem in matrimonium petere conſtituit. Enimuerò quum æſtuante animo ſecum ipſe reputaret, quot incommodis acceptis, quantoque periculo bellum ſuperiore ęſtate ſubſtinuiſſet, omni ratione parandam pacem exiſtimabat, non ignarus ſi Britannum æquis oblatis conditionibus, ad amicitiam pertraxiſſet, futurum proculdubio, vt cæteris aduerſum ſe coniuratis hoſtibus, animi viresque conciderent. Quando Cæſar eo maximè tempore pecuniæ inops, cõtrà autem Hiſpanus auri tenax, & Heluetij, qui aliena tantùm pecunia bella gerere conſueuiſſent, ſi ſpes eos Britannici auri deſtitueret, poſituri continuò arma, atque omnino quieturi videbantur. Neque Henricus qui fuſo fugatoque Gallorum equitatu, duabus in continenti validiſsimis vrbibus ca-

ptis,

ptis,occiſiſoque Scotorum rege,& ad internitionem eius nobilitatis confecto bello, ſatis ſibi gloriæ ac laudis comparatū arbitrabatur,multum ab honeſtæ pacis ſtudijs abhorrebat: ob id præſertim,quod Ferdinandum ſocerum non alieno animo in Gallum eſſe perſpectum habebat,quum ab initio occupata Cantābria,Britannis ad fontem Rabidum, qui auxilia & commeatus ex propinquo poſtulabant, contra fœderis iuſiurandum in maxima gerendarum rerum opportunitate defuiſſet. Subindeque Maximilianum Sfortiam,& Heluetios in aſperis Nouarienſis belli caſibus oſtentata ſpe auxiliorum per Cardonium deſeruiſſe,ac penè prodidiſſe diceretur. Sed ingentis ſpiritus regem id maximè angebat,quod nouiſsimè dum ab ſe à Germanis & Heluetijs vno conſilio,atq; vno tēpore bellum in Gallia gereretur,Ferdinandus in tanta proferendi imperij occaſione,nec vllam oſtentatis ſaltem armis de ſe inuadendæ Aquitaniæ ſuſpicionem timentibus Gallis præbuiſſet.Heluetij quoque quod pacem ad Diuionum fœdè atque importunè in ipſa victoria pepigiſſent,ipſo indignante omnes belli cogitationes perturbarant: vtpote, qui ſi bellum in Gallia renouaretur,nec certi hoſtes, nec conſtantes ſocij futuri eſſent,quando diuendita nuper animorum ferocia auarè ac turpiter omnem priſtinæ exiſtimationis opinionem amiſiſſe cenſebantur.Hæc animo voluentē Henricum,& iam ſegnius de bello cogitantem,Marchio Rotellinus,quem Morinenſi acie captum,ac in Britanniam tranſuectum fuiſſe docuimus, prætentatis eius conſilijs ad ponendas ſimultates,& pacem eo neceſsitudinis vinculo confirmandam pertraxit; Ludouico Canoſſo Leonis legato,in eam rem peracuti ingenij ſui ſtudium, & vim omnem explicātē.Is in honore habitus,per varias ſermonum occaſiones, docebat ad felicitatem Galliæ atque Britanniæ plurimum pertinere,ſi matura ætate puella propinqui & maximi regis connubio iungeretur,ex qua ille integro adhuc vigore animi,nec effœtis corporis viribus ſibi ſucceſſorem in Gallia procrearet: pretium autem dotale apud ditiſsimum regem nihil maius futurū, quàm inſignem lectiſsimæ virginis formam,vtriuſque gentis concordiam,& in duobus regnis incomparabili commodo rerum trāquillitatem afferentem. Igitur quum Henricus vel honeſtius arma deponere, vel ſororem ſplendidius collocare non poſſet,per legatos de ſponſalibus actum.Ludouicus quoque Senatum conſuluit,& totius regni proceres, an rectè, & ſapienter factum iri exiſtimarent,ſi vxor è Britannia peteretur.Quod poſtquam ſummo omniū conſenſu,vel aliena cum iniuria approbatum eſt,Hauardus Suffolchius regis amicitia clarus,cum ornatiſsimo Britannorum procerū comitatu,puellam in proximam continentem tranſuexit. Nec multò poſt Franciſco Delphino genero deducente,eamque iniuriam generosè diſsimulante,Ludouicum ad Beuillam obuium habuit iuuenili atq; eleganti potius, quàm graui vel regio cultu inter florentis ætatis equites exornatum.Inde verò Lutetiam Pariſiorum eſt conceſſum,vbi ſolennes nuptiæ,editis ſpectaculis,magno apparatu celebratæ ſunt. Sed rex ætate prouecta,& multùm antea neruorum doloribus laceſsitus, quū intemperantius puellaribus complexibus indulſiſſet,in febres incidit:nec multò poſt inualeſcente etiam profluuio ventris,extinctus eſt. Vir certè rei bellicæ peritiſsimus,nec ignarus artium pacis,vtpote qui ab ineunte ætate grauiſsimarum rerum experiens & miles egregius,& inſignis imperator, & rex idem apprimè bellicoſus,per aduerſos ſimul & proſperos totius vitæ ſucceſſus, ſingulari virtute arma tractarit. Eum tamen peruicacis obſtinatæque naturæ, & pro-

n l eſæuum & inexorabilem plerique exiſtimarunt, vel ob id præcipuè, quòd Ludouicum Sfortiam erepto omni ſcribendi, & quæ cuperet legendi ſolatio, ferrata in cauea omnium miſerrimum mori coegiſſet. Alij quanquam vel præcipuè militibus, ſtatis ſemper certiſque ſtipendiorum temporibus, ſumma fide ſatisfecerit, pecuniæ valde parcum, & magnopere tenacem, vſque ad illiberalitatis calumniam putauêre. Ignari prorſus quanta ſibi & prouincialibus damna intulerint principes, qui profusè temereque donando per otia pacis vanis ſumptibus paratos ad bellicas neceſsitates theſauros exhauſerint. Quibus virtutib. cæteris ætatis ſuæ regibus felicior videri poterat, niſi dum profugis ad ſe Cardinalibus per conſilij cauſam, ambitioſius fauere contendit, veluti ſpreta religione florentem imperij ſui ſtatum maximis periculis obieciſſet.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XV.

LVDOVICO vita functo, Franciſcus eius gener è regia Valeſiorum familia, maximo procerum atque omnium militum ſtudio, Britanniæ citerioris, & totius Galliæ imperium adeptus eſt. Siquidem primis ſtatim militiæ rudimentis, Cantabrio atque Britannico bello alterum & vigeſimum natus annũ, quum ſingulari decore excelſi corporis, militari comitate, atque ingenuo quodam vigore animi promptum, ſe ad arma ac ſubinde liberalem atque magnificum oſtendiſſet, breui apud exercitum atque omnes Galliæ regulos maximam gratiam compararat. Is, vt primum celeberrimo procerum conuentu ad Lutetiam Pariſiorum regali diademate accepto, atque omnibus militiæ præfectis & magiſtratibus ſacramento adactis, & regis nomen, & adminiſtrãdi imperij curam ſumpſit, ad repetendum Mediolanenſe imperium conſilia viresque conuertit. Enimuerò rex iuuenis plurimum ad recentis principatus ac totius Galliæ dignitatem pertinere arbitrabatur, neque magnitudine animi, neq; induſtria ſocero inferiorem exiſtimari: & tantas videri Gallorum copias, & ampliſsimi regni facultates, vt vel conſpirantibus cæteris regibus, non modo ſuſtinere, ſed inferre vltrò bellum, atq; id alere in aliena prouincia commodè poſſe cenſeretur: vel ob id maximè quòd paulò antè Ludouicus (quum iniuriæ atque ignominię animus impatiens, plurimum Italici belli cupidine deflagraret) omnibus propè rebus ad id comparatis, maximum eius expeditionis deſiderium reliquiſſe videbatur. His de cauſis accenſum regem, paratumque auſu & armis recentis imperij fortunam periclitari, Veneti, ac Ligures maximè opportuni huic bello, ac longè omnium terra marique potentiſsimi in Italiam euocabant, nõ dubiam expeditamque victoriam oſtendentes, quòd vno

tempore

tempore dum regij exercitus fama Heluetij ad Alpes diſtinerentur, ipſi ab diuerſis hoſtilis agri partibus ſocia arma moturi eſſent. Id quoque fiduciam addebat Gallis, quòd vetere hominum opinione vulgatum erat, externos exercitus, neque inuadere Italiam, neque Alpes alioquin imperuias poſſe facilè ſuperare, niſi diſsidentis Italiæ conſilio, ac viribus ducerentur. Venetos vna ea cura angebat, vt tot amiſſas vrbes vel periculoſo etiam remedio, à Germanis et & Hiſpanis recuperarent: ac ſubinde quod plurimùm ad dignitatem atque exiſtimationem Reipublicę pertinebat, veteres contumelias vlciſcerentur, quas pulſis ab Italia Gallis, fraudati victoriæ parte, eluſique ab Hiſpanis atque Heluetijs, cæteriſque fœderatis principibus accepiſſent. At Ligures paulò antè Octauianus Fregoſius neceſſario magis quàm honeſto cõſilio, vel inuitos in partes Gallorum traduxerat, tametſi vetere odio & recentibus factis Gallico nomini infenſi erant, quum libertatem euerſa arce recuperaſſe viderẽtur. Cauſas commutatæ voluntatis atque defectionis, plures Octauianus afferebat, quum vir alioqui integro conſtantique animo parum antiquis virtutibus ſuis reſpondiſſet: Victis enim ad Nouariã Gallis (vt ſuprà docuimus) empta à Cardonio Piſcarioque copiarum parte, qui tunc ad Placentiam ſedebant, Liguriæ principatu potitus fuerat. Id factum, victores Heluetij & Maximilianus Sfortia æquo animo ferre non poterant, quòd ille per inuidiam ab alio potius quàm ab ſe rerum omnium arbitris imperium ac leges accipiendas eſſe iudicaſſet: & Hiſpani (quod indignius erat) parum integra fide belli & prælij ſpectatores Heluetio ſanguine & ſuo ſumptu partę victoriæ commoda ſuſtuliſſent. Quamobrem Maximilianus & Sedunẽſis, ei ex occulto per Adurnios & Fliſcos bellum intulerunt: quòd Adurnij, ad quos altera principatus fortuna pertinebat, ſe his fœderis ſtaturos legibus, quibus olim Auguſtinus pater Ludouici Sfortiæ auſpicijs Genuam tenuiſſet, ſi Fregoſij pellerentur, promitterent: ipſeque Octauianus iam deſpicere Heluetiorum partes videretur, vt qui Hiſpanorum amicitia, & pontificis ſtudio ſubnixus, nullam in bellicos ſumptus pecuniam ſuppeditaret: & Fliſci quoq; propter Hieronymi fratris cædem, Fregoſijs infenſi, cum Adurnijs opes atque animos conſociaſſent. Sed aliter ac ipſi conſtituerãt vſu euenit: nam, quum Adurnij & Fliſci armatis clientibus ſuis, cum duab. Heluetiorum cohortibus media hyeme ad Genuæ mœnia duxiſſent, excitaſſentq; ad ſpem rerum nouarum omnem inferioris Liguriæ oram: Octauiano firmis præſidijs tenente vrbem, ſpe decepti, & victi aſperitate hyemis cum detrimento diſceſſerunt. Inſequenti quoque anno, adulta etiam tum hyeme, quum aperta vi, aut ampliore comparato exercitu, propter eandem hoſtium diligentiam & maximam oppugnationis difficultatem capiendę vrbis, Fortunam minimè ſibi tentandam exiſtimarent, ad dolos inſidiaſque conuerſi, vocantibus amicis per exoletam portam, quæ ab exteriore pomerio in priuatos hortos ducebat, cum armatis amplius trecentis hominibus vrbem intrarunt, & ad expugnandum prætorium conuolarunt, exiſtimantes in perpetuum debellatum fore, ſi eo impetu Octauianus atq; alij, capita factionis opprimenter. Sed tardius confecto itinere, & inalbeſcente iam cælo, dum cancellatos areæ poſtes effringere conarentur, Octauianus ad tumultum excitatus, arrepto ſcuto cum globo prętorianorum deſcendit: & patefactis foribus magna virtute irrumpere conãtes, ſuſtinuit. Ibi dum acriter pugnaret ſclopetto ictus eſt, cõſauciatus et Scipio Fliſcus, cęteri conſurgentibus vndiq; hoſtibus, clara iam in luce deprehenſi, quòd

longi,& ſpurciſsimi itineris labore exanimati erant, quod ab amicis extra noctis occaſionem auxilia deſperabant, & quod primis ſuis conatibus Fortuna defuiſſet,in fugam præcipites ſe dederunt. Hieronymus Adurnius & Scipio capti ſunt. Sinibaldus Scipionis frater totam diem apud ædituum latuit, & ſequenti nocte amicorum opera vrbe effugit. E militibus aliquot interfecti,alij ferè omnes in poteſtatem hoſtium deuenere: & in his Camillus Montanus, qui apud Maximilianum prætorij præfectus fuerat. Eum quod ab Maximiliano ſubmiſſum fuiſſe ſuſpicabantur, in arctiſsimam cuſtodiam cum Hieronymo & Scipione coniecerunt. Tanto euitato periculo, Octauianus nil ſibi amplius cunctandum exiſtimauit,quo minus cum Gallo fœdus & amicitiam occultè percuteret, tametſi Cæſari in primis,ad quem tradendi principatus iura atque auſpicia pertinebant: & Ferdinando cuius viribus ac copijs imperium obtinuerat:ac Leoni pontifici maximo,qui Fregoſiæ domus,ac eius præſertim omni tempore fautor atque amicus fuiſſet, inſignem ſe iniuriam facturum intelligebat. His autem conditionibus fœdus ictum eſt, vt Octauianus arcem traderet: ducis titulo in poſterum abſtineret: nomine regio Liguriæ præeſſet: & equitum alæ ſtipendium à rege quotannis acciperet. Federicus verò frater qui tum Salernitanus Archiepiſcopus erat, ampliſsimis in Gallia ſacerdotijs ornaretur. His itaq; ſecreto per Carolum Borbonium cum rege tranſactis ignara earum rerum ciuitate,plures menſes cum Leone & cæteris principibus, eos cunctis fictæ amicitiæ artibus,per literas ac legatum ſuum Benedictum Viualdum egregiè ludificatus,diſsimulanter egit. Sub aduentum verò Gallorum aduocato ſenatu,docuit nihil ad quietem atque opulentiam ciuitatis magis pertinere, quàm ſi ab auariſsimorum hominum amicitia diſcederēt. Heluetios enim immodicos,atq; arrogantes barbaros: et rapacem Sfortiam nõ prius cupiditati atque ſuperbiæ finem impoſituros,quàm omnem Liguriam veluti bello victam publicis,priuatiſq; opibus ſpoliaſſent: præſtare Gallorum ſocietatem ſequi,atque in tutela et fide potentiſsimi atque optimi regis,qui nouas et veteres iniurias obliuione deleuiſſet, pacatè agere,quàm inconſtantiſsimorum hominum ſtipendiarios videri. Eum regem compoſitis Hiſpaniæ,Britanniæque rebus,breui tranſcenſurum Alpes cum innumerabilibus copijs,atque omnem Italiam victricibus armis peruagaturum. Nec Leonem pontificem qui legatos in Gallia,& regis amitam Iuliani fratris vxorem domi haberet, inter diuerſos metus copias ſuas pro aliena ſalute Gallis oppoſiturum exiſtimarent: proinde ea conſilia,quæ tuta & neceſſaria eſſent,conuerſis animis ſequerentur. Regem enim non impotentem dominum, ſed ſocium atque amicum habituros,ſe verò libertati ciuium ſemper,propriæ autem dignitati atq; amplitudini ſtuduiſſe nunquam: ac tunc maximè paratum eſſe eiurare ducis ac principis nomen, decorum fortaſſe alijs,ſibi verò inuiſum & graue,quando ſi pertinacius retineretur,maximum Reipub. detrimentum eſſet allaturum. Primates,vt in mobili & factioſa ciuitate fecilè accidit,tametſi propter incertos belli euentus ſe ac fortunas ſuas in maximum diſcrimen adduci manifeſtè intelligebant, Octauiano tamen aſſenſerunt,quum perſpectis eius conſilijs diu reluctari non poſſent: quãquam Octauianus,qui cum magna laude paulò ante libertatis author fuiſſet,ob priuatas res ſuas veluti repoſito iugo,duriorem patriæ ſeruitutẽ inducere videretur. Neq; multo pòſt decretum eſt,vt præſidiũ acciperetur, modò Franciſcus neque pecunias imperaret, neque Phari arcem ab ciuibus funditùs

euerſam

euerſam inſtauraret. Interea Maximilianus Sfortia quum crebris rumoribus afferretur, maximum in Gallia exercitum comparari, & regem ipſum belli ducem ſuperatis Alpibus in Italiam primo quoque tempore deſcenſurum, commeatus, arma, equos, tormenta, atque omnis generis præſidia ſummo ſtudio parare, pecuniam ſingulis vrbibus imperare, munire arces, & Heluetios cæteroſque ſocios principes per legatos obnixè precari, ne ſe in tanto rerum diſcrimine deſerere vellent: neque exiſtimarent ſi ipſe ſemel Inſubrum imperio pelleretur, victores Gallos ac Venetos antiquis imperij finibus contentos fore: vt qui pontifici maximo præſcribere vellent, & cæteris externis gentibus Italia pulſis, omnium rerum imperium ſibi animo deſtinaſſent. Nec multò pòſt, Matthæus Sedunenſis Cardinalis, qui aduerſus Gallos implacabili ſemper odio exarſit, ac tunc maximè belli quàm pacis auidior, ad ſui atq; Heluetiæ gentis exiſtimationem decerni armis atque virtute controuerſiam volebat, cum triginta amplius Heluetiorum vexillis in Nouarienſem agrum deſcendit: ea quidem mente, vt ad pellendos Fregoſios in Liguriam duceret. quo conſilio haud dubiè imminentibus periculis occurſum foret, niſi Leo pontifex qui nunquam, vt de Octauiani, ac Federici fide dubitaret, adduci potuerat, nihil eos hoſtile molituros recepiſſet. Circumierat Sedunenſis ſuperiore anno ſingulos Heluetiorum pagos, & in Gallos, quòd ad Diuionem fidem feſelliſſent, acerbiſsimè concionatus, authoritate atque facundia, qua plurimum pollebat, vniuerſam gentem ad arma exciuerat. Qua de cauſa omnibus concilijs conuentibusque peractis, Gallos decreto publico Heluetij nominis hoſtes declararant: & vexilla ad cogendos milites, quibus Italiam tuerentur, omnibus locis propoſuerant. At Romæ Leonem pontificem perplexo animo varia conſilia agitantem, Cæſaris, Ferdinandi, Sfortiæ, Heluetiorumque legati circunſiſtebant, orabantque, vt communis ſalutis cauſa expeditis conſilijs ſibi ac fœderatis principibus opem ferre maturaret, quando iam è Pyrenæis inferioreque Germania pedeſtres copię Lugdunum perueniſſent, conuectiſq; eò tormentis & Gallico equitatu conuenire iuſſo, Franciſcus nullam profectioni moram facturus eſſe diceretur. Leo tametſi, vt erat natura miti ſedatoque ingenio, à bellis plurimum adhorrebat, & à Gallis, ſi medium ſe gerere, atque ab omni contentione abeſſe vellet, æquiſsimæ conditiones proponebantur, ſimulque ab omnibus ſuis, qui ad Gallos animos inclinarant, vt antiquum fœdus deſereret, vehementer oppugnabatur: nihilominus in fide ſibi permanendum, veteresque ſocios opportunis auxilijs iuuandos eſſe exiſtimauit, quòd Placentiam Parmamque, quas vrbes Gallus haud obſcurè repetebat, vi vel pactione dimittere, neq; ſuæ neque pontificiæ dignitatis eſſe arbitrabatur: ac magni intereſſe dijudicabat ad Florentinarum rerum quietem, ac Romani pontificis libertatem, atque amplitudinem, validiſsimam Gallorum gentem Italia prohiberi, quæ paulò antè magnitudine ſua, ſacroſancti imperij ſtatum illatis tot cladibus perturbaſſet: & præſertim ſuis ac Petri fratris conatibus, quo minus Florentiam patriam repeterent, Vitellocij bello, atque omnibus temporibus ſemper obſtitiſſet. Neque enim ſummæ potentiæ regem quieturum putabat, donec ex vſu victoriæ rebus omnibus ad arbitrium conſtitutis, quas vellet Italiæ leges impoſuiſſet.

Igitur præmiſſa pecunia, quæ Heluetijs ſtipendij nomine perſolueretur, Iulianum fratrem cum equeſtribus copijs in Galliam Ciſalpinam ab vrbe proficiſci imperat: Sedunenſem totius exercitus legatum pōtificia authoritate decernit:

& Marcum Antonium Columnam, in quo viro multa induſtriæ ac virtutis ornamenta erant, Veronam cum valida equitum ala maturare, & Cardonio Hiſpaniſque in bello Veneto ſuccedere iubet. Conſtitutum enim erat, vt Cæſar ſex millia Germanorum peditum Veronam tranſmitteret, & Cardonius inde mouens cum omnibus copijs ſuis ad Alpes proficiſceretur: Ita vt Marcus Antonius Liuiano obſiſteret, & Brixiam Veronamque defenderet: Sedunenſis autem Proſperque Columna, Iulianus, atq; Cardonius iunctis viribus Gallicum bellum adminiſtrarent. Sed Iuliano Florentiæ ſuprema valetudine tentato, Laurentius Medices Petro genitus, quem ad Lyrim naufragio perijſſe demonſtrauimus, copiarum imperium ſumpſit. Is quoq; militari indole copias Florentinorum ducendas acceperat, quum extincto Padulio, alium ducem Senatus minimè ſuffeciſſet, & tunc maximè Florentina reſpublica Mediceorum auſpicijs regeretur. Marcus quoq; Antonius ad Padum progreſſus, quum Liuianum de ſuo aduentu certiorem factum propter publicas ac priuatas ſimultates tranſmiſiſſe cum expeditis equitibus Malateſtam Baleonum, & inſidias idoneo ſibi loco diſpoſitas cognouiſſet, quadrato agmine, ac diuerſo itinere quàm conſtituerat, vt hoſtem falleret, ad amnem contendit: atque eo celeriter traiecto per Mantuanorum fines ad Cardonium profectus eſt. At Franciſcus maiore quàm vnquam antea bellico apparatu ſuperiores Galliæ reges Italiam inuaſerint, ineundum bellum exiſtimans, ingentem equitum multitudinem tota Gallia conſcripſit. Nemo enim paulò notior eques, vel ſuperiorum temporum beneficiarius fuit, qui vllum aut ætatis, aut priuatæ rei impedimentum, quominus nomen daret ſatis dignam vacationis cauſam exiſtimarit: quod facilè fiebat, quoniam Galli non modò regibus ſuis enixiſsimè parent, ſed eos vt mortalibus auguſtiores venerantur, putantque indecorum & turpe domi remanſiſſe, quum illos & bella iuſtè ſuſcipere, & certis ſemper auſpicijs ad victoriam proficiſci perſuaſum habeant. Galli quoque omnes veteri gentis inſtituto equeſtri militiæ plurimum ſtudent: qua parte virium cum propter incredibilem multitudinis conſenſum, tum propter numerum atque virtutem cæteras nationes antecellunt: ſicuti peditatu perferendis militiæ laboribus impare, nec ſatis exercitato, altera militiæ parte inglorij hoc maximè tempore iudicãtur. Cenſa ſunt circiter quatuor millia cataphractorum equitum: quorum ſinguli de more ternos vel quaternos equos trahebant. Leuis autem armaturæ ad octo millia: quibus omnibus Carolum Borbonium Boiorum & Aruernorum principem præfecit, quum eum paulò antè propter generis claritatem vſumque militiæ, magiſtrum equitum creaſſet: quem honorem, vt ſuſpectum et formidabilem regibus damnato necatoque Sancti Pauli comite, ac tum rebellantibus Galliæ regulis, Ludouicus Vndecimus aboleuerat. Pedeſtres verò copias ex eo genere hominum qui pari virtutis gloria cum Heluetijs contendere poſſe viderentur, tantas vbique terrarum, quantas nemo tempeſtate noſtra, aut rex, aut imperator vnis in caſtris habuerit ingenti mercede conduxit. Siquidem Robertus Sedanius, qui maximam in Eburonibus authoritatem obtinebat, & Carolus Geldrius Menapiorum & Sicambrorum princeps delectibus habitis, ex ea Germaniæ parte quæ flumen Rhenum, & Belgarum fines attingit, ſupra quadraginta cohortes armauerant. Quorum alter Florantium filium miſit, quem aduerſo pectore decora vulnera ad Nouariam accepiſſe memorauimus: Alter quòd diuturno & difficili bello, quod cum Cæſare ſuperio-

ribusque Germanis geſtum eſt, Gallorum auxilijs atque opibus ſubleuatus, & parem inferre gratiam, & dignam virtutis ſuæ fama operam præſtare cupiebat, ad Franciſcum in caſtra peruenit, duxitque ſecum ſummæ opinionis veteranam legionem, quam à colore vexillorum Nigram appellabant. Præcipua etenim eius virtute, quum ex fortiſsimis conſtaret, plures annos, & fines defenderat, & in re bellica maximum ſibi nomen compararat. Petrus quoque Nauarrus ſingulari ſtudio ex Aquitanis, Vaſconibus & Cantabris, atque his gentibus quæ Pyrenæos ſaltus incolunt ad viginti cohortes conſcripſit. Erant ij maxima ex parte baliſtarij & ſclopettarij, cæterùm patientiſsimum laboris, audax, expeditum atque agile militum genus, qui defendendis expugnandisque vrbibus, atque omni extraordinario belli munere cum Germanis ſtabili acie ac firmis ordinibus campeſtri pugnæ aſſueti, diuerſo virtutis genere, parem militiæ gloriam quærebant. Nauarrus etenim ad Rhauennam captus quum in Gallia cuſtodiretur, nec propter ſimultates ex infelicitate prælij conceptas, quæ ſibi cum Cardonio intercedebant, eum Ferdinandus per tot pacis occaſiones vnquam redemiſſet, dolore iniuriæ magis quàm carceris tędio ſe totum ab amicitia Hiſpani regis alienarat. Vnde mox militari ſacramento ſe abſoluit, ceſsitque vltro per publicas tabulas his Campaniæ oppidis, quibus ob nauatam egregiè operã Neapolitano bello donatus fuerat, vt liberius apud Franciſcum, qui libertatem dabat, militaret, & renunciatis antiquis muneribus recentem contumeliam vlciſceretur. Quibus de cauſis, Franciſcus quum ſolertiſsimi hominis virtutem atque conſilium probaret, eum ſua redemptum pecunia apud ſe in honore habuit, validæque parti exercitus præfecit. Tormentorum ſubinde maiorum minorumque tantam copiam, quantam duobus iuſtis exercitibus ſatis eſſe conſtaret, ad Gratianopolim atque infimas Alpes præmiſit. Fuit bigarum carrorumq; incredibilis numerus, quibus ferreæ pilę, ſulphurei pulueris vis ingens, præterea vectes, dolabræ, omniſque generis ferramenta, atque alia domandis itinerum aſperitatibus opportuna præſidia conuehebantur: totusq; is apparatus quinque millium equorum perpetuo labore trahebatur, et maiore aliquanto ſumptu quàm quiſquam crederet. Nam Galli cõſuetudine ſua non inualidos, aut quoſcunq; ſors obtulerit, ſed inſuefactos et robuſtiſsimos equos curribus ſubdunt, eosq; immenſo pretio parant, & alunt, vt ſummis eorum viribus locorum omnium difficultates mirabili etiam celeritate ſuperentur. Quinetiam tormentorum magiſtros, ac libratores propter eximiam eius artis peritiam longo vſu & maximis periculis comparatam, in ſummo honore habent, vberioreq; ſtipendio proſequuntur, magnamq; iuuenum multitudinem qui huic rei ſenioribus artem tradentibus, accuratè ſtudeant, & per gradus ordines, ac maiorum commoda mereantur, tota Gallia inſtituunt: neque virtuti vnquam locus, neq; peritis opima ſalaria liberalitate regum, aut pacis, aut belli tempore defuerunt. Quibus inſtitutis pecuniæ nunquã parcendo, quum ea parte virium magno terrori omnib. eſſent, facilè ſibi vel de fortiſſimis hoſtib. memorabiles ſæpe victorias pepererunt. Nam Hiſpani atq; Itali, cæteræquè gentes, tametſi tormenta ſumma arte atque elegantia conflare & fundere didicerint, & magnam eorum ſupellectilem inſtructam habeãt, his tamen in negotio minus feliciter vtuntur, tarditate præſertim & inertia boum, quos magnitudine impenſæ deterriti pro equis ſubſtituunt, et inſcitia atque penuria rectorũ, quando pauci qui manifeſta vitę pericula ſubire velint, niſi pro-

poſitis ingentibus præmijs, haud facilè reperiantur. Sequuta quoque eſt proficiſcentem regem certis ſub ſignis ac ducibus, valida voluntariorum peditum manus prædę auida, & cum his ad tria agreſtiũ milia purgandis & ſternendis itineribus mercede conducta. Mercatorum verò & lixarum, calonumq́ue ingens numerus, qui magnam pecoris, commeatus, rerumq; venalium copiam publico & priuato conſilio conuehebant, caſtra ſequebatur. His omnibus ad profectionẽ comparatis, Franciſcus ad Alpes duxit, ſparſitq; exercitum ad primos aditus trium ſemitarum, quà tantùm peruię ſunt Alpes, ne hoſtes certiore coniectura per diligentiſsimos etiam ſpeculatores aſſequi poſſent, quæ nam alpes, quæúe potiſsimum iuga tranſitu deſtinarẽtur. Enimuerò Heluetij in Taurinis Salaſsisq́ue aduerſas alpium radices occuparant, equitate loci plurimum et virtutis fiducia elati, vt quod magnopere cupiebant, antequã totis agminib. in patentes campos deſcenſum foret, cum primis Gallorum copijs in faucibus Italiæ prælio decertarent. Igitur cum mollioribus vſitatisq; itineribus minimè tranſeundum exiſtimaret, ad fallendos hoſtes, nouę Alpes, noua aſperioraque montium culmina, quæ nunq̃ vllis antea exercitibus patuiſſent, tentanda erãt. Alpes ſiquidem quæ Italiam à Gallis Germaniſque diſterminant, ab Arſia flumine (id è Carnicis iugis per Hyſtriæ fines Hadriaticum petit) ad vada Sabbatia Liguſtici littoris protenduntur, pluribusq; in locis, vel molliore montium natura, vel hominum ingenio patefactis itineribus ſuperantur: tametſi rerum naturæ opifex altiore conſilio denſiſsimos ſaltus, præaltos exeſoſque vertices, & abruptas vallium crepidines, in niuoſa illa atque horribili rupium mole poſuerit, queis mortales ab acceſſu terrerentur. Primę Alpes poſt Carnicas ab Ortu in Occaſum tendentibus Iuliæ occurrunt, quæ ab Taruiſio iuxta Anaxum flumen per Bellunum ac Feltrium in Noricum Auſtriamq; perducunt. Secundum eas ſunt Rhæticæ: quibus ab Tridento per montis Cremeris clementia iuga, in Vindeliciam, & loca ad Oenum amnẽ Hiſprucho oppido proxima, penetratur. His aliæ Rhæticæ ſuccedunt, quæ ab Lario lacu, Per Volturenam vallem ſupra Abduæ fontes, et Burmias aquas, celſiſsimum Aduę montis culmen habent, quod hodie Mongraium vocãt. Subijciuntur aduerſo ſtatim dorſo ab Germaniæ parte ſancti Petri vicus, & à dextris Maranum atq; Bolzanum, oppida nundinarum cõuentu nobilia. Sunt & alij quoq; aditus ſecundum Aduam montem qui ad Lepontios Rhætosq; pertinent. Eę gentes hodie Griſoni vocabulo barbaro nuncupantur, ſocietate Heluetiorum clari, & poſſeſsione ſex vallium, vt alio loco memorauimus, cum multo pecore, & lactis copia abundent, alpinarum gentium altiſsimi. Id verò inter cætera frequentiſsimum eſt iter, quod ab eodem Lario per Clauennam munitiſsimũ oppidum, et Solium Bregaliorũ ad Curiam Rhætiarũ perducit duobus tramitib. Septa ſcilicet, & Spluga, vbi Columna Iulij Cęſaris hodie videtur. Has alpes Lepõtias eſſe credimus Rheni amnis origine illuſtres. Nam Rhenus in proxima valle caput tollit, quã etiam nunc veteri nomine Lepontinã appellant. At minores Lepontiæ, quib. à Bellizona, quæ oppidũ Villitionis, vt quibuſdã videtur, antiquitus fuit, per Ticini amnis vallem Torſanũ primũ Heluetiorũ oppidũ aditur. Non magno ab his interuallo diſtant, æquitate viarum ac montiũ cęteris Alpibus leniores, niſi editiſsimũ diui Gothardi iugum, & profundiſsima vallis, quã cum tremulo ponte Infernã vocant, vno tantùm vel altero in loco maximã cum ſummo timore tranſeuntib difficultatem præberent. Patent quoque eędem Alpes ſupra

Verbanum

Verbatium lacum ad Domoſſulam oppidum, quod ipſis in faucibus & profluentis Ogoniæ ripis ædificatum, Ludouicus Sfortia patrum noſtrorum memoria, & cæde Sedunorum, & maximis operibus nobilitauit: adeunturque eo itinere Valeſij, atque Seduni, qui ſedes inter Heluetios & Allobroges tenent. Ad has ſtatim ſequuntur ſancti Bernardi alpes, quas Cæſar ſummas appellat, quondam ab tranſitu Græcorum, atque Herculis, Graiæ nuncupatæ, quæ ab Eporedia per Auguſtam Prætoriam, atque Octodurum Veragroru(m id hodie ſancti Mauritij oppidum dicitur) in Centrones Gallos, & loca Allobrogum Lemano lacu proxima, perducunt, ſuperanturq; duobus iugis, quorum alterum à dextris ſub Ocello vetere oppido montem Iouis, alterum à læua Iouettum recenti vocabulo appellant. Has rupes ignibus acetoque Annibalem perfregiſſe multi opinantur: vt apud Barrum eius itineris pagum perpetuo tanti ducis gloriæ monumento, literæ ipſis cotibus inſcriptæ ſignificant: quanquam Liuius grauiſsimus hiſtoriarum ſcriptor, de tranſitu Annibalis ambigens, non Graijs, ſed Pœninis eum traieciſſe memoriæ prodat. Ab Iouis iugo Seſithes amnis fluit, & contraria parte Rhodani fontes exiſtunt, qui mox effecto Lemano lacu, per Narbonenſem Galliam præceps in mare multis amnib. receptis euoluitur. Has Pœninæ Alpes excipiunt, propter lenitatem mitioris itineris, crebraque incolarum ædificia maximè celebres & frequentes, quarum altiſsimum cacumē hodie montem Ceniſium nuncupamus. His ab Taurino, Suſaque per Noualeſiam atque Ferreriam, & mox ſuperatis culminib. per vallem Moriennam, Vienna atque Lugdunum adeuntur: quo itinere ad delendum Longobardorum imperium in Italiam irrupit Carolus Gallorum Rex, qui poſtea ab amplitudine rerum geſtarum Magni cognomen adeptus eſt. Ab Suſa, quę olim Sebuſium fuit, iter aliud patet, quod ad Coctias Alpes pertinet, quibus mons Genebra excelſo cacumine, & duorum amnium Duriæ atque Iſaræ fontibus clarus, hodie nomen præbet. Siquidem, quum pluribus diuerſiſque itineribus per tot conualles ac varios anfractus occurrentium montium ſuperentur, in vnum tamē Genebræ dorſum omnib. pari labore euadendum, & his maximè qui è Gallia in Italiam tranſcendunt. Via militaris & conuehendis tormentorum curribus vſitata, Brigantium rectà Eburodunumque perducit, quà Carolum octauum, qui primus in Italiam currulia tormenta tranſuexit, profectum memorauimus. Sed per eaſdem Coctias alia horrenda viſu tranſituque aſpera itinera pluribus in locis patent. Illud in primis admirationis habet plurimum, quo iuxta Veſulum perpetuò ſpecu perfoſsi montis, in Salaſſos hodie penetratur. Veſulus Eridani pater nomen adhuc retinet, & ab ipſo aquarum diuortio, montium editiſsimus exiſtimatur. Coctijs Argentariæ Alpes iunguntur apud antiquos parum celebratę, quòd propter anguſtias & frequentes viarum aſperitates, ſarcinarijs iumentis, ne dum curribus vix pateant. Argentarijs vulgo in Prouinciam tranſmittunt, qui per Auenionem atq; Narbonam in Hiſpanias proficiſcuntur. Secundum eas aliæ Alpes occurrunt, quæ Maritimæ nuncupantur: & eæ ab Varro flumine duplici via initium ſumunt. Alteris per montana & colles Tendæ, anguſtis præciſiſque tramitibus in Ingaunos & Epantheros Ligures ſupra Sceuam oppidum deſcendimus: alteris ſecundum oram maritimam ab Nicæa, Monæco, Albintimilia, Albingauno, Vadis, Sauonaque Genuam Liguriæ caput peruenitur. Sed quum vnæ omnium Coctiæ & ſecundum eas Pœninæ traducendis exercitibus faciliores

viderentur,& propterea Heluetios earum quaſque fauces ab Italia firmiſsimis præſidijs obtinere iudicarent, Triuultius exploratam ab ſe diu antea noui inuſitatique tranſitus rationem,quo ignaris & inopinantibus hoſtibus copiæ ducerentur,explicauit. Egerat induſtrius ſenex Eburoduni multos menſes,poſt acceptam ad Nouariam cladem:& adhibitis locorum peritiſsimis,valles monteſque Alpium magno labore & incredibili ſtudio colluſtrarat,etiam tunc animo agitans,quibus maximè itineribus ducendus exercitus foret,ſi ab Ludouico iterum armis Italia peteretur:quando Galli,Heluetio bello,Subalpinis oppidis omnibus quę ad anguſtias clauſtraque Alpium ab Italia pertinebant,atque ipſius etiam Aſtæ Colonię,quæ omni tempore deſcendentes exercitus recepiſſet,rebuſque omnibus recreaſſet,poſſeſsione deceſsiſſent. Id iter ab Coctijs initium capiebat,mox relicto ad læuam Genebræ monte, vaſto horribilique deflexu per abruptas valles monteſque aſperos ad Argentarias extendebatur: quæ via quum ardua in primis, & inſuperabilis pluribus videretur appareretque Triuultium nimio ſtudio repetendæ patriæ euectum, ardentius atque audacius quàm rerum vſus,aut militaris diſciplina poſtularent,cunctas belli atque itineris aſperitates eſſe tentaturum, Franciſcus exercitum vllis anguſtijs minimè committendum exiſtimans, Lotrechium atque Nauarrum authoritate ingenioque præſtantes præmiſit,qui ſingulas difficultates inſpicerent,explorarentque an viribus humanis ceſſura eſſent, quæ à Triuultio proponebantur:tametſi propter egregiam fidem multis cognitam periculis,& ſingularem rerum experientiam ſumma dictis eius atque conſilijs fides inerat, & rei bellicæ gloria longè alios duces anteibat,de re tanta nihil fruſtra confirmari omnes iudicarent. Lotrechius & Nauarrus aliquot diebus in Alpibus conſumptis,& perſpectis notatiſque locorum iniquitates,regi renunciarunt,egregiè ac diligenter omnia à Triuultio fuiſſe animaduerſa,& ab ſe quoq; certis in locis nonnulla ad euincendas naturæ aſperitates remedia excogitata:eſſe tamē vbique pedeſtria conciſaque itinera,quæ niſi magno cum labore atque periculo patefieri non poſſent. Triuultius primùm ſe munitorem itineris atque agminis ducem profeſſus, per hæc,inquit, aſpera tibi rex fortiter enitendum,vt quum ænea tormenta tranſuexeris, Annibale maior appareas. Tranſmiſit ille mitioribus iugis ſine tormentis, ſine curribus, aliquāto maiore cum laude quā poſtea cum Romanis acie decertarit.Nam qui Alpes tranſcendere auſi non fuiſſent,eum poſtea victorem commiſsis æquo loco prælijs ſuperare didicerunt. Ita ſummo regis ſtudio, quum nihil laboris atque periculi milites recuſarent, à Gratianopoli Vigiliam,atque inde iunctis omnibus copijs Muram,& recto itinere Eburodunum exercitus ductus. Eburoduno profecti Borbonius atque Triuultius qui primo agmini præerant,quinque dierum commeatu prouiſo, ad ſancti Clementis atque Criſpini alpinos vicos contenderunt. Inde ſub lęuam relicto Genebra monte,Druentiam flumen exercitus vado traiecit: poſitiſque ad Gileſtram caſtris,& mox Aualtio monte ſuperato,ad ſancti Pauli rupem magno labore peruentum.Eam,quòd abrupta inacceſsibiliſque erat, incredibili celeritate ferro pandunt,tormentaque traducunt. Sequenti die in Barcelloniam vallem deſcenſum.ea ingentibus ſaxis & iniquiſsimis collibus interpoſitis impedita, magnam rerum deſperationem afferebat. Nam ligonibus dolabriſque proſcindere ſaxeos colles, exæquare crepidines,& quum nullus per derupta equorum vſus foret, ſubiectis militum humeris tormenta tranſue-

tranſuehere neceſſe erat. Interdum ea magnis funibus ad ſcopulos et ſtipites arborum circumductis, ſuſpendebantur, & verſatilibus machinis ergatarum, & troclearum artificio, de rupe ad rupem, intercedentibus profundiſsimis vallibus, cum ſumma admiratione totius exercitus trahebantur. Nonnullis etiam in locis nudarum rupium latera, vbi via deerat, ſuppoſitis tibicinibus, interiectisque longurijs muniebant, & inſuper iniectis ſtratisque virgultorum faſcibus, ceſpitibus, ac glebis penſiles vias tranſeuntibus curribus parabant. Ita mira fabrorum induſtria, & ſingulari militum labore, in Argentariã vallem cuncta exercitus impedimenta traduxerunt. Sequenti die à Larchia Ehergiaq; oppidis, in Auſturiæ vallem vniuerſum agmẽ ſe demiſit, vbi Pedeporcium montem, qui mediam vallem interſecabat, & iter reddebat iniquiſsimum, pari munitorum artificio fractis atque reuulſis immanibus petris, domuerunt & exæquarunt. Ab Pedeporcio Auennam, atque inde Sambucum, & mox ad Italiæ fauces, tribus tantùm diebus eo itinere conſumptis, incolumis exercitus peruenit: tanta quidem felicitate, vt Sedunenſis & Proſper perſpicaciſsimi alioqui homines, qui fruſtra Pœninas Coctiasque obſeruabant, in quarum culminib. Gallos equites ab rege, vt ſpeciẽ tranſituri exercitus facerent, de induſtria tranſmiſſos viderant, de tranſitu Gallorum nihil toto eo triduo cognouerint. Id verò eos fefellit, quod tormẽta, in quibus maximam victoriæ partem Gallos collocare intelligebant, nullis inuſitatis Alpibus traduci poſſe crediderant, vt qui vterentur quotidie infideli opera Alpinarum gentiũ, quæ vno conſenſu cogente natura Gallicis rebus fauebant. & permotæ Heluetiorum atq; equitum iniurijs, propenſiſsima voluntate Gallorum aduentum opperiebantur, poſtquàm Carolus Sabaudius eorum princeps Franciſci regis auunculus, ab Heluetiorũ & Sfortianorum amicitia diſceſsiſſet. Proſper ad primum tranſgreſsi hoſtis rumorem Carmagnola profectus, vbi plures dies egerat, præmiſsis Villafrancam equitibus, ad Sedunenſem pergit, qui tum Pinnaroli cum valida parte exercitus conſtiterat. Decernitur in concilio cogendos eſſe in vnũ omnes Heluetios, & ad hoſtes priuſquã ex labore ſe reficiant, properè cõtendendum. Proſper eo conſilio, vt ſequenti die equitatum in caſtra perduceret, ex colloquio diſcedit, poſtulatque cohortem vnam præſidij ſui cauſa, quam quum ab aſperis hominibus impetrare non poſſet, nihilominus de prima vigilia Villafrancam proficiſcitur. Interim Gallis, quorum vnum expeditum agmen per Agnelli collem, imprudente vel cõniuente Ioachimo anguſtiarum cuſtode, ſupra Cunium oppidum proceſſerat, per ipſos hoſtium hoſpites ſumma perfidia defertur: Proſperum Carmagnola digreſſum, Villafrancam equites præmiſiſſe: diuiſas eſſe Heluetiorum copias, & Sedunenſem Pinnaroli cum parte exercitus conſidere: proinde rei bene gerendæ occaſionem præberi, ſi ad eos opprimendos, qui nihil tale ſuſpicentur, cum valida manu equitum Villafrancam peruolarent. Galli, quum à pluribus ſimul ſpeculatoribus de eadem re vno tempore docerentur, conſilium ſtatim probant, & Paliciæ, Obegnino, Imbercurtio, Sanſerrio, Baiardoque promptiſsimis ducibus negotium committunt. Ii aſſumptis amplius mille delectis equitibus, vſi hiſdem itineris ducibus, qui rem indicarant, citato curſu quindecim milia paſſuum conficiunt: captisque in itinere hoſtium exploratoribus, Padum, quà incolæ facilem fluminis alueum monſtrarunt, vado ſuperant: & patentibus portis nullo prohibente, Villafrancam ingrediuntur. Proſper enim paulò antè per præconem pronunciari iuſſerat,

vt inſtratis equis, cibum cuncti caperent, atque omnia ad profectionem præpararent: Se etenim cùm pranſus foret, ad Heluetios eſſe progreſſurum. Quo caſu milites ſolutis ſtationib. ad colligenda vaſa in cōtubernia ſe contulerant, eo etiā maiore fiducia, ꝙ Gallos repentina iñcurſione nihil auſuros, & ſi auderēt, ſe interim Padi munimēto, dum arma expedirentur tutiſsimos fore exiſtimabant. Interim momento temporis ſors ipſa inſignem calamitatem Proſpero intulit, quæ Gallis parata erat, ſi ipſe ante vel minimo temporis ſpatio aduentum eorū præſenſiſſet. Nam Padus præruptas atque difficiles, vbi tranſierant, ripas habebat: neque Gallos qui feſsi plurimum agitatis atque anhelantibus equis aduenerant, recenti atque fortiſsimæ alæ equitum pares futuros, in tanta præſertim propinquitate caſtrorum, credēdum erat. Galli vno in impetu completis omnibus oppidi regionibus, Proſperum cæteroſque equites domi obſident. Ille quum fruſtra omnia prętentaſſet, deſperatis effugijs, hoſtes de nomine ducum ab editiore loco percunctatus, Obegnino ſe dedidit, quòd cum eo ex deditione Brixiæ, & Eberardi patrui memoria aliquæ beniuolentiæ neceſsitudines intercedebant. Interim Hieronymus Penna equitum præfectus, qui expeditius ſe ac ſuos profectioni accinxerat, per auerſam ab hoſte portam erumpendo, in proxima Heluetiorum caſtra cum parte equitum ſe proripuit. Nonnulli alij, & in his Ioannes Brachalonius ſagittariorum præfectus, vnus è tredecim, quos ex prouocatione cum tredecim Gallis pugnaſſe tradidimus, ſerò idem tētantes fruſtra illatis acceptiſque vulneribus, neceſſariam deditionem fecerunt, & præter quingentos vtriuſq; armaturę equites, Cęſar Feramuſca, Petrus Marganus, & P. Antonius Caraffa Polycaſtri comitis filius, viri illuſtres. Audiui ego poſtea Proſperum Cæſaris Feramuſcę culpa ſe tantam cladem accepiſſe ſeuerè conquerentem, quòd ille portas pręſidio tueri iuſſus, dum nihil tale timeret, imprudentiſsimè adapertas valuas ingreſſuris hoſtibus reliquiſſet. Galli collecta raptim prędа, abductiſque captiuis, maiore aliquanto celeritate quàm venerant, propter hoſtium propinquitatem traiecto rurſus Pado, in pacatum conceſſerunt. Hinc videre licuit, quantum Fortuna nimium potens humanis rebus illudat, quū puncto temporis lethali vulnere inflicto, Maximiliani partes euerterit, ac ſimul optimi ducis, qui prudentia, imperatorijſque artibus nemini inferior putabatur, obſcurata rerum antegeſtarum laude, authoritatem omnem & dignitatem fœdiſsimo caſu macularit. Quo etiam nuncio Leo pontifex, quòd ſummam ſpem in eius viri virtute collocaſſet, & mox Heluetios diſſentire inter ſe, & de pace agere cognouiſſet, eò conſternationis adductus eſt, vt deſperatis propè rebus, ac impellentibus maximè familiaribus, qui Gallicæ factionis erant, Cynthium Tyburtinum ad tractandam pacem cum mandatis ad Franciſcum tranſmiſerit. Bononiamque, quòd eo rerum motu ſeditioſis ciuium ingenijs diffideret, exulibus Bentiuolis reddere cogitarit. Ceſsiſſetq; ea vrbs vltro impotentib. dominis, niſi Iulius Medices, qui tum legatus aderat, confirmato pontifice, ſingulari conſtantia dubijs rebus occurriſſet. Vix dum oppido Galli cum captiuis exceſſerant, quum expeditæ Heluetiorum cohortes ſuperuenerunt, qui dolore ſimul atque iracundia concitati, oppidum, inuentis adhuc nonnullis equitibus qui latitabant, hoſtiliter diripuerunt. Sedunenſis vno tempore ſine duce, ſine equitatu, ſine pecunijs, vnde nutantibus Heluetijs ſtipendia ſoluerentur, quum de Franciſci aduentu certius cognoſceret, cogere exercitum, & infidæ gentis finib. excedere conſtituit: præſertim quod per Albertum

bertum Petram, & Ioannem Deſpachſium Bernenſium duces, quorum in Gallos ſemper ſingulare ſtudium extiterat, & per ipſos Allobroges ab Carolo eorum duce ſubmiſſos, ſollicitari multitudinẽ aduerſum ſe, ac deprauari non obſcurè intelligebat, Albertum Petram ſuperioribus diebus propter eandem cauſam cuſtodiæ tradiderat, moxque optimorum precibus expugnatus, vinculis exemerat. Vnde ille ex aduentu Gallorum ſpiritus ſumens, veluti iniuriam vindicaturus, quibuſcunque poterat artibus inſtitutum opus perficere conabatur. Resque eò deducta erat, vt iam nonnulli procacius ſtipendium flagitantes, in Cardinalem arma conuerterẽt, quòd pecuniæ quę ab Hiſpano rege promiſſæ, deferri in caſtra debuerant, cunctante apud Mediolanũ Didaco Aquila legato, ad conſtitutam diem non repræſentarentur. Sed Galeacius Vicecomes antiquę apud Heluetios authoritatis, & Iacobus Gambarus à pontifice cũ pecunia miſſus, interuentu meliorum hæc initia ſeditionis oppreſſerunt. Eo modo fluctuantes Heluetios Borbonius atque Triultius, quum animis ac viribus diſiunctos per partes opprimi poſſe iudicarent, vna vel altera acie facilè deleuiſſent, niſi eos Franciſcus, qui ſe abſente tentari certaminis fortunam nolèbat, ne id facerent, aut rem in aliquod pugnæ diſcrimen adducerent, multum anteà monuiſſet. Ipſe interea ſuperatis Alpibus cum tota mole copiarum in primos Italiæ campos deſcendit: luſtrauitque exercitum incredibili omnium alacritate, quòd omnia ſibi opinione hoſtium expeditiora contigiſſent. Ea die Proſperum per inſtructas acies ad ſe perductum, vt pręſentem fortunam ęquo animo toleraret, ac optimè de ſe ſperaret humaniſsimis verbis hortatus eſt, equitesque eius gratis miſſos fecit præter paucos clarioris nominis. Poſtero autem die propius hoſtes mouit caſtra, tentauitque per idoneos homines, quos Carolus Sabaudius ex Allobrogibus veteris amicitiæ iure ad Heluetios mittebat, an vllis conditionib. flecti poſſent qui pacis nomen oderant, & tunc maximè Bernenſium conatibus aduerſarentur. Sed quum omnium propè animis & certa ſpe pontificiæ pecuniæ, & Cardinalis concionibus, atque ipſo etiam inconſtantiæ pudore confirmatis, ea mens exercitus foret, vt exitiabilè bellum, quàm æquiſsimam pacem malle viderentur, Allobroges rebus infectis diſceſſerunt. Heluetij tamen duces qui ſpem pacis eo tempore minimè tollendam exiſtimabant, vt fallendo moræ ſpacium interponerent, quo ſe ab iniquiſsimis locis explicarent, paucorum dierum inducias poſtularunt, affirmantes ſe interea Vercellas eſſe conceſſuros, atque ibi libentiſsimis animis audita iterum legatione, ad frequentius concilium de pacis conditionibus relaturos. Franciſcus, tametſi bellicæ occaſionis rationem certis atque breuiſsimis rerum & temporum momentis conſtare intelligebat, nihilominus, quòd tum nihil prælij fortunæ committendum iudicaret, & bellum ſperaret ſine ſuorum vulnere ſe confecturum, inducias conceſsit: Lotrechium tamen cum valida equitum manu, qui neminem ab toto agmine diſcedere, vel impunè vagari oſtentata nonnunq̃ acie pateretur, abeuntes inſequi iuſsit. Illi ſuo more conſeruatis ordinib. quum proficiſcerentur, ſecundo die Cliuaſium nobile oppidum ex itinere petierunt, quòd oppidanos ſibi amicos fore exiſtimantes, ſeſe eorum copijs & commeatu recreare cogitabant. Verùm Cliuaſienſes, ſiue metu nè oppidum diriperetur, ſi tantam multitudinem recepiſſent, ſiue adducti Gallorum amicitia, vt qui magnopere viribus ſuis ac mœnibus confidebant, portas clauſerunt, nõnullis qui paulo ante commeatus petendi gratia ingreſsi fue-

rant, crudeliter interfectis: tanta quidem arrogantia, vt quoſdam ad colloquiũ incautè portis ſuccedentes ſagittis è muro configerent. Quibus iniurijs permoti Heluetij, prolatis continuo tormentis, & deiecta muri parte, celeriter per ruinas irrumpunt, & ſupra ſexcentos qui in armis erant vno impetu trucidant, domosque diripiunt. Nec ira perciti tectis pepercisſent, niſi Sedunenſis, Galeacio & Gambaro deprecantibus, ſimulato aduentu Gallorum, quòd fortè eorũ antecurſores in conſpectum ſe dederant, pulſari repente tympana, & ad arma cõclamari iuſsiſſet. Quo caſu quum ſeſe omnes ad propoſitum ſignum, vt in aciem prodirent, portis eiecisſent, paulo poſt & cæde oppidanorum, & multitudine prędæ, atque ipſo etiam temporis ſpacio ſedatis animis, ædificia conſeruarunt. Itaque rerum omnium abundantia recreato exercitu, è Cliuaſio Eporediam, mox Vercellas, quo in loco ne legatos audirent, vti pepigerant, exiguo tempore commorati, recta Nouariam contenderunt. At poſtquam Nouariam ventum, Heluetij qui iam animo deſciuerant, nec vllo aut loci aut temporis interuallo, quo minus ab ſeipſis, ac fœderatis regibus deficerẽt, ſanari potuerant, ſucceſsione facta miſcere cuncta ſtrepitu armorum, partium principibus maledicere, & Cardinali, ni continuò pecuniæ proferrentur, exitium comminari cœperunt. Nec in tanta rerum omnium deformitate pręſentanea remedia comparari poterant, queis furor atque impetus concitatæ multitudinis leniretur, quum vno tempore Aquila Hiſpanus, nec paratam pecuniam Mediolano tranſmitteret, nec ipſe, metu vel dolo incertũ, multis accitus literis in caſtra veniret: & magis ac magis inſtantibus etiam tum Allobrogibus, centuriones, vexilliferos & vulgus militum Albertus, atque Deſpachius ad defectionem apertiſsime ſollicitarent. Quamobrem Cardinalis, vt diſsidentis atq; infidæ multitudinis tempeſtatem effugeret, in arcem ſe recepit. Nec multo poſt Albertus atque Deſpachius ſublatis vexillis, cum amplius hominum decem milibus domum ſuperato Verbano, per Domoſſulam abierunt. Cæteri, qui vel fide præſtabant, vel propter inſigne odium aduerſus Gallos, vt tantum dedecus admitterent adduci non poterant, Ronnam et Anglardum, homines è Tigurino pago ſpectatę virtutis, duces ſibi delegerunt, apud quos decedente iam metu Cardinalis verba fecit, docuitque nihil ſalubrius exercitui accidere potuiſſe, quàm vt illi diſciplinæ & decoris patrij euerſores, qui empti pecunia cæteros deprauare, & fœdiſsima contagione inquinare conati eſſent, vt bellum pro dignitate Heluetij nominis neceſſariò ſuſceptũ impedirent, ipſis tandem caſtris Deorum munere deceſsiſſent. Nec diſceſſu eorum multum animo permouerentur, aut de victoria magnoperè dubitarent: adeſſe enim milites fide virtuteq; præſtantes, venturosque alios iubentibus oppidorum magiſtratibus, quorum viribus ſuſtinere Gallorum vim facilè poſsint, modò conſentiant, & ſecum optima ratione gerere bellum velint. Eſſe ad vtranque Padi ripam cum duobus exercitibus Laurentium Medicem, Raimundumq; Cardonium paratos iungere ſocia arma, & bellum communi conſilio adminiſtrare, ſi propius accedere Heluetias legiones audierint: proinde videri ſibi facile atque optimum factu fore, ſi motis caſtris continuò Ticinum amicam vrbem, & rerum omnium copia abundantem, paruo itineris flexu contenderent: atque inde Laudem Pompeiam ad ſociales exercitus progrederentur: vel eos, ſi ita oporteret, mutua ſecuritate venientes exciperent. Vnam eam ſupereſſe ſpem & certiſsimam vincendi rationem, quando eo breui expeditoq; itinere facilè iuncturi in vnum vires, ac

res, ac

res, ac ſimul Venetos qui iam perueniſſent in Cremenſem agrum, à Gallis interclusuri eſſent. Sed cum Ronna & Anglardus impetu ac libidine militum regerentur magis quàm alijs imperarent, & plures Mediolanum rerum caput petendum, eamque vrbem incredibili copia commeatus natura ac munitione loci, armorum apparatu, & egregijs ciuium ſtudijs maximè opportunam belli ſedem deligendam dicerent, nec ſaluberrima Cardinalis conſilia ſanis auribus acciperentur, alijs alia volentibus, rem ipſam ad ſeditionem penè deduxerunt. Fit enim ſæpenumero ſuperbia atque æmulatione communi vitio ducum, vt plerique in ipſis conſilijs ea maximè nolint, quæ alios ſummis etiam rationib. velle cognouerint, vltroque aſpera & duriora ſubeant, ne aliena conſilia ſequi videantur. Erant enim multi adhuc in exercitu Gallicę factionis: qui ſicuti Cardinalem ducem, vultumq; eius & ſingularem induſtriam horrebant, ita ex occulto turbare omnia, atque omnem eius authoritatem conuellere conabantur. At Cardinalis, qui arrogantiæ ducum, & leuitati multitudinis reſiſtere ſe non poſſe ſine maximo vitæ diſcrimine prouidebat, cum fida magis quàm valida Heluetiorum manu, Ticinum atq; inde Placentiam, vt cunctantes exercitus ad capeſſendum bellum hortaretur, profectus eſt. Galeacius verò Vicecomes & Gambarus, qui & præſenti pontificis pecunia, quæ iam adducta erat, & ſpe maioris ſummæ, & frequentiſsimis concionibus vt optimos in officio continerent, & cæterorum mentes ſanarent, plurimum contendebant, in caſtris remanſerunt: eo quidem animo, vt ſi quid durius ſibi accideret, id quam æquiſsimè perferret: ne Heluetij qui aliquo adhuc pudore & infamię metu tenebantur, relictos ſe deſperatis rebus, atque deſertos dicerent: ob idque exoptatam diſcedendi occaſionem arripere poſſe viderentur. Cardinale Nouaria profecto, Ronna & Anglardus motis caſtris iuxta Verbanū lacum iter facere cœperunt: ac ſimul eodem tempore, Galli, quibus omnia tanquam victoribus ceſſerant, Nouariam aduolarunt. Octauianus enim Fregoſius paulò antè, quum ad ſe per maritimas Alpes Emarus Prieus cum equitibus Gallis perueniſſet, ipſeque ſupra quatuor millia Ligurum armaſſet, Alexandria, Derthona, multiſq; oppidis Sfortianos adiuuantibus Guelphis expulerat. Cæterùm Franciſcus dedentib. ſeſe Nouarienſibus, arcem primo aduentu obtinere non potuit, quanquam nec à forti cuſtode, nec ſatis firmo præſidio teneretur. Enimuerò latiſsimis circum foſsis, & pręalto vndique muro cinctam, omnem oppugnationis impetum toleraturam apparebat. Verùm Frãciſcus, qui hoſtile quicquam aut inuictum in tergo relinquere, neque validiſsimi exercitus neque ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, Nauarrro, qui oppugnaret negotium dedit. Ille noui decoris cupidus, ſubuectis continuò tormentis, conſtitutiſq; operibus, tanta vi oppugnare adortus eſt, vt paucis horis & ſumma murorum, & celſiora propugnacula, labefactis etiam turrib. cum ingenti ruinæ fragore deiecerit. Quo terrore adductus imbellis præfectus, ſeſe atque arcem cum præſidio dedidit. Interea Heluetij, qui Ronnam & Anglardum ſequebantur, Vareſium peruenerunt, atque inde cùm toto eo itinere de fœderatis principibus oblocuti Gambaro põtificiam pecuniam ademiſſent, ac tunc maximè, quòd Albertus Petra atque Deſpachius feciſſent, ſe facturos minarentur, Galaratum propè omnes contenderunt: quò iam venerant Carolus Sabaudius, Lotrechius, & complures togati viri, vt iterum de pace agerent conditioneſque conſcriberent. Adeo incertis animis leuis & factioſa multitudo huc atque illuc, modo ſpe auri, mo-

dò decoris & gloriæ cupidine ferebatur, vt cum eadem vtrique promitterent vno tempore inſtabiles ſimul eos ac conſtantiſsimos exiſtimares. Galeacius & Gambarus in ea rerum perturbatione, quum fidiſsimos quoſque militum & duces adirent, ac obteſtando orandoque deprecarentur, ne turbidos ac deprauatos ſequi vellent, ne ſocios principes prodere, ne tantã publico nomini Heluetio ignominiam conflare, tantumq; Gallis hoſtibus afferre beneficium properarent. Duces ſeſe ea ratione ad Gallos proficiſci reſpondebãt, vt agendo interpellandoque omnem perficiendi negotij rationem euerterent, & diductis perſuaſiſque militibus, ab Gallorum amicitia omnium animos alienarent. Sed longè aliter euenit. Nam primis ſtatim congreſsibus et pacis leges dederunt, et nonnulli, qui ordines ducebant, pecuniam acceperunt, & ſe perpetuos Gallorum ſocios fore, ſi Franciſcus ea rata ac firma haberet, quæ legati pepigiſſent, iureiurando confirmarunt. Poſtulabant vt ſibi pro munere præſentis pacis, & ex fœdere, quod ad Diuionum cum Tramulio percuſsiſſent, ſeptingenta milia aureorum nummûm tribus penſionibus ſoluerentur. Aliaque præterea multa arroganter ac ſuperbè admodum petebant, vt ad lacerandam omnem Gallorum exiſtimationem, potentiſsimum regem tributarium, & Galliam vectigalem facere viderentur. Quibus omnibus poſtulatis, Galli ſubſcribendum putarunt, quòd neque pecunijs parſuri, neq; aliquid ex iniquiſsimis etiam conditionibus detrectaturi erant, modo bellum ſine ſuo atq; hoſtium cruore conficerent: & ſibi tandem indomitam gentem tractantem continuè arma, & Inſubrum ceruicibus imminentem, fœderis ac firmiſsimæ pacis vinculo ſociarẽt. Sunt qui Heluetios arbitrentur, peruicacib. animis occaſionem prælij circumſpectãtes, callidè ac ſimulanter de fœdere cum Gallis egiſſe, vt ſpecie pacis propoſita, clariſsimos viros cum ala Gallorum equitum circumuenirent & opprimerent, regiamque pecuniam, quæ ad condictam diem è caſtris adferebatur, interciperent: quod fortaſſe pro falſo relinquendum putaremus, niſi qui talia memoriæ produnt, intima hominum conſilia non facile coniecturis, ſed ipſis rerum ſucceſsibus metirentur. Sed dum Heluetij ad Galaratum rebus compoſitis de pace conditionibusque deliberant, Roſtius ſummæ apud Heluetios authoritatis atq; amplitudinis, cum viginti cohortibus à Belizzona ſuperuenit. Cuius viri aduentu commutatis multorũ voluntatibus, ac pluribus metu conſternatis, qui Gallos oderant, ſpem omnem initæ iam pacis corruperunt. Roſtium enim paulo ante XII pagorum principes ad famam diſsidentis exercitus, quòd ſummum Tigurino in pago magiſtratum gerebat, & cæteris ducib. ſicuti ętate, ita bellicarum rerum peritia pręſtare dicebatur, omnibus ſuffragijs totius gentis Imperatorem declarant. Is vt ſeditioſorum conatus effringeret, et pręſentibus malis mederetur, caſtigando, adhortando, terrendoque omnibus conſilij modis, & pręſenti quoque ſeueritate non deerat. Ergo pudore ac metu conuerſis omnium animis, cum pro pace bellum armaq; depoſcerent, Roſtius Gambaro pecuniam reddit: milites ſacramentum apud ſe dicere iubet: & quũ opportunè etiam Aquila Hiſpanus, cum pecunia ſuperueniſſet, perſoluto omnibus ſtipendio, motiſque eo die caſtris vt Mediolanum rectà duceret, per Comenſem agrum Modoetiam contendit. Interea Sedunenſis apud Placentiam quum de Roſtij aduentu cognouiſſet, vt qui propè euerſis ac deſperatis rebus noua ſpe auctus nihil amplius de belli euentu timere videbatur, adhortari pontificios duces cœpit, vt Padum tranſirent, & ſecum ad victoriam proficiſcerentur. Si-

tur. Simili quoque ratione Cardonium, qui ad confluentes Padi atque Abduę caſtra poſuerat, obſecrare atq; obteſtari, maturaret Laudem proficiſci, ac vires ſuas cum pontificijs Heluetijsque coniungere properaret. Præberi à Dijs immortalibus pulcherrimam incomparabilis victoriæ occaſionem: qua ſi Rhauennatis cladis memoriam retineret, & quales rerum exitus in Italia, vincente Gallo futuri eſſent, animo metiretur, proprio decori ac laudi deſiderio ſui regis, totiusq; exercitus exiſtimationi ac glorię ſatisfacere poſſet. Ille quum ſe neque voluntate, neque conſilio, neque viribus fœderatis principibus defuturũ, & ad præſtitutã diem vniuerſas copias adducturum in Laudenſium fines profiteretur, Sedunenſis nihil cunctandum ratus, à Goro Piſtorienſe procuratore pontificis ſeptem vtriuſq; armaturæ equitum turmas præſidij ſui cauſa accipit: & traiecto Pado Laudem contendit. Duces erant Mutius Columna, Ludouicus Pitiliani filius, Guido Rangonus, Nicolaus Balneus. Raynerius Saxetanus, Ludouicus Firmanus, & Rainaldus Ticinenſis, qui magnum in re militari vſum habebant. Sed quum Laudem perueniſſent & Cardonius, vt conſtitutum erat, ad iungendas vires minimè proceſsiſſet, quòd Heluetios de pace agere, & Gallos, qui iam in Mediolanenſem agrum peruenerant paucarũ horarum itinere à Laude abeſſe cognouerat, Sedunenſis ira ſimul ac timore perculſus, vt ad Heluetios celerrimè ſe cõferret, Laude exceſsit. Quo caſu, nonnulli equites, quorũ duces erant Rangonus, Raynerius, atq; Firmanus, ſiue metu ſiue alio honeſtiore conſilio, vt poſtea perfecto bello cognitum eſt, ſe vlterius progreſſuros negauerunt. neq; quum Cardinalis ne tantũ flagitij admitterent, ne ſe in tanta propinquitate caſtrorum infenſiſsimis hoſtibus proderent, obnixè deprecaretur, & poſtremò iure legationis atq; imperij iuberet, minasq; adderet, quin Placentiam redirent, flecti potuerunt. Mutius & cęteri, qui periculoſum cõſilium, quòd laudem & gloriam, quàm tutum quod ignominiam afferre poſſet, ſequi malebant, Sedunenſem ſecuti, Modoetiam ad Heluetios peruenerunt. At Franciſcus, tametſi ſpem pacis, nullo induſtriæ vel liberalitatis officio intermiſſo, minimè ſibi abijciẽdam exiſtimabat, tñ ne aliquod interea per incuriam incommodũ acciperetur, quòd dimiſſa ſpe belli plerunq; langueſcere ducum animi, & milites mentione pacis negligentiores fieri conſueuerint, è Ticinenſi in Laudenſem agrum deflexit, medióq; itinere ſecundum publicam viam Mediolanũ inter ac Melegnanum oppidum, quod Lambro amne alluitur, caſtra conſtituit, ipſo rerum ordine, atque amplitudine copiarũ admirabiliora, maioraq; quàm quiſquã ætate noſtra conſpexerit. Id pluribus de cauſis fecit, vt ab inani ac peruaſtato agro in fertiliſsimas atq; intactas Mediolanẽſium poſſeſsiones tranſiret, ac ſimul Hiſpanos ac põtificios ab Heluetijs intercluſos, ſummo diſcrimine propoſito, tranſitu prohiberet: Liuianumq; cum copijs aduentantem ipſa caſtrorũ propinquitate firmiorẽ redderet, & ab imminẽte Cardonio tueretur. Quo vno cõſilio Franciſcus maximũ omnib. rebus ſuis, & ſummę demum victorię momentũ attulit. His de cauſis Cardonius magnopere timens, nè ſubito Liuiani Gallorumq; aduentu in patentib. campis opprimeretur, ad Padum retroceſsit, et põte, quem antea nauibus conſtituerat, cuiq; Ioannem Dorbinum ad tutelam cum cohorte et tormentis præfecerat, amnem contra Placentiam traiecit. Erat Placentiæ Laurentius Medices cum cohortibus quatuordecim Italici generis, & tribus millibus equitũ. Cardonio autem aderant octingẽti cataphracti, et leuis armaturę equites mille, cum legione vna veterana, cuius ſinguli milites fortibus factis clari & præda diuites, tum ſpectata

virtute tum ſplendido armorum cultu, centurionibus ſuis, ac ducibus ęquaba-
tur. Iunctis eo modo duobus exercitibus, quum & tutò tranſmitti Padus & ad
Heluetios facilè perueniri poſſe omnium opinione cõfirmaretur, appareretq;
Laurentio atq; Cardonio, ſi progrederentur, vel ingentis victoriæ, vel eximiæ
laudis occaſionem eſſe propoſitam, in conſilium adhibitis militum præfectis
deſcendunt. Adducuntur vtrinq; aliqua in excuſationem, quòd non adhibita
maiore diligentia & celeritate ſeſe cum Heluetijs ab initio coniunxiſſent, cuius
rei culpa, & cunctatione ducum potius q̃ anguſtia temporis aut itinerum dif-
ficultate, nonnullę occaſiones prętermiſſę videbantur: Heluetios tñ omnes in-
cuſare, quòd ignaris fœderatorũ exercitibus cum communi hoſte de pace pri-
uatim egerint, vel id ſe facturos fideli quãtumlibet conſilio ſimularint, quando
eius facti ſiniſtra fama periculoſoq; rumore, territis iam omnium mentib. gra-
uiſsimi belli metum inieciſſent: paratos tñ ſeſe Hiſpani æquè ac pontificij pro-
fitentur tranſire amnẽ: et ſi res poſcat, nullam vel iniquã certaminis conditionẽ
detrectare, modò ex fide egregiaque omnium voluntate bellum geratur. Sed
quum inter ſe verbis tantùm agerent, re vera autem alter alterius voluntati ma
gnopere diffideret, qui nam primùm caſtra flumen traducere vellet, reperiri
non poterat. Laurentius tametſi quę partes officij ſui ac dignitatis eſſent, et quę
mens, quęue cõſilia patrui pontificis forẽt, memoria retinebat, in difficili tñ ne-
gotio aliter ſibi conſulendũ arbitrabatur: vtpote qui Ferdinandum regẽ exem-
plo ſuperiorũ temporũ cum Gallo clandeſtinis conſilijs cõſenſiſſe credebat: &
proinde Cardoniũ, qui paulò antè ad Heluetios deflectere noluiſſet, nihil egre
gium pro alieno cõmodo facturũ putaret. Ex aduerſo quoq; graui ſuſpenſus cu
ra verebatur, ne Heluetij, qui fluctuãdo diſcrepandoq; plurima defectionis ſi-
gna prębuiſſent, in medio ardore belli lethale aliquod vulnus fœderatis infer-
rent. Cardonius quoq; eadem de Laurentio ſuſpicari, & maximè ab omnibus
perfidiam timere, ꝙ audiret ab eo nuncios clam ad regẽ in caſtra tranſmiſſos, &
legatum pontificis Ludouicũ Canoſium Tricaricenſem epiſcopũ, qui regijs in
caſtris remanſiſſet, de cõpoſitione agere, conſtantiſsimeq; polliceri pontificias
copias nihil interea Gallis eſſe nocituras. Et fortè (quod eius rei ſuſpicionẽ adau
xit) paulò ante Hiſpani equites Cynthium Tyburtẽ è regijs caſtris redeuntẽ in-
terceperant, quẽ ad componendas res à põtifice tranſmiſſum docuimus. Quib.
de cauſis facilè fiebat, vt vterq; cautius atq; ſuſpẽſius ſibi agendũ iudicaret. Car-
donius, ne vel minimo accepto incommodo, Neapolitanũ regnum, ac ſalutem
ſuam, quę incolumi exercitu nullũ diſcrimen ſubire poterat, pręlij & Fortunæ
caſibus obiectaret: Laurentius, ne potentiſsimũ hoſtẽ, quem nunq̃ oppugnan
dum cẽſuiſſet, in ipſo victorię curſu, vana atq; intempeſtiua offenſione laceſſe-
re atq; irritare videretur, à quo, ſi in citeriore Padi ripa ſubſiſteret, ęquiores cõ-
ditiones expectãdas eſſe putabat, q̃ ab Heluetijs, ſi pari etiã periculo iunctis vi-
ribus victoria potiretur: ꝙ intelligeret eos, ſi victores euaderent, Parmam atq;
Placentiam, ſicuti inſolenter paulò antè poſtulaſſent, cõtinuo armis eſſe repeti
turos. Ita quum malis artib. omnes bellum adminiſtrarẽt, cuncta facilia atq; ex-
pedita ad victoriã Gallo prębuerunt. Paulò poſt tñ ſiue aliqua ſimulatione, ſi-
ue commutatis ratione voluntatibus, ad ſpem imminẽtis victoriæ conuerſi, ꝙ
precibus Maximiliani, & Sedunenſis obteſtationibus, Heluetiorumq; omniũ
hortatu, quotidie per nuncios ac literas euocarentur, Padum tranſire cœperũt.
Cardonius vt qui amni proximior erat, primus in aduerſam ripã tetendit. Lau
rentius ꝙ parum lucis ſupererat, edixit, vt de quarta vigilia omnes copiæ ad ri-
pam con-

pam conuenirent,atq; inalbeſcente cęlo traijcerent.Sed fortè accidit,vt eo tempore Hiſpani equites,quos ſpeculatum miſſos Cardonius excurrere iuſſerat in Borbonij turmã per eandem cauſam prędandi explorandiq; per agros vagantem inciderẽt:commiſſoq; certamine Gallorũ præfectũ cum pluribus equitib. captum in caſtra perducerent:à quibus cognitũ eſt,regem Laudenſi via munitis caſtris cõſediſſe:Liuianũ cum exercitu ad Abduam progreſſum: Heluetios accepta pecunia,vltro citroq; miſsis de pace oratoribus,ſequenti die conditionib.ſubſcripturos,& validam Gallorũ ac Germanorũ manum Palicia duce caſtris digreſſam,Circumpadanis campis appropinquare. Quibus vulgatis ſermonibus,Hiſpani qui ſumma alacritate paulò ante tranſierãt,inordinati ac tumultuãtes,non expectato imperio,repẽte collectis vaſis pontẽ conſcenderunt: neq; prius feſtinandi traijciendiq; finis factus eſt, tametſi Piſcarius increpando componere ordines conaretur,ꝙ in aduerſam ripam priuſq̃ pontificij Placentia egrederẽtur, vniuerſi conſtiterunt.Ita vana ſuſpicio à falſo timore nata,quũ Dij ac fortuna manifeſtè à Gallis ſtarent, ſupremos hæſitantiũ conatus,& ſera conſilia diſcuſsit atq; perfregit.At cardinalis & Roſtius ad Modoetiã,dimiſsis ab ſe regijs araldis,qui ad tractandas pacis conditiones aduenerant, Mediolanum cum omnibus copijs conceſſerunt.Heluetij pedites priuatis ciuium hoſpitijs ſuſcepti ſunt:equitib. verò ſuburbana ędificia,quæ ad Romanã portam vergunt,data.Ibi agebantur ſtationes,et crebrò equeſtria pręlia committebantur, quod Galli è caſtris ad portam vſq;,& pontificij è ſtationib. in proximos campos & circumiectas villas quotidiana conſuetudine prouehebãtur. Venerat etiam paulò antè ad Ticinenſem portam Triuultius cum modica militum manu,vt colloquium poſtularet, ciueſq; ad deditionem hortaretur. Sed illorũ animis nequicq̃ tentatis, ſubita armatæ plebis procella,quæ ex improuiſo fecerat eruptionem,non ſine ſalutis periculo repulſus,in tutum ſe receperat. Coactis Mediolani omnibus copijs Maximilianus & Sedunenſis duces legatoſq; in arcem vocãt,& conſilio adhibent.Quum de toto belli genere deliberaretur, plurib. ad victoriã conducere viſum,ſi non prius acie decertarent,ꝙ aut ſe cum pontificijs Hiſpaniſq; iunxiſſent,aut Gallum confiſum munitionib.ſuis, in æquiores campos,aliqua neceſsitate impoſita perduxiſſent:ſiquidem Heluetios alterutrum facilè conſecuturos apparebat,ſi caſtra Binaſcum vſq; Ticinenſi via promouerentur.Cuius rei conſiliũ duabus rationib.explicabatur.Nam ſi Franciſcus ad motũ hoſtium pertinacius munitiſsimo in loco ſibi perſiſtendum eſſe cenſeret,facilè à Binaſco per ſancti Angeli oppidum,atq; agrum omni cõmeatu abundantẽ,ſe ad Padũ peruẽturos iudicabant,vbi pontib. antea conſtitutis, ſociorũ exercitus cum ſumma ſpe victoriæ iungerentur:ſin Gallus præmetuẽs ne Papia vrbe ſimul ac lapideo ponte Ticini amnis,quo in loco præſidium mediocre reliquerat,intercluderetur, Ticinum contenderet: eo caſu,aut in itinere æquiore conditione, pugnaturos, aut à læua continuò deflexuros Laudem Pompeiam: indeque accitis ac receptis in caſtra Laurentio atque Cardonio, futurum eſſe,vt Liuianum à propoſito itinere ſtatim auerterent, & ſpem Gallis comminuerent, quam illi de victoria maximam ex rerum ſucceſſu concepiſſent. Hæc quum prolatis in medium membranis, quibus menſuræ itinerum & regionis ſitus pictura deſcribebantur, vt agreſti ingenio homines certius deliberata cognoſcerent,nonnulli duces, qui vetere iudicio ſuo vel recenti pecunia adducti, apud Galaratum pacis conditiones acceperant, diſſen-

tiendo,& vanas difficultates immiſcendo, conſideratius maturiusq́; ea exploranda dicerent,totam ſaluberrimi conſilij rationem corruperunt. Quibus de cauſis Sedunenſis,ne fidelium animi interpoſita mora langueſcerent,& ſtudia incertæ multitudinis in perfidiã verterentur,eò omnes cunctis artibus vt quãprimum cum hoſte confligerent,deducendos eſſe exiſtimauit:ratus ſe aut egregiam relaturum victoriam,aut ſi Heluetij aliquam ex infelicitate prælij calamitatem accepiſſent,Gallorum genti cum vniuerſis Heluetijs inexpiabiles inimicitias,atque immortale odium cõflaturum.Ergo cum ſigniferis & fideliſsimis Pagorum principibus communicato conſilio, Mutium Columnam ſecreto admonet,vt ex compoſito quum ſignum acceperit,ad arma cõclamari iubeat: ac veluti hoſtes iuſto exercitu ſuburbanis ædificijs appropinquarent, cum equitatu procurrat, & quanta maximè poſsit timoris atq; periculi ſimulatione, ab Heluetijs auxilium imploret. Idem vt faciant primis cohortibus imperat, quæ virtute militari atque odio in Gallos inſignes, in ipſis ſemper principijs proxima hoſtib. loca ſibi depopoſcerant. Itaquum pranſi milites meridiatum irent,et ab ducibus in arce de belli ratione diſputaretur,ſubito ab Romana porta tubæ & tympana concrepuerunt,ac mox de aduentu hoſtium increbreſcente rumore,aliæ poſt alias cohortes,quum primæ ſequentibus cauſam tumultus per manus traderent,atque omnes arma caperent,incredibili pugnandi ardore portis ſe effuderunt.Nec mora,etiam ambiguæ fidei legiones ſublatis vexillis ſubſecutæ,ne primos in eo tumultu,quod publicam ſalutem atque exiſtimationem reſpiciebat,deſerere,aut aliter de belli cauſa ſentire viderentur, confertiſsimis agminibus ad portam contenderunt.Cardinalis galero & purpura inſignis, prælata cruce, incedentium ordines militari equo præteruectus,vt ad ſigniferos centurionesq́ue vel ad notos claris facinoribus milites peruenerat, adhortando accendendoq́; vt properarent,teſtabatur ſibi à Deo Maximo,Diuisque immortalibus promitti eius diei victoriam, qua non ſolum vniuerſam totius Galliæ nobilitatem adoleſcentis regis auſpicijs inter duos hoſtiles exercitus deductam,egregie pugnando deleturi eſſent,ſed contuſis Venetorum & Ligurum viribus propria virtute felicitateque,toti Italiæ leges eſſent impoſituri:neq; Germanos mercenarios milites, quod roboris apud regem eſſet,quos tamen ſæpius acie deuiciſſent, tam auerſos à Cæſare, vel tam prodigæ virtutis fore, vt eos contra totius Germaniæ decus pro Gallis,qui veri hoſtes eſſent,pugnaturos exiſtimarent.Neque Vaſcones fugaciſsimum genus:vel equites illos ſerico,torquibusq́ue fulgentes,qui aliquantum plus præſidij in equis atq; calcaribus, quàm in gladijs atque virtute reponere conſueuiſſent, aut fortius, aut cõſtantius quàm anteà fecerint, in acie dimicaturos arbitrarentur.Quod verò laboris atq; periculi relinqueretur,id totum occupandis hoſtium tormentis ingenti animo ſubeundum. Vbi ſi qui fortè cecidiſſent, eorum animas à ſe pontificia authoritate ab omni labe criminis expiatas, relicta in terris egregiæ virtutis memoria,in cœlum protinus euolaturas conſtantiſsimè exiſtimarent.

Talia paſsim commemorantem,progreſſumque ad primas legiones, quæ iam in patentem viam venerant, Galeacius Vicecomes, Ioannes Gonzaga, Gambarus atque Aquila legati, ſecuti ſunt ; adiunxereque ſe exeuntibus Heluetijs nonnulli equites ex his familijs,quæ vetere beneuolentia Sfortianum nomen colebant. Ex plebeis quoque ſicarijsque hominibus aliquot armatorum manipuli prætereunti turbæ ſeſe vltro admiſcuerunt. Vixdum Mediolano tria millia paſſuum progreſsi erant, nec minus triginta inde ſtadijs Gallo-

rum

rum caſtra aberant, quum falcones quos numero decem ſecum adduxerant, diſplodere cœperunt. Quæ res equitibus Italis magnam ſollicitudinem atq; admirationem attulit. Mutius enim ad duces primi agminis mutata facie prouectus, interrogare cœpit: Quánam inſania viri in re bellica principes, diſciplinæque magiſtri, intempeſtiuis tormentorum boatibus hoſtes excitare contenderent, quos imparatos ac nihil de prælio cogitantes, inuadendos eſſe cenſuiſſent. Cui ab primis ordinibus alacriter reſpondebatur, ſatis ex diſciplina cum armato etiam inſtructoque eo hoſte ſe pugnaturos, ſi ſuſpectæ fidei commilitones, atque omnium pagorum vexilla vno conſilio ſecum in aciem deſcendiſſent. Quod fieri poſſe confiderent, ſi ea ſimulatione certiora contracti certaminis ſigna ad ſequentium ſociorum aures perueniſſent. Quorum virtutem inſami pretio victam, ſi iam nulla omnino periclitantis publicę dignitatis verecundia foret, cadentium ſaltem præ oculis affinium gemitus, militaris ſacramenti religio, & futuri mox in patria aduerſus deſertores iudicij metus, excitare, atq; accendere poſſe viderentur. Tanta enim arrogantibus animis virtutis fiducia inerat, vt maximas ac validiſsimas hoſtium copias ſumma contemptione deſpicerent, neque vllam tormentorum copiam, aut vllas loci munitiones, quo minus in caſtra vincendo perrumperent, impetum ſuorum moraturas arbitrarentur. Erant ante alios viri fortes, ſed barbaræ veſanęque virtutis Pelegrinus Landebergius, Centius Amcrer, & Rodulphus Longus, qui tres voluntarias cohortes pugnaciſsimorum hominum in fronte conſtitutas habebãt. Ii quum in conſpectum hoſtium deueniſſent, tanto dimicandi ardore protinus exarſerunt, vt ab cæteris ducibus, qui ſaniore conſilio ſiſtenda ſigna, locum caſtris capiendum, & reficiendos ab labore viæ milites iubebant, quin pleno paſſu ad hoſtem contenderent, retineri nequiuerint. Borbonius atque Triuultius ad diui Iuliani templum, quod modico in pago eſt, caſtrorum principia habebant, viamq; publicam præruptis vndiq; foſsis, & de more regionis aggerib. communitam, non temere ad ſiniſtrã inſederant. Secundum eos rex ipſe, & poſt eũ Helanconius regulus, ad quem iure ſanguinis, ſi Franciſcus vita exceſsiſſet, regnũ Gallię pertinebat, mediam poſtremamq; aciem modico interuallo inter ſe abiunctas collocarant. Ita tripartitò caſtrametati, vt tres iuſti exercitus ſibi inuicem, quũ caſus poſceret, commodius atq; expeditius auxilio forẽt, lato ac munitiſsimo loco continebantur. Nam in circuitu frequentes erant foſſę, ſtudio agricolarũ ad irrigãdos agros perductę, nouaſq;, vt vſus ferebat, opportunis in locis Nauarrus munitiones addiderat, oppoſueratq; hoſti ingẽtia ſcuta defixa ſolo, & craſsis funib. conueſtita, vt his protecti Vaſcones, tutius et certius in hoſtes ſagittarent. Hanc ſtatim caſtrorũ formam lociq; naturã, Mutius et nonnulli duces Heluetij ſpeculandi gratia in editiorẽ aggeris partem equis prouecti animaduerterant, ſubindeq; notauerant, ad dextrã locum caſtris opportunũ relinqui, vbi ſatis ad humilitatẽ depreſſa planicies perpetuo riuo, qui ad frumentarias molas defluebat, ab duobus fermè lateribus cingebatur. Eo in loco vt caſtra facerent, & refectis quiete ciboq; corporibus, nihil temerè de prælio cogitarent, ſuadere conabantur. monebant, ſicuti victoriam à conſilio, ita pœnitendos atq; irritos conatus ab inconſulta virtute proficiſci, eoſque ſępius aduerſos præliorum exitus ſentire conſueuiſſe qui audacia atque impetu potius, quàm vtili mora & ratione hoſtem ſuperare confiderent. Poſtremò teſtabantur aduerſus auſpicia prouocari hoſtes, quòd vetere gentis obſeruatione is heb-

domadæ dies infauſtus foret, qui inchoante anno cæſorum ab Herode infantium memoria celebratus, toto anni circuitu verteretur: incidebat enim is dies in Idus Septembris. Sed quum furor & fatalis inſania, quod nunquam antea Heluetijs in caſtris acciderat, & militi obſequium et ducibus authoritatem abſtuliſſent, pugnaciſsimi quique procurrerunt, & cum Vaſconibus atque Germanis atrociſsimum certamen contraxerunt. Triuultius atque Borbonius, qui multum antea de aduentu hoſtium certiores facti aciem inſtruxerant, & tormenta idoneo in loco collocarant, quum haud dubiè premerentur, vt obiectis flammis hoſtium tardarent, ſimulque eos vſu ac munitione domorum priuarent, vniuerſa pagi ædificia ſuccenderunt, & ſuos in patentiorem locum reduxerunt. Erat ante tormenta Gallorum foſſa ingens, ſummo audaciæ periculo ſuperanda, quam Nauarrus cohortibus oppoſitis & Germani eximię virtutis denſis ordinibus tuebantur. Illuc audaciſsimorum iuuenũ globus, aliquanto certiore exitio quàm victoria, peruadere non dubitauit. Erant ij ex omnib. Pagis florenti ætate & ſingulari promptitudine lectiſsimi, qui peruetuſto gentis more, vt raros ante prouectam ætatem militiæ honores aliquo inſignis virtutis opere edito conſequantur, aſpera quæque & difficilia belli munera vltrò ſibi depoſcere, & ſæpius cum exitiabili laude propoſitam mortem ſubire conſueuerunt. Hos ab immoderata fortitudine Perditos vocant, & in ſummo honore atque admiratione habent, licetque illis vna virtutis prerogatiua, & vexillum ferre, & ducere ordines, & duplicata per omnem ætatem ſtipendia accipere. Neque alio felicis audaciæ inſigni à cæteris Perditi dignoſcuntur, quàm candidiſsimis pennarum manipulis, quos more ducum è pileis ſpecioſa luxurie defluentes in tergum vertunt. Ii vno agmine aduerſus tormentarias pilas ingenti animo progreſsi, quum magna clade accepta ex iniquiſsimo loco diu multumque pugnaſſent, tandem pertinaci impetu pulſis loco Germanis, & reiectis Nauarrinis cohortibus, per aceruos morientium ad tormenta peruaſerunt. Quibus numero ſeptem occupatis, dum ſpe pleni conſertis iterum ordinibus cedentibus incumbunt, vniuerſam primi agminis aciem perturbarunt. In eo diſcrimine Triuultius atque Borbonius diuerſis in locis immiſſo equitatu, quantum viribus adniti et conſilio prouidere poterant, ad reparandam perculſam aciem huc atque illuc ferebantur. Nec ſuis deerat Nauarrus, increpando alios, alios interrogando, num vt tantùm terga verterent, turpiſsimeque vix dum hoſte conſpecto acie diffugerent, ab extremis Oceani finibus Pyrenæiſque veniſſent? colligerent animos, & celeriter ſclopettos atque baliſtas expedirent, tantiſperque conſiſterent, dum latera nouis equitum ſubſidijs firmarentur, & quam ignauię, aut iniquę ſortis apud Rhauennam malè pugnando notã ſubijſſent, ea die fortiter pugnando delendam eſſe exiſtimarent. Ita vno tempore irruente ampliſsimo equitatu, Vaſconibus adhortatione & verecundia confirmatis, Germanis ira ac pudore locum tenentibus, prælium atrox ac varium redintegratum. Impellitur horrendo tormentorũ ac armorum ſtrepitu vtraq; acies, vexilla rapiuntur. Mox Centius ac Pelegrinus pugnantes cadunt, Puriusq; prętorianę cohortis pręfectus, & quatuor cum eo ſigniferi maioris colubrinę ictu ab latere conſternuntur. Nec defuère laborantib. ſuis Heluetij, qui maiore circuitu ad hoſtes peruenerant: nam coactis in vnum ad triginta cohortibus, duplici agmine animis ac viribus recentiſsimis gradum intulerunt, & ab læua cum peditatu congreſsi, Sciatalardum clari nominis Vaſconum ducẽ, ac Lu-

ac Ludouicum & Georgium Hellemburgenſes ex Germanis nobiliſsimos interfecerunt. Ab altera verò parte irruentes equites laxatis aliquantulum ordinibus, in ſinum excepêre, vbi varia ancipitíque fortuna diu certatum. Nam cataphracti, quanquam vi atque incitatione equorum diſperſis, ac morientibus fœde proculcatis, raros tenueſque manipulos cum multa ſtrage perrumperēt, tamen quum denſis ordinib. occurrebant, aut prælongis contis induebantur, aut foſsis equis armorum pondere graues interibant. Periêre eo in loco acerrimè depugnantes alarum præfecti, Sanſerrius è Sacro Cæſaris oppido regulus: Imbercurtius eximia virtute & longa militia clarus: Buſsius Amboſius, & Frãciſcus Borbonij frater. ipſe quoque Borbonius ſimile ſalutis diſcrimen adijt, vt ipſe dicebat, dum cruenta ea in acie verſaretur. Sed ego poſtea aliter ab ipſo rege accepi nominatis teſtibus affirmante, Borbonium circumuento fratri opem ferre minimè auſum, intactumque retro ſe à conſpectu hoſtium ad ſecundam aciem recepiſſe. Triuultius quoque dum circumuento ac morienti ſignifero ſuo fruſtra auxilium ferret, inter lanceas alabardaſque hoſtium conflictatus, vulnerato equo, criſtis galea deterſis, alariorum interuentu periculo ſe eripuit. Iamque ęgrè plurib. in locis prælium ſuſtentabatur, & Heluetij, quòd iniquiſſimam foſſam tranſiſſent, quòd tormenta magna virtute cepiſſent, quòd pulſo peditatu, perturbatis equitibus, in locum quem hoſtes tenuerãt proceſsiſſent, meliore fortuna præliabantur: quum Franciſcus promota ſecunda acie, Alanconio pari paſſu cum poſtremo agmine ſubſequi iuſſo, diſpoſitis per præfectos certo in ſpatio pluribus tormentis, quibus à latere hoſtium phalanges peterentur, cum nigra legione, ingentíque equitatu opportuniſsimo tempore ſuperuenit: ipſe regali paludamēto, quod cæleſti colore aureis lilijs diſtinguebatur, generoſè apud hoſtes ac ſuos ſe regem profeſſus in prima acie verſari: impigrè hoſtem ferire: huc atque illuc incitato equo periculoſè acerrimis hoſtium inſultare: ac demum non oratione tantùm vel adhortationibus, ſed egregio veræ virtutis exemplo ſuos accendere. tantus enim erat incumbentiū impetus, tanta conſiſtendi pertinacia, tantuſque inerat etiam faucijs ac morientibus vigor, vt regem in ea prælij iniquitate, & maieſtatis obliuiſci, & vitam contemnere, & rem inclinatam manu ac viribus potius, quàm arte vel conſilio reparare oportuerit. Equites quoque qui ad Nouariam, Taroannamque fugiendo priſtinam virtutis opinionem amiſerant, ne ſi iterum cederent, ſempiterna in poſterum ignominia notarentur, aut decora morte, aut egregia victoria, pugnanti in omnium oculis regi ſuo ſatis facere contendebant. Cecidêre eo congreſſu Talamõtius Tramulij filius, & Roya in Morinis nobili genere natus, & Vantellius, qui extra ordinarium regiæ turmæ vexillum cum Moio nobilioris alæ ſignifero, qui foſsis vinearumque traducibus impediti explicare ſeſe minimè potuerunt. Ex Heluetijs autē, Rodulphus Longus ille multitudinis concitator, & vetere in Ludouicum Sfortiã facinore inſignis. item Flechius virtute magis q̃ genere clarus, & Valterius Offius. Hic ob ſingularē prudentiã, et ſummam virium promptitudinē, quę non facilè in eius gentis hominibus commiſcentur, omnibus bellis, & Nouarienſi maximè in pugna, magnam virtutis opinionem adeptus fuerat. Pugnatum eſt continēter horis ſeptem: nam in medio ardore certaminis, quum Sol occidiſſet, Luna eo tempore pernox claro ſplendore inuecto vtramque aciem in armis continuit. Fuitque horribile cruentiſsimumq́; certamen, quandiu vel tantillū luminis ſuperfuit. Mox condita nubib.

Luna, quanquam laſsitudine ac vulneribus feſsi hebetatis armis quieti locum quærerent, interim tamen per mutuum errorem cæcis inſaniſque ictibus ſocij pariter atque hoſtes crudeliſsimè ſternebantur. Heluetijs etenim Germani armis lingua habituque non omnino diſsimiles, dum varijs in locis inter ſe miſcerentur, prodente demum teſſera, fœdiſsimam ſtragem per tenebras edebant. Neque ab tormentis tota nocte temperatum: quæ ſicuti incertis ictibus emittebantur, ita aliquantum plus terroris quàm cladis inferebant. Sedunenſis, qui ſpe, cura, laboreq; ſuis non deerat, quum errore loci in Germanos incidiſſet, eorum linguam aſperiore voce mentitus, periculo ſe explicuit, & ſuperata foſſa ad conflagrantes domos reuerſus eſt: vbi Roſtius & Anglardus ſplendore flammarum inuitati, coeuntibus tanquam ad prætorium plurimis ducibus, ſignum ingenti claſsico propoſuerant, quo ſparſi errabundique milites ad vexilla vocarentur. Id erat ampliſsimum cornu ſylueſtris Vri operoſo argento in labris exornatum, quod à maiorib. per manus traditum, apud Vranienſes Heluetiæ libertatis authores cum magna cura ac religione cuſtoditur. Eius itaque beneficio, quod à perito buccinatore ad humanæ vocis ſpeciem ſcientiſsimè more gentis inflabatur, plurimi conſeruati ſunt: qui inter hoſtium cohortes vario errore delati, cõfundente aures tympanorum ſimilitudine, certum ad ſuos receptum habere non poterant. Egêre vtrinque mutuo timore ſuſpenſæ acies inſomnem noctem, animis tamen quàm viribus ad dimicandum paratiores: Nam ſtrenui pariter atque ignaui, quanquam longo certaminis labore defatigati erant, diuerſo tamen animorum habitu, vel nauandæ operæ deſiderio, vel metu mortis excitabantur. Sedunenſis, ac cæteri duces, tametſi eos prima opinio plurimum feſelliſſe videbatur, quod hoſtes, vt deſtinauerãt animis, ad primum impetũ tanta etiam clade perturbatos minimè ſuperaſſent, ac irrito propè conatu fortiſsimos ſuorum amiſiſſent, tamẽ ſeſe non deſerunt: in concilium quàm plurimos vocant: & quum expectare lucem, & prælio iterum decernere cunctis placeret, quod omnibus rebus imparati aduenerant, Mediolanum ad petenda omnis generis ſubſidia mittẽdum decernunt. Mittitur Ioannes Gonzaga, qui Maximilianum ciueſque ad ancipitis prælij euentum ſollicitos noua ſpe impleat: cocta in primis cibaria, & plurimos vini cados deficientibus laſsitudine ac ſiti militibus continuò ſubminiſtret: ac demum tormenta, pilas, & ſulphureum puluerem omni adhibita celeritate in caſtra tranſmittat. Duces verò atque ſigniferi digreſsi conſilio, vt quiſque de Cardinale & de prælij euentu ſentiebant, variè apud milites loquebantur. Alij decoris & victoriæ cupidi, quum cladem, quam ipſi magnam acceperant, verbis eleuarent, ſuorum fortia facta & Gallorum ſtragem in maius falſis narrationibus extollebant. Contrà alij aduerſæ factionis, vt ſaluti maturè proſpicerent, & cardinali in ſummis rerum difficultatibus conſtituto dignitatis & vitæ periculum augerent, Mediolanum ſolutis cohortibus reuertebantur. Equites quoque pontificij, qui propter exiguum numerum haud magno vſui fuerant, magna ex parte metu vel deſperatione adducti, relictis ducibus in vrbem redierunt. Cæterum Franciſcus, quanquam ſummo timore atque ingenti periculo liberatus, tantę virtutis homines egregiè ſuſtinuiſſe videbatur, reliquo tamen metu & ſuprema veluti cura anxius, turbidę noctis finem & incertæ fortunæ exitum expectabat. Neq; corpori armorum pondere feſſo, ac ſiti & continuo labore æſtuanti maiorem quietem dedit, quàm vt ſubducta ad ſpirandum galeæ buccula, dum equum

mutaret,

mutaret,tormento paululum inniteretur. Inde ſtatim ad ducis munia tranſgreſſus,Liuianum vt cum exercitu accederet per nuncios monuit. Mox ea re ab præfectis quos in coronam aduocauerat,equeſtri conſilio comprobata,caſtra aliquantulum contraxit:& quod locus qui primi agminis fuerat ab hoſtibus tenebatur,munitiore ſpatio ſupra ſex milia Germanorum in margine foſſę conſtituit:iuſsitque eos pluribus tormentis ibidem opportunè collocatis præſidio eſſe. Ab alia parte magnum equitum numerum ſibi adiunxit:monuitq; Borbonium atque Alanconium, vt vtrinque pari ordine primam & tertiam aciem lateribus ſuis admouerent: ita vt ipſe recta fronte hoſti oppoſitus, ſicuti loci ratio poſtulabat,primi agminis vicem impleret,& duobus agminibus lęua ac dextra conſtitutis tanquam cornibus vteretur. Nec longè ab eo loco,Nauarrus & magna multitudo Germanorum,quum per tenebras prælio diremto,neque caſtrorum formam neque regis conſilia agnoſcere potuiſſent,defixis ſolo vexillis conſederant. Franciſcus,vt qui nam foſſarum ſitus,campiq; interiacentis & publicæ vię ſpatia forent,oculis ipſe colluſtraret,in conſpectum hoſtium cum paucis equitibus progreſſus eſt:mox ſenſim in Auroram abeuntibus tenebris,ad cohortandos Germanos contendit,quos magnis pollicitationibus erectos ad conficiendum modico certamine bellum, & ad partæ iam victoriæ præmia capienda,certæ ſpei & alacritatis plenus accendebat:commemorans ſuperiorum temporum iniurias,& clades quas Heluetij beneficio Fortunæ potius atque iniquiſsimis temporum & locorum conditionibus, quam vera virtute Germanis intuliſſent. Proinde in animum inducerent,eam eſſe propriam atq; expeditam rei bene gerendæ occaſionẽ,qua conſanguineorũ & commilitonum ſuorum cædes vlciſcerentur:ac ſimul fortibus factis declararẽt Germanos,ſicuti nobilitate fideque pręſtarent,ita virtute bellandique peritia militarem gloriam agreſtibus atque infidis hominibus minimè eſſe conceſſuros. Simili quoque vſus oratione, Gallos equites hortabatur, ne à maioribus ſuis degenerare vellent,qui ſuperioribus ſeculis equeſtri gloria omnibus gentibus præſtitiſſent. Nec minore ſpe atque animo apud Heluetios acies inſtruebantur,quanquam maxima ex parte milites, ſicuti diuerſis in locis,atque in ipſis etiam hoſtium munitionibus vario caſu conquieuerant,nullo cibariorum ſubſidio recreati,ægrè labantes artus ferocibus animis ſuſtinerent. Neq; enim quæ ab Mediolano,procurante Gonzaga conuehebantur,breui & nocturno maximè tempore,quòd omnes ſemper adminiſtrationes tardare cõſueuit,adduci expedirive poterant. Plerique etiam ſub Auroram oblatis ientaculis,quũ tympanorum crepitu & fragore tormentorum ad pugnam vocarentur, optatos & neceſſarios fouendis viribus cibos relinquebant. Coiuère in principijs nonnulli duces,inter quos erant Haslerius Foctius,ætatis honore,ac magiſtratus inſignibus clarus,et Chezzius Amman inter Heluetios natu maximus,qui amplius quadraginta annos centurio,aut ſignifer,aut tribunus in exercitu fuerat:& prælio illo memorabili,quo Carolum Belgarum ducem eiusque copias ad Nanſeium occidione deleuerunt, ſingularem in prima acie laudem meruerat. Ii,ſiue acceptæ cladis conſcientia adducti,ſiue cognito deſertorum diſceſſu & iam lucis beneficio perſpecta locorum iniquitate,quòd ſatis ibi exiſtimationis,ad frangendos Gallorum ſpiritus heſterna dimicatione partum exiſtimarent,prælio abſtinendum eſſe iudicabant. Sed quum fruſtra deprecando conteſtandoque promota iam ſigna ſiſtere,& procedentes ordines oppoſitis cor-

poribus retentare conarentur, & fato, & libidini militum manus dederunt. Ita Rodulphus, Segnius, Viſembachius, Vnderualdius, Vldericus Iochius, atq; Zambronius audaces acerrimæque virtutis duces, ratione committendi certa minis inter ſe conſtituta, bipartito ſigna intulerunt. Primum ac maximum agmen, in quo Tigurini pagi ſignum ſupremæ apud Heluetios dignitatis collocatum erat, recta aduerſus regiam aciem, quam medium locum tenere docuimus, contendit. Aliud quod a dextris paulò infra cõflagrantis pagi tecta ſubſtiterat, maiore capto circuitu ad Alanconium poſtremo agmini præpoſitum, deflectere cœpit: eo conſilio, vt quum primi regem, & robora Gallici exercitus in ſe conuertiſſent, Illi Alanconium infirmioribus vallatum præſidijs, magno impetu ab latere adorirentur, & perrupta eius acie, in ſiniſtrum latus & terga regij agminis penetrarent. Aliam verò ſuorum multitudinem, quæ citra viam publicam a læua proximum campum tenebat, nullo ei certo munere capeſſendę pugnæ demãdato, quod ex parum fidelib. pagis conſtare putabatur, dextro cornu, vbi Triuultius atq; Borbonius curabant, interuallo trecẽtorum paſſuũ oppoſuerunt. Sed quum ad teli iactum proceſsiſſent, Galli ſtatim diſploſis in aduerſos vno temporis puncto omnibus regijs tormentis tantam ſumma celeritate cladem intulêre, vt prius temeritatis pœnas dederint, qui ob audaciã conſilium ſumpſerant, quàm manus conſerere, vel ad hoſtes peruenire potuerint. Eo caſu quòd per medium facta horribili vaſtitate ſtrageque hominum, vnum non erat amplius phalangis corpus laceratis ordinibus: pars, quæ ſecundos ictus timebat, terga vertere, & recipere ſeſe cœpit: pars deſpectis iterum tormẽtis in hoſtes impetum fecit. Ii conſtantiore quàm vnquam antea virtute atque audacia, pluribus & acceptis & illatis vulneribus foſſam ſuperarunt: & cum Germanis equitatuq; regio congreſsi multa facinora efferę virtutis ediderunt. Nam quum eodem quoque tempore Triuultius atq; Borbonius extenſo cornu, & circumflexis equitibus, in ſiniſtrũ eorum latus incurriſſent, duplici fronte pugnare cogebantur. Sed Germani, qui acerrimo eo certamine Iacobum Condeum, Henricum Ricurtiũ, & Saxeum fortiſsimos duces amiſerant, ira ac dolore ſimul incenſi, illato gradu eorum impetũ repreſſerunt: & Pontineriũ proceritate corporis animique virtute inter Heluetios duces clariſsimum adequitantem ordinibus, ac ſuos clara voce, adiectis in Germanos cõtumelijs cohortantem, ſclopettorum ictibus equo deiecêre, et vaſti obeſiq; corporis adipe atque aruina patentibus plagis defluente, cruęntas lanceas ſpectantibus Heluetijs inunxerunt: quæ apud Barbaros in acerbioribus odijs exactæ vindictæ grauiſsima cærimonia perhibetur. Ibi quoque Zambronius, & Antius Encher, vaſti animi & terribilis ſtaturæ homines: quum ingentes gladios ſingulari peritia ambabus manibus regerent, & in media Germanorum acie verſarentur, detruncatis pluribus lanceis, multisque hoſtium trucidatis, ad extremum tota acie in eos conuerſa, oppreſsi ſunt. Interijt & Chezzius Amman cadente equo qui tribus etiam ſagittis confixus, in ea ætate plures horas adhortando pugnandoque, nec optimi ducis, nec fortiſsimi militis munus omiſerat: quum cæteri quos ſupra memorauimus, antequam congrederentur tormentorum procella diſcerpti cecidiſſent. Ioannes & ipſe Berrus Baſilienſium vexillifer, quum multis confectus vulneribus diutius ſignum ſuſtentare non poſſet, ne hoſtes eo potirentur, ſericum haſta detractum minutiſsimè conſcerpſit, et occubuit. Interea quoque ſecunda acies, quam ad Alanconium deflexiſſe docuimus, tantum po-

ſtremo

ſtremo agmini terrorem intulit,vt equites magna ex parte,cadente Bemontio alæ ſignifero,pluribusque eorum ad primum impetum interfectis,terga verterint,& effuſis habenis Laudenſi via curſum intenderint. Quo rerum tumultu factum eſt,vt agreſtes,& plerique ſpeculatores,qui in agris erant, equites Gallos inter impedimenta fugientes conſpicati,quum Franciſcum prælio victum putarent,de victoria Heluetiorum per omnem Italiam perſcripſerint. Et res profectò ab ea parte in maximũ diſcrimẽ perducta fuiſſet:niſi Emarus Prieus, & Obigninus ſingularis experientię duces,qui cum Alanconio erant,fuga increpita,collectis in vnum vexillis conglobatiſque militibus,ſummo labore pugnam ſuſtinuiſſent Magno quoque perturbatis ſubſidio fuit Liuianus,qui Venetorum exercitu adducto procurrens, cum nobilium cataphractorũ ala ſubſequentibus reliquis ſuperuenit.Is,vt erat & pugnę & nauandę operæ auidus, nulla interpoſita dubitatione,equites cohortatus vt ſe vadentem ſequerentur, in tranſuerſos hoſtes incurrit: quem Heluetiæ cohortes duæ conuerſis ſignis alacriter exceperunt:& vulneratis pluribus,interfectoque Cepino Pitiliani filio ſummæ indolis adoleſcente,acriter incumbentem equitatum longius ſummouêre.Eius tamen aduentu magis quàm viribus territa ea Heluetiorum manus,quòd vniuerſas Venetorum copias,quæ in proximo erant, adeſſe iudicabat,ſaluti conſulere cœpit.Alij enim laſsitudine,vulneribus,ſiti,ſudoreq; confecti in proximos hortos conceſsêre, vbi ſuperuenientibus etiam ab regia acie ſubſidiarijs equitibus,magna eorum pars conciſa eſt. Alij in proximam delati villam,quũ diu porta ac muris duce Trulerio Schafuſiano ſtrenuiſsimo centurione ſe defendiſſent,tandẽ Liuiano authore ſuccenſa villa,tormentis flammiſque expugnati crudeliſsimè perierunt:alios palantes,refugientesque ad maximum ſuorum agmen,equitatus apertiſsimis campis conſectatus ad vnum deleuiſſet,niſi conſilio atque virtute veterum militum,qui in ea Fortunæ acerbitate diſciplinę memores,ſibi ac ſuis nunquam defuêre,denſata acie citra foſſam viamque publicam ad ſuos ſe recepiſſent.Eodem fermè tempore,tertia Heluètiorum acies,quam contra Triuultium atque Borbonium conſtitiſſe oſtendimus,ſiue pręlij iniquitate perſpecta,ſiue deteſtabili adducta conſilio,quòd factioni atque odijs,quàm pulicæ neceſsitati ſatisfacere mallet, cædis atque alienæ virtutis ſpectatrix,vexilla Mediolanum ferre cœpit. Neque(vt erant timore perculſi)prælio ſuccedere voluerunt:quod tamen propè neceſſe erat,quum vniuerſam leuem armaturam equeſtrem in oculis haberent,& frequentib. tormentis peterentur:quæ poſt equitatum inſidiosè occultata apertis demum turmis,ad tubæ ſignum per interualla ſæpius emittebantur.Quibus de rebus cęteri quos apud regiam aciem pugnantes reliquimus, dum cæco furore atque ira perciti obſtinatione animorum magis quàm viribus locum tenerent, & alias recentes Germanorum legiones,ad quas pugna nondum peruenerat, ad dimicãdum paratas in conſpectu haberent, deſperata victoria receptui cecinerunt. Magnum enim ad foſſam paulò antè detrimẽtum acceperant,quòd è ſuperiore loco à balliſtarijs Vaſconibus incredibili ſagittarum multitudine configebãtur,qui iuxta ſclopettarios collocati,vt ſclopettis implendis & tendendis ſcorpionibus ſpacium darent,ita mutuo recurſu per centurias ſibi inuicem ſuccedebant,vt continenti telorum grandine effuſa,inulta acies fruſtra petitis à virtute ſubſidijs ſterneretur.Dirempto pręlio,cum Roſtius,Ronna,et Anglardus, atque alij tantæ ac tam perturbatæ multitudini monendo atq; imperando ſue-

currere,vel ducum officia facilè implere non poſſent, ipſi milites etiam omnibus incommodis conflictati,ne fugere viderentur,in ea rerum iniquitate, ſibi quod agendum erat,mira conſtantia ſingularique peritia præſcribebant.Nam ſauciorum cura habita,vt quiſque vulneribus debilitatus erat,bini milites ſumma pietate lacertis atque humeris tulerunt:reductisque ad vnum omnibus tormentis quæ Mediolano aducta fuerant,nouiſsimum agmen recentiorum militum præſidio firmarunt.Adeo autem contempto paſſu via publica iter eſt factum,vt diſceſſus nihil fugæ ſimile habere videretur.Neque enim inuadi facilè poterant,quòd ab vtroque vię latere præaltis atque perpetuis foſsis muniebantur.Galli qui viginti horis continenter,dubia plerunque victoria,armati in acie conſtiterant,quum fluentibus ſudore artubus, ac labantibus laſsitudine equis,& denſa eleuati pulueris caligine,& irrequieto atque horribili tormentorum reboatu oculorum atque aurium ſenſum penè amiſiſſent,finem inſequendi fecerunt:ita tamen victoria potiti,vt egregiè pugnando Heluetios magis vicerint,quàm eos in poſterum vllis viribus omnium opinione vinci poſſe docuerint. Heluetij ſuis hoſpitijs perhumanè ac liberaliter ſuſcepti,depoſitis apud publicas hoſpitales domos grauiter vulneratis,reliquum diei ac ſequẽtem noctem recreandis corporibus dederunt.Poſtero die plateam,quę ante arcem latiſsimè patet,tanta frequentia compleuerunt, vt nullam propè cladem accepiſſe omnium ęſtimatione viderentur.Ibi habito inter ſe concilio,quum trimeſtre ſtipendium poſtularent, & niſi id continuò ſibi perſolueretur, ſe abituros domum dicerent, minimè id præſtante Maximiliano, quòd tantam pecuniæ vim expeditam non haberet,Comenſi porta vexilla protinus extulerunt. Nec Cardinalis, vt qui aduerſo rerum ſucceſſu apud eos aliquantum priſtinæ authoritatis amiſerat,allocutionibus ſuis quicquam profecit,quo minus vniuerſi Comum contenderent.Quamobrem relictis tribus cohortibus Heluetijs,quę arci præſidio forent,ipſe cum pontificio equitatu ac valida manu Sedunorum Leucum contendit,ſuperatoque Abdua per Saxinam vallem conciſis abrutiſque montium tramitibus in Volturenam vallem penetrauit, vnde mox tranſuerſis alpibus Tridentum,atque inde in Germaniam ad Maximilianum Cæſarem profectus eſt.Heluetij verò,& cum his Galeacius Vicecomes,à Comenſibus,quòd vicinitate regionis,& mercaturæ commercio magnæ cum his amicitiæ neceſsitudines intercedebant, omnibus officijs ac facultatibus ſubleuati, ſuperato Lario per Curiam Rhethiarum domum reuerſi ſunt.Quum cęſorum ratio iniretur,Galli ex viginti quinque milibus Heluetijs,qui in pugnam prodierant,vix dimidiam eorum partem integram ſuperfuiſſe,& ex ſuis ad tria tãtùm milia cecidiſſe cõtendebant. Heluetij autem & occiſorum ab ſe Gallorum numerum plurimum augebant,& cenſu domi habito,ad quinque milia fortiſſimorum hominum ea expeditione ſe amiſiſſe fatebantur.Cęterùm ea victoria tot inſignium Gallorum funeribus tantoque periculo parta,Franciſco regi incomparabile decus attulit, exiſtimationemque regij nominis ita confirmauit & auxit, vt non immeritò, quum eius noctis dieique euentum luculenter enarraret, effuſiſsime lætaretur. Victoriam quoq; nouo gaudio perfudit Claudius Guiſa Antonij Lotharingiæ principis frater, quum interijſſe crederetur, ſpirãs inter cadauera hoſtium repertus. Is enim ſummæ ſpei adoleſcens Germanis præpoſitus,in prima acie vſque adeò egregiè,multis quidem acceptis vulneribus dimicarat,vt ſuperincumbente Heluetia phalange,inter ſuorum ac hoſtiũ

cadentium

cadentium aceruos ſterneretur. Eo autem duplici prælio heſternoque præſertim, quum rex ipſe eximij bellatoris laudem adeptus conſenſu gratulantiũ procerum equeſtri honore digniſsimus cenſeretur, eius dignitatis ornamenta de manu Baiardi viri fortiſsimi lubens accepit: quanquam adeſſent ſummi duces, qui ex militari cæremonia conceptis verbis, diſtrictoque gladio, quo leuiter ſiniſter humerus petebatur, eum ornare percuperent. Baiardum enim ideo cæteris prætulit, quod acerrimè inter hoſtes pugnãtem conſpexerat, nec maiores duces inuidioſo delectu ad id munus, tanquam inter ſe dignitate pares offenderē vellet, ſimulque Baiardum præclaro iudicij ſui teſtimonio celebrem perpetuò ſibi deuinciret. Equeſtris ſiquidem ordinis dignitas, non in otio imbellib. ambitioſè quęſita, ſed fortibus teſtatę virtutis merito in acie parta, viros vel infimæ fortunæ, longè nobiliſsimos efficere conſueuit. At Mediolanenſes vbi diſceſsiſſe Heluetios vident, ne pernicioſa cunctatione ciuitatem in diſcrimen adducant, ad dedendam vrbem oratores in caſtra continuò mittunt. Erat legationis princeps Hieronymus Caſtelionus iuris peritia inſignis, qui demiſsiſsima oratione victoris iram leniuit, deprecatus ne durius in miſeros ciues animaduerteret, qui fluctuoſiſsimis temporibus ſeruiuiſſent potius, quàm ab eo voluntária defectione deſciuiſſent. Eos ſupplices, & quæ imperaſſet paratos facere, ſi conſeruaſſet, longè maiorem eum laudem, quàm heſterna victoria fuſis hoſtibus meruiſſet, clementia atque animi magnitudine ſibi comparaturum: quando præſtantius foret ampliſsimum regem humaniter ac temperatè vti victoria, quàm prælio in quo & milites, & Fortuna plurimum potuiſſent, feliciſsimè ſuperare. Franciſcus ad ea reſpondit, ſe magis pro natura ſua quàm pro Mediolanenſium meritis, qui toties rebellaſſent, & defectioni interfecto præſidio ſummam crudelitatem addidiſſent, ciuitatem conſeruaturum, modò trecenta milia aureorum nummûm, quàm ſummam mulctæ nomine imponeret, intra certos dies tribus penſionibus perſoluiſſent. Dimiſsis legatis, partem exercitus duce Nauarro ad oppugnandam arcem miſit. ipſe audita Comenſium legatione, qui ad dedendam vrbem aduenerant, & Heluetios finibus deceſsiſſe nunciabant, Ticinum profectus eſt. At Laurentius, qui cunctando, neque amicè neque hoſtiliter feciſſe videbatur, quum audiret ad confluentes Padum & Ticinum parari pontes, quibus ad ſe opprimendum Gallorum copiæ tranſmitterentur, ad eaſdem fœderis conditiones recurrit, quibus paulò antè Ludouicus Canoſius Tricaricenſis, et Cynthius Tyburs pacem ab rege petiuiſſent. Neque animus regis ab nomine pacis abhorrebat, quãquam Liuianus victoria ferox, qui ex priuato quoque odio ad apprimendum Cardonium ſumma cupiditate ferebatur, interpellari, ac diſtineri regem in eo victoriæ curſu intempeſtiua pacis mentione prædicaret: ac ſe protinus Hiſpanorum copias, ſi id ſibi permiſſum foret, vnis exercitus ſui viribus deleturum polliceretur. Tunc demũ enim quum eos hoſtium reliquos deleuiſſet, facilique victoria impoſuiſſet Etruriæ leges, ac Neapolitanum regnum felici curſu repetiſſet, regem maturam victis daturum pacem, & veram quietem affectis Italiæ rebus allaturum. Sed Franciſcus qui occultiore conſilio ex fœdere ſoceri, Ferdinandique regum, Hiſpanis parcendum eſſe meminerat, & Parmam atque Placentiam, ſi per conditiones recipere poſſet, tentari armis nolebat, æquiſsimo fœderi aſſenſit, ne maiorem ſibi inuidiam conflaret, & Ludouici ſoceri exemplo principum animos nimia ac formidabili magnitudine offendere videretur. Res itaque eo modo compo-

ſitæ, vt pontifex Parmam atque Placentiam, quas vrbes armis tueri non poterat, Gallo occupari ſineret: rex verò Florentinis eam pecuniæ ſummam remitteret, quam ex fœdere, quod in ſocietatem recepti eſſent, quotannis Ludouico regi perſoluere conſueuiſſent, ac nihil Cardonio Hiſpaniſque militibus noceret, eosq; in pacatum regredi pateretur. Appoſitum quoque diſertè eſt, vt pontifici bellum gerenti, certa Gallorum equitum auxilia Franciſcus mittere teneretur, Mediceamque familiam in fidem clientelamque reciperet. eadem quoq; regi pontifex præſtaret, ſi in Italia bello laceſſeretur. Nec multo poſt Liuianus, vt eas vrbes, quas Veneti ſuperioribus annis amiſiſſent, armis repeteret, ſuperato Abdua in Brixianum agrum profectus eſt. At Hicardus interea qui cum præſidio Brixię prȩerat, quum haud dubiè victores hoſtes totam eam belli molem in ſe vnum breui conuerſuros exiſtimaret, ſingulari celeritate atque induſtria, murum prioribus oppugnationibus quaſſatum refecit, foſſas purgauit, aggeribus nouisque munitionibus muro additis, portisque ac propugnaculis magno tormentorum numero inſtructis, vrbem natura loci per ſe tutam breui inexpugnabilem fecit: mox frumenti, vini, pecoris magna copia è proximis caſtellis in vrbem comportata, Guelphis & ſuſpectæ fidei ciuibus vrbe eiectis, & commeatu omnis generis certis familijs imperato, validam Hiſpanorũ manum ex his, qui Veronæ eſſent, à M. Antonio Columna, Spinelloque Cæſaris legato poſtulauit, conteſtatus, niſi ex ea copia maturè ſibi ſubueniretur, eos poſtea ſi acerbior caſus accideret, fruſtra ſuam fidem imploraturos. M. Antonius, tametſi veteranos milites, quos ipſe paulo ante à Cardonio ægrè ſe impetraſſe meminerat, ſuſpicioſiſsimo belli tẽpore ſibi detrahi iniquo animo patiebatur, eius tamen precibus obtemperandum eſſe iudicauit, ne alieno periculo minus quàm ſuo proſpicere videretur. Itaque delecti Morellio, Orthiſius, & Guſmanes eximiæ virtutis centuriones, cum ſeptingentis peditibus, & Gothiſtardus vir fortis cum cohorte vna Germanorum, quæ ſumma hominum magna ex parte ex ſclopettarijs conſtabat. Ii Verona profecti, conductis agreſtibus qui occultiores calles oſtenderẽt, interdiu noctuq; itinere confecto per iuga montium, qui ad Benaci oram vergunt, ſaxoſis nemoroſiſque tramitibus incolumes Brixiam peruenerunt, & adeo celeri improuiſoque itinere, vt Liuiani diligentiam, qui eos cognita profectione, ſi rectis itineribus acceſsiſſent, oppreſſurus erat, ſatis magno & temporis & locorum ſpatio præuerterint. Cæterum Liuianus ob eas res oppugnandæ Brixiæ conſilio depulſus, quum multis contrà rationibus ſumma ſpe capiendæ Veronæ teneretur, quòd eam vrbem arte naturaque minus validam, & detractis præſidiariorum promptiſsimis, infirmiorem eſſe exiſtimabat, in ſupremã valetudinem incidit. Vir enim alterum & ſexageſimum natus annum, quum laborioſiſsimo prælij die, tenue corpuſculum ſub iuſto armorum pondere plurimum exercuiſſet, equeſtrique agitatione viſcera penitus in herniam abrūpſſent, incredibiles dolorum cruciatus ſuſtinere non potuit: paucisque diebus apud Ghedas extinctus eſt. Fuit Liuianus parum liberali facie & puſillo atque incuruo corpore, planè deformis: cæterum ei inerat ſublime ingenium ac vehemens, quod plerunque nimio quodam vigore animi quàm imperatorem deceret, ardentius & concitatius videbatur, ita vt eum multi aliquanto meliorem bellatorem, quàm ducem exiſtimarent. Nemo tamen eo melius diſciplinæ leges percalluit, nemoque fortius vel vigilantius ſingula militiæ munera obiuit: ad extremum qui nulla maiorum

gloria

gloriâ inſignis, ex priuato equite ad ſummos honores euaſerat, omni bellica laude dignus videretur, ſi in ipſo rerum curſu atque negotio, conſilijs eius atq; virtutibus Fortuna reſpondiſſet. Cadauer eius exenteratum conditumque aromatibus, milites mœſtiſsimi plures menſes apud ſe in caſtris habuerunt, et ſolitum ei prætorium tetenderunt, perpetuisque funalium flammis, & continua armatorū ſtatione adiecta, defuncto honores addiderunt, quales viuo tribuere conſueuiſſent. Eo mortuo, quum ad neminem imperij ſumma rediſſet, & Georgij Hemi legati auſpicijs exercitus regeretur, Senatus continuò à rege poſtulauit, vt copijs in tanta ſpe conficiendi belli ſtrenuo ac fideli duce orbatis, clarum aliquem rebus feliciter geſtis imperatorem ſubmitteret, cui Italus miles facilè pareret, & bellum ſumma omnium concordia adminiſtrari poſſet. Nec multo pòſt Triuultius, qui vnus omnium, quòd virtute atque exiſtimatione cæteros anteiret, ad id bellum Venetorum ac regis iudicio deſtinabatur, ad exercitum cum imperio profectus eſt. Interea Nauarrus dignum fama ſua ratus ſi nobiliſsimam terrarum orbis, ac munitiſsimam arcem intentatam antea ſuperioribus ducibus expugnaret, circumpoſita militum ſtatione ad cohibendas eruptiones, magnoque agreſtium numero, qui opus facerent mercede conducto, foſſam iuſtæ profunditatis ab ea parte arcis, qua Septentriones ſpectat, breui perduxit. Vimineas turres ſeptenos altas pedes, quas nota ratione ac ſæpius à nobis demonſtrata, arena implebant, interſeque iungebant, ante opus collocauit, erexitque aggerem opportunis in locis in altitudinem pedum duodecim, ita vt tuto milites inſtitutis cuniculis ſubterraneum opus inchoare, atque vltro citroque, quum res poſceret, commeare, tormentaque ſtatui, ac circumduci facilè poſſent. Quibus omnibus, nocturno maximè tempore, propter hoſtilium tormentorum iniuriam, munitionibus conſtitutis atque perfectis, certam oppugnandi rationem inſtituit, quæ pro tempore ac rerum opportunitate optima videbatur: ſcilicet, vt turriū pinnas, & ſumma murorū propugnacula maiorib. tormentis diſcuteret, ne cuiquam hoſtium ab ea parte cōſiſtendi in muro poteſtas foret, ac ſimul proſpectādi facultate priuarentur, atq; vſu minorum tormentorū, quorum omnis generis magnā copiam in murum contulerunt, hiſq; cuncta pinnarū interualla, & ſingulas de more feneſtellas inſtruxerant. Igitur ea omnia prolato ingentiū cannonum & colubrinarū ampliſsimo apparatu, cōtinenti atq; perpetua verberatione demolitus, tantam earum rerū vaſtitatem fecit, vt à Pallancina turre ad Carmelitarū propugnaculum (ea ſunt ædificiorū cognomina) totum pulcherrimi lateris tractū, qui ad vigilum commoditatem atq; operis elegantiā, tegulis et perpetua contignatione tegebatur, defenſorib. interfectis ſuperiore murorū corona defracta, bellicisq; omnib. inſtrumētis eadem ruina diſiectis, patefecerit. Mox ad ſuas artes conuerſus, actis cuniculis ſucciſisq; propugnaculi radicibus quod arci coniungebatur, exitúmque militari portula in foſſas quàm occultum habebat, magnā eius partem funditùs euertit. Quo caſu Nauarrini per ruinas connixi, tanta celeritate in propugnaculum euaſerunt, vt cuſtodes metu inopinatoq; periculo cōſternati, quum in munitiorem interioremq; locum ſe reciperent, vix ſpacium claudendæ portæ contra irruentes habuerint. Neque Maximilianus ad rumorem irruentis hoſtis excitatus, vt erat longo metu & curarum pondere obrutus, in tanto diſcrimine digna duce conſilia capiebat: amiſſamq; proculdubio ea nocte arcem ſenſiſſet, quum multi metu vel perfidia obſtruendam tātum eam portam eſſe cen-

ſerent, niſi Gambarus magnitudine periculi permotus, increpita ignauia atq; perfidia, cum delectis militibus ſubterraneo aditu ad portam deſcendiſſet, eaq; protinus patefacta, dum hoſtes effringendæ ianuæ conſilia inirent, occiſis pulſiſque omnibus, propugnaculum recepiſſet. Nec multò poſt Nauarrus, dum incautius in opere verſaretur, marmoris fragmento caput ictus, quòd hoſtili colubrina ab latere eam maximè petente partem, ſumma vi defractum reſilierat, oppugnationem ducibus ſuis reliquit. Periêre his omnibus oppugnationis diebus ducenti fermè ex Nauarrinis, & magnus agreſtium numerus vi tormentorum hoſtilium in foſsis oppreſſus eſt. Philippinus quoque Fliſcus, qui quondam abeunte in Germaniam Ludouico, cum parte præſidij Pallancinæ præfuerat, & Bernardino Curtio prodente arcem, non obſcuram proditionis atque auaritiæ notam ſubierat: dum Gallos quænam muri craſsitudo, & quænam antiquitùs internæ munitionis vitia forent, intentiore cura perdoceret, fortuito tormenti ictu diſcerptus interijt: ita vt meritis eum pœnis et deſtinato exitio Fortuna obijcere videretur. Plures quoque ex fortiſsimis propugnatoribus Maximilianus deſiderauit, & in his notum equitem Aloiſium Ferrerium, quum nulla diurni nocturníue temporis momenta, quin vtrinque maioribus tormentis contenderent, intermitterentur. Porrò Maximilianus, cui Fortuna primis imperij dieb. læta omnia ac tuta ſpoponderat, quum ſenſim naturæ vel ætatis vitio imperitorum ſecutus conſilia, parum honeſtis artibus ſe deprauandum dediſſet, nec facilè poſtea imminente bello tantos curarum fluctus imbecillitate ætatis atque ingenij ſuſtinere poſſet, labefactatis aliqua ex parte ſenſibus, mente excedere ita viſus eſt, vt neglecto priore cultu, non prius interiorem tunicam exueret, capillumúe pecteret, quàm ſubortis vndique pediculis, pedore & fœda illuuie deformis conſpiceretur. Horrendæ etiam imminentium rerum ſpecies triſti animo per quietem obuerſabantur: vnde illi grauior morbus, quum relictis ſtratis, inſomnes noctes perducere cogeretur. Multa eum quoque tot curis implicitum prodigia, quę ſanas etiam mentes perturbare conſueuerunt, paucis antè diebus nunciata terruerant. Nam apud Gambalottam vicum, meridiano tempore duo equites in aere humana maiores effigie inter ſe concurrere viſi, victoremq; eum qui ab Galliæ regione veniſſe videbatur, alterum continuò profligaſſe frequentes agricolæ confirmabant. Brennio quoq; amnis Ticini ſocius, quem ob terręmotũ corruente ingenti montiũ mole, lacum ſupra Bellizonam nunq̃ antea viſum effeciſſe memoria prodidimus, quum excreſcente in immenſum aquarũ multitudine ſupra quadraginta ſtadia interclusæ vallis occupaſſet, nec iam vllis obicibus teneretur: effracta rupe patefactoq; exitu effuſus, ſubiectam planitiem inundauit, eodemq; impetu & lapideum Ticini pontem, & nobiliſsimi operis munitionem, quam duplici contecto muro, & turribus admirabilem, Ludouicus Sfortia interuallo decem ſtadiorum ab oppido in aduerſos montes perduxerat, puncto temporis deiecit et abripuit. Inde per patentes campos horribili fragore delapſus, quum præceps Verbanum lacum peteret, cohortem Heluetiam in caſtra contendentem curſus celeritate deprehendit: neque miſeris repentina calamitate oppreſsis in proximos montes euadendi Fortuna ſpacium dedit. Nam quum in ſuperiora villæ ædificia conſcendiſſent, paulò poſt aucta profluentis violentia, conuulſis fundamentis integra natante villa deuecti miſerabiliter perierunt. Qua clade pulcherrimus centum ſtadiorum tractus, villis, ſatis, arboribus, armen-

armentis, multisque mortalibus momento abſumptis, interijt. His corporis atque animi morbis circumuentum Maximilianum, acerbioresque in dies ab infeſta fortuna ictus metuentem, nonnulli vanis ſparſis terroribus, quum amittendæ arcis pericula in maius augerent, ad ſummam rerum deſperationem perduxerunt. Ioachimus ille, qui ab Agnelli colle deſcendentibus Gallis, eas anguſtias ſuſpectiore negligentia omni pręſidio nudatas reliquerat, diſſeminatis ſermonibus apud præſidiarios, triſtia omnibus, & certum arci excidium ominabatur: moliri ſubterraneos ſpecus Nauarrum, quibus omnis aquæ copia penitus auerteretur, vel corrumperetur, eumque perfectis cuniculis breui, ſicuti ad Neapolim feciſſet, munitiora arcis loca & turres ipſas ſulphureis ignib. in ſublime iactatas euerſurum. Quæ tametſi multorum animos cogitatione periculi ſuſpendebant, à peritis tamẽ vt inania confutabantur, quòd depreſsiſsima turrium fundamenta, quę etiam vt humido ac cedenti in ſolo ſublicis impoſita eſſent, vel inſano etiam labore ſubterfodi non poterant: vnde ſibi neque cuniculo neque ignibus noceri poſſe arbitrarentur. Ea enim eſt horum operum natura, vt tum ignes, quum ſolidis ac ſiccioribus muris & cautibus incluſi fuerint, vehementiſsimè ad ſpirandum inanes auras quæritant, cunctaque velociter impotenti violentia perfringant, ſi verò, vt in profundis neceſſario accidit, molli terreno, vel modica aquarum ſcaturigine humentibus locis cuniculi inciderint, hebetato ſtatim puluere humoris iniuria lenteſcunt ignes, caſſoque labore in irritum, vt rerum magiſter vſus edocuit, reſoluuntur. Igitur Sfortia, quum per eas animi perturbationes rerum tædio affectus omnibus ſuis diffideret, & memoria paterni carceris maiore animi mollitie quam virum vel principem deceret, vitæ libertatisque pericula metiretur, nulla dedecoris cura habita, quin ſe dederet non cunctandum ſibi amplius exiſtimauit. Neq; Gambarus atque Aquila legati, in quibus ſumma authoritas eſſe debebat, quo minus in turpi ſententia perſeueraret, quicquam proficiebant, quanquam grauibus eum ſermonibus caſtigatum in ſpem erigere, increpitaq; degeneris animi ſubita conſternatione, à tam fœdo dementiq; conſilio deterrere contenderent: ac ſimul teſtarentur, fœderatos principes, ipſoſq; pręſertim Heluetios, qui pro eius ſalute ac dignitate conſeruanda fratres ac conſanguineos ſuos amiſiſſent, iniuriam animo nunq̃ eſſe depoſituros: ſi tam propinqua ſpe renouandi belli, rebus eorum atq; conſilijs intempeſtiua deditione, infami pręiudicio obuiã iret. At ille præſenti animo, quaſi ſenſib. receptis, Egregiè (inquit) ac fortiter & mihi et paternę auitęq; glorię vel conſtantiſsimo vitę exitu ſatisfacerẽ, vt planè ſuadetis, niſi honeſtiora ſpecioſioraq; conſilia eos, qui cadentib. rebus ſuis pertinacius cum irata Fortuna colluctãtur, plerunq; duriſsimis caſib. reſeruarent. Agnouimus enim iam pridem male auſpicati imperij fortunam, quum ſeruire impotentib. fœderatis cogeremur, qui tota prouincia publicis ac priuatis facultatib. ſpoliata, nihil mihi præter inane principis nomen reliquerunt. Vitámne ego ac libertatẽ, naturæ munera, dedecoris metu, vel pernicioſa virtute deſpiciam, et ruentium rerum ſortẽ iterum periclitabor, vt pro ſpecioſis, inanis et incertæ dignitatis titulis inſolentiſsimis hominibus, qui præſcribunt, leges dant, & ſumptus & vectigalium exquiſitam rationem repoſcunt, iterum ſeruiam? aut proditus, ac perductus in Galliam paterno in carcere, & in hiſdem catenis expirem? Imprudentérne ego, vel ingratè, ſi in maiore mea iactura propriæ ſaluti ac libertati conſuluero, Ferdinandi, vel Cæſaris rebus præiudicaſſe

videbor, qui apertis conſilijs, vt hoc imperium, maiorum meorum virtute partum, nepoti Carolo adiudicarent, aliquando me extrudere cogitarunt? Quorum alter, vt qui ſemper cum hoſte clandeſtinè ſenſiſſet, extremis duobus caſibus meis ſubuenire noluit. Alter, tametſi menſtruis penſionibus ingentes ei pecuniæ ſoluerentur, quum tamen bellum immineret, in interiorem Germaniam regreſſus, neque ſuæ dignitati ſatisfecit vnquam, neque in meis vel miſerrimi patris difficultatibus digna Cæſare, vel cognato principe auxilia tranſmiſit. Neque Leoni, quominus dignis pontifice conditionibus cum Gallo fœdus percutiat, hac neceſſaria deditione impedimento futurus exiſtimari velim: qui ſi fallaci atque infido Fregoſio minimè crediďiſſet, expeditioreque conſilio celerius & conſtantius priſtini animi deliberata peregiſſet, neque ipſe cum maxima dignitatis imperijque iactura ſuperbis hominibus ſeruire inciperet, neque ego fractis ac deſperatis rebus, quod miſerrimum eſt, apud hoſtem meliorem vitę conditionem quęrendam eſſe cenſerem. Tantum verò abeſt, vt publicam Heluetiorum cauſam reſpicere velim, vt illos, qui magno ſuo incommodo huius imperij tutelares videri volunt, vltro ea moleſtia ſim liberaturus, ne ſi bellũ renouauerint, licitatione capitis mei alteram perpetuæ infamiæ notam ſubeant, vel cum natura factioſi atque venales diſſentire inter ſe cœperint, aliam funeſtiorem fortaſſe cladem, ſicuti nuper, dij immortales auaritiæ atque arrogantiæ vindices intulerunt, mea de cauſa contraxiſſe videantur. Ita Maximilianus, vt perpetuis tandem curis atque moleſtijs animum liberaret, & principalem vitam nullis vnquam ærumnis vacuam cum priuata ac beatiore commutaret, trigeſimo oppugnationis die arcem dedidit, his conditionibus, vt ſibi ac prę ſidiarijs militibus res ſuas atque omnem ſuppellectilem, præter militarem apparatum, efferre liberum foret, atque ipſi ab rege triginta quinque aureorum milia ſingulo quoque anno perſoluerentur, modò per publicas tabulas paterno iuri cederet, & ſe iniuſſu regis, fide data, Galliæ tranſalpinæ fines minimè exceſſurum vllo tempore polliceretur. Fuere ea tempeſtate multi mortales, qui Ioannem Gonzagam & Hieronymum Moronum, quorum conſilijs Maximilianus innitebatur, ad extremũ, vt rebus ſuis conſulerent, fidem cum fortuna commutaſſe exiſtimarent: quòd iuuenem imperitum rerum, ægroque animo fluctuantem, quem conſilio atque induſtria ſanare atque erigere potuiſſent, ad dedendam arcem impuliſſe dicerentur. Quod pro vero fortaſſe relinqueremus, niſi tempora, quæ ab euentu rerum cauſas aperiunt, aliquantò poſt ambos ea calumnia, Maximiliani etiam teſtimonio, liberaſſent. Ipſe Maximilianus, quũ regem apud Ticinum ſalutaſſet, comitantibus equitibus, qui eum liberè cuſtodirent in Galliam profectus eſt. Nec multò poſt Frãciſcus, quòd ante receptam arcem ſuæ dignitatis eſſe minimè ſtatuebat, Mediolanum tum primum inuectus cum ornatioribus turmis delectiſq; cohortibus, quarum duces ſumptuoſo apparatu inſtructi inſigne ſpectaculum populo prębuerunt, de hoſtibus magnificè triumphauit.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XVI.

INTEREA Triuultius ad opppugnandam Brixiā profectus, quum perſpecto vrbis ſitu, notatisq́; hoſtium munitionibus, ad templum Euphemię virginis caſtra poſuiſſet, aduocatis in conſilium Venetis ducibus, qui ſua & Liuiani cogitata in medium adducerent, duplicem expugnandæ vrbis rationem reperiebat. Vna erat, qua conſtitutis aggeribus, foſsisque perductis ad ſecuritatem oppugnantium, tormenta ſubueherentur, murumq́ue opportuno ac debiliore in loco, maioribus tormentis ad regulam collocatis, ita diuerberarent, vt foſsis murorum ſtrage ruinaq́ue completis, ad ſubeundum facilis aſcenſus, & latior ad irrumpendum aditus armatis ordinibus præberetur. Altera erat in celeritate poſita, qua ex improuiſo pluribus ſimul in vnum locum prolatis directiſque tormentis, prius murum crebris ictibus quaſſatum aperirent, tumultuarioque pręlio depulſis defenſoribus, vrbem ingrederentur, quā hoſtes imparati ac feſtinantes extruere aggerem opportunumue conſilium in repentino negotio capere, & propugnare poſſent. Huius ſententię erat author Petrus Longenas equitum præfectus, vir acer & fiduciæ plenus, cuius conſiliū plerique ſequebantur, qui longam ac laborioſam oppugnationem æquis animis expectare non poterant. Hanc, Triuultius dux vetus ab longo rerum vſu grauique ingenio cæteris prudentior, laudata priore, non probabat, vt qui vllam victorię partem, quam tuta vel recta belli gerendi ratio promittere poſſet, ab audacia vel caſibus minime ſperandam arbitraretur. Sed quum Longenas propter ſummam locorum ac mœnium notitiam, quòd Brixianus ciuis erat, æquioribus militum auribus audiretur, omnes ferè in eius ſententiam conceſſerunt. Iactabat enim ab ea parte, qua Garzetta fluuiolus vrbem egreditur, nullius propè negotij futuram oppugnationem, ſi à neglectæ cuſtodiæ loco nihil tale verentes, hoſtes adorirentur. Itaque milites falſis adducti perſuaſionibus, quod plerunque ante periculum ſuas atque alienas vires iniquè æſtimant, & deſtinata conſilijs ſecundo curſu ſibi ſucceſſura facilè credunt, prolato apparatu, antequam dileceſceret, magna vi oppugnare cœperunt, vel ob id ardētius, quòd loci felicitate impulſi, ab eodem exeuntis Garzettę oſtio, quum Galli fruſtra obſiſterent, Gritto & Auogario ducibus, in vrbem irrupiſſe meminerint. Tanta verò murorum ſtrages edita eſt, vt patefacto aditu per ruinas trāſcenſuri viderentur. Sed contrà ab Hiſpanis atque Germanis, qui ſumma promptitudine quod agendum foret ſibi opportunè diuiſis inter ſe muneribus præſcribebant, cuncta ea, quæ Veneti quàmcelerrimè perfici poſſe crediderunt, diligentiore induſtria tardabantur. Enimuerò ne deeſſent, qui vno tempore & aggerem cōportarent, & mœniū hiatus obſtruerēt, ac ſimul in perpetua ſtatione

conſiſtendo è muris propugnarent, per mutuas cohortes ſibi inuicem alternis horis ſuccedebant. Vbi autem ſubitario munitionis genere ſatis abundè periculis prouiſum fuit, ab Nazariana porta, quæ latus oppugnantium ab inferiore parte reſpiciebat, admonitu Annibalis Lanæ Brixiani colubrina directa eſt, qua, tametſi quominus certis ictibus in hoſtes emitteretur, craſsior nebula ſuperfuſa terris, vt hyberno matutinoque tempore accidit, proſpectum impediebat, ad primum tamen ictum, vel æſtimatis coniectura mœnium ſpatijs, vel ipſo caſu, qui bellicis in rebus ratione efficacior exiſtimatur, tres ſimul tormentorum libratores interfecit. Vnde mox diſploſis vno tempore omnibus ſclopettis cæteriſque tormentis, in eas cohortes quæ ad foſſæ marginem ſub ſignis temere progreſſę fuerant, occiſis amplius trecentis militibus, tantum terrorem cum inſigni clade cęteris intulerunt, vt Malateſta Baleonus & Ioannes Conradus Vrſinus, qui ante alios Longenę auſpicijs primas irrumpendi partes depopoſcerant, deſerere trepida fuga omnem apparatum, celerrimoque regreſſu ad ſuos ſe recipere cogerentur. Quo caſu Hiſpani atque Germani è muro ſtragem fugamque hoſtium conſpicati, quin eruptione facta perturbatos inuaderent, minime dubitarunt. Neque Hicardus inſidias veritus, neque Rodulphus Hala Germanorum dux, qui maioribus portarum ſpatijs aggere obſtructis, anguſtiſsima portula nequaquam erumpendum eſſe iudicabant, reprimere ardorē militum potuêre. Ita duce Morellione ſcutis gladijſque contenti quum euolaſſent, aliquot interfectis & captis, occupatiſque omnibus tormentis, vniuerſos in fugam coniecerunt: maioreque incommodo ac metu hoſtes affeciſſent, niſi Triuultius, quem falſus rumor ab extrema caſtrorum parte ad propinquam ſpe capiendæ vrbis euocauerat, oppoſitis equitibus eorum impetum retardaſſet. Hiſpani ſiquidem tormentorum ſuorum, quæ in muro conſtituta fuerant, pręſidio confiſi, ob id aliquãto audacius perterritos inſequebantur, quòd ſi hoſtis fortè vrgeret, tutum receptum ſibi dari intelligebant. In eo tumultu Hiſpani, ne, quæ ipſi dudum ceperant, acriore hoſtis impetu reciperentur, omnem tormentarij pulueris copiam ſuccenderunt: excuſſereque curribus maiora tormenta, defractis eorum rotis atque axibus, ne reduci poſſent: minora verò humeris impulſa in foſſam præcipitarunt, & ſe ad vnum incolumes in vrbē receperunt. Reliquo autem diei tempore, quæ intacta remanſerant, è muro directis colubrinis ita oppugnata ſunt, vt aliqua percuſſo metallo frangerentur, alia diruptis curribus inutilia redderentur. Ea die Marcus Calaber equitum præfectus, quum in ipſo oppugnationis ardore incautius in muro verſaretur, tormento ictus interijt. Nocte verò, quæ ſequuta eſt, Veneti per denſiores tenebras extinctis ignibus, ad tormenta ſilenti gradu redierunt: quòd hoſtes ſulphureum puluerem, cuius penuria maximè premebantur, incertis ictibus minimè ſibi abſumendum eſſe iudicabant. Maiora autem tormenta numero decem, & ex his vnum elegantis, ac miræ magnitudinis, quod Liuiani Cometes appellabatur, obſeſsi poſtera die ductarijs funibus, per trocleas ergatarum artificio, è foſsis in ſumma mœnia ſuſtulerunt. Triuultius poſt id detrimẽtum paucorum temeritate acceptum, è conſpectu hoſtium recedendum ratus: vt aliquo temporis ſpatio inſtaurato apparatu recreatiſq; militibus, rurſus ad oppugnãdum reuerteretur, ad tertium ab vrbe lapidem copias reduxit, ac ſimul Veneti, ne irrito incœpto abſcederent, ab rege auxilia poſtularunt. Miſſuſque extemplo Brixiam Baſtardus Sabaudius Caroli Allobrogum principis patruus, qui

tum

tum cognatione & gratia regis pollens potenſque magnam apud Gallos authoritatem obtinebat. Erant cum eo ſupra tria millia equitum, & ſex millia peditum Germanorum. Sed quum ſuperato Abdua ad Balneolum oppidum perueniſſent, Germani conſpiratione facta, recuſare militiam, atque obſtinatè ſubſiſtere cœperunt, quòd aduerſus Cæſarem & conſanguineos ſuos minimè ſe profecturos dicerent, quibus neque bellum, neque iniurias inferre veteris ſacramenti religione tenerentur. Cæterum quæ iam capta eſſent, ſe tutaturos, & aduerſus quaſcunque gentes, ſi bellum vltro Gallis inferatur, promptiſsimam in propulſanda iniuria operam præſtituros. Ea res Venetorum animos vehementiſsimè permouit: quòd Franciſcus parum ſyncero conſilio eius generis auxilia tranſmiſiſſet, quæ ambiguæ fidei viderentur, quum nullis præmijs vel obteſtationibus flecti poſſent, quin in propoſito detrectandæ militiæ perſeuerarent: ac ſimul omnibus maleficijs tanquam in hoſtico forent, regionem diuturno bello exhauſtam prædarentur. Quibus de cauſis, Franciſcus, vt apud Venetos omni fraudis vel commutatę volũtatis ſuſpicione vacaret, fidemq; ſuam erga ſocios inuiolabilem eſſe teſtaretur, reuocatis Germanis, Nauarrum cum decem Vaſconum cohortibus Brixiam tranſmiſit. Is enim ſicuti curato vulnere cõualuerat, ita maximè ante alios propter veterem ac recentem gloriam mirabili operum artificio, oppugnandique ſcientia apud Mediolanum comparatam, à Venetis petebatur. Erant enim qui inexpugnabilem arcem, eius viri artibus omnino ceſſuram fuiſſe exiſtimarent. Nauarrus adulta iam hyeme Mediolano profectus, quum Venetis caſtris iam appropinquaret, in hoſtium equites incidit, qui per cauſam prædandi omnem eam regionem repentinis excurſionibus infeſtabant: vixq; (vt erat paucis familiaribus comitatus) in eo periculo amiſsis impedimentis, atque omni caſtrenſi ſuppellectile, equi velocitate eorum manus effugit. Interea Franciſcus quum Heluetios vindictæ auidos, quos fremere, et bellum Italię minitari intelligebat, vllis vel ampliſsimis etiam conditionibus pacare non poſſet: ac ſubinde Ferdinandus & Cæſar impulſis Heluetijs, & Henrico Britannię rege ſollicitato, coniurare inter ſe, & renouare belli conſilia nunciarentur: vt imminentibus malis occurreret, colloquium ab Leone pontifice poſtulauit, ratus ſe eo congreſſu arctioribus fœderis vinculis eum ſibi obſtricturum, ſuſpicaceſque regum animos, iniecta abditi conſilij ſuſpicione turbaturum: quòd Heluetij ac ſocij reges, qui Leonem iniuriæ memorem, vetere partium ſtudio minimè commutato, ſeruire temporibus magis, quam cum Gallis ex animo conſentire putabãt, magnam ſpem in eius pecunia atque authoritate ad conficiendas res maximas collocare viderentur. Et Franciſcus religione etiam permotus, ad gloriam quoque pertinere arbitrabatur, ſi pontificem & ſacrum cardinalium ſenatum inuiſeret, ac ſimul ſeipſum, qui tantus in acie fuiſſet, totque regulos ac duces ad ſplendorem Gallicę amplitudinis vlteriorib. populis oſtentaret. Leo, tametſi cõplures principum legati, et in primis Cardonius qui ad eum venerat, ne cum Gallo colloqui vellet obnixè precarentur, multis tamen de cauſis minimè ſibi reſpuendam conditionem eſſe exiſtimauit. Ita maximo illuſtrium ſacerdotum comitatu Florentiam profectus eſt, vbi totius Ethruriæ concurſu, magna atque incredibili hilaritate, Florentini, vt tantum ciuem pontificemque debeant, exquiſitiſsimis honoribus exceperunt. Inde tranſgreſſus Apenninum quòd Ethruriam Gllis aperire nolebat, gelidiſsimo anni tempore Bononiam peruenit. Nec multò poſt Robertus Vr

ſinus Rheginus, & Pompeius Columna Reatinus nobiliſsimi antiſtites, qui Franciſco Parma digreſſo occurrerent, eumq; deducerent, tranſmiſsi: quo tempore Tramulius quoque & Lotrechius procerum clariſsimi ad pontificem iuſſu regis peruenerunt. Poſtero die Franciſcus cum ſex millibus equitum, comitante cardinalium ſenatu vrbem ingreſſus, pontificem in prætorijs ædibus ſella ſedentem exoſculatis de more pedibus, adorauit. Neque pontifex eum regẽ, qui priſco cognomine Chriſtianiſsimus diceretur, ad pedes procumbere paſſus eſt: nam venerabundum dextra motuque corporis alleuauit, deductumq; in ſecretiorem ædium partem humaniſsimè complexus eſt. Erat Franciſcus procera corporis ſtatura, colore lacteo, viuacibus oculis, ſerena prorſus ac regia facie, omnium qui adeſſent eius ætatis formoſiſsimus. Idque illi in primis incomparabilem gratiam addebat, quòd nemo vel ſeuerus in eo ferè imberbi grauitatem regijs moribus neceſſariam deſideraret, quum verſicolore ac interciſa veſte pileoque diffluentibus pennis redimito, ac licentiore ſermone apud ſuos palàm vteretur: omneſq; tamen in caſtrenſi comitate regiam dignitatem agnoſcerent. Leo ſequenti die Petroniano in templo, rege altaribus miniſtrante, ſacra celebrauit: ac mox, quum aliquot dies ſecretioribus colloquijs impendiſſet, conſtitutis inter ſe belli & pacis conditionibus, quas memoriæ prodere neceſſarium nõ putamus, Hadrianum Arcturi Boyſsiuij fratrem purpureo galero decorauit. Erat Boyſsiuius regis nutricius, atq; omnium conſiliorum moderator: cuius impulſu Franciſcus colloquium appetiſſe dicebatur. Regi quoq; conceſſum eſt, vt citeriore ac vlteriore in Gallia ſacerdotiorum reditus binis exactionibus decumaret: & contrà permittente rege pragmatici iuris prærogatiua tolleretur: qua (vt ſuo loco memorauimus) ſacerdotia tota Gallia collegiorum arbitrio adiudicari conſueuerunt. Pontifex quoque in gratiam obnixè petentis regis, Georgium Supraſaxum magnę apud Heluetios authoritatis carcere emiſit. Is domi Gallicæ factionis extiterat: & propter cruentas atque acerbiſsimas ſimultates, quas cum Sedunenſe cardinale omnibus temporib. exercuerat, capitali iudicio conuictus, in mole Hadriani teterrimo in carcere ſeruabatur. Precibus item pontificis, Franciſcus Proſpero Columnæ libertatẽ ſe daturum pollicitus eſt, remiſſurumque ei (vt poſtea factum eſt) tertiam impoſitę pecuniæ partem: quum Proſper acerbitate ducum, in quorum poteſtatem deuenerat, triginta ſeptem millibus aureis nummis ſe redimere cogeretur. His rebus ſex dierum ſpatio conſtitutis, Franciſcus Bononia profectus Mediolanum peruenit, donauitque pontifex abeuntem aurea cruce precioſiſsimis gemmis exornata, qua fruſtulum Chriſtianę crucis includebatur. Ipſe, non multò poſt, quum per aliquot dies Carneualibus ludis perſonatus choreis et matronarum amoribus indulſiſſet, & crebris ſubinde rumoribus afferretur, Heluetios ac Cęſarem, Ferdinando & Henrico obnixè iuuantibus, conſentire in vnum, atque arma parare, magnis itineribus in Galliam contendit. Hiſdem fermè diebus Triuultius atque Nauarrus ad Brixiam ampliore adducto exercitu, atque omnibus rebus ad oppugnandum comparatis, ab ea parte conſederunt, qua Paulum Baleonum Obignino incluſo, vrbem oppugnaſſe memorauimus: perpetuisque munitionibus circumductis, trina templa, Apollinaris, Floriani, et Saluatoris, latiore ſpacio complexi, caſtra muniuerunt. Neq; per plures dies diurni vel nocturni laboris quicquam intermiſſum eſt ad perducendas foſſas extruendosque aggeres, quibus tormenta aduerſus hoſtium iniurias tegerentur.

Nec multò poſt, nullo propè vulnere accepto, tota ea murorum pars; quæ ab imis montis radicibus ad arcem pertinebat, magna vi tormentorũ pinnis propugnaculiſque nudata eſt: actique ſubinde cuniculi varijs in locis, quibus intromiſſo puluere fundamenta murorum euerterent, vel ſubterfoſsis mœnibus per occultiſsimos ſpecus in priuata vrbis ædificia penetrarent: atque inde ſenſim coacta militum manu, vrbem inopinantib. hoſtibus occuparent. Sed Triuultius diuerſa ac nota omnibus ratione mœnium partem ad longitudinem pedum ducentorum ſuccisis radicibus, longa tibicinum ſerie fulcire, ſuppoſitisq; ignibus excindere ſingulari ſtudio contendebat. Foſſores enim perpetua concameratione amplioris cuniculi, qui ad mœnium lõgitudinem ſecundum fundamenta proferebatur, dum opus perficerent, occultabantur. Ii murum paulò ſupra radices malleis vectibuſque perfringebant, ſubtractiſque ſenſim lapidibus, tigna bipedalia, craſsitudine humani cruris, modico pariq; interuallo inter ſe abiuncta ſupponebant: atque ita cõtinuato opere, totus murus perpetuis tignorum ordinib. innixus ſuſpendebatur. Ea mox interualla, aridis virgultis ad concipiendam flammam pice atque oleo præparatis, tormentarioque puluere conſperſis implebant, quibus poſtea ad ducis ſignum vno temporis momento ſuccenſis, quum eodem igne tibicines ac tigna ſuppoſita conſumerentur, neceſſariò eæ mœnium partes repentina atque ingenti ruina corruerent. Hæc quum ſingulari ducum ſolertia atq; incredibili ſtudio ac labore militum pararentur, per viginti octo dies Gallica, Venetaque tormenta nunquam ceſſarunt. magna introrſus murorum vaſtitas facta: magnus timor hoſtibus iniectus, multique milites vtrinque occiſi: & inter alios Annibal Lana, qui tutiſsima in parte mœnium reſilientis pilæ ictu percuſſus occubuit. Interim milites quotidiana conſuetudine inter ſe colloquebantur, quod primæ caſtrorum munitiones adeò mœnibus ſubiectæ erant, vt telum è muro facilè in eas adigi poſſe videretur. Galli enim ac Veneti obſeſsis famem omniumq; rerum inopiam, atq; omnis auxilij deſperationem obiectabant, ac mortem aut vincula comminabantur, quòd eos, ſi per conditiones deditionem facere vellent, minimè ſe recepturos eſſe iureiurando confirmaſſent. Econtrario Hiſpani Venetis ignauiã exprobrabant, quum ſe iterum omnem eorum apparatum advempturos eruptione facta denunciarent; magnopere verò ſe Gallorum vicem dolere dicebant, quòd eo anni tempore, qui in tepentibus & bene cultis Inſubrum domibus, pellicea veſte & largiorib. epulis vti conſueuiſſent, niuis ac imbrium atq; aquilonis iniurias pro aliena cauſa paterẽtur. Quum per hunc modum milites facetè contumelijs inter ſe contenderent, Nauarrinus miles, vt linguam iactantiamq; Hiſpanorum, iniecta cuniculi ſuſpicione reprimeret, Hiſpanicè loquutus, Commilitones, inquit, qui extremis etiam rebus veſtris iam ſecurè iocamini, cauete ne à vobis contumeliarum rationem repoſcamus, quum Gallina pede ſcalpere ac fodere humum aliquando deſierit. Quæ verba acuti & perſpicaces Hiſpani, qui in muro erant, ſanis auribus acceperunt, eaq; altius interpretati, Nauarrum pro Gallina ſpecus cuniculoſq; moliri, quod peculiare eius hominis artificium foret, ab ſuæ gentis milite per luſum cautè ſibi ſignificari iudicarunt. Nec mora ea res pluribus ſimul ſigniferis ac centurionibus communicatur, ad Hicardumq; concurritur. Ille qui propter loci mœniumque naturam atque eius hoſtis ingenium, qui in his artibus maximè inniti conſueuiſſet, hæc eadem multum antea accidere ſibi poſſe cogitarat, per eam vrbis partem, quæ

proxima caſtris & ſubiecta periculo videretur, diligētiſsimos homines circum mittit, qui cuncta explorent, priuatas domos, templa, cœnobia ingrediantur, ſcientiſsimeque perquirant, an aliqua cuniculorum veſtigia reperiri poſsint.

In id quum omnium militum animi ſummo ſtudio intenti eſſent, alij paſsim omnibus ſilentibus ſtrati, vt terræ motum notarent, aurem ſolo applicabant: alij tympana militaria ſolo depoſita, ſi concuſsis leuiter membranis, vel tenuiſsimè perſonarent, contemplabantur: alij capaciſsimas pelues, vaſaque ænea omnis generis aqua repleta, ſi tremulis motibus agitarentur, intentiſsima cura omnibus locis obſeruabant: quibus argumentis ſubterranei operis motiones neceſſario deprehenderentur. Nec multò poſt certo in loco animaduerſum eſt terræ ſuperficiem manifeſtè commoueri. Quam ob rem ſingulari omnium lætitia cōtrarium illi cuniculum inſtituerunt. Erant multi in vrbe milites horum operum peritiſsimi, qui artem ſuperioribus temporibus præceptore Nauarro didicerāt, pluresque Germani, quibus omne genus cunicolorum notiſsimum erat, propter Argentarias ſecturas, quæ apud eos ad Hercyniæ regionem ſunt frequentes. Ex his nonnulli etiam inter Gallorum præſidia Bononiæ fuerant, et ſe Nauarri artibus contrarijs cuniculis feliciter occurriſſe meminerant. Quibus de cauſis cōtinuato labore, ac pluribus ſimul perductis cuniculis, facile per obliquos meatus ad hoſtium opera peruenerunt. Quo caſu læti milites ab opere deſiſtunt, relictiſque in extrema cuniculi parte paruis foraminibus quibus introſpicere poſſent, ſilentio ad duces reuertuntur. Diſputatur in conſilio, an ſulphurei pulueris cados, qui in eum locū ab hoſte conferebantur, ex occaſione diſceſſus eorum ſubtrahere furtim, aſportareq; deberent, ꝙ magnam eius rei inopiam diu antea ſentire cœpiſſent: an opperiri tempus præſtaret, horaſque captare, quibus Triuultius atq; Nauarrus gratia inſpiciendi operis in eum cuniculum ſe demittere conſueuiſſent: vt illos iniectis ex improuiſo igniuomis globis, miſerabili morte concremarent. Sed Dij immortales, qui vt præditos inſigni virtute homines diutius ſeruent, plerumque imminentis Fortunæ impetum benignitate præuertunt (vt ſæpe antea fecerant) illos ea quoque die protexerunt. Nam miles, qui ſubeuntes expectare debebat, cuiq; perficiendi negotij cura fuerat demandata, quum aliquos & in his cuniculi magiſtrum cultiore ac ſerica veſte indutum verſari in cuniculo per ambiguas tenebras conſpexiſſet, vt qui ſe deſtinatos duces enecaturum exiſtimabat, moræ impatiens, iudicioque deceptus, ambuſtis aliquot hominibus totam adinuenti cuniculi rationem hoſtibus pateſecit. Neque tamen Triuultius atque Nauarrus, tametſi multorum dierum labor puncto temporis interijſſet, quicquam ex alijs operib. remittendum ſibi eſſe iudicarunt: quod obſeſſos, neceſſarijs rebus magna ex parte conſumptis, ſublata ſpe ſtipendiorū, auxilijs deſperatis, extremas rerum difficultates non eſſe toleraturos intelligebant. Iam enim Hiſpani atque Germani quum in celeritate vel diligentia Cæſaris nullam ſpem collocarent, quod eum incertis tardioribuſque conſilijs momenta Italici belli reſpecturum arbitrarentur, ſtipendium procacius atq; arrogantius, quam in obſidione deceret, efflagitare: miſeros ciues violatis hoſpitij iuribus prædæ loco habere: ducibus atrocia comminari, Cæſaremque maledictis & probris inceſſere cœperant.

Quin etiam quum Gurcenſis cardinalis ad ſuſtentandam eorum ſpem, ventura ad certam diem auxilia plurib. literis ſignificaſſet, neq; ea poſtmodum comparuiſſent, morionem aſello impoſitum imperatorijs inſignibus atque aquilis exor-

lis exor-

lis exornatum, lagenas collo ſuſpenſas deferentem, per vrbem deduxerunt; & pro Cæſare, veluti ipſis auxilio ſuperueniſſet, temulentius quàm quiſquam crederet, fœdis acclamationibus ſalutarunt. Neque abditi duces ac plurimùm de ſalute ſolliciti, deteſtabilem ac nefandam eorum petulantiam authoritate caſtigare, vel vlciſci ſuprema imperij poteſtate, ne ſeditionem miſcerent, audebant. Hiſdem fermè temporibus Cæſar in Vindelitiam redierat: imperatisque militibus, qui Brixianis auxilio mitterētur, ad quindecim cohortes armauerat: maiusque bellum, ad victoriam Gallorum excitatus ingenti animo moliebatur. Superiore enim æſtate quum Franciſcus tantis coactis exercitib. aduerſus Heluetios bellum pararet, ipſe, veluti neglectis Italiæ rebus Viennam in Panno-niæ fines abſceſſerat, vt cum duobus Septentrionis regibus colloqueretur. conuenere enim Vladislaus Hungarię, & Sigiſmundus Poloniæ reges, atque ipſe Cæſar in patentibus campis. nemoque fuit paulò notioris nominis Sarmata: nemo illuſtris Pannonius: nemo è tota Germania, qui toga vel armis clarus eſſet, qui regem ſuum cum ornatiore turma equitum minimè fuerit comitatus. Aderant Thomas Strigonienſis, et Langus Gurcenſis cardinales: aderant Danorum & Gothorum regis legati: Bohemorum & Marcomannorum Senatus: & totius denique Europæ principum oratores. Multa eo concilio, quæ ad rerum quietem pertinere videbantur, pertractata: actumque in primis de Moſcouitis, qui infeſti Lithuanis, etiam tum Smolenchum vi captum retinebant: quibus Cæſar propter affinitatis neceſsitudinem, quæ ſibi cum Baſilio eorum rege intercedebat, fauere videbatur: magnoque omnium ſtudio deliberatum eſt de auertendis Turcarum incurſionibus, quibus finitimæ Illyrici & Panno-niæ regiones euaſtabantur. Viſaq; eſt, ſed nō capta ipſa rerum occaſio gerendis bellis efficaciſsima: quum Selymum aduerſus Aladolum regem cum omnibus copijs in minorem Armeniam profectum eſſe cognouiſſent. Pacem ſubinde ac fœdera inter ſe percuſſa arctiſsimis cognationib. additis, obſtrinxerant: nam Cæſar Ludouico Vladiſlai filio, Mariam neptem ſuam Philippo filio genitā collocauit. Carolum verò, aut certè Ferdinandum alterum ex nepotibus, Ludouici ſororem, quum nubilis foret in matrimonium ducturum recepit. Bona quoque Ioannis Galeacij Sfortiæ filia, cuius amitam ipſe Cæſar anteà duxiſſet, Sigiſmundo regi deſponſata. Secretiora denique de maximis rebus inita fuere conſilia, quæ ſicuti ipſo rerum exitu nihil memoria dignum pepererunt, ita ea nos literarum monumentis minimè tradenda eſſe cenſuimus. Sed dum cohortes in Vindelicia, commeatus, pecuniæq; parantur, qui Brixiæ præſidio erant, quòd minore iam cura abſentis occupatiq; Cæſaris, & difficultate alpinorum itinerum anguſtiora ſibi in dies futura omnia exiſtimabant, de deditione cum hoſtib. agitare cœperunt. Erant ij nonnulli ante alios ſigniferi ac centuriones, qui ſpe amplioris pecuniæ, quæ à Venetis offerebatur, & tædio diuturnæ obſidionis adducti manipulares ſuos deprauarant: ac tunc maximè, vt ſe dederēt, & laboris prēmia, quæ certius ab hoſte, quàm à Cæſare promererētur, accipere maturarent, habitis per contubernia conciliabulis, adhortabantur. Neque gregarij mercenarijq; milites, qui parum decori ac glorię, quęſtui verò plurimùm ſtudent, tametſi paulò ante iactarant ſe non prius de deditione cogitaturos, quàm omnes obſidionis acerbitates pertuliſſent, voluntati centurionum ſuorum defuerunt: publico nanque conſilio decretum eſt, vt legati ad Triuultium de deditione mitterentur. Poſtulabant vt viginti dierum inducię forent: intra quod

diſſent. Erant plures, quum aduocato ſtatim concilio, ſententiæ de belli ratione dicerentur, qui cibo ac modico ſomno recreatis militibus, eadem nocte erumpendum, atque ad oppugnanda caſtra hoſtium contendendum eſſe cenſerent. Id Hicardus ipſe & Rodulphus Hala, ac Vbertus Gambara, veteresque milites probabant, qui celeri audacia, factoque virtutis periculo deleri imparatos hoſtes, & bellum facilè confici poſſe iudicabant. Triuultius enim paulò ante cognito Germanorum aduentu, vt equitatum, quem magno vſui minimè ſibi futurum aſperis præciſiſque in locis intelligebat, in patentiores campos educeret, ad Ghedas ita ſe receperat, vt eum veluti loci diſtantiæ confiſum, & à feſſo ac fatigato hoſte ea maximè nocte nihil tale verentem oppreſſuri nocturno impetu viderentur. Sed Rochandulphus, quum iniuſſu Cæſaris dubij atque audacis conſilij fortunam, quæ (vt bellici ferunt caſus) vel mediocri etiam clade illata reſurgentes partium vires, & maiora iam Cæſaris conſilia perturbare & euertere poſſent, ſe tentaturum negaret: prolatiſque Cæſaris mandatis, quibus ille præſcripſerat, vt Brixia metu liberata contentus foret, omnes eius conſilij cogitationes interrupit. Nec multò pòſt, quum duriores de ſe rumores audiret quòd multitudine ſuorum militum aliquantum plus famis, quàm pecuniæ vel commeatus intuliſſe diceretur, ad parandam pecuniam, qua militi ſtipendia ſoluerentur, duabus cohortibus in præſidij ſupplementum Brixiæ relictis, in Germaniam reuerſus eſt. Iam enim Germani, æquè ac Hiſpani, impellente vel conniuente Hala, qui vetere odio atque æmulatione Rochandulpho tacitè infenſus, omnem eius authoritatem militari petulantia comminui ac lacerari magnopere cupiebat, fremere cœperant: nec à maledictis miniſque palàm abſtinebant, quòd ſine ſtipendijs in ea rerum omnium inopia, quum per occaſionem exploratæ victoriæ diuturnum ſimul bellum & longam duramque militiam finire poſſent, ipſa illa tot periculis cognita virtute, inutiles, muro incluſi, & vinctis planè manibus timidiſſimi cuiusque ducis imperio tenerentur. Mox gliſcente inſania, quum deterrimus quiſque ſeditionis faces accenderet, quòd ſummotis hoſtium caſtris erumpendi prædandique, vt quotidiana exercitatione conſueuerant, facultatem amiſiſſent, ſumma procacitate atque licentia, debitas ſibi pecunias ab ducib. efflagitare cœperunt, atque in Hicardum, qui vt tumultuantes authoritate pollicitationibusque ſedaret, concionem aduocarat, inclinatis intentatiſque cuſpidibus impetum fecerunt: ac niſi circumſtantes de more ſigniferi trepidantem ſuperiectis vexillis contexiſſent, quæ ferro tangere fas non ducunt, & veluti ſacroſancta etiam ſceleſtiſſimi venerantur, proculdubio ſceleratas manus nefaria ducis cæde maculaſſent. Eum tamen metu exanguem, haſtarumque ictibus violatum diſcerpta ab humeris veſte, vt maiore contumelia afficerent, in domum adamatæ nec arridentis matronæ captiuum pertraxerunt: neque centuriones, aut alij duces, qui ab initio tumultus vt ſaluti ſuæ conſulerent, ſecretioribus ſe locis abdiderant, tot conſternatis atque minacibus occurrere vel prodire audebant. Quum tamen aliquo temporis ſpatio præferuida ſeditionis inſania refrixiſſet, atque ipſa cogitatione ſceleris, turbidorum atque ferocium animi ſanarentur, gregarij præcipuè milites pœnitentia & pudore confuſi, ſuos duces, qui metu tanquam à ſceleratis diffugiſſent, ſic animo atque oculis requirebant, vt dubitantibus ac pauidis publicam fidem darent, ac nihil in poſterum eis nocituros eſſe, interpoſito iureiurando pollicerentur. Centuriones poſito timore è latebris ad cohortes rediêre. Hicardus quoque priſtinæ dignitati reſtitutus, quòd vnicum ſedandæ ſeditionis remedium relinquebatur, pecuniam miſeris ciuibus imperauit: eamque per omnes modos acerbiſſimè extortam militibus diuiſit, vt alienatos ab ſe animos aliquo donatiuo deliniret. Quæ res Vberto Gambaræ in primis cæteriſque Cæſarianæ factionis principibus, qui cogendæ pecuniæ rationem inuenerant, magnam conflauit inuidiam: quòd illi, vt bellicis difficultatibus inſana quadam ambitione ſubuenirent, vtque in Cæſarem præclarius eorum ſtudium videretur, neque priuatis opibus ſuis, neque calamitoſæ ciuitati, euerſæque propemodum patriæ pepercisſent. Dati ſubinde militibus obſides, Alexander Balbianus virtute bellica & natalib. clarus, & Iacobus Tropius, qui in finibus Noricorum, propter ampliſſimas facultates ſummam authoritatem obtinebat. Ii pro Cæſare atq; Hicardo rece-

tabatur, nouæque indies ab vtriſque inſidiarum rationes reperiebantur. Paucorum enim dierum interuallo Mercurius cum Epirotis equitibus, Frãciſcum Hicardi fratrem, qui alæ pręerat, incautè cum paucis in inſidias prolapſum intercepit. Ex aduerſo Hiſpani equites ad Balneolum matutina excurſione progreſsi, Villanouam Gallorum equitum pręfectum cum amplius triginta equitibus commiſſo certamine victum comprehenſumque Brixiam perduxerunt. Nec multo poſt cùm Malateſta & Camillus Martinengus, vt redeuntes à frumentatione hoſtes intercluderent, cum valida equitum manu opportuno ac depreſſo in loco conſediſſent, ad emiſſarij pontem acerrimè dimicatum eſt. Qua pugna pauci Hiſpani equites leuis armaturæ, qui bucculatis galeis, ſolidisque thoracibus & craſsioribus haſtis, cataphractorum more vti didicerant, magnam hoſtium multitudinem loco pepulerunt, & falsa ſpecie aduentantium Germanorum peditum perturbatis Venetis, capto Camillo, Malateſta fugato, pluribusque equitibus interceptis, victores in vrbem redierunt. Paucos autem poſt dies Camillus & Franciſcus Hicardi frater permutatione facta, ſuis vtrinque reſtituti: Gallus autem pecunia ſe redemit. Per eos quoque dies centum ferme Hiſpani atque Germani pedites, qui ſine vexillo prædatum exierant, maioris pecoris non paruum numerum, pluresque captiuos Brixiam adducebant, ſexcentos amplius hoſtium equites magna contentione prædam recipere conantes, egregie ſuſtinuerãt. Nam in Garzettæ torrentis, qui tum forte exaruerat, alueum demiſsi quum ripis ab lateribus munirentur, & circumpoſitis ſclopettarijs, promptiſsimisque haſtatorum in fronte ac in tergo collocatis, prędaque in medium recepta, quietè admodum regrederentur: nemo hoſtium tam fortis vel inſanus fuit, vt deſpecta eorum paucitate accedendo irruẽdoque conſerere manus auderet. Ita cum magna laude Vallaſtichini ducis, qui author profectionis extiterat tribus horis continenter, circumfuſis inſequentibusq; hoſtibus eminus pugnando, ad vnum incolumes Brixiam peruenerunt. Hiſdem quoque temporibus M. Antonius, qui cum præſidio Veronæ præerat, diurnis nocturnisq; excurſionib. Venetos fatigabat. Expedito enim equitatu, quũ patentes campos percurreret, ac ſępius cum pręſidio curruliũ tormẽtorum, atq; ampliore cohortium turmarumq; numero in ſpeciem iuſti exercitus ex occaſione repẽtinas faceret expeditiones, omnem circumiectam regionem impunè populabatur: commeatus, ſulphureum puluerem, impedimentaque rerum caſtrenſium, quæ è Venetia ſupportabantur intercipiebat. Alieniaci enim arcem per eos dies tormentis ſecundo amne ratibus deuectis, ſubita oppugnatione adortus, dedentibus ſeſe ad primum vitæ periculum præſidiarijs, occuparat: ibiq; propter magnam loci opportunitatem, Suarem Hiſpanũ cum præſidio reliquerat. Quibus de cauſis, neq; milites, neq; tabellarij, neq; vllius generis negotiatores, niſi furtim, magnoq; cum periculo, commeare audebant. Ob ea Triuultius, vt regionem itineraq; omnia maioribus præſidijs tueretur, Paulum Manfronũ, et Mercurium Epirotã cum magna parte equitatus, cuius operam in oppugnanda Brixia minus neceſſariam iudicabat, ad Mincij ripas pręmiſerat. Quorum aduentu, Veronenſiũ eruptiones aliquantũ repreſſæ, quòd exæquato vtrinque periculo, Antoniani latè excurrere, vel impunè vagari nõ poterant. Sed dum ſingulari ſtudio vtrinq; inſidię ſtruerentur, ac vterq; per idoneũ locum, & certam ad nocẽdum occaſionẽ emiſsis ſpeculatorib. circumſpectaret, M. Ant. conſilia conatusque hoſtium nocturna expeditione

præuenit. Enimuero quum delectis cohortibus, tormentiſque, & veterano equitatu Verona eductis, confectoque per noctem itinere, Vallegium contendiſſet, hoſtes qui tum fortè ad ſe opprimendum Mincij pontē tranſibant, adeptus eſt. Quo caſu Veneti aduentantiū peditum vexilla è proximo conſpicati, quibus tametſi equitatu longè ſuperiores erant, ſe impares futuros arbitrabantur, citra pontem ſe recipere cœperunt. Antonius ne dum tardius ſubſequentes cohortes ſuas expectat, hoſtis è manibus elaberetur, leuis armaturę equites qui diſtinerent, & contracto certamine abeuntes demorarentur, celeriter immiſit: mox ipſe quum Veneti egregiè impetum ſuſtinerent, cum cataphractis inſequutus, ſummotos loco pepulit, & perturbatos vltra amnem refugere coegit. Erat in margine ripæ pons ſublicius & anguſtus, & lacer, qui in lateritium maioremq; pontem tranſmittebat, cuius lateritij extremum caput Galli ingruentibus Heluetijs (vt ſuo loco monſtratum eſt) fuerant demoliti. Per eum Antoniani quatuor primò equites inſignis audaciæ, mox alij atque alij quin peruaderent non dubitarunt, & ad propugnaculum vſq; perterritos toto pontis ſpatio propulerunt. Obſtitit irruentibus aliquandiu egregiè Iulius Manfronus Pauli filius impiger iuuenis cum globo cataphractorum ab oppido in primam aciem tranſgreſſus, pugnatumq; eſt acriter medio in ponte creſcentibus vtrinque ſubſidijs. Cæterum ſuperueniente Antonio, qui approperare pedites, & diſplodere tormēta ad incutiendum terrorem centuriones iuſſerat, Veneti fœda fuga diſiecti, fugatiq; ſunt: Iulius ſuffoſſo equo captus eſt, et cum eo amplius ducenti equites, binaq; alarum ſigna intercepta. In eo certamine Petri Franciſci Columnæ in primis, & Cæſaris Philetini alæ præfecti, Succarique Belgę, et Traiani Staffæ Peruſini virtus enituit, qui grauiter in facie vulnerati diſceſſerunt. Paulus qui per patentes campos diuerſo itinere ſpeculatum proceſſerat, ſimulque Mercurius, qui Hiſpanos pedites ab extremo agmine dum pugnaretur, fruſtra adortus fuerat, cognita ſuorū fortuna ſaluti ſibi fuga conſuluerunt. Antonius quoq; non multo pòſt Iacobum è vico Varonis, qui cum Liuiani alarijs, Græciſq; aliquot equitib. Cabilloni ſupra Benacum incurioſius agebat, improuiſo adortus, multis eum inſignibus equis, maioreq; alę vexillo, ac omni militari ſupellectile ſpoliauit. Poſt id factum M. Antonius longè lateq; pabulatoribus ſuis campos aperuit, finitimiſq; hoſtium præſidijs terrore illato, liberius quàm antea conſueuerat, circumiectā regionem peruagatus eſt. Dum hæc ad Brixiam gererentur, Cæſar & Heluetij iunctis inter ſe viribus, aduerſus Gallos expeditionem parabant. Sedunenſis enim Cardinalis, quo nemo in fouendis partium ſtudijs flagrantior, nemo in gerendis rebus vehementior fuit, pagos oppidaque percurrens, ad capeſſedum bellum vindicandoſq; fortiſsimos viros, qui pro dignitate Heluetij nominis cecidiſſent, magnam eius gentis multitudinem ſuſcitarat: quanquam pagorum magiſtratus nihil publicè de bello Gallico decreuiſſent, vt qui multis de cauſis communi cōſilio ſuſcipere bellum nollent: & iuuentutem tamen ſtipendia facere, atq; aduerſus proprios hoſtes, Cæſaris auſpicia ſequi in ea rerum occaſione paterentur. Henricus quoque Britannus per Richardum Paceum legatum, eos, vt arma caperent, obnixè fuerat adhortatus: ac tum maximè ingentem pecuniam in bellicos ſumptus pollicebatur. Defuncto enim Ludouico quū vetere odio Gallis infenſus, poſperis eorum ſucceſsib. inuideret, nec Franciſcum immiſcere ſe Scoticis rebus æquo animo pateretur, Maria ſorore in Britanniam reuocata, veluti fœderib. morte ipſā diſſolutis,

diſſolutis, ad antiquam regum amicitiam ſe receperat. Siquidem Franciſcus, qui Scotiæ regnum, ſicuti ſemper in clientela Gallorum fuerat, haud diſsimulanter Gallicis auſpicijs regi atque adminiſtrari magnopere cupiebat, vt Britannos, qui quotannis populari fremitu arma Galliæ comminabantur, domeſtici belli metu iniecto, ab inuadenda continente deterreret, Ioannē Stuardum Albaniæ regulum in Scotiam deſtinarat. Erat Albanius Iacobi regis, qui Tylenſi in pugna occubuit, patruelis, multosque annos cum laude Gallicis in caſtris militarat. Is poſtquam cum Gallorum manu in Scotiam venit, vt nouam per ſuę factionis homines regni adminiſtrationem conſtitueret, nonnullis qui magiſtratus obtinebant gradu pulſis, Humeum ipſum pace belloque clariſsimum, pueri regis nutricium, ac regni procuratorem capitali ſupplicio affecit. Margaritam reginam, quæ Gulielmo Angoſio vni ex proceribus nupſerat, adempto ei filio rege, quòd eum in Angliam furtim aſportare velle diceretur, Ildeburgo regia aufugere coegit, virumque eius & quos ſibi ſuſpectos arbitrabatur, proſcripſit. Quæ omnia Henrici animum haud mediocriter ab amicitia Gallorum alienarunt, tametſi ille ſororem Margaritam oderat, quòd vixdum abſterſis ab regis funere lachrymis, priuato conſilio virum imparem regiæ ſtirpi, ſuſpecta parum pudici amoris impatientia, quæſiuiſſet. Eum etiam Ferdinandus ſocer plurimum impellebat, & per legatos ac literas hortabatur, vt Taroannæ Tornacoque proſpiceret: quando eæ continentis vrbes parua manu exiguaque pecunia contineri poſſent, ſi Gallus aliarum gentium bello diſtineretur. Ferdinandus enim Petro Durrea ad Heluetios miſſo, Cæſarem ad id bellum animo erectum, magna ſpe auxiliorum impleuerat, claſſesque Neapolitanam atque Hiſpanienſem primo quoq; tempore ad nouandas res in Liguriam ſe tranſmiſſurum promiſerat. Siquidem, vt erat rerum Europæ arbiter & moderator, quum exęquata omnium potentia regum vires cautè ac prudenter expenderet, ſicuti anguſtiſsimis ac perditis prope Gallorum rebus vrgente Britanno atque ingruentibus ad Diuionū Heluetijs, vires ſuas (etiam ex profeſſo hoſtis) ad lacerandum Ludouici imperium conferre noluerat, ita attollere ſeſe rem Gallicam, & nimio plus creſcere minimè patiebatur. Sed dum intentus in id bellum è Celtiberia in Beticam, ad delectus habendos, et ad claſſem, quàm nouæ Carthagini comparabat, exornandam, proficiſceretur, Madrigaletij in Agro Toletano, non longè à Guadalupeo Mariæ virginis templo, quod ſummam religionis in illis partibus obtinet claritatem, febre correptus interijt. Ferunt eum, quum iam quintum & ſexageſimū ętatis annum attigiſſet, aſsiduo ac laborioſo venandi ſtudio, quòd per aduerſas etiam tempeſtates, quo minus feras longiſsimè peteret, nullis cæli iniurijs terreretur, intemperantioreq; ſubinde Veneris vſu, vſq; adeò ſeneſcentes corporis vires afflixiſſe, vt iam exhauſtæ & collabentes vlla reparari medicatione nequiuerint. Erat corpore mediocri, ſed robuſto, ac in omni armorū, equeſtriq; præſertim diſciplina, vltra vulgaris peritiæ laudem exercitato. Per omnem autem ætatem callido conſtantique ingenio fuit: & vt erat ſæpius vtranque fortunam expertus, proſperos pariter & aduerſos rerum ſucceſſus adeò compoſitè ac patienter tulit, vt nulla vnquam vultu eius conſiliorum veſtigia deprehenderentur. Cæterùm qui Mauros longo ac difficili bello tota Hiſpania pepulerat: tot Punicas vrbes à Syrtibus ad Herculeas columnas vi ceperat: ac nouum inauditumque terrarum orbem, immenſo ac inſuperabili Oceano mira felicitate perdomito, tot auitis regnis

adiecerat,regum maximus videretur,ſi principum amicitiã quam ſemper priuatis commodis ſuis apertè metitus eſt,per occaſiones belli & pacis religioſè coluiſſet:cæteraſq; virtutes,quæ in eo ſummæ erant,iuſtitiam & fortitudinem in tanta regnorum amplitudine,ipſo ſplendore liberalitatis illuſtraſſet.Pluribus antè menſibus, quàm moreretur, Carolum Ioanna filia ac Philippo rege genitum,eundemque Maximiliani Cæſaris nepotem,qui poſtea tot ampliſſima auorum imperia in vnum contulit,& Cęſaris nomen adeptus eſt,teſtamēto reliquit hæredem.Hiſdem quoque diebus paulò antequàm rex vita excederet,Conſaluus Ferdinandus,qui ſolus inter ætatis noſtræ imperatores Magni cognomentum egregia virtute promeruit, dum grauantibus annis apud Illyberim in ocio degeret,quartanæ morbo extinctus eſt. At Cęſar & Sedunenſis, tametſi importuna ſocij regis morte nunciata,magna ſpe deſtituti, et veteribus depulſi conſilijs, alias gerendi belli rationes inituri viderentur: nihilominus conſcriptis iam adductiſque ad proximas alpes legionibus,primo ſtatim Vere in Italiam trāſcenderunt.Erant ſupra quatuordecim milia peditum Germanorum omnes fermè veterani notæque virtutis, quos periti duces, delectibus habitis,luſtratiſque prouincijs,vt quemque fortiſsimum fama vultuq; cognouerant,& præſenti pecunia,& multò maxima ſpe prædæ,quòd in Italiam ducerentur,ſedibus ſuis exciuerant.Nec deerat multitudo ingens voluntariorum militum,qui longa militandi conſuetudine adducti, permotique Italiæ opib. quum ad primum tympanorum crepitum arma ſumpſiſſent,caſtra atque eadem Cæſaris auſpicia ſponte ſequebantur. Fama enim percrebuerat,Cæſarem pulſis Gallis extemplo Romam eſſe petiturum,vt à pontifice maximo auream coronam, ac ſceptrum Romani imperatoris inſignia more maiorum acciperet:eumque regulis omnibus,ac liberis ciuitatibus,vti odio vel amicitia meruiſſent,ſtipendij nomine ingentes pecunias imperaturum. Quibus de cauſis Leo pontifex,qui Germanicas irruptiones Vrbi ſemper atque vniuerſæ Italiæ funeſtas extitiſſe memoria retinebat,vt eam belli procellam auerteret,paulò antè ad molliendum Cęſaris animum Egidium Eremitanum in Germaniam deſtinarat.Is tum conciliandæ pacis egregius artifex habebatur,qui quondam ſacris concionibus tota Italia habitis,ſummam religionis, atque eruditioris eloquentiæ laudem adeptus,poſtea cardinalatus honorem à Leone promeruit. Sed Egidius,quum ardentibus ad id bellum omnium animis,ſera etiam ac intempeſtiua pacis mentione, militare Cærſais ingenium poſſe flectere videretur,a militibus exulibuſq; Italis,qui vt in patriam redirēt reliquam ſpem ſuam in armis collocarant,non mediocre ſalutis periculum adiuit. Cæſar Tridentinis iugis digreſſus,ad M. Antonium & Sedunenſem,qui Heluetijs cęteriſque copijs Verona eductis præerant,cum delecta equitum ala peruenit.Is dignitate oris,& militari habitu inter ſummos proceres conſpicuus,& ſui nominis authoritate venerabilis acclamante exercitu, Auguſtus ſalutatur: concipiturque omnium animis certa ſpes victoriæ,quòd neque Galli, neque Veneti tanti exercitus vim laturi viderentur. Conſulturuſque inde aduocatis ducibus, an extemplo progredi ſublatis ſignis,Mediolanumq; rectà contendere expediat, vbi hoſtes,occupatis metu atq; inopina celeritate animis,vti nullis adhuc confirmati auxilijs,& dubijs aut auerſis ciuium voluntatibus, defenſionis & fugæ cōſilium fluctuanter agitarēt:An verò ſatius foret ex itinere Aſulam oppidum expugnare,ne à tergo relicti hoſtes,commeantibus à Verona iter præciderēt,

& com-

& commeatus ſubuectiones impedirent. Id oppidum Venetæ ditionis paulò ſupra Olliũ et Cheſium amnes poſitũ eſt, valido per ſe muro, & tum fideli pręſidio ita munitum, vt ſuſtinere oppugnationem ſi tētaretur, neglectum verò, præteruecto feſtinantique Cæſari, aſsidua detrimenta afferre poſſe appareret, Cardinalis Sedunenſis, M. Antonius & Galeacius Vicecomes, atque ante alios Iacobus Stapher è Tigurino pago, eximiæ apud Heluetios authoritatis, ſummum bonum expeditamq; victorię rationem in celeritate ponebant: propterea conuolandum eſſe Mediolanum, vt imperij caput, imparatis & trepidantibus Gallis occuparet. Paratos enim eſſe Mediolanenſes ſuperbæ gentis iugum excutere, vti Cæſaris vexilla conſpicerent: nec Triuultium exactæ prudentiæ ducem, cui maior collega Carolus Borbonius eſſet impoſitus, admiſſurum fore, vt pertinacia ſua diripiēdæ patriæ occaſionem, pro externi regis commodo imperitiq; iuuenis laude præberet. At Cæſar, Marco Sithio & Rochandulpho Aſulam omnino expugnandam eſſe cenſentibus, nequaquam ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat quicquã hoſtium, quod à tergo officere poſſet relinquere: ne qui magna ſpe toto Galliæ Ciſalpinæ imperio Gallos expellendi veniſſet, de expugnatione tenuis oppidi dubitaſſe crederetur. Admoto nanque terrore tormentorum ſubigendos eſſe prædicabat, qui inſolenter temereque initio belli portas clauderent. Quod ſi ſtulta contumacia obſiſtere pergerent, eorum inſaniam omni belli clade atque ſæuitia vindicandam. Neque fuit quiſquam qui priorem ſententiam non mutaret, & Cæſari tanto imperatori non aſſentiretur. Verùm prolatis tormentis, Aſulani accepto militari præſidio, aliquanto fortius quàm quiſquam crederet, vehementiſsimam atque terribilem oppugnationem ſuſtinuerunt: quum Riccinius Aſulanus admirabili virtute ac vigilantia ſeſe et patriam tueretur. Ea oppugnatio tam importunè quàm improſperè tentata, vniuerſo bello triſte omen præbuit. Nam indignantes Germani, quòd contrà ſpem Riccinius diruta tormentis non vno in loco mœnia intrepidè defenderet, & militari compellatione cruentos Germanorum conatus irrideret, tormenta tranſtulerant, ſic vt modò hàc, modò illac murum fruſtra verberarent, quum eorum multi Aſulanorum tormentis ſternerentur. Itaque Cæſar non dubio pudore confuſus, ne terendo tempus primum errorem nouo cumularet, hortatu ducum ad primi conſilij ſententiam recurrit, et caſtra mouet: ſuperatoque Ollio Soncinum venit: vbi de ſtipendijs exortam inter milites ſeditionem repreſsit, quum ſua manu Germanum militem interfeciſſet, qui arrepto pulſatoq; tympano, iniuſſu centurionis milites ad excitũ tumultum vocabat: Quod contra dignitatē Auguſti factum videri potuit, niſi labante iampridem, & propè euerſa militari diſciplina, conſternati exercitus periculum præſentis ſæuitię remedia poſtularet. Inde ſedata ſeditione promiſſoq; ſtipendio, promotis agminibus, ad Abduam eſt peruētum, Gallis ripæ cuſtodiã deſerentibus. Conſedit Cæſar ad Ripamaltam oppidum, conſcenditq; præaltam turrem, contemplatus aduerſæ regionis ſitum, vt idoneo in loco pontem conſtrueret: atque ita biduo conuectis lintribus, conſtratoque ponte, copię omnes traductæ ſunt, nullo hoſtium præter paucos equites Epirotas in conſpectum ſe dante. At Triuultius atq; Borbonius per exploratores Epirotas cognito Cæſaris tranſitu, auxilia Venetorum quibus Grittus legatus præerat, accerſunt, defendendæque vrbis conſilium ſuſcipiunt, eo maiore fiducia, quòd nemo in vrbe ſe commouebat: & Sedunorum eiuſque factionis Heluetiorum au

xilia opportunè accita per Verbanum lacum appropinquare nunciabantur. Ante omnia Borbonius graui metu periculoq; territus, ſuadente Gritto, ſuburbana tecta impotenter atque crudeliter incendi iuſsit, fruſtra pro miſeris ciuibus deprecante Triuultio, quòd illi ad repentinum edictum ardentes domos ſuas, in quibus nati eſſent, magno miſerabilique tumultu deplorarent. Nolebant enim Galli, vt prouectus Cæſar, inter ædificia ſingulari militum commodo caſtrametaretur: eminentibusq; domorum faſtigijs, ſeſe aduerſus tormenta in muro diſpoſita protegeret. Iam ad Pioltellum vicum intra ſextum ab vrbe lapidem, Orientali via, quæ in Martianam regionem ducit, caſtra collocauerat, caduceatoremque (hunc hodie Araldum vocant) prætextam cum aquilæ Romanæ inſignibus geſtantem, quem nefas eſt violare, vel ſi ſuperbè atque inſolenter mandata denunciet, ad Mediolanenſes miſerat. Petebat Cæſar, vt ſibi Romani imperij titulum præferenti, ſuſcepturoque ferream coronam de more Cęſarum portę paterent. Fore enim, ſi id non cunctanter facerent, vt iniquo & ſuperbo Gallorum dominatu liberati, optima pace fruerentur. Sed Borbonius Araldum in vrbem non admittit, reſpondens Mediolanenſes ſacramentum dixiſſe Franciſco Galliæ regi, qui non ambiguo hæreditatis, & recentis belli iure Mediolanenſe imperium recepiſſet: iuſtis armis eiecto Maximiliano Sfortia, qui redactus in poteſtatem, eius imperij iuribus ſponte ceſsiſſet. Addidit quoq; Triuultius, nullum Cæſari in Mediolanēſes ius eſſe relictum, quum totum id qud auguſtalem authoritatē reſpiceret, iampridem Ludouico Sfortiæ, liberiſque eius multo accepto auro vendidiſſet. Propterea videri Cæſarem iniquè & contra nominis dignitatem facere, quòd callidè obliuiſceretur, quibus legibus quantaq; pecunia cum Ludouico rege ad Tridentum tranſegiſſet. Itaque ſi procerum comitatus præſidio, non iuſto inſtructus exercitu veniret, ſicuti ſuperiores pleriq; Cæſares, Henricus, & Ludouicus Bauarus, Carolusq; item quartus, & Sigiſmundus feciſſent, Mediolanenſes præfectosq; regios amicè intrantem veneraturos eſſe, hoſpitalibusq; menſis liberaliter excepturos. Quòd ſi vim moliretur, intellecturū Cæſarem, quantis opib. ciuitas pro ſalute ſua & dignitate Franciſci regis, in cuius fidem tuto atq; honeſtè conquieſceret, captis armis eſſet certatura, quandoquidē inſigni clementiæ beneficio, poſt fractos magna clade Heluetiorū animos, & ſubactum, abductumq; Sfortiam benignè ſe cōſeruatam fateretur. Erat apud Cæſarem Galeacius Vicecomes Mediolano exul, primæ inter patritios exiſtimationis. Is vana ſpe, inaniq; voto ad gentilium maiorum ſuorum, qui per ducentos annos Mediolano regnarant, imperium aſpirabat, quòd Sfortianos dominatu pulſos conſpiceret, & ciuitatem auerſam ab externo dominatu, ſui tanquam nobiliſsimi ciuis, & antiquæ ſtirpis hæreditatem præferentis, ſtudioſam & cupidam putaret. Nihil enim optatius atq; felicius Mediolanēſi populo euenire poſſe rebatur, quàm ciuem ſuum affinitatibus vtrique factioni coniunctum, ingenio lenem popularemq;, in principatu Gallię Ciſalpinæ conſpicere: & quod diuturnæ ſecuritatis intereſſet, Romani Cæſaris authoritate confirmari. Hoc tenore intimi cōſilij Galeacius vſq; adeò ſibi gaudebat, vt præclara Cæſaris gratia, atque eius quotidiana promiſsione inflatus, iam planè principis perſonam indueret, præciſa magna ex parte amicorum & familiarium conſuetudine, tanta animi vanitate vt ſæpe grauioris conſilij ſpecie, in ſecretum ſolus abderetur, & in tabernaculo ſecus ac ſolebat, peculiarem ſibi vni parari menſam iuberet, certo interuallo diſcretā ab

ea, in

ea, in qua vel illuſtres conuiuæ diſcumberent. Qua de cauſa M. Antonius Columna tantæ virtutis ac dignitatis, Romanique faſtus heros, & Ennius Philonardus Verulanus epiſcopus Leonis legatus, intempeſtiuæ vanitatis notatum arridebant. Nec mirum erat, ſi vir ſua ſpe in altum prouectus inſaniret, quando ei Cæſar aſtuto, minimeq; abſurdo conſilio, primũ gratiæ locum tribuens, peramplæ pollicitationis verba dabat, vt per idoneum hominem, qui ſummo loco eſſet natus, ac exiſtimatione populari inter ciues maximè validus putaretur, in amicitiam Mediolanenſium ſe inſinuaret, eorumque captaret ſtudium noua liberalitate, ſi ipſis, pulſo Gallo Galeacius præficeretur. Apparebat enim Inſubres ciui ſplendidiſsimo amantique patrię, lubentius atque fidelius quàm Gallis præſidibus, qui plerunque à graui imperio inſolentes euaderent, eſſe parituros. Spondebatur autem Galeacio principatus, titulo vicarij imperialis, qua dignitate Vicecomites antiqui principes à ſuperioribus Romanis Cęſaribus eſſent appellati. Ab hac liberali prædicatione Cæſar exiſtimari volebat eo conſilio arma cepiſſe, vt Inſubres Gallorum dominatu liberaret, confectoque bello, Romam ad ſuſcipiendam Auguſtalis imperij coronam continuò proficiſceretur, cùm nihil omnino præter victoriæ decus peteret, & indigenam patritium ciuem de ſe benemeritum, humanitate iuſtitiaque præſtantem, beneficiario iure Mediolani cum imperio eſſet relicturus. Hæc in fama apud vulgus erant, ſed in arcano Cæſaris conſilio id decerni nemo credebat: quando id totũ quod victoria parari poſſet, Carolo nepoti (vt in fatis erat) pararetur. Id verò tegi diſsimularique tum maximè expediebat, quoniam Cæſar exploratum haberet, id nequaquam probari Leoni pontifici, aut Heluetijs, quum ij ad alterũ Sfortianæ ſtirpis ſpectarent, Maximiliani ſcilicet in Galliam ducti germanum fratrem, quem Mediolanum fratris exemplo reducere percuperent. Illæ verò ægerrimè paſſurus eſſet, vt opulenta atque opportuna Italiæ pars, Germanorũ & Belgarum colonia & ſedes efficeretur: ad augendam ſcilicet Cęſarum potentiam, qui amplitudini, atq; felicitati Romanorum pontificum, ab omni annalium memoria ſemper inuidiſſent. Cæterùm in hanc conſilij ſpem ſatagente Cęſare, quum Galeacio per clientes & propinquos ſuos tẽtatis ciuium animis, nihil de excitando tumultu ſuccederet, araldusque rediens de hoſtium reſponſis prolixè retuliſſet, caſtra propius vrbem promota ſunt, ea vicinitate, vt è ſumma teſtitudine templi maximi caſtrorum ignes conſpicerentur, pauentesque ciues villas ſuas hoſtili incendio abſumi crederent, poſtquàm à Gallis ſuburbana tecta vltro concremata conciderent. Augebant terrorem agricolæ in vrbem confugientes, quum tormenta maiora prouehi falsò nunciarent, quibus ab hoſte admotis vltimum rerum ſuarum diſcrimen adituri eſſent. Erat ob id in vrbe inuſitatum triſteque ſilentium, adeoque altè cùm ciuium, tum præſidij militum mentes occuparat pauor, vt illi pretioſiorem ſuppellectilem fœdis latebris recondere properarent: ij verò cariſsimarum rerum ſuarum colligerẽt ſarcinas, vt trans Ticinum in loca tuta aueherẽtur. Magna enim erat opinio apud Gallos Germanorum virtutis, peritiæque in toto negotio tormentorum, pręſente præſertim Maximiliano, qui à prima adoleſcentia multis in bellis ac prælijs maximè fortunatus imperator extitiſſet. Verùm Gallis admodum terribile erat Heluetiorum nomen, qui nuper incredibili animorum, & corporum planè indomito robore, vallata Franciſci regis caſtra adoriri, in eaque per aceruos ſuorum cadauerum penetrare auſi fuiſſent, quibus idem dux & concitator a-

deſſet Sedunenſis acerbiſsimus Gallorum hoſtis. His de cauſis fiebat, vt plerique Gallorum ſuſpenſo Borbonio, de vrbe deſerenda ſeruandoque equitatu, vti nuper Palicia, & anteà Ligninius atq; Obegninus, recto nec deformi conſilio feciſſent, haud perplexè cogitarent. Quid enim ſtultius exituque miſerius futurum eſſet, ſi nudati peditatu, vrgentis Cæſaris, qui innumerabiles adduceret copias, vim atque impetum experirentur: ſalutemque omnium dubiæ & territæ ciuitatis fidei committerent, ſingulari quidem totius Galliæ detrimento, & quod Dij auerterent, funeſtiſsimo luctu? Enimuerò reparari poſſe bellum adeò propinquis Galliæ opibus atque ſubſidijs, & recipi vrbem, eadem virtutis felicitate, qua antea populo temere rebellante, opportuneque ſeruato equitatu, poſtea recuperarint. Interea Triuultius frequenti allocutione ciues confirmare dubios et ſuſpectos, vt limine ſe continerēt, interminatus pœnam, adhortari, ſuæ verò factionis omnes arma capere, beneque ſperare iubebat: per fora & compita, nequis tumultus temere oriretur, cuſtodias diſponebat. Tormenta ab arce educta idoneis in locis contra hoſtes collocabat. Hæc intrepido ore adminiſtrans, Gallos vehementib. caſtigabat verbis, quos de deſerenda vrbe cogitare cognouerat. Et id quidem tanta ſeueritate, vt Borbonio diceret, ipſum rectè imperij poteſtate vſurum, ſi in authores turpiſsimi conſilij animaduerteret: deſcendensque demum in conſilium demonſtrauit viris, qui tot ſtipēdia meruiſſent, nihil omnino potius & carius eſſe debere, q̄ tueri priſtinum decus. Hoc enim integro vniuerſos incolumes fore: ſuperaturosq; omne periculum inſtantis belli, ſi innatę virtutis memores eſſe vellent: & ſe animo demittere, veterano militi longè turpiſsimum exiſtimarēt. Propterea ſe minimè dubitare, quin erectis & confirmatis animis, ad Galliæ decus vrbem eſſent conſtantiſsimè defenſuri: neque opus eſſe vt Germanorum multitudine & fremitu terrerentur. Eos enim habere vehementē impetum, ſed in curſu fatiſcere, hęrereque plerunq; ſolitos, vti ſæpe vidiſſent, quum hic ipſe Cæſar recenti exemplo cum centum milibus armatorum oppugnato Patauio, proſtratisq; mœnibus nec tentato quidem certamine, incepto abſtiterit, & inglorius in Germaniam ſit reuerſus. Itaque deſerendæ vrbis, ignominioſæque fugæ cogitationes abijcerent. Ipſis enim, ſi id ſcelus admitteretur, regiæ ſeueritatis in Gallia iudicium eſſe ſubeundum, ſe quidem capitali teſte atque inimico, ſi deſertus amiſſa patria ſupereſſet. His Triuultij verbis confirmati ſunt, qui equitatū potius quā vrbem ſeruandam cenſebāt: eoq; alacrius, & certius, q̄ Triuultius publicum tabellionem rogarat, qui ſententię ſuæ tabulas cōficeret: qua teſtificatione ij, qui præſidio excedendum putarent, cum ignominia damnarentur. Peropportunè autem accidit, vt auxilia Sedunorum atq; Bernenſium in Verbano nauib. impoſita, per Ticini emiſſarium paucis horis Mediolanum peruentura, certis nuncijs afferretur. Atq; ita è medio metu periculoq; perampla ſpes & certa ſalus cunctis oborta eſt. Nam Cæſar de hoſtium auxilijs edoctus, quū promouere copias, & vim portis inferre pararet, quòd non inanē de Heluetijs ſuſpitionem arbitraretur, remiſſo & cōmutato repente conſilio ſubſtitit: incertus, an productis tormētis, cùm ſuæ tum hoſtiū virtutis periculum eſſet faciēdum, an verò tutior foret receptus. Primas enim ſpes eius pecuniæ defectus fregerat, quo nihil periculoſius excitandæ ſeditioni apud milites accidere conſueuit: & tum forte perſoluendi ſtipendij dies aderat, importuneque Brixiani præſidij milites Hiſpani argenteæ monetæ duas ſarcinas in caſtra è ſuperiore Rhetia

venientes,interceperant:quæ ſumma pecuniæ,vti exigua, quanquam militarem ſitum extinguere non poterat,accendebat tamen Germanorum atque Heluetiorum animos,quod à ſocijs,prædantium hoſtium more, grauem cum detrimento contumeliam accepiſſent.Cæſarem quoque in ea conſilij deliberatione fluctuantem, diffidentemque rebus, magnopere perculit Trivultij dolus magno Cæſaris incommodo excogitatus. Is nactus clientem ſuum Heluetiæ peritum linguæ, literas ſuo nomine perſcripſit,ſua manu, ſuoque ſigno notatas ad Stapherum, & Goldilum primores Heluetiorum duces: vt Cæſari in eo momento rerum ſuſpecti redderentur. His literis poſtulabat, vt quæ ſecum pepigiſſent,eo biduo perficere maturarẽt: ſe enim ad condictum inſtructa parataque omnia habiturum. Nuncius præmiorum ſpe oneratus, Cæſarianis excubitoribus vltro ſe capiendum obtulit,quum interrogaretur, cur ſine teſſera in eum locum veniſſet,probe confeſſus eſt,ſe Trivultij literas,ſi ſibi parceretur,ad Heluetios duces deferendas prolaturum.Nec mora veniæ fide data,calceo inſutas literas promit,extemploque eæ ad Cæſarem deferuntur.Nec eas anxie perlectas Sedunenſi Cæſar oſtendit.Neque enim Stapherum & Goldilum tantæ inter Heluetios authoritatis,ſine perturbatione periculoque rerum omnium, vel accuſari ex Triuultij literis, vel(vti opporteret) comprehendi poſſe cenſebat.Itaque inſidias veritus retro caſtra repente vertit, eoq; properantius quod Albertum Petram, & Franciſcum Georgij Sopraſaxi filium, Sedunenſi capitales inimicos,cum viginti peditum vexillis applicuiſſe cognouerat. Nam Georgius opera Sedunenſis, ab ipſo ſacerdotij poſſeſsione depulſi, diu Romæ in cuſtodia molis Hadriani ſeruatus fuerat: liberatusque demum à Leone in gratiam Franciſci regis, cruentas cum eo ſimultates domi exercuerat. Sed cardinalis equo iure pontificiæ authoritatis in ſedem ſacram a popularibus antiſtitem ſuum religioſe colentibus reductus, ita acerbo odio, & infeſtis armis contumeliam vindicauit, vt in ciuitate Sedunorum ad ſacrum profanumque iudicij tribunal, multis, qui Georgij factionis fuerant, ſeuere citatis atque ſupplicio damnatis,Georgij domum, & opes, & clientelas conuellerit. Albertus quoque ſuperiore anno ante prælium cum Heluetijs à rege factum,vt ſupra docuimus, tanquam Gallica corruptus pecunia proditionis accuſatus fuerat:qua de cauſa depoſcente eum ad pœnam Sedunenſe, cum ſeptem millibus peditum ſuum nomẽ ſecutis,ab exercitu diſcedens, per Verbanum lacum domum rediſſet: ſic vt tum conuerſa Fortuna, Sopraſaxus & Albertus coniunctis ſenſibus communem inimicum vltum ire properarent, et Sedunenſis ipſe non temere ſibi timere cogeretur: Cæſarem tamen, haud perplexe de receptu ſtatuentem,diſsimulato pauore alacrib. verbis,vt cõſiſteret hortabatur, quod ij,qui auxilio Gallis veniſſent,magna ex parte agreſtes montanique homines e paſcuis abducti rudes armorum eſſent: & ſi qui militum nomine digni viderentur,hi apud omnes ſeditioſi cenſerentur:nec ora conſpectumq; ſuorum fide virtuteque præſtantium laturi eſſent.Sed Cæſar ſuſpicionibus ſuis implicitus, & amicis vel parum decora ſuadentibus,æquo plura tribuens,cõſilio ſuo præpropere ſuſcepto,deijci non potuit.Requirenti autem M.Antonio cauſam vſque adeo repentini inconſultique receptus,quem neque honeſtum,neque neceſſarium putaret,Cæſar reſpondit,pecuniæ inopiam, quæ fato quodam non ſemel conatus ſuos interpellatis victorijs eluſiſſet:plerunq; enim accidere dicebat, vt vbi virtus ſupereſſet,Fortuna deficeret.Proinde ipſum qui Romani im-

peratoris perſonam ſuſtineret, pro inſano eſſe facturum, ſi certis de vetere hoſte ſuſpicionib. permoueretur. Affirmauitque demum ſibi per quietem ea nocte apparuiſſe Leopoldum Auſtriæ archiducem atauum, & Carolum ducem Burgundiæ ſocerum ſuum, ea torui oris ſpecie, ac eo cruento armaturæ cultu, quo hic ad Nanſim, ille ad Sempac ab Heluetijs trucidati fuiſſent, acri quidem ſermone & geſtu vetantes ipſum diutius morari, & vt ſe periculo ſtatim eriperet ſeuerè imperantes: atq; ita motis caſtris ad Abduam eſt reuerſus: atque eodem ponte flumine ſuperato ad Alpes iter intendit, tāta omnium, Gallorúmque pręſertim admiratione, vt qui dudum inæſtimabili metuendoque copiarum hoſtilium numero, apparatuque tormentorum maximo territi & prope amentes erant, inopinati euentus gaudium vix perciperent. Neque Triuultius atque Borbonius ferè præter ſpem grauiſsimo liberati metu, abeuntium tergis inſtitère, quòd per Epirotas præuolantes ſpeculantesque omnia compertum habebant, nouiſsimum hoſtium agmen valido præſidio confirmari. Quando M. Sithius cum delecta legione, & M. Antonius cum equitatu more militiæ incedentes paratique ad pugnam, terga clauderent. Nec vllo modo Cæſar generoſi ſpiritus nunquā expers temere laceſſendus videretur: ne dedecoris metu, aut oborto pudore extimulatus, ad primas ſpes gerendi belli indignāter rediret: Sedunenſe præſertim ex ipſa rerum deſperatione conſerendæ pugnæ auido, ferociq; facundia legiones concitante. Grittus quoq; altè vociferatus à vetere militię inſtituto, terga danti hoſti, totum iter aureis pontibus conſternendum eſſe prædicabat. Eo modo compoſitis agminibus Cæſar, nihil laceſſente Gallo, per Cremonenſium fines in Germaniam dimiſsis Heluetijs eſt reuerſus nuſquam memorabili re geſta: niſi quòd ex itinere M. Antonius Laudis Pompeiæ arcem Gallico munitam pręſidio tormentis expugnauit. Isq; inde Veronam regreſſus, cum M. Sithio iuſſu Cęſaris in eius vrbis præſidio vſque ad belli exitum permanſit. At Borbonius Mediolano cum inſigni Triuultij laude conſeruato, Andreæ Gritto gratias egit, quòd operam eo tumultu eximia fide Veneti Senatus dignam præſtitiſſet: præbuitq; abeuntibus eius copijs gratuito commeatum. Nec multò poſt bellicarum & ciuilium rerum cura Triuultio relicta, in Galliam ad regem eſt profectus, vt quæ geſta erant, ipſe idem author & teſtis coram explicaret. Tanto autem ſtudio propenſiſsimi regis, & magnæ partis aulæ procerum eſt ſuſceptus, vt meritorum, ac eximij honoris cauſa, ſummus totius Gallię equitum magiſter ſit declaratus, qui hodie Comesſtabilis vocatur, quòd eum regi ſemper adſiſtere ex vſu bellicarum rerū expediat. Hic honos ſecundum regem apud Gallos facilè primus exiſtimatur: quoniā minores equitum magiſtri, qui in tota Gallia omnino quatuor ſunt inſtituti, ipſius Comitisſtabilis edicto ac imperio parent. Huius autem dignitatis atque potentiæ nomen tanq̄ proceribus inuidioſum ſuſpectumq; regibus, Ludouicus XI. lata lege ſuſtulerat, quum fortè aduerſum ſe coniurati Galliæ proceres arma cepiſſent. Quibus demum cum magno diſcrimine ſubactis, Iacobus Lucemburgus ſancti Pauli Comes, qui tum erat ſummus magiſter equitum, perfidiæ conuictus capite pœnas dedit, ſic vt nemo ei poſtea in magiſterio ſufficeretur. Cęterùm vti poſtea compertum eſt, ea ratione Franciſcus, reuocato vetere Galliæ inſtituto, hoc honore Borbonium remunerari voluit, vt in locum decedentis Odettum Lotrechium Ciſalpinæ Galliæ pręfectura ornaret, multis quidem nominibus magnopere ſibi commendatum, & tum ſupra generis nobilitatem militari laude maximè florentem.

PAVLI

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XVII.

DVM hæc in Italia geruntur, Selymus Turcarum imperator Campſonem Gaurium Memphiticum regē, eiúsq; exercitum ad Singam occidione deleuit: indeq; Syriam, Iudæam, atque Aegyptum clariſsimis victorijs peruagatus, Mamaluchorum nomen formidabile Orientis gentibus, ac ampliſsimum Sulthanorum imperium euertit. Cuius belli cauſas, ac euētus rerum geſtarum diffuse narrabimus, ſi prius ad Perſicę hiſtorię ſeriem neceſſaria ſcribendi ratione, atque ipſa rerum ac temporum varietate ſuis locis interciſam, repetito ordine reuertamur. Selymus, qui ſecundum proſperam ad Araxem pugnam Perſis citeriore regni parte expulſis, & Taurifio regia vrbe in poteſtatē redacta, Orientis victor apparuit, quum ad famam imminentis Hyſmaelis ſubita ac celeri profectione, fugienti ſimilis maiore Armenia deceſsiſſet, ad Trapezuntem atque Amaſiam Cappadociæ vrbem exercitum in hyberna dimiſit. Quibus in locis totam hyemem commoratus, delectibus per præfectos Bithynia, Ponto, Phrygia, Ciliciaque habitis, atque accitis in ſupplementum è Græcia atque Illyrico nouis militibus, tanta celeritate atque diligentia attritas et afflictas copias reparauit, vt primo ſtatim vere ampliorem quàm antea exercitum, aliquanto maturius quàm Armeniæ niuali Tauro ſubiectæ frigora paterentur, vel hoſtes fieri poſſe exiſtimaſſent, in Perſarum fines adduxerit. Erat Ciammaſſum oppidum in vlteriore Euphratis ripa poſitum paulò ſupra eum locum, quo Melas amnis Græcorum carminibus celebratus, in Euphratem euoluitur: quod Perſę propter magnam loci opportunitatem, quum Maiorem ingredientibus Armeniam primum occurreret, præſidio impoſito tuebantur. Id Selymus vt proximis caſtellis finitimisq; arcibus occupatis, vlteriorem prouinciam patefaceret, ſibi omnino expugnandum eſſe decreuerat. Eo autem tempore, quod Sophum Hyſmaelem aduerſus Hyrcanos & Bactrianos, vlterioresque Caſpij maris accolas, cum omnibus copijs profectum eſſe cognouerat, facilem perficiendi negotij nactus occaſionem, Euphrate ponte conſtrato, traductoque exercitu penè priuſquam ab hoſte ſentiretur, ſub muro conſtitit, atque oppidum oppugnare adortus eſt. Ciammaſsini omni ſpe auxiliorum in tanta temporis exiguitate deſtituti, quum Turcæ, circumiecta totis mœnibus ingenti ſclopettariorum & ſagittariorum multitudine, murum propugnatoribus nudarent, irrequietoque oppugnationis genere alij alijs, temporis & loci ſpatijs inter ſe cōſtitutis ſuccederent, ſimulq; portas dolabris perfringerēt, & appoſitis ſcalis in murum eniterentur, deſertis mœnibus in forum ſe receperunt. Vbi tametſi vigilijs vulneribuſque confecti erant, diu tamē hoſtium vim

pertinaci conſtantia ſuſtinuerunt: & vt in ſupremo vrbis caſu pro fortunis ac ſalute omnium debebant, egregiè dimicantes ad vnum interierunt. Selymus expugnato direptoque Ciammaſſo, & ignobilibus alijs duobus caſtellis, quæ incolæ metu territi paulò ante deſeruerant, occupati, tametſi inexpiabili odio & cupiditate gloriæ plurimũ incitatus ad Hyſmaelem ferebatur, ac totus Perſarum opibus imminebat, tamen non prius interiorem Armeniam bello ſibi tentandam exiſtimauit, quàm Aladolum regem qui tot clades tanta perfidia ſibi & copijs ſuis ab expeditione Perſica redeuntibus intulerat, ſaltibus illis ac montibus expuliſſet. Enimuero Aladolus, vt qui magnopere ſibi ac rebus ſuis ex merito timere cogebatur, quum Selymum mouiſſe ex hybernis, & ad Euphratem atque Ciammaſſum contendiſſe cognouiſſet, agreſtibus feriſque hominib. repente coactis, magnas copias parauerat, quibus ſeſe ac fines defenderet. Si verò Selymus in Armeniam proficiſceretur, conſuetudine ſua ſpectabundus ex euentu alieni belli prędandi occaſionem caperet, ac obſeſsis itineribus, vt antea fecerat, impunè graſſaretur. Itaque Selymus ad Ciammaſſum relicto præſidio, cis Euphratem regreſſus ad Antitaurum, vbi hoſtes conſediſſe fama cognouerat, cum expedito exercitu deflexit. Aladolus (vt alio loco memorauimus) montanis gentibus imperitat, quæ in Tauro atque Antitauro ſedes habent. Ii montes à Scordiſcis iugis, & finibus Cappadocię, perpetua veluti catena quadam ad Amanum vſque, & vltimos Ciliciæ terminos protenduntur. Populus virtute bellica ferox, & numero ampliſsimus traditur. Cæterùm agreſtis eſt atque efferus, & ſola rerum inopia inſignis, vt qui prærupta atque aſpera in regione parum agricultura proficiant. Herbidis tamẽ in locis armenta equorum & camelorum poſsident: & pecuariam diligentiſsimè exercent: cæterorum vita omnis in venationibus latrocinijsque conſiſtit. Orti dicuntur ex Galatis, Cappadocibus, Armenijs, veteribusque minoris Aſiæ colonis, qui propter aſsiduas bellorum iniurias ſuperioribus ſeculis, & luctuoſiſsima præſertim Scytharum irruptione, quũ Tamerlanes clades & terror Orientis prouincias omnes immani rabie deuaſtaret, in proximos montes relictis vrbibus, tanquàm in pacatum refugerint. Ii vallibus iugiſque omnibus perluſtratis, fluminum ac fontium opportunitates, mitiorisq; cæli naturam & conuerſionum Solis maximè ſecuti rationem, frequentibus in locis ligneos pagos, ac mox illuſtria quædam oppidula condiderunt. Vnde poſtea coaleſcentibus eorum rebus, quum fortiſsimi quiq; cęteris pręeſſent, regium nomen ſibi ambitioſè admodum vſurparunt, vt qui horrida virtute cenſeri vellent, et timeri à finitimis, quanquam ſyluis tantùm nudiſque rupibus imperarent. Aladoli finibus proxima eſt vrbs Orpha, mirabili fonte oris lepram ſanante percelebris, quã nonnulli Edeſſam eſſe iudicant, quòd ibi adhuc extent monumenta Balduini, Latinis indicantibus literis. Is enim Gothifredo fratre Hieroſolymis potito, Edeſſam peculiari ſuo ductu, imperio tenuiſſe traditur. Nec multum inde diſtat Amida vrbs vetus, quę hodie Caramida ab incolis vocat, Meſopotamię iuncta. Hæc hodie regio Tygri & Euphrate amnibus incluſa, Diarbecha dicitur. Aladoli autem nobilius oppidum eſt, Maras, vti fas eſt ſuſpicari, ita vocatum propter interfluentem è Cælenæo monte nitidiſsimum amnem, qui ex certamine Apollinis deuicti, Marſiæ nomen tulerit, multis poetarum carminibus celebratum. Cæterùm Aladolus, poſtquam Selymum infeſto exercitu fines ingreſſum appropinquare videt, equitatum omnem (erant ad quindecim mi-

lia)

lia) è montibus in conuallem iuſtæ amplitudinis deducit, pedites, quorum magnum habebat numerum, à dextra ac læua occupare montes iubet, ibiq́;, quum edita loca atque anguſtias pro ſe ſtare intelligeret: loco multùm antè explorato atq; munito, hoſtis aduentum expectare conſtituit. Porro Selymus quanquam locorum iniquitate perſpecta, victoriam multo ſuorum ſanguine parandam videret, quod hoſtes nunquam ſeſe apertiſsimis campis commiſſuros arbitraretur: iniquam tamen pugnandi conditionem ſubire non dubitauit. Itaque Sinambaſſam eunuchum, quem interfecto ad Araxem Caſſembaſſa Europeis equitibus præfecerat, quadrato agmine, quòd extendere aciem, & corporibus vti non poterat, hoſtem inuadere, & primam eorum frontem perrumpere iubet: ipſe verò cum prætorianis, atque Aſiatico equitatu ſubſecutus, ſubſidiariam aciem pugnantibus ſuis oſtendit. Nec Aladolitæ ſibi ac in oculis omnium pugnanti regi ſuo defuere. namque emiſsis ſtatim ſagittis Turcarum impetum egregiè ſuſtinuerunt, cominusq́ue diſtrictis gladijs, et collatis equorum pectoribus, quum è ſuperiore loco ingruerent, tanta vi ſubeuntes propulerunt, vt veteranus equitatus nihil iam multitudine aut virtute ſua proficere poſſe videretur. Ab laterib. enim Turcę propter loci anguſtias hoſtes circumire non poterant, & ab peditibus, qui vtrinque latera montium inſederant, & ſagittarum nubem mediæ conualli ſuperfundebant: vehementiſsimè lædebantur. Selymus vbi videt Aladolum, contrà ac ratus erat, fortiter reſiſtere, & magna vi contendere, cohortes ſclopettariorum ex acie ac phalange ſua detractas, ſubſidio laborantibus mittit, ac ſimul lectiſsimos prætorianorum conſcendere montem iubet. Quorum vim Aladolitæ ſclopettorum procella conſternati, ſuſtinere minimè potuerunt, extemploq́; effuſi in fugam, notis tramitib. montes ſuos ac proximas ſyluas petiuerunt. Plurimum cædis in pedites fuit, qui quum pulſum equitatum viderent, & ſuccedentibus prætorianis per arduos atque impeditos calles ægrè in montem eniterentur, ſicuti plerunque accidit, vt trepidos ac effugere conantes & crurium vigor, & ſolitæ vires, occupatis terrore animis, repentè diſtituant: vſque ad occaſum Solis in fugam acti, trucidatique ſunt. Equites ipſi cum rege inſueſactos rupibus ac pernices equos nacti, paruo detrimento accepto, in vlteriora ac munitiora montium loca ſe receperunt. Aladolus poſt id factum, quòd ſe omnibus rebus tanto hoſti longè inferiorem intelligebat ducendum atque trahendum ſibi bellum eſſe iudicauit. Itaque quum Turcæ paſsim incenſis mapalibus abeuntes perſequerentur, ipſe in alios atq; alios montes refugere, nullam pugnandi occaſionem præbere, ac plurimum aſperitatibus locorum ſe tutari. Quibus de cauſis Selymus, ne in ſterili, aſpera, ac ignota regione, ſi totis copijs inſequi vellet, commeatus inopia laboraret, vel in inſidias prolaberetur, ſeptimo die inſequendi finem fecit, caſtriſq; idonea in parte eius regionis collocatis, Sinambaſſam cum expedita parte exercitus miſit, qui allatis ſecum aliquot dierum cibarijs, cedētium veſtigijs inſiſteret, & quantum celeritate ac bellicis artibus fieri poſſet, ipſum maximè regem ſectaretur. Quum autem Selymus ex captiuis agreſtibus quęreret, quęnam vires, quæúe conſilia ad ſuſtinendum bellum Aladolo ſupereſſent, reperiebat eum lectiſsimos quosq; equitum ac peditum ſecum duxiſſe: cęteramq́ue agreſtium turbam, vt ſolitudinē hoſti faceret, decedere pagis iuſsiſſe: & ſtatiuis caſtris apud quandam petrā cōſtitutis, quò magnā vim commeatus cōtuliſſet, non prius totis viribus decertare velle, quàm hoſtem ad inſuperabiles locorū

anguſtias deduxiſſet. Eius conſilij eam eſſe cauſam, quòd præfecti equitũ conſauguinei ſui, cui Saxouarogli nomen erat, maximè perfidiam timeret, à quo in ipſa pugna initium fugæ factum fuiſſe comperiſſet. Cuius defectionis atque odij ſigna ab iuſto dolore proficiſci videretur, quòd ipſe patrem eius quondam propter affectati regni ſuſpicionem per inſidias interfeciſſet. Selymus his omnibus cognitis rebus captiuis catenas detrahit, eos donis pollicitationibusque onerat, ac dimittit, vt Aladoli præfectum adeant: & ſecreto redditis ei literis atque muneribus, hominem moneāt, vt in ea rerum occaſione paternam cædem vlciſci velit. Id ſi aliquo inſigni facinore edito perficiat, eum & ſummum gratiæ locum apud ſe, et regnum quod Aladolus latronum immaniſsimus obtineret, adepturum. Agreſtes vt præceptum erat, eius rei conſilio cum Sinambaſſa communicato, paucos poſt dies mandata perficiunt: breuique præfectus & ſpe regni, & muneribus, quæ vindictæ cupiditatem exacuebant, ad amicitiam Selymi facilè pellectus, quum ſuſpectanti inſidias Aladolo, omniaque exploranti aliter nocere non poſſet, cum magna parte equitum apud quos ſummam obtinebat authoritatem, ad Sinambaſſam transfugit: à quo poſtea alij atque alij ex his qui remanſerant, propoſitis præmijs ad defectionẽ ſollicitati ſunt. Circumuentus his malis Aladolus, qui vt ſui ad Turcas deficerent, fieri poſſe non putarat, reliquam ſpem ſalutis in fuga poſuit. Sed illum paulò poſt fugientem per aſperos montes, antris nemoribusque ſe occultantem, Sinambaſſa & Saxouaroglis perſequuti, ſpecu abditum monſtrantib. indigenis eruerunt. Aladolus ad Selymum perductus, in cuſtodia paucos poſt dies interficitur: caputq; eius, vt omnibus ludibrio foret, per totam Aſiam circumlatum: ac mox quoque in teſtimonium partæ victoriæ Venetias ad ſenatum fœda oſtentatione tranſmiſſum eſt. Occiſo Aladolo, Selymus eius regnum in prouinciæ formam redegit, diuiſitq; in tres præfecturas, quæ totidem Sanzachis, Turcarum more tribuerentur: ſic tamen vt Saxouaroglis omnibus præeſſet, cui cuncta præter regium nomen conceſſerat. Ipſe relicto Sinambaſſa, qui reliquum æſtatis in his locis moraretur, ac demum conſtitutis prouinciæ rebus, vt ad Iconium in hyberna concederet, modico comitatu Byzantium reuerſus eſt. Nam dum Hyſmaelis & Aladoli bello in Minore Armenia implicitus eſſe diceretur, à Pannonijs finitimam Mœſiæ prouinciæ partem incurſionibus vaſtari audierat. Quibus de cauſis, ne Samandriam amitteret, quòd ſitum ad Danubij ripas, Mœſiæ Thraciæque propugnaculum, propter magnam eius loci opportunitatem exiſtimatur, octomilia equitum inſtruxit, qui duce Iunusbaſſa (is tum Illyricæ Boſsinæ præfectus erat) Sauum flumen tranſirent, & in Croatiam ad Cetinum vſque, per Illyricum penetrarent. Aliam verò Turcarum manum improuiſo Danubium ratibus tranſuectam, vlterioris Pannoniæ fines populari iuſsit, vt vno tempore Pannonij ancipiti belli periculo diſtracti, rebus ſuis timere cogerentur, ac ſimul doceret, quæ vires & quantæ facultates ad bellandum Othomannis forent: vtpote qui magni intereſſe, & tum, & in reliquum etiam tempus ad perterrendos ſuſpendendosque Chriſtianorum animos arbitraretur, ſi tot tantosque exercitus commodè expeditèque alere, et diuerſiſsimis terrarum regionibus grauiſsima bella ſe gerere poſſe felicibus auſis oſtendiſſet. Exitu eius anni Selymus, quum Pannonios duplici incurſione repreſsiſſet, hyemẽ quæ proximè ſecuta eſt, maioribus quàm vnquam antea apparatibus belli intentus, Hadrianopoli Byzantijque tranſegit. Enimuerò potentiſsimos Septentrionis reges fini-

ges finitimos ſuos, Maximilianum Cęſarem, Vladislaum, & Sigiſmundum celeberrimo conuentu habito, in colloquium deueniſſe, & coniuratione facta, inductiſque Germaniæ, Pannoniæ, ac Sarmatię gentibus, contra ſe ingens bellum parare audierat. Sed poſtquam per certos ſpeculatores, quos magno ſumtu in omnes Europæ partes dimittebat, ac obuerſari in aulis regum & cuncta diligenter explorare iubebat, renunciatum eſt, concilia illa Chriſtianorum, nihil præter magnificas conciones ſumptuoſaq; conuiuia certantium inter ſe regum & procerum habuiſſe, vano ſolutus metu rurſus ad Orientem ſe conuertit. Ne tamen abſente ſe aliquod incommodum acciperetur, ſi fortè Chriſtiani reges ex diſceſſu ſuo atque exercituum aliquam ad gerendum bellum occaſionem arriperent, finitimas prouincias validiſsimis pręſidijs confirmauit. Quanquam ſciret Sigiſmundum proprio bello diſtineri, quòd Moſcouitæ Lithuaniam etiamtum nouis incurſionibus exagitarent: & Cæſarem atque Vladiſlaum intelligeret, nihil aduerſum ſe eo præſertim tempore molituros, quorum alter ætate grauatus, ac ruinæ pondere ſuprema valetudine conflictaretur: alter quòd opportuna Ferdinãdi regis morte, noua omnibus bellorum materia præberetur, magnis comparatis exercitibus, aduerſus Gallos ac Venetos Italię totus immineret. Itaque Solymanum filium egregiæ indolis adoleſcentẽ, cum iuſto propè exercitu, vt Gręciam Mœſiamq; tueatur, Hadrianopoli relinquit: Pyrrhum baſſam magni conſilij ac eximiæ virtutis ducem, Byzantio præeſſe iubet. Natione hic erat Cilix, & ſanguine Mahometano progenitus: quod mirum videri potuit, quum alioquin purpurati fermè ſemper ex Chriſtiana progenie deligantur. Cherſeoglim verò, cui vni plurimum ob veterem beneficij memoriã fidebat, cum copijs ad Pruſiam in Bythinia collocat, claſſemq; quam magna impenſa & ſingulari ſtudio paulò antè deduxerat, atque exornauerat, Zaffero eunucho attribuit. Ipſe paucos Byzantij moratus dies, vt tyrones qui in prætorianos legebãtur, inſpiceret: ab ea vrbe proficiſcitur, & in Lycaoniam ad veteres exercitus peruenit. Quò quum veniſſet, cognoſcit, Campſonẽ Gaurium, magnis copijs tota Aegypto Iudæaque deductis, in Syriam deſcendiſſe, eumque profiteri ſe præſidio Perſicis rebus futurum, peruaſurumque in Ciliciam infeſto exercitu, ſi Sophus Hyſmael ſocius atque amicus rex, Turcarum armis oppugnaretur. Quibus rebus Selymus vehementer commotus, ne ſi ipſe ad Euphratem progrederetur, propinquus hoſtis à tergo nudatam præſidijs Aſiam per Amanum irrumperet, Iconij ſubſtitit, protinuſque ad Campſonem legatos cum muneribus mittit. Cuius legationis principem locum obtinebant Iachis vir militaris, & Cadileſcher maiore ſacerdotio, & ſacrarum literarum cognitione inſignis. Hic poſtea huius belli commẽtaria conſcripſit, quæ nos Italico ſermone donata perlegimus. Summa legationis fuit, vt Campſonem orarent, & quàm ſubiectiſsimè deprecarentur, nę ſibi nocere vel impedimento eſſe vellet, quo minus Hyſmaelem bello perſequeretur, qui tot tantaſq; Aſię calamitates intuliſſet: inductiſq; nouis ſuperſtitionibus, Mahometanę religionis certiſsimas leges deprauare dilacerareq; contenderet. Quòd ſi ille perſiſteret, & nullis conditionibus flecti poſſet, darent operam, vt vires atque eius conſilia diligẽter cognoſcerẽt: & quamprimũ ad ſe reuerterẽtur. At Campſon, tametſi ętate ingraueſcente, et florentibus rebus ſuis tranquillitati atq; otio potius quàm armis, vel alienis contentionibus ſibi ſtudendum eſſe arbitraretur, multis tamen de cauſis profectionẽ illam et expeditionẽ neceſſariam exiſtima-

bat: vtpote qui multò anteà Selymum propter nefariam hominis crudelitatē plurimum oderat, atque ob eam cauſam, vt fœdus quod ſibi cum Baiazete intercedebat, cum eo renouaret, nunquā adduci potuerat: & tum maximè audaciam eius proſperis fortunæ ſucceſsibus longius prouectam reprimere frænareque cuperet, quà ille tantam ſibi potentię atque virtutis opininem ſecundiſſimo rerum curſu vendicaſſet. Siquidem Selymus Tauriſio capto, victis acie Perſis, Aladolo ſuperato atque interfecto, & magnus & formidoloſus eſſe cœperat. Nec deerant qui eum alterum fortè Alexandrum interpretarētur, quòd ſinentibus dormitantibusque cæteris regibus, totius orbis imperium ſibi animo deſtinaret. Sed Campſonem maximè impellebat Syrię in primis, & totius mox amittendi imperij metus, quo nullum acrius telum ad excitandos ſuſpicaces regum animos reperitur. Quando ea prouincia ſuperbo atque impotenti Mamaluchorum dominatu oppreſſa, ob idque infida Aegyptijs regibus, ſi aliquo infelici prælio contuſæ Perſarum vires forent, ad Turcas finitimos protinus defectura videretur. Ob hæc Campſon ab initio Perſarum legationibus ſollicitatus, cum Hyſmaele fœdus amicitiamque percuſſerat, Aladinique Achomatis filij miſerrimi adoleſcentis calamitate permotus, in animum induxerat, ſuis atque Hyſmaelis viribus, Aſiam, Græciamque exturbata illa immani bellua poſſe liberari. Aladinus enim, quem patre apud Horminium interfecto, ad Campſonem profugiſſe docuimus, in Memphitica aula lachrymis, & ſquallore miſerabilis, tres annos verſatus fuerat, & ad vindicanda tot ſcelera, Mamaluchorum animos aduerſus Selymum patruum omnibus artibus concitarat. Peropportunè etiam Aladoli filius natu maior, florenti ætate iuuenis, orbatus patre, & in ſimili quoq; miſeria regno fortunisque omnibus exutus, quum Memphim confugiſſet, tanta ira atque indignatione omnium mentes ex atrocitate noui ſceleris inflammauit, vt Mamaluchorum principes Campſonem vltro adirent, obſecrarentque, vt bellum ſuſcipere vellet. Quòd ſi ipſe ſenecta inualidus obire ducis munia grauaretur, ipſos per ſe bellum geſturos, & ſceleratiſsimi hominis audaciam repreſſuros eſſe teſtarentur. Erant Mamaluchi non tantum virtute, vt qui robore corporis, equitandi peritia, & armorum genere præſtarent: verum etiam magnitudine animi atque opibus Turcis hominibus minimè comparandi. Sed in primis meminerant ſe duce Caythbeio validiſsimos Turcarum exercitus in Cilicia, ſemel ad Adenam, iterum ad Tarſum, perexigua manu profligaſſe, Meſithe Paleologo, & Cherſeogle Baiazetis genero ducibus captis. Vnde ſibi ex ea victoria tantos ſpiritus, tantam arrogantiam animorum vanitate deſumpſerant, vt ſibi vnis pręcipuam rei bellicæ laudem deberi, ac neminem eſſe in terris, quem armis ſuperare non poſſent, exiſtimarent. Mamaluchi fermè omnes, Getæ, Zinchi, Baſtarnæq; ſunt, nati in Ponto, & circa Mæotidem, ab ea pręſertim parte, qua Corax amnis in Euxinum effunditur. Regionem recenti vocabulo Cercaſsiam vocant à Cercitis populis, qui in Colchidem vergunt. Hos Valachi antiquitùs Myſi, qui Iſtro adiacent, & Tartari, qui Tauricam ad Dromon Achillis inhabitant, aliæque finitimæ gentes, Padolij, Sarmatæ, ac Roxolani, ab vberibus matris raptos, alijsque exceptos caſibus, mercatoribus vendunt: à quib. poſtea delectu habito, ſi qui eorum corporis & virium indole, vel animi vigore præſtiterint, nauibus Alexandriam, atque inde ad Memphiticum regem perducuntur. At Memphi vetere gentis inſtituto, laniſtis ſtatim præceptoribusque traduntur, qui magna cura

ludo

ludo incluſos erudiunt. Vbi autem per ætatem arcum fortius tendere, ſagittas emittere, digladiari haſta, clypeoque ſcienter vti, equum in gyros flectere atq; acrius incitare didicerint, tunc ſtipendia facere incipiunt, lectique in prętorianorum numerum ad equum reſcribuntur: qui indociles ignauique fuerint, fortibus perpetuò ſeruiunt. Ita quum in vna militari virtute cuncta poſita, honores, præmia, magiſtratus manifeſtè conſpiciant, tanta omnes diligentia, tantoque ardore certatim militiæ ſtudijs vacant, vt connixi per gradus ſæpenumero, nudi ſordidiſsimique ab initio ſerui, ab infimis equitum ordinibus, ad ſupremam principatus fortunam euaſerint. Mamaluchi Chriſtianæ religionis deſertores ſunt omnes, à captiuitate Mahometanis initiati ſacris. Nemo enim Mahometano vel Iudæo patre genitus in equitum numerum legi poteſt: propterea ad Mamaluchorum filios equeſtris dignitatis iura non tranſeunt, quanquam illi paternam ſupellectilem, prædia, ac domos hæreditate conſequātur: qua etiam ratione ad filios Sulthanus imperium non tranſmittit. Vnde è noſtris quoque prouincijs perditæ vitæ homines, damnatique iudicijs eò confugiunt, qui ſtatim eiurato Chriſti cultu, deciſisq; præputijs, ſi bello idonei fuerint, ad ampliſsimos honores prouehuntur: ſicuti ætate noſtra in Tangaribardino videre licuit: qui Hiſpani nautæ filius, virtute atq; ingenij artibus tantum ſibi authoritatis ac diuitiarum comparauit, vt cuncta propè conſilijs ſuis apud Campſonē adminiſtraret: & ad Baiazetem, Senatumque Venetum miſſus grauiſsimarum legationum munere fungeretur. Ad extremum tamen Deos ſui ſceleris vltores ſenſit, quum inuidia atque æmulatione procerum gradu pulſus, & coniectus in carcerem, miſerrimus in pedore atque compedibus expirarit. Neque mirum eſſe debet, ſi Mamaluchi ad eas opes, atque eam virtutis exiſtimationem perueniant, quum Syri atque Ægyptij ab his miſeranda oppreſsi ſeruitute, neque arma tractare, neq; equos alere permittantur, neque vllis adhibeantur conſilijs. Magnitudine enim tributorum facti inopes, & quotidianis equitum iniurijs exagitati, mercaturæ mechanicisque artibus, & agriculturæ ſe dedunt. In hos eadem omnia ſunt iura, quæ dominis in ſeruos. Nam vulgo regij equites inſolentius, quàm cuiquam credibile ſit, miſeros indigenas contumelijs atque verberibus afficere: bona omnium, vt lubet, prædæ loco habere: vxoreſq; eorum & liberos illata vi conſtuprare conſueuerunt. Aegyptij trecentos fermè annos enumerant, ex quo ipſi liberi ac nobiles, magno fortunæ ludibrio viliſsimis mancipijs ſeruire coacti ſunt.

Quomodo autem libertate imperioque exciderint, ſatis latè monſtrabitur, ſi quàm varijs bellorum caſibus nobile illud imperium iactatum ſit, diſtinctè retulerimus. Aegyptus poſt interitū Romani nominis, Conſtantinopolitanis imperatoribus ceſsit. Sed non multis inde annis, Aegyptij, quum ſibi omni tempore à Græcis ſuperbè auareque imperitatum exiſtimarent, euocatis in auxilium Saracenis, atq; ea vi Græcis ſubinde expulſis, Caliphum Saracenorum ducem ſibi regem delegerunt. Is à Mahomete pſeudopropheta, qui Mahometanæ ſuperſtitionis nouas ex Arrij ſecta & Iudaica diſciplina commixtas leges Orientis gentibus dedit, originem ducebat. A Calipho cæteri reges, qui eum varia ſucceſsione ſecuti ſunt, omnes veluti repetita Ptolemæorum conſuetudine, Caliphi nomē acceperunt. Vltimus regum eius nominis in id tempus incidit, quo Chriſtiani, Gothifredo & Boemundo ducibus, Aſiam ac Syriam victricibus armis peruagati, Hieroſolymitanum regnum condiderunt. Is ab

Almerico, qui Hieroſolymis Balduino ſucceſſerat, armis laceſsitus, quum tantam belli molem ægrè proprijs viribus ſuſtineret, à Sulthano Syriæ rege auxiliares copias, & Sarraconem in primis fortiſsimum ducem acceſsiuit. Sed Sarraco tam infidus quàm impiger, repreſsis Almerici conatibus, Caliphum nihil tale expectantem cuſtodiæ tradit, regnumque occupat. Exinde poſtea Caliphi amiſſo rerum imperio, ſacris tantum præfuerunt: penes quos confirmandi regis poteſtas erat, ſicuti à pontifice maximo Romanos Cæſares diademate inſigniri inueterata conſuetudine videmus. Sarraconi filius ſucceſsit nomine Saladinus, qui Chriſtianos in Syria & Paleſtina ſæpius acie profligauit, & ad extremum afflictis eorum opibus Hieroſolymitanum euertit imperium. Poſt Saladinum, qui moriens fratri regnum reliquit, plures filij nepoteſque ex eadem progenie Aegyptum vſque ad Melechſalam tenuêre. Melechſala liberorum regum poſtremus, cum Chriſtianis continenter bella geſsit. Qui quum veteranos, vt accidere tot prælijs fuit neceſſarium, & fortiſsimos ſuorum amiſiſſet, Aegyptiorum ingenijs atque opibus ſuis diffiſus, noui generis auxilia ex venalitijs ſeruis ſibi comparauit. Tartari enim Scythica gens ſub id tempus Armeniam atque Aſiam per Caſpias portas inuaſerant, Comanoſque populos, qui ad Cappadociam pertinent, prælijs victos iure belli ſub corona vendiderant. Ex his Comanis, Melechſala egregiam manum haud magno coemptam pretio in Aegyptum traduxit, & militaribus armis inſtruxit. Quorum fortiſsima opera vſus, non ſolum poſtea regni fines egregiè tutatus eſt, ſed & Ludouicum Gallorum regem ad Damiatam, quæ Heliopolis ſiue Peluſium fuit, ſtatiuis in caſtris obſedit: & mox memorabili prælio ſuperatum viuum cepit. Sed non multò poſt Melechſala conſpirantibus ſeruis, in ea victoriæ felicitate trucidatus eſt, promptiſsimusque Comanorum Turquemenius, imperium & Sulthani nomen arripuit. Verùm Turquemenius, dum ex eo faſtigio priſtinæ conditionis oblitus, conſeruos, qui principatum detulerant, elatiore animo deſpicit, à Cotho pariter Comano equite domi obtruncatur. Cothos eodem impetu & rex & imperator ab exercitu ſalutatus, quum in Syria Tartaros ab Hyalone relictos late cæcidiſſet, ſimili quoque oppreſſus fraude concidit: ſummaque imperij interfectori eius Bandocaderi delata eſt. Fuit armis inſignis Bandocader: eiuſque ductu Comana ſeruitia Ricardum Britanniæ regem, & reliquas Chriſtianorum copias tota Syria depulerunt. Poſt Bandocaderē, qui veneno ſublatus eſt, Elpis: & poſt eum Melech Vſtrephus imperio potiti ſunt. Quorum alter Tripolim Chriſtianis ademit, alter Ptolemaidem, quæ vna omnium reliqua ciuitas Chriſtiano præſidio tenebatur, magnis copijs adortus expugnauit. Secundum eos longa ſerie plures eiusconditionis viri fortes rerum imperio potiti ſunt: quorum nomen obſcurius fuit, quòd præclaræ eorum res geſtæ nullis literarum monumentis ea tempeſtate mandarentur. Sed patrum noſtrorum memoria Caithbeius opibus & belli gloria longè clariſsimus fuit, qui accepta per manus à maiorib. diſciplina, diligentius ac liberalius quàm quiſquam antea ſeruilem militiam adauxit, & excoluit: ita tamen, vt graui cura ſubſeruorum multitudini proſpiceretur. Qui paulo antè coniuratione facta, atque arreptis armis, ipſi regi, & equitibus dominis ſuis difficile ac periculoſiſsimum bellum conflauerant. Hic eſt ille Sulthanus, qui, quum principes Chriſtianos, vt quemq; magnificentia atq; animi virtute præſtare audierat, ſingulari beneuolentia proſequeretur, inter cætera munera

nera

camelopardalim admirandæ altitudinis animal, Laurentio Medici Florētiam miſit. Is Turcis in Cilicia ſuperatis, & Perſis qui è Meſopotamia Syriam inuaſerant, magna virtute repreſsis, domitis quoque Arabibus, ad Mecham vſque vltimosq; felicis Arabię terminos promotis armis, Maximi cognomen adeptus, trigeſimo tertio imperij anno vita exceſsit, ſub id ferè tēpus, quo Galli ad Tarrum cum Venetis conflixerunt. Mortuo Caithbeio, Achardinus & Campſonia, qui ſummos magiſtratus obtinebant, quum magnis inter ſe opib. de principatu funeſtiſsimè contendiſſent, & diductis in factiones Mamaluchis, cuncta tumultu atque armis miſcuiſſent, Mahometo Caithbeij filio vſurpandi imperij occaſionem præbuerunt. Sed biennio poſt Mahometes, qui contra leges et veteris inſtituti conſuetudinem, paternam ſedem inuaſerat, à Cercaſsio inter epulas obtruncatus eſt. Ipſe Cercaſsius, quòd publicam ſeruorum cauſam reſpexiſſet, & ius dicendi regis atque obtinendi imperij Mamaluchis reſtituiſſe videretur, Sulthanus ſummo omnium fauore ſalutatur. Hunc Giapalatus, qui Damaſci Syriæque præerat, Memphim cum exercitu profectus, regali faſtigio deturbauit, & coniecit in carcerem. Giapalatum autem crudeliter atque auare imperantem aduerſæ factionis Mamaluchi, duce Tomumbeio expugnatá regia comprehenderunt, & in arce Alexandrina cuſtodię tradiderunt. Eo confecto negotio, Tomumbeius Giapalato ſuffectus eſt. Is quū initio ſtatim principatus nihil antiquius duceret, quàm Giapalatum, quem ipſe clam ſtrangulari iuſſerat, immanitate, auaritia, atque omnibus ſceleribus ſuperare, breui tempore tantum ſibi odium cōcitauit, vt publico conſilio Mamaluchi eum extemplo capiendum puniendumque decreuerint. Ita Tomumbeius octauo imperij menſe, quum obſeſſus in regia fugam per cuniculum deſperata ſalute moliretur, ab amicis Giapalati contrucidatus eſt. Occiſo Tomumbeio, aulę proceres, vt cruentiſsimis Mamaluchorum ſeditionibus occurrerent, quibus ad internitionem propè eorum nominis per quatuor annos fuerat dimicatum: Campſoni Gaurio homini iuſto & forti, atque in primis minimè ambitioſo imperium detulerunt. Is recenti tot regum calamitate perterritus, quos paucis menſibus exitiabili ambitione cecidiſſe meminerat, quum inuito ſimilis procerum ac militum humeris altè ſublatus in regiam deferretur, abnuere imperium cœpit, reluctarique demum grauiter, et ſe tanto faſtigio imparem dicere. Demum obortis lachrymis amicos ac principes deprecari, ne ſe priuata cōtentum vita in manifeſtum vitæ periculum conijcere vellent, quando neque pecuniam haberet expeditam ad donatiuum militi perſoluendum, vt cęteri conſueuiſſent: neque tantum conſilij atque authoritatis, quantum neceſſe foret ad frangendos ſeditioſorum impetus, in ea rerum omnium confuſione eſſet habiturus. Contrà proceres monere hominem, ne præſentis fortunæ occaſionem ſtulta obſtinatione animi, inanique modeſtia negligere vellet: capeſſeret rempublicam affectam inteſtinis malis labantemque, atque ipſum regium nomen, quod vno omnium ſtudio ſibi deferretur. Poſtremò omnes iureiurando polliceri, ſe neq; matu, neq; induſtria, neque opibus ei ad ſuſtentandam regiam dignitatem eſſe defuturos, militesque non antè petituros donatiuum, quàm ex regijs vectigalibus prouinciarumque portorijs, publicani & quæſtores exactam publico nomine pecuniam coegiſſent. Quibus confirmatus adhortationib. Campſon, ſe regem ſalutari ęquo animo patitur: adminiſtrandiq; imperij curam ſuſcipit. Is poſtea quum decies centena milia aureorum nummûm militibus donatiuũ

nomine diuiſiſſet, & ſingulari eius moderatione eximiam de ſe probitatis atq; prudentiæ præbuiſſet opinionem, tanta induſtria, paucis qui res nouas moliebantur veneno ſublatis, turbatum agitatumq; ciuilibus procellis rerum ſtatũ compoſuit, vt per ſexdecim annos Syria & Aegyptus nunquam tumultus vel belli nomen audierit. Dignus profecto Campſon felicis atque optimi nomine, ſi qui tam bonam pacem tranquillitatis & opulentiæ plenam egregia virtute condiderat, conquieſcere, atq; otium pati, quàm ſumptis temere armis belli fortunam periclitari poſtea maluiſſet. Igitur Iachis & Cadileſcher Iconio profecti ad Campſonem (is ad Orontem amnem, qui hodie Farfar dicitur, habebat caſtra) paucorum dierum itinere peruenerũt. Quibus liberaliter magis, quàm amice, vel humaniter ſuſceptis, aliquãtò poſt, quum ſenatus in prætorio datus eſſet, ipſique demiſſa oratione mandata expoſuiſſent, Campſon in hanc ſententiam reſpondit: Veterem eſſe Sulthanorum conſuetudinẽ, quòd principem in religione locum obtineant, Mahometanos reges, populosque omnes in pace, cuius ipſe in primis ſemper fuerit ſtudioſus, omni cura atque induſtria continere: Proinde ſe in Syriam prouinciam ſuam veniſſe armatũ, vt pacem Selymo perſuadeat. Quòd ſi in ea inferendi belli pertinacia perſiſtat, atque Hyſmaelem, quem fœderis atq; amicitiæ neceſsitudine ſibi coniunctum ſciret, oppugnare pergat, ſe dignitati ſuæ ac exiſtimationi conſulturum: nec paſſurum vlterius, vt vnius inſolentis ambitioſiq; hominis libidine ac furore, humana diuinaq; omnia permiſceantur. Nouiſſe ſe iam pridem Selymi ingenium, ꝙ vaſtũ, quàm atrox, quàm inquietum foret, poſtquam Baiazete patre optimo, tantęq; virtutis fratribus, ac tantę ſpei atque indolis ſeptem impuberib. conſanguineis per ſummum ſcelus enecatis, totq; amicis ac fortiſsimis ducib. crudeliſsimè trucidatis, immanitati atq; audaciæ nunq̃ finem vel modum impoſuerit. Propterea Selymo denunciarent vnam atq; extremam eſſe pacis conditionẽ, ſi ab Hyſmaelis prouincijs abſtineret, & Aladoli filio paternum reſtitueret regnum, ꝙ in Sulthanorum clientela ac fide ſemper fuiſſet. Id ſi faceret, vt rectè facere deberet, præter ſuam gratiam atque amicitiam, quæ ei maximo vſui atq; ornamento eſſe poſſet, ipſum longè maiorẽ ex tuta pace, quàm ex ancipiti bello laudem eſſe relaturum. Legati tametſi Selymum non deſtiturum incœpto, aut arma poſiturum vlla periculi denunciatione intelligebant, tamen quo maturius dimitterentur: & de repentino Campſonis aduentu ad Selymum celeriter nuncium perferrent, dixerunt ſibi magnopere pacem placere, ſperareque ſe iuſtis adhortationib. flexuros animum Selymi: quoniam aditum ad intima eius conſilia, & ſummam ad perſuadendum authoritatem haberent: ac facilè futurum, vt ea incendiorum initia opprimerentur, quæ integris adhuc rebus nondum veram belli flammam concepiſſent. Ita cum muneribus dimiſsi continuato die ac noctu itinere, ad Selymum, qui Cæſaream peruenerat, redierunt. Campſon quoque promotis ab Oronte caſtris in Comagenem venit, & ad Alepum celeberrimam vrbem conſedit. Eam ex ruinis antiquæ Hierapolis ædificatam ab Alepio Iuliani Cæſaris præfecto, qui in ea prouincia præclaras bello & pace res geſſerit, & nouæ vrbi nomen indiderit, pluribus coniecturis exiſtimamus. Proxima eſt Singæ amni, qui è Pierio monte per Comagenem tortuoſus & lenis haud magnam aquarum molem trahens, in Euphratem euoluitur. Hanc vrbem Hyalon Scytharum rex ea tempeſtate, qua Chriſtiani cum Ægyptijs regibus de Syriæ & Iudeę poſſeſsione decertabant, quum tota Aſia vaſti-

tatem

tatem feciſſet, reſiſtere auſam expugnauit, & incendit. His tamen ruinis etiam deformata, propter magnam loci opportunitatem, frequenti mercatorum cõcurſu incolitur. Vix enim quinque dierum itinere ab proximo Syriæ littore diſtat, vbi Tripolis & Berytus emporia: finitimaque eſt Turcis ac Perſis: vnde Orientis opes quas gentes hinc Amano Syriam ab Cilicia dirimente, illinc Euphrate finiente Meſopotamiam, amplitudine imperij ad Byrtham vrbem Sulthanus attingit. At Selymus, quum per legatos qui cuncta diligẽter Aegyptijs in caſtris explorarant, de aduentu numeroque hoſtium, ſimul & de Campſonis arrogantia, qui ſibi adeò tumidè atque inſolenter præſcriberet, certius cognouiſſet, alia ratione ac inſtituerat, bellum ſibi gerendum exiſtimauit: quod neque tutam fore profectionem rebatur, ſi oblato nouo hoſte in Armeniam cupidius penetraret, neque ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, ad ſuperbi vaniſsimique hominis nutum deſiſtere incœpto, expeditionemq; dimittere, quam tanta impenſa, tantoque ſtudio parauiſſet. Igitur in ancipiti negocio egregium ac neceſſarium ab animi magnitudine conſilium capit: ſimulat ſe recta, vt conſtituerat, aduerſus Perſas progreſſurum, impedimentaque & copiarum partẽ, vt certior eius conſilij fama ad Campſonem deferretur, Suaſsiam vrbem præmittit (hęc olim Sebaſta fuit. Sita eſt in finibus Hyſmaelis, vbi Euphrates Tauri mõtis occurſu fractus, ac mox rapido aquarum impetu victor, perruptis vallibus in Meſopotamiam effunditur.) Cæterùm conuerſo in dextram itinere, tranſcendere Taurum montem, & celeri in Comagenem irruptione facta hoſtes imparatos adoriri conſtituit. Itaque concionatus apud Prætorianos noui conſilij rationem exponit, docetque facilem atque expeditam eſſe victoriam, ſi adhibita celeritate, priuſquam retroceſsiſſe ab Ægyptijs ſentiantur, eniti in aduerſa montium iuga, atque eas itineris difficultates ingentibus animis ſuperare vellent: neque inani timore adducti vana Mamaluchorum nomina horrerent. Interijſſe enim iam pridem eius gentis robora, illosq; veteres equites, qui Caithbeio duce aliquid exiſtimationis ac nominis militię meruiſſent. Occurſuros tantùm in acie ſplendidos quoſdam equorũ domitores verius quàm milites, qui ſcitè ad ſpectantium voluptatem ludicra arte pręſtigiari in equis ſciant: depugnare verò & vulnera ferre non poſsint: vt qui longa pace ac luxu, vrbanisq; delicijs corrupti, nunq̃ caſtra vel armatam hoſtium aciem viderint, nunquam tubarum ſonum niſi in ludis atque ſpectaculis audierint. Proinde eos nulla tormentorum copia inſtructos, nullis peditum vallatos pręſidijs cõtemnerent: et ſicuti ſacrarum legum, ac religionis interpretes, ſacris ritè peractis, omnia proſperè ceſſura pronunciaſſent, ita ipſi ſpe pleni atque alacres ad certam de ſuperbo hoſte victoriam proficiſcerentur. Solere enim Deos immortales his, qui iuſta ac neceſſaria arma induerint, et belli cauſa pręſtiterint, certam vincendi occaſionem proponere. Cęterùm ſuperare hoſtem, potirique victoria in dextris eorum ſitum, quiq̃; pro decore gentis, ac ſalute imperatoris occumbere, nihil in tota vita pulchrius atque præſtantius exiſtimarint. Prætoriani alacri fremitu inter ordines ſuborto, ſtatim acclamauêre, duceret ac raperet quò vellet, ſe cunctas forti audacia peruaſuros locorum aſperitates, omneſque labores ac belli incommoda æquiſsimè toleraturos. Ergo Selymus exploratis per montanos homines itineribus, tres ſemitas traducendo exercitui deſtinat, adhibitaque triplici Aſapporum atque incolarum manu, qui anguſtias repurgatis callibus aperirent, confragoſa quæque & inæqualia itinerum tranſuehendis

tormentis communiri & exęquari, aſperioresq; tranſitus quà iumenta ducerētur, ſubitario opere conſterni iubet: ac ſimul vt milites ad laborem accenderentur, donatiuum illis ex præſenti pecunia polliceretur, qui in traducendo tormentorum apparatu extraordinariā operam nauaſſent. Vnde mox tormenta omnia, quum minoris generis eſſent, nec maiorem medico malo pilam ferrēt, facili tractu impulſuq; humeris militum per iuga & conualles tranſuecta ſunt: factum eſt incredibili ſtudio militum, qui nouo bello aperiri ſibi ad prædam opulentiſsimas prouincias videbant, vt quinq; tantùm diebus in eo labore abſumptis, omnis exercitus cum impedimentis & currib. ſuperato Tauri dorſo in Comagenæ campos deſcenderit. Neq; enim Taurus, vbi Amani montis nomen aſſumit, qui locus fermè medius eſt inter Euphratem ſecantem Tauri iuga, atque Iſsicum ſinum, qui hodie Aiaccius dicitur, aſcenſu arduus eſt, vel inſuperabilis: miteſcit nanq; quum extenuatus ad mare prouehitur, et ſe multis in locis colendum atq; habitandum præbet Cilicibus montanis, aſperisq; hominibus duro labori aſſuetis, qui hodie Caramanni appellantur. Ea vox nigri montis accolas ſignificat, quòd Amanus ab exuſtis cautibus procul nigreſcere videatur. Saxouaroglis Aladoli proditor, quem paulò antè Selymus euocauerat, vt ſtatim in hoſtium fines deſcenſum eſt, cum valida ſuorū equitum manu regionē omnē, quæ ad Amani Tauriq; radices pertinet, celeri curſu percurrit: vt ſimul vbi nam Campſon cum exercitu conſtitiſſet, ex incolis captiuiſque cognoſceret: obſeſsiſq; itineribus, quantū equitum diligentia effici poſſet, prohiberet, ne de Selymi aduentu ad hoſtes fama deferretur. At Campſon qui vanitate atq; ſuperbia inductus, ſola authoritate, atq; amplitudine nominis terreri Selymū, & ad pręſcriptū coerceri poſſe putauerat, non prius adduci potuit, vt Tauri culmina tranſmiſiſſe hoſtes crederet, ꝙ eorum caſtra, in queis ſupra centum milia armatorum erant, bidui tātùm itinere abeſſe nunciatum eſt. Ita ignarus belli, improuiſo metu territus, quum in ipſo tanti diſcriminis negotio conſilium capere cogeretur, vt qui ſuas atq; hoſtium vires tum primū expenderet, fluctuare animo cœpit, ęſtuandoq; vehemēter, modò in ſpem erigi, modò metu ac pudore agitari: poſtremò decoris, atque ſalutis ſuprema cura anxius, hęſitare, num cedere infeſtis rebus, ingruentibusque procellis, & detrectato certamine in pacatiora refugere præſtaret, an forti animo conſiſtere, atque ipſam iniqua etiam conditione prælij fortunam periclitari, quando longè honeſtius foret maiorum exemplo, qui armis atq; auſu partum imperiū ſibi tradidiſſent, armatū egregiè mortem oppetere, quàm propagatū per trecentos amplius annos eius militię decus turpi atque inſolita fuga defœdare, vel ſeipſum videri nimio vitæ deſiderio ſeptem & ſeptuaginta annorum ætatem dignitate atque omni exiſtimatione ſpoliatum, dedecori ac ſordib. ſeruare voluiſſe. Erant è ducibus qui tuta conſilia ſpecioſis anteferrent: et ante alios Iamburdus cognomēto Gazelles, magni Caithbeij alumnus, vir fortis, & militari prudētia inſignis, qui Amano, Apamiæque præerat. Is ſicuti cum numeroſo vetereque hoſtium exercitu tantulis copijs cōfligere calamitoſum arbitrabatur, ita expedito agmine retrocedendū, & ſedem belli ad Damaſcum deligendā eſſe diſſerebat: quando pedeſtris et curruum impedimētis tardus ad inſequendum Turcarum exercitus tutum & facilem receptum daret. Interea accitis in ſupplementum cęteris omnibus Mamaluchis, qui in Iudæa atque Aegypto in præſidijs forent, proximiſque Arabibus mercede conductis, in hyemem trahi bellum, atque hoſtem

difficul-

difficultate commeatus expugnari facilè poſſe: nec ceſſurum cõtinuò Alepum minora tantùm tormenta trahentibus, ſi vel mediocri præſidio firmaretur, venturaque ſubinde è Meſopotamia Perſarum auxilia: ipſumque Hyſmaelem Sophum, cognito Turcarum itinere, in minorem Aſiam irrupturum: nec defuturos Chriſtianos, qui è Cypro Rhodoque inſulis, aduerſus communem hoſtem ænea tormenta ſubminiſtrarent, ſi legationibus adirentur. Quibus comparatis, exæquatisque viribus, non temere poſtea, ſi confligere & ſummæ rei aleam ſubire adeo pulchrum exiſtimaret, in aciem eſſet deſcenſurus. Cæterùm grauiſſima bella, quæ initio vehementes, repentinosque impetus habeant, prudenti aduerſariorum cunctatione interpoſito moræ ſpatio elangueſcere conſueuiſſe. Proinde fortunæ periculum facere ne properaret: quãdo errata bellorum, quæ ſæpius ducum inſcitia temeritateque proueniant, lugere, ac ſero deteſtari optimi quique poſsint: reſtituere autem atque corrigere, nec Dij quidem immortales queant. Mouerat Campſonem, & pleroſque alios opportuna & graui ſententia Gazelles, ſed quo minus vera audirẽtur, militaris fremitus, & ſtulta Mamaluchorum alacritas Campſonis auribus officiebat. Ii enim, quum certiora de aduentu Turcarum audiſſent, incredibili lætitia totis caſtris exultare, geſtire præ gaudio, atque inter ſe gratulari quod oſtendendæ virtutis, ac parandæ laudis tempus veniſſet. Iamque illam tam diu exoptatam occaſionem tenerẽt, qua Campſonem imperatorem ſupra titulos & celeberrimam Caithbeij famã fuſis cæſisque hoſtibus eſſent elaturi. Nec deerant ex principibus qui adulatione, inaniq; iactantia memorando, quãta cum gloria ad Tarſum ingentes Turcarum copias nullo propè labore cæcidiſſent, facilem atque expeditam de ipſo hoſte victoriam eſſe prædicarent. Sed in primis Cayerbeius Alepi & Comagenæ prouinciæ præfectus, qui poſtea perfecto bello perfidiæ meritis ad ſummos honores euectus eſt, quum de ſtudio, virtute atq; ardore Mamaluchorum magnificè loqueretur, quæ de apparatu numeroq; hoſtium vulgata erant, eleuare verbis, & ſaluberrimi conſilij rationes euertere properabat. Erat enim Cayerbeius haud obſcuris de cauſis Campſoni infenſus, quòd ipſius fratrem authoritate & formidandis opibus clarum, aliquot antè annis Campſon veneno ſuſtulerat. Vnde poſtea Cayerbeius, quum ſibi etiam cauendum exiſtimaret, & ſe iiſdem quoque inſidijs petitum ſuſpicaretur, vocatus Memphim de more ad procerum conuentus peragendos, ſimulata ægritudine regio edicto parẽre noluerat: quæ res haud mediocriter regium animum exulcerauit. Sed Campſon tacita iracundia tempus opperiebatur, quo hominem præferocem oblitum cõditionis, ac inſolentius aduerſum ſe veluti è proprio regno in præfectura agentem capere atque interficere poſſet. Id commodè perfici poſſe videbatur, ſi ipſe occaſione belli, vt tum acciderat, vel ſimulatione adeundi Euphratis Hierapolim veniret. Mos enim erat veteribus Sulthanis, non prius ſe regio nomine vel militari laude dignos exiſtimare, quàm, vt proximè fecerat Caithbeius, productis ad Euphratem copijs, apud Byrtham emporium, quod in ripa & antiquũ nomen & celebritatem adhuc retinet, conſediſſent: ac ſolenni pompa equum ad potandas profluentis vndas ſpectante exercitu in amnem adegiſſent: vt qui ea cæremonia intelligi vellent ſe quàm latiſsimè imperitare, ac paratos armis oſtendere ſuos eſſe agros, qui citra Taurum vſque ad Arabiæ ſolitudines Euphrate amne allueventur. Verum obſtabat ratio belli, quominus eum primo aduentu ſtatim opprimeret, quod incertis adhuc Selymi conſilijs, cir-

cumſpectare Turcarum & Perſarum motus, & conceptas differre inſidias vſque ad belli exitum ex vſu præſentium rerum arbitrabatur: ne atrocitate inopinati facinoris milites conſternati, ſeceſsionem facerent, aut in ampliſsima vrbe ad rebellandum ex noua re tumultus excitaretur. Nam Cayerbeius validiſsimas copias familiaritate ac beneficijs ſibi obſtrictas habebat in caſtris, & ſummam apud Hieropolitanos gratiam atque authoritatem obtinebat: ac munitiſsima arce quæ media in vrbe accliui in tumulo ædificata erat, fideli cuſtode impoſito potiebatur. Sed dum Campſon tardius et conſideratius ea moliretur, nonnulli ex intimis Sulthani familiaribus, qui officioſi quàm fideles videri malebant, Cayerbeium ſecretò monuerunt, vt regias inſidias caueret: atq; aliquo honeſto conſilio rebus ſuis proſpicere vellet. Ille periculo cognito omnem deliberandi moram exitiabilem ratus, nuncios ad Selymum tranſmittit, qui doloris ſui cauſas aperirent, pollicerenturque ſe in eius fidem ex occaſione conceſſurum, traditurum arma, arcem, & ſtudia ciuium erga ſe perquàm egregie: proprijque equitatus vires, vt fraternam necem vlciſceretur, ad parandam de Campſone victoriam eſſe collaturum. Cæterùm vt promiſsis fides adhiberetur, obſidibus cauerent: & quæ conſilia Campſonis, qualesque eius & quantæ copiæ eſſent, ſigillatim perdocerent. Poſtremò adhortarentur, vt accederet, & manus conſere maturaret. Nec Selymus poſtulatis annuere, proditoriſque voto ſubſcribere, atque vltrò maiora etiam polliceri dubitauit, haud ignarus explorari pararique ſibi victoriam, ſi ampliſsimæ vires tanti viri defectione hoſtibus deceſsiſſent. Itaque Campſon ſpreto Gazellis conſilio, quod fidei ac ſalutis pleniſsimum, Cayerbeij proditoris, omnium militum hortatu, atq; ipſa etiam vrgentis Fati violẽtia impulſus, quum Selymus appropinquare diceretur, prælio decertare conſtituit. Poſita erant eius caſtra idoneo in loco ad Singam amnem, decimo fermè ab vrbe milliari: ea ratione, vt milites propinquitate amnis vterentur, & ſemoti ab vrbis tectis atque delicijs, nihilominus ciuium facultatibus ac copijs iuuari facilè poſſent. Mamaluchi duodecim millium numerum vix attingebant: verùm ſingulos, vt quiſque eorum maioribus ſtipendijs atq; opibus eminebat, plures ſerui armis & equis liberaliter inſtructi ſequebantur. Decora certè ac inſuperabilis acies, ſi vera virtute certaretur. Viri prolixa barba, & minacibus oculis truces, ipſo toto corpore lacertoſi atque flexibiles, tanta arte pugnam ineunt, vt poſt primos ſtatim haſtarum ictus, modò ſagittis, clypeo in tergũ reiecto, modò ferrea claua, interdum falcato enſe, vt locus congreſſuſque popoſcerint, admirabili quadam agilitate virtuteque depugnent. Equi eorum validi atque acres, atque Hiſpanicis forma celeritateque perſimiles: quodque ſupra noſtrorum hominum opinionem eſſe videtur, tanta ingenij docilitate in primis præſtant, vt ad nutus, & ad certas ſeſſorum voces, haſtã ſagittamque mordicus terra ſubleuatam porrigere, hoſtem agnoſcere, atq; appetere dentibus, calcibus cuncta circumſternere, nec horrere proprium cruorẽ natura conſuetudineque didicerint. His fræna argentea, aurata ephippia, & ſquamoſi operis ferrea colli & pectoris tegumenta conſpiciuntur. Eques lorica, vel thorace ferreis laminis conſerto contentus eſt. Primorum ordinum equites, & quiſque diuitijs clarus galeas ferunt. Cæteri linteo capitis tegumento, quod pluribus implicatum ſpiris ad elegantiam intorquetur, ſe ſatis munitos aduerſus cæſim ferientes exiſtimant: gregarij autem equites villoſis purpureiſque pileis, qui graui gladiorũ ictu diſcindi nequeunt, vtebantur. Campſon

ex om-

ex omnibus copijs quinque acies inſtituit, prima Cayerbeio data, quòd in eius prouincia bellum gerebatur. Secunda Sybeio, cui ab admiranda corporis agilitate Baluano, quo eorum lingua ſchœnobatem ſignificat, cognomentum fuit. Is erat Tetracha Damaſcenus, vir ſingularis fidei atque virtutis, qui vno tempore dextrum & ſiniſtrum cornu Turcarum inuaderent. Hos Gazelles cum tertia acie ſequebatur, his vel illis vbi res poſceret auxilio futurus. Quartam ipſe Campſon, vltima ad præſidium caſtrorum relicta, auratis armis fulgentem veluti ſubſidiariam interuallo duodecim ſtadiorum adducebat. Selymus autem ſic inſtruxerat aciem, vt more ſuo Aſiaticum in dextro, in læuo Europeum equitatum, prętorianos verò pedites cum tormentis in medio collocatos haberet. Sed ante peditatum ornatiſsimi atque fortiſsimi prætorianorum equitum, in queis ipſe Selymus eo die præter conſuetudinem eſſe voluit, medio in ſinu frontem obtinebant. Cayerbeius vt ſtatim appropinquatum eſt, in ſpeciem egregij animi acri impetu facto, Europeos adortus eſt: mox veluti circumuenire eorum aciem vellet, in terga longo circuitu deflexit, vbi nouiſsimũ lixarum agmen impedimentaque ac innumerabilem camelorum multitudinem, magno terrore illato potius, quàm multa cæde conturbauit: vt fortis & proditor decori ſimul atq; perfidiæ ſatisfacere videretur. In diuerſa autem parte Damaſcenus, vt ab latere aperto hoſtes inuaderet, omiſſa fronte & circumactis in læuam turmis, in tranſuerſos incurrit: tantoque ardore à Mamaluchis dimicatum eſt, vt ingenti Aſiaticorum ſtrage edita, ad vexilla quæ in medio collocata erant, in morem rapidiſsimi torrentis penetrarint. Nec proſtratis primis Muſtaphas Bellerbechus (hic Baiazetis erat gener natione Hungarus) & Imbracorbaſſa regij ſtabuli magiſter, qui magna vi contra contendebant, quin diffugerent, diutius ſuſtinere potuerunt. Ita victor Damaſcenus hoſtium cornu in duas partes diſciſſo, quum ex obliquo ad pedites & terga prætoriani equitis peruaſiſſet, cuncta prope in media acie cædibus terroreque compleuit. Erat res poſita in ſummo diſcrimine, quòd Selymus incurſu hoſtium propè abſciſſus erat à peditatu, in quo ſummam ſpem reponebat: quòd prętoriani à Gazelle, qui Damaſceni fortunã ſecutus iam mediam frontem inuaſerat, acerrimè premebantur: quodq; Aſiatici pulſis atq; diſiecti nullam reſtituendæ pugnę rationẽ inueniebant, quum Sinambaſſa laborantib. auxilio ſuperuenit. Eius aduentu, quoniam nulla, vel mediocri pugna à Cayerbeio fuerat laceſsitus, recentemq; equitum multitudinem induxerat, audacia Mamaluchorũ retardata, auctiq; Turcarum animi: ac mox hoſtib. erepta victoria, quũ Selymi iuſſu in aduerſos tormenta diſploderentur. Quorum inſolito fragore conſternatos equos Mamaluchi nec regere poterant, nec ipſi ſingulari atq; admiranda virtute ſua, vt erant in medio ab infinita hoſtium multitudine circumuenti, quicquam proficiebant. In ea tñ rerum aſperitate nequaquam fracti animo, tametſi à Cayerbeio & à Fortuna deſerebantur, neq; conſilio, neq; virtute ſibi defuerũt. Vniuerſiq; denſato agmine conglobati cum ſtrage Europeorũ, & prętorianę alę detrimento, oppoſitã aciem perruperunt, & continenti curſu caſtra atque vrbem petere cœperunt. Tum demum acti omnes in fugam, perſequente Sinambaſſa cum expeditis & recentiſsimis equitum. Namq; Selymus, qui ea die in ſummo æſtu patientia corporis, & vigore animi, & conſilij felicitate, ſe ipſo haud dubiè maior apparuit, vti victoriæ inſiſterent, & perterritos ſectarentur, huc atque illuc volitans fuerat adhortatus. Iam Campſon vrgen-

tibus fatis aciem promouerat, vt vel ſuis ſubſidio foret, aut victoriæ, ſi Turcæ vincerentur intereſſet, quum in itinere à fugientibus cognoſcit defeciſſe Cayerbeium, fuſas eſſe copias, nec iam omnium fugam ſiſti poſſe: tantam eſſe tormentorum vim tantamque hoſtium multitudinem, vt diutius ſuſtinere nequeant. Quo nuncio elatiſsimus ſenex, qui nunquam in perpetua rerum tranquillitate alteram fortunam expertus fuerat, ſupremo animi dolore concepto, penè concidit. Nec multò poſt ſuperueniente ſuorum atque inſequentium hoſtium turba, qui ipſo curſus impetu concitati obuios quoſque promiſcuè proterebant, quum annis, & ingentis herniæ pondere grauaretur, & æſtu mœroreque deficeret, in eo puluere exanimatus eſt. Damaſcenus quoque & Tetrarcha Tripolitanus dum effuſè omnes caſtra, atque inde Hierapolim peterent, atque ipſi à nouiſsimo agmine irruentium impetum ſuſtinere conarentur, interière. Selymus eodem in campo vbi pugnatum fuerat, paucis erectis tabernaculis, maioreque exercitus parte in ſtatione collocata inſomnem egit noctem, vt qui victoriæ ac fortunæ ſuæ neſcius, magnopere timebat, ne tantæ virtutis homines, captatis ad inſidias tenebris, ad oppugnanda caſtra reuerterētur, quos ipſe tormentorum metu magis quàm vera militum virtute pulſos, & coniectos in fugam eſſe conſpexiſſet. At Gazelles & cæteri Mamaluchi, quum de Campſonis morte certius cognouiſſent, vixdum refectis ab laſsitudine equis, de quarta vigilia ab Hierapoli Damaſcum citato itinere profecti ſunt. Poſtero die Selymus promota acie, caſtra hoſtium regiæ opulentiæ plena militibus diripienda conceſsit: atque inde ad vrbem progreſſus, Hierapolitanos duce Cayerbeio dedentes ſeſe in fidem recepit, atque immunitatis honore proſecutus eſt. Periêre in ea pugna non amplius mille Mamaluchi. Sed plures ex eorum ſeruis: maiorque aliquanto cędes in fuga quàm in pręlio facta, quum fatiſcentibus ſudore equis, & ſiti paſsim emorientibus, deſtituti in pedes ab ignauiſsimo quoque equite facilè opprimerentur. Magnus enim numerus nobilium equorum interijt, qui vt erant prępingues, & delicatius in vmbra ac ſtabulis enutriti, quum illo pręſertim die cuncta immodico Solis ardore torrerentur, vehementiorem ac inſolitum laborem ferre non potuerunt. Pugnatum eſt ad ſeptimum Calendas Septembres, eo ipſo die, (quod mirum eſt) quo Calderanis in campis biennio ante victoriam de Hyſmaele retulerat. In partibus autem Selymi ſupra tria milia equitum cæſa referuntur, vt hinc coniectari liceat, inſignem eum cladem fuiſſe accepturum, ſi ab lęuo cornu, quod proditoris beneficio intactum remanſerat, Sinambaſſa, vt alteri præfecto accidit, in ſuum & ipſe Damaſcenus incidiſſet: quanquam recenti atque integro adhuc peditatus pręſidio confirmatus, nullū ſalutis vel ignominiæ periculum adire poſſe videretur. Campſonis cadauer biduo poſt à conquiſitoribus abſque vllo vulneris veſtigio repertum eſt, quod Selymus recognoſci, & palam omnibus oſtentari iuſsit, vt eę gentes, quę illum viuere, et ad reparandas vires Memphim contendere obſtinata credulitate putabant, omni reliqua ſpe rerum nouarum deciderent, & qui fideles erant in poſterum firmiores, ſublata eius rei ſuſpicione, redderentur. Nec multò poſt, quū iam fœtore tabeq; difflueret, & ad coarguendam vulgi famam tridui ſpectaculo ſatisfactū eſſe videretur, apud vetuſtiſsimū vrbis templum mediocri funere tumulatū eſt. Hierapoli in fidem recepta, Selymus Iunumbaſſam cum expedito equitatu, qui veſtigijs fugientium inſiſteret, Damaſcum præmiſit, quò & ipſe paucos poſt dies, quum inde quoque deceſsiſſe hoſtes, ac fuga Memphim

petiuiſ-

petiuiſſe cognouiſſet, cum omnibus copijs profectus eſt. Statimque ei Damaſceni, qui morari victoriæ curſum, & opulentiſsimæ vrbis fortunæ in diſcrimẽ adducere alienum à rationibus ſuis exiſtimabant, abſque vlla dubitatione portas aperuerunt. Quorum exemplo permotæ maritimæ ciuitates, & in primis Tripolis, Berytus, Sydon atq; Ptolemais miſsis legationibus, acceptisq; Turcarum præſidijs, ſimiliter deditionem fecère. Nec multis inde diebus Selymus celeberrimum conuentũ in caſtris habuit. Ea Damaſci mœnibus iuncta erant, ne quietæ & frequentiſsimæ vrbis ſtatus, & mercaturæ commercia, quæ ſumma omnium ſecuritate ab varijs remotiſsimarum nationum negotiatorib. tractari conſueuerant, intromiſſa militum multitudine, turbarentur. Quanquam ea eſſet in caſtris diſciplina, ſeueriſsimis acerrimi imperatoris legib. conſtituta, vt quum milites nihil ſibi ex ea victoria licere intelligerent, in fertiliſsimo autumno horti ſine cuſtodibus tutò relinquerentur. Quo metu adeò prudenter penuriæ prouiſum fuit, vt Turcarum caſtra cunctis in locis rerum omnium copia ſemper abundarint. Itaque adſcitis legum peritis, euocatisque eò omnium ciuitatum legationibus, inſignes Syrorum controuerſias audiuit, atque finiuit. Præfectos prouincijs atque vrbibus dedit: recognouit vectigalium rationes: & nonnulla ex vetere Sulthanici iuris formula, quæ iniqua vel onerosa populis videbantur, vt ſummam ſibi inde liberalitatis atque iuſtitiæ laudem compararet, antiquauit. His rebus hunc in modum optimè conſtitutis, quum ſatis quietis & ſpatij ad recreanda iumenta, quæ longi & perpetui itineris labore remacruerant, exercitui datum arbitraretur: atque ipſe omnibus conſilijs ac viribus Aegypto totus immineret, Sinambaſſam cum quindecim milibus equitum, adiuncta his valida manu ſclopettariorum, quæ ex ordine Ianizarorum & Aſapporum delecta fuerat, in Iudæam præmiſit, qui cuncta paſsim eius regionis loca exploraret, atque iter ad Gazam, quod propter Arabes impeditiſsimum fore putabatur, aperiret. Ea vrbs ad mare, atque Aegypti fines pertinet, propinqua arenoſis ſolitudinibus, per quas difficili periculoſoque itinere ab Syria, Aegyptus vlterior, ac ipſa Memphis adeuntur. Interea Mamaluchi, qui duce Gazelle Memphim peruenerant, cæterique omnes, qui è cunctis regni partibus eò conuenerant, conſilio habito, vt in aſperis ac difficillimis temporibus accidit, nulla ambitionis vel inuidiæ contentione, Tomumbeium natione Cercaſsium regem ſibi delegerunt. Is tum magnus Diadarius erat: qui magiſtratus poſt regem primum honoris atque potentiæ locum obtinebat. Cæterùm ei viro tantum vigoris atque induſtriæ inerat, vt qui afflictas res, & labantem imperij fortunam virtute erigere poſſet, ſolus eſſe omniũ propè Mamaluchorum opinione crederetur. Is vt ſtatim Sulthani nomen adeptus eſt, ratus ſuam dignitatem & reliquas ſpes omnes in armis, & in vna belli fortuna eſſe collocatas, ſingulari ſtudio arma, tela, equos vndique conquirere, tormenta conflare, ex ſeruis qui militiæ idonei videbantur, turmas cohorteſque inſtruere, & ab finitimis Afris atque Arabibus auxilia mercede comparare cœpit. Præterea peritos regionum magno propoſito præmio, per deſerta Palmirenorum in Meſopotamiam, atque inde ad Hyſmaelem cum literis mittit: qui petant atque orent, vt minorem Aſiam incurſionibus exagitet, & in primis in Comagenem diſceſſu hoſtium vacuam nudatamque præſidijs irrumpat. Selymũ enim, qui tum in Iudeæ finibus eſſet, duobus exercitibus facilè intercludi poſſe, & commeatu prohiberi, quando littora nullis Turcarum claſsibus tene-

rentur, quæ terreſtres copias aduectitijs commeatibus ſubleuare, vel eas, ſi aliquam ex euentu belli calamitatem acciperent, & propterea de receſſu cogitarent, excipere ac euehere poſſent. Id ſi faceret, ipſum & Aegypti ſimul rebus propter eius cauſam in ſummo diſcrimine conſtitutis ſubuenturum, & tot inſignes iniurias, quas ab infenſiſsimo hoſte nuper accepiſſet, nullo propè negotio eſſe vindicaturum. Dum hæc à Tomumbeio adminiſtrantur, Sinambaſſa pluribus Arabum turmis, quæ latronum more vias obſederant, facilè pulſis, patefactoque itinere Gazam peruenit. Eum Gazenſes, tametſi Mamaluchis fidi erant, tamen quòd ſine præſidio militum portas claudere, & tentare defenſionem periculoſi & inſani propè conſilij eſſe iudicabant, deditione facta protinus recipiunt: vrbis copijs exercitum iuuant: ac ſimul gratias agunt, quòd Selymi & Turcarum beneficio acerbiſsimæ ſeruitutis iugum depuliſſent, ſeque omni tempore manſuros in fide ob eius rei memoriam pollicentur. Sinambaſſa collaudato eorum ſtudio, cætera quæ ſibi vſui erant eis imperat: ſub mœnibus ad teli iactum inter hortorum munimenta caſtra locat, atque eo in loco Selymi aduentum expectare conſtituit. Interim vt erat multis militiæ experimentis eruditus, operam dat, vt regionem, quæ paſsim infrequentia ædificiorum & aquæ penuria aſpera incultaque eſt, ac arenoſi præſertim eius itineris naturam cognoſcat. Incolas donis pellicit, qui proximos Arabum duces, oblatis amicitiæ conditionibus ſibi concilient, & quid Mamaluchi ad Memphim parent, quibusque viribus confidant, diligenter explorent, & protinus ad ſe reuertantur. Contrà Gazenſes, qui natura Turcarum hoſtes erant, & iam à præſenti exercitu quotidie rerum ſuarum detrimenta ſentire cœperant, Tomumbeium de Sinambaſſæ aduentu certiorem reddunt. Docent eam Turcarum partem, antequam Selymus adueniat, facilè poſſe opprimi atque deleri, ſi valida Mamaluchorum manus cum peritis ducib. ad ſe tranſmittatur. Ipſos enim quum ex compoſito Mamaluchi intempeſta nocte ſopitos hoſtes inuaſerint, eruptione facta protinus caſtra egreſſuros, & iniectis facibus cuncta cæde atq; incendio turbaturos. Conſilium Tomumbeius & Mamaluchi ſtatim probãt, mittiturque Gazelles cum ſex millibus armatorum equitum, & magna Arabũ multitudine. Gazelles enim quòd ſalutaria eius conſilia à Campſone atque alijs fuiſſent ſpreta, vnde mox pugnæ auidi tantam ſibi calamitatem temeritate contraxiſſent: ipſeque in ea prælij aſperitate & prouidi ducis, & promptiſsimi equitis officia fuiſſet executus, ad ſummam bellicæ virtutis opinionem peruenerat. Sed vixdum eo profecto, Sinambaſſæ per Syros exploratores defertur, Mamaluchos adiunctis Arabibus à Memphi per deſerta ad ſe opprimendum iter ingreſſos eſſe, atque eos, quòd expediti in equis abſque vllis ſarcinarum impedimentis exierint, ante biduum adfuturos. Qui nuncius, ſicuti opportuniſſimo tempore Turcarum exercitui ſalutem attulit, ita maximo poſtea ad ſummam totius belli victoriam momento fuit. At Sinambaſſa quanquam de Gazenſium perfidia nihil cognouerat, tamen quòd illa eadem, vt erat prouido ſolertique ingenio ſibi accidere poſſe ſuſpicabatur, ne ſibi cum duplici hoſte negotium foret, Mamaluchis occurrere, & prælij fortunam experiri conſtituit. Ergo de ſecunda vigilia caſtris ſilentio egreſſus, è conſpectu vrbis diſcedit, & Memphitica via ad quintumdecimum miliare prouehitur. Erat in proximo humilis pagus, quo viatores pro hoſpitali diuerſorio, ob perennis atque largiſſimi fontis opportunitatem vtebantur. Ibi forte & Sinambaſſa ſubſiſtere volebat: &

bat:& Gazelles aliquot horis conquieſcere,& ſuos recreare,ve nocte & maximè recentibus equis Gazam peruolaret, pari conſilio cogitarat:quum vno ferme tempore ab antecurſoribus eleuari ingentem puluerem, & mox aduentare copias vtrinque duci nunciatur. Gazelles improuiſa re vehementer animo perturbatus, quod ſe deiectum conſilio atque hoſti imparem futurum, ſi congredi vellet, feſsis præſertim equis, intelligebat, quanquam de communi omnium ſalute in veſtigio conſilium capere cogeretur, tamen animo non deficit: ſuos cohortatur vt arma expediant, & negotium,quod per inſidias perficere nequiuerint, id ſibi in aperto vera virtute omnino conficiendum eſſe exiſtiment. Ex aduerſo Sinambaſſa aliquanto celerius, quàm Gazelles acie inſtructa, quoniam milites, quæ fieri vellet ſi prælio certaretur, multum antea per otium edocuerat, alacriter ac diffusè apud cunctos ſuorum ordines concionatus eſt. Sed finis eius orationis fuit, vt omnino fugę obliuiſcerentur,poſtquam omnia circum clauſa atque infeſta niſi victoribus futura eſſent.Illudque in primis perſuaſum habere vellēt, neminem ea die periturum,niſi quem certiſsima fatorum lege Dij immortales exitio deſtinaſſent,parique periculo & fortes in medijs hoſtium gladijs ſalutem, & timidos in tutiſsima etiam fuga ineuitabili ſorte mortem inuenturos. Erant ſclopettarij in cornibus,quæ rara & ſimplici acie in longum porrigebantur, ea ratione, vt liberius ſclopettis vti,& latiore ſpatio circumuenire hoſtes poſſent: haſtati verò medium tenebant locum, vt Mamaluchorum impreſsionem ſuſtinerēt. Gazelles autem appropinquans Arabum turmas ad diſturbanda cornua prę miſit,& quadrato agmine in mediam aciem inuectus eſt. Fuit prælium atrox, ac diu anceps,quoniam Turcæ etiam numero ſuperiores vim armatorum equitum ferre non poterant,iamque pulſi loco,atque in diuerſum irrumpentibus Mamaluchis diſiecti,fugam oculis atque animis circumſpectabant, quum iubente Sinambaſſa,ſclopettarij,qui ad primam glandium procellam Arabas expulerant,reductis cornibus vniuerſam hoſtium aciem circumuenerunt. Quo caſu viri pariter & equi à tanta multitudine eminus mortiferis glandib. ſternebantur, nullusque in medio circumuentis virtuti locus relinquebatur, quoniam vbi aliquis Mamaluchorum globus incitatis equis procurrebat, Turcæ leuitate ſua cedere aſſueti, velociſsimè refugiebant:vndique huic rei omnibus pugnæ locis ſtudebant, vt equos non conferrent,& ſolis ſclopettis vterentur. Gazelles quum defatigatos extrema laſsitudine equos cerneret,nec dilabentibus Arabibus quicquam auxilij ſibi amplius ſperādum eſſe arbitraretur, multique iam ex fortiſsimis ſuorum cecidiſſent, aut vulnerati eſſent, ipſeque pręaltum vulnus ceruice recepiſſet,cum reliquis ferro ſibi iter aperiens,amiſsis omnibus ſignis militaribus per eaſdem ſolitudines Memphim profugit. Periêre in ea pugna Alexandrinus præfectus,& Orcomas Memphiticus prętor, viri inſignes,prǽterq; eos magnus Arabum numerus, & mille ferè noti equites. Nec Sinambaſſa lætam aut incruentam victoriam adeptus eſt: nam ſupra duo milia equitum,& in his aliquot clarioris nominis præfectos deſiderauit. Turcæ quum a meridie ad occaſum Solis protracta pugna, atque ob id exanimatis curſu equis fugientes perſequi non poſſent, ipſique inedia ac labore deficerent, eodem in loco iuxta fontem caſtra poſuerunt. Sequenti autem die cæſorum ſpolia toto campo per otium lecta,capitaque hoſtium abſciſſa cadaueribus, quæ ab ipſo barbæ habitu,quòd Turcæ cunctas corporis partes præter la-

brum ſuperius radant, facilè dinoſcebantur, palmarum arboribus adfixêre, vt impigrè nauatam à ſe operam teſtarentur: ac ſimul ea immanis ſpectaculi nouitate tranſituri mox imperatoris ſui oculos ad oſtentandam eius diei victoriã detinerent. Interim Gazenſes, quum exoriente Sole vacua hoſtium caſtra conſpexiſſent, vt qui diutius perfidiam diſsimulare non poterant, rati Sinambaſſam cognito Mamaluchorum aduentu timore adductum, inde retro in pacatiora loca refugiſſe, nonnullos Turcas ex numero ęgrorum, vt luce facta ſequerentur, relictos, impetu repente in eos facto crudeliter interfecerunt: & paulò poſt circiter duo milia Turcarum equitum, qui ad augendas Sinambaſſæ copias à Selymo ſubmittebantur, forteque ea ipſa hora ſuperuenerant, & magna cum ſolicitudine num in ea loca cum exercitu Sinambaſſa perueniſſet, ſciſcitabantur, hoſtiliter adorti omnibus impedimentis exuerunt, & in fugam dederunt. Qui poſtea eo accepto incommodo, quum Sinambaſſam cum vniuerſis copijs aliquo aduerſo caſu, vel hoſtium fraude perijſſe putarent, quem ad Gazam caſtra habere, vt conſtitutum fuerat, atque ibi Selymi aduentum opperiri exiſtimabant, & propterea trepida fuga regrederentur, ab Arabibus in itinere trucidati ſunt. Nec vnus eorum omnino incolumis euaſiſſet, niſi Iulebbo Achaiæ Sangiacho ad Ramam vrbem occurriſſent. Is enim pariter à Selymo miſſus cum valida manu Græcorum equitum, ad Sinambaſſam contendebat, cuius aduentu, audacia perſequentium Arabum repreſſa eſt. Cæterum Arabes, euocatis ad prædam alijs atque alijs ſuorum ducibus, qui proximos montes incolebant, ac ingenti conflato exercitu, Turcas ad Carabaſram vicum conſecuti ſunt: Pugnatumque eſt iniquiſsimo Turcis loco, quoniam Arabes præoccupatis quibuſdam anguſtijs, quæ ad extremum ſpacioſæ vallis coarctabant iter, à tergo ſimul, à fronte, & à lateribus ſe oſtenderant. Arabum arma erant, præter ſagittas, longiſsimæ haſtæ vtrinque ferro præfixæ, quas ad medium agili manu comprehendunt: his ſumma peritia in pernicibus equis vtebantur, et aduerſi pariter, ac fugientes hoſtem lætifera cuſpide feriebant. Quamobrem Turcæ & numero pauci, & haſtarum genere impares, procurrere non poterant, circumuentique in orbem pugnare, ac ſimul iter facere cogebantur. Eratque res in magnum adducta periculum, niſi Iulebbus prolatis quatuor curribus tormentis quę pręſidij cauſa ſecum adduxerat, eos qui fauces occuparant, vti erant editiore in loco cum multa ſtrage deieciſſet: apertoq; itinere inde celeriter ſuos eduxiſſet. Quibus anguſtijs ſuperatis, patentiores nactus campos, meliore aliquanto conditione iter facere cœpit. Nam per ſclopettarios & ſagittarios eminus rem gerebat, & quum hoſtes appropinquabant, aperta acie confertas haſtatorum turmas emittebat. Vbi verò denſior atque amplior Arabum globus ſeſe offerebat, in eos tormenta certis ictibus emittebantur. Contrà Arabes diſperſi circumuolitare, nouiſsimo abeuntium agmini inſtare, ſubſequi nequeuntes & vulneribus retardatos opprimere: poſtremò iter morari, nec tantis difficultatibus circumuentos cibum capere, aut omnino conquieſcere pati. Hic dies Turcis longè grauiſsimus fuit: nam plures eorum ſiti, vulneribus, & curſus labore conflictati ceciderant: nullumque iam ſubſidium extremis eorum rebus ab numeroſa ac pertinaci hoſtium multitudine relinquebatur, quum magnus Turcarum numerus medio fermè itinere laborantibus ac perditis ſuperuenit. Selymus enim Himbracorbaſſa cum validis copijs ad tuendam Syriam atque Aſiam in Perſarum finibus conſtituto, atque accitis Byzantio nouis militibus,

ſitibus,qui magna atque ornatiſsima claſſe in Syriam tranſportarentur, caſtra Damaſco promouerat:& vt rei frumentariæ conſuleret, quæ exhauſta in regione anguſtior erat, ſeparata ſuorum agmina certis interuallis, ſingulis quoque diebus præmittebat.Ita Iulebbus recentium militum interuentu eo periculò liberatus,ſequenti die Selymo occurrit,& quæ ſibi ac primis equitibus ad Gazam ac Ramam,& mox toto itinere contigiſſent, quæque ipſi coniecturis Sinambaſſæ exercituique eius, ob crebras infenſiſsimorum hoſtium inſidias accidiſſe exiſtimarent,ordine expoſuit.Quo nuncio Selymus in ſummam animi ſollicitudinem adductus eſt: quod niſi exploratis & cognitis Sinambaſſæ rebus,in cuius fortuna totam belli rationem conſiſtere iudicabat, minimè ſibi procedendum eſſe arbitraretur.Sed mœrore atq; ea cura anxio paulò poſt Syri ſpeculatores ſuperuenère,qui rem,vti à Sinambaſſa geſta fuerat,retulerunt. Quibus cognitis rebus incredibili lætitia eſt affectus,quoniam ea victoria et apertam ſibi Aegyptum,& bellum celerius opinione propè confectum eſſe pro uidebat. Poſtero die exercitus Ramam ductus,proximaque eorum Arabum mapalia,qui tantas tranſeuntibus iniurias intulerant,vt cæteri exempli atrocitate deterriti à latrocinĳs abſtinerent, cum vxoribus eorum ac liberis concremata.Indeque præmiſsis pedeſtribus copĳs,quæ Gazam iuſtis itineribus con tenderent, ipſe ad læuam Hieroſolymas deflexit,vt vrbem vetuſtate originis, ac Hebraicæ religionis fama totius Orientis celeberrimam inuiſeret. Ea tunc miſerabili ſacrarum ruinarum deformitate inculta atquè deſerta,non à Iudæis veteribus incolis, qui nunc toto orbe extorres in admiſsi ſceleris pœnam,nec ſedem nec patriam habent,ſed à paucis Chriſtianis incolebatur. Ii cum ignominia,& graui admodum contumelia Chriſtiani nominis, ob conceſſam venerandi ſepulchri poſſeſsionem,graue tributum Aegyptĳs regib. perſoluunt, nec florentes ætate opibus Europæ principes,vllis veræ virtutis vel immortalis gloriæ ſtimulis ad vindicandam iniuriam excitantur,quum religionis cauſam tanti non ducant,& inteſtinis bellis vel infami otio abſumi,id demum regium atque æterna laude dignum arbitrentur. Selymus veterum prophetarũ monumenta ſuppliciter veneratus Mahometo in primis ſacrificauit: & Chriſtianis ſacerdotibus loci præſidibus, tanquam pĳs probiſque hominibus, pecuniam in alimenta ſex menſium largitus eſt,atque inde vnam tantum Hieroſolymis moratus noctem,Gazam ad exercitum quartis caſtris peruenit:quo itinere diu noctuque cum Arabibus continenter dimicatum eſt. Namque illi conſuetudine ſua omnibus locis infenſi aderant,vbi locorum anguſtĳs iter impediebatur:quòd extenuari Turcarum agmina neceſſe erat,tranſuerſis prælĳs laceſſebant,& cominus improuiſi præliabantur. Si in valles agmen ſe demittebat,ipſi è vertice collium paratos antea ingẽtium lapidum cumulos prouoluebant, neque vllum in ſclopettarĳs præſidium erat,in quibus ſummum fore putabatur.Nam cælum per eos dies vento & continuis imbribus adeò fœdum fuit, vt ſulphureus puluis in lagenis & cornib.ſeruatus,humore concepto lenteſceret,& ignis paſsim humentibus funiculis extingueretur. Tamen virtute prætorianorum effectum eſt, ne aliquod maius incommodum in conſpectu imperatoris ab nudis latronibus acciperetur : Nam captis lanceis talares ſuccincti veſtes, in aduerſos montes euadebant, atque illos deturbabant: neque anguſtis in locis eos cõſiſtere, vel obſidere fauces patiebantur. At Sinambaſſa, qui Gazenſes necatis defectionis authoribus,bonisque eorum direptis,& pe-

cunia publicè imperata, meritas perfidiæ pœnas dare coegerat, cognito Selymi aduentu, victrices copias hoſtium ſpolijs exornatas eduxit, atque obuiam eſt progreſſus. Quem Selymus multo cum honore verborum commendauit, & muneribus ſericæ veſtis ſignatæque pecuniæ, omnes præfectos, & ſigillatim fortiſsimos quoſque equites proſecutus eſt. Exinde caſtra quatuor tantum dies Gazæ habita, quòd nullum perterritis iam hoſtibus, & duplici clade afflictis, moræ ſpatium dandum putabat, & nouum regem authoritate nondum collecta, ipſamque Ægyptum ſitus munitione, numero hominũ, & copia frumenti validiſsimam, maiorib. præſidijs cõfirmari nolebat. Quę omnia tametſi proficiſcendi ſummam celeritatẽ efflagitabant, atque ipſum ad gloriam & famam naturali cupiditate properantẽ nouis ſtimulis ad maturandum accendere videbantur, tñ et reficiendus erat exercitus ab tanto labore perpetui itineris, & magna vtrium multitudo inſtituenda: quibus per vaſtas & fontium penuria deſertas arenarum ſolitudines, ingentem aquę vim toto itinere camelorum ſubuectionib. comportarent. Siquidem ab Gaza ad Memphim arenæ incultæ & ſteriles iacent, quæ, ſi ventis agitatæ fuerint, ſæuientis pelagi ſimilitudine in fluctus adeò turbidos attolluntur, vt ſæpe eleuati pulueris nube cuncta vndiq; obſcurent: & cedente paſsim inæquali ſabulo, incedentium veſtigia fallant, vehementerque fatigent. Verùm illis diebus præteritos imbres tanta cæli tranquillitas conſecuta eſt, vt nihil ad ſummam traducendi exercitus felicitatẽ Selymo defuerit. Nanque aer nullis turbatus procellis, quæ arenas excirent, atq; officerent oculis, perpetua ſerenitate conquieuit, ac ſimul tanta vis aquę omnibus fermè locis reperta eſt, quòd pluuialis humor arenis imbibitus, fodientib. puteos ad depreſsionem duorum pedum occurrebat, vt fruſtra comportari vtres, ac ſitim timeri vulgò milites exiſtimarent. Non defuêre tamẽ Arabes, qui toto itinere ad prædam vndique confluerent, nec quemquã hoſtium excedere agmine, vel remiſsius ſubſequi paterentur. cui vni malo facilè duces occurrebant: nam toto exercitu diſtributa erant tormenta, quæ à turmarum præfectis, vt quiſque periculo proximus erat, in hoſtes emittebantur. Valida quoq; ſclopettariorum manus nouiſsimum cogebat agmen, quorum præſidio, qui debiles & tardi, atq; ob id opportuni iniuriæ erant, egregiè ſe defendebant. Eo modo nequicquã laceſſente Arabum turba, prope Memphim octauis caſtris peruentum, præcedente Sinambaſſa, qui cum Europeis vnius diei itineris ſpatio imperatorem ſemper anteibat. Erat pagus ad ſextum lapidẽ ab vrbe Memphi, qui Matharea dicitur, Balſami fœcunditate memorabilis. Ibi enim hortulus eſt humilibus arbuſculis cõſitus, vnde liquor ille omnium odoratiſsimus reſudat, quum eburneis cultellis extremi cortices incidũtur: cui propter inſignes vires, quando id bonum natura alijs terris inuiderit, morbi hominum & oborta luxuria eminentiſsimum pretium fecerunt. In eum locum iuxta Rhodaniam vicum, Tomumbeius omnem nouum ac veterem tormentorum apparatum cõtulerat, foſſas tranſuerſas toto campo et publica via, quę leuibus cratibus ac terra inęquabãtur, perduxerat: ipſeq; cum Mamaluchis (erant ij ad duodecim milia) magnoq; Arabum equitatu opportuno in loco conſtiterat, eo conſilio, vt Turcarum copię, quum appropinquare inciperent, priuſquam ad teli iactum acceſſum foret, improuiſa tormentorum multitudine ſternerentur: ipſeq; protinus cum perturbatis, in inſidiaſque prolapſis, vndique tota virium mole circumfuſus æquiſsima conditione decertaret. Hæc autem adeò peritè ac pruden

ter in

ter in tempore conſtituta atque perfecta erant, vt nemo omnium in exercitu, eſſet, qui de eius diei victoria dubitandum eſſe putaret. Magna proculdubio Turcis omnibus calamitas imminebat, niſi Fortuna, quę ſicut Selymo ſemper fauit, ita Tomumbeium aduerſa atque infenſa perſequebatur, paucorum perfidia, operoſis Mamaluchorum conatibus occurriſſet. Erant in Sulthanico exercitu ex numero prætorianorum equites quatuor genere Epirotæ, qui Tomumbeium contrà ac ipſi comitiorũ die optauiſſent, ad id faſtigij euectum aduerſę factionis ſuffragijs ęgrè ferebant. Ii ſiue ingenij prauitate impulſi, ſiue ſpe adducti præmiorum liberalioriſq; militiæ, quòd labantibus partium rebus, nouas ac certiores amicitias ſibi tentandas arbitrarentur, ad Sinambaſſam tanquam ad primarium ducem ſuæque nationis hominem transfugerunt. Erat enim Sinambaſſa ignobili Epiri vico in montanis Ambraciæ natus, quem memorabilis caſus in eam virtutis atq; opulentiæ magnitudinem euexit. Nam porcam quæ domi alebatur, ei adhuc puero, ac fortè in vmbra dormitanti adprehenſa morſu virilia exedisse ferunt: protinuſque eum veluti eo corporis vicio nobilitatum à conquiſitoribus inſignium puerorum Conſtantinopolim ad Mahometem fuiſſe perductum. Vbi eum mox Fortuna, quem paulò ante non temere, ac ſęua tamen ſorte caſtrauerat, fatalis virtutis auſpicijs ad deſtinatos honores extulerit. Ab his equitibus Sinambaſſa atque Selymus edocti, cuncta hoſtium conſilia cognoſcunt, ac in primis quales ſibi, quantaſque inſidias Tomumbeius ſumma calliditate ſummoque artificio tetendiſſet: in quas neceſſe foret incidere, niſi ab via publica, rectoque itinere deflecterent. Quamob rem ijſdem perfugis ducibus in læuam magno capto circuitu, antequam dilucesceret, inſolitum iter ingrediuntur, atq; inſtructa acie, productiſq; tormẽtis, ne quid moræ ad committendam pugnam intereſſet, euitata caſtrorum fronte auerſis hoſtibus ſe oſtendunt. Ea re animaduerſa, Tomumbeius ex hoſtium itinere coniectura iudicans inſidias ſuorum proditione fuiſſe detectas, quanquam incomparabili dolore animi conflictaretur, quòd ea omnia quæ tot hominum labore, tantoque ſtudio perfeciſſet, inuidente fortuna puncto temporis deperiſſent, nihilominus, vt erat egregiè fortis, ad conſilium priſtinumque vigorẽ ſenſus omnes extemplo reuocat, accitiſq; ad ſe omnibus præfectis, quid fieri velit celeriter edocet. Tomumbeio in tanta rerum anguſtia conſtituto, omnia vno tempore erant agenda, ſignum, quo milites conſcendere equos atq; arma capere iubentur, proponendum: conuertendus caſtrorum ordo, inſtruẽda acies, milites confirmandi, & tormenta, vti caſus poſtulabat, in contrariam partem traducenda. Quæ res, ſicuti eas niſi ægrè atque turbatè vnus imperator adminiſtrare non poterat, ita raptim atque peruerſè à pluribus ſimul ducibus agebantur. Sed illud in primis omnem adminiſtrationem retardabat, magna omnium concurſatio ad traducenda tormẽta, è quibus plura erant è ferro enormia atque ingentia, quæ magnis incluſa trabibus, armillis ac ferreis confibulationibus rudi & nauali veterum artificio continebantur. Ea propter inuſitatam grauitatem, niſi ſubditis pluribus iumentis, & ſcutularum ac vectium impulſu, magnoque cum labore hominum ſuo loco dimoueri non poterant. Quæ verò curribus impoſita erant, quum ab incondita ac feſtinante turba cum ingenti clamore impellentium atque adnitentium per omnes caſtrorum vias traherentur, conſcendentes equos, & coeuntes ad ſigna milites tumultuario tranſitu perturbabant. Verùm his difficultatibus duæ res ſubſidio erant, mili-

tum alacritas,& ſupra quàm credi par ſit,eorum omnium conſtantia. Non enim,vt in repentinis caſibus accidit,in quibus ipſi etiam veterani ſæpenumero priſtinę virtutis obliuiſcuntur,vllo timore concepto,ſpe animiſue deciderant. Siquidem bis acie victi maiorem fiduciam, maioresque ſemper ſpiritus ſibi deſumpſerant,quum non virtutem pugnandique peritiam,ſed Fortunam ſibi defuiſſe iudicarent. Igitur Tomumbeius inſtructa acie,& militibus magno ardore prælij ſignum depoſcentibus,omnem Arabum multitudinem à tergo aduerſariorum cornua circumuenire,& tumultuario pręlio laceſſere iubet: vt Turcæ equites pene priuſquam ipſe inductis ſuorum turmis procurreret, ancipiti pugnæ periculo turbarentur. Mox tormenta,quæ iam deducta ac directa in hoſtes fuerant,diſplodi imperat. Idem continuò fecerunt Turcæ: nam iuſto ab ſpatio maiora minoraque ſemel emiſerunt, ac rurſus omnibus celeriter impletis,eorum currus ad ſagittæ iactum promouerunt: certatumque diu eſt hinc atque inde ſolis ac frequentibus tormentis dum acies appropinquarent. Qua contentione Aegyptij libratores fermè omnes interfecti,pluraque eorum tormenta vi pilarum hoſtilium curribus excuſſa,perfractaque ſunt. Nam Turcæ complures tormentariæ artis peritiſsimos magnis inuitatos præmijs,ex Italia atque Germania in caſtris habebant, ac multos in primis ex illa Iudæorum colluuie,quę pietate Ferdinandi regis omnibus expulſa Hiſpanijs, in contumeliam noſtram tot poſtea Orienti huiuſmodi rariores artes inſolitas atque mortiferas importauit.His omnibus prępoſitus erat Iacobus è Regio Lepidi horum operum egregius artifex, qui iam pridem Turcarum muneribus illectus,deſerto Chriſti cultu,ad Mahometi ſacra defecerat. Sed quum iam prælium vtrinque ad manus adducerent, Mamaluchi trucem atq; horribilem clamorem tollunt,& tripartitò magna vi Turcas adoriuntur. Selymus enim ſuperius inſtitutum ſuum ſeruans, ſic incedebat, vt lunata acie auerſis hoſtib. appropinquaret. Præerat Aſiaticis in dextro cornu Muſtaphas,in ſiniſtro Iunusbaſſa: ipſe mediam aciem,vbi prætoria phalanx erat,cum magna tormentorum multitudine obtinebat. Sinambaſſa autem toti ſummæ certaminis pręeſſe iuſſus,ad incertos pugnę euentus,certam ſibi aciem ex fortiſsimis equitum ab vnaquaque ala detractis delegerat. Quibus ex Selymiana phalange & virtutis & velocitatis eximię quingentos pedites ſclopettarios admiſcuerat, vt ab omni pugnæ loco,quâtumlibet ſubitis caſibus paratus,ei ſuorum parti ſubſidio foret,quę ab hoſtibus maximè premeretur. Ita vno fermè tempore quum Tomumbeius in medio contra Selymum conſtitiſſet,et iam Mamaluchorum alæ cum cornibus pari fronte concurriſſent,ac in tergis Arabes, vt imperatum fuerat,impigrè dimicarent,quatuor ſimul pręlia diſtinctis in locis exarſerunt. Narrant qui huic prælio interfuère,& clamore militum, & tympanorũ tubarumque ſonitu,& fragore tormentorum,& pulueris nube,armorumque ſtrepitu,adeò omnium mentes attonitas confuſasque fuiſſe, vt cuncti promiſcuè cęco furore,& vecordi audacia proruentes: quum nec voces teſſeræque dignoſci,nec videri ſigna,nec ducum imperia exaudiri poſſent,magnam ſuorum pariter atque hoſtium ſtragem per mutuum errorem ediderint. Nunquam enim antea vllæ acies maioribus accenſæ odijs inter ſe concurrerant: nunquam duo maximi reges minore ſalutis cura pertinacius atque ardentius corporis atque animi virtutem oſtenderant. nanque ambo pari ſuo atque exercituum periculo,quum ſe vitæ ſimul atque imperij aleam ſubijſſe manifeſtè perſpicerent, nullam

lam

Iam ſibi reliquam ſpem, niſi quam ipſa victoria peperiſſet, fore intelligebant. Iam Gazelles decoris atque vindictæ ſtudio incenſus, vt Europæis parem Gazenſi cladem redderet, Iunusbaſſam magno impetu adortus, primas ac reſiſtētes turmas obtriuerat, vexilla proſtrauerat, ac Arabibus à tergo prementibus, illas omnium bellorum victrices copias, vbi Thracum, Theſſalorum, ac Macedonum robora erant, terga, quæ nunquam vllus antea hoſtis conſpexiſſet, dare coegerat, quum Sinambaſſa in omnem victoriæ occaſionem animo ac viribus intentus cum recenti ac valida ſuorum manu in latus hoſtium aduolauit, et inclinatam ac fœdè diſiectam aciem reparauit. Verum paulò poſt ipſe Sinambaſſa, qui ſupremo virtutis opere edito, manifeſtam hoſtium victoriam interpellarat, conuertentibus ſeſe in nouum hoſtem Mamaluchis Bidone pugnaciſſimo duce, ante alios egregiè pugnans obtruncatur. Eius quoque equites exanimem humo tollere ac ſeruare conati, Gazelle turmas explicante, vt rari liberius gladijs rem gererent, quo genere pugnę Mamaluchi maximè præſtabant, magna ex parte cęduntur, atque fugantur: egregiaque illa prętoria cohors, quũ deſtituta ab equitatu circumacta in orbem hebetatis ſclopettis diu reſtitiſſet, tota in medio protrita, conciſaque eſt. In altera autem parte Muſtaphas cum omni ſuo equitatu vehementer inuectus, ſiniſtram Aegyptiorum alam, in qua Hylmis Diadarius, & Giapal alter Orcomas clariſsimi duces curabant, acerrimè perurgebat. Ii paulò antè à tormentis inſigne detrimētum acceperant, quæ fortè ab media Selymi acie obliquis campi ſpatijs emittebantur. Ea re animaduerſa, Muſtaphas abolendæ ignominiæ auidus, ſemel perturbatis acriter inſtare, diſſectos laſſatosq; inductis per cuneos turmis fundere atque proſternere: ac tota acie armis voceq; conſpicuus Aſiaticos adhortari, vt veteris militiæ decus, quod Hierapolitanis in campis nuper amiſiſſent, illa die virtute egregia, vel honeſta morte recuperandum ſibi eſſe cenſerent. Eodem quoque tempore Tomumbeius perrupta media equitum acie, ad peditatum peruenerat, plura ipſe clara facinora curuato enſe, vt erat corpore ac viribus ingens, ediderat atq; Arabes exteriora Turcarum agmina corona pręcinxerant, eosq; auerſa ac duplici acie pluribus in locis pugnare coegerant, quum Selymus, quod reliquum ac certum erat in tanta rerum iniquitate ſubſidium, phalangem promouit: cuius impetum neque equi acres ferroq; contecti, neque viri victores ferre potuerunt. Pars enim militũ per interualla ſclopettis vtebantur, pars prætentis cuſpidibus frontem haſtarum ſylua ita præſepſerant, vt obuia quæq; vbi illa conferta ordine vnius corporis armatorum ſtabilis moles incumberet, ſternerentur. Pugnatum tamen eſt vario vtrinque euentu ab hora quarta ad occaſum Solis, nec vlla copiarum pars extitit, quæ diuerſas pugnæ vices alterna ſorte non tulerit: adeò enim victi victoresque mutua atque implacabili rabie efferati, peruicacibus animis decertabant: quum Mamaluchi ab his eripi ſibi victoriam, quos tam latè cæcidiſſent: Turcæ verò tamdiu ſibi reſiſtere duobus prælijs ab ſe paulò ante ſuperatos, indignarentur, vt languidæ etiam manus, feſſaque & prægrauata vulneribus corpora, quæ vna ira ac obſtinatione animorum ſuſtentabantur, ſuffectura continuis cædibus in alteram lucem videri poſſent, niſi nox ipſa tantæ cladi finem attuliſſet. Prior Tomumbeius haud dubiè victus ſummæ rei diffidens, receptui canere iuſsit: vt ſui, qui iam phalangi pares eſſe non poterant, non pulſi, ſed reducti viderentur: quod ad confirmandos militũ animos, & ad retinendam authoritatem pertinere plurimùm exiſtimabat.

Iam enim illa eadem fortuna, quæ primas ſpes fefellerat Tomumbeio, vt miſeri ſolent, meliora ſperanti ſecundos rerum euentus promittere videbatur, ſi animo non deficeret: ac ſeruatis, quæ ſupererant copijs, bellum inſtauraret. Prælio interuentu noctis dirempto, Turcis victores potiti hoſtium tormentis atq; tentorijs, Mamaluchos, qui iter fugæ ſimile Memphim intendebant, ad multam noctem perſecuti ſunt. Pugnatũ eſt die Iouis nono Cal. Februarias, anno à partu Virginis decimo ſeptimo ſupra milleſimũ et quingẽteſimum. Captus eſt in fuga Diadarius multis grauatus vulneribus, & cum eo Bidon, cui pila falcone emiſſa traiecto equo alterum genu perfregerat. Ambos Selymus, vel quia ſanari non poterant, vel quia ita decebat, poſtero die mactari iuſsit: ſcilicet vt Sinambaſſæ manibus, quem vnicè defleuerat, dignioribus victimis parentaret. Erant Turcarum copiæ, tametſi egregiè vicerant, vehementer ſecundis etiam prælijs arttenuatæ. Quarta pars valetudine atque vulneribus erat confecta, magnumque equorum numerum ſuper emenſi itineris labores, eius diei fatigatio debilitarat. Quibus de cauſis Selymus aliquid de ſua vetere feſtinandi conſuetudine remittere cogebatur. Nondum enim Aegyptiorum qui Memphim incolebant voluntates perſpectas habebat: nondum quibus in locis Tomumbeius conſtitiſſet, quibúſue conſilijs niteretur, fama cognouerat. Quibus rebus niſi maturè ac diligenter exploratis, ſuam ac totius exercitus ſalutem numeroſiſsimis incolis, vrbique totius terrarum orbis ampliſsimæ, minimè committendam eſſe ſtatuebat. Igitur hiſdem in caſtris ad Mathareã Rhodaniamque vicum quatriduo moratus, ſaucios cum cura reficit, ſuorum cadauera effoſsis magnis ſcrobibus ſepeliri iubet: hoſtium verò alitibus ac feris lanianda relinquit. Indeque promotis caſtris, vt commodius aquaretur, in planiciem inter Cayrum vetus & Bulachum proficiſcitur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XVIII.

INTEREA Tomumbeius nihil tot vſque adeò funeſtis, atq; aſperis rerũ ſucceſsibus fractus, collectis vndiq; Mamaluchis, loco inter Memphim nouam & Nilum amnẽ idoneo caſtra poſuerat: ad octo millia ſeruorum Aethiopum armauerat: quo genere hominum propter antiquæ rebellionis memoriam, antea vſus non fuerat. Præterea Mamaluchorum filijs, ac Mauris clientibus ſuis, Iudæis atque Arabibus aperto vetere armamentario, arma telàque tradiderat, & bellum priore maius atque atrocius aduerſus Turcas impigrè moliebatur. Sed quoniam multæ erant gerendi belli difficultates, amiſſo ſcilicet omni propè tormentorũ apparatu, et fortiſsimis equitum ferro abſumptis, ſupremi conſilij dubias ſpes, quas dira neceſsitas exprimeret æſtuante animo ita verſabat, vt poſtq̃ nihil aperto in cãpo vera virtute proficeret, totus ad dolos bellicosq; aſtus verteretur, vtpote qui integris nuper copijs vires impróſpe-

proſperè periclitatus, nequaquam iterum iuſto prælio contendendum arbitraretur, nec duci vel extrahi in æſtatem bellum poſſe, infirmiſsimis opibus ſuis, ac deſperatis auxilijs, conſideret. Itaque noctu adoriri ac incendere Turcarum caſtra conſtituit. cuius conſilij duæ rationes eſſe videbantur: quarum altera erat in celeritate poſita, vt prius ipſe aliquid per tenebras audacter conaretur, quàm hoſtes paucitatem copiarum eius deprehenderent, quæ hebetes & tumultuariæ erant, vel ipſe in contemptionem Aegyptiorum deueniret, qui excutiendæ ſeruitutis auidi, rebellandi occaſionem nutantibus animis expectabant. Altera erat, vt tormenta quæ in repentinis & nocturnis maximè caſibus nullo propè vſui eſſe conſueſſent, noctis beneficio deuitaret, qua parte virium hoſtes magno ſuorum detrimēto ſuperiores eſſe didicerat. Verùm et hos quoquè conatus, quum iam omnia ad patrandū facinus parata eſſent ſimilis transfugarum perfidia euertit. Nanque Selymus, prodentibus aliquot Mamaluchis, qui deſpecta regis fortuna, vt in calamitate miſeris accidit, quotidie tranſfugiebant, cognito inſidiarum ordine, exercitum arma expedire, & excitatis paſsim magnis ignibus intentiore cura excubare iuſſerat. Qua diligentia ſequenti nocte peropportunè factum eſt, vt Tomumbeius delatus ad caſtra, non mediocri cum iactura temerè prouecti primi agminis repelleretur: ſupremamque inde proculdubio ea nocte cladem accepiſſet, niſi flammarum totis caſtris collucentium inſolito ſplendore admonitus, feſtinantia agmina, quæ vltro cōtrà hoſtium tormenta citato curſu ferebantur, animaduerſo periculo continuiſſet. Eò depulſus conſilio Tomumbeius, omnium ſuorum hortatu Memphim ingreſſus eſt. Nanque Mamaluchi, quum omnibus victi prælijs aliam gerendi belli rationem ineundam ſibi eſſe cenſerent, vt vrbem occupatis opportunioribus locis totius exercitus præſidio confirmaret, atque ingreſſu hoſtem prohiberet, ſuadebant, vt qui in tanta rerum acerbitate, poſtquam pro focis, vxoribus ac liberis certandùm foret, in eorum conſpectu ac in ipſis domorum veſtibulis pugnantes occumbere, decorum & priſtinæ virtutis gloria dignum arbitrarentur. Itaque ſinguli equites domos ſuas digreſsi, familiam omnem & ſumma tectorum vario genere telorum inſtruunt: Aegyptios ſuæ quiſque viciniæ ſuppliciter orant, vt arma aduerſus communes & crudeliſsimos hoſtes capere velint, nec ſe trucidari, vxores verò ac liberos in ſeruitutem abſtrahi patiantur; quando nec ipſis, etiam ſi medios ſe gerere, & neutrum contra alterum opibus ſuis iuuare vellent, parſurus eſſet, ſi ſemel immanis atque auariſsimus hoſtis (quod Dij auerterent) bello victor euaderet. Quum victoria libidinis atque inſolentiæ plena neminem agnoſcat, niſi eum, qui minimè conſilij incertus & dubius, dum Mars adhuc communis, re manuque partium fortunam adiuuerit. Erant plerique ex ditioribus Aegyptijs, qui ſicut rerum atque imperij commutationem, mercaturæ, fortunisque ſuis detrimentoſam, atque inimicam fore prouidebant, ita ſtudio atque opera Mamaluchis non deerant. Contrà plerique è media claſſe ciuium, & è plebe infima ingens multitudo, quæ periculi expers ſemper in alieno damno lucrum fecit, quòd ſe per trecentos propè annos in luctuoſa & miſerabili ſeruitute omnia extrema perpeſſos eſſe meminerat, intēti in euentum ſupremi certaminis, foribus ſuis ſe continebant, & tacitè lætabantur, quòd non ſine Deorum immortalium cura tempus adueniſſet, quo nefarij impotentesque domini tantorum ſcelerum pœnas darent, ac vindicta alieno

pręſertim ſanguine peteretur, vnde mox ipſi oculos optatiſsimo ſpectaculo ſatiarent. Interea Tomumbeius intentiſsimo labore ac ſtudio portas aditusque omnes communire, ſingulos duces ſingulis plateis præponere, per omnia fora concionari, nihil remiſſum in opere eſſe pati, ac demum quod in calamitate atque periculo difficillimum putatur, ſummam ſpem rediuiuamque virtutem intrepido vultu præferre. Ipſi verò equites ſupra neceſsitatem, quæ extremis in caſibus ignauos etiam accendere atque efferare conſueuit, æmulatione incitati, impigrè officia ducis exequebantur. Nam quiſque, vti eorum ingenium atque induſtria ferebat, notioribus vicis ſuis foſſas tranſuerſas ac trabes ingentis craſsitudinis perducebāt, alij præacutos ſtipites occultis in ſcrobibus, queis incautè prolapſi hoſtes inducerentur, defigebant: alij in compitis ac triuijs frequentioribus feneſtras, & domorum frontem pro copia tormentis inſtruebant. Quæ omnia tanta celeritate adminiſtrabantur, quòd nemo vel equi tam ſplendidiſsimus, ligones, aut ſordidi operis laborem detrectabat, vt non prius excogitari, quàm perfici cūcta viderentur. Erant portæ, certique aditus qui in vrbem ferebant, quanquam vrbs ampliſsima atque vetuſtiſsima nullis mœnibus cingeretur, quorum vnus directis ac latioribus viarum ſpatijs, ab Orientali porta ad arcem mediamque vrbem pertinebat. Cæteri aditus peranguſtos calles, & enormes vicos habebant, quibus tormenta commodè apteque deduci, vel inſtructæ armatorum acies tutò committi non poterant. In hunc maximè locum Tomumbeius iuſtas vires contulerat, quòd neceſſariò ab ea parte irrupturos hoſtes propter vicorum amplitudinem intelligebat: reliquas vrbis remotas regiones mediocribus præſidijs impoſitis tuebatur. Interiora vero, vbi arx erat, à validiſsima copiarum parte tenebantur, vt quò vis hoſtiū clamorque & periculum milites auocaſſet, intenti ad opem ferendam celerius accurrere poſſent: quoniam vrbs omnium maxima, ab exteriore circuitu patētibus vbique ingreſsibus, parua manu defendi non poterat. Memphis enim vaſto ambitu tres ingentes vrbes complectitur: ſed hæ raris inter ſe iunctæ ędificijs vnam efficiunt, quarum frequentiſsimam hodie nouum Cayrum appellant. Ea in longitudinem ſex milliarium, ſecundum Nilum amnem protenditur, & ab Nilo paſſus mille paribus ſemper interuallis diſtat: latitudo eius decem ſtadia non excedit. Media in vrbe arx eſt molli tumulo impoſita, cuius amplitudinem & elegantiam potius quam munitionem noſtri homines admirantur. Sunt enim in ea nobiles horti, platea ingens cum immenſis porticibus, hippodromos, minoresque areæ plures, atque triclinia in omnes cæli obuerſa regiones. Exteriora verò turribus ac propugnaculis, eximijque operis pinnarum corona præcinguntur: vnde ſubiectæ circumquaque vrbis ſpatia, Nilus præterfluens, ipſæque pyramides amœniſsimo proſpectu conſpici poſſunt. Non longè ab regia lacus eſt, aqua ex Nilo corriuata manufactus: eum ædificia mirę pulchritudinis vndique claudunt: ſummaque eſt eius loci amœnitas, quum & piſcari, & auibus, quæ in lacu innumerabiles degunt, inſidiari ex ipſis etiam feneſtris liceat. Sed hunc alius nobilitate ſuperat, figuræ triquetræ lacus in extrema huius noui Cayri regione, quę Bulachum reſpicit. Is per emiſſarium lapidei operis, vbi ferreæ ſunt cataractæ creſcente Nilo impletur, eo etiam latiore canali fluuio commiſſus nauiculas admittit, quibus interdiu noctuque, qui lætioris vitæ genus colunt & amorib. vacant, prouehuntur. Domus ad elegantiam fermé omnes ipſa fronte lacui imminent, quarum veſtibula

perpetuo

perpetuo podio & marmore leuigato circumſtratis marginibus decorantur. His cymbas errantes ludibundique admouent, effuſamque ad captandas auras virorum ac mulierum multitudinem, cytharis, muſicisque concentibus ſalutant. In Orientali lacus latere, prętorium exurgit paucis ante annis Dultibeg reginæ opibus ædificatum, quo cæteræ amœniſsimi tractus ędes ſtructurę ſpecie atque interiore elegantia facilè ſuperantur. Parietes enim porphyreticis & variegatis incruſtationibus relucebant: laquearia & concamerationes bracteato auro, præcioſioribusque pigmentis, & multa arte præcellentium artificum ornabantur: quin & tota domo teſſellati & vermiculati operis pauimenta, feneſtras minorumque ornamenta portarum, ex alabaſtrite, & candidiſsimo marmore, multoque paſsim ophite cælata ſpectare erat. Poſtes valuæque ipſæ vbique ſolido ex ebore, ac internitente paſsim ebeno elaboratæ tanta artificum eruditione, luxuriantibus in certos orbes nodorum capreolis, vt mirantium oculos detinere, nec ſatiare poſſe viderentur. Nec apparatus, ſi ad interiora peruaderes, magnificentiſsimis ędidus erat inferior, vtpote qui & regiæ fortunæ, & muliebri luxuriæ aptiſsimè reſponderet. Quæ omnia mox victor Selymus, violatis etiam parietibus, vt integra exquiſitorum lapidum ornamenta detraheret, Byzantium aſportauit. Præter eum lacum, omnibus noui Cayri regionibus nonnullæ procerum & Mamaluchorum domus viſuntur: quæ à noſtris hominibus maiorem amœnitatis quàm ſtructuræ commendationem accipiunt: cætera vrbis humilibus caſis & ſordidiſsima plebe replentur. Extant etiam tria Chriſtianorum templa diuerſis in locis, quorum vnum multo alijs venerabilius exiſtimatur, propter cryptæ famam, vbi Maria virgo ſæuitiem Herodis effugiens, cum infante Deo Chriſto latuerit. Alia Barbaræ virgini & Georgio equiti, diuis etiam apud eas gentes celeberrimis, nuncupata ſunt. Cayrum nouum continuatis propemodum ędificijs Bulachum ſequitur. Id oppidum in vrbis effigiem altioribus tectis ſuperbum Nilo adiacet, & à Mamaluchis cæteriſque nobilibus æſtiuo tempore frequentatur: vt increſcentis Nili exundationes voluptatis cauſa ab editioribus locis proſpiciant. Eò cuncta nauigia quæ aduerſo amne ſubuehuntur, applicant: cæterum mercatorum cõcurſus nouo in Cayro celebratur. In aduerſa ripa contra Bulachum piſcatorum ac nautarum caſæ atque tuguria ex cratibus & palmarum folijs contecta, viſuntur. Paulò ſupra Bulachum Cayrum vetus occurrit, quod pariter nouo Cayro intercedentibus ædificijs interuallo viginti ſtadiorum adnectitur, & præterfluenti Nilo imminet. Plurima mediocris ſtructuræ ædificia vtramque ripam obtinent. Contrà eſt inſula medio in amne hortorum & villarum amœnitate memorabilis, vbi diuortium aquarum incipit, & Nilus ipſe ingenti eius inſulæ roſtro proſcinditur. In ea templum eſt filiæ Pharaonis regis amore, & Moſeos periculo tanti æui repetita memoria celebratum. Verum Cayri veteris ædificia magna ex parte in hortos & ſqualentes ruinas abierunt. Ibi antiquam Memphim fuiſſe multis coniecturis exiſtimamus. In ripa amnis Sulthanus Campſon, egregij operis turrim arcis faſtigium altitudine ſuperantem extruxit, ad hauriendam è Nilo aquam. Ea pluribus rotis & machinationibus iumentorum labore verſatilis in cacumen excepta, perpetuo demum aquæductu per caſtella, & lapideos tubulos, toti regiæ varijs ſiphonibus immittebatur. Ab vetere Cayro quinque millibus paſſuum, in Africę parte pyramides abſunt, barbaræ vanitatis monumenta: quando inſanæ

opes oſtentantium æternis etiam in molibus tituli nominaque perierint. Intus ſunt conditoria Ægyptiorum regum diſtincta in cellas, quæ pretioſo ſectoque lapide veſtiuntur. Ea loca odore tetra ſunt, & tenebrarum aſpectu formidanda. Nanque propter adcreſcentes ruderum cumulos, anguſtiſsimo ingreſſu deſcendentibus ſæpius funalia extinguuntur, circumuolitantibus veſpertilionum agminibus. Multi in ſumitates earum euadunt, & narrant inde aſpici Alexandriæ pharum, & fluminis oſtia in mare erumpentis: adduntque eas ad medium infimæ baſis ſpatium, ob altitudinem, ſagittæ ictu minimè poſſe pertranſiri. Verum miraculo pyramidum excepto, coactis in vnum tribus vrbib. nihil admirandum præter incolarum multitudinem conſpicitur. Populus enim, ſupra quàm credibile ſit, per omnes vicos numeroſiſsimus occurrit, ſed magna ex parte incultus & ſordidus: nam Mamaluchorum metu, oſtentare opes non audent, qui diuites exiſtimantur. Hi camelis aſiniſque vehuntur, ſolis ſibi equos vſurpantibus Mamaluchis. In vniuerſum plebeij pariter ac diuites, veruecina carne atque orizę pultarijs famem explent, nec quæ aliarum gentium luxuria inuenit exquiſitas dapes, vel gulæ irritamenta nouerunt: gallinacij tamen generis pullos nobilium admittunt menſæ, quòd eorum magna ſit copia Aegyptijs, apud quos gallinæ ſua oua non incubant, ſed ea in clibanis, tepore ſenſim adhibito ita fouentur, vt mirabili arte compendioque pulli intra paucos dies progignantur ſimul & educentur. Cæterùm Selymus, vbi Tomumbeium Memphim ingreſſum eſſe, & Mamaluchos omnes coactis in vnum viribus extremam belli fortunam periclitari velle, certius cognouit, propius vrbem admouit caſtra, et milites adhortatus eſt, vt toties victos hoſtes ea die omnino vincendos, & penitus debellandos exiſtimarent, paululumque adniterentur, vt ſuperiorum laborum atque victoriarum præmia caperent, quæ tot ac tanta futura eſſent, quanta ipſi vel immodicis animis antea concupiuiſſent. Reſtare paucos cum deſertiſsimo rege, qui cum vulneribus ac timore occupati, campeſtrem aciem ferre nequeant, domi in oculis & complexibus liberorum atque vxorum, ſupremum vitæ caſum expectare decreuerint. Vocari ſe vltrò ab Aegyptijs Mamaluchorum nomini infenſiſsimis qui illorum excidium auidiſsime expectēt, & ſe ad delendam peſsimorum atque immanium hominum progeniem è domibus pugnaturos polliceantur. In his tamen reliquijs fuſi perterritique exercitus debellandis, ſummam totius belli victoriam conſtare, quando pro victis cenſeri non poſsint, qui adhuc ſperent, arma teneant, ipſaque imperij ſede atque vrbe maxima potiantur. Proinde in eius diei euentu, cùm ſalutis & glorię, tum fortunarum omnium rationē & caſum conſiſtere exiſtimarent. Rem verò nullius propè negotij periculique futuram, ſi in nouo pugnandi genere, vt antea ſe duce bellis omnibus enixè feciſſent, omnino ſibi peruincendum eſſe ducerent. Ardebant prædæ cupidine militum animi, paratique & diducti in ordines irrumpendi ſignum expectabant, quum Selymus Baſſuela porta ingreſſus equites pluribus ſimul locis, ſed latiore via prætorianos immiſit. Occurrêre equitibus equites, præliumque atrox in triuijs, & anguſtis in callibus edidêre: pedites verò prolatis in frontem colubrinis, atque falconibus, hiſque vbi hoſtium agmina cernerentur, repentè excuſſis, compita rectis oppoſita regionibus ſtatione defenſoribuſque nudabant.

Vbi verò ad munitiones foſſaſque peruentum, dum impulſu obiectas trabes amoliri, foſſaſq; tranſcendere conarentur, contraque Mamaluchi impigrè obſiſterent,

ſiſterent, tãta vi, tantaque animorum peruicacia certauêre, vt nuſquam acrius vel cruentius memoria noſtra ſit dimicatum. Mamaluchi enim pariter ac Turcæ vires omnes, & cunctas bellandi artes in id vnum pugnæ diſcrimen contulerant, haud ignari pro vita atque imperio vltimo eo certamine dimicari: quãdo ſumma vtrinque præmia, aut cõtra ſupplicia victis atque victoribus, ludente Fortuna oſtenderentur. Plurimum cædis erat apud munitiones: nam Turcæ incautius progreſsi in cæcas foſſas, alij ſuper alios cumulati, prementibus vltimis procidebant: alij acutiſsimis vallis induebantur. Ipſæ matresfamiliâs & pueri, è domibus virili audacia in ſubiectos ſaxa ac tegulas prouoluebant. Hos contra Turcæ, vt quiſque eorum in feneſtris vel tectis conſpiciebatur, deſtinãtis ſclopettorum ictibus ferire, effringere fores, vnde ſupernè vis telorum ingrueret, intra domos vario euentu pugnare. Ipſi quoque Aegyptij, modò harum modò illarum partium fortunam ſpeculantes, diuerſo ſtudio vtroſq; pro hoſtibus ducere atque oppugnare, vt quemcunque victorem ſors daret, illum etiam egregiè iuuiſſe viderentur. Erant diuerſis in regionibus plura ſimul contracta certamina: nam tranſuerſis vicis quum diſcurrerent, modò hi, modò illi, in nouos hoſtium globos incidebant: & qui victores in fronte vrgebant, ſæpe interclusi ab hoſtibus, in tergis cædebantur. Viæ, & quantum ſpatij inter tecta relinquebatur, horrendum viſu, coaceruatis paſsim cadaueribus, tam multo cruore madebant, vt eleuatus puluis, qui initio denſiſsimus erat, ſedaretur. Aer nihilominus fumo & caligine tormentorum, & ſagittarum nube erat obſcuratus, tantusque erat militum clamor, armorumque ſtrepitus, atque ipſorum tormentorum fragor, vt terra tremere, & conuelli ædificia viderentur. Pugnatum eſt continenter duobus diebus, ac totidem noctibus ancipiti Marte, ita tamen, vt Mamaluchi, qui numero pauci labori atque vigilijs ſufficere non poterant, cedendo in interiores ſenſim vrbis partes, deſertis primis munitionib. ſe receperint. Tertia die Mamaluchi, quum in ipſo ſummæ rerum fortunarumque omnium diſcrimine, quod ſupremos hominum conatus atque animos augere conſueuit, verſarentur, tanta virtute pugnam redintegrarunt, vt Turcas ad multum ſpatium propulerint, et aliquot eorum falcones interceperint. Quo caſu Selymus dicitur de victoria deſperaſſe, iuſsiſſeq; vt ædificia paſſim incenderentur, impellente eum ad id flagitij & crudelitatis edictum iuſta penè aduerſus Aegyptios iracundia, quòd Iunusbaſſa in oculis eius à feneſtra lapide caput ictus, graue vulnus paulò ante ſuſtulerat. Iam tecta miſerabilem flammam conceperant: iam vlulatus plorantium & deprecantium Aegyptiorum audiebatur: iam ipſi Turcæ languidius pugnantes, vt receptui caneretur expectabant, quum à pluribus ſimul nunciatum eſt, hoſtes ab diuerſa parte, inſtãte Muſtapha loco pulſos ſuperatoſq; ſupremum auxilium in fuga poſuiſſe. Etenim Muſtaphas, monſtrantibus Ægyptijs Mamaluchisque transfugis ad ampliſsimam plateam peruenerat, vbi Mamaluchi ſtratos frænatosque equos collocarant: vt ſi quid durius accideret, eò ſe reciperent, atque his conſcenſis, in proxima, quæ ſtatuiſſent loca ſe proriperent. Hos omnes, Muſtaphas, deiecto præſidio, quod vt in parte vrbis minimè ſuſpecta ex pueris ac mulionibus infirmiſsimum erat, comprehendit, & abduxit. Ea res, ſicuti in grauiſsimis atque inexpectatis caſibus accidere ſolet, vigorem eorum atque impetum magnopere debilitauit. Quamobrem ſpe fugæ ſublata, quum vndique circumuentos ſe perſpicerent, præliumque nulla alia ſpe, nullis ſubſidijs, ſed ſola virtute ſuſten-

taretur,confeſsione ſua victi terga verterunt.Multi cum Tomumbeio, qui nè vinceretur eo prælio,cunctas artes virtutis atque conſilij nequicquam expertus fuerat,ad Nilum properantes ratibus tranſuecti in Segeſticam regionem contenderunt.Alia multitudo Ægyptiorum domibus fœdiſsimiſque latebris ſe condidit.Ex fortiſsimis autem equitibus amplius mille & quingenti ad templum inanium Deorum tota vrbe maximum confugerunt, vbi quum diu ſeſe tanquam ex arce defendiſſent,quòd niſi honeſta cõditione deditionem facere nolebant,ad extremũ,ſiti,laſsitudine,vulneribus , tormentiſq; expugnati,victoris arbitrio ſe dediderunt.Quorum pars,conniuente Selymo ab iratis militibus in veſtibulo trucidata, pars ſecundo amne poſt aliquot dies Alexandriã deuecta eſt. Selymus,inclinante victoria,extẽplo cohortes duas ad reſtinguendos ignes præmiſit,ac tota vrbe circummiſsis præconibus pronunciari iuſsit, Mamaluchos, qui intra duodecimã horam ſe dederẽt,omnes fore incolumes: poſt id tempus deprehenſis,nullam fore ſalutis conditionem.Ægyptijs autem qui latentes proderẽt,ſe daturum præmia:contrà qui occultaſſent, ſe protinus eos palo infixurum,vxoribusq; ac liberis venundatis,domos ipſas eſſe concrematurum.Ad cuius edicti famã magnus eorum numerus prodijt, quibus ſtatim catenæ iniectæ,ijq; omnes poſtea contra iuſiurandum,quòd fugę conſiliũ cepiſſe dicerentur,in cuſtodia crudeliſsimè trucidati ſunt. Nonnulli qui fidei ac amicitiæ iura proditione violare noluerũt,delati ab alijs vicinis ciuibus, extrema ſupplicia perpeſsi,qui amicis quib.ſe deuouerãt, cõſtantiſsimè periêre. Exinde milites victoria feroces,ſcrutari cuncta, protrahere abditos atque obtruncare,prædari etiam Ægyptiorum domos,nihil clauſum ſecretumq; relinquere.Erant qui vno tempore ijſdẽ in ędib.auaritia,crudelitate atque libidine graſſarẽtur,quũ quiſq; eò vires impetumq; transferret,quò à natura raperetur. In magna nanq; licentia quiſq; ſuis morib. facilè ſeruit, effuſeq; blanditur. Eodẽ die Gazelles,qui paulò antè ad cogẽdos Arabes, conducendaq; auxilia iuſſu regis in Thebaidem profectus fuerat,ſuperuenit. Is quum euerſis omnibus rebus,neq; manu,neq; conſilio proficere poſſet,ac Dijs iratis infeſtiſq; belli fortunam,quę toties partium conatus tranſuerſo impetu perfregiſſet,minimè ſibi amplius tentandam putaret,ad Selymum fide accepta cum tribus Arabum ducibus,multiſq; equitibus venit:atque ita locutus eſt:Si Fortuna,quam ſumma virtute tibi conciliaſti,felicitati noſtrę non inuidiſſet,hodie non haberes,poſtquam cuncta armis tuis ſubacta ſunt, vnde reliquos mortales animi magnitudine ſuperares.Integris rebus noſtris atq; opibus dum pro vita ac imperio certaretur, Turcarum nomẽ inani virium fiducia elati,ſemper contempſimus, & te vti hoſtem decebat,acerbiſsimo odio perſequebamur. Facto demum periculo,omnibus victi prælijs,quum & mirificam atq; diuinam virtutẽ tuam, & ſecundiſsimas victorias,quę non ſine Deorum immortaliũ conſilio tribuuntur, miraremur,ſupplices ad te venimus,vt meliorem fortunã beneficio tuo ſequeremur:et tu ipſe parcendo atq; ignoſcendo victis ac deditis,qua vna virtute homines cęlitib.ęquantur,ſupra immortalis glorię tuę terminos nomẽ & famam extenderes. Tomumbeio quãdiu nomẽ vireſq; retinuit,& in aliqua luce verſatus eſt,fidelem operam præſtitimus. At quum iniquo ſuo fato profugus, incerta etiam ſalutis fama ſolitudinibus inerret, deſerti potius quàm deſertores, ad te confugimus, ſtudium noſtrum atque operam tibi meliore conditione probaturi,ſi,commutata acerbiſsimarũ rerum ſorte, nobis viuere, & auſpicijs

tuis

tuis militare licuerit. Selymus, quòd Gazellę propter eximias animi corporiſque virtutes, quibus clari viri etiam apud hoſtes gratiam promerentur, apprimè nouerat: quodq́ue Arabes, quos maximè timendos eſſe intelligeret, fœdere atq; amicitia ſibi obſtringere cupiebat, omnes humaniſsimis verbis excepit, & ſingulis ſtipendia conſtituit: hortatusq; eſt, vt veteris fortunæ obliuiſcerentur, & cuncta ex liberalitate ſua ſperarent. Nec multò poſt, quum ab Achaſia vrbe Mauri ſimul atq; Arabes, adiunctis quibuſdam Mamaluchis, qui eò profugerant, Memphiticum agrum incurſionibus vaſtarent, ſæpeq; frumentatores Turcas, ac muliones qui paulò longius pabularentur, interciperent, Gazelles cum parte exercitus ad debellandos eos miſſus eſt. qui celeriter expugnata, direptaque Achaſia, & latronibus magna ex parte trucidatis, ſuperiorum dierum iniurias cum magna ſui laude imperatorisq́ue lætitia vindicauit. Interea Tomumbeius in Seiectica regione, quæ trans Nilum ad Cyrenaicam vergit, his etiam tot malis victus bellum reparabat. Venerat ab Alexandria ad eum valida Mamaluchorum manus, quæ ab vrbis præſidio literis euocabatur: multi etiam eũ ex fuga comitati fuerant. Non deerant partis Africæ Arabes, & Mauri quoque regionis incolæ ſtudium atq; operam ſuam pollicebantur. Præterea ab Memphi nonnulli Aegyptiorum, quorum domus ipſęq; familiæ Turcarũ prædæ atque libidini ceſſerant, ſi noctu Memphim conuolaret, ſe tumultum excitaturos promittebant: Foreq́ue, vti omnes Turcæ, qui in contubernijs eſſent, vno clamore atque impetu populi delerentur: quando omnes cuncta nefanda atq; hoſtilia perpeſsi, diutius inſolentiſsimorum hominum iniurias ferre non poſſent. Ipſos quoque Turcas ad contemnendum numerum ex ampliſſimo exercitu redactos eſſe dicebant: magnam eorum partem duobus Memphiticis prælijs interijſſe: reliquos fermè omnes, aut vulneribus aut aduerſa valetudine eſſe confectos. Quibus de rebus, & vires vndique creſcebant, & ſpes ipſa, quæ nunquam perdito ac profligatiſsimo regi defuerat, apud inuictum animum ſupra eius miſerię conditionem efferebatur: ita vt Fortuna, quæ immitis atque acerba omnium mortalium infeliciſsimo ſupremas inſidias tẽdebat, tum primùm commutatis iniurijs proſperos rerum exitus promittere videretur. Dum hæc à Tomumbeio pararentur, Albuchomar vir Aegyptius, qui in Seiectica cæteros omnes authoritate atque opibus anteibat, ſiue vt imminentis belli cladem ab agris ſuis auerteret, ſiue vt gratiam victoris, quam, malis facilius apud reges, quàm bonis artibus homines conſequuntur, proditionis munere mereretur, ad Selymum venit: atque eum de copijs, ac nouis Tomumbeij & ciuium conſilijs certiorem fecit. Quo cognito, Selymus excubias tota vrbe diſpoſuit: ſuſpectos ciues in arce, quæ deſerta à Tomumbeio deuenerat in eius poteſtatem, cuſtodiri iuſsit: & complura nauigia tormentis atque militibus inſtructa, quæ aduerſam Nili ripam obſeruarent ac tuerentur, pluribus locis ſeparatim toto flumine collocauit. Verùm ſecum ipſe reputans, quanto cum periculo toties cum acerrimis hoſtibus conflixiſſet, & quum difficile factu foret intercipere Tomumbeium fuga extrahentem bellum, atque alia ſemper atque alia per vaſtas & ignotas regiones auxilia comparantem, vt clementia atq; animi liberalitate hominem tentaret, ad eum legatos mittere decreuit: qui ſuaderent, vt arma deponeret, & iam tandem victoris fortunam agnoſcere vellet: ac ſimul data fide pollicerentur, eum, ſi ſupplex accederet, regnum quod tueri armis nequiuiſſet, victoris humanitate ac beneficio conſecuturum. At ſi reno-

uare bellum pergeret, & ſuæ imbecillitatis obliuiſceretur, dijudicata belli fortuna, nullam eum poſtea dignitatis ac vitæ conditionem ex merito apud iratos inuenturum. Enimuero Selymus, quum ſe in remotiſsimam regionem, alia atque alia inuitante victoria abductum conſpiceret, ac tantulis infirmis copijs timeret, ne in ampliſsima vrbe ab incertæ fidei hominum multitudine opprimeretur, per conditiones bellum conficere, quàm vi contendendo nouis implicari periculis malebat: cum præſertim ab incolis eius prouinciæ nunciaretur, vbique manus equitum omnis generis cogi ab his Mamaluchis, qui ex fuga diuerſas regiones petiuiſſent: claſſemque ad Suezziam portum expectari, quæ Arabico ſinu ad Erythræas anguſtias aduerſus Luſitanos profecta eſſet. In ea eſſe ſupra tria milia Mamaluchorum, & Amyraſſem ac Rayſalomonem peritiſsimos duces, magnumque numerum æneorum tormentorum, vnde Tomumbeius accepta incommoda reſarcire, atque vrbem vocantibus amicis repetere poſſe videretur. Sed eum in primis ingens cura Perſicarum rerum excitabat: ne ſi Hymbracorbaſſa quem ad Taurum præmiſerat, Hyſmaelis viribus impar foret, ipſe prius ab Aſia Minore ac Syria excluderetur, quàm Byzantina claſsis cum ſupplemento militum, & ſecundis commeatibus Alexandriam perueniret. Igitur decreta legatione, viri inſignes qui ſacris præerant, cũ hisque aliquot Aegyptij clari nominis mittuntur. Qui quum traiecto Nilo in Seiecticam perueniſſent, antequã audirentur, à quibuſdam Mamaluchis inſana ac barbara crudelitate trucidati ſunt. Nefarij ſiquidem & arrogantiſsimi homines, Tomumbeio nihil tale expectãti, ſe gratum facturos putabant, ſi ad declarandum ſtudium ſuum atque alieniſsimam à pace voluntatem, tanti odij ac feritatis rabiem ea immanitate ſceleris oſtentaſſent. Quod factum ſuperbè atq; atrociter, omnem Selymi patientiam abrupit, & mox funeſtiſsimum bello, ac Mamaluchis omnibus finem impoſuit. Nanque homo, quum nullis etiam irarum fluctib. ageretur, natura & vehemens & ferox, æquo animo ferre non poterat, quòd victi fugatiq;, & mandata ſua, quæ vtilia atq; honorifica ipſis forẽt, deſpicere, & ius legatorum apud efferatiſsimas etiam gentes ſanctiſsimũ violare auſi fuiſſent. Quamobrem his exagitatus iniurijs, in Seiecticam aduerſus Tomumbeium expeditionem edicit: commeatũ parari imperat: & Nilum, quòd ratibus tranſire, neque ſuæ dignitatis, neq; præſentis occaſionis eſſe ſtatuebat, contractis vndique nauigijs, ſtabili ac latiſsimo ponte conſterni iubet. At Tomumbeius, quũ parari copias, & Nilum ponte iungi per exploratores & Mẽphiticos ciues audiret, veritus prouincialium perfidiam, quorum animos Albuchomaris defectione ab ſe alienatos eſſe, propter eius viri potentiam atque authoritatem, facilè ſuſpicabatur, illam eandem, quæ toties ſpes ſuas fruſtrata fuerat, prælij fortunam tentare cõſtituit. Omnibus enim rebus inferior, extrahere bellum, vel hoſtem expectare non poterat: neque ſibi iterum amiſſa dignitate per vlteriores ſolitudines fugiendum arbitrabatur. Ergo inito cum ſuis conſilio, quod ſibi Mamaluchisque omnibus ſupremum fuit, cum quatuor milibus armatorum equitum, & bis totidem Maurorum atque Arabum, e Seiectica diluculo profectus, continuato per diem ac noctem itinere, ad Nilum cõtendit, vt Turcas, quos nihil tale de victo atq; infirmiſsimo hoſte ſuſpicaturos eſſe intelligebat, audendo falleret, & ſui famã celeritate præueniret, ratus ſe improuiſo aduentu copiarum partem, quæ primæ flumen tranſiſſent, priuſquam eis ſubueniri poſſet, eſſe deleturum. Neque enim temporis ſpatium opinion eum

feſellit:

refellit: nam horarum momenta cum itineris celeritate egregiè ſupputata, congruerant: & vt ipſe coniectura futurum putauerat, prima Aſiaticorum agmina pontem traiecerant. Muliones & cum his pueri, qui Selymo à cubiculo ſeruiebant, quum ad tendendum tabernaculum amœniorem locum quęrerēt, longius progreſsi, puluerem aduentantis exercitus primi conſpexêre: ſtatimq; ea de re Muſtaphas certior eſt factus, & ad arma conclamatum. Qui rumor & his, qui iam tranſierant, & illis qui in citeriore ripa tranſituri morabantur, magnam trepidationē iniecit. Tomumbeius expedientes arma, & coeuntes ad ſigna hoſtes repentino impetu adortus, primos, qui ſuſtinere irruentium impetum auſi ſunt, obtruncat, alios diſijcit & conuertit in fugam. Nec Muſtaphas, quanquam impauidus, ante alios pugnando, atq; adhortando, tota fermè prima acie protrita, ac cæteris perturbatis, reſtituere ordines, aut in fugam verſos retentare poterat. In aſpero enim atque inopinato negotio, cuncta, concurſatione, cæde, fuga, & metu plena erant: totis ripis ſupra atque infra pontem reſpectantium atque auxilia implorantium trepida agmina viſebantur. Multi, impellentibus hoſtium turmis ad extremos redacti margines, in flumen procidebant: multi ad initium pontis, occurrentibus qui continuè ab vlteriore ripa ſubmittebantur, dum ſcandere pontem vellent, timore præpediti, & reiecti ab ſuis, profluentis gurgitibus hauriebantur. Erat latitudo pontis tāta, vt quaterni equites commodè recipi, & magna eorū multitudo vnius horæ momento tranſmitti poſſet. Verum quum tormenta traducenda eſſent, minora equitum ſubſidia, quàm periculi magnitudo, vel repentinus caſus efflagitabant, ſubmittebantur: nec in tormentis vllum erat auxilium, quæ celeriter traduci, vel ab citeriore ripa in aduerſam, propter obiecta ſuorum agmina emitti ſine detrimento non poterant. Interim Selymus, qui initio tumultus ad Nilum decurrerat, ſcaphas, & fluuiatiles lembos prętorianis ſclopettarijs complet, atque equitatu per pontem accelerare iuſſo, eos laborantibus ſubſidio tranſmittit. Quibus nauigijs expediti nautæ, quum adhibita omni celeritate reuerterētur, ac rurſus alios exciperent, paruo temporis ſpatio plures cohortes expoſuerunt. Quorum aduentus perturbatos etiam ęgrè ſuſtinentes Aſiaticos confirmauit, Canoglis quoque Tartari regis filius, Scytharum agmina vt Nilum tranſirent cohortatus, in vlteriorem ripam paucis deſideratis & admirantibus cunctis euaſit. Ea enim gens & Tanaim & Volgam rapidiſsimos maximosque amnes, gregatim inſuefactis equis tranſnatare didicerat. Eodem quoq; tempore Tomumbeius, quòd celerem in vna ea re victoriam conſiſtere prouidebat, confertis ſuorum turmis ad pontis caput penetrare, atque id occupare conatus eſt, vt ad intercludendos hoſtes primam ratem auelleret, & rudentes, quibus ea nauium ſeries ripæ deligabatur, præcideret, quib. abſciſsis, neceſſariò totus pons ſuperſtantibus copijs reſolutus, ipſo tanti amnis impetu raperetur. Quæ res longè periculoſiſsimam attulit dimicationem. Nam ab delectis, ac optime armatis, qui a fronte vrgebant, ſingulari virtute pugnabatur: & Muſtaphas animaduerſo periculo, & ſigna & fortiſsimos quoſque in eum locum contulerat. Itaque tanta eſt contentione actum quanta agi debuit, quum Mamaluchi, ſi loco potirentur, ſe breui negocio poſtea ſuperiores hoſtium victorias euerſuros manifeſtè perſpicerent: & Turcæ, niſi pontem conſeruaſſent, de ſua in primis, & reliqui exercitus, ac ipſius imperatoris ſalute deſperandum eſſe intelligerēt. Sed rem obtinuit Muſtaphas ſclopettarijs, & Gręcorum turmis, quę iam plu-

res tranſierant, prælium excipientibus: moxque hoſtibus repulſis vltrò inſtitit, & ad multum ſpatium eos ſubmouit. Hic eſt ille Muſtaphas natione Pannonius, & Baiazetis gener, qui magnificentiæ & perpetuę laudis ſtudio, ex huius victoriæ manubijs, eximij regijque operis, & ſumptus, pontem lapideum in Strymone amne conſtruxit: quem hodie per Thraciam tranſeuntes, tanquã Romanæ magnitudinis æmulum admirantur. Tomumbeius, vt Mamaluchis, qui laſsitudine deficientibus equis, acrius pugnare non poterant, aliquid ad reſpirandum ſpatij daret, & per eos rurſus extremum prælij caſum collectis viribus experiretur, Arabes, ac Mauros, vt tantiſper pugnam ſuſtineret adhortatus eſt. Quod quum impigrè præſtitiſſent, & paulo pòſt Mamaluchi equis atque corporibus aliquantulum recreatis ſucceſsiſſent, tanta vi prælium redintegratum eſt, vt Selymus victoriæ diffidens, quanquam amici eius, ne id faceret, deprecarentur, conſcendere pontem, & ſuis auxilio proficiſci non dubitarit. Eius aduentus, ſpe illata militibus qui in conſpectu imperatoris, & pręmia & laudem, inſigni aliquo virtutis facinore edito, promereri cupiebant, conatus hoſtium repreſsit: ſtatimque prætorianarum cohortium virtute omnes in fugam verſi. Fugientes, equitatus qui prælio non interfuerat, totis campis conſectatus eſt: & ipſi demum Scythæ, qui delati vorticibus in vlteriorem ripam ad hoſtes tardius aſcenderant, ſagittantes affuère. Tum vero miſsi Muſtaphas Cayerbeiusque, & Gazelles cum recenti atque expedita equitum manu, qui veſtigijs fugientium inſiſterent: nec Tomumbeium elabi paterentur. Sequenti die eum ad præaltæ paludis emiſſarium, vbi paulum conquieuerat, adepti ſunt, conantemque interſcindere ligneum pontem, vt intecta mora antecederet, aliquot ibi occiſis & captis, rurſus effugere coegerunt. Tertia die, quum amiſsis fermè omnibus copijs, ad Secuſſani reguli villam perueniſſet, & Turcæ Aegyptijs, qui eius regionis pagos incolunt, extrema ſupplicia denunciaſſent, niſi ad comprehendendum Tomumbeium egreſſus omnes illarum paludiũ, & circumiecta loca intentis cuſtodijs obſeruarent, metu perculſus paludibus ſe condidit: vbi eum paulò pòſt agreſtes merſum aquis vſq; ad ſummum pectus, atque inter iuncos & harundines latitantem deprehenderunt: vinctumq; miſerabili habitu occurrentibus Turcis tradiderunt. Nec multo pòſt cum aliquot ducibus amicorumq; præcipuis, Memphim perductus eſt. Selymus, qui propter interfectorum legatorum iniuriam, hominem necare decreuerat, eum ad ſe perduci vetuit, tortoribusque tradidit, vt de Campſonis theſauris quæreret̃, qui ſecretiſsimo ſpecu abditi credebantur. Ferunt eum conſtanti animo ac minaci vultu, nihil præter ſuſpiria atque horribiles gemitus, in ſummis cruciatib. protuliſſe, vt ea patientia victoris ſæuitiam ſuperaret. Poſtero die eum vili camelo impoſitum, ac obſoleta indutum veſte, religatisque in tergo manibus, ſicuti noxij ac latrones ſolent, per omnia vrbis fora, et celeberrimas regiones circumduci iuſsit, vt Aegyptij quem paulo antè regem adorarant, illum eundem vertente fortuna in extremas præcipitatum miſerias, vitæ ſimul atque imperij dies fatali laqueo finiturum intuerentur. Quum verò ad Baſſuelam portam peruentum fuit, ei laqueo gulam fregère: vtque tranſeuntibus conſpectui atq; ludibrio foret, vnco ferreo ſuſpenſum ſupra fornicem reliquère. De Tomumbeio ſupplicium ſumptum eſt Idibus Aprilis, anno à partu Virginis decimoſeptimo ſupra milleſimum & quingenteſimum: qui dies Lunæ dicatus, Chriſti reſurrectionis celebritatem ſecutus eſt: quum ad Rhodaniam pugnatum eſſet vndeci-

vndecimo Calendas Februarias, die diui Vincentij memoriæ dicato. Nec defuerunt, qui in eo tam atroci miſerabilique ſpectaculo lachrymas effunderent, triſtiq; & geſtu & incondito eiulatu vltimi regis ſui vſque adeo fœdam atque turpiſsimam necem auerſarentur, vel increpantibus ſæua voce, & mortem cõminantibus Ianizaris, quòd Memphiticus populus, vti leuis, & veteri Mamaluchorum ſeruitio aſſuetus, depulſæ ſeruitutis beneficium, nequaquam lætis & gratis animis acciperet. Erat enim plebs Aegyptia adhuc incerta libertatis, proptereaque cæco ſuſpenſa metu, rebus ſuis timere cogebatur: quòd Turcarum gentem bello inuictam formidatamque cunctis Europæ atque Aſiæ regibus, nequaquam Circaſsijs mitiorem, imperatore præſertim cruentiſsimo, ſuperbiſsimè regnaturam exiſtimaret. Commouebat quoque animos mirum in modum pendentis Tomumbeij habitus tam indignè à Fortuna mulctati. cum nanque ſingulis aulæ honoribus integra nominis fama geſtis, ad ſummũ regij decoris faſtigium, ſtudio populi, fauoreque procerum aſcendiſſe meminerant, vt inde vrgentibus fatis vſque adeò deformi ruentis imperij & vitæ exitu præceps daretur, exemplum haud dubiè inter paucißima humanæ varietatis valde memorabile miſeris pariter atq; felicibus præbiturus. His quidem, vt nihil ſeſe efferre, ſibique adulari, illis verò, vt cuncta, quę indigna atq; aſpera ſors adueheret, conſtanter ferre condiſcerent. Eo etiam Tomumbeius commiſeratione dignior apparebat, quòd maieſtatem proceri & lacertoſi corporis, vultumq; promiſſa & caneſcente barba venerabilem, cùm regio ſolio, tum militari imperio parem attuliſſet. Cæteri Mamaluchorum proceres cum ignobili etiam equitum turba, qui in cuſtodijs erant, eandem exitus fortunã tulerunt. Sublato Tomumbeio, atque occiſis fermè omnibus Mamaluchis, quum nulla certa hoſtium manus in Aegypto eſſe nunciaretur, quæ renouare bellum poſſet, diductis copijs, ad recipiendas vlteriores prouincias Selymus duces miſit, Alexandrini enim ſecundum Memphiticam pugnã expulſo præſidio, & Phari arce, quam imbellis cuſtos certa cum ſpe præſentis præmij quam dubio periculi euẽtu tradere, quàm defendere maluerat, facilè occupata, multis ante diebus ad Turcas defecerant. Damiata quoq; victoribus portas aperuit. Hæc olim Peluſium, Æliopoliſq; demum inſtaurante Hadriano Cæſare vocata eſt. Citra autem Nilum, qui Ægyptus Iudeæ atq; Arabiæ terminos attingit, nulla ciuitas, quæ Turcarum imperio non parẽret, relinquebatur. Ipſique Africę reges Cyrenaicę finitimi, qui pendere tributa, & Sulthanis certo fœdere parẽre conſueuerant, legationes deſtinabant. Reliqui erant Arabes, & præſertim Africani, qui Tomumbeio auxilia miſerant, & Turcis, quòd eo bello magnum ſuorũ numerũ amiſiſſent, minimè parituri dicebantur. Ea gens latrocinijs potius, quàm bello aſſueta, ab Euphrate quà Palmyrenorum fines alluuntur, vſque ad Atlanticum Oceanum totam Aegyptum atque Africam multitudine ſua repleuit. Errabunda gens eſt, ac innumerabilis, diſtincta tamẽ per populos & duces, qui ſuas vrbes atque oppida ſingulis curribus trahunt: vtpote qui certas ſedes non habent, & Scytharum more tentorijs & papilionibus vtuntur. Ipſi ſe gentium nobiliſsimos prædicant, quòd nullis vnquam alijs immixti gẽtibus, incorruptam antiqui generis nobilitatem conſeruarint. In vniuerſum aſtu omnes atque ingenij artibus potius, quàm corporis viribus pollent. Frugi enim in conuictu homines nulla cibi intemperie vires alunt, temperantia valetudinem tuentur: multaque exercitatione ad inuictum robur habiles artus

confirmant. His magnæ curæ eſt vxorum pudicitia, quando nihil potius ducant, quàm incorrupti ſanguinis antiquum decus. Totum autem familiæ cenſum vna implet tenuis ſuppellex, quæ nobili equo Numidico, lancea, & iaculis conſtat. In mundo muliebri, neq; aurum, neq; argẽtum viſitur, ſed lanea virgata veſtis, & pro geniali thoro ex centone leuis culcitra: primores tantum, argentum vermiculato opere fabrefactum pictumque in phaleris geſtant: argenteasque item bullas collo ſuſpendunt, quas incluſo amuleto, Thaheles vocant, quarum præſidio aduerſus pericula ſe probè munitos arbitrantur. In hoſpites aduenas ambitioſius, quàm latronum mores ferant, liberalitate vti mos eſt. Sed conuiuia eorum, ſi venatio non ſuppetat, leui pollinis & orizæ pulticula, fauo mellis, carica, palmæ dactylis, ac lacte acido finiuntur. Munera ſunt laneę chlamydes colore violaceo aduerſus imbres à noſtris expetitæ. Sed inter ſe nouas & veteres à maioribus per manus traditas immortales inimicitias exercẽt, ac ſæpenumero in factiones ſecedunt, & aggregatis vtrinque auxilijs cruentiſſimè præliantur. Qua de cauſa, quum antiquis odijs, & nouis ſimultatib. ſemper ſtudeant, & bella ex bellis oriãtur, nunquam ad expellendos Mamaluchos conſentire in vnum, & pari conſilio bellum gerere valuerunt. Neque enim Mamaluchorum opes tantæ multitudini ſufficere potuiſſent, quando Sulthani ex aliena diſcordia potius, quàm proprijs viribus eam prouinciam atque imperium retinere viderentur. Itaque Selymus per idoneos homines plures eorũ duces data fide ad ſe Memphim euocauit, et ſumma liberalitate proſecutus eſt: quorum exemplo fiebat, vt cæteri quotidie accederent, acceptiſque munerib. in verba eius continuò iurarent. Aliqui tamen, quum nullis pollicitationibus ac donis flecterentur, per inſidias ab alijs ducibus intercepti, ac Selymo traditi, inanis pertinacię atque odij pœnas dederunt. Claſsis quoque paucarum nauiũ aduerſo Nilo vſque ad Sienem, quam hodie Guagueram incolæ appellant, aſcendit, omneſque hæ gentes quæ ad Aethiopiam vergunt, ſicuti amicitiam potius, quam imperium Sulthanorum agnoſcebant, ita victoriæ fama perductæ in Turcarum fidem facilè conceſſere. Iiſdem etiam diebus ad Suezziam Rubri maris portum (is olim Arſinoes fuit) cum aliquot turmis atque cohortibus proceſſum. Diſtat Memphis à proximo littore, vbi Suezzia eſt et Thorius portus, trium tantùm dierum itinere. Quo in portu Campſon aduerſus Luſitanos claſſem ædificauerat: qui, ſubacta tota prope India, omnem Arabici ſinus nauigationem ſuſtulerant: & quum indicas merces per Oceanum in Hiſpaniã auerterent, Memphitica vectigalia grauiſsimis detrimentis affecerant. Ea claſſis, magna impenſa, et labore incomparabili vix quatuor annorum ſpatio perfecta, deductaque fuerat. Nam ab Iſsico ſinu, atque Amani ſyluis è Cilicia materiam petere neceſſe erat: eam inde tranſuectam Peluſium, aduerſo Nilo Memphim deportabant, vbi nautæ ac peritiſsimi fabri non deerant, qui ab Venetis haud obſcurè ſubmittebantur: quum & ipſi, eodem incommodo accepto, nobilem illam, & toti Europæ ſtatis temporibus aromata partientem nauigationem intermittere cogerentur. A' Memphi autem plicatiles ac ſolutæ naues membratim camelorum dorſo Arſinoem conuehebantur: ibique rurſus commiſſo in vnum per partes clauis configabant. Quibus conſtructis atque deductis, paulò antè Selymiani belli initia, Campſon Amyraſſem & Rayſalomonẽ duces miſit cum valida manu Mamaluchorum, magnoque tormentorum apparatu, qui cum claſſe ad Erythræas anguſtias contenderent, & cum Luſitanis bellum

bellum gererent. Sed illi, quum Luſitanam claſſem duce Lopo Suare vltrò ingreſſam Arabicum ſinum cognouiſſent, nec ſibi tunc, multis de cauſis, cum totius Indiæ victoribus confligendum eſſe arbitrarentur, Giddę, qui Mechę Mahometi ſepulchro celeberrimæ vrbis portus eſt, medio in ſinu ad Arabiæ Felicis littus per cauſam reficiendæ claſsis ſubſtiterunt. Mox verò diſcedentibus Luſitanis, qui propter aduerſas tempeſtates repulſi in Aethiopica littora, ac diu flantibus Euris iactati, nulla re memorabili geſta ſinu exceſſerant, aliquot amicas vrbes Felicis Arabiæ latronum more diripuerunt: & Ademum, vt ciuibus pecuniam exprimerent, expoſitis copijs oppugnarunt. Sed vrbs frequētiſsima & munitiſsima impetum Ægyptiorum egregiè ſuſtinuit. Ademum enim, quod antiquitus Ocellis emporium fuiſſe arbitramur, opportuna in caute iuxta promontorium Palindromum extra Arabici ſinus fauces ad læuam poſitum eſt, & à tribus ferè partibus mari alluitur, murumque habet, qua aditus eſt à terra, & complures turres in morem noſtrum portui ac naualibus impoſitas. Magna quoque eſt ea in vrbe, vt in nobiliſsimo Indici maris emporio, commercij & mercaturæ cauſa, Perſarum atque Indorum multitudo, qui vno conſenſu cum ciuibus, vt ſeſe atque opes ſuas ab Aegyptiorum iniuria tuerentur, pro alienæ vrbis ſalute ſumptis armis propugnare non recuſabant. Ita Amyraſſes, & Rayſalomon repulſi ab mœnibus & peſsimè accepti, reductis copijs ad inſulam Cameronis, atque inde Giddam redierunt. Ibi quum de Campſonis morte atq; aduētu Selymi ad Memphim cognouiſſent, atq; alter in fide permanere, alter verò victoris fortunam ſequi contenderet, protinus inter ſe diſſentire cœperunt: coortaque inter milites ſeditione, Amyraſſes, qui Tomumbeio fauere conabatur, Meccham profugit. Verum paulò poſt Rayſalomone eum depoſcente, atque omnia hoſtilia, niſi continuò ſibi traderetur, denunciante, à Mecchenſibus, qui rebus Giddenſium magnopere timebant, captus, et Giddam ad claſſem tranſmiſſus eſt. Porrò Rayſalomon, vt æmulo & collega ſublato, ſolus claſsis imperio potiretur, atque edito aliquo inſigni facinore ſibi aditum ad victoris gratiam præpararet, Amyraſſem noctu ad declinandam inuidiam mari demerſit, & bimeſtri ſtipēdio donatis militibus, hisq; Selymi ſacramento adactis, paucorum dierum nauigatione Arſinoem peruenit: & tradita claſſe ad Selymum profectus eſt. Ea vero Turcarum manus, quæ Arſinoem venerat, dextro littore ad ſuperiores prouincias aſcendit: reguliq; omnes, qui Sulthanorum tributarij vel amici erant, vſque ad Dauidis maximi Aethiopum regis fines, quem noſtri Preteiannem vocant, ſine vlla dubitatione deditionem fecerunt. Sed quoniam in mentionem Preteiannis incidimus, non iniucundū fore putauerim, ſi poſt tot cruenta pręlia, & triſtes rerum prope omniū euentus amœnioris materiæ diuerticulum legendo feſsis paremus, quòd Aetiopiæ deſcriptione aptè præſtare lubet, vt quæ pleriſq; fabuloſa videri ſolent, ad veritatē fidemq; hiſtoriæ referantur. AFRICA, quæ tertia pars orbis cenſetur, ingentis Pyramidis figuram effingit: cuius baſim efficiunt ea littora, quæ a Nili oſtijs perpetuo tractu ad columnas Herculis directa, Mediterranei maris fluctibus alluuntur. Latera autem, hinc Rubri maris ſinus, illinc Atlanticus Oceanus, ſenſim extenuato terrarum cuneo caſtigant, vt in oblongam coeundo deſinant cuſpidē, & extremo Bonę ſpei promontorio terminentur. Id ad Antarcticum polum vergit, ęquo faſtigio ęquatoris et tropici Capricorni lineas longiſsimè progreſſum: quod intentatum, nec planè antiquis

cognitum Africę caput, memoria noſtra ſuperauêre Luſitanæ claſſes, quum in Indiam ingenti auſu petendis aromatibus proueherentur. Id naturę munimẽtum, immenſi diuerſique æquoris vaſtum pelagus tanquam roſtro findit & dirimit, quum ab ortu Solis Indici maris æſtum lęuo humero excipiat: ab occaſu autem dextro alterius propè Oceani Aethiopica littora pulſantis fluctus ſummoueat, & extrema veluti terrarum lingua concurſantibus ventis, & refractis tempeſtatibus imperet. Media huius expreſſæ pyramidis, quæ ſunt regiones vltra citraque æquinoctialem lineam, per arenarum ſolitudines innumerę Aethiopum gentes inhabitant: quæ portenta naturæ exiſtimari poſſunt, quòd moribus tantùm ab homine diſtent, quantum ingenij captu brutis accedunt: quanquam auaritiæ, ſuperbiæque bona pariter ac mala planè intelligant, quū & aurum quod effodiunt, & commerciorum vtilitates agnoſcant: rerumque propè omnium inopes, pro imperio & dominatu regum ſuorum cruentiſsimè dimicent. Ex his Troglodytæ, qui iniquiſsimis feruoribus damnati, perpetuiſq; & directis Solis radijs flagellati, cauernas inhabitãt, feritate reliquos antecedunt. Nigritarum omnium, quos interluit Niger amnis hodie Gambra vocatus, Sol pro aſpectu recto aut obliquo, gẽtis colores euariat. Ante alios Guinei abſoluta nigritie, nec repandis & contuſis naribus vultu geſtuque nobiliores exiſtimantur. Mantingæ generoſo ingenio fidem colunt, maturæ oleæ colorem imitantes. Manicongri ancipiti memoria pollent: nam obſequia cum fide implent, & ſeruitij pertæſi, conditionis ſuæ fortunam dominorum cæde ſæpe vindicant. Gilopi ablutis carbonibus ſimiles, verborum odia reſeruant, pigrique & hebetes non citò manſueſcunt. Zapes & ſenſuum & corporum ignauia, mancipiorum omnium viliſsimi exiſtunt. Ad has gentes quotannis penetrant iuſtis, & compoſitis agminibus, quæ Carauanæ vocantur, proximi mari noſtro Pœnorum, Numidarum, & Maurorum mercatores, magno quidem quæſtu, ſed aliquanto maiore vitæ periculo: quòd in arenoſas ſolitudines, & indiga aquæ loca, obſeſſaque paſsim ſerpentibus & feris delati, ſæpe excitato ſubtiliore ſabulo auſtri flatibus obruantur. Hæc nobis ſcribentibus Muleaſſes rex Tunetanus ab immani fratris iniuria exuſtorum oculorum orbitate miſerabilis, enarrauit, totam ferè ex imperio eius ſubiectis Carauanam, tantam proximè vno ventorum turbine calamitatem ſubijſſe, vt vix decimus quiſque multorum menſium remenſo itinere ſoſpes & integer domum ſit reuerſus. Tanta eſt auri & eboris ſitis, cum hæc vilium mercium permutatione parentur, vt incerta ſpe lucri non planè dubia ſalutis iactura computetur. Cæterùm Luſitani Atlantem, quem in Mauritania Clarum montem hodie vocãt, & Praxium promontorium Virideſque inſulas, quas nonnulli Heſperides eſſe exiſtimant, annuis atque victricibus claſsibus præteruecti, inſinuatique Nigritarum terris, pleniorem horum populorum notitiam retulerunt: quum inde captis aut coemptis mancipijs, Luſitaniam repleuerint. Legẽdo enim oram à Praxio ad Orientem proras vertêre, quà irrumpens Oceanus deuoratis littoribus ingentem efficit ſinum, vſque ad ſancti Thomæ inſulam, quæ ſub æquatore ſita eſt, deſerta nuper et infeſta crocodilis atque ſerpentibus, quibus in eam relegata damnatorum corpora ad pœnam obijciebantur. Sed ex infami et inculta, propter benignam perpetui autumni temperiem, facilè frugiferam, ſaccaroque abundantem, Luſitani in cultura diligentes reddiderunt. Sicuti de Fortunatis, quæ Canariæ hodie dictæ, dextrorſum numero decem in Eurum

ventum

ventum vergunt, & de Maderia Foncialia Hiſpaniæ proxima, parvo colentium labore profectum eſſe videmus. Ab hac divi Thomæ inſula, in qua iam Luſitanorum colonia coaleſcit, aliæ atque aliæ claſſes recurvatis littoribus adiére novas gentes, longíſsimo tractu uſque ad ipſum Bonæſpei promontorium: ſic tamen luſtrando littorum receſſus & anfractus, ut à conſpectu claſſis, niſi iuſta manu armatorum expoſita, recedere non auderent, admoniti ſcilicet recenti infortunio Franciſci Almedij Indicæ claſsis præfecti, qui ſub promontorio Bonæſpei, quum inauſpicatò in terram ad conſpectum fontem cœnaturus deſcendiſſet, ſubitò ferorum hominum è nemore erumpentium impetu oppreſſus eſt: vir indignus ea calamitate, vel hoc uno, quòd magnis rebus geſtis, partam Indicæ victoriæ lauream regi ſuo referre nequierit. A Bonæſpei promontorio, binisq; ambientis Oceani littoribus, introrſus Magni Preteiannis imperia pateſcunt, quæ in quadraginta amplius regna, per immenſas prope regiones certis finibus diſtinguuntur. Hęc nota, claraq; ſuis nominibus atq; opibus, peculiares habēt reges, lingua, moribus, & oris colore diſsimiles, qui tributa pendunt: aut ſtipendiarij facti, quum bellum ingruit, Preteianni tanquam ſupremo imperatori operam navant. Præ cæteris Scevę regnum ubertate ſoli, cœliq; temperie, atq; hominum ingenijs nobiliſsimum exiſtimatur. Hoc tanquam præcipuum natalis ſoli rex incolit: nam in eo plures habet regias, & auguſtiora templa: ſecutusq; herbidorū locorum, & aquarū opportunitates, ad tot comitantium agminum commoditatem antecapit, & exurēte etiam ſole, per varias manſiones ſalubriore aeris temperie perfruitur. Toto ſiquidem ferè anno ſub tentorijs degit, inſigni apparatu & magna aulæ frequentia, quanquã frequentes pagi ædificiaq; ex trabibus cancellatis, & cretaceis parietibus adfabrè conſtituta non deſint, quæ hoſpitaliter ſubeuntes recipiant. Regnum Scevæ Antarcticum polum duobus & viginti gradibus elevatum aſpicit: fines eius à proximo Oceani littore decem dierum itinere diſtāt: abſunt autem à Nili fontibus itinere quindecim dierum. Scevano in agro mira eſt rerum omniū fertilitas, frumentiq; præſertim, & ordei, omnisq; (uti apud nos) leguminis: milij verò, panici, uſqueadeo altę ſegetes luxuriant, ut equitis ſtaturam ſuperent. Nec terra abundans pomis vites reſpuit, quæ vindemias largiſsimè præbeant: quanquam ex pyris, acrioribusq; malis vulgò ſuccum exprimant, quo potu vilior populus utatur. Ter ſingulis annis arant, & ſerunt, & perpetuo propè autumno omnis generis fructuum copia lætantur. Nam ficus virides, & melopepones ſapidiſsimi toto ferè anno convivijs non deſunt. Fabę & ciceris ſiliquæ virentes cunctis menſibus apparent. Omnibus Scevanis agris maioris minorisq; pecoris armenta, equorum nobilium, camelorum, & aſinorum greges paſsim viſuntur: & inter cætera, eximiæ proceritatis & pulchritudinis mularum agmina. Abyſsini enim omnes, quo nomine in univerſum ſubditi Preteiannis appellantur, alendis perdomandisq; mulabus maximè ſtudent: quòd à proceribus aulæ magno pretio coemantur. Cęterùm Scevani, ſolertia ingeniorum, & morum gravitate, vitęq; & honeſti cultus elegantia Abyſsinos omnes antecedunt: ideoq; gratia principis maximè florent. Ii ſiquidem Republica prudentiſsimè conſtituta, tanta legum æquitate populos regunt, ut quum principis authoritatem ſtudioſe reſpiciant, eiusq; nomen in omni iudicio atq; actione venerentur, nō ſecus ac Veneti patritij regnēt: apud quos principis maieſtas diſsimulatæ, vel ereptæ poteſtatis in ſpeciem tantum

viget. Sceuani rerum præſides, ſacra more noſtro hiſdem templorum apparatibus, atque hiſdem propè cæremonijs, muſicorum organorum intermixtis concentibus, celebrant: iampridem Chriſtianis initiati ſacris, vti aſſerunt, docentibus Bartholomæo apoſtolo, & Philippo diacono, Candaceque Aethiopum regina ſuſcipiente. Sacro enim baptiſmatis fonte abluuntur, quanquam aliqua ex candenti ferro fronti ſtigmata ſuperaddant: nec Hebraicæ conſuetudinis obliti planè ſint: vtpote qui decidere præputia, & è pudendis etiam mulierum carunculam præcidere ſoleant. Qui vero iuridicundo præſunt (vti apud nos) eadem legum ſeueritate in puniendis noxijs vtuntur: aberrãtes enim, & temerè deſciſcentes à religione, totius concurſu multitudinis lapidibus obruuntur. Semel verò ſuſceptæ religionis ritus præceptaque temerè tranſgreſſos, & de Deo Maximo Diuiſque impiè loquentes, in foro viuos comburunt. Homicidam propinquis interfecti vinctũ tradere mos eſt, vt pro libidine ſanguinis ſui iniuriam vindicent. Nonnulli auariores deditum mercatoribus in ſeruitutem vendunt, quum alij plerumq; à ſuperbis & ſæuis per exquiſita tormenta ad interitum excrucientur. Furibus oculos eruunt, traduntque luminibus miſerè captos publico mancipio, qui eos cithara & cantu cibum quærentes, per omnes regiones & remota regna, ea lege perducat, vt alterum diem vno in loco permanere vtrique capitale ſit. Marium tentaſſe libidinem (quod apud finitimos Mahometanos impunè eſt) extremo ſupplicio crimen dignum cenſent: minora vero delicta ſcriptæ legis interpretum arbitria ſubeunt. Nam aliqui carcere, alij exilio vel flagris, ignominioſaque traductione mulctantur: raros pecunia aut alterius rei pretium à decreti pœnis abſoluit. Nuptias ſolennibus epulis celebrãt, verùm detectis adulterijs mutuo iure connubia dirimũt. Sed quoniam de Preteiannis ſtemmate, cultu, aulæque eius conſuetudine, copijs, bellico apparatu, & rebus geſtis: atque item de ortu Nili, Lunæque paludibus, & de varijs ferarum generibus, aliqua ſuccinctè dicturi ſumus, operæ pretium fore putaui, à quibus hęc acceperim ingenuè profiteri, ne fabuloſa ab imperitis exiſtimentur, quæ iam conſenſu multorum, nota compertaque ſunt: quãquam totam fidem eſſe velim penes eos qui hæc longa nobis & curioſa indagatione quęrentibus tradidère. Ex his fuère Petrus Aluares Luſitanus, qui in legatione Roderici Limę ab Araquinquo Arabici maris portu, quò appulerat Indica Luſitanorum claſsis, terreſtri grumnoſoque itinere ad Preteiannem penetrauit, alteraq; legatione ſuſcepta, ab ipſo Preteianne ad Clementem pontificem, qui tum erat Bononiæ cum aureæ crucis munere peruenit. Is itinerum ſuorum atque actionum omnium diurnos commentarios, quum Romæ deceſsiſſet, ſcriptos reliquit. Secũdum eũ Petrus Abyſsinus præclaro conſtantiq; ingenio vir, diu in Preteiannis aula verſatus, ſumma comitate fideque Abyſsinorum rerũ Memorabilia nobis aperuit, vtpote qui plurium idiomatum peritus, Romæ deſumpto cucullati ſacerdotis habitu, linguam noſtram ſcitè didicerit: & quoſdam è noſtris curioſos Abyſsinam linguam doceat. Cuius linguæ Chaldaicis elementis ſcriptæ, ſacros libros Romæ impreſſos videmus, quos Abyſsini religionis cauſa ab Hieroſolymis Romam venientes, pro inſigni miraculo in patriam deferre ſolent. Romæ ſiquidem Orientales peregrini Chriſtianę profeſsionis, Abyſsinique pręſertim, poſt maximi templi teſtitudinem, proprium cum domo delubrum habent, vbi ſuo more ſacra conficiunt, aluntur que pontificis ſumptu, & pia benignitate aulæ ſacerdotum. Hic magnus Abyſsi-

byſsinorum & Æthiopum rex, qui à noſtris corruptè dictus eſt Pretegian, à ſuis Belulgian appellatur: quod eſt vetus cognomentum uſurpatum à ſuperioribus regibus. Id nomen incomparabilis præſtantiæ, immenſique pretij gemmam ſignificat: proprio verò nomine, qui hodie regnat, vocatur David, peculiareq; habet cognomentum Atanadidinghel, quæ vox thus virginis exprimit. Regnavit ante hunc Naus pater, nulla propter avaritiam populorum gratia. Excepit autem regnum filius admodũ puer, tutrice Helena matre, quæ prudentia pietateq; ſpectabilis, eum probatiſsimis imbuens moribus, tot regna moderatiſsimè rexit: Filij ex ætatis prærogativa in regno patribus ſuccedunt. Quòd ſi maſcula proles deſit, unus è propinquis virtute præſtantior, defuncti ſedem implet. Præalto ſiquidem ſtemmate ab antiquiſsimis regibus genus repetunt: regijq; ſanguinis incorrupta nobilitas hiſtoriarum teſtimonio recenſetur. Nam apud eos rerum geſtarum memoria, perpetuæque regiæ ſtirpis ſucceſsiones, fideli literarũ cuſtodiæ publico inſtituto demandantur, tanta cura & religione, ut præfecti notariorum, quum oportet, annorum ſupra mille nuſquam interciſam memoriam ex archivis proferant. Rex ipſe cum negotiorum occupatione liberatur, reliquas horas evolvendis hiſtorijs ſacriſq; item literis fermè totas impendit. Nam apud eos ſunt veteris & novi inſtrumenti codices, cum divi Pauli Epiſtolis, in Abyſsinam ex Chaldaica tranſlati linguam. Exinde modicè corpus exercet, atq; id balineo curat, & demum eodem more quo noſtri reges cibũ capit ſolus aureo in monopodio, quod nulla mappa contegitur. Miniſtrant ei nobiles pueri, epulaſq; per ligneos gradus excelſæ menſæ inferunt: & eas quidem in parvis calathis conciſas. Vinum ex aurea patera potat, & ex calice cryſtallino cerviſiæ lympidæ genus, quod ex auſteris pomis & ſaccaro conficitur. Suaviſsimi ſaporis volucres, piſceſq; uti apud nos, venatioq; item multa omnis generis totius regiæ menſas exornant. Prandenti cuſtodiam agunt circumfuſi tabernaculo trecenti fermè iuvenes ex omnibus delecti regnis: qui loco ſatellitum & obſidum habentur. Arma eis ſunt, enſis, & haſtile præpilatum, cervices & humeros ferina pellis contegit. Quatuor porrò inſignes reges, qui edicto evocati, per vices aulam frequentãt, cum ſplendido procerum & minorum præfectorum comitatu, epulas è coquinæ veſtibulo, ad regis tabernaculum honoris cauſa deducunt, tradunt prodeuntibus pueris. Rex prandio contentus, quando niſi feſtis diebus haud cœnet remota menſa, aliquot reginas, quæ ad colendã ipſius Davidis uxorem evocatæ, eadem cõditione qua reges ad aulam veniunt, ab eunuchis introduci iubet. Hæ iocundioris oblectamenti cauſa, coram rege pſallere, & ſaltare conſueverunt. Is quatuor uxores finitimorum regum filias connubio ſibi iungit, ſed cũ una ritè & ſanctius deſpõſata cubat: quæ ſi ſterilis evadat, una è cæteris regium thorum ſubit. Velata facie obtenſo ſcilicet tenui ſudario rex in publicum prodire, & parvam crucem argenteam dextra manu geſtare ſolet, equitantiq; ſeptem laureæ totidem victoriarum præferuntur, prælongis haſtis ſericam umbellam excedentibus, hęc ei trophæa ſunt de devictis hoſtibus. Vir enim bellicoſus arma continenter exercens, ingentes alit copias, quibus adverſus rebelles hoſteſq; imperij ſui maieſtatem tuetur. Difficili ante alios & periculoſo bello Troglodytas venenatis utentes ſagittis perdomuit: regem Caſantem prælio fuſum vivum cepit: eiq; tanquam ſævitia & perfidia infami caput præcidit. Is regnabat ad eam regionem, quæ vergit ad Auſtrale Oceani littus nomi-

ne Mozambicum, quod contra ſpectat ingentem divi Laurentij inſulam. Hęc ora Æthiopici littoris inſalubris, peſtilens eſt propter æſtuaria, quæ reciprocantis Oceani alluviones, & crebris decurrentium amnium oſtijs dulcis aquę undas marinis admixtas recipiunt. Ab eo quoque Bethſagæ reginæ, quæ regnum Bonæſpei promontorio proximum poſsidet, præfectus bello acer & contumax, acie victus interfectusq; eſt: quòd in vita regina oblitus beneficiarij iuris, tributa pendere nollet, & crebris incurſionibus fidelium fines evaſtaret. Eadem armorũ vi Manicongri regem, quem poſtea Chriſti religionem induiſſe conſtat, & Tormedam Nigritarum principem aſsiduo bello ita attrivit, ut auctiora tributa atq; obſides victori dare cogerentur: geminatam verò victoriam varia contentione, multoq; ſanguine quæſitam à Selano rege retulit. Is Mahometanis Mauris imperat, iam pridem ex Arabia Felice, per Rubri maris anguſtias in Æthiopiæ proximam continentem ad condendas colonias tranſgreſsis. Ea gens Perſarũ more optimę inſtructa armis & equis, ita indies coaleſcit, viribusq; & numero hominũ augetur, ut Barnegaſio & Tigrinio regibus, qui regna inter Arabicũ ſinum & Nilum amnẽ obtinent, & Davidi parẽt, magno terrori ſit. Tributa quæ Davidi regi penduntur, varij ſunt generis pro facultate atq; opibus ſubditorum regũ. Alij nanq; informe aurũ, atq; alia metalla, quorum omnium ferax eſt Abyſsinorum terra: alij maioris pecoris greges: alij telas ſericas aut laneas, quibus eæ gentes ab umbilico ad ſuras cõteguntur: alij præterea diverſæ ſegetis, & foſsitij ſalis copiam in caſtrenſem commeatum: alij peregrinas merces, aromata, præcipueq; piper, & mancipia præbent. Agreſtiores porro aſperis nemoribus adiacentes, certum numerum vivorum leonum, & tigridum, aliarumq; ferarũ ad regiam perducunt, quæ animi cauſa vivarijs & ſeptis includuntur. Remotioribus ſola huiuſmodi ferarum tergora imperat, quibus Abyſsini ad elegantiam & militarem cultum veſtiuntur. Regis exercitus quum ad bellum educitur, incredibilẽ equitum & peditum multitudinem oſtẽdit. Pedites magnà ex parte iaculatores, ſagittarij, funditoresq; ſunt. Robur autem eſt in equite, qui lorica oblonga protegente coxas, aperta galea, & rotundo ſcuto, acinaceq; adunco, & ancipiti lancea armatus in aciem prodit. Qui galeis carent, capita muniunt rubris villoſisque pileis, quibus modo Mamaluchi equites apud Memphiticos reges utebantur. Elephantos etiam turritos & militariter ornatos in aciem producere conſuevit. Eadem autem diſciplina accipiendi imperij, ineundæque pugnæ obſervatur, quæ apud nos in uſu eſt tympanis æreis, & tubarum cantu Martem accendunt. Vera & ſpectata inter eos virtus, certum decus & præmia parit, eo quidem nobilius quòd ſtrenuè pugnantes quò minus arctè manus conſerant, nullo tormentorum periculo deterrentur. Abyſsini monetam non cudunt, ne à pravis ingenijs adulteretur: importata tamen utuntur, ſed tantùm aurea cum Arabicarum literarum nota. Hos nummos, Pardales, & Seraphios appellant, qui nec pondere, nec probitate auri Venetum nummum æquant. Certis auri argentiq; fruſtulis ad varium pondus examinatis, militi ſtipendia perſolvere, & res venales in foro coemere mos eſt. Toto autem Abyſsino regno, patriarcha ſacris præeſt, ſummumque imperium habet in ſacerdotes, qui ſunt innumerabiles, diſtincti per templa atque cœnobia. In horum mores ſeveram exercet cenſuram, & contumaces vel depravatos à recta diſciplina, anathemate perſequitur, eoque religionis telis adigit, ut deſerti ab omnibus, ac eiecti

paſsim

paſsim dolore atq; inedia miſerè contabeſcant & pereant. Patriarcha cum ſuo ſenatu ſedem habet in urbe Barrara, quæ arduo & nemoroſo in colle ſita eſt, cincta perpetuis umbraculis ad amœniſsimas ambulationes. Nam frondoſarũ arborum rami ea ſerie inflectuntur, & fornicatim connectuntur, ut in ferventiſsima regione, meridianiſq; ſolibus, æſtum non ſentiant: & quod opacitatis gratiam implet, ſaluberrimis etiam fontibus paſsim diductis irrigentur. Quibus umbratilis otij voluptatibus, vitæ duritiem ſacerdotali lege impoſitam facilè ſuſtinent. Patriarchæ magni ſunt ex decumis redditus, quibus etiam regiorum vectigalium quota pars accedit, liberali regum pietate ſacris addicta. Has opes in egenos & xenodochia erogat, alitq; gravi ſumptu infinita propè monaſteria cucullatorum, è quibus multos quotannis impenſo viatico Hieroſolymas mittit, ad inviſendam ſacroſanctam urbem, colendumq; Chriſti ſepulchrum: ut ritè explorata & comperta de rebus Chriſtianis in patriam referantur. Reliquæ quæ ſuperſunt patriarchæ divitiæ, quum is moritur, ad regium fiſcum redeunt, ſolennibuſq; demum habitis comitijs, probatiſsimus omniũ ſuperante ſuffragio creatur. Is in cœlibatu vivit, quando ſacerdotibus uxorem ducere, nec tamen iterare nuptias fas ſit. De ortu vero Nili, longa percunctatione reperiebamus, in regno Gogiano, quod à Scevano ad Antarticum extenditur, eſſe immenſam altiſsimorum montium congeriem, Caucaſo, & Atlante, hiſq; noſtris Europæ alpibus multò celſiorem. Iuga eius perpetuis obſeſſa nivibus geluq; rigentia, nubibus ſeſe inſerere, & cælum fulcire videntur. Harum immanium rupium media atq; infima, denſiſsimis ſylvis procerrimarum arborum veſtiri conſtat. Quæ loca inacceſſa homini, luſtra cubiliaq; ſunt ferarum & belluarum omnis generis. Nam iubatis leonibus, pantheris, tigribus, urſis, & apris ſcatent: campis autem, qui radicibus ſubſunt, elephantorum greges inerrant. Aſſerunt quoq; Gogiani regni incolæ his in vallibus dracones gigni alatos, qui anſerinis pedibus gradatim humi ſerpant, repeririq; camelopardalim, quam Gyraffam noſtri appellãt, Florentiæ quandoq; viſam magni Sulthani munere, qui eam Laurentio Medici dono miſerat. Idem affirmant de Monocerote, quod animal unicorne à noſtris appellatũ, pulli equini forma, colore cinereo, iubata cervice, hircina barba, bicubitali cornu, armatam frontem præfert, quod levore, candoreq; eburneo, & pallidis diſtinctum ſpiris, ad obtundenda hebetandaq; venena mirificam poteſtatem habere dicitur. Cornu enim immiſſo & per lymphas circumducto, fontes expiare perhibent, ut ſalubriter bibat, ſi inde viroſæ beſtiæ præpotarint. Id vivo animali non detrahi, quum ullis inſidijs intercipi nequeat. Cornu tamen ſponte deciſum in deſertis reperiri, ut in cervis accidere videmus, qui ex ſenectæ vitijs, renovante Naturâ, vetus cornu exuunt, venantibuſq; relinquunt. Hoc cornu regijs impoſitum menſis, toxica, ſi qua ſint epulis indita, emiſſo ſtatim admirabili ſudore, convivis prodere narrãt. Ex his duo vidimus bicubitalia ferè craſsitudine: primùm Venetijs, quod poſtea Senatus Solymano Turcarũ imperatori dono miſit: alterum pari propè magnitudine, ſed præciſa cuſpide argenteæ baſi inſertum: quod Clemens pontifex Maſsiliam profectus, pro inſigni munere ad Franciſcũ regem detulit. Cæterùm de vi tantæ dotis in hoc animante nihil plus affirmaverim, quàm quod evulgata fama credentibus ſuadet: quum antiquorũ authorum nemo, quod legerim, præter unum Helianum Grecũ, quicquam de hac Monocerotis admiranda poteſtate memoriæ prodiderit. Ab his

aſperrimis immenſisq; rupibus, quæ à chorographis Lunæ montes vocantur, frequenti & copioſa ſcaturigine Nili fontes erumpunt in loco vehemẽter abſtruſo, qui Beth (hoc eſt deſertum) Abyſsina lingua dicitur. Ex his fontibus innumerabiles amniculi, per Gogiani regni ſpatia modò diſsipati, modò coeuntes, in longè maximam toto orbe aquæ dulcis paludem effunduntur. Huic Saphæ nomen eſt, ſpatioſisq; littoribus tria attingit regna: eaq; affatim opima piſcatione fœcundat & replet, Gogianum ſcilicet, & Beghemetrũ, quod eſt ab ortu Solis, & ab occaſu Dambaium. In hac palude amplius viginti inſulæ numerãtur, incolis frequentes, & multis cultæ ædificijs, in quibus turrita templa & luculenta ſacratorum hominum cœnobia eminẽt: multi enim religionis, & tranquilli otij cauſa, ab humanarũ rerum cõmercio, & veſtigijs profanæ multitudinis in eas inſulas ſe ſubducũt. Vna præ cæteris maior atq; munitior à rege pro carcere ſervatur, in quã noxios & rebelles relegare cõſuevit. Ex hac tanta palude, Nilus primò lenis, mox rapidus & præceps ſeſe effundit: varijsq; mæandris & gyris Nigritarũ fines lambẽs, Gogianum regnũ, & mox Amaranum inſolenti curſu proſcindit: nec uſquã ripis cobibetur, donec ad cataractas, quæ ſunt antiquis Catadupæ, arctis rupium anguſtijs ſtrangulatus, ac iratus erumpat. Inde latiore laxatus exceptusq; alveo, lenior fit atq; diffuſior: & per magnos flexus, vadoſosq; ſinus, navigiorum impatiens, ad Meroem inſulã defertur. Hæc Britannia maior eſt, tresq; in ea reges diſtincti finibus dominãtur, ſæpe inter ſe bellum gerentes. Eorum potentia maximus, Mahometanus eſt, & Maurorũ ſtirpis: ſecundus Æthiopici ſanguinis genus idolorũ cultu, moribus, & colore fatetur: vltimus Abyſsinorũ gentis eſt Chriſtianæ religionis cultor, qui Davidi paret. Cæterùm de Nili incrementis ad ſubtilium ſtudiorũ oſtentationẽ diſſerere, & proferre cauſas audere, planè ambitioſum eſſe putaverim, quando hæc illuſtrium Græcorũ pariter & noſtrorum ingenia, inani, ut arbitror, labore, iam pridem exercuerint. Quis enim vel naturæ, vel cœli & terrarũ opificis arcana iure quodam curioſis mortalibus abſcondita rimatus eſt? Quis ingentes illas in ipſis terrarũ viſceribus cavernas, vel maximè vaſti ingenij luminibus introſpexit? quæ cuncta maria per tantũ ævi ſpacium, tot in curſu fluminum nuſquam creſcentia, perpetuò hauriunt, & exſorbent? Quis denique ſubterraneorum anfractuum menſuras, certa ratione deprehendit: quibus repletis univerſa exuberantis aquæ moles in apertũ cœlum per gibboſa montiũ evomatur, & ea quidem optima naturæ fide, quantum acceperit, irrequieta diſpenſatione rependentis. Imbecillitatis profectò noſtræ non meminimus, quũ hæc ſuperba ingeniorum vanitate perſcrutamur: vnde iam hoc totum rerum ſcientiæ nomen tot vigilijs, & ſumptibus partum profiteri diſpudeat, poſtquã adeò pauca ſcire, & de ſingulis ambigere diſputando confitemur. Verùm Abyſsini hoc unum pro conſtanti certis coniecturis perſuaſum habent, Nilum ex eliquatis nivibus quotannis augeri, & pro ratione frigoris & caloris, prout Natura indulſit ac imperavit, in varias exundationes excreſcere: cum non inepta ratione credant, ſub circulo Capricorni, maximis caloribus eam plagam urgeri & exuri, cui ſubiecta ſit tot montium nivoſorum rupes, quæ ex oriente Nilo caput præbeę. Pari ſiquidem ratione non ſecus atque apud nos in ſolſtitio æſtivo, Solibus cuncta exurentibus, ſicut mora & ſpatio multorum dierum incrementa amnis in Ægypto fieri contingat, quæ ex arcano ſuo, aut læta aut triſtia Natura ſæpe noverca, ſæpe mater, Ægypti terris importarit. In

Meroe

Meroe, quæ incolarum lingua Naulelabe, id eſt, optimorum portuum parens vocatur, præſto ſunt magnorum lintrium claſſes, quæ peregrinos & advenas a terreſtri itinere diſcedentes, Memphim & Alexandriam ſecundo amne devehunt. A Meroe quindecim ferè dierum navigatione deſcendentibus occurrit urbs Syene, obeliſcorum lapidicinis clara, & poetarum carminibus celebrata, qui in ea Solares radios ad perpendiculum incidentes, in neutram partem umbras flectere tradunt. Hæc eſt initium Ægyptij regni, vocaturque hodiè Guaghera. A Syene demum Nilus tutiſsimè navigatur, & utramq; ripam Ægyptij & Arabes incolunt, qui præternavigantibus varij commeatus copias præbent. Nilus ipſe ab his gentibus, Abbahuis, id eſt, amnium pater appellatur. Nam poſt longum & tortuoſum curſum, in multa cornua totam aquarum molem diffundit, quæ Memphim & Alexandriam perducunt: & Canopico ac Peluſiaco oſtijs continentur. Quum hæc edere pararemus, veris nuncijs allatum eſt, regem Davidem fatò conceſsiſſe, quum extra matris tutelam viginti ſeptem regnaſſet annos, vixiſſet autem octo ſupra quadraginta. Fuit ingenio maximè pio, atque habili ad omne belli & pacis obeundum munus; itemq; literis uſque ad aſtronomię notitiam optimè inſtructo: Corporis autem habitu mediocri, rotundo ore mali cotonei ſub cinere toſti colorem exprimente: vivacibus item oculis, & capillo non planè more Æthiopum intorto, ut ex vera imagine quę apud nos eſt, intueri licet. Quatuor mares & quinque fœminas ex una tantùm uxore ſuſcepit, quorum natu maximum adverſa in pugna infeliciter amiſit: quum intempeſtivè renovato bello, cum Selano rege acerbiſsimo hoſte congreſſus, ſuperiores victorias corrupiſſet. Hoc ictus vulnere graviſsimum concepit dolorem, atque inde febrem, quæ diu ſuſtineri non potuit. Filius itaq; ſecundus excepit regnum nomine Claudius: qui reparatis copijs, cum Selano proſperè confligens, & fratris cædem, & patris iniuriam non toto vertente anno vindicavit. Sed iam unde diſceſsimus revertamur. Eo itaq; modò Selymus, uti narratũ eſt, terra mariq; omnibus hoſtium provincijs in poteſtatem redactis, circiter calendas Iulias ſecundo amne Alexandriam navigavit, ſedente ad clavum prætoriæ biremis Curtoglo Halicarnaſſeo prædone clariſsimo, ut Byzantiam claſſem, quæ per eos dies appulerat, inviſeret. Qua luſtrata, urbisq; mœnibus, atq; ipſa Phari arce diligenter inſpectis, Memphim reverſus eſt. Interea Mamaluchi, qui Alexandrię cuſtodiebantur, iubente Selymo ad unum omnes in foribus carceris contrucidati ſunt. Familiæ quoq; Ægyptiorum, quæ opibus, aut generis claritudine præſtabant, numero ſupra quingentas, Byzantium migrare iuſſæ: magnaq; multitudo fœminarum ac puerorum ex progenie Mamaluchorum, eodem conductitijs navibus tranſvecta. In claſſem autem præter theſauros ac regiam gazam, publica ac privata opulentiſsimæ urbis ornamenta congeſsit, tanta rapiendi libidine atq; avaritia, ut marmora eximij operis cælatura, aut coloris varietate cõmendata ſumma victoris invidia parietibus revellerentur. Nec multò poſt per ſummam voluptatem incrementum amnis, qui proximos campos ſtagnantibus aquis inundaverat, ita inſpexit, ut à ſenioribus incolarum totius exundantis amnis mẽſuras rationesq; curioſè perquireret. Pronunciant enim diverſi auctus, qui certis menſuræ notis deprehenduntur, modò lætiſsimam ſegetẽ, modò diram famem, modò certam tantùm adverſus inopiam ſecuritatem, quum imperioſus ac impotẽs amnis, benigna aut ſæva libidine exundãs, nunc quoſ-

dam camporum tractus adeò copioſè irriget, ut intra ſerendi ſpatium ſerò decedat, alios ſegniter parceq; levi tantùm rore aſpergat, an non dubiam ſterilitatem vix pulvere ſubacto, ea prorſus alternantis amnis lege, ut Ægyptij tum divites futuros exiſtimēt, cùm Nilus temperatus & lenis nequaquam ad ſummi, aut minimi incrementi notam acceſſerit. His rebus ſtudioſè compertis, cùm ſibi in Syriam propter rumores, qui de Hyſmaelis adventu in Meſopotamiam afferebantur, redeundum eſſe arbitraretur, præſidio Turcarum Memphi impoſito, Cayerbeium toti Ægypto præfecit. Quæ res Iunusbaſſam eius honoris ſpe, & iuſta cupiditate accenſum, vehemētiſsimè perturbavit. Is enim mortuo Sinambaſſa, cum virtute & rebus geſtis, tum recenti etiam vitæ periculo elatus, cum neminem ſibi exæquari dignitate pateretur, ſe unum eſſe reliquum, ad quem ſumma imperij redire deberet, Selymi & militum iudicio ex omnibus illius amicis ac ducibus, exiſtimabat. Nec deerat militaris favor: nam ut ſtatim ex vulnere convaluit, quum in magnificentiſsima Diadarij domo, quā in ipſa victoria uſurpaverat potius, quàm Selymi munere acceperat, convivia, quibus milites maximè capiuntur, regio propè ſumptu primoribus iuxta atq; gregarijs quotidie pararet, ac ſæpe nobiles equos, decora ſervitia, veſtes, vaſa, arma ultro omnibus elargiretur, tantā gratiam benevolētiamq; collegit, ut quum de more in aream ad imperatorem eundum foret, longè ampliſsimo atq; ornatiſsimo comitatu deduceretur: & vulgo ei omnes Ægypti præfecturam deſtinarent. Quæ omnia Selymi animum offendebant: nam uti erat facilè ſuſpicax, & metu ſævus, magnis etiam virtutibus, quæ nimiam claritatē certamq; potentiam adferrēt, invidebat. Cayerbeio autem ſummæ rei præpoſito, Iunusbaſſa pudore ac dolore victus, ut qui ſuperbo animo contumeliam ferre non poterat, ſimulans ægritudinem corporis, quæ animi æſtuantis erat, per aliquot dies publico abſtinuit: & quū magis ac magis, & ſua iniuria, & proditoris honore cruciaretur, etiam moderari linguam non poterat. Accidit autem ut Cayerbeius, quum officij cauſa ad viſendum eum acceſsiſſet, & meridiano tempore ad levandam ſitim, conſuetudine Ægyptiorum, ſaccarum frigida dilutū militari familiaritate deguſtaſſet, paulò poſt acerbiſsimis alui doloribus ita cōflictaretur, ut veneno eum à Iunusbaſſa petitum fuiſſe cōplures interpretarentur, ac ſervatum certioris antidoti præſidio dictitarent. Qui rumor, an falſus, incertum: altius tamen quàm quiſquam putaret, in Selymi animum penetravit. Etiam paulo antè audierat nonnullas Ægyptiorum familias, ex his, quæ Byzantium commigrare iubebantur, à Iunusbaſſa (ipſe enim ei negotio præerat) ut tutè Memphi in patria permanerent, ingenti pecunia ſe redemiſſe. Cuius avaritiæ non obſcura ab æmulis ac delatoribus indicia prodebantur, quòd regales illos ſumptus, quos privatis ſtipendijs tolerare non poſſet, novi vectigalis redditibus egregiè ſuſtineret. Hæc quum ad comminuendam gratiam pertinerent, aliud quoq; fraudis vel negligentiæ crimen acceſsit, quod illi vitæ exitum urgentibus fatis maturavit. Nam Selymus, ſicuti reges ſolent, qui egregiè diſsimulando, ut priora puniant, compreſſa in præſens iracundia, alicuius novi criminis occaſionem expectare conſuerunt, dicta factaq; eius obſervans, eum infenſo paratoque animo perſequebatur. Paucis enim antè diebus, quàm certior fama de profectione imperatoris in Syriam evagaretur, milites, qui Memphi in præſidio relinquebantur, cauſati longinquam militiam maioraque pericula, & defunctos labores, augeri ſibi ſtipendia flagitarant. Idque

illis

illis facilè Selymus ordinum habita ratione præſtiterat, mandaveratque Iunusbaſſæ, ut ea ſumma apud Caſtrenſes tabulas antiquis rationibus adderetur. Sed ille inſania præceps, nihil earum rerum quas iuſsiſſet imperator quæſtoribus retulit, ut milites, ſi vberiore promiſſoque ſtipendio fraudati eſſent, Cayerbeium tanquam iniuriæ authorem odio habere, atque deſpicere inciperent: & propterea Memphiticæ res militari abalienatione turbarentur: vnde Selymus damnato pro alienigena, qui non occulto Ægyptiorum odio, ut in recenti fœdiſsimæ proditionis memoria deflagraret, cuiusque imperium veterani moleſtè ferrent, hominem Turcam nutanti provinciæ ſubmittere cogeretur. Sed ea omnia, quoniam prava conſilia duri rerum exitus eveſtigio conſequuntur, aliter atque ipſe ægro animo deſtinarat, evenêre. Nanque profecto imperatore, & iam Hieroſolymis appropinquante, Memphitici milites, quòd accipiendi ſtipendij ſtatuta dies adveniſſet, nec ſibi quicquam præter veterem ſummam perſolveretur, rei indignitate commoti, apertius ac violentius quàm Iunusbaſſa putaviſſet, inſultare & comminari quæſtoribus, ac ipſi Cayerbeio palàm maledicere cœperunt. Quibus vocibus ille perculſus, ut qui nondum in Turcarum conſuetudinem devenerat, unà cum quæſtoribus ſeſe purgare militibus, atq; orare ſuppliciter, ut nihil de ſe temerè crederent, remq; ipſam ſedatis ab iracundia animis cognoſcere vellent, nec ſe vel acerbiſsimam pœnam deprecari, ſi quid dolo ſuo factum aut fraude prætermiſſum inveniretur. Sed diſceptationis is exitus fuit, quũ Cayerbeius & quæſtores ſuſpitionẽ periculumq; vitare, & milites ad ulciſcendam iniuriam fraudem deprehendere properarent, ut legati ad Selymum mitterentur, qui nondũ Iudeæ finibus exceſsiſſet. Legati itinere celeriter confecto, exercitum ſupra Lariſſam Palęſtinorum conſecuti, imperatori, ut primũ facultas data eſt, & militum querimonias, & Cayerbei ac quæſtorum in avertenda fraudis ſuſpitione ſollicitudinẽ ordine detulerũt. Quæ res Selymi animum alijs quoq; offenſionibus alienatum, adeo vehementer novis irarum ſtimulis exagitavit, ut Iunusbaſſam protinus ad dicendam cauſam pertrahi iuſſerit. Ille, quanquam & culpæ conſcientia & ſupremo timore palleſceret, quum in irati imperatoris vultu certiſsimas ſævitiæ notas intueretur, attamen præſenti animo reſpondit, ſe neque dolo malo, ut pecuniam averteret: neque ut inde alijs aliquam conflaret invidiam, ſtipendia militum ſecus ac ipſę iuſsiſſet, augeri vetuiſſe. Sed id optima factum ratione, ut ærario proſpiceretur, quum incredibilem pecuniarum vim præterita bella exhauſiſſent, & iam novi bellorum motus è Perſide audirentur, qui non neceſſarijs ſumptibus parcendum ſuaderent. Contrà milites, qui & præda ditiſsimi evaſiſſent, & in fertiliſsima vrbe Mamaluchorum domos & fundos tenerent, ac Ægyptiorum facultatibus alerentur, & maiora atque uberiora, quàm ab ullo unquam Othomannorum imperatore, ſtipendia acciperent, eum caſum, quòd minus liberali conſilio ſecum ageretur, ſi non omnem penitus modeſtiam exuiſſent, æquioribus animis tolerare potuiſſe: ac debere imperatores, qui milites bello paceque perpetua liberalitate proſequerentur, ab his aliquando pro diſciplina animi continentiam requirere: ne dum privatim quæſtui omnes ſtuduerint, publicè poſtmodum ad ſuſtinendos maiores ſumptus, quũ neceſſariò bella ex bellis ducantur, opes deſint: quãdo nemo vel virtute, vel fortuna maximus imperator, res præclaras vnquã bello geſſerit, ſi cum omnib. abundè optimis artib. inſtructum pecuniæ

propria bellorum inſtrumenta defecerint. Talia dicentem Selymus vindicabundus & ferox, loqui plura prohibuit, quoniam ſi reus lõgiore oratione merita anteactæ militiæ recitaſſet, deprecatores ex intimis omnino ſibi paraturus eſſe videretur: protinusque eum in conſpectu interfici iuſsit, addens inſolentiſsimi eius ſervi exemplo, cæteros, qui arroganter imperatori præſcribere vellent, officij & conditionis memores in poſterum futuros. Ferunt milites, cum magna Selymi invidia, miſerabilem inſignis viri interitum magnopere doluiſſe. Nam ille præter eximiam, & toties cum ſumma gloria ſpectatam omnibus bellis virtutem, tantũ Græci ingenij artibus, oris habitu, militariq́ue facundia, & ipſo vitæ ſplendore apud omnes & gratiæ & exiſtimationis adeptus fuerat, ut nemo in exercitu eſſet, qui ſe non ei aliqua ex parte deditum atq; obſtrictum eſſe fateretur, ac imperatoris ſævitiem non damnaret. Meminerant enim ab eo præpropera crudelitate necatum Muſtapham, cognomẽto Caloierum, tantæ quondam authoritatis & potentiæ: & ſimili quoque rabie Chendemum ea dignitate vitæque innocentia omnium ducum, qui ex magni Mahometis ſeminario profluxiſſent, longè peritiſsimum, indicta cauſa concidiſſe. Neque exciderant animis Boſtanges eius gener, & Ducaginoglis, hic inſigni curiæ magiſtratu clariſsimus, ille claſsis ac hortorum præfectura, & uxoris vinculo atque opibus ſuperbus, qui biennio ante abſciſsis cervicibus, in curiæ veſtibulo expoſiti, & miſeriæ ſuæ, & regiæ crudelitatis ſpectaculum præbuerant. Obverſabantur quoq; omnium oculis, veluti novo ſcelere priſtinæ immanitatis renovata memoria, Baiazetes pater ſanctiſsimus ſenex, duoque fratres ſuo iure, ſuoq; ætatis & ſtirpis ordine ad imperium vocati Achomates atq; Corchutus: totq; item regiæ indolis adoleſcentes, ſuperiorum fratrum filij, qui inhumani feriq; hominis execrabili ſævitia perijſſent, ut non immeritò eum omnes ſimul metuerent, & acerbiſsimo odio perſequerentur: quãdo Selymus nullo Deorum metu, nulla humani dedecoris cura, nec pravas, nec deteſtabiles ullas eſſe artes, modò vires imperio adſtruerẽt, arbitraretur, & timeri à pluribus, quàm amari certius atq; validius eſſe, in animum iamprid&etilde; impietate atque ſceleribus efferatum induxiſſet. Hiſdẽ fermè diebus Himbracorbaſſa, quẽ ad Perſarũ fines cũ parte exercitus miſſum fuiſſe docuimus, ut ſi Sophus Hyſmael, in ea rerum opportunitate, in Aſiam vel Comagenem ſibi irrumpendũ arbitraretur, & illic quoq; iuſtas vires ad tuendos aditus inveniret, per literas ſignificavit, Perſicos apparatus, qui tantum belli rumorẽ initio hyemis excitaſſent, media æſtate penitus refrixiſſe. Prædatorias tantùm manus, quæ ſpeciem præſentis exercitus facerẽt, atq; ex occaſione nonnunquã excurrerent, ab ſe conſpectas eſſe: cum quibus ipſe ſæpius excurſionibus proſperè conflixiſſet. Cæterũ uno conſenſu à captivis, exploratoribusq; referri, Hyſmaelem Hyrcano ac Scythico ſimul bello implicitum, cunctas regni vires adverſus eas gentes contuliſſe. Propterea eum, quòd iam propinqua hyeme ſolitæ nives Tauri iugis imminerent, Aſiã aut Syriam eo anno minimè eſſe reſpecturũ. Fuere qui dicerent, Tartaros Scythas, qui Tanaim inter & Volgam amnes lætiſsimos campos tenent, Selymi conſilio atq; pecunia ſedibus ſuis excitos, ut ad diſtinendũ Hyſmaelem, Iberis & Albanis, qui in eius ditione eſſent, bellum inferrent, adiuvante præſertim Mahometo ſocero Boſphorano rege, qui facilè eiuſdẽ linguæ Tartarorũ duces fœdere atq; amicitia ſibi iunctos, oſtentatis præmijs ad bellũ inferendum impulerit. Nos autẽ, quum à Perſis, Armenisq; hominibus talia

talia quæreremus, quòd Sophus Hyſmael pulcherrimæ, atque Dijs propè ipſis oblatę occaſioni defuiſſet, qua Selymum in Ægypto bellum gerentem, Aſia ac Syria penitùs exuere, interclusum cum omnibus copijs, præſertimq; tanta vi reſiſtente Tomumbeio, facilè delere potuerit: eam fuiſſe cauſam reperiebamus, quòd non eædem Hyſmaeli domi ac foris ſint vires. Exercitum nanque eius ex evocatis atque nobilibus magna ex parte conſtare, qui gratuitò militare conſueverint. Hos, ut ſunt totius Orientis fortiſsimi equites, ſingulari ſtudio regnum egregiè tueri, & cum finitimis populis acerrimè bella gerere. At ſi paulò longinquior expeditiò ſit ſumenda, eam militiam detrectare, quum relinquere vxores, quibus maximè ſunt addicti, durũ arbitrentur: nec more ſuò multa impedimenta trahere, & plures ducere equos gens luxurioſiſsima atque ornatiſsima ſine ſtipendijs poſsit. Qua rerum difficultate ad educendos exercitus, ipſum quoq; Vſumcaſſanẽ maternum Hyſmaelis avum, laboraſſe cõſtat. Id autem eo ægrius ab Hyſmaele parari poſſe videbatur, quòd propenſiſsima provinciarum voluntate avitum imperium recepiſſet, ſublatis ſtatim oneroſis vectigalibus, ſtudia hominum, quę liberalitate atque iuſtitia facilè comparantur, longè firmiſsimas regni opes eſſe ſemper iudicavit. Quando ipſis tantùm gentium fortunis imperare, animis omnium ſemel acerbitate tributorũ alienatis, non optimi, ſed impotentis, ac temporarij regis eſſe videretur. Contrà Selymus qui vi, ſcelere, execrandisq; artibus paternam ſedem invaſerat, in ſervilibus & mercenarijs copijs, quas & longè ab domo abducere, & per omnes provincias raptare pro libidine poſſet, ad proferendos imperij terminos, & ad res immortalis famæ gerendas ſumma atq; certiſsima præſidia eſſe ſtatuebat: ut qui in una pecunia, atque imperij ſeveritate, veram atque expeditam potentiam putaret, qua omnium Othomannorum victorias obſcurare felici rerum ſucceſſu didiciſſet. Ea, quæ ſecuta eſt, hyeme, Selymus circumeundo maritimas & mediterraneas civitates, exercitum in Syria aluit: appetente autem Vere, quum Romæ flagrantiſsimo ſtudio Leonis pontificis de bello inferendo iniri conſilia adverſum ſe, ſupplicationes magna celebritate fieri, & ad excitãdos Chriſtianorum reges ſummæ dignitatis legatos in omnes provincias deſtinari certius cognoviſſet, relicto in Syria Gazelle, qui cum imperio præeſſet, Byzantiũ magnis itineribus contendit, ut ex propinquo cõſilia motusq; hoſtium ſpectaret: haud ignarus interea Ægypti Syriæque provincias nullam rerum mutationẽ eſſe ſubituras: quoniam Cayarbeium atq; Gazellẽ, qui immortales inter ſe inimicitias ex veteribus ſtudijs, & ex recẽti etiam proditione conceptas exercerent, non cõſenſuros in unum, ſed æmulatione ad promerendam gratiam in regendis provincijs, diligentia, fide ac temperantia inter ſe certaturos eſſe intelligebat. Eadem ęſtate, qua ad Singam amnẽ in Syria pugnatum eſt (fuit is annus à partu Virginis milleſimus quingenteſimus ſextuſdecimus) Galli & Veneti repreſsis apud Mediolanũ Maximiliani Cęſaris conatibus, atq; eius copijs in vrbem Veronã cõpulſis, univerſas vires ad oppugnandam Brixiam cõtulerunt. Præerat Gallis, Borbonio in Galliã profecto, Odetus cognomẽto Lotrechius, qui ad non dubiam iuſti maturiq; ducis famã contendebat: quum vim fervidę alacritatis, uti ab ultima Aquitania ſemihiſpanus, mora & ratione ſedato impetu temperaret: nec in eo rapacis ingenij ſordes, aut diſſolutæ ac indignæ voluptates notarentur: ſuperiorum eius gentis ducum planè diſsimilis, & ſuſcepto oneri omnino par, niſi ſuperbo ingenio

nemini familiaris, alienique conſilij inſolens contemptor, grauitatis atque prudentiæ ſuæ nomen corrumperet. In Veneto autem exercitu, quum ſenatus neminem adhuc in tanta ducum inopia Liuiano ſuffeciſſet, Theodorus Triuultius iam pridem Gallico ſtipendio addictus, imperatorias partes exercebat, vir neque vehemens, neque pugnandi auidus: ſed qui propter longam militiam, quod pluribus quàm quiſquam ſuæ tempeſtatis ducum, Italiæ prælijs interfuiſſet, conſilio optimus habebatur. Erat Brixiæ Hicardus recenti defenſæ vrbis gloria inſignis, cum Hiſpanorum & Germanorum adeò exigua manu, vt milites duarum cohortium numerum vix implerent. Cæſare nanque infectis rebus in Germaniam redeunte, quum res aduerſæ multorum ſpes atque animos comminuiſſent, milites vulgò domum aut Veronam conceſſerant. Multi quoque, qui diripiendæ Cæſarianæ pecuniæ authores fuiſſe dicebantur, iudicium veriti, ad hoſtes perfugerant, nulla commeatus, nulla ſtipēdij certa ſpes, exhauſtis priore obſidione Brixianis, relinquebatur: & maturæ tum in agris ſegetes erant, quibus hoſtis longè ac latè circumemiſſo equitatu potiebatur: quodque in ea rerum aſperitate grauiſsimum ducebant, tormentarij pulueris tanta erat inopia, vt totus tormentorum apparatus, vix decies impleri poſſe videretur. Quę omnia, ſicuti corporis vitia, tametſi planè celari non poterant, vir tamen Hiſpanus & prouidus, ſic ea cunctis artibus contegebat, vt intra vrbem difficultates earum rerum minores, & maiora militum pręſidia hoſtibus viderentur. Itaque Gallus & Venetus promotis caſtris, ac exploratis omnibus rebus inter ſe conuēnere, vt diuiſo peditatu, atque ea cura minoribus ducib. demandata, ab quinque ſimul diuerſis vrbis partibus murum quaterent: patefactoq; aditu ad irrumpendum hoſtes, vt neceſſe foret, in plures diductos partes & multiplicis periculi timore occupatos, adorirentur. Id autem facilè fieri poterat, quum & militum multitudine foris abundarent, et tanta eſſet tormentorum copia binis in caſtris, vt paucorū dierum ſpatio vrbs ampliſsima mœniū corona nudari poſſe videretur. Igitur quum per aliquot dies continuè oppugnādo, ingentem murorū ruinam deſtinatis in locis edidiſſent, atq; hoſtes, qui neceſſariò die noctuq; comportare aggerē, interiores munitiones erigere, & quod in perpetuo labore duriſsimum erat, omnes ſimul propter paucitatē excubare cogebantur, multis prælijs laceſsiſſent, ad extremū, vt iuſto prælio aggrederentur, cohortes delectas paulò ante optimè inſtructas, murum ſubire iuſſerunt. Pugnatum eſt vno ſimul tempore quinq; locis per plures horas, magna vtrinq; contentione: nam recentes atq; integræ cohortes feſsis & conuulneratis, ſic per vices in pugna ſuccedebant, vt propugnatorib. etiam ſuperiorū dierum labore defatigatis, nihil ſpatij ad recipiendas vires relinqueretur. Verum Hiſpani atq; Germani tot bellorū vſus periti, ſicuti æquitate locorum atq; virtute ſuperiores erāt, ita ſubeuntium impetū multis illatis vulnerib. egregiè ſuſtinebāt. Sed magno eis ſubſidio erant equites fermè centum, qui per pomerij ſpatiū irrequieto curſu mœnia introrſum circuibant, notabantq; qua in parte maximè laboraretur: ac ſtatim in forū vbi trecenti veterani in ſtatione ad ſubitos caſus collocati erāt, decurrebant, totq; veteranos, quot periculi magnitudo depoſcebat, ne pedeſtri curſu exanimati peruenirent ſuis in equis conſeſſores accipiebāt, & ad locum iniqui certaminis reuertebantur. Ipſi nonnunquā, quum repentinum vrgentis prælij diſcrimen præſentanea ſubſidia flagitaret, ex equis deſiliebant, & in pugnæ locum progrediebantur. Sed ab ea parte quā

Nauarrus oppugnandam acceperat, longè periculoſiſsimum certamen fuit: nã Cantabri & Vaſcones intrepidè murum ſubière: actumque eſt vtrinque audacter non miſsilibus tantùm, ſed lanceis & gladijs, quum ſcutis ſuper capita impoſitis, veluti teſtudine facta ſuccederetur: tranſcendiſſentque in vrbem, niſi teſtacea mala ſulphure & reſina repleta, & globi nauali artificio confecti, lethiferum atque terribilem vomentes ignem, quæ propugnatores ſupernè iaculabantur, ſubeuntes cohortes deieciſſent. Quo malo perterriti Nauarrini, vrgentibus mox in ea perturbatione aduerſarijs, per ruinas præcipites acti, aliquot ſuorum amiſsis, & pluribus igne ambuſtis ac conſauciatis ſe receperunt. At Hicardus quinque prælijs vna die atque vno tempore ſuſtentatis, quum multos vulneratos, & cæteros omnes labore atque vigilijs confectos eſſe animaduerteret, nec vlla ſpe Cæſariani auxilij teneretur, de deditione cum hoſtibus ſibi agendum eſſe iudicauit. Magna enim eum uirum, quàm parua ſibi præſidia forent, animo reputantẽ, amittendi decoris cura angebat, ne ſi pertinacius hoſti, & quotidianis prælijs reſiſtere vellet, attritis ad extremum viribus deditionem, quam omnino neceſſariam fore prouidebat, iniquiore conditione facere cogeretur. Itaque aduocatis centurionibus, & ciuium primarijs, protulit tabulas publicas, quibus ab initio regrediente Cæſare, eius præfectos fuerat conteſtatus, ſe vrbem, ſi quid durius accidiſſet, extemplo eſſe dediturum: quando neque commeatus, neq; militum cæterarumq; rerum debita præſidia, quibus ſuæ fidei commiſſam vrbem tueri poſſet, ſibi relinquerentur. Non eſſe neq; ſibi neque præſidiarijs ſuccenſendum, ſi in ſumma rerum neceſsitate, & vitæ & rebus ſuis proſpiciant, ac optimè de ſe meritæ vrbis ſaluti conſulere velint. Conditiones quas longè æquiſsimas hoſtis proponeret, non eſſe temerè contemnendas, quum ad eas mox afflictis ad extemum rebus ſit recurrendum. Satis enim pro gloria, quid Hiſpani, quid Germmani virtute poſsint, quique hoſtes audeant, Brixiæ pluribus periculis oſtenſum eſſe: & ſatis ſuperq; pro ipſo Cæſare dimicatum, qui repentina profectione, rebus & conſilijs omnibus ſubito èuerſis ſuos omnes deſeruerit atq; proiecerit. Proinde rei conficiendæ ſibi curã relinquerent: daturum enim ſe operã, vt non accepiſſe conditiones, ſed dediſſe ſalua præſidij & ciuium exiſtimatione videantur. Itaq; quum & Grittus, qui tum legatus aderat, nullas non æquas eſſe conditiones duceret, modò vrbe potiretur, per idoneos vtrinque homines actum, vt Hicardus vrbem atq; arcem Lotrechio dederet, ſicut eam Cardonius, & Proſper Columna ab Obegnino quatuor ante annis accepiſſent. Præſidium verò armatũ more militari cum tubis ac tympanis explicatiſq; vexillis exiret, ac liberè, quò vellet, proficiſceretur. Centurionibus tñ certiſq; cohortium præfectis interdictum eſt, ne Veronam intra quadrageſimũ diem ſe conferrent, quando milites, ſi abſq; ducibus, forẽt, dilapſuri viderentur: qui tñ omnes fermè Veronam alij alijs itinerib. profecti ſunt. Expreſſe quoq; in tabulis cautum eſt ciuib. Brixianis, & pręſertim his qui partium Cæſaris fuiſſent, vt nulla domib. vel præſidijs eorũ iniuria inferretur, etiam ſi apud Gallorũ & Venetorũ hoſtes agere vellent, vel ſe Brixiæ minimè tutos eſſe exiſtimarent. Sed quum pręſidiũ eductis impedimentis porta egrederetur, & per medios hoſtium ordines alacriter pertranſiret, Galli conſpecta hoſtium paucitate (vix enim ſeptingenti armati milites erant) pudore confundi, & fremere cœperunt, quòd tantulæ copiæ falſa maioris multitudinis ſpecie obiecta duorum exercituum impetum eluſiſſent, vixque ſibi temperare

poterant, quin minis & contumelijs abeuntes violarent. Lotrechius prior vrbem ingreſſus, ut captę poſſeſsionis formula ſervari videretur, paulò poſt eam Gritto reſtituit, actæque nomine ſenatus Lotrechio ingentes gratiæ, & munera data, quod naviter copijs ſuis Rempublicã iuviſſet: atq; urbem tantò ſanguine toties fruſtrà repetitam integra fide reddidiſſet. Nec multò poſt ad conficiendum bellum copiæ in Veronenſem agrum ductæ: nanq; exulibus Cæſarianisq; reliquijs unus erat Veronæ tutiſsimus receptus, propter magnam loci opportunitatem, quòd urbs Tridentinis iugis atq; Germaniæ proxima, celeriter novis auxilijs, ſi urgente hoſte res paulò aſperiores evaderent, confirmari poſſe videretur. Collegerat M. Antonius Columna, cui ſumma bellicarum rerum cura ab Cæſare demandata fuerat, ex omni genere hominum validiſsimam veteranorum manum: in his erant Hiſpanorum Tricenariæ cohortes ſex, quibus ante alios Maldonatus & Morellio pręerant, viri ætatis honore & fortibus factis inſignes: Germanorum verò quatuor millia, omnes fermè in Italia militare aſſueti. Ii Georgio Franiſpergio nobili è Vindelicia parebant: prætereà Caſtellalto ac Rodulpho alæ ſtrenuis præfectis, & Marco item Sithio, qui poſtea M. Antonij teſtimonio ſummam inter Germanos virtutis militaris atq; prudentię laudem adeptus eſt. Aderant & quingenti fermè Helvetij, qui militiæ avidi, ſuis domum abeuntibus, Veronę remanſerant, adhortante Arnoldo Vndervaldio eorum duce fortiſsimo, qui apud Sfortiam prætorij præfectus fuerat. Præter verò ſuam cataphractorum alam veteranam, aliquot Italici, Hiſpanici, ac Germanici generis levis armaturæ equitum turmas habebat: quarum inter alios excellenti virtute ductores eminebant. Gurlottus Rhavennas, Valaſtichinus Cantaber, & Succarus Belga. Sed in primis militari gloria florebat egregia Græcorum equitum manus. Ii omnibus Italiæ bellis exercitati, clypeos tanquam inutiles depoſuerãt, quibus antea ipſi inermes oblongis atque inflexis utebantur: & pro his thoraces & galeas ita ferre didicerant, ut congredi cum cataphractis auderent. Erant eorum duces duo Boccali, Conſtantinus, & Emanuel illuſtri veterum Achaiæ principum familia orti: & ſecundum eos Andreas cognomento Bua, corporis atq; animi promptitudine inſignis. His fretus copijs M. Antonius, dum Galli & Veneti, Brixiam oppugnarent, atq; ipſe laborantibus socijs auxilio ſubmittere ulla ratione nequiſſet, Vicentiam nocturna profectione contenderat: expulſoq; præſidio atq; urbe occupata, ingentem prædam omnium rerum, multosq; captivos & aliquot currulia tormenta avexerat. Quodq; magno ei poſtea uſui fuit, frumenta quæ in areis adhuc erant, conquiſitis undiq; plauſtris ac ſarcinarijs iumentis, Veronam aſportaverat. Neq; poſt id factum, ullus hoſtium locus fuit, qui ab Antonianorum iniuria tutus eſſe putaretur: quum circumiecta caſtella aut deſerta eſſent, aut in ſummo metu verſarentur: atque omnes milites qui in præſidijs erant, eius viri vim atq; celeritatem pertimerent: uti ſuperiore etiam hyeme pluribus periculis, & multis acceptis incommodis timere didiciſſent. Veneti aliquot antè diebus, quàm iuſtus Gallorum exercitus appropinquaret, ut qui capiendæ urbis peculiari cura plurimum angebantur, non longè à Verona conſtiterunt, ut hoſtes pabulatione ac frumentatione prohiberent, ac ſimul univerſam regionem, quam ſubitis incurſionibus adverſariorum equitatus infeſtabat, oppoſitis maioribus copijs tuerentur. Itaq; crebrò equeſtria prælia fiebãt, & hinc atq; inde ex occaſione, & per inſidias, ut quiſq; ſuum hoſtem

ſtem opprimeret, virtute ac dolis ſingulari ſtudio certabatur. Per eos dies agricola Veronenſis M. Antonij præmijs & pollicitationibus inductus, magnum facinus: ſed tam ſibi poſtea exitiabile, quàm hoſtibus inexpectatum auſus eſt. Is enim, quũ res venales, & horteſia in primis ſæpius humeris deferret, atq; ob id Venetis in caſtris impunè verſaretur, ſimulatione ſpectandi, ad tormentorum locum, ubi & omnis eorum erat apparatus minimè id curantibus cuſtodibus proceſsit, funiculumq; igne ſuccenſum, ut anteà edoctus fuerat, idonea in parte reliquit. Nec mora, ut primã ſtatim paleę & proxima cadis ſtramẽta flammam corripuere, tantus repentè inceſo pulvere ignis obortus eſt, ut quicquid ſulphurei pulveris ad oppugnandam urbem magna impenſa, & multo labore paratum convectumq; fuerat, id totum uno temporis puncto cõflagrarit: tantaq; flammarum violentia atq; rapiditas fuit, ut omnis concurſantis & reſtinguere conantis exercitus remedia, una mali velocitate prę verteret. Id ſolùm in gravi atq; inſperata iactura ſolatio fuit: incendiarius dum ſe reciperet, in ipſo ſtatim incẽdij ſævientis initio deprehenſus. Qui poſtea ad eruendam veritatem tormentis excruciatus, & vivus eodem igne concrematus, dignas ſcelere atq; audacia pœnas perſolvit. Eo accepto incõmodo, Veneti, quòd omni pulveris copia incendio abſumpta, tormentorum apparatus inutilis evadebat; quodque & tutius, & commodius quæ amiſſa erant, ſi ſe reciperent, reparaturos eſſe iudicabant, reductis caſtris in remotiora ab urbe loca diſceſſerunt: tantamq; paucis diebus diligentiã adhibuerunt, ut cum longè maiorẽ vim pulveris quàm anteà habuiſſent, Patavio atq; Venetijs in caſtra, pluribus omnifariã imperatis vecturis comportarint. Nec multo poſt Gallorum exercitus, qui eius gentis conſuetudine, cùm in aliena cauſa tardè & cunctanter, tum alieno in agro tardiſsimè, ut ſeſe atq; equos largius atq; uberius aleret, iter faciebat, circiter Calendas Sextiles appropinquavit, & Veneti pari conſilio ab ea parte, quę eſt ultra Atheſim, caſtra promovere: ita tamen, ut neuter exercitus intra maioris tormenti iactum tendere vel conſiſtere auderet. Incredibilem enim tormentorum in urbe eſſe multitudinem transfugarum & ſpeculatorũ ſermonibus compertum habebant: ignari tamen, quanta intus hoſtes pulveris penuria premerentur. Itaq; duobus magnis exercitibus circumiectum omnem agrum longè lateq; tenentibus, arctius obſideri cœpta, ea ratione, ut nõ prius ad oppugnandum accederent, quàm incluſos fame ac aliarum rerum inopia debilitatos, ad ſummas defendendę urbis difficultates perduxiſſent. Iam enim cohibitis excurſionibus, & facultate frumentandi ac pabulandi magna ex parte ſublata, tantum cuſtodiarum diligentia, atque itinerum obſervatione ultra citraq; Atheſim effecerant, ut Cæſariani, niſi cum iuſta ac valida peditum & equitum manu, longius frumentari vel excurrere dubitarent. Quod ne ſæpius fieret, multitudo & propinquitas adverſariorum, & præſentis belli ratio, ne extremis propè rebus aliquod detrimentum acciperetur, prohibebant. Interea M. Antonius, qui hoſtes propius acceſſuros, ac mox urbem oppugnaturos eſſe certiore coniectura iudicabat, munitiones, quas anteà inſtituerat, irrequieto civium ac militum labore perficere, ipſe in primis uti erat propter architecturæ diſciplinarumq; notitiam, ſummus horum operum artifex, ut alios doceret, exemploque accenderet, agendo atque inſtrumenta fabrilia contrectando, nullum vel humilis etiam operæ laborem aſpernari, omnibus in locis aggeres ædificare; ſed maximè ad Mantuanam portam, quæ Calcaria dici-

tur, frequens & multus in opere eſſe, ac plurimùm in eius loci munitione verſari. Erat turris mediocri altitudine ipſi portæ impoſita, atque ea foris ita aptè oblongo & quadrangulo cincta propugnaculo, ut peritis etiam per ſe ſatis tuta videretur. Sed vitium Marcus Antonius animadverterat, qui nullam ſibi tuendæ portę facultatem relinqui, ſi propugnaculi murus acri hoſtium oppugnatione ſterneretur, ſolerti iudicio providebat. Quamobrem, tametſi ab omnibus propè militibus irridebatur, quòd munitiſsima in parte tantùm operæ ac laboris impenderet, tamen quin munitionem perficeret non deſtitit, quæ una omnium poſtea & cunctis ſalutem, & ipſi in primis ſingularem laudem peperit. Siquidem portam ante omnia multo aggere replevit, relicta in medio ad ingentis tormenti uſum feneſtella, quæ tenui gleba in ſpeciem ab exteriore parte ſimiliter obſtruebatur. Item ab utroq; latere apud binas munitiones totidem feneſtellas effecit, quibus maiores colubrinæ interius collocatę ex obliquo, ubi incurſus hoſtium flagitaret, occultè emitterentur. Novam quoque & ſubterraneam portam, patefacto ab imis mœnibus ampliore aditu in foſſam perduxit: unde expediti atq; intenti milites adverſus ſubeuntem hoſtium multitudinem ex improviſo proſilirent. Atque hæc ne hoſtibus proderentur, adeo occultè adminiſtrabat, quum nocturno maximè tempore, & familiaribus aut fidiſsimis uteretur, ut milites magna ex parte, ac cives quæ parata eſſent, ignorarent. Multi nanque ex Hiſpanis, nulla verecundia, quòd neque ſine ſtipendijs pro Cæſare militare, neque ultimam inediam, quum iam anguſtior annona videretur, experiri ſe velle dictitarent, ad Venetos ſimulata in agrum excurſione tranſibant. Quanquam plures patrij decoris memores, ne univerſæ genti ea ignominia conflaretur, dolore concepto, factum perditorum hominum improbarent, atque eis quum vindictæ vel iudicio locus foret, extrema ſupplicia comminarentur. In his fuêre Suares Roſcius, Plaſolla, Chriſtophorus Magius, Iamperres, & Ioannes cognomine Latro, & nonnulli alij lenones verius quàm milites quæſtui aſſueti, qui paulo antè ſigniferorum, & centurionum loca, melioribus fato extinctis, audacia potius & commilitonum favore, quàm propria virtute meruerant. Hos & ipſe Maldonatus paulo pòſt, nullo anteactæ militiæ pudore ſubſecutus eſt: vir militari laude dignus, niſi avaritia atque ſuperbia inductus, iam ſenex ante partam longo labore dignitatem, eo ſcelere, & poſtea fœdiſsimo ac horrribili vitę exitu macualaſſet. Per eos etiam dies Bernardinus Caldareus Veronen. equitum præfectus, quum in dividenda præda, ſeditione inter milites ſuborta, eius equites Emanuelem alæ Gręcorum ducem interfeciſſent, & pluribus de cauſis ſuſpectæ fidei à Cęſarianis eſſe diceretur, ad Venetos transfugerat. Nulla interim dies erat, qua non equeſtri prælio ſubiectis in campis certaretur: fuitque aliquando admiratione dignum: quod pauci Græci equites totidem cataphractos Gallos captivos adducerent. Nam ſingulari velocitate gnaviter armatorũ impetum ludificabantur, ac rurſus prætervolantes & ſubiti ex tranſverſo ictus ingeminabant, clavaque prę ſertim ferrea hoſtis caſsidem, & eius equi caput feriebant, tanta arte, ut feſſos atque attonitos facilè poſtea ad deditionem, quæ traditione gladij fiebat, compellerent. Quòd ſi confertis turmis Galli ingruerent, liberiore campi ſpatio fuga ſibi conſulebant: ſi verò Græci in anguſtias vel arctiora loca retrudebantur, ubi ſtataria pugna dimicandum foret, nec ſolitis in fugam gyris eludere congredientem hoſtem facilè poſſent, circumventi atq; oppreſsi, audacię

pœnas

pœnas luebant. Nonnunquam etiam per luſum extra ordinem, interpoſita fide ab binis vel ternis utrinque certabatur, ut tum accidit, quum inducijs, ut tuto omnes ſpectaculo intereſſent, quatuor nobiliſsimi ijdem atque omnium longè fortiſsimi Galli equites, inter quos Ambra peditum pręfectus excellenti virtute iuvenis erat, totidem ex hoſtibus provocarunt. Præferebatur certamini titulus: ſi qui in urbe equeſtri gloria illuſtres eſſent, qui pro adamata muliere decurrere, atque haſtam ferro præpilatam infringere vellent, hos contra in ſtadio parem ad numerum ſtaturos Gallos, & ſuæ atq; alienæ virtutis ſine fraude periculum eſſe facturos. Prodiere Gurlottus Rhavennas, Summontius Neapolitanus, & duo Hiſpani Vaſcus Cunnius atque Guinnea, concurſumque eſt infeſtis haſtis magno ardore, ſummis utrinque viribus, adeò ut pari virtute, parique periculo contendiſſe omnes iudicarent. Summa tamen laus haud obſcurè Cæſarianis ceſsit: nam quũ Summontius, & Vaſcus ſuperiores evaſiſſent, & Guinnea ephippio fuiſſet excuſſus, Gurlottusque & Ambra mutuo ictu penetratis uſque ad interulam tunicam ſolidiſsimis thoracibus, cum vi, tum conſtantia pares extitiſſent, nulli dubium erat, ſi res ad gladios deducta fuiſſet, duobus iam Gallis peſsimè affectis, qui tum afflicti ſuperſtratis & morientibus equis iacebãt, victoriam ad Cæſarianos fuiſſe redituram. Sed ſtatim dirempta eſt pugna, ne tantæ virtutis homines, qui non hoſtili rabie, ſed ingenuo quodam corporis atque animi vigore concurrerant, poſtquam primum & maximum vitæ periculum evitaſſent, non gloriæ, ſed fati caſibus ſe obiectare viderentur. Interea Lotrechius & Theodorus, quum certius cognoviſſent obſeſſos, deſperatis ſemel ſtipendijs; & cibarijs magna ex parte cõſumptis, ob crebra ſuorum transfugia metu conſternatos: cives verò uſque ad miſerandam egeſtatem & rerum tędium, omnibus domi & foris conflictatos incommodis diutius quin ſe dederent, extremas miſerias non eſſe tolleraturos; mœnia aggredi ſtatuerunt: atque ita perductis foſsis, perfectiſque ſolitis munitionibus, ut tutò mœnibus ſuccedi poſſet, prolatoque omni tormentorum apparatu, vrbem ab duobus lateribus oppugnare cœperunt. Gallus eam partem quæ à Mantuana porta perpetuo tractu ad Citadellam patet (ſic enim appellant retractiorem urbis angulum, & vetere munitione firmiſsimum) ſibi oppugnandam accepit. Venetus autem ad Vicentinam, quę Epiſcopalis nuncupatur conſedit. Et quoniam inter bina caſtra pręterfluebat Atheſis, qui eo in loco vado tranſiri non poterat, ut uterque exercitus mutuis auxilijs ſubitò traducendis alteri præſidio foret, amnem latiſsimo ponte iunxerunt, & ad tutelam eius cohortes ſtationarias ad extrema pontis capita cum tormentis impoſuerunt. Itaque urbs diverſis duobus in locis vndecim fermè continuos dies oppugnata, tantaque vi, ac tanta utrinque perſeverantia, ut Veneti eam mœnium partem, quæ ad Vicentinam pertinet, ſupra centum & quinquaginta paſſuum in longitudine patentem, perpetua murorum ſtrage edita, deiecerint. Galli verò per intervalla quinque in locis ingentes quinque aditus pateſecerint, ſuperſtantibus intermedijs totidem intacti muri portionibus in pinnarum ſimilitudinem. Quæ ruinarum & ſtratorum paſsim mœnium vaſtitas paſſuum fermè ducentorum ſpatium amplectabatur. Idque ea ratione fiebat, ut hoſtes, qui interiora cadentium murorum foſſa & perpetuis aggeribus munire cogebantur, multò maxima (ut in extenſo ac longiore opere) continui laboris neceſsitate impoſita conficerentur: ac ſimul ut tormenta quod re-

cta fronte non poterat, ex obliquo per diruti & patentis muri intervallum, in latera hoſtium intus pro ſtatione agentium atque opus molientium non fortuitis, ſed deſtinatis ictibus emitterentur. Erat tanta pilarum vis, ut non ſolum muri, ſed quum ſupra mœnia ferebantur, etiam ædificiorum tecta corruerent: multiq; paſsim in urbe, plures in munitionibus vel incidentibus pilis, vel defractorum lapidum fragmentis eliderentur. Nullæ nanq; gentes, nulli duces memoria noſtra vel maioribus opibus, vel ampliore tormentorum apparatu urbem oppidúmve oppugnarant: nulla ipſi qui oppugnabant Italię in parte, tormentis, aut machinis maiorem murorum vaſtitatem factam fuiſſe meminerant, adeo ut ſupra viginti millia ferrearum pilarum, una ea oppugnatione, & paucis quidem diebus iaculati fuerint. Periére è Cæſarianis tormentorum ictibus diſcerpti, Ioannes Montefeltranus clarioris nominis eques, Pellanda architectus inſignis, & Fontana Inſuber, in conflandis dirigendisq; tormentis peritiſsimus. Sed in tanta periculi aſperitate, ea erat & ducis virtus, & militum diligentia, & civium fides, quum omnes certatim ſingulari ſtudio in opere verſarentur, neque ſibi die noctuque parcerent, ut quantum muri ab acerrimis indefeſsisque hoſtibus ſterneretur, tantum ipſi pari temporis ſpatio adauctis & prolatis aggeribus commodiſsime reſarcirent. Intra enim cadentium mœnium ruinas M. Antonius foſſam perduxerat, atq; interiore labro munitiones erexerat. Vbi verò pomerij depreſſum ſolum foret, nec abraſis ab hoſte mœnibus æquaretur, murices paſsim, & tabulas è quibus frequentes clavorũ cuſpides prominebāt, opportunis in locis occultè poſuerat. Pręterea teſtarum & globorum ingentem paraverat multitudinem, quibus miſsilis & pinguior flamma noto artificio continebatur: tormentaque, quorum magnum habebat numerum, idonea in parte, ubi periculum oſtenderetur, ordine collocarat. Curabant Germani duce Franiſperigo, adiunctis ſibi Helvetijs, ea in parte quæ à Venetis oppugnabatur: atque hæc eadem agendo imitandoque diligentiſsime adminiſtrabant. Porrò Antonius tabernaculo iuxta mœnia in ipſis munitionibus erecto, ubi certamen & plurimum periculi futurum eſſe putabatur, cum reliquis copijs adverſus Gallos conſtiterat. Iam perventum erat ad ſummas rerum difficultates: iam cuncta obſeſſos, pręter unam ſpem, atque unam animi virtutem conſtantiamque defecerant. Frumenti parva, caſei autem, & carnis ſalitæ, vel pecoris nulla copia in urbe reperiebatur: & quod in primis corpora atque animos Germanorum infregerat, tanta vini penuria erat, ut quicquid in ipſa ſpe propinquæ vindemiæ ſupereſſet, id totum ſacrificio atque ægris militibus ſervaretur. Dux ipſe, quum primores exercitus quotidianis cœnis adhiberet, & quadraginta diebus nihil præter aquam bibiſſet, tanta comitate omnes abſtinentiæ & frugilitati inſuefecit, ut facilè atque alacriter cæterarum etiam rerum inopiam tolerarent. Lentem enim & fabam, paniceaque pultaria in quotidiano uſu: equinas verò atque aſellorum carnes magno in honore habebant; & tum pręſertim opiparè apud ducem epulabantur, quũ aliqui Gallorum equi, ut erant præpingues, ac ſuis ſtrigoſioribus & fame propè enectis minimè cōparandi, in excurſionibus occidebātur. Nam conſpectis ſtatim equorũ cadaveribus, portis frequētes evolabāt, conciſosq; in fruſta humeris in urbē cum plauſu referebant. His rerũ anguſtijs quũ premeretur Antonius, neq; plurib. literis ac nuncijs ad Cęſarē tranſmiſsis, quicquā certi de eius auxilijs audiret, atq; indies copias tot affectas incōmodis

magis

magis ac magis deficere, atq; extenuari, nihilq; iam ſemiægris corporibus prę-ter fortem fidelemq; animum ſupereſſe conſpiceret: antequam omnis exercitus deſperatione atque extrema inedia conficeretur, audendum ſibi aliquid de eruptione exiſtimavit. Itaque re ad conſilium delata, docuit quàm luctuoſus atque ignominioſus, ipſique in primis nobiliſsimæ ac fideliſsimæ civitati, miſerabilis rerum exitus futurus eſſet, ſi in ſuprema ingentis belli neceſsitate, Cęſaris auxilia ſibi expectanda iudicarent. Fortibus viris fortia conſilia, quæ neceſsitas omni ratione validior offerre videretur, in tempore eſſe præſumenda, conandumq; ac impigrè agendum, dum vires ad rem benegerendam ſupereſſent. Nec in una laboris atque inediæ patientia, ſed in virtute atque audacia; & ſpem melioris Fortunæ, & ſummam totius belli victoriam poſitam eſſe arbitrarentur. Placere ſibi eruptione facta pontem occupare, atque interſcindere, ac ſimul omnibus copijs Venetos adoriri, quando factu facillimum foret, ut qui nihil minus, quàm eruptionem ab obſeſſo hoſte fieri poſſe putarent, ſubitum atq; improviſum pugnaciſsimi ac toties victoris exercitus impetum minimè ſuſtinerent. Quibus pulſis, Gallos nec conſiſtendi animum, nec ſeſe recipiendi ſine tormentorum iactura ſpatium habituros. Quantum autem ad ſe pertineret, ut maiorem ſpem proſperi eventus conciperent animis, ad exæquandum periculum pedibus in prima fronte pugnaturum: & Dijs bene iuvantibus, ſi forti conſilio ſtrenui milites non deeſſent, finem egregia cum laude ærumnis omnibus impoſiturum. Præfecti, & centuriones qui aderant, nulla interpoſita dubitatione, fermè omnes Antonio aſſenſerunt. Nam tametſi conſilium primo aſpectu periculoſum atque aſperum ducebant, tamen tanta erat omnium virtus, tantaque pugnandi cupiditas, ut quo audacius conſilium erat, eo & certius & ſpecioſius eſſe videretur. Curavêre cuncti corpora, atque arma expedivêre, ut ſequenti die ancipitis conſilij alea iaceretur. Sed quum rebus omnibus ordine conſtitutis inſtructi & parati eſſent ad erumpendum, & iam prima ſigna ad portam ferrentur, repentinus ab Calcearia porta tumultus exortus, interpellantibus Gallis, ab incepto M. Antonium revocavit. Nanque Lotrechius, ſi portæ propugnaculum celeri atque acerrima oppugnatione ſterneretur, prius quàm obijci novæ munitiones poſſent, facilè ſe in urbem pervaſurum ratus, convectis in eum locum omnibus propè maioribus tormentis, propugnaculi muro portam nudaverat: patefactoque aditu Leſcutum fratrem (is tum peditatus curam gerebat) expeditas cohortes adducere, & per ruinas immittere iuſſerat. Subière ad portam impigrè Galli, & frequentes totum propugnaculi ſpatium complevêre, ut inde in urbem tranſgrederentur, quum Antonius, qui priore excuſſus conſilio, celeriter in eam partem decurrerat, locum delectorum militum præſidio firmavit: edixitque, gnarus eorum quæ occultè paraverat, ne iniuſſu ullum in ſubeuntes tormentum emitteretur. Cæterùm alijs atque alijs intrepidè ſubeuntibus, ut confertiſsima hoſtium multitudine interiorem propugnaculi aream plenam eſſe animadvertit, ſubitò tormentorum illud maximum quod ante ibi conditum fuiſſe docuimus, ſua manu collibratum atque inflammatum, in oppoſitos emiſit. Idem fecère magiſtri, qui tormentis in dextram ac lævam collocatis prę-erant: tantaq; hominum ſtrages puncto temporis edita eſt, ut pauci ex ea multitudine, quæ propius acceſſerat evaſerint. Nam non pilis tantum tormenta, quibus conſtipata acies certa ac miſerabili clade lacerabatur, ſed etiam taxillis

ferreis, varijsq; metallorum fruſtulis uſq; ad ſumma ora compleverant, quæ flammarũ & pilæ impetu expulſa, grandinis modo ſic in omnes partes lethali violentia diſpergebantur, ut thoraces earum rerum ictus minimè ſuſtinerent. Incubuère demũ Hiſpani, & cum his Itali cataphracti, qui ea die pedibus rem gerebant, & pavidos, atq; ea procella diſiectos multis illatis vulneribus repulerunt. Deſiderati ſunt paulò minus ducenti milites in partibus Gallorum: vulnerati autem plures, è quibus multi etiam, quòd eius generis vulnera igne ac ſulphure vitiata difficillimè curarentur, poſtea interierunt. Eo die Antonius, tacito ſuorum omnium conſenſu, ſummam prudentiæ opinionẽ adeptus eſt: quam amici pariter atq; æmuli, qui eum ſuperioribus diebus Calceariam, veluti inani quadam haud neceſſarij laboris perſeverantia munientem irriſerant, eius opera atque artificio in repentino maximi diſcriminis caſu, urbem haud dubiè conſervatam eſſe faterentur. Nec multò poſt literæ è Germania allatæ, quibus Cæſar ſignificabat, magna peditum atq; equitum auxilia ſe cum ingente commeatus copia propediem ad ſolvendam obſidionem eſſe miſſurũ. Qui nuncius, ſicuti Galli primam eruptionis occaſionẽ improviſa dimicatione ſuſtulerant, ita in poſterum totum deſtinatæ eius rei conſilium interrupit. Quoniam M. Antonius, quanquam milites oſtendendæ virtutis avidi, id ægerrime ferrent, in tam propinqua ſpe auxiliorum nihil temerè ſibi tentandũ arbitrabatur. Cæterùm Lotrechius, quum eo accepto incommodo, nihil neglectum apud hoſtes, nullamq; mœnium partem quam ipſe tormentis deieciſſet non omni munitionis genere vallatam eſſe conſpiceret, nova ratione ad fallendum hoſtem oppugnare conſtituit. Superſtabat inter binas ſtratorum mœnium ruinas, eiuſdem muri pars ſeptuaginta fermè cubitorum in longitudinem, quę ratione ſuperius memorata ex intervallo relinquebatur. Eam partem ab imo ſubruere, atq; exciſis fundamentis in vrbem una impulſione propellere conabatur, ut quum integra ea moles perpetui muri procidiſſet, priuſquam vllæ ab hoſtibus munitiones ab interiore parte extruerentur, armatorũ acies, patente quàm ampliſsimo aditu, in urbem irrumperẽt. Igitur miſsi complures, qui imas mœnium radices dolabris vectibusq; ſuccinderent. qui quum impunè ſub muro verſarentur, quòd ſumma mœnia defenſoribus nudata erant, brevi opus eò perduxerũt, ut murus ab exteriore parte ſenſim excavatus, appoſitis trabibus, quæ ruinam eius prohiberent, ſuſpenderetur. Ea res ſerò deprehenſa ab hoſtibus, Antonio atque alijs magnam cum timore ſollicitudinem iniecit. Nam in tanta temporis exiguitate, nec foſſam, nec aggerem perficere poterant, nec ſatis quod potiſsimum foret, ſuſpenſis ac timentibus occurrebat: Antonius tamen, quod ſubitarium in eo periculo auxilium eſſe putabatur, convecta è foro in eum multiplici materia, prælongis & validiſsimis tibicinibus nutantem murum contrariò fulcivit. Quorum tignorum tanta vis fuit: quoniam dimenſa ad pinnarum altitudinem, atque ab imo divaricata erant, ac hoſtilium trabium longitudinem ſuperabant, ut in opus molientes, murum, qui iam totus ab imo cæſus pluribus rimis fatiſcebat, in exteriorem partem momento provoluerint. Complures è militibus, qui parati ad irrumpendũ in proxima parte ruinam in diverſum expectabant, omneſq; ad vnum qui ad ſubruenda fundamenta ſucceſſerant, repentino muri caſu oppreſsi, miſerabiliter perierunt. Sed dum Antonius in erigendis tibicinibus ardentius atque incautius in opere verſaretur, maiore ſclopetto ita ictus eſt, ut plumbea

pila

Pila per brachium adacta, corpus etiam ſublato humeri oſſe per alam in tergum, quatuor effectis vulneribus emerſerit. Diſsimulavit in præſens graviſsimi vulneris dolorem, atque periculum vir ante alios fortis, dum murus ille prorueret. Quo demum prolapſo, & tot hoſtibus eius ruina oppreſsis, veluti expiato vulneris dolore, in tabernaculum conceſsit: eaque mox fuit lethalis plagæ acerbitas, ut diu pertinaci febre conflictatus, ſummum vitæ periculum adijſſe crederetur. Lotrechius, tametſi hominem, qui omnibus bellis acerrimus Gallorum hoſtis extitiſſet, publicè oderat, atque, ut erat potiundæ urbis & militaris gloriæ avidus, plurimum adverſarij ducis incommodo lætaretur, tamen quum ſingularis viri caſum magnopere doluiſſet, & medicum obtulit, & quotidie ad eum gratiſsimarũ rerum munera, ſicuti morbus & afflictæ urbis miſeria flagitare videbantur, officioſè humaniſsimeq; tranſmiſit. Erat enim M. Antonius maximarum virtutum gloria, quæ nullis in eo ingentibus vitijs obſcurabatur, etiam apud hoſtes illuſtris. Idque ei præſertim omnium benevolentiam conciliabat, quòd præter proprium animi vigorem, etiam ſtaturæ proceritate, firmitate membrorum, & virili quodam decore vultus, armorumque omnis generis, atque in primis equitandi peritia cæteros eius tempeſtatis duces anteire diceretur. Quin & ipſe paucis antè diebus, quum Leſcutus & Franciſcus Borbonius ſancti Pauli regulus, egregia virtute & ſingulari dignitate florentes, viſendi eius ſtudio adducti, ut porta egredi, & in conſpectum devenire vellet ad iungendas dextras, quod privatæ benevolentiæ teſtimonium foret, obnixè petijſſent, interpoſita ſtatim fide, ad amplexandos publicos hoſtes ſumma ſecuritate comitateque prodierat. At Veneti, tametſi ad Vicentinam portã, non interciſis alterniſq; mœnium ſpatijs oppugnarant, ut Gallos feciſſe docuimus, ſed continenti murorum ſtrage, & perpetuis ruinis nudaverant urbem, tamen neque in duce ea vis animi, neque in exercitu tantum audaciæ fuit, ut mœnibus ſuccedendum, & prælio aliquid ſibi tentandũ per ruinas eſſe iudicarent: mox & operum quæ intus erigebantur magnitudine deterriti; & ſociorum infelici exemplo adducti ad effodiendos cuniculos ſe contulerant. Iamq; ſolidam turrim, quæ ad campum Martium vergit, Ioannis Comenis induſtria (is tum cohortis præfectus erat eius artificij non ignarus) in aliquod ruinæ diſcrimen adduxerãt, quum Cæſarianæ copiæ ſuperatis Alpibus in Pulicellam vallem ſe demiſerunt. Erant ad octo milia hominum cum magna pecoris & caſei copia, multiſque farinæ dolijs, quæ ratibus ſecundo Atheſi devehebantur. Is præerat Guliermus Rochandulphus, qui ſuperiore hyeme Brixiam obſidione liberarat. Eius adventus uno fermè tempore obſidentibus atque obſeſsis nunciatus eſt. Nam quantum iuſtis confectis itineribus procederetur, tantũ ipſi interdiu fumo paſsim per villas facto: noctu verò magnis excitatis ignibus ſignificabant: & ab agreſtibus qui pretio literas deferre conſueverant, Venetorum Gallorumque cuſtodiæ ſæpenumero fallebantur. Placuit utrique duci, & Gritto in primis, poſtquam Germanorum adventu omni ſpe potiundæ urbis manifeſtè deciderant, univerſas vires in una caſtra conferre: ne intercedente amne, ſi cum duplici hoſte ancipiti prælio contendendum foret, aliquod inſigne detrimentum acciperent. Theodorus, quòd novo hoſti propinquior erat, reductis tormentis vaſiſque collectis copias ponte traiecit, & ad Gallorum caſtra ſe contulit. Quòd cum fieri ab Venetis hoſtes è muro conſpicerent, ſubitò tormenta, quæ

in editioribus locis collocata erant, in extremum abeuntium agmen emiſerũt, qua procella aliquot interfecti ſunt, & in his Baſilius Ripa Liviani alumnus, qui ob ſingularem rei bellicæ peritiam, paucis antè diebus alæ equitum præfecturam adeptus fuerat. Erupêre demum ſub ſignis Germanorum cohortes, & non contemnendam vini & commeatus copiam tabernaculaq́; aliquot, & caſtrenſis apparatus inſtrumenta nacti, cuncta in urbem plauſtris convexêre. Ab Antonianis quoque equeſtri eruptione cum noviſsimis Gallorum uno fermè tempore pugnatum eſt: cęſiq́ue aliquot, & plures capti. Sed ea omnium opinio fuit Gallorum copias tormentis ea die propè deleri potuiſſe, dum ſubducto oppugnandi apparatu retrò Mantuana via in tutum ſe reciperent, ſi vel mediocrem ſulphurei pulveris quantitatem, cuius ſumma in urbe penuria erat, habuiſſent. His enim pœna graviſsima erat conſtituta, qui fruſtra, vel iniuſſu ducum paulò maius tormentum emiſiſſent: ut id totum quod ſupererat extremis caſibus ſervaretur. Lotrechius non multò poſt Villafrancam: Theodorus vero inde ad ſecundum miliare Bovilianum caſtra reduxêre, ita tamen ut Galli appetente hyeme univerſi tectum ſubirent: Venetus verò exercitus ſub tentoriis ac pellibus haberetur. Nec multò poſt Rochandulphus vrbem ingreſſus eſt, egitq́ue Veronæ paucos dies, ne, qui adventu ſuo obſidionem ſuſtulerat, introducta auxiliorum multitudine, afflictis diuturna fame Veronenſibus duriorem priore calamitatem importaſſe videretur. Itaque permutatis aliquot cohortibus, ut præſidium laboris viciſsitudine recrearet, in Germaniam diſceſsit. Per eos quoque dies Venetis in caſtris media nocte tumultuatum ſeditione ob ſcortum, ut tum credebatur, inter Italos pedites & perfugas Hiſpanos orta: resque eo ab iurgiis & contumeliis paucorum petulantia proceſsit, ut quum in nocturna trepidatione quiſque ad arma diſcurreret, iuſta propè acie inter ſe conflixerint, admiſſumque ea nocte fœdum ac miſerabile facinus foret, niſi Lotrechius, qui è proximis caſtris ad tumultum adcurrerat, iam ſupra centum interfectis & compluribus vulneratis, exardentem ſeditionem minis atque authoritate compreſsiſſet. Profecto Rochandulpho, tametſi Cæſariani, quòd in præſens in urbe fames eſſe deſierat, gravi obſidione levati, ingruente hyeme nihil ſibi eſſe timendum arbitrarentur, attamen hoſtibus remotiora ac ſuperiora loca tenentibus, ſic omnibus obſidionis malis preſsi atque afflicti ſunt, ut duriorem propè quàm antea annonæ inopiam ſenſerint. Namque Veneti quum abſiſtere incepto turpe ducerent, atque ſi pertinacius obſiderentur hoſtes, eos tantas diuturni belli atque inediæ acerbitates minimè eſſe toleraturos intelligerent, diviſis copiis itinera aditusq́ue omnes, quibus ab Germania inferri commeatus poſſet, occupaverunt. Mercurius cum maiore levis armaturæ equitum parte Summis in campis, qui locus ad alpium radices pertinet, hybernabat: vir vel fato quodam, vel prudẽtia per triginta amplius annos, quibus in Italia militavit, omnibus excurſionibus felix. Federicus autem Gonzaga cognomento Bozolus, cum aliquot cohortibus ſupra Cluſiam conſederat. Sic enim locum appellabant, ubi Atheſis coeuntibus geminis rupibus coarctatus, minimam alvei latitudinem oſtendit. Anguſtiis imminet vetus caſtellum cum turre, quod Germanorum præſidio tenebatur. Intercepêre apud eas fauces, nequicquam locum tuentibus Germanis, Veneti pedites aliquot navigia commeatu onuſta, quæ ſecundo flumine dimittebantur. Reliquæ quoque copiæ certis atque opportunis in locis

ita

ita conſtiterant, vt quum in hyberna deductæ eſſent, nihil quantum cura ac diligentia præſtari poterat, obſidionem intermitterent: ac penè acrius quàm æſtate feciſſent, bellum gerere viderentur. Sed tantis laboribus, ac Veneto tandē bello exoptatum finem impoſuit memorabile fœdus, quod in finibus Lingonum & Sequanorum apud Nouiodunum ictum eſt inter Franciſcum Gallorū regem & Carolum Belgarum principem, quem moriens auus Ferdinandus omnium regnorum hęredem teſtamento reliquerat. Siquidem adoleſcens Hiſpanorum ingenijs & potentiſsimorū regulorum voluntatibus diffiſus, ne abſente ſe, veluti per interregnum, rebellandi occaſio præberetur, omnibus rebus poſtpoſitis in Hiſpaniam ſibi maturandum eſſe iudicarat. Quod neque tutò, neque expeditè fieri poterat, niſi prius cum Franciſco certis legibus amicitia firmaretur. Timebatur nanque rex iuuenis & acer, tantis ſubnixus opibus, qui dudum Heluetijs prælio deuictis, etiam Maximiliani Cæſaris conatus egregie repreſsiſſet: & maximè repetiturū ſe armis Neapolitanū regnum, & Ioannis Nauarrę regis paulò antè in Gallia defuncti filium adoleſcentem in paternum regnum reducturū minaretur. Itaq; conſcriptæ Nouioduni fœderis tabulæ per legatos in has conditiones, vt Carolus regnū Nauarræ Ioannis filio, qui inde expulſus eſſet, reſtitueret: ſi id iudicibus, quos conſtituere ſummę rei arbitros deberēt, ex ęquo & iure videretur. Item centum milia aureorū nummûm, quotannis Gallo pēderet, vt eo tributi nomine aliquod Gallis in Neapolitano regno ius eſſe videretur: amicitiaq; & mutuum fœdus affinitatis vinculo confirmata. Nam Carolum ſibi Franciſcus generum adſciuit, ſic vt ei puella, quæ in cunis adhuc erat deſponderetur. Gallus quoq; ad componendum Italiæ ſtatū, & ad res Mediolanenſis imperij confirmandas, vt Verona Venetijs redderetur, poſtulauit, ea lege, vt à Venetis redemptionis nomine ducenta millia aureorum nummûm, duabus penſionibus Cæſari perſoluerentur. Quibus conditionibus, ſicuti Carolus adeundæ Hiſpaniæ cura anxius, haud cunctanter ſubſcripſerat, ita Cæſar oblata ſibi ingenti pecunię ſumma conditionē minimè detrectauit: vt qui nepotis conſilia, atque ipſam ſpem, ac rationē omnem obtinendi imperij importuna tergiuerſatione corrumpere nolebat, pręſertim quū vrbem, quam niſi graui impenſa, & ſumma cum difficultate tueri retinereque non poterat, magno pretio venditaret. Vt tn̄ ſalua exiſtimatione, quæ haud dubiè tam fœda pactione polluebatur, Italiæ poſſeſsione decedere videretur, non Veneto ſed Caroli legatis vrbem dedidit, qui eam mox Lotrechio, vt conſtitutum fuerat, tradiderunt. Gallus quoq;, triduo poſtquam vrbem ingreſſus eſt, ſicuti Brixiæ ex formula factitatum fuiſſe memorauimus, Gritto eam cum arcibus magna omniū alacritate reſtituit. Is fuit Veneti belli exitus, quo iam octauum annum Italia deflagrabat: illudq; in primis memorabile videtur, quòd Veneti ab initio oppugnati ab cunctis propè Europæ regibus, atque omnib. prę lijs victi, vniuerſo tm̄ bello victores euaſerint. Quo fit, vt eorum reſpublica, quæ vno ciuium conſenſu & priuatis potius quàm publicis opibus ſtetit, fato quodam tot infenſiſsimarū gentium impetum ſuſtinuiſſe videatur: quando, ſi Romanę potentiæ magnitudinem, & clades quas Annibal dirus hoſtis intulerit, cum Venetorum fortuna vera ęſtimatione penſauerimus, funeſtiorem propè eis Abduam fuiſſe, quàm Romanis Cannas: & Trebiæ & Traſimeni infelices pugnas, Brixiana ac Vicentina ſtragibus æquatas eſſe fatendum ſit. Sed ea vel præcipua patrum, ac ipſius fortiſsimi Senatus principis Lauredani

Ingenij factura fidem, tamen illa met ipſis
Hiſtorijs collata tuis (ceu ſydera Soli)
Vaneſcunt, proprias amittunt ſingula vires.
Hic ſiquidem te te maior, teq́ ipſe relinquens
Poſt terga, extremũ properas ſuperare cacumen:
Vel potius ſummo conſiſtens vertice montis
Iamdudum felix operum, lætusq́ laborum,
Deſpectas alios infrà, tutusq́ quieſcis,
Quò nunquam noſtro quiſquam pervenit in ævo,
Forſitan, & nunquam poſthac venientibus annis
Perveniet quiſquam tantæ ad faſtigia laudis.
Quidnam opere in tanto primùm tantiq́ laboris,
Atq́ ævi, multis pleno, magnisq́ periclis,
Mirer ego? ingeniũ ne audax tam multa quòd unũ
Tamq́ loqui diverſa paraverit? an ſeriem, qua
Cuncta ſuis diſpoſta locis miro ordine narras?
An potius clari eloquij numerosq́, ſalesq́
Verborum, & proprias vario diſcrimine vires?
Queis Reges populosq́ omnes, veteriq́, noviq́
Orbis (ubi Ammerice noſtri de nomine civis
Alta iacet) priſca verus novitate recenſes.
An magis ut cauſas omneis, belliq́ gerendi
Conſilia, & rerum rationem reddere pergis?
Vnde hominum mores varios addiſcere, et ampla
Ornamenta queat patriæq́, ſibiq́ parare,
Quicunq́ illa ſemel docto perlegerit ore.
Tu quo caſtra loco metanda, & qualibus armis
Obfirmanda, quibusq́, & qualibus oppugnanda,
Sæpe doces, ſæpe idem urbes defendis, & idem
Expugnas, tu quæ fallacia fœdera, quæ ſint
Fida mones, populumq́ levem, timidumq́ ſenatũ
Arguis, & nulli tutum confidere monſtras.
Quæ ſi noſtrorum Regum imprudentia, & illa,
Illa animis hominum regnandi dira cupido
Scivisſet, nunquam Italiæ (quod caverat olim
Mediceus præſtans animis, & viribus heros)
Externis iterum patuiſſent clauſtra Tyrannis.
Illius ſi conſilium: ſi facta ſecuti
Eſſemus cœlo demiſsi civis ab alto,
Nunq̃ iterũ peregrina manus, nunq̃ advena miles
Quem ſua non virtus, ſed noſtra ignavia, noſtraq́
Inſcitia, & procerum excivit diſcordia demens,
Pœninas fauces, cœlo tractusq́ propinquos,
Molis inacceſsæ ſuperaſſet culmina: nunquam
Impius, & noſtris allectus ruribus hoſtis,
Ah miſeræ, et longum digna, atq́ indigna ferentis
Italiæ, in prædam vertiſſet & oppida, & urbes:
Italiæ fera gens populaſſet littora nunquam?
Italiam nunquam ſtraviſſet barbarus enſis.
Heu quoties poſt interitum, poſt funera magni
Laurentis, Itali noſtro de ſangine vepres
Rorarunt, Italo quoties de ſanguine rivi
Creverunt, quoties Italo maduêre cruore
Æquoraq́, campiq́ omnes, ſylvæq́ lacusq́:
Nã quæ tam longè eſt, tamq́ ardua, et avia rupes?
Quæ tam ſepoſitæ valles? quæ fluminis ora?
Quod mare? qui ſcopulus? quo nõ furor efferus, atq́
Prædandi illorum rabies pervaſerit ultrò?
Teſtes qui noſtris ſpumarunt oſsibus albi:
Sebetus, Lyris, Tarrus, Padus, Abdua, Rhenus.
An non Ethruſcos umbroſa cacumina montes,
Et Florentinos excelſa palatia colles,
Nunc ferro excindi, ſævis nunc ignibus uri
Vidimus, & crebris reſponſantem ictibus ipſi,
Ipſi (inquã) intrepidi reboantẽ audivimus Arnũ?
Quem non Hiſpanis audax Germania caſtris
Duxve Italo Gallus confiſus milite fortis
Terruit, & vires totius pertulit orbis.
Quin etiam Latium, & rerũ pulcherrima Roma,
Roma Deûm auſpicijs fundata, atq́ æmula cœlo.
Concidit iſtorum indignis everſa ruinis.
Sed ſi non aliam venturo numina COSMO
Invenêre viam, liceat periſſe tot urbes,
Totq́; viros ferro mortaleis iſſe ſub umbras
Ante diem: liceat tot amara, atq́ aſpra tuliſſe.
Iam privata placẽt, iam publica damna videntur
Commoda, iam tanti eſt Arniq́ Tybrisq́ ruina.
Concurrant iterum, ſed eodem ſydere, & ijſdem
Auſpicijs, qua ſe Cœlo mons Murlius æquat,
Agmina nec virtute pari, nec viribus æquis,
Et cauſa (ſi Dijs bene creditur) inferiori,
Quo ſua victoria renovetur laurea COSMO,
Et nos ſub tali vivamus principe tuti.
Quandoquidẽ hic viridis primo ſub flore iuventæ,
Maternam referens pietatem animosq́ paternos,
Sublimi accitus regno, claroq́ locatus
In ſolio, Patrum auſpicijs, populiq́ favore,
Porrectas patriæ non detrectavit habenas,
Tempore tam dubio, tali in diſcrimine rerum,
Accipere, & ſemet tantis offerre periclis,
Communi propriam poſtponens ipſe ſalutem,
Publicaq́ anteferens privatis commoda damnis,
Indole: dein quanta referam, quàm pectore forti
Preſſerit, & rerum iuſtas laxarit habenas?

Vtq́ afflicta diu bello, ac civilibus armis
Resq́, virosq́ locosq́ levaverit, ut ſua cuiq́
Forma prior, priſcumq́ decus, nomenq́ rediret?
Sic etiam ingenti pluvia, ventoq́ gravati
Exoritur cùm ſol, tolluntur ad æthera flores,
Et ſeges inclinata, ſolo ſeſe erigit alto.
Hic quoties ſua ſigna, ſuosq́ ad bella tribunos,
Invictas equitum turmas, peditumq́ catervas,
Pro Patriæ rebus, pro relligione Deorum,
Cæſaris aut magnis non parvas viribus addens,
Emiſit, toties victricia rettulit arma,
Et referet poſthac, Iuſtis quia militat æther.
Huic quoq́ nõ tantũ Ethruſcæ, Muſæq́ Latinæ,
Verùm etiam Argolicæ ſeſe debere fatentur:
Quas miſeras, totoq́ expulſasq́ orbe recepit.
Et fovet, amplexus Maiorum exempla ſuorum.
Quin etiam ſi non vates præſagia fallunt,
Ni fruſtrà augurium cœlo demittitur alto:
Divino ſi quid debemus, ut omnia Bembo
Credere debemus, ſi non ſunt omnia falſa,
Tempus erit, cũ Dijs et te bone COSME favẽte,
Diſcuſſis, quæ nunc offuſcant nubila mentes,
Invidiaq́ procul Scythicis algente ſub oris,
Romanus Tuſco faſces ſubmittet Apollo.
Aut certè non maior erit, Tyberisq́ fluenta
Æquabit, ſi non excedet nobilis Arnus.
Hunc ſibi, quem fruſtrà mille optavêre maritum
Inſignes animis, forma & præſtante puellæ,
Magnanimi herois formoſa, & ſancta virago,
Perpetuo caſti coniunxit fœdere lecti,
Innumeros heroas, & innumeras heroinas
Divorum auſpicio paritura, ducemq́ datura
Auſoniæ, & ſacris Romanum qui regat orbem.
Hunc unum Cæſar primis expertus ab annis,
Terrarum dominus Cæſar vindexq́ Deorum,
Ingenium, pueriq́ fidem, curasq́ viriles,
Invictumq́ animi robur miratus, & artes,
Extulit, Imperioq́ bonus præfecit avito,
Vnum hunc excelſas Tybris qui poſſidet arces
Ethruſcus pater, & terras qui numine torquet,
Suſpicit, & miro Iuvenem complexus amore:
Ingentes ob virtutes celebratq́ fovetq́.
Vt dubium nulli iam ſit, quin magna Deorum
Cura ſibi hunc alios inter delegerit omnes,
Qui miſeræ Auſoniæ tandem terraq́ mariq́
Et velit, & poſſit feſſis ſuccurrere rebus,
Ferreaq́ antiquum convertere ſecula in aurum.
Sed quid ego à primo digreſſus carmine, tanquã
Enumerare alto labentia ſydera olympo,
Æquor & anguſta totum concludere in urna,
Sperarim, laudes magni, & præconia COSMI
Deterere imprudens, & candida lumina Solis
Stultior obſcuris velle illuſtrare tenebris,
Occepi? ad te redeo, me me mihi reddo,
(Obſtrepere ut corvus cygno tibi deſinat ater)
Paule Iovi, qui tunc multum, longeq́ profecto
Vidiſti (ut reliquis in rebus) cum tanta,
Tamq́ bona egregiè miſiſti munera, tanto,
Tamq́ bono egregioq́ Duci, quo iuſtius unquam,
Nec vidit quidquam prudentius auricomus Sol.

Errata in Hiſtorijs Iovij primo Tomo.

166. 5. nobis lege vobis.
Ibidem 14 donatus.
208. 2. Forolivium, lege Forum Iulij.
209. 7. putarent, lege putaret.
276. 35. terna, lege terva.
297. 7. mid, lege id.
302. 16. ſucceſsione, lege ſeceſsione.
330. 40. liquantum, lege aliquantum.
331. 2. ſommo, lege ſomno.
339. 4. arridebant, lege irridebant.

IN

PAVLI IOVII HISTORIARVM

TOMVM I. INDEX RERVM ET VERborum Copioſiſsimus.

A

ABduæ fontes 143.9
Abyßini qui appellentur 383.39. Romæ tēplum poßident 384.44.
Abyßinorum regum ſucceßio 385.10. militia 386.30. moneta ib.40.
Abyßinorum regi tributarij reges 386.10.
Abyßinæ linguæ impreßi lib. 384.40.
Acarzes 286.15.
Acclamatio Cæſaris in Caſtris 177.33.
Achaſia urbs 375.6.
Acierum Gallorum diſpoſitio ad Seminariam 85.1.
Acierum in pugna diſpoſitio 199.16.
Achomates Baiazetis filius 247.26. armatus Byzantiū appropinquat 256.16, quibus de cauſis imperiū affectet & ſperet ibid. patri minatur. 257.4. Bythiniam deprædatur 257.26. hoſtis declaratur. 259.10. exercitum conſcribit 257.45.
Aſiam minorem inuadit & regem ſe declarat. 257.47. Mahometem perſequutus capit, conſiliarios obtruncat 258.30. patris legatum iugulat ibid. animos abſe alienat ibid. 40. ſe aduerſum Selymū parat 264.16. in Selymum mouet 266.18. quib. rationibus cum Selymo in pugnam deſcendit 267.20. ceditur 268.15. fugit 16. capitur, ſtrāgulatur ibi.17.
Achomates Cherſeogles imaginem adorat 253.10. quæ officia & beneficia in Chriſtianos contulerit ibid.
Achomatis literæ ad Mahometem nepotem 258.5. caſtra 267.9. fortuna uincitur ab militib. 250.30. fatū 267.27. filij duo 257.30, patris ad eos conſilium ibid.35.
Acinaces magni precij ubi fiant 282.23.
Adamantes & carbunculi unde adferantur 283.1.
Ademum, Ocelis olim 381.10. emporium celebre ib. ab Aegyptijs oppugnatum 381.9.
Aduæ mons, hodie Mongraiū 296.30.
Adurnij 6.44. fratres prudentes 173.30. obſidione liberati 78.20. Maximil. Cæſ. Genuæ recipiunt magnificē. 145.28. cōtra Fragoſios 162.38.
Adurnij & Fliſci fruſtra Fregoſios oppugnant 291.40.
Adurniorum aduerſarij 63.33.
Adulatores apud Selymū plus ualuiſſe quàm Chendemi libertas 270.35.
Aer fumo tormentorum & puluere obſcuratas 373.20.
Aedificia apud Turcas 287.2.
Aegidius Eremita Cardinalis cum in Germaniam miſſus 336.29.
Aegyptij regni mutationes poſt Rom. Imperium 349.37.
Aegyptij ditiores Mamaluchis cur ſaueant 369.38.
Aegyptij duces cur cum Luſitanis confligere nolunt 381.1.
Aethiopiæ deſcriptio 381.40.
Aethiopes qui Selymo parent 280.26.
Aethiopum quot gentes 382.16.
Africæ figura 381.40.
Africæ longitudo 381.40. Latera ibid. 43. latitudo 382.6.
Africani reges 3.10.
Aphricus Liburno aduerſus 146.34.
Agricolæ Veronenſis facinus 397.1. igne quem incenderat crematur 397. ibid.
Aiax Ianizanorum præfectus 252.18.
Adiaris Arduelles 234.32.
Aladulus Hyſmaeli adhæret 272.12. Selymo infeſtus 277.32. Selymū acie inſtructa expectat 345.3. capitur & ad Selymum ducitur atq; interficitur 346.20. caput Venetias mittitur ib.
Aladoli regnum 344.17. filius ad Campſonem confugit 348.23. regnum in prouincias tres redactum 346.25.
Aladuli unde orti 344.25.
Aladulorum regio ubi ſita 271.39.
Aladulitæ cæduntur & fugiunt 345.23.
Aladinus Achomatis filius apud Campſonem quid egerit 348.19.
Alarco Hiſpanus uir falſus 198.34.
Albanus Armenius in pugna cadit 152.25.
Albani ſemichriſtiani 281.44.
Albertus Petra Sedunenſi inimicus. 301.4.
Albertus & Deſpachius cum. x. milib. domum redeunt 302.25.
Albuchomar Aegyptius Tomumbeiū prodit 375.30.
Alegriæ eruptio ex arce Neapolitana 91.37.
Alepus ex ruinis antiquæ Hierapolis ædificata 352.41.
Alepus à Tripoli quantum diſtet 353.3.
Alepi ſitus 353.3.
Alepum Hylaon Tartarus expugnauit 352.46.
Alexandria Turcis deditur 379.25.
Alexander VI. ut pontifex factus 6.18. Columnios & Vrſinos affligit 6.24. Italiam totam conturbat. ibid. pro Aragonijs ſtare cōſtituit 18.44. quibus anguſtijs implicatus 46.4. ad Turcam legationem cur miſerit 43.45. quis legatus ibid. quæ mandata 44.2. ueneno interijt quod alijs parauerat 156.5.
Alexandri VI. ingenium 6.18. cruentum & auarum. 137.44. 138. expeditio in Vrſinos 147.15. oppida ab eo capta. 20. ad reg. Galliæ ſimulata reſponſio 8.8. defectio à Gallo 45.30. à Roma fuga. 57.35. filij 20.27.
Alexander Rex Poloniæ 3.47.
Alexius Beccacutus 69.21.
Alexius Boſigius cadit 169.15.
Albretti Cantabriæ antiqui reges 160.20.
Allobrogum dux 7.15.
Aloyſius Beamontius cadit 170.10.
Aloiſius Geſualdius princeps Andegauenſis factionis 110.36.
Alpes qui dicantur 296.17. faciliores tranſitu 297.46. quas Annibal fregiſſe dicitur 297.15. Iuliæ 296.23. Rhetiæ 296. & eæ binæ 26. Pœninæ 297. ib. Bernardi 297.5. quæ & Graiæ olim 16. Lepōtiæ ad quos pertineant 163.28. 296.39. Cottiæ 297.25. Argentariæ 297.37. Maritimæ 297.41.
Alpium Rheticarum duo tramites 296.38.
Alphonſus I. Aragonius cur in regnum Neapolit. aſcitus hæres 11.6. in regnum adoptatur 15.7. Ioānam reg. in carcerem conijcit 11.12. repudiatur 15.18.
Alphonſus ſecundus rex Neapolit. creatus 20.4. coronatus 20.30. Romani proceres 6.1. Pontifices alere diſcordias Romanorum ſolitos 6.5.
Alphonſus II. Aragonius auxilijs deſtitutus 48.19. regno cedit 49.28. cur regno ſe abdicarit 48.20. Idiciter relictum regnum repetit 119.40.
Alphonſus Friderici regis filius contra fidem datam in Hiſpaniam mittitur 155.30.
Alphonſus Toraldus interfectus 92.6

Alphonſus Piſcarius ut interfectus Neapoli 91.22.
Alfonſi II. regis mors 119.34. nat ira difficilis 48.30. animus in Mediolanenſes.10.30. ius ib. ualida oratio 24.10. à Baiazete poſtulata 20.20. ad Ferdinandum filium de deponendo regno oratio 48.42. lacrimas excitat 49.1.
Alphonſi Dauali ab Neapoli fuga 53.43
Altoxaſſus nobilitate & uirtute illuſtris 163.7.
Aluates Iaccupi filius rex Perſarum 237.32. & regia urbe fugit pugnando interficitur 239.2.
Amaſia urbs in Capadocia 265.4
Americus Sanſeuerinas occiſus 135.5.
Amida hodie Caramida 344.41.
Amyraſſes & Rayſalomon cur diſcordes 376.15. 381.23. Rayſalomon ſubmergitur 381.30.
Amurathes in Cappadociam irrumpit 268.43.
Ancurates & Aladinus Selymi patrui inſidias effugiunt 265.14. 268.20. ad Hyſmaelem Sophũ fugit 268.33.
Anaxum flumen. hodie Piaua 114.6. 299.25.
Annaxum Frentanorum hodie Lancianum 122.34.
Ancyra, hodie Angoris 242.12.
Andegauenſes reguli cum Friderico rege conueniunt 138.34.
Andegauẽſium ius in regnum Neapol. 10.45.
And. Grittus legatus in caſtris. 162.16.
Andreas Lauredanus in pugna nauali cadit 152.25. captus & iugulatus 200.35.
Andreæ Gritti laus ſeruato reip. 406.3.
Anglia unde appellata 130.22. Florentiſs. omnium inſularum 180.30.
Angliæ rex cur in Belgium transfretat 175.4.
Angliam qui Capitanos ſubdiderint & rexerint 181.1.
Anglus natura Gallos odit 175.2. poteſtatẽ pugnãdi bis Gallo facit 176.10.
Angli regis ad ſuos oratio 177.16.
Angli unde primò uenerint 180 22. tempore Iulij Caeſ. quales 180.44. unde politiam didicerint 181.7. poſt Rom. imperium floruerunt 181.10. in Italia militarunt 181.14. Scotos fundunt 181.28.
Anglorum & Scotorum lingua 180.32. conuiuia ib. equi 180.38. mores & religio ibid. arma 180.34. militiæ robur ibid. corpora ibid.
Anguillaria Fidenatum urbs 40.44.
Animanigra Dux 59.18. 60.25.
Annus 1514. quietus à bellis 220.30.
Anna Soleria 93.37.
Annibal Bentiuolus à Ferdinando cur diſcedit 39.15. Venetorum dux ad Piſanos 144.31.
Annibal Pandonius interfectus 135.10.
Annibal Lana Brixianus 324.4. interficitur 327.23.
Anſum oppidum 330.28.
Antiniola capitur 210.20.
Antonius Baſſeius 59.4.
Antonius Foaſeca 45.41. 46.4.
Antonius Vitrius Liguriſtius uenens propinati Baiazeti 363.41.
Antonius Pius ſummerſus 200.29.
Antonius Gamboa Cantaber Iouiani argenti prædator 85.6.
Antonius Grimanus Claſsis Venetæ præfectus 152.22. re male geſta in Cathais cauſam dicit 152.30. in Oſſarum relegatur ibid.
Antoniottus Adurnius Genuæ princeps ſalutatus 163.1.
Antonellus Sabellus 6.3.
Antonellus Salernitanus princeps 22.19
Antonellus Potẽtianus princeps 27.24
Antonellus Picciolus 54.25.
Antracius arcis Piſanæ præfectus quis fuerit 101.36 Florentinis inimicus, Piſanis, cur amicus ibid. amore captus Delantiæ Piſanæ 107.30.
Antracij cum Piſanis contractus de tradenda arce 106.15.
Apuliæ pars Venetæ ditionis facta 123.19.
Aquæ Mammoſæ in Piſano agro 59.4.
Arabes qui dicantur 3.5. eorũ mores ib. errabunda gens 379.40. eorum mores ib. Selymum laceſſunt 363.40.
Arabes à Iulebbore preſſi 362.20. Selymo ſubduntur 379.34. & qui Selymo parere nolunt ibid.
Arabum uxores 380.1. ſuppellex ib. liberalitas ibid. 9. Mappalia cum uxorib. & liberis à Selymo combuſta 363.15. conuiuia 380. munera ibid. 10. arma 362.25. in pugnando importunitas 362.38
Aracoſij 283.47.
Aragonij cur à Gallis timere incipiunt 16.6. à Portu Veneris repulſi 25.44. à Sfortianis fugantur 27.44.
Aragoniorum negligentia in educenda claſſe 120.47. trepidatio 129.30. conſultatio poſt dictam pacẽ 115.4. claſsis 24.33.
Aragonius equitat. armis exutus 54.30
Araldum uiolare nephas 50.16.
Araldos lædere nefas 65.44.
Araxes flu. 271.43. uado ab Selymo tranſmittitur 272.28.
Arcomarianus unde dictus 93.7.
Arcticus polus à Cataio gradib. LXVII. eleuatur 184.31.
Arenæ inter Gazam & Memphim periculoſæ 364.15.
Argentaria uallis 299.1.
Arma Perſica optimæ tẽperaturæ 281.35
Armenia maior ad Sophũ pertinet 282.5
Armeni pedites pugnant 281.42.
Armuzum, ubi ſitum 282. emporium ingens ib. 39.44. quæ mores 283.2.
Armuzenſes aurum ut capiãt in æſtibus 284.41.
Arnoldus Vnderualdius 396.20.
Arriani populi 283.47.
Arſis flu. 296.17.
Arſega quæ & Comana Põtica 269.24
Arx ab Antraccio Piſanis redditur 107.35. ſolo æquata ibid.
Arx pharus Genuæ quib. conditionib. dedita à Gallis 220.11. euertitur à fundamentis ibid. 14.
Arx Liguriæ frenum dicta à Gallis 218.33. eius ſitus ibid. 41.
Arx ab Ouo Neapoli à Gallis oppugnata 54.15.
Arx noua Neapoli oppugnatur 53.2.
Archis phari excidẽdæ difficultas 218.40. eiuſ uſus 219.10. interitus ib. 40.
Arcis Mediol. capiendæ periculũ 319.41. eius oppugnatione quot perierint 330.8.
Arcis Memphiticæ deſcriptio 370.37.
Aſcanius Sfortia Cardinalis 74.4. à Venetis captus, Gallis traditur 114.20.
Aſolum oppidum munitum 336.47. Caeſ. Maximiliano reſiſtit. 337.20.
Aſulani fortiſsimæ Caeſ. oppugnati reſiſtunt 337.22.
Aſparra Gallus capitur 81.2.
Aſambeius Hiſmaelis pater 2.42. eius aduerſa fortuna ibid.
Aſuria Perſarum regio tertia 282.33.
Aſta Colonia 30.36.
Aſturiæ uallis 299.10.
Artoxata hodie Choim 282.10.
Atanadidinghel 385.5.
Atella ubi poſita 132.15.
Athilæ Hunnorũ Imp. facinora 1.34.
Atlans mons, hodie mons clarus 382.36. ubi ſita ibid.
Auezinus Caſsiana 27.25.
Auaritia Quæſtoris & cõfeſſoris quò regem impulerit 16.42.
Aurantius princeps 21.1.
Auxilia Gallorum ad Venetos 325.2.
Auxeris olim 59.2.

B

Bachilio amnis 200.29.
Bactra urbs, hodie Ephra 284.7.
Bactriani 283.47.
Bacucus portus 276.35.
Bagadad. olim Babylon fuit 238.16. 182.33. Aſſyriæ regia ibid.

Baiardum

Baiardum cur Franciſcus rex uoluerit ſuæ equeſtris dignitatis promotorem 317.6.

Baiazetes Venetis aduerſus Gallos auxilia offert 57.1. Selymum filium iratus 151.10. obiurgati filium ibid. urbem & aulam reſtaurat 256.10. ſucceſſorem ſibi deligere cupit. 247.10. dicere uult, Baßis priuatis de cauſis obſtantibus 249.30. Achomatem ſibi ſucceſſurum deſtinat 250.3. Achomatem diſcedere à Chalcedone iubet. 257.1. Achomati reſpondet ibid. 12. ſenex à Selymo perturbatus 251.34. ad Selymum filium 262.27. quæ dona filio Selymo miſerit. 249.16. proditionem cognoſcit 263.13. peſtem fugit 247.25. ſibi à Selymo timet 251.23. priuatus cum Gaza diſcedit 263.33. iuſſu Selymi à Iudeo medico ueneno necatur ætatis anno 263.38.70.

Baiazetis opes 2.16. eius ingenium ibid. tres filij ſuperſtites 247.23. exercitus ad Methonem 154.27. ut Methonem cepit ibid. ſtrages ibid. ad legatum reſponſio 44.20. Chorchutum filium reſponſio 261.40. iudicium de Selymo filio 248.33. literæ ad Selymum ut Bizantium ueniat 260.32. acies aduerſus Selymum filium 254.25.

Baiazetis ad prætorianos uerba 253.28. fortitudo animi ibid.

Baiazeti milites aduerſantur 250.23. accerſiti Achomatem milites reſiſtunt iterum 256.34.

Baldi prudens reſponſum 25.14.

Balduinus Edeſſam tenuit 344.40.

Baleonij Peruſiæ domini 5.40.

Balſamus ubi & quomodo proueniat 364.34.

Balzera emporium Terodonis Inſulæ 282.37.

Baneerum domus Romæ cur expugnata 42.30.

Baptiſmum Septimij filij Liuiani 215.31.

Barigus Barga 58.43.60.25.

Barra Patriarchæ Abyßinorum urbs ubi ſita 387.2.

Baſſe uiſir & eius munus 288.21.

Baſſe 4. numero 288. eorum officia 15. quem locū obtineant apud Turcam 249.30. cur aduerſus Achomatem imperium detrectent 259.14. Baiazeti perfidi 260.31. uoluntati Baiazeti obſtant 249.31. 250.6. proditores referunt Baiazetē Selymo cedere imperium 263.20.

Baſſarū Selymo ſuaueditū artes 259.6.

Baſtardus Sabaudius in Venetorum ſubſidium miſſus 324.46.

Baracchus Smirnæus prædo 152.27.

Bartholomæus Notarus ſupplicio affectus 38.37.

Bartholomæus Villa clara 215.7.

Bartholomea Vrſina Virginij ſoror 147.25.

Barmorea ſylua 183.4.

Baſilius Ripa interfectus 404.2.

Baſilius Moſchorum rex 4.6. ad ſuos milites oratio 232.8.

Baſilij Moſcouitarum principis fuga 233.33.

Beatrix Ludouici Sfortiæ uxor & eius ingenium 8.35.

Belulgian 385.2.

Bellum in tota Europa 1.16.

Bellum atrox in Italia 1.12. Gallicum crudele 31.26. Neapolitanum regi quæ cauſæ ſuaſerint 12.2. & deinceps nouum in Liguria 76.36. inter Auſtriacos & Rhetos 153.2. inter Venetos & Maximil. Cæſ. 156.47. inter Anglos & Gallos oritur 174.44. Moſcouiticum cum Polonis 227.26. in Pannonia 220.44. inter Andegauen & Arag. 15.20.

Belli cauſa inter Hiſpanos & Gallos 16.20. ſublata à Carolo VIII. ibid.

Belli gerendi in Turcas occaſio neglecta 329.15.

Bella Italica Gallis infauſta 21.24.

Bella Turcica & Perſica Iouius narret 234.12.

Bellerbechus à Techelle captus 243.44

Bellerbechi duo, id eſt, magiſtri equitum 286.4.

Bendocader Aegypti Sultbanus 350.31. Chriſtianorum ex Syria depulit ibid.

Bentiuoli à Bononia ab Iulio pelluntur 156.24.

Bentiuolorū domus Bononiæ 156.29.

Bernardus Cotarenus Epirotarum equitum dux 63.19.

Bernardi Oricellarij hiſtoria 22.10.

Bernardinus Adurnus bellator inſignis 76.43.

Bernardinus Curtius Sfortiæ infidus 153.46.

Bernardinus Cloſtra 59.18.

Bernardinus Lunatus Cardinalis 150. ex timore & fuga moritur 150.9.

Bernardinus Antiniola 208.43.

Bergomum Hiſpan. præſidio tenetur 203.42.

Bergomates ad Venetos deficiunt 204.10. ab Hiſpanis multati pecunia 216.45. ad Hiſpanos deficiunt 205.36.

Beth abyßinæ lingua 388.3.

Bettinus Ricaſolus uir fortis 145.40. Liburnum defendit ibid.

Beualacqua inſuper. 27.24.

Blanca Sfortia Maximiliani Cæſ. uxor 15.35.

Bohemi in Vngaria illam pacatam reddunt 227.5.

Bona Sfortia Polono tradita 319.30.

Bonæ ſpei promontorium 381.45. deſcriptum 382.1.

Bonifaciū VIII. Rom. interfecēre 6.14.

Borbonius in Galliam ad regem proficiſcitur 342.27. equitum magiſter declaratur 342.34.

Boriſthenes 230.8.

Boriſthenis fontes 4.4. uada. 231.12.

Bonemiſſæ uictoria contra Lucatium 224.1.

Boſtanges Selymi gener 266.3. Ducaginoglis cognomine 252.13. Selymi gener ex proditione ibid.

Boualenta oppidū direptum ab Hiſpanis 194.38.

Boyßiuus regis nutritius 326.20.

Braccianum ubi ſitum 40.42. à Liuiano munitum 147.28. defenditur ab eodem 148. oppugnatur 148.15. defenditur ibid.

Bracellonis uallis 298.44.

Bræſtius portus 174.18.

Bennio amnis in lacum abit & rurſus in flumen 45.202. 320.32.

Briſſonetus Cardinalis creatus 43.15.

Britannia ut regno Galliæ acceſſerit 15.30.

Britonorium 38.44.

Brixia obſeſſa 394.15. oppugnata 332.40. 34. defenſa 395.1. 28. dies tormentis petita 327.21.

Brixia oppugnatis in clades 324.10. 330.1.

Brixiani præſidij diligentia 328.1.

Brixianæ deditionis conditiones 330.1. & 395.34.

Brixiani legati deditione ad Triultium 329.44.

Brixianorum ſententia de inuadendis hoſtibus 339.3. corrupta ibid.

Brixianis auxilia à Cæſ. in tempore uenerunt 330.45.

Bronſuicenſis regulus in Italiā militat 95.35.

Brumales dies ubi trium horarum lucis 228.25.

Bubalus Piſanus 60.27.

Bucentoria nauis Venetijs 99.41.

Buggianum oppidum captum, concrematur 143.27.

Bulachum oppidum in Cayro 371.26.
Burgundia quæ ad Gallos ſpectat 175.30.
Burlas equitum præfectus 61.31.
Burmium Italiæ extremum oppidum 143.8.
Buſſonius Rhodiorum magiſter. 43.37. inhumanus ibid. Cardinalis cur effectus 43.42.
Byrta ubi ſita 283.6.

C

CAccbas. 284.3.
Caduceator qui & Araldus hodie 338.10. cur in urbe non admiſſus ib.
Cadi legiſperiti 286.43.
Cadileſcher 288.25. commentaria belli Campſonis & Selymi ſcripſit 347.37.
Cæſar Max. I. cum rege Angliæ ſe coniungit 176.28. pecuniæ inops 288.44.
Cæſar & Heluetij ſe aduerſus Gallos parat 334.33. pecuniarum maxime inops. 143.3. quæ eius ſpes de adeunda Italia ib. inconſulte liberalis, alienæ pecuniæ auidus 146.19. Veronã uenit 336.35. Auguſtus ſalutatur 16. 40. eius de bello conſilium ibid. Abduam traijcit ponte 337.40. cur nullum ius in Medilanenſes habeat 338. 20. quibus de cauſis à Mediol. oppugnatione diſcedat. 341.40. pudore confuſus 337.30. reb infectis in Germaniam redit 342.20. inglorius in Germaniam reuertitur 146.44. militem occidit propria manu 337.34.
Cæſ. Maximiliani ſomnium 342.2. exercitus in Italiam ducit 336.14. aſtutia apud Mediolanum 339. 10. & 20. minæ. 146.45. petitio per caduceatorem 338.12.
Cæſaris Vngari & Poloni reges congreſſus Viennæ 329.10.
Cæſar Borgia Catharinam Sfortiam capit & Romam ducit 154.2. fratrem occidit, purpuram abdicat, magnũ imperium affectat 152.5. Camertes regulos necat 55.40. urbinatẽ fugat Malateſtam Arimuno depulit. 115. 40. Manfredũ ſtrangulat ib. Vitellios & Vrſinos ſupplicio afficit ib.
Cæſar Peramuſca proditus capitur 206.20.
Cæſenæ tumultus 38.12. pugnatur ib. 20
Cagnolus Bergomas. 204.1.
Caieta obſidetur terra mariq; 137.45.
Caietani à Gallis deficiũt 81.14. à Gallis mulctati 34.81. 20. & deinceps, occiſi 82.47.
Caietani Gallos in templo interficiunt 87.32.
Caithbeius Sulthanus clariſſ. 350.40. bello ſemper uictor 283.10.
Caitbeij natio. 2.26. eius facinora ibid.
Calatiæ Comes Sfortianis copijs præfectus 28.40.
Calciũ capiunt deditiõe Flrẽtini 109.30
Caledoniã ſilua 180.27.
Caleſia, olim portus Icius 175.1. ab Anglis Gallis ablata 181.21. ubi ſita ib.
Caloiannes in carcere necatus 235.13. Chriſtianus, filiam cur Mahometano dederit 235.5.
Calyphi ſacra tantum adminiſtrabant 350.5. Aegypti reges Caliphi dicti unde 349.43.
Cameronis inſula 381.20.
Camillus Pandonius interficitur 81.1. uir excellens 18.26. Legatus ad Baiazetem 10.10.
Camillus Montanus interficitur 292.6.
Camillus Vitellius ad Circellum occiſus 128.30. eius laus ibid.
Camilli Vitellij facinus egregium 126.12.
Campanæ Bergomi in Colubrinas fuſæ 215.34.
Campanorum ad Gallos defectio 52.1.
Campſo Gaurus uir fortis Sulthanus creatur 351.27. inuitus ſuſcipit ib. proceres ei iurant ib. 41. rex ſalutus ibid. felix ſi ab armis abſtinuiſſet ibid. ubi claſſem ædificauit contra Luſitanos 380. 32. cur amicitiã & fœdus cum Perſa fecerit 348.16. cur Selymum odio proſequeretur 348.1. tardius de Selymi aduentu cognoſcit 354.22. cur Gazellus conſilio nõ fuerit adſenſus 355.14. 356.22. cum Selymo congredi conſtituit 356.24. ſana conſilia reſpuit, ſpecioſa amplectitur 354.36. ad Alepum cum exercitu conſedit 352.40. animo deſpondet 358. & in puluere à ſuis proteritur fugientib. 358.9. proditur à Cayerbeio 356.18. cadauer ſine uulnere inuentum 358.37. tumulatum ibid.
Campſonis reſponſum ad Legationem Selymi 252.12. pugnaturi caſtra & copiæ 356.25. acies 357.1.
Campſoniana turris 371.42.
Canes, Tartarorum imperatores 284.20.
Canes Gallorum è caſtris fugiunt 158.8.
Canariæ Inſulæ olim Fortunatæ 381.45.
Canoglus uxoris Selymi frater 267.33.
Cana urbs maxima totius orbis 284.24.
Cantelmus Populi comes Aquila cum præſidio excedit. 122.30.
Capella arx Bergomi 206.2.
Capitanei occiſi in prælio ad Vicẽtiam 200.19. & 41.
Caprona rupes 107.16.
Capti à Selymo in pugna 368.7.
Caput aggeris uicus 217.15.
Capuæ à Gallis capta 155.18.
Carauana 382.23.
Caramita quæ & Amida 283.15.
Carauella nauigij genus 81.43.
Cardillus equitum præfectus interficitur 214.38.
Cardinalis Sedunenſis factioſus 334. 35. ad Heluetios concio 302.30. ſtultæ adhortationes ad Heluetios pugnaturos. 308.23. ad Maximil. Cæſ. in Germaniã tendit 316.25.
Cardinales Alexandri Pontificis inimici 40.8.
Cardinales Genuenſes exules apud Carolum regem 63.31.
Cardinales duo dignitati reſtituti 192. 16. & 37.
Cardinales regis ingredientis urbem comites 41.42. 226.2. regem Galliæ ad pontificem deducunt 226.1.
Cardinalium ingenia & factiones 40.12.
Cardonius cautus ſed non pugnax imperator 198.36. ad Semenariam prælio Gallos uincit 155.37. iterum inuito hoſte Maduccum tranſit 196.30.
Cardonij ad milites oratio 293.10.
Caripigi 287.17.
Carmania hodie Narſenga 282.26.
Carmina in Selymũ ſcribit Chorcutes ibid. 12.
Carmaniæ regio 282.30.
Caruaial captus 192.21.
Caruaialis mors 201.37.
Carolus magnus per quas alpes in Italiam tranſierit 297.24.
Carolus octauus rex Galliæ 3.26. letitia affectus 62.9. bellum Neapolitanum proceribus ut ſuadet 14. 32. in Italiam tranſit 30.32. qua uia deſcenderit in Italiam 297.32. in fœdus coniurat 36.28. profitetur ſe ueniſſe liberatum ſeruitute populos 36.30. in Etruriam tranſit 31.9. Lucam tendit 63.26. Lucæ liberaliter exceptus 34.3. à Luca Piſas contẽdit 34.4. à Piſanis ſuſcipitur 61.47. Piſanis libertate reſtituit 35.4. arces Florentinorum redditas præſidijs munit 35.36. Florentiam tendit ibid. Florentiam armatus ingreditur 36. 16. ut ibi exceptus ibid. à Senenſibus receptus 39.24. pontificem adorat 43.19.

Pon

ad Pontificem reſponſum 39 41. ut regnum Neapol. aggreditur 45.5. Campaniam capit 52.25. Neapoli recipitur 52.44. bellũ renouat. 140. 7. Hiſpaniam ingreditur 140. ib. 6.
Carolus ſecundò Romam ingreditur 57.44. bellum Neap. renouat. 120. 20. apolexia moritur 152.30.
Carolus Auſtrius hæres Ferdinandi aui relictus 337.5.
Carolus Vrſinus in Galliam obſes miſſus 122.28. capitur 151.27.
Carolus Argentonus 75.8.
Carolus Borbonius magiſter equitum creatus 294.34.
Carolus Geldrius 294.43. cum Gallis cur militat 294.47.
Carolus Somerſetus 176.20.
Carolus Balbianus Sforciæ legatus in Gallia 12.24. eius oratio ibid. 30. & deinceps
Carolus Mortonius 200.41.
Caroli VIII. Statura & delineatio. 68. 36. reſponſio ad litteras Ludouici Aureliani obſeßi 94.12. conſilium aduerſus conſpirantem Italiam 56.5. expeditio in regnum Neapol. 23.2. & pontificis colloquia 43.20. iudicium Sutrij memorabile 40.40. ingreſſus regnum Neapol. 45.18. uictoria 55.18. ſegnities 93.35. ut imperium deſtinaretur. 15.44.
Carolo Regi à militibus maledicitur 135.35.
Caſalis arbor oppidum in Hirpinis 225.10.
Caſantes Trogladitarum rex, occiſus 285.45.
Caſcina 59.35.
Caſpium mare 283.13. duo portus 16. 21. cur nulla claßis nauiget 28 335
Caßinates fauces 347.29
Caſus enormis & portentoſus 53.15
Caſtellum nouum à Gallis expugnatum 31.22.
Caſtrorum Selymi diſciplina 359.10.
Caſtra ad Veronam poſita 397.26.
Caſtrocarium, olim Salſubium 37.36.
Cataium regio 284.24.
Cataiorum res 284.42. politia & literæ 284.28.
Catadipæ, hodie cataractæ Nili 388.16
Cataphractus Gallus 41.30. Leuis eques ibid.
Cataphracti ab leuis armaturæ equitib. Græcis circumuenti 132.40.
Catherina Sfortia Foro Cornelij Domina 5.38.37.13.
Cayrum nouum 371.18.
Cayrum uetus 371.33.
Cayerbeius Alepi & Comagenæ præfectus proditor 356.24.
Cayerbeius Campſoni cur infenſus 355.28, & cur prodat 356.12. Aegypto toti præficitur à Selymo 390.8.
Cayerbeij potentia 356.4. proditio 357.13.
Cebellinæ pelles 227.30.
Centrones Galli 297.9.
Cephalenia à Venetis expugnata 155.4.
Cepinus Pitiliani filius interficitur ab Heluetijs 315.15.
Cere Vetus. Vrſinorum ſepulchra. 150.40.
Certamen ſingulia trium Hiſp. & totidem Italorum 192.45. pro gloria 193. prouocatorium & quæ eius uictores 399.10.
Certaminis ſingul. uictoria 193.5.
Certamina plura in urbe Memphi 373.15.
Cetinna flu. 222.25.
Chendemus Baſſa Amurathi obuiam fit. 269.9.
Chendemi de adeundo Armenia ſententia 270.1. uera apparuit 272.18.
cherſeogles cur ad Turcas transfugerit & Baiazetis gener ſit factus 252.33. ſolus fidus Baiazeti 260.32.
Cherſeogles Baſſa uir probus 252.22.
Chezzius Amman 313.39. pugnam diſſuadet ibid.
Cheſium amnis 337.2.
Chinea hodie Culmea antiqua ſpecula 332.29.
Chiurlus uicus 251.30. & 255.29.
Choim oppidum amœnißimum 272.30
Chordigera nauis 174.30.
Chriſti tunica inconſutilis ut ad Chriſtianos peruenerit 44.30.
Chriſtiani more græco 285.25.
Chriſtiani perditæ uitæ Mamaluchi aut Iannizari fiunt 349.15.
Chriſtianorum regum conuentus quid agant 347.4. templum nouo Cayro 371.22. dedecus & contumelia 393.23.
Chriſtophorus Francapanes 202.31.
Ciariadum urbem comburere parant Cruce ſignati 223.17. & comburunt cum habitatorib. ibid. & Epiſcopum palo infigunt. ibid.
Ciammaſſum oppidũ Perſarũ 343.30
Ciammaßini omnes ad unum acciduntur 344.2.
Ciccbus Simoneta capite cur truncatus 7.25.
Cilices hodie Caramanni 354.14.
Cimbrica, hodie Dalia 228.45.
Circaßia regio 348.40.
Circaßij ubi habitent 285.31. ex his Mamaluchi orti ib.35.
Circellus cur improſperè tentatus 128.42.
Cittadella capta à Piſcario 240.35.
Clades Rauenæ 159.20.
Claßis Gallica aduerſus Aragonium 25.30.
Claßis noua Gallorum 120.30. porto Neapolitano eiecta 89.5. naufragiũ facit 190.16. numeroſa ſed ua cur claßi Aragonica deterretur. 86.17.
Claßis anglica in mari Armorico 174. 10. Aegyptiaca contra Luſitanos 376.10. cur ædificata & quantis impenſis 380.34. Hiſpanica in Siciliam 56.34.
Claudius Abyßinorum rex 389.25.
Claudius Guiſius inter mortuos uiuus repertus 319.43.
Cliuaſium ab Heluetijs direptũ 302.3.
Cluſia Veronenſis 404.42.
Cobena regia Daliæ 228.30.
Cobena à Noruegia quantum diſtet 228.32.
Cottiæ Alpes. 30.33.
Cohors Heluetica ut aquis perierit 320.40.
Choim antiquitus Artaxata 272.38. à Domitio Corbulone deleta 272 38.
Columbina tormentum 106. 20. Piſanum
Colubrina ingens Piſana 100.45.
Colũna Iulij Cæſaris in Spluga 296.39
Columnij 5.44.
Columniorum principes 6.3.
Cometes luridus 156.38.
Comeſtabilis equitum magiſter dicitur 342.34. primus à rege honor. 342.35.
Concordia inter Gallum & Cæſ. cur facta 16.4.
Confœderatorũ exercitus diſcors. 305. 45. 306.20.
Conſilium Piſis exactum, Mediolanum ſe confert 158.33.
Conſilij nomen pontificibus infeſtum. 40.20.
Conflictus inter Scotos & Anglos 185.24.
Coniuratio principũ in Venetos 157.8.
Coniurationis cauſa in Venetos 157.13
Conradi Vrſini expeditum ex caſu conſilium 332.10.
Conſaluus Ferdinandus 56.37. in Caſtra Aragoniorũ peruenit 132.45. & quibus cum copijs ibid. Brutijs tecto conſilio imminet 155.15. Brutios & Apulos pro Hiſpano capit ſine uulnere 155.27. à Gallis obſeſſus ad Barolum 155.33. Gallos repulit. 156.15. cum Venetis Cephaleniam expugnat 155.4.

Conſalui ad regem Ferdinandum admonitio 84.10. prudentia cognoſcitur 85.32. facinus egregium 133.10.
Conſilium in caſtris Italorum poſt pugnam tarrẽſem 74.20. de ineunda pugna Mediolani 307.30.
Conſtantinus Pius 200.42.
Cõſtãtinus Rutenus uir bellator 230.34
Conſtantini Ruteni ad Polonos oratio 232.25.
Contentio de ordine acierum digna ſcitu 198.22. de obtinendo Liburno inter Venetos & Sfortianos 146.6.
Copiæ ingentes in Italia aduerſus Gallos. 96.2. Venetarum ad Aragonios 133.21. Piſas defendendas 144.30.
Copiæ pontificis ad Aragonios 133.20. Veronæ obeſſæ 396 10. auxiliares Piſanis miſſæ 108.27. Galliæ per nouum iter traducuntur 298.38.
Copiæ in Nouaria obſeſſæ. 93.31. quæ cum Carolo rege VIII. in Gallia redeunt 56.15. aduerſus Carolum VIII. 24 27.
Copiarũ Italicarum diſpoſitio ad Tarũ 69.16. & deinceps. Aragoniarum fuga. 51.44.
Copiarum imperator pugnãdi copiam à legatis petit 70.30.
Coppa emporium 248.20.
Coraxana regio 283.46.
Cora amnis 348.39.
Corchutus miti ingenio 247.29. ad Imperium euectus, redeunti patri illud detulit 247.30. nihil per largitionem aut preces ambiuit 262.5. Byzantium uenit repetitum à patre Imperium 260.40. eius ad patrem oratio ibid. Innocentiam ſuam oſtendit ibid. obuiam Selymo iuit 262.17. Phocæam rediję. 263.29. monitus ſibi fuga conſulit à fratre. 265.40. Sed fugere non potuit & cur 266.3. in ſpelunca abſconſus 266.5. capitur ib. 9. Pruſiæ à fratre necatur ib. 10.
Coriolanus Triuultius in prælio cadit 170.28.
Cornu Monocerotis qui habuerint 387.40.
Cotbos Sultanus Aegypti 350.30. occiditur ibid.
Cothachis urbs ubi ſita 285.23.
Cracouia Sarmatarum regia 229.15.
Craſſus Tigurinus ad Duces 167.27.
Craſſij Tigurini ſententia de ineunda pugna ad Nouariam 167.27.
Crema cur negligenter obſeſſa 212.24. arctius obſeſſa 207.16. Venetorum armis defenſa 203.38.
Cremæ prælia inter Venetos & Sfortianos atque ſtratagemata 206. per totum.
Cremona ex fœdere Veneto cedit 52. 84. 153.45.
Cremonẽſis arx à Gallis deditur 202.19
Cremonenſes in fide manent 172.30.
Croatiæ deſcriptio 222.12.
Cruce ſignati excõmunicantur 222.40
Cruce ſignatorum immanitas 223.8.
Cruciata ut uocant à Pontifice proclamata 222.16.
Cruciferi milites 222.22.
Cruciferorum cœnobium Venetijs cõflagrat 293.30.
Cucullati Galli auaritia inſignis 16.42
Cuniculorum natura 321.15.
Cuſeibas 284.3.
Cutbeia in Aſia Bellerbechi ſedes 143.14.
Cutbeiæ difficilis oppugnatio 243 30.
Cytraca emporium ubi ſita 285.4.
Cryptæ uia 126.45.

D

Damaſci præfecti egregia impreſſio 357.20. uictor 16.25. in pugna cadit 358.10. Errera Cordubenſis hiſtoriarum Iouij prædator 152.3
Damiata olim Peluſium 379.30. quæ & Aeliopolis 379.31. Turcis data 379 30.
Dauidis Abyß. regis mors & elogium 389.13.
Dauthes claßis Turcicæ præfectus Naupactum capit 152.32.
Delphini Portus 26.6.
Demetrius Byzãtius Megadux 143.18.
Dephterder 288.26.
Derbenthum urbs 283.23.
Deſpina Chriſtiana 234.45.
Deſperata tormentum Piſanum 106.21.
Diadarius magiſtratus poſt regem primus 359.33. uir ſtrenuus ibid.
Diarbecca regio 344.42.
Dimotheca urbs Thraciæ amœniſſima 263.34.
Diſcordia inter Heluetios 188.30.
Diſcordiæ origo inter Venetos & Sfortiam 144.41.
Dod.is cur exauthoratus à Veneto ſenatu 95.10.
Domoſſula oppidum 297.1.
Domus S. Marci Romæ à quo ædificata 41.44.
Donatiuum poſt pugnam à rege datum Heluetijs 74.6.
Dracones alati 387.26.
Dromon Achillis 228.13.
Druentia fluu. 298.40.
Duces confœderatorum qui 305.22.
Duces tres egregij ſibi ſuccedentes 207.14. qui uirginio Vrſino militabant 12.36. Veronæ ſub M. Ant. Columna obſeßi 396.15.
Ducum morbus peculiaris 20.45. quorum uirtus enituit 334.22. bonum conſilium à Cæſ. nõ probatũ 337.5.
Duria flu. 207.26.

E

Eberardus Obignius legatus ad Pōtif. 17.12.
Ebrardus Cornens cum filio cadit 199.39.
Eccis locus 216.38.
Elata flu. 267.18.
Elephas Romæ quando uiſus 207.18.
Elephantorum greges 387.25.
Emanuelis Luſitaniæ regis dona Pontifici miſſa. 207.26.
Emanuelis Caballi facinus nauale 217.40. premium facinoris accepit 218.18.
Emiſſarium à Serchio Piſas uſque quis condidit 59.9.
Entella olim 28.10.
Epirotæ ab Heluetijs profligati 169.15.
Epirotæ quatuor Tomumbeij proditores 365.5. transfugæ ibid.
Equus Ferdinando regi ſub quo ad ſemenariam cecidit, redditus 137.10.
Eques cur & ut fiat 73.40.
Equites Perſæ 393.8.
Equites Galli fugiunt 170.20.
Equites nobiles à Gallis capti 300.22.
Equitum græcorum militaris peritia 398.41.
Equitum Venetorum præfecti 143.17.
Equitatus leuis, gloria 134.18.
Equitatus Turcicus cũ Perſico non conferendus 280.39. ornatiſſimus apud Turcas 287.10.
Eri urbs cyani lapilli celebris 284.8.
Eruptio Piſanorum illuſtris 106.30.
Erycis uicus unde dictus 25.5.
Eugenius ab urbe expulſus 6.16.
Euphrates ab Antitauro decurrit 271.34.
Euphrates & Tygris ubi exonerent 281.35.
Europæi equites à Perſis delentur 275.26.
Exarcola Iannizarorum 288.2.
Exercitus Hiſpanici ſumma in Venetia 194.25.
Exercitus duorum contrariorum idem ſtudium 124.35.
Expeditio in Adurnios fruſtranea 64.3
Exules Itali in aula Gallica regem ad bellum impellunt 141.40.

F

Fabritius Columna magiſter equitum dictus 122.7. Gallorum dux 50.38. captus 255.20.
Fabritij Columnæ fides erga Gallos 92.17. ad Aragonios deficit ibid.
Fanum Feroniæ 51.30.
Fauor popularis inanis 33.40.

Federicus

Federicus Aragonius mari præficitur 24.25. cum claſſe fugit 28.18. rex Neapoli, ad Galli inimicum potius quàm ad Hiſpanum fictum amicum fugit 155.23.
Ferdinand. Aragonius copiar. præfectus 24.25. rex ſalutatur 49.42. ſecunda author. in Italia 5.15. terretur & retro cedit 50.30. à Capuanis deſtitus 52.5. Neapoli uix recipitur 52. 28. in Aenariam fugit 52.27. ad Semenariam fugit 85.14. cadit ſub equo ibid. in aduerſis fortis 86.1. Neapolim poſt aduerſam pugnam adnauigat 86.10. ex fuga iterum Neapolim reuertitur 79.40, cum Conſaluo 80.10. Rhegium capit & diripit ibid. Neapoli per tumultum recipitur 87.41. cum Gennarij Hoſpicio recipiunt ibid. ad Venetos pro auxilijs confugit 123.4. ducibus obtemperare ſolitus 126.30. Gallos deſpicit 127.1. ſummum certamen detitat 118.15. in pugnam defertur 135. 10. qua die & ubi moriatur 145.21.
Ferd. Hiſp. auri tenax 286. 40. Anglis contra iuſiurandum defuit 289.4. cum Gallo occultas inducias pangit 160.16. pro ſuo commodo & ſocijs iniurius & infidus 160.18. deſeritur à proceribus 156.34. Neapolim adnauigat 156.36. à principib. derelictus 39.15. Conſaluo nō adſentitur. 84.17. cum ex ſuſpicione in Hiſpaniā abducit 136.40. dyſenteria laborat, & moritur 138.19. eius uxor quæ ibid. Victoriæ fructu frui non potuit ibid. moritur 335.33. quo morbo, quæ corporis habitudo 335. 40. quæ eius facta ibid.
Ferdinandi Senioris inſtitutum 18.31.
Ferdinandi regis anxia cura 113.38. legatio ad Lud. Sfortiam. 9.35. mors 20.3.
Ferdinandi Iunioris copiæ 28.47. habitudo corporis 138.15. copiæ aduerſus Gallos 47.38. aduerſa fortuna 37.40. fuga 37.40. & 38.2. oratio ad populum 51.17. fortis animus 51. .ij. deſperatio 52.33. Neapolim aduentus maiori ementita claſſe 86.15.
Ferdinandi & ducum ſuorum cōſilium 127.15. bona fortuna 118.30.
Ferdinandi Aragonij conſilium 125.1. copiæ 125 27. caſtra 132. 13. ad Perſiuum de pace reſponſio 136.24.
Ferdinandi regis catholici ingenium 26.15. cunctatio & percitas 140. 32. pollicitationes 335.18. damnoſa pietas toto Chriſtiano orbi 366.19.
Ferdinandi Conſalui mors 336.9.
Ferdinando Neapoli qui fauerēt 86.28.
Feritor amnis 76.41.
Ferrarienſium ducum urbes 7.14.
Fides an ſeruenda impijs maleficis 224.3.
Filippus Fliſcus occiditur 330.10.
Filippus Breſſius Allobrogum princeps 63.41.
Filippi Auſtriæ mors 156.37.
Fliſci cum Adurnijs cur conſpirent in Fregoſios 291.27.
Fliſcorum ditio 173.40. Genua abeunt ibid. factionis Guelphæ ibid.
Floddon mons 182.4.
Florantius Sedchius 294.42.
Florētini induſtrij & egregij artifices 6.36. ciues cur Petro Medici infenſi 32.13. Piſis excluduntur qua hora Mediceos excludunt 35.17. quo facto regiā maieſtat. læſerint 35.44. de fœdere cum rege agunt. 36.19. cur contra Gallos non conſpirēt 56.28. Duces 59.38. à Gallis offenſi 60.5. qua occaſione parta omittunt. 61. 40. ſe à Gallis deceptos agnoſcunt 99.44. armati Piſas accedūt. 104. 30. intra portam erumpunt 105.1. in ſuburbijs Piſanis caſtrametantur 105.35. cur copias à Piſis reducunt 107.7. Buttum capiunt 109.10. Verrucolam oppugnant fruſtra 109. 40. quanta ui Piſas repetant 140. 5. regem ſolicitant 141. 40. Ianuenſes apud regem Gallum 142.40. Fluctuant 151.32. Hieronymum Sauonerlā ſupplicio afficiunt 151.34.
Florentinorū legatio ad Carolum VIII. 32.5. Leo Marmoreus preceps datur 35.10. progreſſus in Piſanos 58.20.
Florentinorum & Piſanorum pugnæ 58. & 59. per totum
Florentinorum ducum conatus 61.10. nouæ copiæ 100.1. ſucceſſus 109.5. timor ex ſuſpicione 121.28.
Flumina quædam inter ſe comparata 285.1.
Fœdus inter Arag. & Pontificē ac Florentinos. 20.25. memorabile ad Nouiodunum 105.5. eius conditiones ibid. ad conturbandam totam Italiam ictum 152.2. inter Venetos & regem Galliæ aduerſus Sfortiā 152. 2. inter regem & Florētinos 36.24.
Fœderati Heluetios incuſant 306.9.
Fogia in Hirpinis 124.19.
Fonſecæ audax facinus 46.45.
Fortebraccius Montenius 69.32.
Fortium uirorum ingenium 103.2.
Fortuna Selymo fauens aduerſa Tomūbeio 365.1. Venetis infeſta 2?3.36. Gallis fauens 50.30.
Fortunam in rebus plurimum ualere 300.29.
Forum Caßij ubi fuerit 39.30.
Foſſæ nouæ, quæ & Papirianæ 31.15.
Fracaſſa Sanſeuerinus 38.5.32. Piſanis iratus abijt 107.25.
Francapanis fractus & uulneratus 209.6. captus à Veturio 209.30. Veneto nomini infeſtus & crudelis ibid. 34.
Franciſcus Valeſius I. rex Galliæ declaratus 290.23. coronatur 16.33. Mediolanum recuperare cōſtituit quibúſue de cauſis ibid. qua uia alpes cum exercitu tranſit 296.6 rex pugnans 321.25. equeſtri dignitate inſignitur à Baiardo uiro fortißimo 317.3. ad Germanos adhortatio 319. 17. cur colloquium à Pontifice petit 325.30. Mediolanum inuehitur 322.38. ſe excuſat apud Venetos de auxilijs mißis 325.14. quo comitatu Bononiam ingreditur 226.4. pedes oſculatur pontificis ibid. pacē quærit 305.28. in Gallias reuerſus 326.36.
Franciſ. Sfortia Io. Galeatij filius poſthabetur imperio. 37.20.
Franciſcus Sfortia peditatum in Italia reſtituit 48.15.
Franciſc. Mantuæ dux Baiazetis amicus 44.45. Venetorum dux copiarum 63.16. princeps Germana matre natus 95.1. imperator appellatus à Senatu Veneto 94.31.
Franciſcus Candianus militiæ adſcriptus 20.28.
Franciſcus Nardous 27.24.
Franciſcus Scarſa uexillifer Florentinus 33.16.
Franciſcus Valorius Medicos expellit Florentia 32.37.
Franciſcus Montidolius interceptus 31.25.
Franciſc. Siccus Florentinorum dux 59.13.
Franciſcus Saxatellus 200.42.
Franciſcus Spinula claßis præfectus 77.16.
Franciſcus Piccolomineus Cardinalis 39.19. non receptus & cur ibid.
Franciottus Vrſinus captus 143.29.
Franciſci regis forma & mores 226.9. conſilium ſalutare 305.38. exercitus ad Italiam 294.18. & 295. anxietas 312.42. Caſtra eius contracta poſt primam pugnam 3.13.
F. Mantuani in pugna uirtus 71.72.20.
Franciſci Mariæ Ducis Vrbini bellum in Pontificem. 406.8.
Franciſci Almædei infortunium 383.8.
Fregoſij 6.44.
Fridericus Aragonius rex ſalutatus 138.23. eius ingenium ibid.

Fridericus Fregoſius Archiepiſc. Salernitanus 292.27.
Funalia ad Cryptam rapta 117.42.
Fuſius Aquitanus 68.44. in Hiſpanos ducit, Salſulas occupat. 140.10.141.
Fuſij ad Hiſpanos militaris reſponſio 141.20.

G

Galeatius Sfortia trucidatus in templo 7.21.
Galeatius Sanſeuerinus in Gallia legatus 22.36. Sfortianarum copiarum dux 63.20.
Galeatius uicecomes uani ſperabat principatum. 338.32. eius ſtultitia ibid. 42.
Galeones quales 77.21.
Gallia periculo ſuſpenſa 178.40.
Galliæ rex, regi Nauarræ infidelis 160.14. cur pontificis hoſtis factus 158.24. Pontifici Bononiam aufert & Beniuolis reddit 158 25. Conſilium Piſis indicit 158.30. aduerſus Fregoſios 162.20. Inſubriã capit cum Mediolano 113.45. Heluetiorum animos tentat 301. 25. bellum renouare ſtatuit in italia 242.15.
Gallum qui ad bellum impellant 141. & 142.
Galli ſuſpicioſi 132.10. equitatui ſtudent. 294.27.
Galli & Hiſpani fœdus ineunt 16.36.
Galli natura aperti 21.47. Suſpicaces 22.1. in Italiam tranſeunt 28.38. quibus ducibus tranſcendant 153. 33. Medices expulſos reuocare nolunt. 35.46. & 36.1. pauorem incutiunt 50.23.
Galli & Germani milites Neapoli effeminati 55 22.
Galli equites ſexcenti Piſam aducti 60.3.
Galli cur ad Tarum ſalui euaſerunt 71. 30. qui capti ad Tarum 72.30. uictores ad Tarum 73.2. uictores timent 73.45.
Galli pro Fregoſijs. 77.25.
Galli compelluntur in arcem Neap. ab Aragonijs 88.25. oppugnant Neapoli 87 15. ad obſidionem auertendam à Nouaria ueniunt 97.15. Piſas defendunt à Florentinis ſemicaptam 105.25. ſpecie magni exercitus decepti 117.7. amiſſo Neapoli in Apuliam concedunt 118.40. Frangetum amittunt 129.8. abeuntes laceſſuntur 130.30. in Atellam compulſi 130.47. in Atella obſeſſi 131. per totum. à Conſaluo terrentur 133.15. incommodis afficiuntur 133.28. cæſi 134.16. Neapoli morbo pereunt 137.20. Caietam obſeſſam relinquunt 139.15.
Galli & Hiſpani de finib. regni Neap. contendunt 155.31. regno Neap. ab Conſaluo expulſis 155.39. ad Abduam Venetos profligant 157.20. ex Italia expulſi 159.24.
Galli equites fugiunt ab Heluetijs 170. 20. in fuga à ruſticis oppreſſi 171.15.
Galli Teroannam propugnant 175.16. certamen cum Anglis detrectant 176.15. ad Ghingatam fuſi 177. 43. obſeſſi in arce phari Genuæ 217.22. qui in pugna pereant 315. 8. & ib. 35.
Galli equites ab Heluetijs fugiunt 315. 1. Mediolanum contra Cæſ. defendunt 337.44. deſerere Mediolanum coguant 340.1. cur diſcedentem Cæſ. non ſint inſecuti 342.15.
Gallorum regum mos in reſpondendo 14.22.
Gallorum expeditio in Syriam 1.36. prima uictoria 28.34. terror in Italia 37.10. equitum manus capitur 39.10. tormenta bellicata Romæ uiſa 42.6. procerum reſponſum ad ſonſecam 46.35.
Gallorum uictoriam qui principes augebantur 55.42. legatio ad Venetos 65.35. Studia Piſanis fauent 62.3. ad Tarum conſultatio 66.10. exercitus ad Tarum diſpoſitio 68. 10.40. & 69.1. militum alacritas ad Tarum 68.30. ad mille uiri fortes cæſi 73.30. Illuſtriores qui ceciderint. ib. copiæ in Liguria 76.46. 77.5. durities apud Caietanos 81. 25. ex ſacris Cauetana 85.6. prædæ perij. 83.15 in Neapoli caſtra 88.35. Strages 90.20. impetus repreſſus ab Aragonijs 91. 45. Clades ex cuniculis 92.35. caſtra ad Neapol. oppugnata 117.13. de fortuna querelæ 117.24. crudelitas à Pomelianũ 118.5
Gallorum inclemens fortuna 118. 30. Copiæ pro reſtaurãdo bello Neapolitano 122.36. & 40. conſilia de bello gerendo 123.46. ſententia inſalubris 124.6. copiæ coniunctæ ad Troiam 125.16. cum infeliciter diſcedunt 130.20. neceſſitas 134.37. in Italiam terribilis aduẽtus quẽ exitum habuerit 139.18. impetus cur tam terribiles uiſi ſint Italis 136.20. copiæ terra mariq; uarijs caſib. deletæ 140.1. exercitus Romam ingreditur 150.12. fuga 170.171.1. Turpis ibid. 10. in tormentis fiducia 170.14. quot occiſi ad Nouariam ab Heluetijs 171.37. conſilium de intercipiendo Proſpero Columna 299.40. caſtra ad Mediolanum 309.25. mos in aliena cauſa 397. 23. equitum prouocatio per gloria 399.4. prouocationis titulus ibid.
Gallos omni tempore rem Chriſtianam afflixiſſe 12.10. tormentis magna peritia uti 295.35.
Gallica claſſis uentis agitata in diuerſa 47.22. capitur 78.6. Florentinis ad Liburnum adeſt 156.12. tempeſtate in Græcia diſcerpta 155.10.
Gallica factio bellum reſtaurat 119.32.
Gallicæ factionis apud Heluetios uiri plectuntur 191.10.
Gallici exercitus progreſſus in Campania 51.40.
Garzetta fluuiolus 323.34.
Garcias Manricus capitur 214.44.
Gaſpar Germanus cur capite plexus 54.12.
Gaſto Foiſſius Copiarum Gallicarum præfectus 158.34. Bononiam defendit, pontificios fugat, Brixiam recuperat, Balionum profligat, Aloiſium Aduocatum ſupplicio afficit, ad Rhauennam uictoria potitur, interficitur 158.159. per totum
Gaza urbs 359.28.
Gazzelles Damaſcum petit 358.18. contra Arabes mittitur 375.10.
Gazelli oppinio de re bellica 360.30. ad opprimendum Synã baſſa defertur ib. à Syris Synambaſſæ proditur. ibid. Memphim refugit 361.35. Turcarum uexilla contriuit 367.2. in partes Selymi uictoris tranſit 374.30. eius ad Selymũ oratio ib. ſanum conſilium 354.40. fortis opera 357.30. animi fortitudo 361.4.
Gazenſes Sinambaſæ deditionẽ faciũt. 360.8. Ægyptio fauent 360.12.
Gezenſium perfidia 361.4.
Gemes Baiazetis frater Romæ captiuus 43.10.
Gemes nomen quid ſignificet 43.13. Regi Carolo VIII. traditus 43.13. Eius aſpectus & indoles 416.27. ut ad Chriſtianos profugerit ibid. quos longe alios inuenit quàm putarat ibid. Romæ fuit pontificib. magnum uectigal ibid. ueneno à Pontifice miniſtrato moritur 47.8.
Gemis cadauer ad Baiazetem miſſum 56.45.
Genebræ mons 30.33. Clarus hodie. 297.26.
Gemis Turcæ mors 47.6.
Genua in quas factiones diuidatur 6.44.
Genuenſes re nauali cæteros antéire 218.24.

Genuenſium diſcordiæ unde ortum habeant. 7.2. Statim 6.40.
Georgius Sechelus imperator cruce ſignatorum. 223.3.
Georgius Supraſaxus carcere liberatur 326.26.
Georgius & Lucatius fratres uiui capiuntur 226.3. excruciantur. ib. mors eius teterrima ibid.
Georgij ad milites adhortatio 225.28.
Georgij Cruceſignatorum ducis conſilium 224.26. in tormentis & morte conſtantia 226.12.
Georgiani hodie Hyperi 285.18. bellicoſi ib. 27.
Geſualdium ab Aragonijs capitur 30.138.
Germani ab Aragonijs diſcedunt 53. 25. diripiunt regiam gazam. 53. 47. à Gallis ad Aragonios deficiunt 135.27. à Tifernate phalange confodiuntur 150.2. Heluetijs ſe dedidit 170.30. quæ occupauerint in foro Iulij 208.2. in pugna pereuntes 315.2. in Heluetios irati 314.28. & eorum in Heluetios ſæua ceremonia. 32. aduerſus Cæſ. arma ferre recuſant 325.2. ad Anſum profligantur 332.12.
Germanorum in Campania audacter factum 51.43. urbe Capua excluduntur ibidem. perfidia 54.4.
Germanorum & Gallorum iactantia 325.10. clades 326.6. & deinceps. perniciosum conſilium Cæſ. datum & ab eo probatum 337.13.
Ghingata uictorijs Anglorum celebris pagus 177.9.
Gheldriæ dux cur cum Gallo ſenſerit 175.43.
Giapalatus Sulthanus captus carceri traditur 252.24. ſtrangulatur ib.
Gidda portus 381.3.
Gilbertus Mompenſerius Prorex Neapolitanus 9.26.
Gilbertus Cleuenſis 69.4.
Gilopi Aethiopes 382.22.
Gorgianum regnum 387.20.
Gorgora urbs ubi ſita 285.23.
Gothia ab Liuonia non multum diſtat e 228.27. inſula 228.27.
Gothos de Romanis triumphaſſe 2.30. omnium gentium iniurias ultos ibid.
Gothardi iugum 295.45.
Gothifredus Borgia Carinulæ principatu donatus 20.27.
Gottifredus Calearius Veronę aſis cur interficitur 215.25.
Gottifredi Bolionij bellica uirtus & pietas 1.36.
Grandilli fratres 87.2.35.
Granata Hiſpanorum dux interficitur 205.45.
Græcia à Turcis capta 154.30.
Græci equites inſidioſi 132.32. fugati recepta præda 143.30. egregij 396.25.
Græcorum imperium ad Gallos pertinere 12.1.
Græcorum ſpes ex Gallis orta 55.6.
Græcorum equitum in pugna uſus 64.43. uirtus 144.2.10.
Griſones 296.33.
Gritti ſcomma in Gallos nobiles 171.4.
Guidobaldus urbinas Florentinorum dux 100.1.
Guido Guerra factioſus 38.1. Ceſenā occupat 38.8. Petilianū comitem capit ib. fugit ibid. 30. Vrbe eijcitur ib. 31.
Guido Feltrius urbinacium dux 5.36. exercitus dux deditionem facit. 150.3.
Guidonis Guerræ domus diripitur 38.35.
Guinei Aethiopes 382.17.
Guilielmus Roccandolphus 330.24.
Guiliermus Briſſonetus Quæſtor 25.3.
Gurellus Caracciolus auaritia infamis 130.44.
Gyraffa Florentiæ uiſa 387.28.

H

Halis Mahometti interpres 235.22.
Hadrianus Boyſſius Cardinalis creatus 226.19.
Halybaſſa 244.23. Techelem perſequitur 244.35. uictoriam iam adeptam ſua morte corrupit 245.46.
Haly baſſæ animi uigor 245.30. interficitur à Trechellinis 245.35.
Halys flu. 246.3.
Hanna flu. 222.15.
Hanti: Heluetius dux aſtutus 65.6.
Hardueles Perſa 234.38. miræ continentiæ uir ibid. Vſſumcaſſanis gener. ibid. cur à Iacupo rege interfectus 235.38.
Haslerius Foctius Heluetius 313.38. pugnam diſſuadet ib.
Hedil qui & uolga 284.16.
Heluetius defenſor pontificiæ libertatis dictus 161.20.
Heluetij pedites cum Italis & Hiſpanis collati. 85.41.
Heluetij & Germani inimici 312.13.
Heluetij pugnaturi ſtipendia petunt 130.6. & cur ibid.
Heluetij & Galli Naufragium faciunt 137. & morbis pereunt ib. 30. aduerſus Gallos 159.23. Sfortiam defendendum cenſent 163.4. conſtantes & generoſi 163.12. Gallo cur infenſi ibidem. intrepidi ad Nouariam 164.4. quo animo Triuultij reſponſum acceperint 166.15. hoſtes Gallos ad Nouariam ad oriuntur 168.40. 169.20. indignantur in Hiſpanos 174.1. in Burgundiā aduerſus Gallos erumpunt. 175.30. 187.30. pacem cum Gallo ad Dinionem faciunt, excluſo Vuurtembergicum. 189.20. cum obſidib. domum reuertuntur 189.41. in tranſitu Alpium à Gallis decepti 296. 20. in caſtris ſeditionem mouent 301.8. Cliuaſium oppidum cur diripiunt 301.42. propter ſtipendia ſeceſſionem faciunt 302.14. in diſcordia 302.26. & 40. quāto labore in officio retineantur 303.20. pecuniam quærunt 304.10. Mediolani recepti 307.18. Cardinalis aſtu ad pugnam inducti 308.14. uiri fortes 309.19. qui in pugna cadunt 315.40. duces prælium iterū ineunt 314.2. temeritatis pœnas luunt 314.16. & facinora uirtutis edunt ibid. 23. qui in ſecunda pugna perierunt 314.36. ſe pugnæ ſubducunt 315.16. receptui canunt 315.37. ducibus occupatis ſibi ipſi præſcribunt conſtantiſſimè 315.46. à prælio aduerſo non fugiunt, ſed diſcedunt 316.8. ita uicti, ut uinci non poſſe docerent 310.14. poſt aduerſam pugnam Mediolani hoſpitijs liberaliter recepti ibid. trimeſtre ſtipendium poſtulant, non numerato domum abeunt 316.20. arcem Mediolani cuſtodiunt 316.26. domum abeunt 316.30.
Heluetiorum uirtus ad Tarum 72.6. cædes ad Atellam 135.21. alacritas 161.20. 163.8. qui primi in Italiam & cur 163.16. petitio ab hoſtibus per iocum 164.30. duces in conſilium deſcendunt 167.16. ſtratagema 168.20. leges in pugna 168. 24. Copiæ quantæ ad Nouariam 168.28. fortitudo 169.30. cum Germanis congreſſus 169.40. uictoria contra Gallos ad Nouariam 170.40. imitāda diſciplina 170.41. quot & qui perierint ad Nouariam 171.36. natura & progreſſus 188. 36. decretum contra Gallum 191.5. reſponſio prudens 309.8. cum Gallis pugna 310.3. perditi iuuenes qui 310.14. conſilium de renouanda pugna 312.24. ad pugnam alacritas 313.30. de Heluetiorum uictoria uanus rumor 315.3. tertia acies pugnæ ſpectatrix 315.28. à prælio diſceſſus 316.3. 25. millia in pugnam prodiiſſe 316.34. nomē Gallis

[illegible] 339.44
Heluetios quis impulerit ad inuadendam Burgundiam 175.36. uni ſoli pecuniæ inſeruire 189.1.
Heluetijs inducias petentib. Gallus concedit 301.31. de Heluetijs ſententia 304.23.
Henricus VII. rex Angliæ 3.32.
Henricus Volleben Heluetiorum dux. 62.14.
Henricus Anglus Heluetios contra Gallos ſtimulat 334.42. pacem cur fecerit cum Gallo 288.46.
Henrici VIII. Angli reſponſio ad Scoti literas 179.46.
Henricum Angliæ regẽ quæ ad pacem impulerint 289.3.
Hercules Ateſtinus, Gallis fauet 65.31.
Heſperides inſulæ 382.73.
Heymuolebanus Heluetius belli peritiſſimus dux 159.7. ictus occubuit ibid.
Hiberi & Albani ſemi Chriſtiani 281.44.
Hicardus Hiſpanus Brixiæ obſeſſæ præeſt 394.7. prudens & fortis ibid.
Hicardi Brixiæ præfecti diligentia 318.10. conſilium de reddenda Brixia 395.10. oratio ad proceres ibid. deditionem certis conditionib. ibid. 33.
Hederlini Germani temeritas 125.36. mors 126.10.
Hierapolis Turcæ deditur 358.22.
Hieronymus Leonius Venetus 62.44.
Hieronymus Fliſcus ab Fregoſijs occiſus 162.223.
Hieronymus Sauornianus 208.7.
Hieronymus & Scipio Adurnij capti 292.3.
Hieronymus peruus 300.16.
Hieronymus Caſtiuonus ad regem Fr. legatum 317.15 & eius oratio ibid.
Hieroſolyma à paucis Chriſtianis habitata 363.23.
Himbracor Baſſe ad Selymum de Perſis literæ 362.30.
Hippotoxotæ Scoti 41.36.
Hiſpani equites cum Gallis collati 85.34.
Hiſpani pedites edicto regis collecti ſtipendia petunt 140.34.
Hiſpani nobiles interfecti 141.14. Venetiam populantur 192.10. timentes retrocedunt 307.10.
Hiſpani cuiuſdã militis dictum de Gallina inſidiis detexit Brixiæ 327.37.
Hiſpani transfugæ 398.25.
Hiſpanorum ingenia impauida 15.15.
Hiſtoriæ Iouianæ libri ſex primæ decadis ut interciderint 151.1.
Hiſpanorum caſtra contra Liuianum 197.35. in prælio diſpoſitio 199.25. libri epitome 151.25.
Hiſtoriarum libri ſexti epitome 152.13. Septimi epitome 153.1. decimi epitome 158.1.
Hyrcani ad Sophum ultimi pertineat 283.46.
Homares alter Mahometi interpres 235.26.
Homicidæ apud Abyſsinos ut plectantur 384.13. fures 16. maſculorum concubitores ib. 19. nuptiæ & diuortia ibid.
Hominum colluuies aduerſus nobilit. in Pannonia 222.30.
Honofrius Calaber 27.25.
Hordæ Tartarorum 284.19.
Horminius mons 267.38.
Hiſmael Sophus Perſarum rex clariſs. 2.40. Harduellis filius 235.42. maximus orbis regum ibid. cur ſemper Chriſtianos in honore habuit 235.2. quibus artibus principatum adeptus 236.30. cognomento Sophus cur appellatus 236.40. armis paternam ditionem recuperat 237.1. Sumachia capit & diripit ibid 5. regnum Perſarum inuaſit ibid. 17. regiam capit fugiente Aluerte rege ib. 40. ſepulchrũ Iacuppi euertit. 238.5. urbem Scyras uictor ingreditur 239.14. ad Populum concionatur de præſtantia nouæ religionis 239.15. in Meſopotamiam aduerſus Moratchannim regem. 239 32. fœdere Techelli iunctus 240.43. aduerſus Turcas 242.3. legatos ad Venetos mittit 241.8. quæ prouincias ſubdiderit 268.30. filiam Amurathi profugo nuptui dat 268 39. & cur ibid. in caſtra contra Selymum 272.43. ad Selymum Caduceatorem mittit & cur 273.12. Sclopetto leſus 276.4. ex prælio diſcedit agmine compoſito ibid. tormenta Turcarum capit 277.29.
Hyſmaelis ſophi genitura 236.35. uerba ad milites 138.22.
Hyſmaelem gloria Mahomete æquatũ 236.38.
Hyſmael & Techellis eadem doctrina præditos 236.24. de Aluante uictoria 239.6. acies contra Selymum 274.10. ad milites breuis oratio 274.26.
Hyſmaelis Sophi & Selymi comparatio ab Iouio facta 278.6. & diſc. origo ibid. pietas 278.25. regia forma 278.37. facilitas 278.46. equitandi & ſagittandi peritia 249.1. uxores 279.7 ſtudia diſciplinarum omnium 280.7. prouinciæ & urbes, eiusq́; potentia deſcripta 282.2. excelſus animus 393.14.

I

IAcobus Stuardus rex Scotiæ 3.34. non ſtat promiſsis 182.30. in pugna cadit 186.25.
Iacobus Comes 6.1.
Iacobus Lucemburgus S. Pauli Comes magiſter equitum capite damnatus 342.42.
Iacobus Stapher Tigurinus 337.5.
Iacobus è Regio lepidi relig. derſertor 366.22.
Iacobi Scotorum regis oratio ad ſuos 184.10. cum ſuis pedes pugnat 185.12.
Iacobum Scotũ quæ impulerint in bellũ contra Anglum 179.18. Iacuppus Vſſum caſſanis filius 234.33. Perſarum rex 2.37. ab uxore uenefica ſublatus 236.45.
Iaccupi timor imperij amittendi 235.28.
Ianizzari 244.18. ſoli ad ſuperiores ordines adſcribuntur ibid. 12.
Ianizzarorum legiones duæ inuictæ 187.40. laus 287.44. calceis lijs prohibiti 288.4. arma ib. 5. ueſtes ibid. 9.
Iannizarôs Selymo non paruiſſe 275.30. quis primus inſtituerit 187.43.
Ianus Fregoſius inuidia flagrat 162.30. fugit Genua 162.45.
Iani Fregoſij ingenium 173.23.
Iapygium promontorium 81.6.
Iaxartes Flu. 368.32. 284.10.
Ignominia qui notati à Venetis poſt pugnam 75.38.
Imbracorbaſſa Syriæ præfectus 362.45.
Imperatoris illuſio ibid.
Imperium Rom. in quot dilaceratum ſit regna 1.26.
Imperij Mediolan. diploma Ludouico Sfortiæ & filijs datum quanti conſtiterit 57.31.
Impedimenta expeditioni iniicientes 21.1.
Incendium Rialti Venetijs 202.46. ut extinctum 203.26. de Indijs qui Iouio retulerint 384.30.
Induciæ à Gallis petitæ poſt pugnam ad Tarum. 75.8. conceſſæ. 21.
Inducia inter Gallos & Italos. 98.10.
Inimicitiæ unde ortæ inter Aragonios & Sfortianos 10.16.
Inimicitiæ cauſæ inter Reges Gallos & Auſtriacos 15.36.
Inſidiæ Selymi trucidatæ 265.17.

Inſula Medas 285.25. Catiero-
ne 382.20. Sancti Thomæ .
382.42.
Inſulæ uirides 382.37. fortunatæ ho-
die Canariæ 382.47.
Interamna in Prætutinis Gallicas par-
tes ſequitur 222.31.
Italia pace floret 1.10.
Italia idia contra Venetos 5.15.
Italia diſcors inuadi poteſt non alias
291.2.
Itali illuſtriores ad Tarum occiſi
73.23.
Italorum principum ad regem Gall.re-
ſponſum 17.27. principum in-
genia 21.21. cura 55.40.
56.1. & deinceps caſtra aduerſus
Gallos 64.31. 65.23. copiæ ad
Tarum maiores, Gallorum 65.
17. diſpoſita. 69.16. qua-
tuor milia ceſi à Gallis ad Tarum
73.21. priuata ſtudia ex fœdere
quærunt 142.40.
Italos quando alere equitatum ſolitos
47. 47. & cur 48.5.
Iter Triultianum 298.15.
Iter nouum traducendis exercitibus
298.3. mirandum 297.35.
Itinera aſpera per Cottias alpes
297.33.
Itineraria Legatorum Venetorum per
Orientem 241.15.
Io. Medices Cardinalis captus 159.
20. pontifex creatus 159.34.
160.
Ioan. Cardinalis columna Caietam pro
Gallis recipit. 82.37.
Ioan. Paleologus dux 243.17.
Ioan. rex Hiſpan. 3.20.
Io. Aucutus Anglus 181.17.
Io. Picus Mirandula quo die obierit
36.14. Phœnicis cognomen obti-
nuit ibid.
Io. Galeatius Sfortia miſer 8.28. dux
Mediolani ſupremo morbo laborat
30.44.
Io. cognomento Vetala Dux 61.4.
Io. Bentiuolus Bononien princeps.
5.37.
Io. Bentiuolus Septuagintarius Medio-
lani exul moritur 156.28.
Ioan. Spinellus Aragoniæ factionis 87.
22. 135.15.
Ioan. Zaphinus equitum dux 143.18.
Io. Petrus Surra decies ſepties ex pro-
uocatione uictor 205.7.
Io. Calebus uir imbellis & timidus
63.10.
Io. Bornemiſſa uir ſobrius & prudens
223.34. Cruce ſignatos delet
ibid.
Io. Vayuoda Tranſiluaniæ 225.15.

Io. Bracalonius capitur à Gallis
300.20.
Io. Deſpachius Bernenſium dux 301.1.
Io. Berus Baſilienſium uexilifer ſtre-
nuus 314.44.
Io. Vayuodæ oratio ad milites pugna-
turos 225.35.
Io. Stuardus Albaniæ regulus in Sco-
tiam 335.1. Humeum regis nutri-
cium ſupplicio capitali afficit
335.10.
Ioan. Galeatij mors 37.15. eius fu-
nus ibid. quæ fama de morte eius
uulgo ibid.
Ioan. Pontani hiſtoria 15.24.
Ioannis Altauillæ memorabilis charitas
85.20. interficitur ibid.
Ioan. Ricaſoli ſeuitia 200.29.
Ioannæ Reginæ Neapolit. impudicitia
11.1.
Iouij hiſtoria quot annis complectatur
2.18.
Iordanes Vrſinus Fabritium colum-
nam captum redimit 155.21.
Iordani Vnderualdij ſorte reſponſum
164.14.
Iſabella Aragonia uirilis animi fœmina
8.46. patre aduerſus Lud. Sfort.
incitat 9.6.
Iſabellæ Aragoniæ literæ ad patrem &
fratrem 9.6. in quibus mores Ludo
uici Sfortiæ deſcribuntur 9. ibid.
Iſara flu. 297.26.
Iſſicus ſinus hodie Aiaccius 254.12.
Iulius II. Pontifex liberator Italiæ di-
ctus 159.29. aduerſus Ferrarien-
ſem 186.22. moritur Romæ
159.33.
Iulianus Medices ciuitate Rom. dona-
tur 191.39.
Iulianus Medices copijs pontificij præ-
fectus in Galliam 293.46. Floren-
tiæ moritur 294.7.
Iulius Varanius Camentium dux 5.37.
Iulius Manfronus captus 314.21.
Iuliani Rouerei in Galliam à Roma fu-
ga 23.7. inquieto erat ingenio
ibid. 16.
Iuliani Medicis & Octauiani Fregoſij
amicitia 273.20.
Iulebbi Achatæ Sangiacchi peritia mili
taris 362.35.
Iunus Baſſa Imperator ad exercitum
miſſus 246.8. in Armeniam Vaſta-
bundus ingreditur. 246.10. Iechel-
lem in montib. perſequitur 246.
30. in quiſitorem Perſicæ religionis
agit 247.1.
Iunus Baſſa quibus Selymum oſtendit
390.28. & 32. pudore, publico ab-
ſtinet, mœrdia cruciatur ibid. 25.
Cayerbeio uenenum propinat ibid.

Iunus Baſſæ arrogantias & ambitio
390.9. liberalitas, ſplendorib. 13.
facinora ibid.30.
Iunus Baſſæ excuſatio 397. pruden-
tiſs. 391.30. occiditur 392.4.
mortem dolent milites & impera-
toris ſeuitiem damnant 392.6.
Iunus Baſſæ quid mortem accelerauerit
ibid. 40.
Iunum Baſſam cur Selymus occidi iuſſit
391.30.
Ius iurandum maximum apud Turcas
250.20.
Iuſtus iſalæ arcis cuſtos 52.30. infidus
ibid.
Iuſtinianus Maurocenus nobilis equi-
tum præf. 143.14.
In Veronéſi oppugnatione qui perierit
400.10.

L

Lacus Sabatinus 40.43.
Lacus ex caſu montis 100. ſtadio-
rum 201.47.
Lacus paulò ante caſu montis factus,
rumpitur obex & ſtragem edit
202.6. 320.32.
Lancea Chriſti ut ad Chriſtianos pro-
uenerit 44.30.
Lauaniæ amnis Entella olim 28.10.
Laurentius Medices qualem Remp. re
liquerit 6.30. diuina fuit pruden
tia 32.21.
Laurentius & Ioan. Medices aduerſus
Petrum Medicem 31.41.
Laurentio, Medices copiarũ præfectus
294.9. pacem ab rege uictore petit
317.30.
Laurentio Medici Camelopardalino
dono miſit Sulthanus 351.1.
Legatio Obignum Pontifici expoſita
17.46. ſecreta in Galliam & cur
20.35. ab Aragonijs ibid. pontifi-
cis ad Carolum VIII. 39.18. Ara-
goniorum ad Carolum VIII. regem
18.40. inaudita dimiſſa ibid. Pon
tificis ad Carolum VIII. 39.32.
Caroli regis ad pontificem 57.
30. Baiazetis ad Selymum filium
248.40.
Legationis Selymi ad Campſonem ſum
ma 347.38.
Legati de pace pontificis ad Carolum
VIII. 42.40.
Legatorum Venetorum reſponſio ad
Gallum regem 66.1.
Leo X. quo die creatus pontifex 160.
10. mitis ingenij uir 191.26. lite-
ratorum præſidium inſcriptus 191.
46. inuitis omnib. principib. ad
Colloq. regis, Bononiam uenit 225.
30. in fide ſociorum manet 293.30.
& cur ibid.

quò deſperationis proceſſerit 300. 33. eius diſſimulatio 161.10.
Leones iubati 387.24.
Leonardus Blancus gallicæ factionis Neap. ſtrangulatur 90.37.
Leonardi Dreßini ſuplicium 158.4.
Lepontij & Rheti hodie Griſones dicti 206.33.
Leprus, id eſt, frugifur 171.42.
Leucopetra Italiæ extremum promontorium. 81.12.
Librafacta oppugnata 58 40.
Librafactam Piſanis capiunt 60,34.
Liburnum Labronæ ſtatio 24.35. à Piſanis oppugnatur 145 40.
Liburni arx Florentinis iuſſu regis reſtituitur 101.34. turres marmoreæ 146 2.
Liccfuſina pagus memorabilis 195.2
Ligures cur in partes Gallorū ceſſerint 291.10 inter ſe diſcordes ib 24.
Ligurum factiones 6 43.
Liquentia flumen 208.5.
Liſia amnis 177.4.
Literæ Baiazetis Turcarum Imp. ad Alexandrum pontificem 44.25.
Lithuania 228.43. 129 3.
Lithuani leuis armaturæ equites 229. 7. in Europa ultimi qui ad Christū uenerunt 229.5.
Liuianus data fide aufugit 137.42. à Gallis captus 157.21. uiuidus & ferox ibid. in proſpere tentat 175. 7. fugit 200.25. contra Heluetios pugnat 315.10. pacis impatiens 317.36. Veronam oppugnandam accedit 318.35. 172 4. qua ætate & morbo deceſſerit 318.37.
Liuiani pugna 30.22. facinus 113.40. & aſtus, ardens ſtudium 147.32. ſagax & felix 147.40. nauigium incendit Sabellum uulnerat ibid. uox notanda in Venetos 108.44. diligentia 199 35. ingenium ferox 194.6. petitio à ſenatu Veneto 195.33. ad milites oratio 195.43. caſtra ad Vicentiam 197.25. expeditio in forum Iulij 208.15. ſolers ingenium 217.10. mores. 318.41. cadauer milites plures menſes apud ſe honorificè habuerunt 319.5.
Liuonia littoralis eſt 228.44.
Ligures Epantheros 207 44.
Locus prælij Venetorum cum Hiſpanis deſcriptus 199.2.
Locus amant in Antiadro 236.4.
Lombardia 7.19.
Longenas Brixianus ciuis 323.26. & 31.
Longobardi unde profecti 228.30.
Lotrechius Ciſalpinæ Galliæ præfectus 342.46. Veronam oppugnat 401.30. repellitur cum damno ib.
Lotrechij prima exercitus cura 393.43. ingenium & ſtudia ibid. & patria ibid.
Lucas Piſanus Venetus 63.15.
Lucatius Sechelus 223.6.
Lucenſium præcipuum ſtudium à Florent. ſe defendere 63.38.
Lucius Maluetius Piſanorum imperator 58.28. ſeruator ciuitatis ſalutatus 106.1. Pontefactum opp. capit 143.22. cur à Piſanis diſcedit 144.38.
Lucij Maluetij uictoria 59.16. 30. forte & egregie factum 60.42. fortuna bona 61.20. & uictoria egregium facinus 109.44.
Lucio Maluetio nemo uigilantior dux 143.21.
Lancianum olim Anaxum 122.34.
L. Luculli arx 54.17.
Ludouicus Aurelianus Nouariam occupat 62 6. rex Galliæ creatus 151.31. regnum firmat 175.20. contra Heluetios exercitum mittit 175.40. paci Dinionenſi ſtare detrectat 190.25. Piſanum & Lugd. concilium abiurat 191.32. uxorem Britannam ducit 288.36. ibid. cur pacem cum Anglo fecerit 288. 38. ducta uxore moritur 289.43.
Ludouicus Sfortia dux Mediolanenſ. 7.22. imperium ut aſſecutus ib. eius artes 34. in qua fuerit opinione. 40. uxorius 837. laudis auidus 9.44. cur Gallos in Italiam uocauerit 10.40. cur Gallis inuiſus 22.1. cum uxore ad Carolum regem 30.38. imperium Mediolani inuadit 37.25. Piſanis adeſt. 58.30. ſe Veneto ſenatui commendat 62.42. timidus & ſuſpicax 62.27. cum uxore uiſitat caſtra 95.45. Piſanum imperium affectat 108.35. Aragonios monet de claſſe Gallica 120.40. ad Turcam auxilij gratia confugit 152.14. cum uxore ad Maximil. Cæſarem Burnium 144.7. in Germaniam fugit 153. 42. Mediolanum redit 154.5. ad Nouariam captus in Galliam ducitur & in carcere moritur 154.15.
Ludouicus Martianus 61.3. capitur 143.23.
Ludouicus Canoſius 289.22.
Ludouicus Lodronius capitur 332.20.
Ludouici Aureliani uirtus 93.29. literæ ad Carolum regem 93.44. diligentia 94.20. copiæ in Italiam 161.162. 401.289. & mores 44.
Ludouici Sfortiæ opera ad fauces Italiæ 8.2. humanitas 8.12 uafrities & iniquitas ib. 20. luxus. 30. uxor 8.34. reſponſio ad Legationem reg. Neapolitanorum 10.8. ingenium 21.14. petita à Florentinis 22.13. quæ conſilia prodita à Medice 22.14. legatio in Galliam 22.37. in Aragonios expeditio 23. 28. indignum & ſibi luctuoſum facinus 62.24.
Ludouici Emiſſarium 169.2.
Lumen omnium oppidum 93.12.
Luna antiqua urbs 21.17.
Lunæ montes 388.1.
Lubeca ubi ſita 228.45.
Luſitani qui de Cataio narrent 284. 25. Indiam ferè totam ſubegerunt 380.33. Aegypto cur detrimenta attulerunt 380.33.
Luſitanorum nauigatio mirabilis 207. 34. quas adierint terras ibid. Colonia 382.3.
Luſitana claßis quò penetrarit 282.28.
Lutherana opinio quo tempore cœpta in Germania 237.24.

M

MAcra amnis 31.8.
Madalena nauis capta 121.4.
Maderia Foncialis inſula 383.1.
Mahometes fama Othomanorum inclytus 279.43.
Mahometes præcopitarum rex ſocer Selymi 248.15.
Mahometes Caithbeij filius Sult. obtruncatur & cur 351 10.
Mahometis duo præcipui interpretes 278.13.
Mahometis prudens reſponſio ad literas Achomatis 258.15.
Mahumetanæ ſectæ noua opinio quo anno propagata à Sopho 237.20.
Malachæ rex armis ſubigitur Luſitanorum uirtute 207.42.
Maior Armenia 271.36.
Malateſta Boleonus 208.23. ad Veronam 215.2.
Malateſtæ Arimini domini 5.39.
Malateſtæ Baleonis præſtantia 114.30.
Malcoccij fratres Othomannis nobilit. pares & eorum uirtus 275.38. caduntur ibid. 26.
Maldonatus Hiſpanus 398 30.
Manfredus Formellus 62 20. uindicat iniurias ibid.
Manfredij Fauentiæ domini 5.39.
Manfredonia Sipontus olim 125.31.
Maranum oppidum obſeſſum 202.10.
Marſia amnis 144.45.

Matharea pagus prope Mēphim 364. 33. Balſamo illuſtris ibid.

Matthæus Sedunenſis Cardinalis odio aduerſus Gallos ſemper arſit 293. 13. facundis concionibus multitudinē excitat ib. 19. legatus pontificius in caſtris ibid. 47.

Matthæus Borbonius 68.42.

Matthiæ Coruini Laus & uirtus 221.1.

Mamaluchi qui 348.30. cuius nationis ibid. in Selymum inflammati 348.26. Chriſtianæ religionis deſertores 349.10. per annos 300 ferè regnarunt 349.33. quot ad Hierapolim in pugna perierint 358.23. terga uertunt 373.44. contra fidem datam trucidati à Selymo 374.19. à Turcis deleti 379.20. captiui trucidantur 389.33.

Mamaluchos Turcas uiciſſe 348.34. ad Mamalucorum ordinem qui admittebantur 348.45.

Mamaluchorum tyrannis 349.25. arma 356.32. ſtulta alacritas 352.15. in pugna ardor 357.20. fortis pugna 357.40. capita arboribus penduntur 362.1.

Mamaluchorum & Turcarum congreſſus 366.24. ultimum prælium 377.378. in Arabes imperium 380.16.

Manicongri Aetiopes 382.20.

Manicongrij rex chriſtianus factus 386.7.

Mantingæ Aethiopes 382.19.

Mantuanus Regem ſalutatū uadit 99.22. triumphaliter exceptus Venetijs 99.40. Imperator Venetorum declaratus 123.22. ad Ferdinandum peruenit 127.8.

Mantuani Imperatoris poſt ſententia 74.22. gloria pugnam maior 75.1. ad fœderatos literæ 95.21. diligentia 96.20. forte reſponſum 97.25. acceſſus ad regnum Neapol. quibus copijs 123.40.

Mantuano nemo plures aut præſtantiores equos alebat 99.38.

Mantuanorum dux 7.15.

Marchio Rhotellinus captus 178.6. pacem inter Anglum & Gallum conficit 289.19.

Marcus Calaber interfectus 324.34.

Marcus Matthæus patritius Romæ occiſus 42.32.

Marcus Antonius Columna uirtute & induſtria ornatus 294.2. Brixianis auxilia mittit 318.25. Aleniacum capit. 333.35. Veronæ à Cæſ. præpoſitus 396.10. Veronam fortiter defendit 400.20. eruptionem magno animo parat 401.4. ſcloppeto icitur ibid. 47. poſt ſeruatam Veronam ad Cæſ. tendit 406.6. cadit 400.24.

M. Antonij Columnæ uirtus 334. per totum. facinora apud Veronam 396.30. munitiones Veronæ factæ 397.40. apud milites opinio 402.8. & apud hoſtes gloria 403.8. Dotes & uirtutes ibid.

Marat Aladuli nobilis oppidum 344.43.

Mareſchalchij 4. in regno Galliæ 34.37.

Margarita Maximil. Cæſ. filia 175.6. cur Gallis infenſa ibid. Caroli V. nutrix. ibid. 187.2.

Margeria marittimus uicus 195.22.

Maria Henrici regis ſoror nupſit Gallo regi 288.36. 289.33.

Mariæ uirginis Crypta in Cypro 371.23.

Mariani populi 283.47.

Marinus Mercatellus 36.37.

Marinus Corealis 83.25.

Maximilianus primus Laude uirtutum inclytus 3.42. in Italiam deſcendit 145.2. tenui comitatu Piſas accedit. ibid. 20. excipitur ibid. Liburnum aduehitur 145.37. peritus rei militaris 177.2.

Maximilianus Sfortia bellum parat aduerſus Gallos inuadentes 293.1. principatu potitur. 202.24. in Galliam exul tendit 322.35.

Maximil. Cæſ. ut Italico imperio ceſſerit 405.26.

Maximil. Sfortia ad Nouariam 163.32. & cur 164.12. mente cur debilitatus 320.18. prodigijs & timore conſternatus arcem & principatum Gallo tradit 322.20. quib. condition. ib. Quæ grauiter ſit reſpondēdo locutus 321.22. de quibus iuſtè queſtus ſit. ibid.

Maximiliani Sfortiæ natiuitas 8.40. timor 161.44. animus ad pugnā 169.10. gratitudo 171.40.

Maximiliani primi regnum in Belgio 3.38. Idem Cæſar Germ. ibid. copiæ in Italiam 145.6.

Mecha urbs qua re celebris 381.9.

Mediolanum arcem Italiæ 27.34.

Mediolani arx à Gallis deditur 202.10.

Mediolanenſes ut ad Gallum defecerint 164.41. Triuultium in fugam conijciunt 307.24. Franciſco regi ſe dedunt 317.12.

Medices Florentiam reducti 159.30.

Mediceæ ædes diripiuntur à populo 33.8.

Medicea domus à Coſmo ædificata 33.21. Bonarum artium hoſpitium. ib. quibus rebus abundabat ibid. Inſignia omnibus in locis abraduntur 33.18.

Mediceum nomen quàm inuidioſum Florentiæ 33.44.

Medicei hoſtes reip. iudicati 33.18.

Mediceorum bibliotheca magnificentia &c. 33.32. Laus in Florentinorum inuidiam 102.9.

Medoacum ab Hiſpanis traiectum 195.10.

Melficta ubi ſita 132.23.

Melus amnis 343.31.

Meleager Foroliuienſis equitum præfectus ad Aragonios à Gallis diſcedit 135.30. 200.42.

Melchior Triuiſanus legatus 63.15. claſſis præfectus 138.47.

Melech Sulthanus 350.35. Chriſtianis Tripolim ademit ibid.

Melechſala ſeruorum manum ſibi milites comparauit 350.12. Ludouicum regem Gall. cæpit ad Damiatam 350.22. trucidatur à ſeruis ibid. Memphis nullis mœnib. cingitur 370.16. tres ingentes urbes complectitur 370.27. eius Arx amœniſsima ibid. antiqua 377.40.

Memphis urbs ab Selymo inceditur 373.31.

Memphi numeroſiſsimus populus 372.10.

Memphitici populi cibus 372.15. ingenium 379.1.

Medorum regna 283.14.

Mengrellij 285.19. ſtolidi ib. 27. & fures ib.

Mercullianus Cēturio inſignis 86.45. tumultus concitator Neapoli. 87.7.

Mercurius equitum Epyrotarum præfectus 192.25.

Meroes Nili inſula 388.19. tres rēges habet, trium religionum ibid. Naulelabe dicta. 389.1.

Meſopotamia quarta Perſarum prouincia ubi ſita 283.4.

Meſopotamiam occupat Selymus 239.43. & quas prouincias occuparit 140.1.

Meſtrium Venetorum oppidum 195.15. capitur à Mutio Columna ibidem.

Methonenſi Epiſcopo à Baiazete caput amputatur 154.36.

Militia Sophiana 218.31.
Malitia Othomanica 278.30.
Militiæ robur apud Abyßinos 386.29.
Milites dediti à Selymo occiduntur 374.9.
Milites obſeßi Nouariæ 99.15. ignominia notati 118.36.
Milites Heluetij & equites à pugna dilabuntur 312.38.
Milites præſidiarij Aegypti, tumultuantur 391.24.
Militum German. & Gallorum habitus 41.5. eorum arma ibid.
Militum genera tria apud Perſas 281.18.
Militibus præſidij ſtipendia pollicentur 332.2.
Militaris ordo ad pugnam 184.14. & 85.20.
Militares uiri qui cum Ferdinando ad recuperandũ regnum erant 84.37.
Mingarefius Scytharum imperator 228.15.
Monpenſerius obſeſſus auxilia petit à ſocijs 111.10. contra iuſiurandũ fugit 118.46. conſilij ſui errorem cognoſcit 126.42. 128.22. aduerſus uirginij ſententiam 131.27.
Moneta Piſis cuſa in Caroli VIII. honorem 107.44.
Monopolis à Venetis oppugnatur 80.25. capitur ibid. 40.
Monoceros 387.30.
Monocerotis cornu cõtra uenena 387.34. ubi reperiatur ibid.
Mons Ceniſius 297.20. Genebra 297.26. doloroſus 110.10. Iouis 297.10.
Mons ſupra Bellizzonam cadens Lacum efficit 201.43.
Montecarium 59.31.
Monteleo captum & direptum 122.32.
Monticellus Cruſtumini agri 152.26.
Montedolius contra fidem Gallos trucidat 100.16.
Mora fluuius 168.46.
Moratchamus in Arabiam fugit. 239.46.
Morbus Gallicus cuius ſeuitiæ principio fuerit 193.30.
Morbum Gallicum quis in Italiam intulerit 139.25.
Mordanum caſtellum oppugnatur 36.40. crudeliter expugnatur 37.3.
Moronus pro Maximil. Sfortia ad Põtif. 160.54.
Morteria quæ 90.40.
Mortis horrendum ſpectaculum 226.17.
Mos in morte Imp. Turcarum 250.25.
Moſcus amnis 227.33. 284.47.
Moſcouia quibus abundet 227.24.
Moſca urbs regia 227.34.
Moſcouia ad Auſtrum quibus terminetur prouincijs 228.34. à Iouio deſcripta 230.4.
Moſcouiæ Imperium 4.4.
Moſcouita Smolenchum proditione capit 230.28.
Moſcouitæ ubi ſiti 227.19. ab Aquilone ultimi mortalium 228.16. hoſtium contemptores 231.40. à Polonis fugiunt 233.44. cum quibus bella gerant 4.8.
Moſcorum religio 4.6. 229.43. diuitiæ 227.23. equitatus 229.45.
Moſcorum & Polonorum acierum diſpoſitio 232.15. pugna 232.40.
Motus aduerſus Gallos 56. per totum
Motinus Maximilianum Sfortiam ſeruat 169.6. tormento diſcerptus 170.24.
Mottini de augurio ſententia 168.12. conſilium 169.6.
Mozambicum littus 386.1.
Muleaſſes rex Tunetanus Iouio quid enarrauerit 382.30.
Mulieres Perſæ intactæ à Turcis dimittuntur 276.18.
Munitiones caſtrorum antiquorum Ligurum 23.14.
Mutpharchæ 287.18.
Muſtaphas unde ortus 252. ij. Bellerbechus natione Vngarus 357.23. fugatur cum Imbracorbaſſa ibid. Pannonius Baiazetis gener 378.2. pontem regij operis ubi conſtruxit 378. ibid. Baſſauiſir 252.8. Selymo fauet. ib. aſtuta oratio ad Baiazetem. 259.32. Baiazeti Selymum principem acclamatum renuntiat 263.4. Amuratem & Aladinũ monet patrui inſidias ut caueant 265.10. unde detectus monuiſſe iuuenes ut fugam capeſſerent 265.18. qua re occiſus & in publicum cadauer proiectum 285.27. plenam uictoriam Memphi reportat 373.39.
Muſtaphæ in pugna ardor. 367.20.
Mutius Columna ſauciatur 150.8. Heluetios prudenter monet 309.37.

N

NAmurſius in Pugna cadit 155.35.
Narciſſus Etruſcus cuniculorum artifex 92.27.
Naturæ humanæ uicißitudo 2.2.
Naualis pugna 174.20. item alia horrenda ibidem.
Nauarrus in oppug. arcis Med. capite ictus 320.4. caſtrenſi ſupellectilis ſpoliatus effugit 325.21.
Nauarri arcis Mediolani oppugnatio 319.15.
Nauus Abyßinorum rex 385.6.
Nauis caſus memoratu dignus 217.26.
Nauigium noua formæ conſtructum & cur 219.5.
Naufragium 146.30.
Neapol. regnum quibus dotibus ornatum. 5.25. eius limites ibid. inter Hiſpanum & Gallũ partitum 152.7.
Neapolitano regno qui à Gallo præpoſiti 56.8.
Neapolitani proceres Ferdinando iurant 50.4. rege præſente ſtabulum eius diripiunt 52.22. mores Gallorum faſtidiunt 79.26.
Neapolitanorum mobilitas 79.25. ad Aragonios cur denuo inclinant 79.27.
Neptunium fruſtra oppugnatur 47.16.
Nicolaus Annonius Epirotorum dux 64.35. equitum dux 143.18. occiditur ibid. 40.
Nicolaus Martianus interficitur 144.16.
Nicolaus Vendraminus 208.43.
Nicolaus Scotus 215.47. ſupplicio affectus 217.18.
Niger amnis hodie Gambra 382.16.
Nigra legio à quo inſtituta 295.4.
Nilus abyſſyna lingua Saphe 388.4. ubi nauigetur tutò. 389.1. Abbabuis dictus ibid.
Nili fontes 387.17. 388.1. palus ampliſſima 388.8. progreſſus ibidem incrementum 388.24. oſtia 389.12. de Nili incremento præſagia 389.40.
Nobilitas Vngariæ aduerſus Cruce ſignatos 223.30.
Nobilium Vngarorum uictoriæ contra Cruceſignatos 224.14.
Nodroſium ultimum promontorium Moſcouitarum 228.20.
Nogardia urbs Aquilonis emporium. 228.17.
Noruegia ubi ſita 4.23. 228.22.
Nouaria à Gallis quorum ope capta. 62.40. Franciſco Regi deditur 303.32.

Nouaria arx Gallis dedita 69. 20. mœnia quaſſantur 165.2.
Nouarienſis obſidio 93.2. acerrima ibidem. & deinceps.
Nouum Ieſu Chriſti Teſtamentum in Abyßina lingua 385.8.
Nox inſomnis Piſanis 105.43.
Nuptiæ regiæ Lutetiæ Celebratæ 289.40.
Nyſiſcha inſula 86.40.

O

OBertus Roſſettus 139.3.
Obignini conſilium 83.40. poſt uictoriam inertia 85.26.
Obſidio Nouarienſis 93.2. & deinceps acerrima Cremenſis 207.20.
Obſides pacis dati utrinque 137.1.
Occa fluuius 284.47.
Ocellum oppidum 297.10.
Octaui libri Epitome 154.25.
Octauianus Columna interficitur 135.19.
Octauianus Fregoſius uir præſtans 173.20. princeps Genuæ appellatus 173.43. cur cum Gallis fœdus inierit 292.10. quib. conditionibus ibidem. 15. pontificem ludificat ibid. 20.
Octodurum hodie Mauritij oppidum 297.8.
Odera flumen ubi exoneret 4.2. 229. ij.
Odemarum caſtellum 276.16.
Odium in nobiles pannonicos 222.24. in Selymum ex occiſione principum uirorum 392.12.
Odij cauſæ in regem Alphonſum 48.25.
Odoardi Surrei mors fortuita 174.15.
Ortus & Medeæ Inſula 285.22.
Ogleni 287.17.
Ollium amnis 337.2.
Olyga mons 245.9.
Omen aduerſus Gallos 168.7. in Caſtris Scotorum 182.43.
Opicinus Catia Nauarrienſis 62.19. uindicat iniurias ibid.
Oppida magna Græciæ 132.46. & 133.2. à Conſaluo capta. ibidem.
Oppidanorũ Portus Veneris induſtria 25.40.
Oppugnatio & expugnatio prima Gallorum 50.20.
Orbis quies 1.9.
Orchanes Othomannus cum Techele confligit & fugit 242.5.
Oriens & Septentrio anno 1514. bello flagrant. 220.40.
Orientis reges præcipui & clari 2.10.
Orientis opes ubi mittantur 285.6.
Orinianum Coleoneorum caſtellum 205.25.
Orons amnis hodie Farfar 258.9.
Orpha quæ & Dara 283.15. 341.37. quibuſdam Edeſſa ibidem.
Oſophum oppidum 208.6.
Oſophi uectigal cur Sauornianis ceſſerit 206.17.
Oſtia à Petiliano capta 23.36.
Othomanorum domus orbis totius clariß. 247.10. robur præcipuum 286.31.
Othomanici principatus militiæ deſcriptionem cur Iouius faciat 285.39.
Oxum flu. 268.32. 284.5.

P

PAx quo anno noſtra ætate maximè floruerit 2.5.
Pax dicta inter regem Galliæ & Ludouicum Sfortiam 99.3. eius conditiones ibid. quibus conditionibus dicta inter Ferdinandum & Gallos 114.40. tractatur inter Gallos milites & Ferdinandum regem Arag. 136.1. inter Pontificem & Vrſinos dicta 150.18. quibus conditionibus dicta inter Gallum & fœderatos 318.1.
Pacis leges 43.1.
Pacis conſtituendæ inter Gallos & Italos difficultates 98.30. inter Gallos milites & regem Neapol. 136.10. 40. ad Dunonem 189.19. iniquæ 189.8. de Pace colloquiũ inter armatos proceres 98.3. de Pace agitur inter Ferdinandum regem & Gallos 114.10. & deinceps
Paces quæ durare non ſolent 42.46.
Palaia Florentinis dedita 100.30.
Palindromum promontorium 381.12.
Palmæ cãpi Marcelli & Annibalis pugna clari 118.17.
Pandonij legati fides & diligentia 19.16.
Pandulphus Petrucius uir ſagax, remp. occupat 6.28.
Panni ſerici unde in Moſcouiam perueniunt 327.18.
Pannonici regni Status 321.20.
Panthera 387.24.
Pardales monetæ genus 386.40.
Parthenius amnis 267.9.
Parthi ubi ſiti 283.40.
Parthorum regna 283.14.
Patauium repetit bello Maximilianus 158.8.
Patriarcha Abyßinorum, eius ſedes & ſtudia 386.43. reditus 387.8.
Paulus Fregoſius Cardinalis 24.16.
Paulus Capellius Venetus 123.24.
Paulus Vitellius à duce Mantuano ſeruatus 138.5. Vitellius Piſas pro Florentinis oppugnat 153.12. inuidia & calumnia capitur & occiditur à Senatu Florentino ibid.
Paulus Nouius Genuenſis capite truncatus 156.45.
Paulus Baleonus Aleſſacum capit 173.14. Romam accerſitur, à Pontifice 201.40.
Pauli Vitellij Stratagema 79.2. auſus 105.17. uirtus 151.4.
Pauſilippus mons perforatus 116.46. & 117.44.
Pauor Mediolani 339.33.
Pecoris maioris & minoris ſumma 12.7. 42.
Pecunia Turcæ ad Pontificem miſſam & intercepta 44.36.
Pedeporcius mons 299.10.
Pedites Hiſpani & Itali meliores facti 85.44.
Peditatum quis in Italia reſtituit 48.11.
Perfidorum hominum conſuetudo 254.20.
Permutatio perſonarum notanda 201.30.
Periardus mons 271.40.
Perſæ callidi 273.36. Turcas contemnunt 274.22. uxores amant 279.10. uxoribus addicti 293.10. quo itinere in Comagenem erumpant 283.8.
Perſarum alacritas aduerſus Turcas 273.1. equitatus 274.15. arma ibid. 280.14. & 24. reges cur ærario non ſtudeant 281.3. arma 280.25.
Peruſini equitis facinus 154.3.
Perſianorum fines 282.28.
Perſici fines Imperij deſcribuntur à folio 282. uſque ad 283.35.

Perſida 554.3.
Perſinus Gallus uictoriam de Arago-
nijs reportat 113.1. ſed
uti ea neſciunt ibidem.
à Neapoli diſcedit 117.40.
commeatum hoſtibus relinquit
118.2.
Perſini obliquæ artes 130.24.
ad milites conſolatio 135.40.
ad Ferdinandum regem de pace uer
ba 136.7.
Peſtus urbs Pannoniæ 222.27.
Peſtis terræmotum ſequitur
247.15. Conſtantinopoli
268.26.
Petilianus natura cautus dux 29.36.
cuſtodiæ traditus à Gallis 54.
35. ut iuuerit Italorum partes
ad Tarum 72.33. Ve-
netorum dux declaratus 94.
36. Conſtantiſsimus
158.10.
Petracallum direptum 127.18.
Petraſancta Lucenſibus uendita
108.3.
Petraſanctanſes 31.30.
Petrus Medices remp. Florentinam ad-
miniſtrat. 6.29. ad Ca-
rolum in Caſtra uenit 31.35.
quæ pacta cum rege fecerit ibid.
in gratiam regis recipitur 32.1.
munitiones Florentinorum regi tra-
dit 32.5. Florentiam cur
reuocatus 32.10. Flo-
rentia fugit cum fratribus 33.2.
Petrus Rohanius Mareſchalchus
15.10.
Petrus Borbonnius 15.14.
Petrus Dodus Venetus 69.20.
Petrus Bembus interficitur ad Mono-
polim 80.35
Petrus Zenus Venetus 241.40.
Petrus Nauarrus ex gregario milite
dux factus 157.34. Ora-
num occupat ibid. Bu-
ziam capit, Tripolim expugnat
ibidem cladem accepit ibid.
40.
Petrus Hetruſcus operum mirabilium
machinator 218.35. cur
Gallis militat 295.7. mit-
titur ad arcem Mediol. oppugnan-
dam 317.28.
Petrus Aluares Luſitanus 384.31.
Petrus Abyſsinus 384.37.
Petri Medicis reſponſio ad Regem
Galliæ 17.32. indignum
facinus 22.6.
Petro Medici à quibus curia prohibita
32.30.
Petri Caponij Florentini interitus
144.25. libertas & audacia
56.20.
Petri Lombardi patria 93.13.
Phaſis amnis 285.20.
Phaſium Georgianorum regia
285.21.
Philetinus 206.34.
Philippus Argentonus hiſtoricus
15.9. legatus ad Venetos
27.8.
Philippus Decordes 21.2. mi-
litiæ peritus 277.15.
Philippus Auſtrius in Hiſpaniam na-
uigat 56.30. regnum dotale
capit. ibid.
Philippus Roſcius equitum Ven. præ-
fectus 133.21.
Piccifalconium Neapoli
54.20.
Piſæ in Venetorum poteſtate conſtitu-
tæ 147.4.
Piſani omnia potius malunt quam Flo-
rentinis parere 103.46.
urbem muniunt 104.20.
cur Gallos ciuitate donant
107.42. ſponte Venetis ſe
dedunt 147.10.
Piſanæ matronæ ex mundo muliebri
pecuniam pro arce ſoluunt
108.10.
Piſanorum potentia 34.8. qui-
bus ſeruierit ibid.
Piſanorum & Florentinorum conten-
tio 58.16. Legatio ad
Venetos & Sfortiam 102.10.
legati oratio in Florentinos
102.13. Fortuna bona
108.14. legationes ad princi-
pes 108.24. ſucceſſus
in Florentinos 143. per
totum
Piſanis libertas reſtituta 35.5.
auxilia promittunt contra Floren-
tinos 104.4. opportu-
ne ſuperueniunt 106.6.
Piſcarius inimicum generoſe conſer-
uat 200.6.
Piſcarij infamia & 161.38.
Piſcium magna captura ubi
228.23.
Piſinſactes 206.35. capitur
207.7.
Plauti Penulus Romæ in ſcena actus
191.42.
Plebs Sacci oppidum direptum
194.42.
Polonia quæ & Sarmatia 4.1
229.9. quam late pateat
ibid.
Poloni unde dicti 228.46. ca-
taphracti pugnant 229.35.
Polonorum lingua 229.47. reli-
gio 229.43.
Polonorum & Moſcouitarum exerci-
tus 231.25.
Polonorum & Moſchi acierum diſpo-
ſitio 232.15.
Polonorum & Moſcorum pugna
232.40. uictoria ad Bori-
ſthenem. 233.30. præda ex
Mocouitis 233.44.
ex Polonis in pugna qui perierunt
233.40.
Pomelida 414.36.
Pomelianum 118.6. expugnatur
à Gallis ibid.
Pons Capelleſius 59.8.
Ponteſaccum oppugnatum & deditum
100.4.
Pontifex Ferdinandum Roma ut diſce-
dat, rogat 40.27. Vrſi-
norum oppida occupat 240.3.
reges omnes aduerſus Gallum con-
citat 258.25.
Pontificis Romani artes 212.2.
Pontificis & Cæſ. contraria ſen-
tentia de Mediolanenſi principatu
339.21.
Pontificum Rom. ditio 5.31.
Pontifices alere diſcordias Romano-
rum ſolitos 6.5.
Pontremulum oppidum 31.8. ab
Germanis incenſum 64.14.
Pontum hodie Zabacca 283.10.
Populi qui ad Aragoniam fidem redie-
runt 127.35. qui lin-
gua & morib. ferè conſentiant
229.31.
Populorum natura infida & mobilis
37.44. mos & inconſtantiam
81.24.
Portæ Caſpiæ ab Alexandro ædifica-
tæ 283.24.
Portus Veneris 24.40.
eius deſcriptio ibidem. op-
pugnatus ab Aragonijs, fruſtra
25.24.
Portus Erycis 24.46.
Portus Icius olim, hodie Caleſia
175.1.
Portum nouum capitur à Venetis
208.39.
Portugalliæ rex 3.17.
Praxium promontorium 180.37.
Præcopitæ 228.15.
Præda ex Gallis ad Tarum quibus
ceſſerit 74.15. qualis
fuerit ibidem. ex ni-
uali pugna 78.10. ca-
pta in caſtris Perſarum à Turcis
276.15.
Præfecturæ apud Turcas quib. dentur
286.20.
Prælium atrox Neapoli 88.7.
tumultuarium 118.22.

propè

prope Atellum ... & 10. atrox inter Gallos & Heluetios ad Nouariam 196.20. inter Perſas & Turcas 274.40. inter Selymum & Campſonem Sulthanum 357.13. inter Gazellem & Symambaſſam 361.22. inter Tomumbeium & Selymum 366.6. inter Turcas & Mamaluchos nocte diremptum 367.46. atrox in Memphi 372.42. ad pontem Nili 377.10. redintegratum 378.10.
Preianus Galli Piratæ auſus 174.4.
Præſidij Brixiani Tumultus 331.16.
Præfectus armis petitus 331.25.
Preteiannes rex Aethiopum 381.35.
Preteiannes ubi habitet 383.19.
Preteiannis imperia ubi ſita 383.22. regna quadraginta 383.13. nomen Belulgiam quid ſignificet 385.1.
Prætoriani Genuenſes 27.12.
Prætorianorum Turcarum alacritas 353.41.
Principum cogitationes aduerſus Gallos uictores 55.36.
Principum Italicorum fœdus contra Gallum uictorem 50.28. indignatio in Heluetios 189.44. & 190.1.
Principum & Heluetiorum in Gallum conſpiratio 326.36.
Proceres qui bello Neapolitano aſſenſerunt 15.15. & deinceps
Proceres Pannoniæ auaritiæ ſtudentes 221.30.
Prodigia in expugnatione arcis Mediol. 320.29.
Promontorium Moſcouitarũ ultimum, Nodroſum dicitur 228.20.
Proſper Columna & Aſcanius in carcerem coniecti 24.1. bellum Neapoli pro Aragonijs gerit 92.10. natura cunctator 193.44. ſententiam Cardonij improbat 194.1. à Gallis deditione capitur 300.12. quo caſu ſuam dignitatem macularit 300.32. carcere liberatur 326.30.
Proſperi Columnæ ſententia contra omnes 115.22. ſaluberrima ibid. & deinceps ſaluberrimum conſilium 116.10. 20. prudentia militaris cognita 197.47. eius apud exercitum opinio 198.10. in recipiendo deditione Bergomo æquitas & bonitas 216.18.
Prutení & Liuones 228.46.
Pugna inter Sfortianos & Aragonios fortuita 27.2. inter Gallos & Italos ad Tarum 71. pertotum. Tarrenſis memorabilis 73.12. inter Adurnos & Gallos pro Fregoſijs 77.40. inter Anglos & Gallos 177.40. ad Semenariam 85.4. Neapoli inter Gallos & Aragonios 89.40. 90.10. ad muros Piſanos 104.40. intra urbem 105.7. inter Gallos & Aragonios ad Atellam 135.2. inter Vrſinos & Pontificios 149.20. & 40. ad Surianum quando acciderit 150.23. Conſilui cum Gallis ad Gerionem 155.35. ad Ghiaradam cur inſignis 178.12. ingens 186.2. inter Venetos & Hiſpanos ad Vincentiam 199.12. ad Bergomum 205.1. ad Portum nouum 208.20. leuis ad Veronam 215.16. inter Gallos & Aragones 112.20. inter Crucesignatos & Vayuodam 225.45. inter Hyſmaelem & Aluantem reges Perſarum 238.35. Techellis cum Turcis 242.40. inter Baiazetem & Selymum filium 15. 254.40. inter Achomatem & Selymum 267.45. ad Coim quo die contigerit 276.20. ingens inter Gallos & Heluetios 310.20. ab Heluetijs reſtaurata 314.4. tripartitò mutatur 314. ibid. ad Vallegium inter Cæſarem & Venetos 334.1. ſæuiſſima 336.40. inter Selymum & Aladulum 345.10. ad Hierapolim quando contigit 358.30. inter Arabes & Turcas 362.22. acerrima 373.1.
Pugnæ occaſio cur neglecta 29.30. & 30.7. locus ad Tarum 71.1.
Pugnæ quantus tumultus 366.38.
Pugnæ leues apud Brixiam in obſidione 333.1. de pugna ad Hierapolim & iudicium authoris 358.32.
Pugnandi copia à Venetis facta ad Tarum 70.35.
Pugnandi alacritas Italorum ad Tarum 70.1.
Pugnatum ut ſit tormentis utrinq; Neapoli 91.1. & deinceps
Pugnatum 7. horis continenter ad Mediolanum 311.45.
Pugnatum quo die ad Memphim 368.6. in Memphiticos dies ancipiti Marte 373.13 & tertia pugna redintegrata ibid.
Pylus olim, hodie Nauarrinum dictum 154.44.
Pyramides Aegiptiæ 371.46.
Pyrrus Martianus capitur 145.41.

Q.

QVæ una die diuerſis in locis acciderint 79.20.

R

RAma urbs 362.18. & 363.6.
Ranuccius Farneſius 69.30. interficitur 71.36.
Ranuccius Martianus inuidia flagrat in Paulum Vitellium 153.22. captus à Gallis 155.19. moritur ueneno & cur ibid.
Rapallum oppidum 26.5. occupatur ab Aragonijs ibid.
Repollanæ aquæ 121.26.
Relignanum 50.40.
Ruſsia Alba quæ dicta 228.38.
Ruſsiæ duæ 228.35.
Roysdomon 376.15.
Rex Tunetanus 3.15.
Rex Galliæ Vrſinos & Vitellios conſolatur 142.25. exercitum luſtrat 301.19. Proſperum captiuum ſolatur 301.20.
Regis & pontificis colloquium 226.15. pactorum conditiones 326.21.
Regis duæ factiones in Perſia unde 235.36.
Reges qui Iouij tempore claruerint 4.23.
Reges Galliæ ut hæredes ſint regni Neapolitani 15.28.
Reges Hyſmaeli ac Selymo æque inatenti 271.20. de imperio dimicaturi 176.30.
Regum arma aduerſus Pontifices 40.20.
Regum oculis diuinam ineſſe uim 52.42.
Regum hiſtoria apud Abyſſinos ſcribitur 385.13.
Regum Abyſſinorum mores & aula 385.20. arma & exercitia uxores, prælia ibid.
Regnandi cauſa neque pietate, neque uerecundia reges permoueri 119.46.
Religionis perturbatæ ſimilitudo 278.12. ad Religionẽ nouã Mahumetanã

que populos incitarent 240.15.
Religionum mutationes Iouius in Sydera refert 237.25.
Rentius Ceres uir fortis 203.40. Bergomo iterum potitur 215.5.
Rentij Ceritis conſtantia 215.37. obſeßi egregium facinus 112.36. ad Cremam uictoria 113.22. ad Bergomates concio 215.24.
Renderſius inſignis centurio 59.14.
Rha flu. noſtris Volga dictũ 184.16.
Rhauenna magna clade affecta 159.18.
Rheni amnis origo 269.40.
Rhodani fontes 297.16.
Ricianus dux Germanus 208.30.
Ricinius Aſulanus uir fortis & uigilãs Cæſ. reſiſtit 337.24.
Ripa candida ubi ſita 132.28. oppugnata 134.28. & capta ib.
Robertus Sedanius 294.42.
Roberti Sedanij forte factum 170.34.
Robinettus Frumeſella 68.41.
Roccandulphus ad Veronam cum ſubſidio 403.35.
Rodericus Daualus Caietanis adeſt 81.40.
Rodigium à Liuiano captũ 214.44.
Rodulphus Gonzaga 69.30. 70.19. moritur 71.36.
Rodulphus longus Rhætus cadit 315.39.
Rom. Populus in partes diuiſus 5.43.
Romana plebs turbulenta 42.25.
Romani proceres 6.1.
Romani natura turbidi & docoris aui di 6.8.
Romani oratores ad Carolum VIII. 40.34.
Romani pontificis authoritas opinione hominum conſtat 45.40.
Ronna & Anglardus Tigurinis deligun tur duces 302.29.
Roſſetus Tifernus captus 149.29.
Roſtius cum 20. chortib. pro Mediolani duce ſuperuenit 304.30. Imperator declaratur ibid. pecuniam ui ablatam Gãbaro reddit ib. 40.
Roxolanorum religio 229.43.
Rubo amnis 230.9.
Rumor de Cæſare 336.21.

S

SAbellij 5.44.
Sacellum uetuſtißimum Venetijs diui Iacobi 203.12.
Sacramorus Vicecomes maiorum oblitus 163.34. noui Catilinæ nomen adeptus ibid. perfidus 164.
Sacramori à Sfortia defectio 164.24. eius ad milites & populum oratio ib. 30. ad Venetos confugit 172,24.
Sæuitum Memphi 374.20.
Sagittarij optimi 281.40.
Saladinus Sarraconis filius 350.8.
Salernitanus Centurio 27.26.
Salernitanus inſidos Aragonios affirmat 119. Aragonijs infenſus 319.26. Gallos ad renouandum bellum accendit 119.6. gallicæ factionis 138.37. à Federico rege expellitur ibid. Senogalliæ moritur ibid.
Salernitani erge Gallos fides & conſtantia 119.21.
Salſe antiquitus Salſulæ 140.14.
Salſulæ propugnaculum potius quàm oppidum 140.15.
Salſubium olim, hodie Caſtrocarium 37.37.
Samandria, quã Scenderouium dicunt 249.15. Mæſiæ & Thraciæ propugnaculum 346.33.
Samarcanda 284.10.
S. Ioan. oppidum in Arpinate à Gallis direptum & incenſum 50.22.
Sangarium flu. 242.17.
Sanzacbi 286.45.
Sapha urbs regia in Parthia 283.43.
Sapi amnis 29.18.
Sapientiæ portus 152.31.
Sarmatarum uictoriæ 229.10.
Sarraco 350.3.
Sauus flu. ubi 222.14.
Sauone regum Galliæ & Hiſpaniarum congreſſus 156.43.
Saxonaroglis Aladuli emulus & conſanguineus 346.3. Aladuli proditor 18. in amicitiam Selymi allectus 346.14. ab Aladulo deficit ibid. regno Aladuli præfectus 346.17.
Schaffuſiani milites qui pereunt in uilla 315.21.
Scapha quæ antiquitus Suſa 239.28.
Scanderbaſſa in Venetos populabundus irrumpit 152.42.
Scaramuccia Vicecomes 76.43.
Sceuæ regnum nobiliſſimum 383.17. ubi ſitum ib. 25. fertile ib.
Sceuæ regni, fructuum & hominum luculenta deſcriptio 383.40.
Sceuani inter Abyßinos præſtantißimi 383.41. eorum res publica ibid. politia, religio 384.1. pœnæ in religionem peccantes 384.10. & in leges ibid.
Scotia quæ dicatur 18. urbibus infrequens ib. 28. Anglia tertia parte minor 180,26.
Scotus in Anglum bellum indicit 180.16.
Scotus Gallo beneficijs obſtrictus 178.47. Anglo natura infenſus 179.2, Angliam inuadere decreuit ibid.
Scoti in Anglum querelæ 178.30. & literæ ibid.
Scoti Angliam inuadunt 181.24. incendunt ib. ad octo milia caſi ab Anglis 186.30.
Scotorum rex Norbanum in Anglia capit & deſtruit 181,37.
Scotorum caſtra 182.10. regis reſponſio ad Araldum 181.21.
Scotorum regum fatum 186.33.
Scuttaris, olim Chalcedo fuit 256.19.
Scyras clariß. urbs inter Orientales 239.22. Perſiæ regia 281.35. antiquitus Cyropolim 282.10.
Scytharum arma quando claruerint 1.38. imperatores plures 228 4.
Sebaſta hodie Suias dicitur 269.10.
Seditio militaris Genuæ 28.30. ſcorti cauſa 94.38. inter Heluetios 303.7.
Sedunenſis Cardinalis ex profeſſo Gallorum hoſtis 161.1. tumultum fugit 302. 24. ſollicitudo 305.1.
Sedunenſes de pugna conſilium 308.3.
Sedunenſis Cardinalis inimici 341.10. eius in eos uindicta ibid. 27.
Seduni ubi ſiti 297.4.
Sedunorum & Bernenſium auxilia Mediol. contra Cæſ. & Card. Sedunenſem. 340.36.
Segeſta Tiguliorum 16.6.
Selandia ubi ſita 228,28. quæ & Scadauia antiquis 228.30.
Selymus cum 150. milibus Adrianopolim accedit armatus 250.40. patrem armis appetit 251.32. proponitur à Baßis imperator contra Achomatem. 1.259.30. & 40. 260.10. ſpectaculo fit populo ob audaciã 261.20. ſupplex ad patrem uenit 262.25. aſtu detrectat imperium in Achomatem 262.32. fratrem Chorchutum ludificat ibid. Imperator exercitus declaratur 262.43. princeps & Sultanus acclamatur ib. 44. donatiuum pollicetur 263.1. publicè Imperator acclamatur 263.27. cur patrem incolumem abire non permiſerit 263.44. honores quos mortuo patri detulerit 264.7. Donatiuum quale militib. diſtribuit 264.10. aduerſus Achomatem proficiſcitur ibid. 14. pacem cum Venetis cur facit & cum uicinis Europeis 264.26. nepotes 5. necari iubet ibid. 30. Mahometem nepotem necat. ib. Item duos nepotes. abhorrẽt milites eius faciem

faciem. ibid. 43. Byzantium uenit 265.15. Corchutum fratrem nihil molientem tollere curat 265.30. ſua ſpe fruſtratur ibid. 46. in ſe dicta carmina legit, & lacrimauit 266.14. literas ad fratrem datas intercipit 266.46. earum ſcriptores necat, & fratrem decipit ibid. 267.4. poſt uictoriam 4 dies in caſtris manet 368.20. minorem Aſiam recuperat 268.23. iterum in Aſiam contra Amurathem 269.14. difficultates omnes ſuperare conſtituit 269.30. Chendemum inuidia prægrauatum inauditum interficit 271.6. cura auxius 272.15. alacritatem cur ſimulat ibid. inſtructa acie aduerſus Sophum 273.31. ad milites uerba 274.23. ad Iannizeros 273.20. uictor Caldetanis in campis 276.30. ab Armenia diſcedit Sophum timens 276.44. uix ſe tutatus eſt à 30. millib. Perſis 277. cur longiori itinere redierit 277.8. fabros à Perſis abducit ibid. fugiens impedimenta reliquit ibid. Euphratem ut tranſmiſit ib. aduerſus Aladulum ſe parat 277.45. quib. inſtrumentis regnum ſeruarit & auxerit 288.27. eius uictoriæ ib. Orientis uictor 343.20. Ciamaſſum oppidum oppugnat 343.40. expugnat ibid. in Hyſmaelem Sophum fertur 344.5. contra Aladolum 344.15. cum Aladolo pugnã iniuit 345.20. Aladolum fugientem inſequitur 345.40. Saxouaroglim corrumpit 346.5. rebus Pannonicis occurrit 346.30. Pannoniam populatur 346.37. & cur ib. ut copias ſuas toto regno diſponat 347.20. Campſoni Aegyptio legatos mittit 347.33. toto Orienti formidoloſus 348.8. conſilium mutat inuadendi Perſas & in Campſonem defertur 353.15. ad Prætorianos oratio 353.22. noctem inſomnem cur ducat 358.12. caſtris hoſtium diripit 358.20. Damaſcum petit 358.45. comitia in caſtris habet 359.6. Synambaſſam in Iudæam præmittit & cur 359.24. Hieroſolymam inuiſit 363.19. Chriſtianis Hieroſolymam habitantib. alimenta ſex menſium largitur 363.30. ad conficiendum Sulthanicum bellum properat 364.9. Synabamſſam munerib. & honore uerborum ſuſcipit 364.3. ut ab Arabib. ſe & ſuos defendit 364.25. in Armeniam 271.16. milites adhortatur 372.23. pugnans Memphim ingreditur 372.40. tormentis uictoriam adipiſcitur 357.36. tertia die de uictoria deſperat 373.31. Gazallem & duces Arabes recipit ſtipendio 375.1. Ciues quoſdam cuſtodiæ tradit 375.36. ad Tomumbeium legatos mittit 375.40. & cur 376.3. & 18. in Mamaluchos cur iratus 376.25. uehemens & ferox ibid. in Tomumbeium expeditionem parat ibid. 30. ponte Nilum ſternit ibid. ſuis in ponte adeſt 378.12. Alexandriam uehitur 389.30. ſtipendia auget militib. 391.1. quot illuſtres uiros occiderit indicta cauſa 392.12. ex Siris conſtantinopolim reuerſus cur ſit 393.30.

Selymi ingenium 247.45. eius ad imperium ſtudia & artes 248.10. ad legatos patris reſponſio 248.45. petitio apud patrem 250.42. aduerſus patrem acies & prælium 254.34. equus Carabulus uocatus 255.20. de bello meditatio 269.20. auſus 269.30. infinite ingenium & audax 270.30. pollicitationes erga reges Aladul. 271.18. reſponſio ad Sophum 273.20.

Selymi & Sophi comparatio ab Iouio facta 278.6. & diſcordiarum cauſæ ibid. Antitheſis 278.17. crudelitas 278.76. triſte ſupercilium 278.41. libido in mares 279.15. cum uxoribus nulla familiaritas ibid. 25. uxores & earum habitatio 279.27. ſtudia & cuſtodia ibid. ſtudia 279.37. religio nulla 280.1. patris Baiazetis uigilias irridet ibid. egregia facta 343.10. celeritas 343.25. exploratores 347.4. legati ad campſonem uiri aſtuti 352.32. diligentia 354.2. acies contra Campſonem 357.9. uirtus 357.44. animi ſollicitudo 363.10. bona fortuna 364.20. acies diſpoſitæ 366.25. prætorianorum inuictum robur 367.30. adepta uictoria edictum 374.12. legati à Mamaluchis trucidantur 376.20. in Arabes liberalitas & cur 380.20. præda ex Aegypto 389.35. artes contra Perſas 392.40.

Selymi & Hiſmaelis contraria ingenia 393.20.

Selymo Damaſcus & maritimæ ciuitates deduntur 359.2. iuramentum milites dicunt 263.28. fortuna ſemper fauit 266.37.

Selymiani fugiunt 255.10. decepti cæduntur 267.22. Perſis equitibus cedunt 268.1.

Selymianorum metus in Armenia 272.10.

Semenariæ ſitus 84.40.

Seneſium ad regem Galliæ reſponſum 17.43.

Sententiæ gerendi belli in Venetia 193.30.

Septa mons 296.38.

Seraphij monetæ genus 386.40.

Sercius amnis 59.2.

Sergianum ex Lunæ ruinis ædificatũ 31.16. à Gallis Genuenſibus uenditur 108.1.

Sergianellũ arx à Caſtrucio ædificata 92.32.

Serici magna copia ubi 283.45.

Sericæ telæ mercimonia ubi 282.18.

Seritur ter in anno ubi 383.33.

Seruan Albanorum regio 285.15. bellicoſi ibid. 27.

Seſithes amnis 297.16.

Sfortia dux fortiſſimus 11.9.

Sfortianorum ſuſpicio de Venetis 97.33.

Sfortiadæ prædia 62.30.

Sicci Florentinorum ducis ſtratagema 110.20. eius mors 111.4.

Sicillum oppidum 208.19.

Siene hodie Guaguera 308.26.

Siliphtari 287.17.

Simon Orlandinus Piſanus 34.29. libertatis aſſertor ibid.

Simulata peſecutio Sfortianorum 75.44.

Singa amnis 352.44.

Smolenchum oppidum 230.6. oppugnatum à Moſco. fruſtra ibid. 15. à Vilna quantum diſtet 230.40. à Polonis fruſtra tentatum 234.2.

Sophus cur occaſionem in Selymum expediendi omiſerit 393.1.

Sophi exercitus ex quibus conſtet 393.5.

Spachi 287.14.

Spectaculum miſerabile pecorum & paſtorum 127.45.

Spedia oppidum 35.4.

Spluga mons 296.38.

Sponſalia inter reges Vilnæ 329.28.

Stephanus Belcarius cubicularius 15.1.

Strages in Florentinos edita 101.2.

Strages à fracto lacu 320.40.
Suaſüa urbs Sebaſta fuit 353.18. ubi ſita ibid.
Subaſi 286.45.
Suburbis Mediolani cur comburantur à Borbonio 338.2.
Succarus Heduus captus in honore habetur 21.20.
Suctia ubi ſita 4.10. 228.22.
Suezziæ portus 376.9. olim Arſinoes 380.30.
Sulthania, quæ olim Tigranocerta 239.30. 282.12. ex Tigranocertæ ruinis creuit ibid. 16.
Sulthanus Aegypti regnum ad hæredes non tranſmittit 349.12.
Sulthani imperium 2.23.
Sulthanorum ueterum mos 355.39.
Sumachis olim Gamala 283.22.
Supplicium quale ſumptum de deditițijs 224.10.
Surtanum oppidum & eius ſitus 149.1.
Surreius Anglorum nobiliſsimus 181.40.
Surreij ad Scotorum regem legatio 182.13. conſilium de ineunda pugna 183. & oratio ad milites ibid.
Suſa, quæ olim Sebuſium 297.25.
Syluius Sabellius 204.22.
Sinambaſſa pugnam reſtituit 357.32.
Synambaſſa contra Gazellem tendit 360.44. uictoria potitur aduerſus Gazellem 361.41. Gazenſes defectionis authores necat 363.46. in pugna cadit 367.10.
Synambaſſæ caſtra apud Gazam 360.12. peritia militaris 360.13. prudentia ibid. 40. certaturi ad milites oratio 361.10. patria & caſus 365. ij. a porca caſtratus ibid.

T

Tabenda quæ hodie Toccata 235.10.
Talbotus Anglus 176.20.
Tana Emporium 248.20.
Tangaribardinus Hiſpanus, Mahometanus factus, eius uitæ exitus 349.18.
Tarquemenius primus Aegypti Sulthanus 350.25. obtruncatur ibid.
Tartari Schytæ 227.40. equitandi peritiſs. 227.44. quos deos colant 228.1. ad Cappadociam 350.15. capitui à Baiazete trucidatis 255.25.
Tartari & Scythæ qui in Syriam penetrarunt 285.12. equites Nilum tranant 377.30.
Tartarorum ingentia agmina 284.17. mores & uictus 284.21.
Tarus flumen. 65.20.
Taurus mons, ubi Amani nomen aſſumat 35.4.
Tauriſium Perſarum regia 237.12. 276.33.
Tauriſium Ptolomæo Terua 276.35. urbs Armeniæ regia 282.6. ibid. uel Suſa Hebreis ibid.
Techellis nouus propheta & imperator 234.25. Perſa origine 234.29. Harduelis diſcipulus 235.49. Cuſelbas cognomento ibid. Sedem ubi poſuerit 236.2. Turcorum fines armatus inuadit. 240.10. & 17. in Lycaoniam 242.2. cum Bellerbeco Aſiatico pugnam init 242.35. Cutbeiam cur oppugnat 243.22. capit ibid. 40. ex heremita imperator factus 244.10. cum Turcis equitibus iterum pugnat 245.15.
Techellis uita diuina 236.7. à quibus agnitus ibidem. 10. maior homine uiſus ibidem. ſectatores ſuos ut diſtinxit ibid. doctrina quæ & Harduelis. ibid. edictum 240.17. & 35. ad milites oratio 242.34. conſilium ex Aſia abeundi 244.24. facinus 244.42. ſtrages & fortitudo 245.20. fuga 246.37.
Tempeſtas fœda 246.30.
Templum filiæ Pharaonis 371.38.
Tendæ colles 297.43.
Tergeſtum à Venetis expugnatum 157.6.
Teroanna ubi ſita 175.10 ab Anglis oppugnata ibidem. 176.10. Anglis dedita 178.20. incenſa ibid. & exciſa ibid.
Terralba 76.40.
Terra noua 267.19.
Terræmotus Conſtātinopoli 247.14.
Temeſa flu. 224.23. 36.
Temeſuar oppidum 224.35. oppugnatur ibid. 40.
Thabeles 380.7.
Theodorus Fruſsinius equitum dux 143.18.
Theodorus Triuultius Veneto exercitui præfectus 394.3. eius ingenium ibid. a rege datus 319.12.
Theodoranum à Liuiano direptum 39.5.
Thomas Firmanus 27.15.
Thomas Chardinalis Strigonienſis 221.16. ſe purgat 226.38.
Thomas Caraffa uir imbellus ſed fidelis 111.30.
Thomas Fabronus Piſtorienſis 137.2.
Thomas Hauardus Anglus 182.13.
Thomæ Chardinalis Strigonieſis aſtus 227.9.
Thorius portus 389.31.
Ticinum, hodie Papia 30.43.
Tiſernatum milites 148.33.
Tigres 387.24.
Tiliauentum flu. 208.41.
Tininum oppidum Croatiæ à Turcis infeſtatus 222.5.
Timarriotæ equites Turcici, 286.29.
Tomūbeius Circaſſus Aegypti Sulthanus eligitur 359.33. arma parat 359.38. animos in Selymum concitat 359.46. receptui primus canit 367.44. fractus bellum reſtaurat 358.35. quibus rationibus ibid. uerum per transfugas proditur 369.15. Memphim propugnandam ingreditur ibid. 23. fugit 274.1. in Seieſica bellum reparat 375.14. Memphim uocatur ibid. 19. fugit 378.20. capitur ibid. 28. excruciatur propter Theſauros ibid. 33. ſuſpenditur ad portam ibid. 40. quo die ibid.
Tomumbeij inſidiæ deteguntur 365.20. eius fortitudo animi ibid. in prælio difficultates 365.36. facinora in pugna 367.28. caſtra 364.40. & copiæ ibid. eius de inuadendis Turcis conſilium 369.6. opera in ciuitate Memphi 370.2. audacia 576.33. eius paruæ copiæ 376.40. eius in Turcas uehemens impreſsio 377.6. conatus in pugna ibid. 35. caſus conſidera

conſiderandus 379.10.
eius corporis habitudo ibid.
& 379.19.
Tormeda Nigritarum princeps 386.9.
Tormentum Liuiani cometes dictum capitur 324.40.
Tormenta à Gallis per Apenninum traiecta 64.20. à Germanis capta à Venetis 209.14. Selymo uictoriam pariunt 276.3. ut per alpes transportata ſunt 299.1.
Tornacus Neruiorum ciuitas 187.8. deditur Anglo 187.30. ad Tornacum XXX. milia pugnantium 187.16.
Torpea hodie portus Herculis 83.33.
Traianus Pappacauda uir militaris 120.36.
Traiectus ab Scotis in Orcadas Inſulas 180.28.
Tamerlanes Tartarorum rex 227.45. Samarcanda ortus 284.13.
Tamerlanis egregia facta 1.39.
Tramulius 63.46. laudatus de pace confecta 190.44.
Tramulij induſtria ad Diuionem 188.4. eius ad Heluetios legatio 188.10. prudentia 189.34.
Tranſyluania 225.18. aurifera ibid. equorum & pecorum ferax. ibid.
Tranſfugæ nulli à Sopho ad Turcas ſed è contra 273.38.
Trauiconia foſſa 113.1.
Trebonianum à Liuiano defenſum 147.34. à Pontificijs captum 148.11.
Trepidatio à Cruceſignatis 223.13.
Tributa quæ Preteianni ab regibus ſoluuntur 386.18.
Triuultius Pitiliani ſententiæ aduerſatur. 29.43. ad Gallos deficit 51.33. itineris exercitum Gallorum dux 64.26. Sfortiæ maximè infenſus 142.26. noui itineris inuentor in Alpibus 298.2. ad regem Galliæ alloquium 298.30. de oppugnanda Brixia conſultat 323.10. quam ſententiam ipſe probet ibidem. 28.
Triuultius & Nauarrus denuo Brixiam obſident 326.40. cur caſtra contrahit 330.10. Mediolani præfectus 342.30.
Triuultij ab Aragonijs diſceſſus 51.32. de Italis milites ad Tarum ſententia 67.40. ad Regem Gallorum & exercitum oratio 66.20. reſponſio ad Heluetios 165.40. ſententia de ponendis caſtris 166.45. reſponſum ad Cæſ. Maximil. 338.20. proteſtatio contra Gallos 340.33. diligentia Mediolanum Gallo ſeruat 340.15. & milites confirmat ibid. dolus in Cæſarem. 341.5.
Triuultio unde opes 64.30.
Triſtanus Cunius 207.30.
Troglodytæ 382.14.
Troilus Sabellus à Liuiano uulneratus 148.6.
Tuedus Fluuius 180.1.
Tumultus Romæ præſente Rege Gallorum 42.24. ingens Romæ oppreſſus 42.35. Neapoli 54.2. ſedatur aduentu regis 51.11. militaris 107.22. Neapoli pro Aragonijs recipiendis 187.15. in Caſtris Venetis pro ſcorto 404.22.
Tunica Chriſti ut ad Chriſtianos peruenerit 44.30.
Turca ab Sfortia concitatus in Venetos 154.20.
Turcæ Dalmatiam inuadunt 12.2.
Turcæ legatus ad Pontificem & cur miſſus 44.15.
Turcæ quot occiſi à Techellinis 243.32. ad Tauriſium caſtra ponunt 276.38. cur inſuperbiles 280.40. nobiles ab Othomanicis odio habiti 286.2. qui ſint ibidem. 8. à Techelle fugati 243.6. ab Arabibus trucidati 362.16. tormentorum libratores 366.17. pugnam obtinent ad Nilum 377.47.
Turcarum imperium Baiazetis tempore 2.12.
Turcarum magna moles aduerſus Techelem 244.10. cædes ad 30. milia, à Perſis 256.23. caſtra male affecta in Armenia 273.5. aduerſus Sophi equitatus 273.40. acies ibid. uictoriæ ex excellenti peditatu 280.18. equitum prima arma 280.25. perpetua militia 281.12. nobilium prærogatiuæ 286.15. nullus oppida poſſidet 286.47. & cur 287.4. equitum ornatus 287.30. Imperator querelas & iudices audit 288.17. copiæ attenuatæ. 368.12. imperium quouſque in Aethiopiam extendatur 381.34.
Turcis qui dies grauiſſimus 362.42.
Turcicæ aulæ epulum frugale 288.23.
Turchina ubi inueniatur 284.9.
Tuſcanellæ à Gallis calamitas 58.2.
Tybiſcus amnis 224.22.
Tylus fluuius Angliæ 182.7.
Typographi in Çanta urbe 284.36.
Typographis ad nos unde uenerit 284.40.

V

Valachi antiquitus Myſi 348.41.
Vallata cur capta & direpta 127.30.
Valdum in Vmbria oppugnatum & defenſum 121.18.
Valentini Cardinalis fuga 47.4.
Vallum ab Gallis captum 171.45. forma & fig. ibid.
Valeſij ubi ſiti 297.4.
Valterius Offius, Heluetius 311.41.
Varna Dionyſiopolis olim fuit 248.25.
Varus flu. 297.42.
Venantius Camertes captus à Gallis 113.22.
Veneris dies Turcis feſtus 279.19.
Venetia direpta 194.42.
Veneti homines conſilio graues 4.29. ſtudia in remp. ibid. ſollicitati ab Aragonijs in propoſito manent. 18.20. bellum aduerſum Gallos decernunt 63.14. ut rem auxerint 67.21.
Veneti ſenatus liberalitas in uiros fortes 75.26. poſt Tarrenſem pugnam ad Nouariam expugnandam contendunt 76.12. à Florentinis fuſi 110.40. quibus pactis Aragonium iuuant 123.15. copias Piſas mittunt 143.12. pro Piſanis aduerſus Florentinos 143.144. per tetum
Veneti & Sfortia diſſident propter Piſas 151.36. Turcarum auxilia recuſant 157.30. Italiæ decus 158.18. Germanes ingruentes reprimunt 175.1. claſſe aduerſus Ferrarienſem 158.22. cum Gallo fœdus renouant 162.10. cur mœrore affecti 195.25. quot Cladibus uno ferè momento affecti 202.40. cur à Sulthano Aegypti

capti 241.44. Gallum in Italiam euocant 290.46. & cur 291.5. cum Gallis Brixiam oppugnant 393.40. Brixiam deditione obtinent 396.2. Veronam exercitum ducunt 396.5. nouo modo Veronam obſident 404.30. Veronam recipiunt 405.35. ab omnibus oppugnati, uictores tandem euadunt 405.40.
Venetis qui paruerint 4.40.
Venetorum potentiæ Italiæ terrori quādo fuit 5.1.
Venetorum in Italia prima potentia 5.10. reſponſio ad Gallos. 17.20. ingenia. 21.12. Copiæ in Gallos 56.38. ſalubre conſilium 158.16.
Venetorum & Sfortianorum diſcordiæ cauſa 144.41. imperiū inuidioſum 157.10 Claſſis à Ferrarienſi ſubmerſa 158.14. Capitanei in prælio Vicentino. 199.18. fuga 199.44. Strages 200.3. perculſio 201.7.
Venetarum partium quot ceciderint 200.47. Studium in aduerſis 201.15. legati in Armeniam 241.10. reſponſio ad regem Perſarum 241.18. diligentia in cuſtodiendis itineribus 330.37.
Venetorum & Romanorum comparatio 45.44.
Venetos eadē ambitionis inſania laboraſſe qua Ludouicus Sfortia 209.1.
Veneta urbs. 4.21. eius ſitus & munitio ibid.
Veneta reſp. quandiu floruerit 4.38.
Veneto bello quid finem impoſuerit 405.3.
Verona à Venetis & Gallis oppugnata 399.25. magnis opibus & uirib. 400.3.
Veronenſis obſidio ſoluitur re infecta 404.10.
Verrucula Piſana 61.6.
Vertius Claronenſ. 166.22. indicio cur damnatus 171.30.
Veturius à Cæſarianis captus 209.31.
Vexillifer Germanus 135.24.
Vgo Ambroſium Claſſis Gallicæ præfectus 63.45.
Via militaris à Gallo in Italiam 297.30.
Vicentina Turris Neapoli. 54.27.
Vrſini ſua recipiunt 150.14.
Vicoirienſes miſerè deprædati 161.30.
Vicopiſanum & eius ſitus 100.35.
Victoria columna trima Ferdinando Piſcario nupta 92.20. literarum elegantia exculta ibid.
Victoria Franciſco Regi quantam dignitatem attulerit 316.40. de Victoria nuncius ad Henricum Angliæ regem 187.1.
Villa marinus Claſſis præfectus pro Aragonijs 83.32.
Vilna Lithuaniæ caput 229.2.
Virginis Caietæ uiolatæ indiciū 82.44.
Virginius Vrſinus ad Pontificem legatus 20.9. Carolum VIII. recipit 40.46. cuſtodiæ traditur 54.35. gallico ſtipendio conductus 121.6. Medices ſe reducturum pollicetur 121.16. pecunia impulſus in Gallicas partes 121.42. magiſter equitum apud Aragonios 122.8. uates luctuoſi exitus 130.29. 131.1. à Gallis diſcedere conatur 132.3.
Virginius Vrſinus contra datam fidem, carcere ſeruatur 137.44.
Virginij pollicitationes ad P. Medicem 122.20. Copiæ pro Gallo 122.35. ſententia de bello gerendo optima 124.1. & 20. dotes & authoritas 150.25. mors in Carcere 150.25. alumni 150.34. filij 150.37.
Viri bello clari capti ad Anglis 178.6.
Virides Inſulæ 382.37.
Viſtula amnis 229.15.
Viſtulæ oſtium 228.29.
Vitellij Tiferni domini. 2.42.
Vitelli fratres Gallus ſtipendio addicti 64.3. laceſſiti ab Agreſtibus in Liguria 78.30. iuſſu regis ad Florentinos tranſeunt 101.25. regi ſe fortunaſque ſuas commendant 142.1.
Vitelliorum Studium 148.27. ſalanx 148.30.
Viterbium unde ædificatum 39.30.
Vuis flumen Aquaduſſa hodie 138.13.
Vitoldus dux Lithuaniæ ad Chriſtum primus defecit 229.6.
Vladiſlaus rex Pannoniæ 3.46. Item Bohemiæ ibid. Matthiæ Coruino diſsimilis 220.46.
Vladiſlai ſocordia 221.12.
Vldericus Virtembergenſis cum Heluetijs ad Diuionem equitū præfectus 187.36. urbem oppugnat. ibid. & cur
Vluphagi 287.27.
Volga amnis qui & Rha 4.5.
Volga amnis, priſcis Rha. 227.34. unde oriatur, 284.45. in mare Caſpium exonerat ibid. 47.
Vrbes quas Turca occupauit ex Venetæ ditione 234.10.
Vrbes quæ in Partia claræ & cur 283.40.
Vri cornu apud Vranienſes 312.14. cuius uſus ibid.
Vrſactus Priolus cur capite multatus 330.30.
Vrſini 5.45. regem ad bellum incitant 141.40. Pontificios uincunt 150. per totum.
Vrſinorum auxilia oppugnante Pontifice 148. per totum & 149.1. cum Pontificijs prælium 149.10.
Vrſinorum principes 6.2.
Vrſinæ familiæ 148.22.
Veſulus Eridani pater 297.36. mons ſummus ibidem.
Vſtaoglus Perſa clariß. dux cum Amurathe 269.2. cur prælio abſtinuerit 272.46. in pugna cadit 275.2.
Vſſuncaſſanes rex Perſarum legitimum regem interfecerat 235.32.
Vſtrephus Aegypti Sulthanus Tolemaidam Chriſtinis ademit 350.15.
Vulnerati uiri principes in pugna Piſana 105.30.
Vulturnus amnis 30.43.

Z

Zacharias Pregoſius occiſus 162.43.
Zagattai, olim Bactriani & Sogdiani 268.30. qui dicantur 284.2. Perſarum hoſtes cur ibid.
Zaphes Aetiopes 282.24.

FINIS.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI IN LIBROS HISTORIARVM SVI TEMPORIS SECVNDI VOLVMINIS

PRÆFATIO.

AD COSMVM MEDICEM REIPVblicæ Florentinæ Ducem.

PVBLICANTI *mihi ſecundum Hiſtoriarum mearum volumen Magnanime* COSME, *ſatis ſuperq́; & præclarè quidem auguſti nominis tui, cui hæc dicantur, authoritatē, ab illuſtri patrocinio valiturā reor, aduerſus eos qui fortaſſe comiter aut cōuitioſè poſtulabūt et requirēt, cur id totū luctuoſiſſimæ tēpeſtatis ſpatiū quod à morte Leonis X. ad Rom. cladem decurrit, vel ſupina vel aſtuta præuaricatione prætererim. Quibus breuiſſima præfatione ita cenſeo reſpondendum, vt nec culpā diffitear, nec veniā deprecer. Quandoquidē nō ad alienæ voluntatis arbitriū, ſed ſyncero liberaliq́; prorſus animi iudicio, hoc grauiſſimū ſcribendæ hiſtoriæ munus ſuſceperim, ſcilicet vt his qui adhuc viuunt, & poſteris demū, peramœna exemplorū varietate cū oblectatione prodeſſem, & in hac vita aliquam mihi æternitatis ſpem, hoc tanto atque vtiliſſimo labore percipiendam arbitrarer. quam mihi obuenturam opto ſperoq́;, & ſingularem atque honeſtam voluptatem allaturam confido, modo ſine periculo quæratur. Putabam ſiquidem, & inſani et intemperantis ingenij fore, ſi libero ore loquutus nihil reticerem quod aſſerendæ veritatis intereſſet, & cuncta huius ſeculi incommoda propalarem, propterea quòd inde quorundam dignitatem inuidioſa nec iniqua ſuggillatione vehementer offendi poſſe prouidebam. Profectò mei inſtituti nunquam fuit vel encomia falſasq́; laudationes ad quærendam gratiam conſcripſiſſe, ne que ex aduerſo ad parandum odium ſatyricæ acerbitatis ſtilum exercuiſſe, vt à quibuſdam impudenter factum videmus. Quoniam viro philoſopho, ſeniq́; maximè turpe ſit, & ineptum, ſibi, vti oportet, in graui præcipuè negotio ſapere neſciuiſſe. Itaque peritos medicos imitatus, carcinomata deſperatæ curationis, quæ ſi attrectes, & acri medicamine laceſſas, in immenſum furere, & peſtifera edaciq́; ſerpigine mortem afferre ſolent, naturæ relinquenda, neque his vllo pacto manum admouendam iudicaui. Quamobrem exiſtimationi ſalutiq́; meæ conſulens, diræ tempeſtatis materiam, tanquam abominabilis impijq́; operis, minime attingendam arbitratus ſum, quando hæc aduerſæ fortunæ accepta vulnera, inſaniæq noſtræ detrimenta non modò non prodenda poſteris, ſed pro virili occultanda eſſe videantur. Ea ſiquidem quæ Italicum nomen decorent, neque memoria recoli ſine dolore, neque ſine vberrimis lachrymis ſcribi, nec ſine flagitio pudoreq́; poſteris enarrari queunt. Cæterùm quod ad rem pertinet, hiſtoriæ ſtudioſorum iuſto deſiderio magna ex parte ſatisfeciſſe iudicari poſſum. Nam ſi vitas illuſtrium Ducum quas conſcripſimus, curioſi diligenter euoluant, in Leone X. atq; Hadriano VI. Pontificibus, Pompeioq; Columna, & Daualo Piſcario, Magno Conſaluo, & Alſonſo Ateſtino, totius huius funeſti ſeculi hiſtoriæ texturam inuenient, ſic vt ea facilè quæ nos vel non ſcripſimus, vel ſcripta non inconſultè ſupprimimus, ſupplere et reſarcire cumulatè poſſint. Quanquam & hæc, ſingulorum librorum Epitome ſuo ordine ad prodendam rerum geſtarum ſeriem explicanda cenſuerim. Quòd ſi mihi quanquam pedibus capto, atque adeo grauiter ſe-*

neſcenti, Deus magnus fatalis horæ ſpatium extendat, perpetua proculdubiò lucubratione enitar, vt totum id quod in clade Vrbis ereptum, vel à me poſtea contumaci quadam indignatione prætermiſſum fuit, non diu à bonis mortalibus deſideretur, te præſertim auſpice omnis virtutis amantiſſimo, qui vt hæc conficerem atque ederem generoſa cohortatione perpuliſti. Vale. Piſis. Calend. Maijs. M D L I I.

PAVLI IOVII IVNIORIS.

ILLVSTRES *Populi, quos vel tulit Itala tellus*
Quibúſue mater extera,
Seu Mars aſſiduis quoſcunque exercet in armis
Virtute claros bellica,
Seu quibus eſt ſtudium Sophiæ complectier artes
Gratumque Muſis otium,
Quid dubij vobis iamdudum in corde recuſat?
Ne, quæſo, ne miremini
Si recti IOVIVS *index infauſta malignæ*
Ætatis acta præterit,
Quæ ſe cum Diris, geminiſq́; ſororibus orco
Erynnis atra ſuſtulit,
Crimina mille trahens ſecum, & ciuilia bella
Cædes & impium nefas.
Eheu quàm melior Populis & clarior ires
Romana cælo gloria,
Si non inſanum deuoti ſanguinis æuum
Chartis notaſſet in ſuis,
Extra odium quiſquis priſcorum ſcripſit, & extra
Potentiorum gratiam.
Quare vos potius IOVIO *nunc ſoluite grates*
Bonam inque partem ſumite
Si, bene dum veſtro decori, & ſibi conſulit ipſi
Nomen tuetur Italum.

LIBRORVM QVI PRÆTERMISSI SVNT EPITOME, QVAE PRIMI VOLVMINIS LIBRIS SVO TEMPORVM ORDINE OBSERVATO CONTINVATA SERIE CONNECTITVR.

DECIMI NONI LIBRI.

VMERICI belli cauſæ & ſucceſſus, resque multis in locis à Pontificijs fœdiſsimè geſtæ libro Decimo nono continentur; obiterque Franciſci Mariæ Feltrij Vrbinatis Reguli multiplices victoriæ, ſuum regnum, quo dudum iniuria fuerat eiectus, egregia virtute repetẽtis. Maldonati quoque Hiſpani viri ſummę authoritatis ſuſpectam fidem, quòd largitione corruptus videretur, atrociſsimo ſpectaculo vindicatam, quum Hiſpani eundem, & complices cogitati facinoris C. Maccium, Ferdinandum Rubrium, & Plaſollam cohortium præfectos, corona totius exercitus circundatos inuſitata horribilis ſupplicij pœna confodiſſent. Explicat item Leonis Pontificis dolorem ex adverſo rerum ſucceſſu, vulnereque Laurentij Medicis conceptum, & Petruccianæ coniurationis pericula, eiusque detectæ vindicatam iniuriam, ſublatumque metum fœda nece Alſonſi Petruccij Cardinalis, & conſpirantium cum eo aliquot Cardinalium exilijs, & propterea ſupplendi ſenatus neceſsitatem, quum Pontifex unum & triginta Senatores honore purpuræ decoraſſet; egregio certè digniſsimorum virorum delectu, qui ex omnibus provincijs præclaro virtutis meritò petebantur: niſi à quibuſdam pretio coëmptus honor, liberalis atq; beneficentiſsimi Pontificis famam elevaſſet. Hiſpanos quoq; mercenarios milites, ſpe præmiorum, iuſſuq; Principum diductos à Feltrio enarrat, & adverſum Feltrio belli exitum, Vrbinatesque à Medice receptos, ſed nudatos mœnibus: atque item Feltrium, deſerentibus eum Hiſpanis, recepti dudum regni poſſeſsione eiectum, quum Mantuã exulatum, gravioris iniuriæ metu, maturè contendiſſet; ſeipſum vel ob id in tanta Fortunæ iniquitate probè conſolantem, quòd Laurentium Medicẽ parto iniquè principatu non diu lætãtem, morte ereptum audiſſet: & Hiſpanos fermè omnes, à quibus cõtra militię iuſiurandũ fuiſſet deſertus, ab Hugone Moncata navibus impoſitos, ad Algerium Mauritaniæ oppidum, ubi paulò antè Didacus Verra exercitum prævalidum ſuperatus à Numidis & Mauris amiſerat, miſerabile naufragium feciſſe didiciſſet. Eodem anno Maximilianus Cæſar apud Velſium Norici agri oppidum, quum intempeſtivè pharmacum incertæ poteſtatis adverſus morbum, quem ſibi imminere putarat, hauſiſſet; mortuus eſt; vir præſtantiſsimis corporis atque animi dotibus inclytus. Eius Imperium Carolus ex Philippo filio nepos excepit, Cęſarum proculdubiò potentiſsimus, propter regnorum amplitudinem Hiſpaniæ atq; Neapolis hæreditate adauctam. Is non multò poſt Imperatorijs comitijs in Germania de more habitis, competitorem habuit Franciſcum Galliæ Regẽ, incertæ ſuffragatorum venalium fidei innixum, & propterea, quòd Germani proceres animos nutantes ad pa-

triæ publicum decus reuocaſſent, repulſam ferentem. Quæ cauſa fuit eius alti concepti odiȷ, quod mox contracto exitiali bello inter eos erupit. Præterea eius belli initia refert, quod in Belgis geſtum eſt à Cæſarianis, Franciſco Cecchingo tumultuario Germanorum militum duce, aduerſus Robertum Marchium in Eburonibus regulum prępotentem, Gallicæque factioni ſemper addictum, atque item Maſeriam oppidum, quod ad Moſam flumen poſitum eſt, magnis Cecchingi copiȷs, & inuſitatæ magnitudinis tormentis acerrimo, ſed irrito conatu quaſſatam, Baiardo Gallorum duce impigro fortiter defendente. Eodem anno Selymus Turcarum Imperator apud Ciurlium Thraciæ pagum peſtilenti circa renes enato vlcere mortuus eſt, quum regnaſſet annis octo, & aduerſum nos terra mariq́ue bellum illaturus crederetur, poſtquam Hyſmaelem Perſarum regem grauiſsimè cõtudiſſet, & duobus Sulthanis Regibus deuictis atque interfectis Aegyptum & Syriam imperio adieciſſet. Solymanus vnicus ex Boſphorana vxore filius nemine obſiſtente æmulo, tot regnorum hæreditatem adiȷt. Atque eodem ferè menſe, quo Carolus Cæſar eſt acclamatus, & ipſe Solymanus paterno imperatoris titulo compos eſt factus. Cæterùm audita Selymi morte Gazelles Syriæ præpoſitus rebellauit, ratus ſe ſacramenti religione ſolutum, quòd Selymo tantùm, ſucceſſori verò minimè ſacramentum dixiſſe prædicaret, & proinde ſibi decorum fore arbitraretur, ſi coactis in vnum Mamaluchorum reliquȷs, Syriam ad veterem Sulthanorum imperȷ conditionem, eiectis Turcis reuocare contenderet. Quando iam egregia voluntate incolæ Syri atque Arabes in id conſilium ſibi probè conſentirent, nec defuturum in ea occaſione Caierbeium arbitraretur, qui Aegypto præeſſet, quin ſe ex præfecto Regem & Sulthanum efficeret, poſtquam Memphiticus populus acerbo eſſet odio in Turcas, & in eius manu totius Aegypti arma & opes ſitæ viderentur. Sed Gazelles trahendi in partes Caierbeȷ ſpe depulſus, quòd hic certa tutioraq́ue conſilia dubȷs atque aſperis pręferret, & Gazelli veteri à ſuperioribus temporibus inimico, nihil planè confideret, ita Gazellis cohortationes reiecit, vt eius legatum ſupplicio afficeret, ne Campſonianæ proditionis infamiam nouæ perfidiæ ſcelere cumularet. Miſit etiam Gazelles legatos Rhodum, vt inde tormenta atque arma aduerſus communes hoſtes Turcas impetraret. Per eum modum quod ſerò Rhodius Magiſter ferendæ opis conſilia explicaret, ſuperuentu Frahatis Baſſæ, quem cum magnis copiȷs Solymanus è Cilicia in Syriam tranſire, & initia rebellionis opprimere iuſſerat: impar viribus, ſed animo inuictus Damaſcum ſe recepit, ea mente, vt cum his quas collegerat copiȷs, quamprimùm cum Frahate confligeret. Atque ita Damaſco eductis ſignis, vt honeſtè concideret, hoſtes inuaſit, eo acerrimæ pugnæ exitu, vt ipſe peritiſsimè & conſtantiſsimè dimicans, cum ſuis omnibus, nihil de fuga cogitantibus interficeretur.

VIGESIMI LIBRI.

CÆSAR per oceanum in Hiſpaniam deuectus, vtriuſque auiti regni hæreditatem adiȷt: magnoque confirmatis antiquæ immunitatis legibus honorario vtriuſque prouinciæ munere ditatus eſt. Ipſo ad Belgas redeunte, Populi ingenti tumultu exorto ad arma conſternati, nec obſcurè rebellantes ab authoritate regiorum

ſum præſidium diſceſſerunt, quod immodicè ſe expilari à præfectis Belgis quererentur. Quoniam Carolus Ceurius Belga regis nutricius, ad arbitrium cuncta adminiſtrans, aureæ monetæ regiæ, quæ erat præſtantis formæ & puritatis auidiſsimus extitiſſet. Seditioſæ multitudini duces ſe prębuerunt Ioannes Padillia, Ioannes item Brauius, & Maldonatus. Atque ita exarſit bellum quo vrbs Medina Campi nundinis clara impetu Antonij Fonſecæ qui regias tuebatur partes, fortuito igne penè tota cremata ſit. Sed conſurgentibus cum regijs copijs Indico Velaſco magiſtro equitum, & Henrico Ammirante qui erat in prefectura maris, ſeditioſorum copiæ ad Villam Alariã oppugnatę deletæque ſunt, capto Padillia cum ſocijs, de quibus ſupplicium publicè eſt deſumptum. Nec remiſerant animos ſeditioſi populares, quum Maria Paceca Tendilij Mendocij filia eruditi ingenij & virilis animi mulier, Padilliæ coniugis vexillum ne concitatæ multitudini deeſſet dux, gerendo bello ſuſtuliſſet. Ab ea Hiſpanici tumultus fama Franciſcus Galliæ Rex excitus, recuperandi Cantabriæ regni occaſionem arripuit, ſcilicet vt Henricum Ioannis regis filiũ reduceret, quod pater regno pulſus in Gallia exul paulo antè diſceſsiſſet. Sed Galli à ſecundo rerum initio Algrunium, quod olim fuit Iuliobriga, uſq; progreſsi, conſerto prælio à Velaſco & Henrico ſuperati ſunt, capto ipſorum duce Aſparoto. Atque ita priſtina tranquillitas perturbatæ Hiſpaniæ reſtituta eſt, ſingulari prudentia Hadriani Florentij Belgæ Cardinalis, qui Regia cum authoritate in procuratione vtriuſque Hiſpaniæ à Carolo fuerat relictus. Eadem æſtate Franciſcus Galliæ & Henricus Angliæ Reges, conſtituto in finibus Morinorum loco ad certam diem, in colloquium deuenerunt. Gallus qui cum ornatiſsimo totius Galliæ procerum comitatu deſcenderat, ſumptuoſiſsimi operis tabernacula, multiplicesque papiliones patentibus in locis erexit. Britannus autem attulerat ligneam domum ampliſsimæ Regiæ inſtar cum luculentiſsimis ac ampliſsimis porticibus atque cœnaculis, quæ conſtabant ex materia miris modis elaborata, picta ſimul atque inaurata, tanto fabrorum architectorumque ingenio, vt aptiſsimis iuncturis atque vertebris, tota plicatilis membratim diuidi, & quum luberet iocunda commutatione tolli aſportarique & rurſus in varias formas diſtingui atque erigi poſſet. Cæterùm eo colloquio nihil plus quo homines admiratione tenerentur enituit, quàm duorum maximè inſignium Europæ Principum humaniter ſeſe complectentium, aſpectus atque maieſtas. Ambo namque ætate, opibus & victorijs nuper partis famaque bellicæ virtutis florentes, id oris decus præferebant, vt ſpectantes in admirationem adducerent. Quando ex his nemo qui adeſſet vtriuſque gentis ſpectator, vel decore formæ vel habitu proceri corporis, tractandorumq; armorũ peritia comparari poſſe videretur. Nã præter equeſtria ſpectacula in gratiam illuſtrium fœminarum, quæ vtrinque cultiſsimis cœtibus aduenerant, edita, & ſæpius inſtaurata, nihil plus actum fuiſſe apparuit, quàm vt vterque ſeſe in mutuam comparationem luxuriantis elegantiæ prolatis opibus oſtentaret. Nec multò poſt Cæſar, quòd iam enata eſſent ſemina orientis belli inter ſe & Galliæ Regem, ab Hiſpania rediens in Britanniam diuertit, non obſcura obtrectatione eius colloquij, ita vt tres ſimul Reges coire voluiſſe crederentur. Sed vterque præmoliens bellum, & iam arma parans, Britannum ſocium ſibi aſciſcere contendebat. Nam ille belli & pacis arbiter exiſtimari cupiens, dudum animi ſui argumentum tam aptum quàm inſo-

lens in foribus ligneæ domus ſupra armatum ingentem ſagittarium habitu Britannico ſcitè perpictum, prætulerat hoc titulo: Cvi adhæreo præeſt. Eodem anno Solymannus maiorum diſciplinam ſequutus, poſtquam Syriam atque Ægyptũ interfecto Gazelle virtute Frahatis pacatas didicit, in Pannoniam arma convertit, adortusque Belgradum, quod ad confluentes Savum atque Danubium ſitum egregium erat atque firmiſsimum totius Pannoniæ munimentum, expugnavit, Hungaris quidem propter trophæa ibi fortiter atque feliciter Turcis erepta maximè decorum: Barbaris verò ſupra quam dici poſſet funeſtum atque ignominioſum. Nam ibi fruſtra tentata oppugnatione Amurathes abavus, & proavus Mahometes magnis acceptis detrimentis inde repulſi re infecta diſceſſerant. Solymano igitur cum paratiſsimis copijs adventanti, neque Hungari proceres, neque Ludovicus imbecillo ingenio Rex iuvenis neceſſaria præſidia oppoſuerunt, quòd nihil inter ſe conſentirent, & à priſtina invictæ antea gentis virtute & diſciplina defeciſſent. Eo modo Belgradum ocioſè oppugnatum, turpiſsimeque defenſum in poteſtatem Barbarorum devenit, ut porta inferendis maioribus noſtris cladibus panderetur. Eodem tempore Carolus Cæſar apud Vangiones Rheni accolas Concilium Germaniæ procerum indixit, propter commotæ religionis famam, Martino Luthero Saxone cucullato novis placitis Romani Pontificis authoritatem convellente, & peſtilentiſsimis erroribus diſſeminatis imperitorum hominum animos depravante. In eo conventu Martino licuit ſuperbè atque arroganter declamanti recitare cauſas, cur iure Chriſtiano à Pontificis cenſura diſcedendum iudicaret, vel ob id præſertim quòd avariſsimi è Romana aula in provincias emiſſarij defunctorum animas in Purgatorij flammas criminum pœnas dantes, pretio venditata Pontificis clementia ſe eruturos profiterentur. Sed initis & protractis ſupra id negocium diſputationibus, nihil tamen diſcuſſum eſt, ſic ut Cæſar in ea re compeſcenda pio animo ſalubria decreta ad publicam ſalutem excogitanda cenſeret, nec multò pòſt cum Leone Pontifice percuſſo fœdere iungeretur. Leo nanque graviſsimis de cauſis extimulatus, Gallos Mediolanenſi principatu extrudendos ſtatuerat, ut Franciſco Sforciæ paternæ hæreditatis iure, communibus Cæſaris atque ipſius armis redderetur. Atque ita bellum quod apud Belgas inchoatum fuerat, incrementaque in Hiſpania ſumpſerat, in Italiam translatum eſt, diro prorſus conſilio, quum inde Italia propè omnis vetuſtum decus, & priſtinam libertatem amiſerit. Cauſæque item odiorum in Gallos Inſubrum ex multa Lotrechij ſuperbia crudelitateque Leſcuti fratris conceptæ referuntur. Leſcutus dum exules avidus perſequitur cum ala equitum ad Regij portam delatus, prior Pontifici bellum infert, Guicciardino vix tuente urbem. Ob id iratus Pontifex arma expedit, delectusque imperator Proſper Columna cum Piſcario atque Antonio Leva ad oppugnandam Parmam mittitur. Sed dimidia eius Vrbis parte capta, reliqua pars quæ eſt cis amnem à Gallis impigrè defenditur. Lotrechio verò cum magnis ſuis Venetorumque auxilijs appropinquante, Proſper ne cum duplici hoſte dimicare cogeretur, ad Niceam amnem caſtra reducit. Cuius irriti conatus fama permotus Leo Iulium Medicem Cardinalem patruelem ſuum è Florentia in caſtra contendere iubet. Is allata ingenti pecunia perterriti & ferè languentis exercitus vires inſtaurat, & ducibus animos reſtituit, ac mox alia ratione gerendum bellum ratus traiecto Pado atque inde

de Ollio, ad Abduam peruenit, quod erat auctus Heluetiorum nouis copijs, quas Sedunenſis Cardinalis adduxerat, nuſquam Gallo acie confligere auſo. Per hunc modum Lotrechius, quum hoſtes ad Vaprium vicum noctu ſcaphis Abduam tranſiſſent, tumultuaria ibi parum proſperè à Leſcuto fratre conſerta pugna, Mediolanum ſe recipit. Nec inſequentibus hoſtibus defuit fortuna: appropinquante namque Piſcario Hiſpanorum cohortes occultum nactæ aditum intra munitiones irruperunt, apud quas Lotrechius inter ſuburbana tecta conſtiterat: tantusq; fuit tumultus vt Gallicæ vndique & Venetę ſimul copiæ propè ſine vulnere funderentur, caperetur autem Theodorus Triuultius inermis Venetorum imperator. Lotrechius tanto accepto detrimento in vrbē equitatum omnem introduxit, paululumq; moratus ad arcis aream, Comenſi via in fugam ſe coniecit nullo hoſtium perſequente, qui ad mediam fermè noctem à Mediolanenſibus Ticinenſem portam aperientibus cum magna gratulatione victores exceperant. Lotrechius Vandeneſio Paliciæ fratre præſidio Comi impoſito cum vniuerſo equitatu Leucum contendit, ſuperatoq; ibi amne Abdua in Cremonenſem agrum deflexit, Cremonamque nuper hoſti deditam, priuſquam prēſidio firmaretur, potitus eſt. Sed demum nouis Bernenſium et Sedunorum, qui ſunt Heluetij nominis, legionibus confirmatus, Ticinum adortus, defendente Federico Gonzaga principe Mantuano expugnare non potuit, neque obſeſſę circumuallatæque arci opem ferre valuit: quoniam ibi M. Antonius Columna ſummæ virtutis dux tormento maiore à Proſperi patrui munitionibus emiſſo fuerat interfectus. Intra paucos verò dies quū Lotrechius vrbem Mediolanum caſtris ad Sextum vicum poſitis eſſet inuaſurus, eique Proſper & Franciſcus Sfortia cum omni Inſubrum multitudine egreſsi vrbe, ſeſe oppoſuiſſent, ad Bicoccam vicum prēlio certatum eſt, quo Gallis aduerſo Albertus Petra Heluetiorum dux legionibus ſuis ſclopettorum procella obrutis, cecidit. Ab ea victoria Proſper præeunte Piſcario Laudem Pompeiā capit, & eodem menſe curſuq; victoriæ Piſleonem ſupra Abduam oppidum expugnat, & mox Cremonam recipit, Leſcuto honeſta pactione vrbē dedente, & demum Alexandria, excedente Gallorum præſidio, in poteſtatem redacta eſt. Dum hæc feliciter à Proſpero gererentur, inexpectata mors Leonem ætatis atque temperaturæ robuſto vigore florentem oppreſsit, paulo poſtquam de Mediolanenſi victoria nuncium accepiſſet, atroci proculdubio toxici violentia abreptus. In eius locum ſuffectus Hadrianus Sextus, mira & certe pudenda, ſi Italiæ decus reſpiceretur, Senatorum factioſorum ſuffragatione, quū feſtinatis comitijs, hominem apud Batauos extremi Oceani natum & tum in Hiſpania agentem, virtutis nomine, cunctis ſenatorij ordinis prætuliſſent.

VIGESIMI PRIMI LIBRI.

GALLI per interregnum comitialesq; occupationes, rati ſe Parmam facilè recepturos, è Cremona aduolant, & à triplici loco tribus vno tempore editis prælijs, ſcalis murum tranſcendere conantur. Sed inſigni Guicciardini præſidis ſtudio, & ſumma Parmenſium alacritate, quum Salomon Siculus, & Petrus Baccionius Ligur cohortium præfecti acerrime propugnarent, hoſtes repelluntur. parique Fortuna in Placentinum

effuſi agrum, & terrorem Placentiæ inferentes, à Pontificio equitum pręſidio ſuſtinentur. Sequenti anno quòd Genuenſes Gallicum nomen Octaviano Fregoſio duce tuerentur, Cæſariani duces impetrantibus Adurnijs exulibus ut reducerētur, ad Genuam caſtra faciunt: hinc Proſper cum Germanis, illinc Piſcarius cum Hiſpanis. Sed Piſcarius ab eo loco qui Faba Græca vocatur, tormentis murum aperit, impetuque facto pulſis defenſoribus urbe potitur, & dum victor urbem percurrit, nullo negotio Prætorium capit. Venêre in poteſtatem ipſe Octavianus Fregoſius, & Petrus Navarrus, qui dudum appulerat, vt non temerè timentium civium animos authoritate nominis ſui confirmaret. Eo modo Piſcarius Vrbem multis divitijs opulentam diripuit, priuſquā Proſper ingrederetur. Fliſci autem Othobonus ac Sinibaldus peculiares Fregoſiorum hoſtes propter fratris eorum cædem probè vindictam exercuerunt, & Antoniotus & Hieronymus Adurnij, poſtquam decem annos exulaſſent, in urbe principes conſtituti ſunt: a quibus non multò pòſt Caſtelleti arx, quæ à Gallis defendebatur, maioribus tormentis expugnata eſt. Eadem ęſtate qua tanta Vrbs capta direptaq; fuerat, Hadrianus Pontifex magnis precibus populi Romani, & cohortatione ſenatus ad Vrbem evocatus Genuam applicuit: nulla civium recentem cladem ſuam lugentium lætitia exceptus, indeq; Liburnum navigavit, ubi a Iulio Medice Cardinale, legatisq; Florentinorum, & aliquot Etruſcis Cardinalibus expectabatur. Paucis inde horis Cardinales ſequi iuſsit, & felici navigatione Romā devectus eſt. Per id tempus Rhodus a Solymano, qui in inſulam cum ducentis armatorum milibus traiecerat, oppugnabatur. Eam verò conſilij ingentis & perdifficilis belli occaſionem audacter ſuſceperat Barbarus, quòd Chriſtianos reges inteſtinis occupatos bellis didicerat. Cupiebat Hadrianus ferre opem, ſed pecuniæ inopia, quo minus officio ſatisfaceret, retardabatur. Nam quas ab Hiſpania advexerat peditū copias, factioſorum quorundam hortatu, non Rhodum, ſed in Galliam Ciſalpinam, quæ Cæſaris opes cōfirmarent, mittendas cenſuerat. Atq; ita Rhodos quintū poſt menſem admirandis operibus & cuniculis ad deditionem cōpulſa eſt, Philippo Liladamo militiæ magiſtro deſperatis auxilijs ad Solymanū egreſſo, & certa pactione vrbem atq; inſulā dedente. Idq; tantū vulnus Chriſtianæ Reip. illatum eſt inſanientibus aut oſcitantibus noſtris regibus, apud quos privatæ ſpes augendi imperij totū Chriſtianæ pietatis decus extinxerat. Hadrianus Romanę aulæ rudis, & rerū Italicarum imperitus, ſerò detrimentum intellexit: exortaq; eſt in Vrbe peſtilentiæ lues quæ quū ſeveris legibus more noſtro Pontifici minimè coercēda videretur, contactu ęgrorū ita exarſit, ut multa funera in compitis viſerentur: appareretq; vaſtari Vrbē haud multo dierū ſpatio, niſi Græculus quidam nomine Demetrius Spartanus ſedandę peſtilentię, favente ei turba hominum, negotium ſuſcepiſſet, nemine ſuperſtitionem vetare auſo. Nam ferum taurum cui dimidium cornu diſſecarat, magico carmine dextram in aurem prolato repente ita manſuefactum reddiderat, ut iniecto tenui filo ad integrum cornu, quo vellet perducens, peſtilentiæ placando numini ad Amphitheatum immolaſſet. Nec credulæ multitudinis ſpem ex toto fefellit, quū ab ea inanis ſacrificij proſpera litatione miteſcere morbus cœpiſſet. Nec multò pòſt evocato ad Vrbē Iulio Medice Cardinale, Franciſcum Soderinum Cardinalem cuſtodiæ tradit, quòd maligni eius animi, & adverſi in Cæſarem ſtudij indices literas intercepiſſet. Nam Soderinus

contrà Iulium ut Florentia pelleretur, copias in Etruriam miſerat, Rentio Cerite duce, percuſſoribusque item in Iulij cædem præparatis. Sed detecta coniuratione nonnulli cives Florentini, concepti facinoris capite pœnas dederāt; alij Iulio connivente profugerant. Rentius qui exercitum Senas perduxerat, ut inde Florentia peteretur; inopia commeatus & terrore Helvetij præſidij qui Iulio aderat, adductus, fœdum cōſilij ſui exitum tulit, vel ob id etiam quod Feltrium Vrbinatem, Malateſtamque Baleonum, hic è Peruſia, ille Vrbino contractis viribus ad vindicandas iniurias ſecum bellum Iulio illaturos credidiſſet. Paucos verò poſt menſes quàm Soderinus cuſtodia traditus eſt, Hadrianus fato conceſsit, cui protractis aliquandiu comitijs, conſpiratione iuniorum Iulius Medices deſumpto Clementis nomine ſubrogatus eſt, qui ad tuendam novæ dignitatis perſonam, egregiè ſe medium inter Cæſarem & Franciſcum Regem præſtare videbatur.

VIGESIMI SECUNDI LIBRI.

MORIENTE Hadriano Gulielmus Gofferius appellatus Amiras in Italiam deſcendit cum quadraginta peditum & decem equitum Gallorum milibus, & pulſo ad Ticinum amnem Cæſarianorum exercitu, poſitis ad Mediolanum caſtris urbem obſidere conſtituit. Ineunte anno Proſper Columna moritur, eique in Imperio copiarum ſuccedunt Carolus Lanoius Belga, & Piſcarius. Inſubres pro Franciſco Sfortia egregiè Gallorum vim & belli detrimenta ſuſtinent. Gofferius multa nive cœlo importunè delapſa à conſpectu urbis diſcedere cogitur; cum parte copiarum Baiardum ad oppugnandam Cremonam mittit, irrito eius incepto. Veneti copias ſuas & ducem Feltrium Vrbinatem ex lege fœderis Sfortiæ qui opem ferant, mittunt. Quibus iunctis exercitibus Galli aliquot in locis per partes opprimuntur, nuſquam iuſto prælio contenditur. Cæſariani ponte Ticinum iungunt, Gofferius idem facere cogitur, ne quæ in tergo erant oppida ad Novariam inuadenda hoſtibus relinquat. Interim Ioannes Medices cum Sfortianis copijs Mediolanenſium iuventute auctus Abiatum tormentis expugnat. Nec multò poſt Ticinum tranſgreſſus, coniunctusque Feltrio Garlaſcum oppidum aggreditur, & quanquam præalta eſſet in foſsis aqua, vel cum interitu multorum, id expugnat. Exinde Gofferius tot acceptis detrimentis quum ſe reciperet, ad Seſithem amnem tumultuaria pugna gravi ictus vulnere funditur, biduoque poſt dum tormenta defendere per Baiardum fortiſsimum ducem, atque hoſtes acriter incumbentes ſuſtinere conatur, Baiardo cadente exuitur tormentis, & cum multa cæde Helvetiorum terga tuentium, in fugam conijcitur, mirumq; videri potuit tantas Gallorum copias, validis Helvetiorum ſubſidijs firmatas à Cæſarianis & Venetis ſuſtineri atq; deleri potuiſſe. Aderat Cęſarianis Carolus Borbonius, qui pauloantè à ſtudio ſui regis malignè diſcedens, & ſeſe privato quodam Cęſari fœdere coniungēs, prodendi regis ſui, impugnandęq; patriæ conſilia agitarat, quibus detectis è Gallia in Sequanos profugerat, declaratusq; patriæ hoſtis Cęſari operā navabat, ita ut invadēdæ Galliæ conſilium ſuſciperet, Hiſpanis avidè ſe ſequuturos profitentibus, quòd in Provinciam, opulentam regionem, ubi nō defutura amicorum ſtudia averſa penitus

à rege, & proceres quoſdam ad rebellandum paratos ſe inuenturum iactabat. Lanoius quanquam id minimè probaret, permiſit vt Piſcarius cum Hiſpanorum, Germanorumque cohortibus in Prouinciam penetraret. Sed Piſcarius Maſsiliæ mœnibus fruſtra hærens, quòd validiſsimo Gallorum pręſidio teneretur, retrocedere coactus eſt, quum nemo Gallorum ad authoritatem Borbonij nominis conferret, & regiæ copiæ appropinquarent, & Borbonius cuncta opinione ſua ſibi infeſtiora, Gallo vero fideliora reperiret. Quapropter reuerſus eſt per maritimas Liguſticasque alpes cum copijs aſperitate itinerum defeſsis, & his ſępe, vt ſunt viri dicaces, Borbonio conſilij leuitatem exprobrantibus. Eo autem tempore Rex Franciſcus valido conflato exercitu vt Prouinciã tueretur, poſtquam re infecta hoſtes Prouinciæ finibus exceſſerant, conſilium flexit ad occaſionem repetendæ Italię, miraque celeritate Pœninis, & Coctijs alpibus in Taurinos deſcendit, progreſſusque ſecundo curſu ita Mediolano potitus eſt, vt Piſcarius cum Hiſpanis Laudem Pompeiam ſe reciperet, & Antonius Leua cum Germanis defendi Ticini munus ſuciperet. Atque ita Veneti & Clemens eius belli commutationem nequaquam ægerrimè tulerũt, quòd inuadendæ Prouinciæ, & laceſſendi Galli regis conſilium tam immodicum quàm temeritati proximum improbaſſent, ob idque Cæſariani exulis conſilio iunixi, belli quàm pacis auidiores apparuiſſent. Rex mediolano potitus, conſilij anceps Laudem Pompeiam ne ad opprimendos Hiſpanos, an Ticinum debellandis Germanis aggrederetur, in auſpicata belli ratione Ticinum prætulit, vbi nulla memorabili earum rerũ quæ tentaſſet proſperè confecta, quartum iam circumſidens & hærens menſem, diductis primo, mox & reliquis ſeneſcentibus viribus, quòd noua Cæſarianis auxilia adducente Borbonio ſuperueniſſent, prælio decertare coactus eſt, quo regijs aduerſo, nobiliſsimi quique Gallorum ducum & procerũ interfecti ſunt, & Rex ipſe gnauiter dimicando ſauciatus, prolabente mox equo captus eſt: eo præſertim effuſius Hiſpanis & Germanis parta victoria lætantibus, quòd ipſo Cæſaris natali die ſecundiſsimo euentu dimicaſſent, ſic vt de eijciendo Franciſco Sfortia cogitarent, & totius Italiæ immodicis animis imperium affectare dicerentur. Quando inuſitato rerum ſucceſſu elati, nequaquam alieno commodo, ſed ſuo bellum fortiter geſsiſſe videri vellent.

VIGESIMI TERTII LIBRI.

FRANCISCVS ineunte æſtate à Genua in Hiſpaniam perducitur à Carolo Lanoio, qui ægro eius animo futuræ Cæſaris clementiæ ſpem iniecerat. Sed Cæſar multis de cauſis eum nequaquam videre ſuſtinuit. Qua offenſione Rex ſua ſpe deceptus in grauem incidit morbum, ita vt infortunij ſui miſerias morte finiturus videretur, niſi Cæſar perhumano colloquio afflictũ conſolatus, eum ſe maturè dimiſſurum promiſiſſet. Nec multo pòſt certo inito fœdere, Cæſar ei ſororem in matrimonio collocauit. Ea Emanuelis Luſitaniæ regis vxor fuerat, & è tribus regis liberis, maiores natu duos pater obſides tradidit, & in Aquitaniam abire permiſſus eſt. Ex eo fœdere ingens & atrox apud principes orta eſt ſuſpicio, quòd inter ſe Franciſcus & Cæſar in perniciem quorundam coniurare dicerentur, ſic vt ad regem libertati reſtitutũ vndique legati gratulatum

tum mitterentur, & Clemens, & Veneti adiuncto Britanniæ rege ad mutuam ſecuritatem noua fœdera percuterent. Quibus paratis vndique copijs Cæſari totius Italiæ imperium affectanti obuiam iretur. Nam quod iniquiſsimum fuiſſe iudicabnt, Antonius Leua atque Piſcarius imperium Mediolanenſe Franciſco Sfortiæ inuadentes, eum tanquam defectionis à Cæſare conſilia agitantem reum fecerant, grauiſsimoque laborantem morbo in arce obſederant, & aliquot urbibus ereptis hoſtem declararant. Ea calumniæ vis cum ſumma malignitate Sfortiæ illata, Venetos & Pontificem mirum in modum pupugit, vſque adeo ut conſternati animis arma pararent, & Cæſarianos impotenter atque ſuperbè fœderis fidem fallentes, atque impudenter ſociorum exiſtimationem contemnentes armis perſequendos arbitrarentur: & Piſcario interim morte ſubrepto ad Mediolanum arma proferrent, ut Sfortiam obſidionis & vitæ periculo implicitum matura ope allata liberarent. Sed tanta fuit Antonij, Alfonſique Vaſtij, qui Piſcarij patruelis erat frater, militaris conſtantia, vt non modò oppugnantium hoſtium vim ſuſtinerent, ſed Mediolanenſibus metu cædis ſubactis Sfortiam extremam perpeſſum inediam, ad deditionem compellerent. Eo modo Sfortia ad Cremonam calamitatis ſuæ iniquam ſortem lugente, nova Germanorum auxilia Georgio Froniſpergo duce in Mantuanum agrum deſcenderunt, & Vgo Moncata cum Pompeio Columna Cardinale, Pontificem inducijs quas doloſè conceſſerant ineptè confiſum deceptumque, repentina in Vrbem irruptione penè oppreſſerunt, ita ut direpto Vaticano, & templo maximo fœdè profanato perterritus Pontifex in arcem elaberetur, & Cæſariani, quòd nullus eſſet in arce commeatus, triduo eum in poteſtatem redacturi crederentur, niſi Vgo Moncata tanti admiſsi ſceleris pertæſus, vel contradicente Pompeio, & in extremam Clementis perniciem prodinato, obſidibus acceptis in arcem veniſſet, & certis conditionibus pacem cum Pontifice confeciſſet. Hiſdem diebus quibus Cæſar & Pontifex infeſtis armis inter ſe decertabant, Solymanus in occaſionem ſemper intentus qua regni fines proferre, & Chriſtianis maximè nocere poſſet, Pannoniæ bellum infert, quòd regem iuvenem, non ſuo iure, ſed precario propè turbidiſsimæ genti nec iuſto conſenſu unquam parenti dominantem, & bellicis artibus propter ætatem nequaquam ſatis inſtructum, facilè opprimere ſe poſſe confidebat, vel ob id preſertim, quòd neq; Pannonici regni, neq; regis ipſius ſalutem proximis Germanis, neque ipſis conſanguineis regibus Cæſari, Ferdinandoq;, & Sigiſmundo Poloniæ regi, curæ futuram arbitraretur. Quando neque Germani per ſe ſegnes in aliena cauſa, neque Auſtriæ domus reges Italico occupati bello, neque Polonus, ne veteres inducias temerè abrumperet, ut ſe commouerent adduci poſſe viderentur. Ludouicus rex ingenio per ſe imbecillo, neq; ſalubri ratione confirmato, inexpectata aduentantis tanti hoſtis fama perculſus, miſsis undique legatis fruſtrà opem implorat. Hungarorum tamen concilium indicit, id eſt armatæ multitudinis, & Rhacos appellatur. In eo ſacrati antiſtites de more ſtipendiarij, quas debeant in publico periculo ſemiplenas equitum alas, & minorem quàm oporteret pecuniam in belli ſumptum expediunt. Profani verò iuris proceres totaque nobilitas, utpote qui veteres diſciplinæ obliti nunquam Othomannorum regum caſtra viderant, ſed minutis

tantum pręlijs per incurſiones pugnare conſueſſent, ab innata ſuperbis eorum animis arrogantia Turcas ita contemnebant, vt ſe vel exiguo numero ingentia Barbarorum agmina conſertis manibus inſolenter conciſuros & deleturos iactarent. Sed unus maximè cucullati ordinis Paulus Tomoræus archiepiſcopus Collocenſis, aliquando in excurſione ſubitario prælio cum Turcis dimicare ſolitus, tanta animi ferocia, tantaque ſperatæ victoriæ fiducia ſtolidè pugnax efferebatur, vt ſacras ad multitudinem militum haberet conciones, & ante alios proceres ſtudio religionis inflammatus in aduerſam Barbarorum aciem infeſta haſta ſe impetum facturum polliceretur. Paulo antè ex Pontificia pecunia Germanorum & Bohemorum cohortes conſcripſerant, quarum præſidio ſtabiliri aciem equitum & ſuſtineri Barbarorum vim poſſe putabant. Neque enim accuratè recenſendo peditum ſimul & equitum, copiæ vigintiquinque milium ſummam efficiebant, ſicut ab omnibus peritis ea Tomoræi audacia, & reliquorum pugnam poſcentium temeritas magnopere damnaretur, quando veteres milites miſerrimum eſſe dicerent, cum eo hoſte confligere qui octuplo ampliores copias in aciem eſſet producturus. Propterea aliqui ſubmovendum imminenti periculo regem iuvenem iudicabāt, fruſtra conſulente Stephano Verbetio, ut Regis adoleſcentis perſona ad publicam ſalutem extra pugnæ diſcrimen, in utrunq; belli eventum Budana in arce ſervaretur. Sed obſtrepebant efferi milites, nec ſe, niſi rege duce pugnaturos dicebant. Tomoræus dicta ſententia pervicit, ut quàm primum confligeretur, & Rex generoſus ſub tutela Dei maximi pugnæ ſignum daturus hoſti obviam ire pergeret. Itaque vecordi impetu infauſtoque conſilio Ludouicus ad Mugacium uſque ſigna promouit, quod eſt oppidulum medio fere itinere poſitum inter Budam atque Belgradum. Iam adventabant prima Turcarum agmina, quum ſupremo concilio à præfectis & ducib. eſt diſputatum, an caſtra vallata currib. ad Danubij ripam eſſent tantiſper collocanda, donec auxilia Tranſylvanorū advenirent, quę à Ioanne Sepuſio provinciæ præfecto, qui Vayvoda Hungariæ appellatur, iuſtis itinerib. adduci ſerebantur. Cæterùm Tomoræus, cui novo ſupervenietī duci propter pręfecturæ dignitatem parendum foret, ut imperij ius integrū ad ſpem victoriæ retineret, omnem morę cauſam improbans, & in ſua fata pręceps ruens, ita ſanis conſilijs obſtitit, ut Regem incautum in periniquū pugnæ diſcrimen perduceret. Barbari nanq; quaternas equitum acies præmiſerāt, quæ diſtinctis inter ſe noctis atq; diei ſpatijs perpetuò laceſſentes regijs caſtris circumveherentur. Quo perſultante equitatu uſq; adeo arctè regia caſtra obſeſſa ſunt, ut nemo lignatū aut pabulatum exire, aut in proximam Danubij ripam potandis equis progredi auderet niſi magno periculo, et iniqua conditione propter Barbarorū multitudinem certaretur. Qua neceſsitate impulſus Tomoręus inſtruere aciem, et pro antiquo decore invictæ antea gentis, dignitateque Regij nominis prælio confligere coactus eſt. Aciei forma ferè ſimplex fuit, protenſis ſcilicet peditum cohortibus in oblongam ſeriem, ac intermixto idoneis in ſpatijs equitatu, ne Barbari numero ſuperantes univerſam circumvenirent aciem, & Hungari penè in orbem pugnare cogerētur. Caſtra cathenatis vallata curribus levi præſidio impoſito ad dextrā relinquebantur, quib. non abſurdo cōſilio Tomoræus alam unam lectiſsimorum equitum vallum propè contingentem appoſuerat,

ut ad

ut ad incerta belli rex eius firmo atq; expedito pręſidio protegeretur. Sed Hungarico nomini infauſtus is dies, regiq; maximè inauſpicatus, poſtremam eam ieri conſilij rationem evertit. Nam primo progreſſu concurrentes acies noſtrę, tametſi nihil eis Barbarorum tormenta altius librata nocerēt, nullo tamen negotio pulſæ protritæque ſunt, cadente præſertim Tomoræo, & reliquis ad unum fere proceribus interfectis, & Vſaronibus, qui ſunt Hungarorum levis armaturæ equites, diſpalatis, & in fugam verſis, totoque pariter equitatu fœdè conciſo. In tanta rerum aſperitate, quum Barbarorum globus ad diripienda caſtra convolaſſet, & ægrè à præſidio defenderentur; ea quam diximus lectiſsimorum equitum ala quæ regi præſidio eſſe debuerat, contineri nequijt, quin opem caſtris afferens in Turcas oppugnantes deferretur. Eodemque ſemihoræ momento Ludovicus Rex proſtratis undiq; copijs, nudatus eo quod ſperarat paraveratque præſidio, ſeſe eripiens, in proxima palude reflectente ſe equo ſexquipalmis aquæ lutulento in gurgite ſuffocatus interijt. Ita tamen ut eum locum Cetriſcus armiger eius & cubicularius genere Bohemus notaret & effugeret, & poſt multos dies decedentibus hoſtibus integrum regis cadaver Cetriſci indicio reperiretur, & regio funere tumulandum ad Albam regalem deferretur. Ab ea victoria Solymanus non obſcura admiratione ductus riſiſſe fertur, quòd Hungari tanta eſſent animorum temeritate, tantaque inſania regis conſiliarij eſſent occupati, ut alienis viribus ſtultiſsima ratione æſtimatis, ipſorum copias, quæ eſſent exiguæ, tanto exercitui obijcere, quàm regredi maluiſſent. Potitus Buda, inviſaque arce quam mirificè laudabat, nihil plus ad victoriæ ſuæ monumentum ſuſtulit, quàm æneas ſtatuas tres ingentes, quæ Matthiæ bello paceque inclyti regis fuerant. Eę Byzantij in Hippodromo collocatæ hodie viſuntur.

VIGESIMI QVARTI LIBRI.

CLEMENS, quod eius fama fœdè apud populum proſcinderetur, nec ideo tantæ iniurię contumeliam animo ſuſtineret, quoniam improvidè malignis hoſtibus credens confidensque doloſis inducijs, ut imperitus rerum tantum cum publicæ tum privatæ exiſtimationis, tum Vaticanæ ſuppellectilis quæ erat opulēta, iacturam feciſſet, abrupto tanquam indecoro fœdere, & ſpretis obſidibus, bellum Cæſarianis inferendum cenſet. Pompeium Columnam a ſenatu amovet, & tanquam ſacrilegum hoſtem aqua & igni interdicit, accerſitoq; à Gallia Valdemontio Lotharingiæ Reguli fratre, quòd eſſet ſtirpis Andegavenſium regum, qui ſuperiore ſæculo Neapoli regnaſſent; terra marique Neapolitanis bellum infert. Magnus terror Campaniæ infertur, capitur Salernum, Valdemontius ad Neapolis portas, compulſo intra urbem Moncata, ſe oſtentat, & in Latio Columniæ familiæ oppida à Pontificijs militibus crudeli incendio paſsim excitato deformantur. Per eos dies Carolus Lanoius cum claſſe ſublatis Germanorum veteranis cohortibus, & Hiſpanorum ſatis valida tironum manu in Italiam traiecit. Inter Corſicam & Iluam inſulas Hiſpanica claſsis medio in Pelago à tribus triremium claſsibus tormentis oppugnatur. Duces erant Andreas Auria, Petrus Navarrus, & Paulus Iuſtinianus Venetus. Sed aliquot navibus magno impetu pilarum incidentium per-

foratis, & una atq; altera demerſis Lanoius è ſummo diſcrimine obortæ tempeſtatis beneficio ſe eripuit, provectusq; rapido vento in Stephanium Etruriæ portum, quod eſt in Occidentali Argentarij promontorij latere, ſe intulit, atq; inde circa Campaniæ litora milites expoſuit. Eius advētu Pompeius Columna cum Veſpaſiano atq; Aſcanio Columnijs proceribus conflato exercitu ad oppugnandū Fruſinonem in Hernicos pergunt. Sed mœnia tumultuarijs aggeribus permunita, fortiſsimorū militum manu defendūtur, qui erant ex cohortibus veteranis, quas Ioannes Medices in Inſubribus Pōtifici pręſidio miſerat. Nec multò pòſt quod ſalus earū cohortium, & Hernicorū omnium cordi eſſet, iuſto cū exercitu Rentius Ceres & Vitellius Tiphernas inſtructa acie ſupervenerūt, à quibus ſoluta eſt obſidio fuſis & coniectis in fugā Cæſarianis, & his ægrè tormenta ſervantibus. Exinde à quibuſdam tota ea cōtentio ad falſam ſpem concordiæ revocata eſt, quòd Pontifex pecuniæ preſſus inopia, & magnis undiq; Cæſarianorū copijs circumventus, nequaquam diu belli ſumptum ſuſtinere poſſe videretur. Peropportunè ad eam rem conficiendā ab Hiſpania in Vrbem venit Cæſar Feramuſca Campanus, Cæſaris literas afferens, humanitatis & æquitatis, & quod intererat ad flectendū Pontificem, religioſæ excuſationis pleniſsimas. Atq; ita iterum Clemens adveniente in Vrbē obſidibus ei datis Carolo Lanoio, in quo ſumma tum erat belli et pacis authoritas, Cęſari cōciliatur. Fœdus Reipub. dirum percutitur, ea conditione ut Lanoius in Etruriam iret, Borbonium averteret, qui cum Germanis & Hiſpanis, auctus undiq; factioſorum & perditorum hominum copijs ad diripiendam Romam contendere ferebatur. Borbonius enim in ſpem diripiendæ opulentiſsimę Vrbis animos ſuſtulerat, quòd Germani pauloantè ad Mincium hoſtium copias Feltrio duce ſe tranſitu prohibere conantes ſubmoviſſent, quū fortuitò tormenti ictu Ioannes Medices cecidiſſet, cuius fortiſsimi ducis impetum extraordinarijs prælijs gravia incedentium agmina carpentē ſternentemq; ęgrè ſuſtinuerant, nec multū inſequentium Feltrij & Salaſsi, qui Venetas & Gallicas ductabant copias vim pertimeſcendā putabant. Itaq; Borbonio Apenninum Aretinis iugis ſuperāti, Lanoius occurrit. Sed abnuentium pacē militum clamoribus, dirempto colloquio Borbonius propoſito itineri ita inſtitit, ut Pontificē dimiſsis importunè copijs inermem, nudatumq; præſidio una celeritate facilè ſe opprimere poſſe ſperaret. Favit fortuna facinoroſis conſilijs, atq; impiæ fraudi, uti iampridem infeſta Vrbi atq; Pontifici: intentiſsimo nanque curſu totius exercitus Borbonius ad Vrbem pervenit, commeatus egens, & tormentorum expers pridie Nonas Maij: ſtatimq; ſcalis appoſitis, Clemente exterrito, neque ullum fugæ conſilium explicante, ad eum locum, qui eſt contra obeliſcum, humilia Leoninæ urbis mœnia ſuperantur, fruſtraque ineptis armis & trepidis animis obſiſtente urbana multitudine, Hiſpani atque Germani intrant, infinitam propè hominum fruſtra adiectis armis vitam petentium multitudinem crudeliſsimè trucidant, ſacroſanctum & toto orbe venerabile templum direptis ornamentis, multo cruore ad ſingula altaria fuſo immaniter fœdant, atq; omnia ſacrata vaſa diripiunt, elapſoque in arcem Pontifice, Vrbem ſemihora tranſcenſis inter Aureliam & Septimianam portam vetuſtate collapſis mœnibus irrumpunt, in eaq; cuncta avaritiæ, & immanitatis exempla in miſeros cives edunt, arcem circumſidēt, & perductis foſsis circumvallant, ne uſquā Pontifici effugium pateat. Animus horret eas referre Barba-

rici

rici cruciatus miſerias, quas pertulit infelix populus, olim gentium omnium victor. Hæc enim ſine multis lachrymis, neque referri, neque audiri poſſunt: ita ut ſacroſancta civitas Deos penitus averſos à ſalute ſuâ exiſtimare potuerit, niſi Dij tutelares Vrbis quanquam ad inane ſolatium præclaro ſuo ultore numine, perfidioſi atque immaniſsimi latronis hoſtiam in ipſo captę Vrbis limine mactaviſſent. Cecidit nanque Borbonius dum ſcalam funeſta manu mœnibus admovet, per inguen dextri femoris glande traiectus, ne diræ victoriæ ſuæ compos tanto ſacrilegio lætaretur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXV.

AD famam uſque adeò miſerabili inexpectatoq; eventu captæ Vrbis, ac obſeſsi in arce ſacroſancti Pontificis, uni omnium in Italia Florentini effuſè lætari videbantur, Quòd diu exoptatam repetendæ libertatis occaſionem ſibi ex tuto oblatam perſpicerent, quam dudum enudatis in Mediceos veteribus odijs intempeſtivè arripere tentaviſſent. Paulò enim antequam Borbonius Aretinas ſuperaret alpes, & ſeſe alienum oſtenderet ab omni pacis conditione, repulſo ſcilicet Carolo Lanoio, qui perampla de compoſitione mandata detuliſſet, Florentinę iuventutis globus paratiſsimis ad rebellandum animis arma cœperat, factoq; impetu Prætorium occuparat. Eius audendi facinoris princeps fuit Petrus Salviatus multis propinquitatibus atq; divitijs potens. Huic nemo ſeniorum reſtiterat, quum graviſsimi civium eius facti conſilijq; gnari eſſent, utpote qui diſsimulando & connivendo, avidis, verùm ſuſpenſis animis tantæ rei eventum expectare cernerentur. Erat in ſummo magiſtratu Vexillifer Aloyſius Guicciardinus, multis quidem beneficijs Mediceo nomini obſtrictus, ſed apud eum hominē incertæ fidei, ab antiquo maiorum ſuorum ſtudio libertatis avidum, cuncta facile obliterarat præſens occaſio admittendi, maturandiq; facinoris, ea tamen ſimulati animi ſpecie, reprehendere, deteſtariq; iuventutis audaciam cœperat, ut in re dubia atq; ancipiti magiſtratus fidem ſyncerumq; perſonę munus tueretur: quādo nihil magis optare eum credi par eſſet, quā ut pulſis Mediceis civitas ſeſe aſſereret in libertatem. In ea verborum contentione iuventus, quæ iam planè rebellarat, curiaq; potita extremum decretum cōmutatæ Reipublicæ depoſcebat, fremere atq; evibrare gladios cœpit ad deterrēdos decuriones, è quibus Federicus Riccius ſeverè obiurgans graviter caput vulneratus eſt à Iacobo Alamanno præferoci iuvene: ac ipſe Vexillifer ſimulanter intentata ſica penè violatus, quum etiam in conſpectu eius Ioannē Franciſchæum loci & honoris decus obſiſtendo tueri conantem, attractū ad feneſtram à ſeditioſis ipſo præſertim Alamanno impellente, in forum præcipitem dare niterentur. Iam in aream curiæ ſingularum regionum ſigniferi ſublatis vexillis de more contribules ſuos addu-

xerant,& patritij ordinis magna multitudo ad magiſtratus aſcenderat. Nemo enim ferè fuit vel ex ipſis amiciſsimis Mediceo nomini civibus, qui non properanter aſcenderet, atq; pulcherrimi eius facti lætitia cõpleretur, ſicut poſtea compertum eſt, omnes in unũ conſpiraſſe & defeciſſe exiſtimari poſſent. Nam conſtabat ſigniferos regionum a Vexillifero pridie admonitos fuiſſe, ut parati inſtructique armis, quum res poſceret, exortique tumultus ſtrepitum ſentirent, ad curiam progrederentur. Antonius quoq; Nerlius ſacerdos factioſus in turrem curiæ extortis à ianitore clavibus aſcendit, ut ad ſonitum campani æris populus ad arma vocaretur. His rebus Decuriones exterriti poſtulante iuventute adhortantibusque patritijs decretum perſcripſerunt, pronunciandumq; ad populum, publico præconi dederunt. Eo Medicei adoleſcentes Hippolytus & Alexauder Reipub. hoſtes declarati ſunt, bonaque eorum fiſco addicta, & liberati nonnulli cives, qui in cuſtodia ſervabantur, quòd hoſtilem animũ in Mediceos, quos appellarent tyrannos, oſtendiſſent. In promulgando autem atrociſsimi conſilij decreto, quod minimè prætermittendum videtur, Coſmus Saxetus podagricus nec inſulſus Senator vultu reſupino, & ferè oſcitanti ſublata voce interpellans præconem interrogavit, an ipſe etiam Papa Clemens eadem qua gentiles eius exilij & capitis pœna damnaretur, & id quũ altiore voce proboque nutu præconis par & æquum eſſe ſubderetur: Vos ergo, inquit, videritis cives, qui nihil libera patria carius habere vultis, an vobis ab hac mox iniuria ſacris interdicti, familiari pane veſtro ſatis piè veſci liceat. quod ſalsè dictum univerſę concioni riſum commovit, quòd omnes adeo perfricatæ eſſent frontis, ut inverecundam præconis vocem ineptiſsimè imitarentur. Ab hac tanta perfidioſaque decreti acerbitate, quum optimates, qui aderant frequentes de ordinanda Republ. diſputarent, Franciſcus Feltrius Vrbinas, Veneti dux exercitus, & Michael Salaſsius Regulus, Federicusque Gonzaga cognomento Bozolus Gallorum duces urbem intrarunt, quibus ad ſecundum lapidem dudum obviam ierant honoris cauſa Sylvius Paſſerinus Cardinalis legatus, ipſique duo pariter Cardinales Innocentius Cibous, & Nicolaus Ridulphus à Leone avunculo in ſenatum lecti: cum his etiam aderat Hippolytus Medices adoleſcẽs, qui omnes inopinata civium rebellione perturbati, in Vrbem ingredi maturarunt, primusque omnium Petrus Honofrius Montedolius, Medicearum cohortium pręfectus in forum advolat, omnique aditu regionum occupato invaſis diſiectiſque popularium manipulis, prætorium expugnare parat. Ipſi quos diximus duces citatis equis ſuperveniunt, certaturque miſsilibus ab obſeſsis atque obſidentibus, in magnumque metum atque periculum imperiti homines & ineptis inſtructi armis undique conijciuntur. Erat curia plena patritijs, atque ea iuventute quæ primæ perfidiæ vocem ſuſtulerat, decretumque arreptæ libertatis in Mediceos ad plebem promulgari iuſſerat. Quibus omnibus quum iuſta ad defenſionem arma deeſſent, neque ullus eſſet in curia commeatus ex conſcientia admiſsi ſceleris, extrema ſupplicia metuebant. Nam Honofrius eo ſtudio ferebatur, ut curiæ fores incenderet, & tormenta proferret, quibus curia quateretur. Iam enim introductis in urbem maioribus copijs, pavidos ſeniorum imbelliumque civium animos, præproperæ temeritatis & meritæ pœnæ metus invaſerat, tanta trepidatione, ut nonnulli inuſitato egreſſu dilabi feſtinarent, conſilijque inopes, & maturę opis indigi, prorſusque ad vnum ſemianimes, admirabilem commutati ingenij perturbationem, geſtu incondito, & demiſsis, pudendiſq;

verbis oſtenderent, dolerentque planè ſinguli vicem ſuam, quod nimis celeriter & inconſultè nequaquam animaduerſo periculo nondum maturæ libertatis munus expetiſſent. In nullum quippe eo grauius aut periculoſius ſalutis diſcrimen Rempub. incidiſſe ab vlla annalium memoria meminerant viri prudentes pręſentium & imminentium rerum caſus expendere ſoliti, quum atrocißimam externarum gentium colluuiem incendia & clades paßim afferentem in ceruicibus eſſe inter Senas & Aretium, alterum porro ſocialem exercitum quem vt Borbonio obſiſteret, à Mugellano Apennini latere, euaſtatis militari licentia amœnißimis prędijs in vrbem confluxiſſe conſpicerent. Quandoquidem nihil hic potius omiſſo vero hoſte qui ad excindendam Romam properabat, quàm diripiendæ opulentißimæ vrbis prædam ſpectare videretur, vt præſentis rebellionis admiſſum facinus vindicaret. Sed tanta extitit in Sylvio legato, adoleſcenteque Hippolyto, & Medicæ familiæ propinquis ciuibus clementia, tantumque in Feltrio cæteriſque ducibus æquitatis & tranquillitatis ſtudium, vt pro conſeruanda ſalute ciuitatis, ſeditioſis atque rebellibus, modò ſe dederent, integra fide parcendum cenſerent. Atque ita quum iam Medicei in non dubiam ſpem recuperandæ curiæ veniſſent, fieretque armatorum concurſus ad eorum domos defendendas, & in aream currulia tormenta peruenirent, Federicus Bozolus prodijt, pacatamque dextram oſtendens, ceſſantibus vtrinque telis, ad curiæ portam acceßit, admiſſusque ad decuriones, ità loquutus eſt:

Niſi pro dignitate ſaluteque Italici nominis, principes Florentini, hæc arma geſtarem regi Galliæ operam navans, quem huic civitati ab antiqua Caroli Magni conditoris veſtri memoria, multisq; nec unquam ferè intermiſsis in Galliæ reges officijs, amicißimum eſſe ſcio, huc utiq; nullo meo cōmodo impulſus aſcendiſſem, quanquam ex benefactis officioſoque hoc munere ſuſcepto, non inanem fortaſſe laudem expetendam rear, modò à vobis non omnino intempeſtivus orator exiſtimer, ſi hanc libertatem quam honeſtè potius concupiſtis, quàm auſpicatò tenere videmini, vobis iam planè obſeſsis & circumventis, non dubio exitio futuram oſtendero, dederoq; obiter conſilium cum vobis qui curiam tenetis, tum univerſæ civitati, omni ope quæ alicundè expectari poſsit, liquidò certius atque præſtantius. Æquißimas enim conditiones certæ pacis atque concordiæ vobis affero, quas non inſani homines ſicuti vos hodie eſſe opto, minimè repudient. Primū ſiquidem repentinumq; illum ardorem, quo hoc facinus cœptum patratumque eſt, in animis veſtris ità deferbuiſſe crediderim, ad conſpectum ſcilicet tot armatarum cohortium atque illuſtrium ducum qui vos circumſident, & propius vim admovere parant, ut eà quæ publicam ſalutem reſpiciunt, nequaquam ægrè auribus vos arbitrer admiſſuros. Vos nanque omnes integrà fide ad unum incolumes, ſalvamq; urbem fore pollicemur. Quod ſi rationis & neceſsitatis quæ vos urget obliviſcimini, & amicißimè oblata repudiatis, proculdubio (quod abominari potius poſsim quàm avertere) hanc curiam veſtro ſanguine inundatam, patriamq; veſtram intromiſſo noſtro exercitu occupatam, licentiæ atque avaritiæ militum conceſſam, priuſquam Sol occidat, cum ſumma uxorum & liberorum veſtrorum calamitate atque miſeria ſentietis. Vt hæc verò præſentire & libere proloqui audeam, multa me inducunt, & vos, uti ſpero, etiam pręclarè admonent, ſicuti huc aſcendēs ab obvijs didici. Primū omnium nihil hic pro

negotij atq; periculi magnitudine, uti oporteret, accuratè paratum video, quũ arma, tela, tormenta, & præſidia deniq; omnia vobis deſint, & (quod horreſco referens) cuncta etiam vitæ alimenta deficiant. Harum rerum inopia profectò, vel ſi cunctis civibus egregiè conſtans & ingens animus ſuperſit, indomitos certè ſpiritus celerrimè franget, ſi ſuperba, atque exitiali contumacia, furto quodam arreptam libertatem, poſtquam fata obſtant, ferocibus tantum verbis retinere conemini. Hinc ſiquidem nihil vobis pro ſalute ſperandum eſt, quum adverſa vndiq;, atque aſpera vobis immineant: Illinc verò benignitate magni numinis pax certa, & publica omnium ſecuritas comparetur. Hæc clariſsimi atque certiſsimi vades repromittunt, ipſe ante alios Feltrius imperator, duoq; ſummæ authoritatis Veneti Senatus legati, & nos deniq; regiarum copiarum duces, qui Barbaros Italiæ vaſtitatem & Clementi ſacrorum Principi immane ſupplicium minitantes glorioſè perſequi, quàm infami Etruſca præda diteſcere malumus. Non me præterit viri Florentini aliquanto audacius queri quàm defendi libertatem, ab his preſertim hominibus, qui vitę fortunarúmque ſuarum certam ſalutẽ dubijs belli caſibus anteponunt, nec aliunde quàm incolumi patria cuncta vitæ commoda atq; ornamenta expectãt. Proinde vos hortor fortaſſe propenſius quàm deceat virum militarem, ut iuventuti noxam totius hodierni impetus remittere velitis, modo ipſa vehementem illum quo nõ dubiam gloriam appetiſſe viſa eſt, immodici ardoris ſtudiũ remittat. Præclarè enim video iuniorib. ſecus ac ætate prouectis, quã odioſum ſit pacificatoris nomen: & quam deniq; ingratum atq; importunum militibus noſtris, ac fortaſſe Mediceis, in ipſo præſertim ſperatæ victoriæ limine ſit futurum, quando illi ſua ſpe prædæ fraudentur, hi verò quoſdam fortaſſe veſtri ordinis ulciſci tanquam ingratos atq; æquo acerbius rebellantes, quã in gratiam recipere malint. Vos itaque in veſtigio & deliberare, et decernere oportet, an beneficio noſtro potius quam occulto aliquo munere Fortunæ, quæ iam vos deſerit, uti velitis. Nos certè ſi vobis hac in re Dij immortales mentẽ non eripient, decreta pacis religioſa fide ſanciemus, atq; armis, ſi ita opus fuerit, pro dignitate noſtri nominis, ſaluteq; veſtra obnixè tuebimur. Ad ea vexillifer Guicciardinus ita perplexo titubantiq; ſermone reſpondit, ut fidelis ac opportuni conſilij, et uſque adeo propenſæ voluntatis erga civitatem, Federico gratias agere potius, quàm quid eſſet in cauſa probaturus oſtendere videretur. Primores autem patritij, in queis eminebant Franciſcus Victorius, & Nicolaus Caponius, uti probos veteresque ſenatores & rerum egregiè peritos decebat, peroranti, ex ipſa arcti complexus, & pacati vultus ſignificatione prorſus aſſentirent, multoque maximam primorum ordinum partem, eius conſilia, quæ tam amicè quàm humaniter dediſſet, dubio procul amplexuram confirmarẽt. Ad id fremente iuventute, & his ſuperbè atq; indiganter ſuccenſente, tanquã parum fortibus, & iam pridem longo & præpingui ſervitio aſſuetis: Quando quidem aliena virtute, alienoq; periculo partam libertatem & ultro etiam inculcatam admittere tuerique neſcirent. Multi quoq; de ſalute potius ſoliciti quã de libertate quæ iam conclamata videbatur anxiè requirebant, an ex tuto, recteque publica omniũ ſalus Pontifici offenſionum odia recõdere ſolito, committi poſſet. Quibus vocibus excitatis Federicus, ne timete inquit viri Florentini, hac in rę ſiquidem ego unus me pro omnibus locupletiſsimum vadem, & ſponſorem fore polliceor. An vero nos Pontifex cui impijs circumvento armis auxilium properè

ferimus,

ferimus, vel impudenter, vel ingratè decipiet: vel deniq; ſeipſum omnino fallet: qui non temerè Clementis nomen deſumpſerit. Cuncta enim vobis facilè condonabit, ut auguſtæ pietatis munus impleat, & ſacroſanctæ exiſtimationis iura tueatur. Itaq; Federicus è curia ad ſuos reverſus, quũ renunciaret, quos animos in obſeſsis, ipſisq; præſertim ſenioribus reperiſſet, nemo fuit qui non concordiæ ſtudendum eſſe cenſeret: in id Sylvio enixè proclinato, utpote qui natura imbellis & degener, lentisq; conſilijs ſtultę gravitatis nomen aucupãs, nequaquam parato & efficaci ingenio tantæ defectionis noxam inconſulto Pontifice vindicandam arbitraretur: & uti vir ſacratus ad pietatem perculſi animi timorem referens, à cruento conſilio penitus abhorreret: nec Feltrius, & reliqui duces ulla omnino mora diſtineri vellent, quo minus feſtinanter Borbonium magis confectis itineribus accedentem perſequerentur. Per hunc modum ſatagente cohortanteq; Franciſco Guicciardino, qui de Vexilliferi fratris propinquorumq; ſuorum ſalute ſolicitus pacis conditiones dictaverat, prolatis tabulis in proximam divi Michaelis Horto tabernam conceſsit, facileque obtinuit ut his Feltrius, Venetiq; legati & cæteri duces ſubſcriberent. Singularem enim his rerum difficultatibus explicãdis Guicciardinus authoritatem afferebat, utpote qui Pontificijs copijs cum imperio præeſſet. Summa conditionum hæc fuit, ut obſeſsi in curia atq; item reliqui omnes, admiſsi ſceleris veniam ferrent. Qua in re Feltrius & legatus Sylvius ſyncerę clementiæ fidem ſuam obligarent, oblivionemq; eius inconſultæ rebellionis ab ipſo Clemente Pontifice accuratis precibus impetrarent: Florentini verò cives redirent ad officium, priſtinęque fidei obſequium Mediceo nomini pręſtarent, atq; hiſdem ſuffragijs inducto reſciſſoq; recẽtis malignitatis decreto, novum fideleq; commutata probè voluntate conficerent, excederent extemplò curia, & Rempubl. magiſtratibus adminiſtrandam relinquerent. Hęc mutuis aſſenſibus tranſacta ſunt ſexto Calendas Maias: ſic ut eodem die qui Veneri dicatus erat, intra paucißimas horas Clemens & amiſſæ & receptæ ſimul curiæ, pacatæq; civitatis nuncium acciperet. Nec multò poſt Guicciardinus Vexillifer, continuato cũ Octoviris decurionib. magiſtratu, Calẽdis Maijs de more ſucceſſori inſignia tradidit, privatusq; abijt domum. Creatus nanq; eſt in eius locum Antonius Franciſcus Norius Medicearũ partium ſtudioſus, cuius pater ex Pactiana coniuratione cũ Iuliano Medice in templo fuerat interfectus. Tum verò Feltrius privati commodi vel turbulento eo tempore nihil oblitus, priuſquam ſeſe & copias ad iter expediret, à decurionibus impetravit, ut inexpugnabile Caſtellum ſancti Lei, Vmbrico amiſſum bello, attributumq; Florentinis ſibi redderetur. Actum quoq; ſubinde eſt de renovando fœdere, in quo nuper Florentini ea lege fuerant adſcripti, ut nullum certum munus bellici oneris ipſis imponeretur, niſi ex arbitrio Clementis: idcirco legati Veneti Aloyſius Piſanus, & Marcus Foſcarus ſeverè poſtulabant, ut quid præſtare conferreq; vellent in id bellum, disertè in tabulis exprimerẽt. Itaq; adſtipulantibus Octoviris qui toti negotio belli & pacis cum ſumma authoritate præſunt, Practiciq; ab ipſis vocantur, Florentini ſeparatim à Pontifice, ubicunq; in Italia gerendum bellum foret, ſocijs ſe daturos promiſerunt cataphractos equites ducentos & quinquaginta: levis autem armaturæ equites galeatos bis totidem, atque item integram delectorum peditum legionem: iuravereq; invicem ſe nunquam ſeparatim à ſocijs in amicitiam cum Cęſare ducibusq; eius eſſe redituros. Huius in-

eundi fœderis eximiè aſtutus ſuaſor Feltrius fuit, ex æquo in gratiam Veneti ſenatus, atq; odium Clementis, uti poſtea apparuit. Nam ab hoc fœdere Florentini pacti cum Gallo Venetoq; libertatem ſibi eorum auſpicijs incolumen futuram, ita Pontificem offenderunt, ut is ſua ſpe repetendæ patriæ deiectus oblitusq; ſummæ eius acceptæ iniuriæ, id ipſum Cæſarem inexpectata & penè incredibili exulcerati animi converſione ſe contulerit, ut ipſo Cęſare in Italiam evocato, ingratorum civium perfidiam vindicaret. His confectis rebus Feltrius educto exercitu, ſed nequaquam ea celeritate qua opus eſſe videretur in eo Romanæ urbis diſcrimine, Romam eſt profectus, attonita adhuc civitate, quum nemo eſſet qui reputatione præteriti periculi non magnopere terreretur, & ex futuri & inſtantis ſolicitudine metuendum eſſe non duceret: quandoquidẽ neceſſe eſſet eorum animos perturbari, qui de belli eventu propter externorũ hoſtium vim ſingularem atq; invicta adhuc robora Germanorum dubitare cogerentur, & ex conſcientia admiſsi facinoris clementiæ Pontificis parum confiderent, & tum à Sylvio legato, non ipſius modo curiæ platea, ſed cuncta regionũ compita, portæq; Vrbis ſingulæ, & ipſa Medicea domus firmiſsimis pręſidijs tenerẽtur. Cæterũ abeunte Feltrio, & cum omnibus copijs Romana via iter habẽte, ſimulatos Florentinorũ vultus intueri admirariq; licuit, quum undiq; aut gratulandi, aut ſui expurgandi cauſa ad Mediceas domos cõfluerent, non ſine riſu multorũ, qui eos dudum ineptè loricatos, inſtructosq; tumultuarijs & veteribus telis mirabundos & furentes vidiſſent. Tũc verò illi ijdem homines cõpoſita fronte ſolitis involuti pallijs, protectiq; capita pendulis & civilibus integumẽtis, quę ipſi Etruſci capuccia vocãt, egregiè blandi & ſupplices ſpectabantur, utpotè qui unius tantũ noctis intervallo ſicut in ſcena hiſtrionibus accidit, diverſas è veſtigio perſonas induiſſent. Ea enim eſt natura populi Florentini, ut nullis vel ingentibus beneficijs pacari, nullis vel extremæ benignitatis obſequijs eos obſtringi poſſe conſtet. Veteris nanq; potẽtię quæ in libera civitate ſingulis civibus diſpenſati dominatus erat inſtar, oblivisci neſcit, neq; eminentiam cõſpicui cuiuſquam, vel etiã moderatiſsimi civis pati poteſt. Tanta ſiquidẽ ambitione, tamq; ſuperbo livore prędíti ſunt, ut quũ quiſq; ad clavum gubernandę Reip. ſedere, potiri quoquomodo communis patriæ imperio, & publicas opes privato commodo complecti cupiat, ea inexplebili cupiditate ardeant omnes, & prorſus inſaniant, quod neminem tanquã ex ęquo civem, vel opibus, vel dignitate ſuperiorẽ ferre velint, & clariorem quoq; virtutem, melioremq; fortunam in aliena domo niſi ægris oculis conſpiciant: quando eadem ex pari merito ſibi deberi iudicẽt, ſic ut nequaquam mirari lubeat, ſi elati & peracris ingenij, notęq; tenacitatis homines, plerunq; decus in lucro præſentiq; pecunia, & immoderatis ſępeq; etiam parũ pijs quæſtibus reponant, eo etiam maiore reliquarum gentium admiratione, quòd domi nequaquã ſumptuoſam, ut pleræq; aliæ civitates, ſed parcam in univerſum & bonę frugis diſciplinã exemplo veterum Græcorũ ex quibus orti ſunt, inſtitutam ſequantur. Quanquam alioqui, uti ſunt pecunioſi mercatores, ſupra cenſum & totius induſtriæ ſpem magnificis ædificijs laudem quærant. Sed his vitijs quæ ſupra memoravimus, facilè evenit, ut inteſtinis diſcordijs ferè continenter per trecentos annos graviſsimè laborarint: tanta quidem rabie, ut modò patritios, modò populares alternante victoria, è civitate in exilium expellerent, ſævis cædibus integras ſæpè familias delerent, &

cru-

crudelibus incendijs in nobiliſsima tecta graſſarentur. Nec in his malis, nunquam mitigata feritate, diſpuderet à ſordidiſsimo opifice iugum accipere, vltro Barbaros tyrannos qui liberis leges darent, adſciſcere, vti miſerabili conditione experti ſunt, ex ipſis Michaelis Landi, Gualterijque Athenarum Reguli, & Caroli Andegauenſis abominandis caſibus. Per hunc modum ciuitatem magnis perturbatam iactatamque fluctibus, maiores Medicei per integrum ſere ſeculum ſaluberrimis legibus compoſitam, cum inſigni veræ virtutis gloria confirmarunt, & auxerunt: & ne quid ad ſummam felicitatem pulcherrimæ vrbis deeſſet, affuere ſalutari ſydere ortus Leo Pontifex, & Clemens vel alioqui moribus diſsimilis. Hi continuata imperij ſucceſsione atrociſsimorum in ſcodiorum coniurationumque memoriam, ex Chriſtiana pietate, amoreque ipſo vel ingratiſsimæ patriæ, pacatis animis deponere voluerunt, vt in ciues ſuos vel nihil tale merentes, cuncta honorum commoda, & totius certioris opulentiæ ornamenta, inſatiabili ſtudio, rediuiuaque ſemper liberalitate congererent, vſque adeo iniqua & ferè inſana benignitate, vt multos ex aula, de fide virtuteque benemeritos ſupinè prætermitterent. Quando non ſolum maiora minoraque ſacerdotia, verùm etiam vrbium & prouinciarum præfecturæ, & munera legationum ſacratis viris committi ſolita, vnis omnino Florentinis mandarentur. Qui etiam vectigalia, & totum denique Pontificij dominatus patrimonium ad certiſsimos quæſtus inuaſiſſent, eo quidem exitu, vt nihil cuiquam etiam honeſtiſsimo ad ſacri vel profani iuris prouentum Etruſcis cuncta abradentibus relinqueretur. Neque tamen his tantis beneficijs atque muneribus accumulatè congeſtis, quicquam ad promerendos ciuium animos profecere, quum Leonis malo publico immaturè defuncti, omnem memoriã ingratiſsimis mentibus abieciſſent, & tum Clementis viui regnantiſque & diu etiam regnaturi maieſtatem impiè contemnerent, nulla quidem miſericordia eius inuſitatæ calamitatis, quæ alieniſsimis etiam hominibus veras piaſque lachrymas poſſet exprimere. Itaque Florẽtini (vt ad hiſtoriæ ſeriem reuertamur) nunquam ingenio pacati, nunquam exuta malignitate pœnitentes, ſed paratis animis, quos diuerſis vultibus effingerent, renouare perfidiam, odiumque vetus exercere, id vnum expectabant, vt alicunde reſcirent quorſum Cæſarianorum impetus euaderet. Poſtquam verò pridie Nonas Maias Vrbem manucaptam, Romanosq; omnes aut trucidatos aut acerbiſsimis tormentis excruciatos, ipſumque Clementem in arce cum patribus circumuallari atque obſideri nunciatum eſt, nullam ſibi moram attulerũt, quin eoſdem animos redintegrata perfidia conſtanter erigerent. Breui namque effectum eſt, vt frequentibus conciliabulis per coronas in foro paſsim habitis, multi patritij, ſed togati omnes Prætoriũ intrarent, communicatisq; conſilijs ad Mediceam domũ contenderent, & legatum amiciſsimis hortarentur verbis, vt poſtquã Romę res eſſent perditæ cogenti fortunæ cedere probè & ſapienter, & Rempub. ciuibus reddere vellet. Erat legatus graui mœrore ſaucius ex clade Vrbis, valdeq; proſtratus, ſed multo grauiore perculſus metu, quum à Nicolao Caponio & nonnullis alijs, quos ſibi amiciores putabat, acerbiſsimum nuncium accepiſſet, ita vt virilis cõſilij inops, et de ſua tantũ pecunia ſolicitus et tenax eſſet, cuncta in pręceps prolabi ſineret, ſibiq; maxime timendũ arbitraretur. Quòd pleriſq; nõ temerè ab agreſtib. reſponſis & morib. ſe inuiſum putaret, quanq̃ Octauianus Medices incõcuſſa fide, & nõnulli fideli ſtudio inſignes nequaq̃ deſpondẽdos

eſſe animos prædicarent, confirmandaq; liberali ſtipendio militum præſidia iudicarent. Sed reperiri expedirique pecunia non poterat, quòd eam Franciſcus Niger proquæſtor, malignè apud Laurentium Strozam depoſuiſſet, atq; extemplò Lucam profugiſſet, vir utique ſupra eam perfidiam multis impietatis & avaritiæ ſordibus coopertus. Eo fruſtra citato quæſitoq; Mediceis & Honofrio militaris præſidij præfecto animus concidit. Hic egregiè pugnax & intrepidus, rem ad arma deducere cupiebat, pollicebaturq; ſe notorum ſibi civium perfidiam, multa cæde vindicaturum. Verum Sylvius tanquam iactato navigio, & naufragium adeunti perſimilis, neq; conſilium, neq; pecuniam expedire potuit, uniſq; obiurgationibus inſultantis mulierculæ domo atq; urbe cum adoleſcentibus Mediceis exturbatus eſt. Hæc erat Clarice Medices iunioris Laurentij ſoror, Philippo Strozzæ nupta, quæ tuta ſuo ſexu, & propinquitatis nomine, legatum coram ruſticanum: adoleſcentes verò ſpurios, obiterq; hæreditate Mediceæ familiæ indignos, contumelioſis verbis appellarat, & domo & patria protinus excedere increpita mora iuſſerat; quanquam generosè ei ab Hippolyto reſponderetur, quum eam omnino inſanam eſſe diceret, quæ oblita ſanguinis, potẽtiam principatus ad inimiciſsimos potius transferre, quàm conſervare in domo propria in qua ipſa nata eſſet, malignè atque perversè properaret. Verum hęc fruſtra dicebantur, quũ ad fœminam peracri iracundia flagrantem etiam acceſsiſſet Nicolaus Ridulphus Cardinalis, miti quidem ingenio vir, ſed non obſcurè appetens libertatis, qui cedendum fortunæ & ſaluti maturè conſulendũ eſſe diſſerebat. Id in Clarice excitarat odium Clemens, qui neque Petrum filium purpureo galero exornare uti promiſerat voluiſſet, virumq; ipſius Philippum pro obſide Cęſarianis Neapoli cuſtodiendum tradidiſſet. His vocibus peracerbiſq; minis unà Sylvius atque ipſi adoleſcentes exceſsère patria in non dubium exilium, quanquam decuriones ad leniendam ſubitæ atrocitatis invidiam, abeuntes benigniore decreto proſecuti ſint. Hoc erat, ut adoleſcentibus Hippolyto atque Alexandro maneret ius integrum civitatis, ambobusque locus eſſet in Repub. ad capiendos eos honores, quos per ætatem adipiſci poſſent, manerentque eis incolumes totius Medicei patrimonij facultates: eos autem Philippus Strozza ex ſenatuſconſulto comes datus, Piſas deduceret, ut arx oblata teſſera reciperetur. Cæterũ Strozza ex arcanis mandatis, ut eos retraheret iubebatur: quibus tamen propter affinitatem tanquam ab ætate tenera nihil tale meritis parcendum putarit. Conatus autem eſt Danthes Caſtellio ex Strozzæ comitatu directo & penè incenſo ſclopetto Hippolytum interimere. Verùm adoleſcentes ſubodorati vim ſibi parari, concitatis equis inexpectatò Lucam provolarunt. Lucenſes ex decreto publico eos amiciſsimè, & lautiſsimè de more civitatis ſuſceperunt, & Florentinis per publicas literas ſibi eos dedi depoſcentibus, integra fide ſe illos conſervaturos reſponderunt. Per hunc modum Medicea domus impotenti Fortunæ, civiumque perfidiæ ultro ceſsit, quum à reditu Ioannis Cardinalis eiecto Soderino quindecim annis patriæ præfuiſſet. Exinde novi creati ſunt magiſtratus, revocata priore Soderini conſuetudine, Norioque ſe ante exactum tempus abdicante magiſtratu, renunciatus eſt Vexillifer Nicolaus Caponius, ea conditione ut ipſe & decuriones comitiale conſilium popularis multitudinis indicerent, ut ex æquo cuncti cives receptæ libertatis fructu lætarentur: ſecundæ namque & tertiæ claſsis turba inſolenter poſtulabant, ut Reip. munera

latius

latius quàm antea diſpenſarentur, ne populus ſuæ ſtudioſus libertatis pro uno tyranno plures ſimul ex nobilitate ſuperbos impotenteſq; dominos eſſet perpeſſurus, ita ut iam planè patritios pœniteret recuperatæ libertatis, quam nequaquam ſuo ordini, ſed indignis plebeijſq; hominibus ſua magna cum invidia, & cum demum iuſto cum dolore peperiſſe dicerētur. Nec multò pòſt Florentinis arcem Piſanam dedidit Paccionus Piſtorienſis cuſtos, quū pecuniam in ſtipendium cohortis cuſtodiæ, quæ aliter in fide atq; officio contineri non poterat, expetenti obteſtantiq; Sylvius Cardinalis ſubmittere noluiſſet. Is ſubſederat Lucæ cum adoleſcentibus Mediceis, animoq; deiecto atq; eadem avaritię labe oppreſſo, verba pro auro, & inanē ſpem pro ſtipendio Paccionianis nuncijs dabat. Qua rei indignitate atq; offenſione permotus cuſtos, quum ſe malignè deſeri à Cardinale quereretur, nec quicquā proficeret, Antonio Franciſco Albicio arcem dedidit, ea tamen integræ fidei erga Mediceos conſtantia, ut repudiatis præſentis pecuniæ muneribus quę Albicius protulerat, expers onis præmij, ob idq; inops ſolo incorruptæ fidei teſtimonio contentus, arce excederet. Eodem etiam curſu, ſed nō eadem fidelis animi probitate exemplum ſequutus Galletus Barga accepto fœdæ pactionis præmio Liburni arcem tradidit. Interea Franciſcus & Henricus reges ex ea direptæ Vrbis & capti Pontificis execrabili fama vehementiſsimè commoti, excitiq; ad quærendū novum decus, arma parabant. Id namq; adiuto liberatoq; Pontifice, & vindicatis eius iniurijs de Cæſariorum militum immanitate longè honeſtiſsimū proponebatur, eoq; iuſtius & ſpecioſius, quoniam ad utriuſque exiſtimationem maximè pertineret, tueri armis ſacrorum Principē ſuprema propè ac inexpiabili affectum calamitate, & quòd Chriſtianæ aures vix ferrent, indigniſsima carceris contumelia cum Cardinalium ſenatu uſq; adeò impiè mulctatum. Videbatur enim uterq; eorū peculiari officio obſtringi, quòd Franciſcus ſuū vetus ex pręclaris ſuperiorū Gallię regum meritis partū Chriſtianiſsimi cognomen ferret, & Henricus ab illuſtri ſuo ſtudio quū Iulium Secundū Ludovici armis oppugnatum protegeret, Pontificię libertatis Defenſor ex ſenatuſcouſulto fuiſſet appellatus. Hos quoq; duo legati opportunè adverſus Cęſarem cōcitabant, Salviatus Cardinalis in Gallia & Vbertus Gambara apud Britannos, qui utrobique accuratè referēdo quanta immanitate in Romanos nihil tale meritos eſſet ſævitum, quantoq; ludibrio ſacrati epiſcopi in cathenis ad haſtam venales fuiſſent circumducti, & quot demū honeſti atq; inſontes ex aula aut tormentis excruciati, aut in vinculis deſperato redemptionis pretio trucidati perijſsēt, piorum hominū animos inuſitatæ crudelitatis cogitatione ſuſpendebāt: quando etiam permultos ante aram maximā ſummè venerabilis templi fruſtra à divis tutelaribus ſalutem petentes, inundato cruore pavimento cædeq; polluto cecidiſſe narrarent. His ſermonibus per coronas utriuſq; aulę diſſeminatis, vetera novaq; utriuſq; gentis odia, quæ vix dum in Cæſarem deferbuerant ex atrocitate tanti facinoris refricabantur, tanto altius quòd Helvetij cū Gallo & Britanno in idem ſtudium conſenſumque acceſſerant, quos Ennius Philonardus vetus apud eam gentem Pontificis legatus crebris cōcionibus per ſingulos pagorum conventus habitis, tanquā homines militares, nec tum vel agreſti ingenio de religione poteſtateq; Pontificis malè ſentientes, diligēter admonebat, ut quam Iulio Pontifici nuper circumvento & ferè oppreſſo fortem felicémque operam præſtitiſſent: eandem, aut certè maiorem in liberando Clemente

adverſus impios navare vellent. Debere ipſos probè meminiſſe in quam egregiæ virtutis & probitatis exiſtimationem apud cunctas nationes ex celeberrimi facti gloria pervenerint. Retuliſſe ſiquidem inde non opima modò ſtipendia, quibus honeſtè locupletes evaſiſſent, verùm quod eſſet omni auro præſtantius, ad perpetuum gentis decus, illum cunctis publicis anteferendum ornamentis piæ virtutis titulum, quo Romani Pontificis defenſores, impiorumque principum domitores appellarentur. Itaque Lotrechius cum iuſto exercitu, maioribus copijs ſubſequi iuſsis, in Alexandrinum agrum deſcendit, magnaque vi Boſcum oppidum adortus, deiecto inde Ludovico Lodronio, qui Germanorum cohortibus præerat, oppidum cepit, caſtriſque inde ad Alexandriam poſitis, eadem felicitate, quòd exiguo præſidio teneretur, ea opportuna vrbe potitus eſt. Lotrechio quoque impigrè procedenti acceſsêre Venetorum copiæ cum iuſto tormentorum apparatu, coniunctiſque viribus ad oppugnandum Ticinum proceſſerunt. Præfecerat urbi Cæſarianoq; præſidio Antonius Leva, quum Mediolano ſibi minimè excedendum, niſi graviſsima de cauſa ſtatuiſſet, Ludovicum Balbianum virum egregiè fortem, & Sfortiano nomini inimiciſsimum, & quòd ei non magnopere validæ cohortes adeſſent, quibus Gallicam vim ſuſtineret, opem ſubmiſſo Hiſpanorũ ſupplemento laturum promiſerat. Cæterùm Lotrechius animadverſo urbis ſitu, edoctuſq; de his munitionibus, quas Ticinenſes periculoſa in parte mœnium oppugnaturis Gallis oppoſuiſſent, incredibile Balbiano Ticinenſibuſque oppugnationis conſilium ſuſcepit. Converſis ſiquidem ad ipſam arcem omnibus tormentis, quæ ei ex Venetis caſtris collata erant, tanta vi turrem quadràtam quatere eſt adortus, ut ea cum adiuncto arcis muro, qui ad portam ipſius arcis ad viridaria educentem pertinet, adaperta perforataque undique penè integra concideret, proruentibus una in eadem ruinam annexis his cœnaculis amœniſsimi proſpectus, quæ Galeacius Vicecomes ante ducentos ferè annos admirandis ſumptuoſiſsimiſque picturis exornarat; cui ædificio propter incomparabilem ſtructuræ pulchritudinem omnino parcendum fuerat, niſi Lotrechius ad famam celebre teſtimonium odij ſui atque iracundiæ Ticini relinquere voluiſſet, quòd ante ſex annos ab ea parte urbis mœnia iuxta arcem fruſtra oppugnans à defenſoribus multa detrimenta è ſumma eadem turre tranſverſe oppoſitus accepiſſet. Oderat quoque Ticini urbis nomen deleti Gallici exercitus, & capti regis recenti abominabilique memoria Gallis infauſtum & infame. Balbianus tantis ex improviſo territus ruinis, auxilij atque omnis conſilij inops, quum ſervare urbem non poſſet, luctuoſa Ticinenſibus pactione ſe dedidit, eductuſque per ruinas ad Lotrechium, ſeſe impetrata ſalute conſervavit. Tum verò Galli milites facto impetu per eaſdem ruinas nullibi acriter reiecti, per arcem quod nemo crediderat in urbem irruperunt, miſerabilemque in modum cæſo magna ex parte præſidio & civibus captis univerſam diripuerunt; uſque adeò dira victorum crudelitate, ut nec templis, ſacratarumque virginum ſeptis parceretur. Quanquam Lotrechio ſumma cura eſſet tuendi fœminei pudoris. Primum qui audacter in arcem urbemque irruperit, Hoſtaſium Rhavennatem militem fuiſſe conſtat. Is a Lotrechio in præmium navatæ operæ, æneam equeſtrem ſtatuam, quæ Antonini Cæſaris eſſe dicitur, impetravit, quum ea antiquitùs Rhavennatium fuiſſet, ſed poſt Gothica tempora a Longobardis Rhavennam diripientibus trophæi modo in

ſignum

ſignum victoriæ abducta Ticinum fuerit, & in foro conſtituta. Eo modo Hoſtaſius decorum ſibi fore exiſtimans ſi vetus patriæ ſpolium recuperaret, & ſuæ pietatis memoria eo in loco ubi ablatum olim fuerat, renovata dedicatione poneretur, in forum deſcendit, & permittente Lotrechio cum manipularibus ſuis atq; item fabris deijcere ſtatuam ſede ſua, atque exſcindere columnam baſi ſuppoſitam ſuperbo molimine conabatur: quo ſpectaculo (id enim longè miſerrimū Ticinenſes iudicabant) uſq; adeo tumultuoſus complorantis & deplorantis populi concurſus fuit, ut oblitus domeſticæ calamitatis furioſè in forum decurreret, nullo modo paſſurus, ut patriæ quæ fortunarū omnium & publici decoris iacturam dudum fecerat, etiam nobiliſsimæ & vetuſtiſsimæ memoriæ monumentum eriperetur. Res eò erat perducta, ut cum armatis ab inermibus ex iurgio certandum foret. Verùm Rhavennate imperatoris Lotrechij diploma proferente, omnis ea Ticinenſium turba ſuo recenti mœrore & cultus deformitate miſerabilis, ad prætorium contendit, atque ibi unus patritij ordinis Franciſcus Boticella proiectus ad pedes ita loquutus eſt. Patere magnanime victor, ut victis, & inauſpicatæ conſtantiæ ſuæ meritas fortaſſe pœnas dantibus, in victoria tua lugere liceat, & virtutis tuæ atq; felicitatis odium, quod nobis miſeris æquo acerbius videtur, deprecari. Apud generoſos nanque veræ clementiæ laus nunquam ſordeſcit, quum cætera ex bellicis operibus atque periculis quæſita virtutum præconia, quod multis ſæpe communicentur, celeriter evaneſcant. Vna profectò clementia mortales ſuperis æquat, eiusque muneris memoria, nunquam apud conſervatos obſoleſcit. Miſeri Ticinenſes non ſuopte quidem ingenio, aut publico decreto, ſed perverſa paucorum & plane fatali factione impulſi à vetere ſtudio Gallorum defecimus, ſcilicet ut obſeſsi primū obſidente rege veſtro, & cuncta intus atrociſsimè vaſtantibus ſocijs Hiſpanis atq; Germanis, non deformatæ modò, ſed corruentis patriæ dirum ſpectaculū videremus. Nec (quod meminiſſe diſpudet) ex victoria Cæſarianorū qui cuncta domi & foris civilis opulentiæ ornamenta deleverant, vel infauſtæ fidei, vel conſtantiæ noſtræ præmium tulimus, niſi ut ad hanc poſtremā adverſi belli calamitatem à te expugnati eadem pernicioſa Cæſarianorum ſocietate raperemur. Sed quod in fatis fuit ab immiti Fortuna iam planè tranſactū eſt, nec à te id in integrum reſtitui poteſt, ſcilicet ut expugnati captiq;, & bonis omnibus expoliati graviſsimè mulctaremur, nec nobis quicquam vel publicæ vel privatæ ſubſtantiæ ſupereſt, quo militaris avaritia exaturari queat, niſi unum publici decoris ornamentum equeſtris ſtatua veteris atq; eximiæ pulchritudinis, quæ in foro, veſtibuloq; templi maximi à peregrinis virisq; elegantibus cum admiratione ſpectatur. Hanc gregarius miles Rhavennas prædæ nomine ſibi conceſſam, demoliri avehereq; navigio per Padum inſolenter parat. Id ne pati velis ciuitas ſuppliciter rogat clementiſſime Imperator, ut pro tua pietate magnitudineq; animi ſicuti dudū tua inſigni ſeveritate pudicitiam in matronis virginibusq; noſtris inviolatam conſervaſti, hoc inanis, ſed vetuſtæ tamen gloriæ ornamentum, infelici patriæ noſtræ conſerves, ut perpetuum ſit cum victoriæ tuæ, tum clementiæ erga victos monumentum. Manabant cunctis Ticinenſibus lachrymæ quando eius ſtatuæ iacturam inſtar ſummæ calamitatis atque miſeriæ ſupra direptæ patriæ adverſam ſortem exiſtimarent. Lotrechius ad miſericordiam verſus, Rhavennatem ex adverſo promiſſum muralis coronæ præmium ex diplomate repetentem

blandis verbis admonuit, ut præmium potius navatæ fortiter operæ ex ſua liberalitate oblatum accipere vellet, quàm tanta acerbiſsimè direptæ civitatis miſeria lætari, ardereque demum invidia aliquando ei & Rhavennatibus nocitura. Itaq; vel indignabundus miles pro ænea ſtatua pecuniam à quæſtoribus accepit, quantum ſatis eſt pro murali corona ex auro puro fabricanda, quę in fidem virtutis ſuæ cum elogio Rhavennate in templo poneretur. Ticino capto diverſæ apud Lotrechium ſententiæ dicebantur. Sfortiani ante alios legati cunctantem atque perplexum maximè urgebant, in queis erat Franciſcus Somalius inter Inſubres nobilitate atq; opibus potens, Gallicæq; peritus linguæ, quòd regijs in caſtris aliquandiu militaſſet. Is recenti utendum victoria, & Mediolano, Antonioq; Levæ vim & terrorem admovendum diſſerebat, quòd Mediolanenſes adverſiſsima eſſent voluntate in Antonium & Hiſpanos, à quibus ſæviſsimæ inſtar tyrannidis extrema rerum incommoda pertuliſſent. Attenuatas nanq; eſſe Antonij cohortes Hiſpanorũ vario diſceſſu, quos ipſe in præſidijs apud Comum, Leucum, & Tricium diſtribuiſſet, & flos veteranorum Romana in præda detineretur, nec ipſe immiti podagra iactatus, & ſignatæ egens pecuniæ, tantũ animi habiturus videretur, ut tot adventantium hoſtium vim, & graviſsimis iniurijs exacerbati populi tumultum uno præſertim tempore ſuſtinere poſſet. Id probabat Piſanus Venetorum legatus cum equo iure fœderis Franciſco Sfortiæ favens, tum Reipubl. ſuæ commodo integræ victoriæ ſecurum finem ſpectans. Extrudendos ſiquidem Mediolano Cæſarianos, & finibus Venetis cavendum putabat: quoniam potentiſsimi Cæſaris vicinitas Veneto nomini maximè gravis atq; ſuſpecta foret, ex recenti ſcilicet memoria Bergomi, Brixiæ, Veronęq; ereptarum urbium. Antonius quoq; Franciſcus Albicius Florentinorum legatus, Veneto & Sfortiano prędarè aſſentiebatur, vel ob id præſertim quòd Mediolanum tanquam perennem præſentis pecuniæ theſaurum, aliquando Cæſarianis adimendum diceret. Ex adverſo duo Cardinales Cibous atque Ridulphus, qui clade Vrbis elapſi ad Lotrechiũ victorẽ pervenerant, & cum his Gregorius Caſalius Henrici Britanniæ Regis legatus, vehemẽtiſsimis precibus poſtulabant, ut liberandæ urbis Romę, eripiendiq; inde Pontificis, potius quàm oppugnandi Levæ negotium ſuſciperet. Decorum ſcilicet ipſi factuq; facilè futurum, quando nulla graviore de cauſa tranſcendiſſet alpes, quàm ut tam glorioſo quàm neceſſario duorum regum decreto expedita pietate ſatisfaceret. Vbi enim ad Vrbem explicatis vexillis iter intenderet, valitura eſſe arma pro religione ſuſcepta, eaq; paſsim fore auctiora firmioraque excitis undique voluntarijs, poſtquam latrones non Cæſaris milites, & incendiarios everſoresque ſacroſanctæ Vrbis perſequeretur. Liberato nanque Pontifice priſtinam eius dignitatis atque potentiæ exiſtimationem ad fœderatos eſſe redituram: vnde ulciſci acceptas clades, & reliquo metu atque ſævitia hoſtium victor Italiam ſumma cum laude liberaret. Cæterũ Lotrechij animum diverſis diſtractum ſententijs, vnus ſenatorię dignitatis vir Inſuber, aſtuta & propè maligna oratione perpulit, ut omnem invadendi Antonij Leuæ curam in aliud tempus differret. Quo conſilio non curſus modò paratæ victoriæ interruptus eſt, ſed expedita conficiendi belli ſpes omnis intercidit. Is erat Ambroſius Florentius ex vetere factionis ſtudio Sfortiano nomini infenſus, utpote qui ſemper ſuperioribus temporibus Gallis adhæſiſſet. Itaque ſecretò Lotrechium aggreſſus: Noli, inquit, Impe-

rator

rator exiſtimare eandem eſſe ſuſcepti belli cauſam, & potiundæ victoriæ rationem. Nam (quod me non fallit) tibi omnino obeundum eſt id peculiare munus, quod iuſſu regis, & ex authoritate fœderatorum virtuti tuæ iniunctũ eſt. Id enim unum quærunt & expoſtulant, ut felicitate tui curſus uti velis, liberareq; Pontificem carcere cõtendas, cuius rei cauſa novum fœdus eſt ictum, & reſumpta ſunt arma, proſpereq; tranſcenſæ alpes, atque hæc etiam duæ validę urbes expugnatæ, ſcilicet ut immanium hoſtium ferocia frangeretur, parareturque aditus ad opem capto Pontifici, ruentique Romanæ urbi opportune ferendam, quæ propriam Regis noſtri gloriam reſpiciunt, & ſocijs publicæ ſalutis authoribus honeſtiſsimum afferunt decus. Nec diffiteor ad ſublevandam ſociorum noſtrorum exiſtimationem plurimum intereſſe, ſi Mediolano potiamur: ſed videndum eſt, ne hoc ſit Gallicis rationibus alienum. Nam neque Antonianas vires elevare hoc loco lubet, neq; noſtras attollere, ut cuncta nobis ceſſura facilè credam. Certè hoc unum provideo cunctos laboris atque periculi noſtri fructus, alieno prorſus commodo ineptè ceſſuros, non utiq; ut fœderi minus ſyncerè ſerviendum putem, verùm ut hoc ipſum Mediolanenſe imperium (uti antiqua iura poſtularit) aliquando ad Regem rediturum recordere. Si cunctemur expugnandæq; validiſsimæ urbi diutius hæreamus, eludet fortaſſe nos Fortuna, atque illa quam petimus occaſio liberandi Pontificis evolabit. Quòd ſi hoſtem in ruinis atq; luxuria opulentiſsimæ urbis ſepultum, ſeneſcenteq; ferocia ad vini & Veneris voluptates deſidẽ aggrediare, implebis officium prudentis pijq; imperatoris, occupandæq; Neapolis ex curſu exploratæ victorię facultatem arripies, & quod bene ominari fas eſt, deletis immanium latronũ legionibus, quas iam peſtilentia fœdè abſumi vulgatis morbis audimus, undiq; victor Italici imperij compos fies. Ab hac perſuaſione Lotrechius non ineptas conſilij cauſas apud legatos oſtendens, traiecto Pado Parmam ſe demiſit, atq; inde modicis itineribus Bononiam profectus, ampliſsima ea in urbe & copioſiſsima hyemare conſtituit, quòd ſibi multo maxima virium mole bellum geſturo, nova copiarum ſupplementa à Gallis expectanda prædicaret. Verùm quibuſdam ſociorum eum proculdubiò paratæ dimiſſæq; victorię proventum, Franciſco Sfortię invidiſſe apparebat, atque ideo cunctantius & ſegnius quàm pleriq; flagitaret, Romanis rebus opem ferre videbatur. Nec deerant qui non obſcurè exiſtimarent, ipſum probè regijs iuſsibus obſequentem oſtentare bellum è longinquo, & multo armorum apparatu perſtrepere, quã Cæſarianos aggredi atq; laceſſere malle, ſcilicet ne Cęſar graviore iniuria atq; periculo exagitatus, animũ in ipſo rerum diſcrimine adverſus metum facilè pervicacem a ſpe pacis atq; concordiæ longius abduceret: quoniam ea eſſet ingenij Cæſaris vis atq; natura, ut placari precibus & ratione flecti, quàm vi & armis ad id quod ſponte nollet, cogi poſſe conſtaret. Id unum ſiquidem Rex Franciſcus ex arcano eo belli motu petebat, ut Cæſar multis rerum adductus difficultatibus ab ſe regios adoleſcentes obſides datos, oblato auro redimi pateretur. Sed poſtquam ea ſpes recipiendorum obſidũ fruſtra tentata in irritum ceſsit, ab omnibus ad eaſdẽ belli cogitationes recurſum eſt. His rebus cognitis Cæſar ſive tactus religione, ſive permotus infamia, aut gravi rerum ſuarum periculo adductus, Pontificem cuſtodia & tot ærumnis liberare conſtituit, Franciſcumq; Angelium cucullatum Franciſcani ordinis principem, pietatis & probitatis nomine expiandis criminibus ſibi delectum

cum Verreio cubiculario ab Hiſpania Romam miſit, deditque ei literas ſuper ea re ducibus perferendas, quibus ſignificabat Philiberto Aurantio, Vgoniq; Moncatæ, atque idem Ferdinando Alarconi ſibi æquum piumq; videri, Pontificem dimittere, atq; eum cum omni honore verborum in priſtinam aſſerere libertatem, ſubindeque ſacroſanctam eius dignitatem obnixè defendi colique oportere, modò alicunde pecunia pararetur, quâ militibus merita ſtipendia perſolverent, ut quum tempus poſceret, Germanorum legiones urbe Roma adverſus hoſtes educerentur. Sedulò autem caverent certis obſidibus, ne Pontifex ſi fortè iniuriæ nondum oblitus, hoſtilem animum indueret, ipſis non magnopere nocere poſſet. Erant hæc Pontifici in aliena poteſtate conſtituto longe graviſsima, quum nulla omnino tuta ratio cogendæ repræſentandæque pecuniæ reperiretur: quòd infirmiſsima fide eſſet Pontifex apud creditores, uti captivus & manceps factus, neque ulla in eo niſi dubia & anceps vigeret authoritas, ſic ut de promiſsis firmiter cavere non facilè poſſet, quando ſyngraphæ nummariæ, addictorumque vectigalium tabulæ, & obligationum contractus omnes ac aſſenſuum ſtipulationes legitimo robore ex certa communis iuris formula carere dicerentur. In hac verò negotij difficultate uni omnium Germani indomita feritate nequaquam everſæ civitatis ſpolijs exaturati, quum promiſſæ pecuniæ æquas publicanorum pactiones ſuſpectarent, ſuperbeque reijcerent, truculentiſsimè cunctis qui aderant in arce, Pontificique in primis atque ſenatui, niſi maturè pecuniam expedirent, teterrima ſupplicia comminabantur. Res autem eò deducta eſt, ut Clemens longè cariſſimos atque honeſtiſsimos ex familiaribus qui ſecum erant, repræſentandæ pecuniæ obſides, frementibus depoſcentibusque Germanis, tradere ſit coactus. Hi fuere Ioannes Maria Montanus Archiepiſcopus Sipontinus, & Honofrius Bartholinus Piſanus Archiepiſcopus: epiſcopi verò Antonius Puccius Piſtorienſis, & Ioannes Matthæus Gibertus Veronenſis. His acceſsère uti pecunioſi nobileſque, & arcta propinquitate Pontifici coniuncti Iacobus Salviatus Ioannis Cardinalis pater, & Laurentius Ridulphus Nicolai Cardinalis frater germanus. Horum ſacratis manibus illicò minaces Barbari cathenas iniecerunt, & tanta truculentia ad exprimendum aurum terruerunt, ut in Campo Floræ ad erectas dicatasque latronum ſuſpendijs furcas damnatorum more cathenati perducerentur, parato ibidem ad lege agendum carnifice, ſi paulò aſperior concionis fremitus annuiſſet. Per hunc modum miſerè pallentes, & extremo ſupplicij metu perfuſi, terque in concionem producti, præclara ope magni numinis ſervati ſunt, quum ſpes auri vel in efferatis diuturna immanitate animis miſericordiam exprimeret. Siquidem paulopòſt in carcere cuſtodibus ex inſtitutæ cœnæ crapula, multoq; Falerno conſopitis cathenas exuerunt, & per vaporarium foci tubum in ſumma Riariæ domus tecta extracti funibus evaſerunt: tanta felicitate ut pedibus egreſsi urbem ad Vrbinatis caſtra, quæ tum erant in Vmbriæ finibus confugerent, ubi non diu miſeri tanquam illudente Fortuna in aliud prope diſcrimen incidère, quum eos Laurentius Martellius Florentinis præpoſitus copijs comprehendendos veſana temeritate cenſuiſſet: ſed huius impij perverſiq; hominis amentiam Feltrius & Bozzolus ſeveriſsimis verbis retuderunt. Horum obſidum inexpectata atque admirabilis fuga Pontifici deſtinatam libertatem proculdubio maturavit. Nam Pontifex ſemper ad nova parandæ libertatis conſilia ſolertiſsimè converſus,

propoſitis venalibus ſenatorijs aliquot galeris, qui conſenſu militum non obſcura licitatione amiciſsimis Cæſarianarum partium ad eum honorem aſpirantibus præſenti pecunia venderentur, brevi tantam vim ſignati auri, vel infami collatione coactam collegerit, & militibus numerarit, aut quũ adverſi rumores de ſecundis Lotrechij ſucceſsibus ſenſim increbreſcerent, milites in univerſum Hiſpani Germaniq; nequaquam ęgerrimè pacarentur, & ſeſe ducum imperijs & dicto audientes futuros dicerent. Pontifex quoq; ad declarandum fidelis amiciq; animi ſtudium, quinq; ſenatores, quos Cęſariani delegerant, obſides dederat, Piſanum ſcilicet Venetum, eius Aloyſij qui in ſocialibus Feltrij caſtris legati munere fungebatur filium, & Trivultium Mediolanenſem Gallicę factioni ſemper addictum, Gaddiumque item Florentinum pecunioſi publicani fratrem. Hi Neapolim perducti, in arceq; nova cuſtoditi ſunt: Pompeius verò Columna pro reliquis duobus qui fuère Franciottus Vrſinus, & Paulus Cęſius vadem ſe præbuit, & ſecum poſtea eos ad Sublaqueanum peramœnæ ſalubritatis ſeceſſum humaniter perduxit. Nec multo pòſt in componenda tranſactione liberandi Pontificis ſtrenuè ſatagẽtibus Pompeio Columna & Hieronymo Morono (hos enim certis liberalibusq; promiſsis reconciliatos, & pijs emollitos precibus, ita in partes traduxerat, ut Cęſaris decreto, quòd Angelius cucullatus adduxerat mirificè faverent) res appoſitè confecta eſt, eóque facilius, quòd Vgo Moncata, & Verreius incerti & ſæpe tranſverſi conſilij homines, Neapolim conceſsiſſent, et Aurantius apud Galeriam vicum hyemaret, utpote qui ſuopte ingenio captuq; mutabili & ſemper ſuſpicioſè perplexo novas difficultates negocio allaturus eſſe crederetur. Itaq; poſt ſeptimũ carceris menſem Pontifex Cęſarianorum Alarconisq; pręſertim iudicio dimis tẽdus, decreto vix dum perſcripto, quũ ſe exiturum poſtridie dixiſſet, intempeſta nocte evaſit, nihil prohibentibus portę cuſtodibus, quũ petaſatus & penulatus ſubductaq; & velata barba ſe diſpenſatoris miniſtrum ignobili eo habitu mẽtiretur. Diſpenſator enim ſe pręparãdis alimentis exituro Pontifice ad ſingulas Caſsię vię manſiones pręcurſurũ dixerat. Evaſit autẽ Vrbe occulta porta quæ eſt in Vaticani Viridarij extremo ad turrem rotundam angulo, cuius clavem ab olitore paulo anteà Pontifex impetrarat, atq; eo modo eluſis cuſtodibus Hiſpanico militari equo vectus, quẽ ei dederat Aloyſius Gõzaga, cognomine Rodomontes, cuius fratrẽ adoleſcentem nomine Pyrrhum Pontifex in his ærumnis propenſiſsimè legerat in ſenatũ, ad iter ſeſe extendit, ſubterq; Cæſianum vicum, & Baccaniam ſylvam Capranicæ paulum moratus, ad Orbitũ oppidum naturali circumambientis vallis ſaxea orbita permunitũ contendit, admirante moram & ſemidecepto Alarcone, qui ut Pontificẽ ad quotidiana ſacra è cubiculo prodeuntem ſalutaret, in multam diem expectarat, nòn ſemel increpita apud cubicularios ſurgendi tarditate, quum Pontifex, vel obdormiſcens excitandus ad iter videretur, quod ægrè uti longum & lutulentũ his brumalibus pręſertim diebus obeundũ foret. Cæterum nihil ſe commovere milites, quanquam nonnulli de animo fideq; Pontificis màlè ſuſpicarentur, qui ex repentino diſceſſu quoſdam duces, militumq; primores ipſum honoris cauſa comitari paratos, antecaptis intempeſtæ noctis tenebris parum pudenter eluſiſſet. At Florentini ubi certius didicere Clementem cuſtodia emiſſum, Orbiti tutiſsimo Tuſciæ oppido cõſtitiſſe, atq; eum frequenti hominum concurſu, qui undiq; gratulatũ coibant, itemq; multis principum & civitatum lega-

tionibus coli rediuiuaque authoritate quotidie ſupplicibus libellis ſubſcribendo, ſenatum habendo, & ſacerdotia conferendo, integri & probè coaleſcentis Pontificatus munia obire, metu atque invidia creſcentibus, in omnes partes logatos mittere, & certa armorum præſidia nouæ libertati tuendæ parare cœperunt. Sedebat tum ad clauum Reipublic. idem Nicolaus Caponius, quem pulſis Mediceis Franciſco Norio ſuffectum docuimus. Is vti erat multarum rerum experiens, optimusque civis, & patriæ libertatis amantiſsimus: in vnum pro ſalute publica conſilium incumbebat, vt proceres civitatis ex vetere ſtudio Mediceæ familiæ addictos complecteretur, à popularium iniurijs defenderet, in partemque Reipub. communicatis honoribus ſuſciperet. Sic enim inveteratæ factionis obliviſci poſſe iudicabat, atque honeſtiſsimo & tutiſsimo conſenſu cæteris civibus coniungi, vt iuſtum & bene ſanum novi ſtatus robur, in affecta & ægrè coaleſcente Repub. pararetur, quo parto nihil intus ex omnium ordinum concordia, vel foris hoſtile eſſet metuendum. Eo ſiquidem tempore invaleſcebat antiqua factio mediocrium atque infirmorum civium, nata ad conturbandam Reipub. tranquillitatem. Hęc namque turba tam ſuperbè quàm temere, vti ſuperioribus ſeculis, recentibusque Soderini temporibus conſueuerant, nullum bonum civem eſſe putabat, niſi qui Mediceum nomē maximè & acerbiſsimè odiſſet, quòd à Mediceis diu ſe in adminiſtranda Repub. prætermiſſos atque neglectos meminiſſent, ac ſimul honores omnes civitatis, vnis optimatibus & nobilitati, iniqua ratione tributos quererentur. Ab hoc improbo, & vti mox apparuit peſtilenti minorum civium ordine quaſſata primò eſt nova libertas quam fata pepererant, & demum vniuerſæ ciuitatis miſerè diſsidentis opes attritæ, conuulſæq; ſunt. His popularibus importuniſq; civibus ſigniferum ſeſe præbuerat Balthaſar Carduccius vetuſta potius quàm nobili ortus familia, qui Patavij ius civile profitendo claruerat, odiumq; ſibi Pontificis acre parauerat, quum tanquā exul deplorando ſtatum ſervientis patriæ, Patavij & Venetijs Mediceos appellans tyrannos, eorū famam contumelioſè lacerare conſueviſſet. Is fortunarū egens, & parū Florentiæ cognitus, inani immodicoq; iudicio ad ſummū Vexilliferatus honorē, unde clareſcere & ditari poſſet inſolenter aſpirabat, vixq; livido animo ferebat magiſtratū ex publico decreto in tres annos Caponio deſignatum, qua in ſede honoris æquo diutius regnare Caponium, nonnullos etiam patritios ægris animis pati intelligebat. Erant hi Thomas Soderinus, quem fraterni Vexilliferatus memoria grata popularibus mirificè commendabat, & Alfonſus Strozza ex vetere perpetuaq; ſimultate pertinaci ſtudio, Mediceo nomini ſemper adverſus. Ambo autem eadem ambitione ita erant occupati, captiq;, ut nō improbare Caponium tanquam ex profeſſo ab omni Mediceæ domus dominatu abhorrentem, ſed eius locum exoptare, occulta dignitatis obtrectatione crederentur, quem popularium ſuffragijs facile adipiſci confiderent. Propterea Balthaſari Carduccio ex turbidi atq; præcipitis ingenij vecordia res novas molienti, atq; item concitanti iuventutem aſtutè adulabantur. Itaq; Carduccius maledicentiæ ſuę frena exoluens intemperanter, & criminoſè Clementis dignitatem, & totius optimatium ordinis decus proſcindebat, ſecus ac cuperet ipſe Caponius, qui eum ordinem ſtabiliendæ libertatis cauſa nequaquam contumelijs exagitandum, ſed aſciſcendum ultro in curiam, & ſyncera civiliq; honorum communicatione complectendum arbitrabatur, ut obliterari ſenſim poſſet veterum benefi-

ciorum

ciorum memoria, quæ adhuc apud non ingratos civium animos vigeret. Dixerat enim palam in coronis Carduccius rabido furioſoq; perſimilis, ſe nunquam ſtabilis Reipubl. decus viſurum, niſi in multo cruore amicorum Mediceæ familiæ manus & pedes ablueret, & tyrannorum domum decreto publico dirui, & radicitus exſcindi conſpiceret. Erat ſiquidem amenti prope ingenio truculentus, propterea que ei obvenerat moribus eius aptum Scimitarræ cognomentum, quæ vox incurrui atque terribilis barbarici gladij genus ſignificat, unde turbida atque inſolens iuventus in foro ſpatiantis latera ſtipare conſueſſet, ut eo authore conceſsionem geſtandorum armorum & cuſtodiendæ curię munus, uti evenit, impetraret: poſtulante nanq; & acerrimè contendente Carduccio id impetratum eſt: quanquam decuriones nihil neceſſe eſſe reſponderent, ut armati curiam cuſtodirent, quando nulla vis vel intus, vel foris à quoquam extimeſcenda videretur. Ea verò efflagitantium iuvenum procacitas fuit, ut vel nolens Caponius decreto aſſentiri cogeretur, eoq; properantius, quòd ſeditioſos quoſdã abſq; periculo dignitatis, oratione coerceri poſſe deſperaret. Per hunc modum impetratis armis iuventus per ſe audax & effrænis, ab ea licentia æquo fervidior atque inſolentior adverſus optimates effecta eſt. In veſtibulo nanq;, ipſoq; atrio curiæ, prætoriæ cohortis more ſtationem delecti coniuratiq; iuvenes habere cœperunt, tanta animorum ferocia, ut obſidere decuriones potius, & magiſtratuũ dicta factaq; malignè obſervare, quàm curiæ limen tueri cenſerentur. Suſpectus enim quibuſdam popularibus Caponius evaſerat, quòd ſtudioſius quàm oporteret, propinquos veteresq; amicos Mediceæ familiæ complecteretur, quos ipſi maximè odiſſent, & trucidare percuperent, ſcilicet ut Caponio authore nõ popularis quidem ſtatus uti omnes expeterent in civitate, ſed optimatium ariſtocratia conderetur. Proinde quidã è plebeio ordine antea inſolenter Caponio dixerat, tam improbè quàm falsè, quum Medicei pellerentur: Tu, inquit, Caponi nequaquam ſana & opportuna libertati cõſilia agitas: nam tabernę vinarię frondis ſignum non prioris dolij vinum mutare contendis, quod nunquam à te fieri patiemur. quaſi diceret, ſublatis Mediceis, ipſum quidem tyrannidis nomen tolli, ſed veteres eius miniſtros & fautores nimio Caponij & optimatium ſtudio cõſervari, qui demum multorum inſtar tyrannorum uti antea conſueſſent, populo ſuperbè atque avarè dominarentur. Sed vir civili prudentia inſignis modò publicæ ſaluti proſpiceret, hoſce adverſos de ſe rumores facilè contemnebat, dabatq; aſsiduè operam, ut Pontifex atq; propinqui eius nullis verborum contumelijs aſficerentur, & quibuſdam tenuibus officijs, quæ libertati cœptæ nihil officerẽt, iuſta Pontificis in rebelles iracundia molliretur. Dixerat enim ſæpe Clemens, quum tanto obrutus infortunio, & diuturna fereque lethali correptus febre decumberet, ut nos lectulo familiariter aſsidentes audivimus, ſe totas perpeſſæ calamitatis & torquentis morbi pœnas tot peccatis ſuis ac erroribus debitas, etiam ſi DEVS ſibi miſeræ vitæ finem adduceret, æquo animo laturũ, neque aliud ab ingratis civibus Florentinis poſtulaturum, quàm ut in propinquos veteresq; amicos familiæ Mediceæ graſſari deſinerent, hisq; aditus civili æquitate ad honores præberetur, redderentq; item ſibi Catharinam neptem, quam ad veſtales virgines depoſuiſſent: paternam quoq; poſſeſsionum fructibus potiri liceret: quando totius patrimonij vectigal civilis oneris ærario publico eſſet ſoluturus. Quantum verò ad Pontificiam maieſtatem pertineret,

hoc obnixè petebat, ut nullas, niſi ex Pōtificia authoritate ſacerdotijs decumas imponerent. Hæc erant ſuprema languentis nec adhuc planè reſtituti Pontificis decreta, plena pietatis & equitatis, quibus per mercatores idoneosq́ue homines Florentiæ ſignificatis, Caponius indulgendum exiſtimabat, utpote qui prudentiſsimi viri vim, & iam tum reviviſcente eius dignitate, minimè exagitandam, ſed ſpatio & levi obtemperantia, his pręſertim in reb. quę publico voto nihil officerent, leniendā cenſeret, hac in re certiſsimus vates futurus. Quando quidem ſæpe, & etiam ante magiſtratum prædicaret, libertatem apud protervos cito perituram, niſi Reſpublica moderatis conſilijs regeretur. Quoniam his omnibus imperiti rerum plerique ciues, aut importunis diſtenti odijs, arrogantius quàm deceret, tumultuosè miſcerentur. Nec in hoc ſalubris ſententiæ inſtituto Caponius invidiam facilè ſuſtinebat, quum iuvenes qui ceptis armis inſoleſcebant, à Scimitarra malo publico concitati, eum nonnunquam Venetum ducem, ſolis optimatium utentem ſuffragijs, ad conflandam invidiam per iocum appellarent, & ciues qui parum populares videri poſſent, torvis atque minacibus oculis intuerentur, uſque adeò arroganter, ut Iacobus Alamannus præcipitis audaciæ iuvenis, in Leonardum Ginorium honeſtum ciuem, quòd modeſtiam in iuventute requirere videretur, in ipſo curiæ limine ferrum diſtringeret, quo in loco lege lata, nefas eſſet arma adverſus quenquam nudare, aut tumultuari. Id factum quum ſummi magiſtratus maieſtatem læſiſſe cenſeretur, nec ille amens, & exitiali ſuperbia tumens curiæ area excedere vellet, decuriones ad ſeveritatem perpulit, apud quos Scimitarra ex civilis iuris lenitate tutari reum conatus fruſtra perorarat. Atque eo modo Alamannus captus, in ſuperiore curiæ tabulato capitali ſupplicio affectus eſt. Meminerant enim illum eundem eſſe Alamannum, qui paulo antea curia à ſeditioſis occupata, Federicum Riccium è numero decurionum in cōſpectu Guicciardini dictatoris nefaria temeritate vulnerarat. Ab hac feſtinata Alamanni damnatione, quum caput eius è ſumma curiæ corona populo deciſum oſtenderetur, audacia non mediocriter apud iuventutem refrixit, & Carduccij vis temerè exardeſcens graviter imminuta eſt. Paucis enim antè diebus ita excreverat, cum huius concionantis, tum furentium iuvenum licentia, ut globo facto aſcenderent ad ſummum magiſtratum, & vexillum depoſcerent, quo uti bono patriæ oporteret, ordinati uterentur. Ea verò expoſtulatio ſuperba atq; intempeſtiva patribus viſa eſt, quum ſeniores id negandum cenſerent, & Caponius fœderata iuvenum arma vereretur, quòd in unius turbulenti ſigniferi manu foret, ſublato vexillo populum ad arma vocare, atque aggredi quodcunque vel crudele facinus, & civitatem inteſtino tumultu perturbare. Quum verò aliquandiu diverſis ſententijs eſſet decertatum, hunc ea contentio habuit exitum, ut decuriones quod negare ex tuto non poterant, moderata atq; ſevera conditione concederent, lata ſcilicet ſalutari lege, qua cautum eſt, ut id datum vexillum intra curiam ad columnam porticus defixum ſiſteretur, capitaleque eſſet his qui iniuſſu ſummi magiſtratus revulſiſſent, & extra curiæ limen extuliſſent. Eo temperamento Caponius inſolentem turbam opportunè pacaſſe, & publicæ ſaluti caviſſe viſus eſt. Armata ſiquidem iuventus, quæ ſuopte conſilio effrenique libidine furere graſſarique cœperat, niſi ſeveris edictis ac imperijs contineri non poſſe cenſebatur. Nam paulò anteà iuvenum globus tumultuosè in templum Deiparæ Virginis Nunciatæ irrumpens, ut ſtu-

dium

dium ſuum erga libertatem, & ingens in Mediceos odium oſtenderet, ſtatuas Leonis & Clementis lanceis transfodiendo, nefaria atq; vaniſsima temeritate deiecerant, unusq; ante alios futilis & ſuperbus civis Oricellarius cognomento, Cardinalis Clementinæ ſtatuæ faciem ingentis alabardæ ictu deformarat, & Chiurlius Machiavellus dextrum Leonis ſtatuæ oculum ſpiculo perfoderat: quas inanes iniurias ſtultæ animorum truculentiæ indices Caponius ita graviter fuerat deteſtatus, ut id facinus ſceleſte invidioſeq; editum, pœna vindicandum eſſe diceret, niſi patritiorum iuvenum amplior numerus quæ infami ſacrilegio manus admoverat, à perſcribendo decreto eum abſterruiſſet. Eodem quoque veſano impetu concitata iuventus, è ſcutis Mediceæ familiæ puniceas pilas paſsim deleverat uſq; adeo provecta licentia, ut Laurentianum ingreſſa templum è ſepulchro magni Coſmi, titulum quo pater patriæ decreto publico fuerat appellatus ſcalpellis abraderet. In id quoque conſilium non multo poſt callidis ſeniorum & optimatium artibus frænandæ iuventuti remedium periculoſum certè, ſed eventu civitati ſalutare repertum eſt, ſcilicet, ut in univerſum civitati capiendorum armorum iura traderentur, & deſcriptis à militari ætâte ad quinquageſimũ annum cunctis civibus cohortes ſub vexillis inſtituerentur, quæ diviſæ per quatuor tribus collegiorum ſigniferis præſtò eſſent. Erant hi ſigniferi numero ſexdecim, quum urbs diviſa in quatuor regiones, quæ ſingulæ quaternos haberent ſigniferos peculiaribus vexillorum inſignibus, eleganti diverſarum imaginum varietate figuratis diſtinguerentur. Per hunc modum Caponius communicatione armorum, quæ non obſcurè fervidæ violentæque iuventutis animos compeſceret, popularesque modeſtiæ civilis admoneret, civitatem in officio continebat. Pari quoque prudentia turbulentos cives legationis nomine ablegavit, Carduccium ſcilicet in Galliam nihil unquam pro ſano cogitantem, & Galeottum Iunium apud Alfonſum Ateſtinum, qui & ipſe iuriſconſultus indomitæ feritatis & pertinaciæ civis inter populares habebatur. Eadem quoque de cauſa Franciſcus Portinarius elegantibus literis inſtructus, & Bartholomæus Gualterottus, quanquã ingenij inefficacis iureconſultus, quòd æquo acrius factioni popularium faverent, hic Venetias, ille in Britanniam miſsi ſunt. Cæterum ordinatæ centuriatæ cohortes maximè lætum urbi ſpectaculum præbuerunt, quum inter duo auguſtiora urbis templa erectis altaribus traducerentur, iurarentq; ſinguli ſe patriæ libertatem contempto omni periculo defenſuros, neque his uſuros armis, niſi adverſus hoſtem Reipub. ſervitutem afferentem. Hoc ſacramento uſque adeo devotis animis circiter quatuor milia hominum conſociata ſunt, ut fideli concordia diligentiq; armorum exercitatione coaleſcẽtes, magno uſui patriæ fuerint, magnoque terrori non hoſtibus modò qui obſeſſuri erant urbem, forent, ſed externo aſcititioq; militum præſidio, quod mercede ad tutelam urbis conduxiſſent, ne militari licentia compoſitæ & tranquillæ urbis diſciplina turbaretur, quũ armati vindices præſto eſſent, qui paulò inſolentioris facti contumeliam ulciſci poſſent. INTER eas quoq; Lotrechij moras Veneti intentiore cura melioreq; ſpe copias undique conducebant, quod poſt elapſum carcere Pontificem, Cæſarianos cadaveroſa in urbe, & magis ac magis peſtilenti multis utique abſumptis, multiſque profundo luxu diffluentibus, facilè ſuperari poſſe crederent, & quas in Apulia & Salentinis urbes antea poſſediſſent, debellatis Cæſarianis ex fœdere ſe recepturos arbi-

trarentur. Florentini quoq; eandem quam cum Gallis & Venetis ante cladem Vrbis (uti memoravimus) ſocietatem inierant, ſecuti, ante omnia Herculem Alfonſi Ferrarienſis principis filium copijs ſuis cum ſummo imperij ſtipendijq; honore præfecerant. Is tum nuptias cum Renata Ludovici regis filia Ferraria celebrarat: ex qua affinitate & ipſe Alfonſus pater commutato ſtudio in eundem belli conſenſum veniebat. Videbatur autem id fœdus tot principum arma conſociantium non æquiſsimo tantùm, ſed longè etiam honeſtiſsimo iure percuſſum, quod ſalutem libertatemq; Pontificis ab initio reſpexiſſe cenſeretur. Verùm hos omnes Cæſarianorum arrogantia cum ſumma impietate coniuncta vehementer angebat & inflammabat, quum ſe dira vaſtatione & crudelibus flammis nobiliſsimas Italiæ urbes deleturos minarētur. Erat enim edita in vulgus fama, eos converſis ſignis poſt abſumptam & dirutam Vrbem pari truculentia ad evertendam Florentiam aſcenſuros, facilè invitante inexplebiles Barbaros, & nulli unquam certi ducis imperio parentes opulentiſsimæ urbis præda, incitantibus maximè eos duobus è conſilio Neapolitano ſenatoribus Ludovico Montalto Siculo, & Antonio Venafrano, quibus uti impijs ſacri imperij decus maximè erat odioſum, ſcilicet ut effrænem atq; omnibus facinoribus contaminatam militum ſociorum colluviem longè à Neapolitanis mœnibus averterent. Quibus adductos rumoribus Florentinos de renovando atq; arctius confirmādo fœdere conſilia maturaſſe conſtat, nimis (uti poſtea compertum eſt) celeri atq; ipſis demum exitioſa feſtinatione, quū Galliæ regis & reliquorum principum prælata ſocietate, Cæſaris amicitiam importune cōtempſerint. Ingentibus tamen ſententijs de eo fœdere ineundo Florentię certatū eſt, quum civitas in diverſa ſtudia promptis maximeq; facundis ad diſſerendum civium ingenijs ſcinderetur. Movebant civitatē ut Gallorum potius quam Cæſaris Fortunam ſequeretur, ampliſsimæ Franciſci Regis opes, gravis & excellens Veneti ſenatus authoritas, mirumq; locupletiſsimi Britannię Regis ſtudiū, & Lotrechij pręſentis rei ſecūdę. Nam & tum Genua peropportune eiectis Adurnijs, qui Cæſari favebāt, in partes traducta fuerat, Antonijq; Levæ pertenues in ſuſtinendo bello vires, & auxiliorum ſpes infirmę viderentur. Quæ res Florentinorū animos per ſe in Gallicum nomen proclives ita impellebant, ut magna pars populi privatis addicta lucris, quæ ſatis opima ex negotiatione Lugdunenſis mercaturę provenirent, Gallici fœderis decreto paratis ſuffragijs aſſentiretur. In tabulis autem diſertè perſcriptum eſt, ut deſcenſuro ad liberandam urbem Romam, invadendamq; Neapolim Lotrechio, Etruſcæ iuventutis legionem adiungerent: ex adverſo ipſe Lotrechius regijs viribus & copijs Florentinæ civitatis libertatē conſervandam ab omni iniuria, defendendāq; ſuſciperet. Atq; ita à Gallo rege miſſus eſt Florentiā Claudius Vellcius legatus, & à Venetis Antonius Surianus. qui fœderatę civitatis conſilijs adeſſent. Non probarant id fœdus Caponius ipſe dictator, & optimatium atq; prudentium penè totus ordo, utpote qui ei parti, cui Pontifex adhęſiſſet, omnino adhærendum cenſerent, & cum Pontifice honeſta conditione, quæ incolumen liberę civitatis ſtatū conſervaret, paciſci oportere diſſererent. Providebant enim uſu rerum periti Clementē indomito ſpiritu ad priſtinum patriæ dominatū aſpirantem, facilè oblivisci poſſe recentis acceptę cladis, tanquam non ſuæ, ſed publicę omnium calamitatis, & Cæſari renovata amicitia rurſus coniungi, ut illatam à rebellibus civibus peculiarem contumeliam vindicaret,

dicaret, ipſiusque Cęſaris felicibus armis in patriam reduceretur: quando quidem ipſe ſuſpirans & gemens, exiſtimationis ſuæ iniuriam à Gallis vel intempeſtivè, vel improbè diſsimulatam quereretur, ipſo præſertim novo fœdere, quo ſe illi Florentinis adverſus eorum hoſtes opem laturos pepigiſſent, cuius nondum maturi, ſed certè non multo poſt futuri rerum eventus, veriſsimus vates Caponius extitit, quum multorum imperitorũ numerata ſuffragia adverſus paucos rectiſsimà ſentientes, uti plerumque fit, maximè valuiſſent. His rebus cognitis Clemens ſeipſo amarior factus graviter angebatur, quanquam ad eum Vicontius Turenius à Franciſco rege miſſus, ea quæ iam tranſacta eſſent, elevare, mollireque, & ſubtilius interpretari contenderet: ſic tamen lenire offenſum non poterat, quin ille novi conſilij curam coquere putaretur: ſuſpenſo nanque animo ex rerum ſucceſſu in complexum Cæſaris ſe dare, fortunámque eius ſequi ſtatuebat. Memini me eum familiariter ſicuti ſolebat, his de rebus mecum cõtracta fronte ſermones ſerentem in hæc verba prorupiſſe: Quid mihi Iovi vel incolumi Pontificatus dignitate, vel hac reſtituta ſanitate vitaq; opus eſt? ſi ab ingratis civibus patria pulſo, & exuli perpetuo deploranda ſit maiorum meorum vetus amplitudo, totumq; familiæ decus & fortuna principatus? Hæc enim omnia infami ignavia amiſiſſe atque evertiſſe proculdubio exiſtimabor, niſi eadem virtute qua illa longo tempore parta conſervataq; fuêre, & mihi & profugis adoleſcentibus recuperentur: referaſque in annales tuos iuſtis votis meis non ſemper fortunam illuſiſſe. At Lotrechius tota ferè hyeme Bononiæ abſumpta communicatis cum Veneto, Florentinoque ſenatu conſilijs, & conſtitutis itineribus per Æmiliam atque Flaminiam in Picenum duxit. Iam enim quas expectabat copię Helvetiorum & Germanorum atque item Vaſconum, alæq; poſtremæ equitum advenerant, & Piſanus cum Veneto exercitu antecedens conducto Valerio Vrſino ad Truentum amnem properabat. Valerius clade Romana elapſus Firmum pervenerat, ubi præpotentes habebat propinquos Brancadoræ factionis, cum Guerreria familia de principatu contendentes, cuius princeps erat Federicus Cæſarianæ factionis. Is Firmanorum caſtella invadebat, nec Cariato antiſtiti Pontificis nomine Piceni præfecto parebat. Quibus de cauſis Cariatus Valerium ſibi adiungit, & per eum qui alam veteranorum equitum conflaverat, Guerrerium interficit. Valerius quoq; quoſdam Cæſarianos in Camertium iugis adortus Orpheo Aufidio duce cęſo, profligarat, opulentaq; exuerat præda. Nã Sarra Columna ab Vrbe Camerinũ profectus, Varaniæ familiæ regulos vetere atq; legitimo dominatu depulerat, direpta urbe, & Catharina Ciboa, quæ Ioannis Mariæ uxor fuerat, omnibus ornamentis perfidioſè ſpoliata, & ad Ridulphum Varanium ſpurium, cui ipſe ſororem denupſiſſet dominatum civitatis detulerat. Ex ea Aufidiana pręda Valerius coëmptis undiq; equis, inſignẽ alam auctam viris fortibus exornarat: qua fretus, cohortãte Piſano ad Aternũ amnem contendit, nulloq; negotio, citeriore navigio atq; ulteriore turre potitus, tumultuarium pontẽ effecit, ad id operam inſigni ſtudio navantibus quibuſdã Venetis nautis, qui forte ad fauces amnis erãt in ſtatione, & ſubducta navigia multamq; materiam ad efficiendũ ſternendumq; pontem convexerunt. Hoc nuncio Piſanus vehementer exhilaratus eſt, utpote qui neq; amnis ripam defenſoribus vacuam, neq; profluentem ſubmerſi olim magni Sfortiæ miſerabili interitu nobilitatum, facilè tranſiri poſſe exiſtimarat. Itaque promotis co-

pijs Valerius eadem celeritatis felicitate Sulmonenſes & Pręcutini, Pelignìq; nominis gentes, in poteſtatem ſine vulnere redegit, quod Cæſariani duces eius regionis oppida, nullo militari pręſidio muniviſſent, rati Lotrechium non illac facturum iter, ſed per Flaminiam ad urbem Romam rectà perrecturum. Non videtur hoc loco prætermittendum, quid Venetis cohortibus præeunte eorũ equitatu à Sulmone iter habentibus acciderit. Eas ſiquidẽ ingenti nivoſoq; ventorum turbine exorta atrox tempeſtas miſerabili ac inopinato cladis genere penè totas oppreſsit: nondum enim planè exacta hyeme, ut in algidis & montanis evenit locis ſerius in ver novum annus aperitur, & culmina montium præaltæ diu inſident & occupant nives. Inter duas Apennini arctas fauces imminentium utrinque altiſsimorum montium adverſis iugis, non multum lata, verùm plana vallis extenditur, ſpatio quadraginta ferè ſtadiorum. Hunc locum incolæ Peligni quinque milium planum appellant. Hæc autem eſt eius anguſti itineris natura, ut exorti venti quum ingruant, contrario in ſeſe, & rapidiſsimo impetu convolvantur: ſublatas nives è iugis deijciant, & in gyros per aera vertant, quibus media in valle iter habentes, intercluſo ſpiritu repente ſuffocent & perimant. Propterea explorare oportet inconſtantis cœli ſerenitatem, quæ ſubitis ſæpe momentis fallax, viatores decipit: quoniam abditi introrſus ſpecus conceptum naturali terræ habitu ſpiritum, ex illis inflectentium inter ſe montium anfractibus violenter expuant, certo ſemper exitio deprehenſorum, niſi intento curſu celerrimè faucibus elabantur. Periêre in eo turbine trecenti ferè pedites, repertique ſunt rigentibus membris enecti, dormientibus planè ſimiles, quum repentinæ procellæ tempeſtas deceſſiſſet. Cognito Valerij, Piſanique progreſſu, qui Aterni amnis tranſitu potiti eſſent, pontemque in eo nullo prohibente conſtruxiſſent, Lotrechius qui adhuc erat circa Firmum incertus an tranſverſis itineribus in Campaniam ſigna verteret, celeritatem ſibi adhibuit, & Venetas conſecutus copias, tormentis Aternum amnem antè parato ponte tranſvectis in Apuliam penetravit. Petrus quoque Piſaurius apud Lotrechium legatus, & Camillus Vrſinus cum reliqua parte exercitus Veneti ſeſe Piſano & Gallis coniunxerunt. Conſtabant Venetæ copiæ mille fermè levis armaturæ equitibus, in queis erant Epirotici & Græci generis pileati peltatique circiter quingenti, Andrea Cibranio duce. Reliqui Italico more galeati, thoracatique erant, inter quos àrmis ſplendidior, & Thracibus equis validior Valerij ala cenſebatur. His adiunctæ erant aliquot cataphractorum turmæ, ipſaque præſertim Alfonſi Ferrarienſis principis ala, Fãnciſco Cantelmo nobili duce ad Lotrechium iure fœderis miſſa. Peditatus autem conſtabat Germanicis cohortibus octo mercede conductis, quibus præerat Petrus Avogarius nobilis Brixianus: reliquæ cohortes erant ex delectu Italico, apud quas Gabriel Ripa veteranus ſummam obtinebat authoritatem. Eodem quoque tempore Gallicis ſeſe caſtris adiunxit Petrus Navarrus, qui commeatibus cavens, & locorũ notitia adductus cum Vaſconibus ſuis, & Cantabris, & per Sabinorum & Aquilanorum fines, Fucinumq; lacum, Capiſtrano oppido ex itinere expugnato, iter confecerat, Luceriamq; peruenerat. Atq; ita Lotrechius poſitis ad Sanctũ Severum caſtris, nuſquã conſpecto hoſte copias recenſuit, quæ & ſpecie & numero, roboreq; firmiſsimarũ gentium, triginta ferè millium numerũ implebant. Valdemontius Lothoringiæ reguli frater, qui ſuperioribus annis ea ſpe Neapolim penetrarat,

trarat,& Salernum manu ceperat,ut regno quod antiquitus Andegavenſium regum fuiſſet(horum enim ipſe legitimæ ſtirpis erat hæres) adiudicante Clemente potiretur,legiones duas Germanorum ductabat. Præerat Helvetię legioni Tēdanus Comes, Baſtardi Sabaudi filius,quibus addebantur ſubſidiariæ Sclopettariorum Italicæ cohortes. Equitatus autem Gallicus peramplus erat & illuſtris,cui Gherlindanus Britannus ab Henrico Rege miſſus,peculiarem alam adiunxerat. Hac procedentis Lotrechij fama permoti Aurantius & Vaſtius operam dabant, ut Germanos & Hiſpanos hærentes prædę reliquijs,& de conſtituenda in Vrbe colonia cogitantes educerent. Exuiſſe enim uſq; adeo veterē ferociam,turpiq; ocio emarcuiſſe videbantur,ut niſi ęgrè multaq; comminatione ſeveri imperij, ſigna ſequi velle crederentur. Sed illatus ab infenſo validoq; hoſte metus, & ſalutis & decoris cura, vel ſegnes animos ad iter erexit. Atque ita vacua relicta Vrbe Latina via profecti ex itinere Vaſtius Vallemontonium Latij oppidum, quod Baptiſta è Comitum familia nobilis adoleſcens, neq; portas aperiret, neq; cōmeatum præberet, tormentis expugnavit,cruenta irruptione direpto oppido,quod in ingreſſu nonnulli viri fortes,& in his Beltrandus Ruſsius nobilis Parmenſis,& Gallindus Hiſpanus cohortis præfectus, Vaſtioq; familiaris cecidiſſent. Exinde per Hernica oppida in Campaniam iêre,ad lęvamq; deflectentes per Sidicinos,Exertinos atq; Aliſanos fines,& per Serram demū, quam vocant Capreolam, ex qua facilis eſt ab Apennino in Apuliam deſcenſus,Troiam pervenêre. Hęc urbs ex veterum Harporum ruinis, cuius agri pars nomen adhuc retinet,ædificata dicitur,magnamq; habet celebritatem, quod edito in colle poſita, ſubiectæ Apuliæ campos, Garganumq; montem, & Hadriatici maris litora proſpectet. Lotrechius ubi hoſtes ad Troiam conſtitiſſe didicit, Luceriam ad Navarrū eſt profectus; ſequentique nocte Valerium,quod firmis & expeditis turmis uteretur, & ipſe alacri ingenio navandæ operæ eſſet avidus, Troiana via exploratum miſit, ut aliquo excepto de hoſtium conſilijs numeroq;,ac eorum ſede & caſtrorum ordine certius cognoſceret. Inter Luceriam & Troiam medio fermè itinere, flumen exiguū verum cavis admodum ripis decurrit,in quies pari explorandi ſtudio Vaſtius Hiſpanorum validam manum condiderat. Inalbeſcente itaq; cœlo Valerius ad amnem præveniens, quum paucos equites ab amne in ulteriorem ripam evadere iuſsiſſet,hoſtes in inſidijs occultatos deprehendit. Illico quid repererit(quod ita facere iuſſus erat) Lotrechium doçet,petitq; ut ſibi liceat tranſire amnē,& cum hoſte manū conſerere. Id ſevèrè negat Imperator, ſed mox alacrium iuvenū globus è Gallicis alis Valerium ſubſecutus cōſpecto hoſte,quin pertranſiret, vel obteſtante obſiſtenteq; Valerio retineri non potuit. Accenſum eſt leve primo prælium,ſed ſenſim actius & ardentius.quoniā multo frequentiores quàm putaſſent Hiſpani pedites & equites ex depreſsis locis prodibant. Pugna autem eò deducta eſt,ut Galli quanquam ſumma alacritate depugnarent,in magnum diſcrimen perducti viderentur: quorum permotus periculo Valerius vel contra Lotrechij imperium opem ferendam ſtatuit,ne in primo congreſſu ad omen univerſi belli aliquod detrimentum vel dedecus acciperetur,quando ea Gallorum manus ex equitibus primæ nobilitatis conſtaret, cui ſe ducem præbuerat Griffeius cum Regis gratia, tum ſuo bellico vigore præſtans iuvenis. Nec mora,ſuo procurſu Valerius iam planè circumventos & perturbatos Gallos confirmavit, opportuneque ſummotis

dd

hoſtibus citra amnem reduxit. Nam aliæ atque aliæ hoſtium turmæ, & peditum cohortes eo conſilio ex acclivibus locis ſe demittebant, ut aucto numero renovatoq; impetu, pulſos in amnem, præruptumq; cavæ ripæ alveum præcipites darent. Succenſuit Valerio Lotrechius, quòd ſuo iniuſſu amnem tranſiſſet, quaſi eum puniturus, niſi Griffeius cum ſuis defenſus, & proculdubiò ſervatus, reſq; peropportunè & fortiter geſta, ſeveri alioqui ducis ircundiam mitigaſſent. Poſtero die Lotrechius motis caſtris ad hoſtes rectà contendit, in ſubiectiſq; Troiæ campis equeſtri prælio ſumma utrinq; alacritate certatum eſt, nullis quidem interpoſitis ſclopettarijs, ita ut levi cum periculo, quantum quiſque eques lancea gladioq; valeret, ex criſtis ac inſignibus noſceretur. Captus eſt in eo congreſſu Martius Columna impiger adoleſcens, quem Pompeius Cardinalis patruus paulopoſt pecunia redemit. Cæſariani duces acclivibus in locis caſtrametati, diſtinctis atque ordinatis copijs ſub Troia conſtiterant: poſteroque die Lotrechius ſeſe in conſpectum dedit, ita aciem flectens, & copias oſtentans, ut multo tubarum clangore hoſtes è propinquo ad committendum prælium provocaret, & provectis in gyrum curulibus tormentis, in adverſos ea diſploderet. Sed pilæ in erectos per acclivia hoſtes minimũ inferebant detrimentum, quòd terreno ſtatim hauſtæ vix uno aut altero interfecto, nec ſubſilirent, nec confertis aciebus inciderent, ſic ut uni tantùm ſignifero Chriſtophoro Ario cum vexillo dextra manus falconis ictu abriperetur. Apta videri poterat occaſio conſerendæ pugnæ quibuſdam audacibus, quòd inſolentiſsimi hoſtis conſpectum, tam diu minimè ferendum putarent, eundemque ducem atque eoſdem hoſtes ſæpius victos acri concurſu propelli & profligari poſſe arbitrarentur. ſed Vaſtius et Dorbinus Aurantij fervidos impetus moderari ſoliti, Gallos mora & cunctatione eludendos, refrigeratáque demum earum gentium quæ impetu valerent, dimicandi cupiditate, ſine vulnere, uti ſæpe aliàs, debellandos differebant, ob idque præſertim quòd tum omni tormentorum carerent apparatu, & cataphractorum alas, Garzia Manrico, & Ludonio ducibus, Neapoli profectas, atque item quorundam procerum Neapolitanorum auxilia, ipſúmque præſertim cum ſuis cohortibus Fabritium Mamaraldum expectarent, ne priuſquam bene explorata victoria, non de regno modò Neapolitano, ſed de Mediolanenſi quoque imperio unius prælij alea dimicarent. Id verò unum eos ad confligendum hortari poterat, quòd nondum Horatius Balconus cum Etruſca legione Lotrechij caſtris applicuiſſet, proptereaque ſi pugnam differrent, hoſtem non novis, ſed exercitatiſsimis ſclopettariorum cohortibus firmiorem ſe poſtea inventuros intelligererent. Conſtabat enim ea Balconi legio magna ex parte veteranis, quum ſub Ioanne Medice ad ſummã bellicæ virtutis opinionem perveniſſent. Verũ ut poſtea ab ipſo Vaſtio, Dorbinoq; audivi, Hiſpani & Germani nequaquã priſtinam eo die animorum alacritatem oſtenderunt, quum multorum menſium deſidia, & luxu captæ Vrbis enervati, onuſtiq; præda, omni decori & laudi, quæ periculo parari poſſent, vitam anteferre, & partis divitijs atq; ocio frui velle viderẽtur. Per hunc modũ Lotrechius fruſtra provocato laceſsitoq; hoſte, ea copiarum & pugnæ oſtentatione lætus, quod hoſtes alias pugnaciſſimi oblato prælio defuiſſent, copias ſuas reduxit in caſtra, & ſeptẽ ferè ſequentibus diebus quid conſilij agitaret hoſtis expectavit, quum perpetuò in eadem planicie, inter duo caſtra quotidiana exercitatione, minutis & diverſis eque-

ſtribus

ſtribus prælijs certaretur, decoro potius quàm cruento ſpectaculo; quũ ingens utrinque equitum multitudo, nihil intermixtis ſclopettarijs, raro lethali vulnere dimicaret. Cecidit tamen è Cæſarianis Teias Aghillarius levis armaturæ equitum præfectus, quum aurato inſignis ſagulo in aciem prodijſſet, & hoſtes eum ab illo ſplendido ornatu Aurantium eſſe exiſtimantes certatim adorirentur. Hic eſt ille Teias immanis ſævitiæ Hiſpanus, qui capto in Vrbe Laurentio Granio Signino epiſcopo, Romana florenti eloquentia, quum ille egens pecuniæ, & direpta domo redemptionis pretium ægrè expediret, ſacratum caput inſolenti vulnere propè diſcidit. Interceptus quoq; eſt Ferdinandi Gonzagæ alæ equitum ſignifer Campegius cum vexillo, quum frumentatoribus præſidio miſſus in Gallos equites incidiſſet. Tum vero Cæſariani cognito Baleoni adventu, qui non procul inde aberat, movenda caſtra ſtatuunt, & rectà Neapolim multis de cauſis contendendum cenſent, ut ibi certiore ſpe commeatus, & maioribus præſidijs bellum gereretur. Sergianum verò Caracciolum cum ſua cataphractorum ala, duabusq; Hiſpanorum, & quatuor Italorum cohortibus Melphim ipſius Sergiani ditionis urbem, ut præſidio ſit, dimittunt, multisq; relictis ignibus, craſsiore matutina aura tecti, deceptis Gallis & præmiſsis impedimentis, peditatuq; omni noviſsimum agmen validi equitatus præſidio firmant, & per Creppacorij iuga, quæ ſunt arctæ fauces, è Samnio in Campaniam deſcendunt, ſerò perſequentibus Gallis, qui in ea exortæ nebulæ caligine, de diſceſſu hoſtium nihil pro certo explorare potuerãt. Nec multò poſt Horatio Baleono obviam miſsis equitibus eius legionem ab apparatu ſpecieq; militum cumulatè laudatam cum mutua gratulatione in caſtra receperunt. Tum verò apud Lotrechium in conſilio diſputatum eſt, an hoſtẽ prælio decertare non auſum, & ex ignobili diſceſſu in non dubiam converſum fugam, uti credebãt, perſequi præſtaret, an expediendis commeatibus, nihil in tergo niſi pacatum, omniq; metu vacuum relinquere. Guidoni Rangono, qui multi uſus dux habebatur, ipſiq; item Valdemontio, & præfectis alarum ferè ſingulis, uniq; præſertim Valerio Vrſino magnopere placebat inſtare abeuntium tergis, & proculdubiò à clandeſtino turpiq; receptu perterritos & diſiunctis agminibus diverſa itinera capientes, toto equitatu conſectari: fore enim ut inſigne detrimentum noviſsimis inferretur. Si vero hoſtium equitatus ora cõverteret, ut poſtremi agminis terga tueretur, eum per ſclopettarios Etruſcæ præſertim legionis, qui eſſent ſummæ pernicitatis atq; peritiæ, facile ſuſtineri atq; propelli, & ſi fugam intenderent, exui impedimentis: quo eventu nihil ipſis Romana præda onuſtis gravius, noſtro verò militi lætius, et ad opinionem ſperatæ victoriæ confirmandam atque attollendam utilius & ſpecioſius accidere poſſet. His Navarrus (ſi univerſi belli exitus ſpectetur) fatali ſibi & Lotrechio, cæterisque ducibus & copijs maximè funeſto conſilio contradixit, veterem ſecutus belli rationem, ne ſi fervidis animis abeuntibus hoſtibus incumberent, ea omnis qua tum potirentur, adipiſcendi commeatus facultas amitteretur. Neque enim ſperare debere, ut vicos & oppida commeatibus plena, per quæ antecedens & prædabundus hoſtis tranſiret, diffugientibus metu incolis reperirent. Relinqui ſiquidem in tergo Melphim opulentã urbem militari præſidio & peculiaribus Sergiani reguli viribus confirmatam, unde frequentibus eorum eruptionibus impediri atq; intercludi ſubvectiones frumẽtarias poſſe, nemo belli regionisq; peritus non dubitaret.

ita quæ ſibi Melphim omnino aggrediendam expugnandamq; videri,& circumiecta oppida in poteſtatem redigi debere, ut nihil hoſtile retrò metuant, & deficientium ab hoſte eius tractus populorum fama aucti, ex tuto Neapolim uſque penetrent. Hæc apud Lotrechium ſententia vicit, quum nec fugientes & perturbatos prope Cæſarianos Fortuna deſereret. Nec mora Navarrus cum iuſto tormentorum apparatu Melphim contendit, eisque prolatis magnum in muro hiatum fecit, ſed nequaquam uſq; adeo latum, ut non plus quā bini aut terni milites irrumpere poſſe appareret. Subière tamen temerè atque audacius quàm expediret Etruſca vexilla, quæ quum per ardua eniterentur, & difficiliorem opinione aditum reperirent, multis interfectis & vulneratis retroverſa ſunt, egregiè propugnante Sergiano. Cæterū Vaſcones & Cantabri Etruſcis ſucceſsère, magnaq; vi ad deiecti muri aditum dimicatum eſt, maiore oppugnantium cæde atq; periculo: quoniam Navarrus ut conglobatis cohortibus latiorem ingreſſum pararet, tormenta in eam partem cōtinenter ita adigi iubebat, ut multi qui primi aſcenderant, tergis pilas exciperent, & miſerabilis ſociorum ſtrages ederetur. Sed his incommodis atq; vulneribus accenſi pariter Vaſcones & Etruſci, vi facta in urbem perruperunt, neq; quiſquam ferè ex Hiſpanis & Italis qui erant in præſidio irati victoris ſævitiem effugit, manavitq; cædes ad oppidanos tanta rabie, ut infantibus & fœminis ægrè parceretur, & victores inter ſe de captivis & præda rixantes catervatim manus conſererent. quæ res cęſorum ſtragem accumulavit: Nam à Navarro circiter quingenti omnis generis milites deſiderati ſunt: ex oppidanis autem & præſidiarijs cohortibus & turmis ſupra tria hominum millia cecidiſſe referuntur. Captus eſt ipſe Sergianus Caracciolus, qui conſtantiſsimè, uti debebat, ſuam urbem defenderat. Melphi expugnata, Venuſini Gallis deditionem fecerunt, quorum exemplum ſecuta ſunt pleraque oppida Lucaniæ & Apuliæ, apud quæ non ingratum erat ex veteribus ſtudijs Gallicum nomen. Atque eo modo Navarrus quum nulla hoſtium manus occurreret, ad Lotrechium reverſus eſt. At Cæſariani ex itinere Arriano oppido direpto, quòd Arrianenſes ex vetere factione Gallorum adventum expectare viderentur, prȩter Avellinum & Monteſuſculum lacteis figulinis nobile, tripartito agmine, quum Aurantius cum Germanis præcederet, Gonzaga cum equitatu latè diffuſo, quòd nemo inſtaret hoſtis, ſubſequeretur: & Vaſtius cum Hiſpanis Nolam peteret, paucis diebus uno fermè tempore Neapolim contenderunt. Cæterùm Hiſpani ad Nolam more ſuo ſtipendia flagitantes, vix concionantis Vaſtij cohortatione, ad ſeditionem conſternati, in officio contineri potuerūt, increpita ſcilicet malignitate atque ſtultitia eorum, qui præda divites inſtante tergis hoſte, ſtipendia vel merita, importuniſsimo tempore poſtularent. Ad id impudentiæ facinus milites Dorbini opera incitatos Salſedus eximiæ virtutis veteranus dictitabat, non obſcura dignitatis obtrectatione, quando is ad honorem magiſterij caſtrorum, quo Dorbinus fungebatur, vehementer aſpiraret. Qua de cauſa Dorbinus ut calumniam dilueret, capitale auſus facinus, ſpectante Vaſtio in Salſedum enſem deſtrinxit, eique brachium diſcidit. Eius atrocis & inſolentis facti conſpectu acriter permotus Vaſtius, in Dorbinum irruit, ſua manu Salſedi iniuriam, & percuſſoris temeritatem vindicaturus. Quo animadverſo Dorbinus ex irati ducis oculis vitæ ſuæ periculo, in genua procumbens, gladij cuſpide comprehenſi capulum duci porrigēs, hoc inquit in meam

necem utere Imperator, qui iracundè potius quàm iniquè nominis tui offenſa maieſtate deliquerim. Tanta enim erat erga Vaſtium vetus Dorbini reverentia, ut effugere metu mortis diſpuderet. Hic demiſsi & ſupplicis, nec mortem deprecantis habitus paratam ſemper in Vaſtio generoſi animi clementiam facilè excivit, eique non modò pepercit, ſed priſtinum honorem qui erat ſummus in exercitu etiam conſervavit: quod ſtrenuiſsimi viri eo gravi bello virtutem magno ſibi uſui futuram iudicaret. Sed Salſedus nequaquam mortiferi vulneris, ſed implacabilis animi dolore multos poſt dies Neapoli exceſſit è vita. Quum Cęſariani duces ad Neapolim coniunctis copijs perveniſſent, & Vaſtius orantibus Neapolitanis, & ſeſe omnes affatim commeatus ſuppeditaturos pollicentibus, caſtra idoneo loco extra urbem ponenda cenſeret, Vgonis Moncatę, & Alarconis ſententia prælata eſt, qui introducendum in urbem exercitum contendebant: quoniam dilabentibus, & in fidem nutantibus quibuſdam Andegavenſis factionis regulis, populum ab inſita levitate novis rebus & regibus ſemper ſtudentem defecturum crederent, quum primum Gallica ſigna conſpiceret. Contineri enim in officio & fide facilè poſſe præſentibus, & portas & mœnia tuentibus militum præſidijs: quando paratus eſſet in urbe, & in arcis horreis frumenti & commeatus omnis generis copia, vinique præſertim, qua una re allici promererique Germanorum animos conſtaret. Hanc reliqui duces Aurantius & Gonzaga militibus id expetentibus favere ſoliti, ſententiam approbarunt, vel graviter reclamante Vaſtio, qui eo conſilio urbem miſerè & propè hoſtiliter à ſocijs direptam iri intromiſſo exercitu prædicabat. Sed nihil eius ante proviſæ calamitatis detrimentum externorum ducum animos permovebat, utpote qui neglecto omni civium incommodo, uni tantùm defenſioni urbis, publicæque militum ſaluti proſpicerent. Atque ita fruſtra lugentibus Neapolitanis per idonea urbis loca exercitus regionatim eſt diſtributus. Nec multò poſt Lotrechius cum omnibus copijs in conſpectum ſe dedit, caſtrametatuſque editis in collibus, & perductis perpetuis munitionibus quæ ad mare uſque pertinerent, pręaltis atque admirandis aggeribus ſe circumſepſit, ipſeque in Aragonij Montalti villa prætorium fixit, quæ exeuntibus ab urbe Campana via ad dextram relinquitur. Navarrus autem diverſis conſtitit in iugis, qui ad levam ultra divi Martini collem vergunt, & Ianuariæ portæ imminent, & in Ioannis Roſcij villa munitiſsima caſtra conſtituit, eo conſilio ut longam obſidionem terra mariq; inſtituerent, & vicinas Neapoli urbes Capuam, Averſam, Puteolos & Nolam, quas occuparant, præſidijs obtinerent. Tum verò Gallorum antecurſores, atque admixtæ aliquot ſclopettariorum cohortes ab æde divi Antonij ad Campanam uſq; portam decurrerunt, in quas Cæſarianorum globus erupit, certatumque eſt tumultuaria pugna, ſed paucis utrinq; interfectis, quum Galli aucti numero vehementer urgerent, Cæſariani cadente Verreio intra portam compulſi ſunt. Hic Verreius, ut ſuprà diximus, ab Hiſpania miſſus à Cæſare Romam ad duces mandata detulerat: verùm poſtea depravatus malignitate quorundã, ne intereſſet pactionibus quibus Pontifex dimitteretur, aſtutè quidem, ſed leviſsimè Neapolim conceſſerat, primuſq; improbæ ſuæ voluntatis pœnas dedit. Exinde cunctis ferè diebus levia certamina ferebantur, quũ Galli audacter procurrerent, & Cęſariani erumpentes novi hoſtis ferociam egregiè ſuſtinerent. His minutis pręlijs nonnulli utrinq; ceciderunt, quòd inter-

mixti equitibus ſclopettarij rem gererent, & eos diſperſos Hiſpani levis armaturæ equites turmatim aggrederentur. Per hunc præliandi morem Roſcinius Ciarius nobilis atq; fortiſsimus inter Etruſcos iuvenis, quũ ſuos diſpalatos recipere conaretur, ab equitib. eſt interfectus. Interim Neapolitani inexpectata ab Hiſpanis atque Germanis domeſticarum rerum detrimenta perpeſsi, & duriora indies expectantes, ſeſe privatis obſidionis ærumnis, periculoque publico eripere cœperunt, atque inde navigantes in proximas Capreas, Aenariam, Prochitam, & Surrentini litoris tuta ab hoſte atque ſalubria loca ſe conferebant. E proceribus quoque Neapolitanis plerique dilapſi ſunt, & in his mutata fide multo maxima pars Andegauenſis factionis ad Gallos tranſijt, primuſque omnium Vincentius Caraffa Montis ſacræ arcis oppidi regulus, Cæſarianis diffidens rebus ad Lotrechium ſe contulit. Huius viri iudicium quod exactæ militaris prudentiæ haberetur, multi ſunt temere ſubſecuti, quod a tanto viro conſilium anceps, niſi graui cum ratione ſuſceptum non exiſtimarent. Ex his fuere Caracciolus Murconij Comes, Ferdinandus è Pandona familia, Bouiani regulus, Federicus Gaetanus, Franciſcus Aquinas Quadratæ in Apulia regulus: qui demum finito bello aut ſecuri percuſsi, aut bonis mulctati, maleſanæ & infidæ levitatis pœnas dederunt. Sergianus quoque Caracciolus qui animo tam forti quam fideli apud Melphim captus fuerat, quum aliquandiu ſummis precibus ab Aurantio, ut redimeretur, impetrare nequiuiſſet, ab hac contumelia indignabundus Lotrechio liberanti ſeſe addixit, dictoque ſacramento a rege alæ equitum præfecturam promeruit, & decora ſacri ordinis nobilium procerum torque donatus eſt. Interea Neapoli quanquã magna frumenti copia ſuppeteret, conficiendi panis difficultate uſque adeo laborari cœptum eſt, ut Germani præſertim frumento cacabis excocto veſcerentur. Nam & frumentariæ molę quæ ſunt ad Sebethum fluviolũ, & aliæ quæ ſunt in Glani amne ad Acerras, atq; Sueſſulam, in poteſtate hoſtiũ erant, cui incommodo ſolerter occurrebatur ab Hiſpanis & Italis qui paruas è lapide ſuburbano molas manu ductiles confecerant, quibus triticum egregiè, ſed nequaquam affatim molebatur. Nec vini iam tanta ſupererat copia quæ ſatis eſſet Germanis, aquæ potum tanquam viſceribus noxium abominantibus. Eius quidem deſiderio tanquã æquum & debitũ poſtulantes uniuerſas propè vrbis cellas cum fremitu ſcrutabantur, ſic ut Daualam ipſius Vaſtij domũ ſæva irruptione violare non veriti, aliquot Græci vini dolia, ſubter hortum manufactis ſcrobibus recondita, ex indicio infidelis fabri detegerent, factoq; totius exercitus concurſu, perpotãdo galeis & aquarijs cuppis aſportando ocyſsimè exhaurirent, quũ modicè parcendo, omnibus per aliquot dies ſuffectura crederẽtur. Interea accitus a Lotrechio è Genua Philippus Auria, Andreæ Auriæ Gallicæ claſsis præfecti legatus, cum octo triremib. circa Neapolim venit: cuius adventu propè omnis advẽtitij commeatus ſpes hoſtibus interclusa videbatur, eoq; arctius quod ſupra Liguſticam claſſem, Venetorum quoque triremes circiter viginti ſuperato Meſſanæ freto ad invadenda obtinendaque litora, propediem venturæ nunciabantur. Qua rerum fama adducti Cæſariani duces, priuſquã Venetę triremes Siciliæ fretũ tranſirent, cum Philippo confligere ſtatuerunt. Habebant Cæſariani ſex tãtum triremes, biremeſq; duas, confiſiq; virtuti militum, & quatuor magnarum navium ſcaphis quas ſclopettarijs impleuerant, & reliquis pari ratione minoribus navigijs, quæ frahatæ vocantur, concurrere roſtris,

roſtris, manusque conſerere minimè dubitabant. Erat enim cum Vaſtio, qui cum Vgone Moncata prætoriam conſcenderat, delectorum flos militū. nam Dorbinus accuratè fortiſsimum quemq; et Cantabrico mari aſſuetum viritim delegerat, & in his promptiſsimos centuriones atq; ſigniferos, quos nihil maris nauſea atque iactatione perturbari conſueſſe didiciſſet. Conſcendit quoq; & ipſe magiſter equitum Aſcanius Columna, & pleriq; alij viri inſignes ſua ſponte nihil de victoria dubitātes: & ne Germani quicquam Hiſpanis de virtute concederent, Conradino Glornio duce circiter ducēti duas triremes compleverunt, magnaq; alacritate è Pauſilipo ſolventes, ad inſulam Capreas contenderunt, atq; ibi iuxta fontes ex iocundiore mora largius epulati, Conſalvo etiam Barectæ Luſitano cucullato, qui religioſæ ſoliditudinis cauſa illis in rupibus tugurium condiderat, concionanti aures præbuerunt. Is vehementiſsimè cohortatus duces ſingulos obteſtabatur, ut priſtina virtute uti, pietatisque patriæ memores, crudeles ulciſci Ligures, atq; eos acri maximè impetu invadere ad non dubiam victoriam vellent, ſcilicet ut tot miſeros Hiſpanici generis viros longè fortiſsimos, quos illi perpetuis verberibus & contumelijs affectos, & pro ſervis remigibus cathenatos ad tranſtra detinerent, ærumnoſa atq; infami ſervitute liberarent. Dum prolixè atq; inflammatè Barecta concionaretur, Biordus Agnelius Neapolitanus non tam Gallicæ factioni addictus, quam Hiſpanorum arrogantiæ infenſus, in adverſum inſulæ litus ſe demiſit, & veloci vectus navicula ad Philippū advolavit, primusq; certum nuncium tulit de numero apparatuq; & ducibus Cæſarianæ claſsis. Quo cognito Philippus ſupplementum unius centuriæ ſclopettariorum à Lotrechio poſtulavit & accepit. Nec diu pòſt Cæſariana claſsis pluribus expanſis vexillis conſpicua, à Capreis diſcedens in conſpectum hoſtium ſe dedit. Erat tum Philippus oram legens Salernitani litoris ad Concham ſtationem, quam promontorium tenue, Vrſi caput à nautis appellatum, ſuo obiectu efficit. Id abeſt non magno ſpacio à prominentiore Campaniæ promontorio, quod Atheneum antiquitùs dictum, hodie Capellam incolæ vocant. Ea ſpecies ornatiſsimæ hoſtium claſsis non mediocriter Ligures commoviſſe viſa eſt, ſed rei navalis periti, eam mox non ineptè contempſerunt tanquam ſecus ac diſciplina flagitaret, nullas ad mali ſummitatem caveolas, quas gattos vocant, habentem. Eæ caveæ ſummis alligatæ malis ſingulos ſpeculatores ſimul & propugnatores continent, ſicuti in carcheſijs onerariarum navium fieri videmus, è quibus deni & ſæpe pro navigij magnitudine viceni homines ſaxis, atq; miſsilibus propugnant. Tum verò Philippus advocatis in prætoriam navem trierarchis, his fere verbis eos allocutus eſt, digito adventantem hoſtium claſſem oſtendens. Viri inquit generoſi invictæque virtutis, cives optimi, magnum hodie (uti video) ex certa propè victoria decus proponitur, quum numero triremium, cunctisq; rebus bellici apparatus, & fortitudine animorum, peritiaq; rei navalis præſtemus. Sint utiq; hoſtes noſtri, ut ipſi iactant, egregiè pugnaces terreſtribus prælijs, in navali certe cōcurſu, neq; diſcurrere, neq; ſe conglobare expeditè poterunt, qum inter tranſtra & anguſtis in foris ſibi ſit dimicandum excipiendæq; ſint, uti ſors feret, tormentorum pilæ, quum nullus receptui, aut declinationi locus propugnantibus relinquatur, præpediente præſertim remigum turba, quæ obiecta ictibus, & ſuo periculo terrefacta, facultatem conſiſtendi, aut locum mutandi prorſus eripiet. Itaq; quum nihil de receptu nobis ſit cogitandū,

& ne dedecus admittatur, omnino ſit cum oblato hoſte confligendum, exiſtimate veterum maiorumq; noſtrorum gloriam tot proſperis navalibus prælijs partam, in dextris veſtris atque peritia eſſe repoſitam. Hanc uti reor quiſque optimus civis, non conſervare modò, ſed augere plurimum debet, ne degeneres atque obliti diſciplinæ à ſocijs pariter atque hoſtibus exiſtimemur. Ipſum verò Andream Auriam imperatorem noſtrum præſentem adeſſe putatote, & virtutis ac ignaviæ futurum teſtem, ut fortibus digna, aut æquo iure ignavis ignominiam paret. Trierarchi vocem ſuſtulerunt, quam alacres & pugnæ avidi edere ſolent, paucisq; verbis de excipiendi atque invadendi hoſtis ordine inter ſe conſtituentes, ut quæ in rem opus forent, aptè pararent, ad triremes ſuas continuò redierunt. Summa expediti decreti fuit, ut Philippus quinque roſtratis ſuis in hoſtem inveheretur, cū reliquis verò tribus Nicolaus Lomellinus in altum evadens, ubi cœptum foret prælium, capto circuitu, reflexoq; opportunè remigio in puppes lateraq; hoſtilium navium prætoria præcipuè petita audacter incurreret. Itaq; Philippus è promontorio in apertum mare progrediens, ſeſe ad pugnam obtulit: neq; Vgo vel ob id eam detractare auſus eſt, quòd tres quas diximus Lomellini triremes concepto metu aufugere crederet, & iniqua conditione quinas Aurianas ſecum concurſuras arbitraretur. Vbi appropinquatum eſt, ambæq; prætoriæ ad mutuum concurſum proras dirigerent, Vaſtius ſalubri ratione Vgonem hortabatur, ut prior maius tormentum emittere properaret, ut exorta fumi caligine hoſti certior ictus eriperetur. Sed Vgo qui rei navalis peritiſsimus exiſtimari volebat, & dudum cunctis veteribus trierarchis ad Capreas pugnæ aleam minimè ſubeundam diſſerentibus, ignavia increpita contradixerat, tam diu diſplodere tormentū diſtulit, ut Philippus in id ſedulò intentus, atque aptè collimans ſuum ingens tormentum, quod Baſiliſcū appellabat, in hoſtem emitteret. Huius immanis pila perfractis ſupra roſtrum craſsioribus pluteis, qui Rambattæ vocantur cū horribili ſtrage hominum per foros à prora in puppem pervolavit tanta violentia, ut diſcerptis ſupra triginta partim militibus, partim navalis officij magiſtris & remigibus, etiam in ipſa puppe multos inſignes diſcerperet, & in his Petrum Cardonium Siculum, Vaſtij propinquum, qui geminos fratres Valpergas Maſinij regulos, obtrectatione amatoria apud Mediolanum interfecerat, & Leonem Taſsinum Ferrarienſem, à quo Gevarræ Potentiani reguli filius ex ſimultate Vaſtij cum patre concepta magnæ ſpei adoleſcens, inſons nuper fuerat confoſſus. His acceſsit Guſmanus Hiſpanus miræ dulcedinis citharœdus, qui ioci cauſa (uti fata trahebant) conſcenſis iam principibus & oram ſolventibus, in prætoriam per remos prorepſerat, ſic ut horum cruore atque viſceribus Vaſtius & Vgo fœdarentur. At Vgoniani libratores ita ſuum ingens tormentum in Philippi prætoriam direxerunt, ut præpediente hoſtili fumo non magnum inferret detrimentum, quoniam Ligures ſecus ac Hiſpani non per foros expoſiti ictibus, ſed ad ſcalmorum proiecturas, quas poſticcios vocant, intra circumſeptas ſolidis aſſeribus ſpondas proclinati, inter remiges conſiſtebant, & per feneſtellas tanquam è mœnibus craſsioribus ſclopettis rem gerebant. Interim diſpari Fortuna Cæſarianæ tres, quarum nomina hîc minimè prætereunda putamus, Gibba Iuſtiniano Ligure vetere trierarcho, in qua propugnatoribus præerat Cæſar Feramuſca, & cum hac duæ Catelani generis Secamia à Secamo impigro trierarcho; & Villamarina pa-

riter

riter à Bernardo Villamarino nuncupatæ, concitato remigio Aurianas duas Peregrinam ſcilicet & Donzelliam, quæ vox pediſſequam virginem ſignificabat, adactis roſtris invaſeruut, vehementiq; edito certamine in eas Hiſpani milites egregio auſu tranſilierunt. His conſpectis rebus Lomellinus opportunè ex ſuo flexu converſis proris uti conſtitutū imperatumq; fuerat, ad navandam operam advolavit, tantoq; impetu in hoſtilem prætoriam invectus eſt, eo ordine, ut uno tempore tria maiora tormenta in hoſtem diſploderentur. Maura puppem deterſo gubernaculo perfregit. Cæterū patrona quæ ab inaurata Neptuni imagine Neptunia vocabatur, diſturbato foco, & aliquot remigibus diſcerptis malum perfringens, ita convellit, ut quod miſerrimum & in multis lethale fuit, antennæ conciderent, quarum caſu complures oppreſsi ſunt, & in his Hieronymus Tranenſis, qui in univerſa tormētarij negotij præfectura Antonello patri Cæſaris munere ſucceſſerat. Domina verò quæ matronæ perornatæ ad puppem ſignum præferebat, roſtrum & reliqua proræ tabulata decuſsit. Nec mora eæ tres converſis remis iam ab hoſte Peregrinæ atq; Donzelliæ captis maturè opem tulerunt. Porrò Mauratum peritiſsimè ſe ſe circum volvens in oppoſitam Gibbam minorum & mediocrium tormētorum procellam grandinis modo effudit gravi Gibbæ periculo: nam præter epibatas & remiges fœdè occiſos, Cæſar etiam Feramuſca ſmerilij, quod eſt minoris falconis genus, pila traiectus in mare decidit: ipſi verò Iuſtiniano triearcho femur glande traiectum, & Baredus centuriæ ſclopettariorum præfectus, tribus mortiferis vulnerib. eſt ſauciatus. Alia in parte Perpenniana & Calabrenſis Oriana nomē accipiens à familia trierarchi, qui inclyti olim navalib. victorijs Rogerij Oriæ ſtirpis eſſe dicebatur, quū hoſtiles Syreniam atq; Fortuniam adortæ, utramque magno affeciſſent incommodo, & ferè in poteſtatem redegiſſent, conſpecta ſuorum clade incolumes in fugam ſe dedere. Deſperata namque victoria, quòd ſtratum viderent prætoriæ vexillum, & Villamarinam atque Secamiam circumventas, ſubindeque receptas, quas Hiſpani pauloantè occupaſſent Peregrinam atq; Donzelliam, diſpalatamq; ſcapharum & biremium claſsiculā conſpicerent, ſeſe ſervare Cæſari, quàm cum reliquis eundem adverſæ ſortis caſum ſubire maluerunt, quanquam id conſilium uti nimis properè captum à multis improbaretur. Ab hac duarum triremium fuga, extemplò conceſſa eſt Philippo victoria: nam Vgo qui rotundo protectus ſcuto, nudatoq; enſe paululum à puppe diſceſſerat, dextrum glande brachium, coxamque ſiniſtram parvi falconis pila ictus ceciderat. Vaſtius quoq; in cervice iuxta aurem fictili globo incendiarij pulveris graviter vulneratus, crebriſque lapidum è gattis iaculationibus contuſa galea malè mulctatus, & Aſcanius Columna dextra, & altero pede debilitatus Lomellino deditionem fecerant. Philippo autem in paranda victoria magno uſui fuerunt Mauri, Turcæque remiges, quos promiſſa libertate exutiſque compedibus, & diſtributis armis ad prælium accenderat tanquam veteres Hiſpanorum hoſtes, Vgoniſq; præſertim nomini infeſtos. Hi nanque longè fortiſsimè atq; audaciſsimè dimicantes in hoſtiles triremes tranſcendere nudi prorſus, & gladijs ſcutiſq; contenti nō dubitarunt, mortuoq; Vgoni barbarico fremitu aliquandiu illuſerunt, cadaver circumflectentes, & cum riſu interrogātes, num ad invadēda Africa litora eſſet reverſurus. Per hunc modū ad Vrſi caput Amalphitani litoris navali prælio, quo nullum ætate noſtra cruentius fuit, decertatum eſt.

Nam ſeptingenti circiter veterani milites Hiſpani, præter totidem remiges & nautas Cæſarianæ claſsis, aut trucidati, aut demerſi periêre: & Philippus victor in uniuerſum epibatas & remiges ad quingentos, & in his aliquot peritos gubernatores & nautas, atq; unum omnino trierarchum deſideravit. Ex hoſtilibus duas triremes, & ad has biremem, aliquot ſcaphas, mioparonemque unum, quem brigantinum vocant, demerſit, binisque in altum, ut diximus, fugientibus, reliquas duas in quibus erat prætoria manu cepit: quibus ſuarum quæ tormentis quaſſatæ fatiſcebant numerum ſupplevit. Præter Vgonem & Feramuſcam fortiſsimi cohortium præfecti, interfecti ſunt Macinius Daia Cantaber, Ioannes Biſcainus, Zambronius atque Baredus. In poteſtatem verò vivi devenêre, præter ipſum Vaſtium & Aſcanium Columnam, Franciſcus Hicardus trierarchus, Ludovici arcis Neapolitanæ præfecti Germanus frater, cui pugnanti gravioris tormẽti pila ab ima nate pulpoſum femoris torũ horribili, ſed non mortifero ictu, quod habitus eſſet prępinguis, abripuit. Philippus item Cerbellio ſine vulnere, & Ioannes Caietanus, Vaurius Belga, Acogna Gallus Borbonij profugi ſatelles, & Seronius Hiſpanus Neapolitani ſenatus ſcriba, illuſtresq; equites Camillus Columna, & Annibal Gennarius Vgonis amicitia clari. Reliqui centuriones atque ſigniferi, militesq́ue qui non eſſent vulneribus debilitati, iniectis cathenis ad remum translati ſunt, ut in locum demortuorum & Barbarorum qui edita forti opera libertatem meruiſſent, opportune ſuccederent. Hæc fortaſſe aliquanto curioſius atque diffuſius quàm inſtitutus præalti operis labor brevitatis admonẽs poſtularet, deſcripſiſſe non piguit: quoniam hæc pugna inter memorabiles noſtri ſeculi maximè funeſta extitiſſe viſa eſt: & ego totius eius prælij eventus certiſsimus teſtis, & propemodum ſpectator fuerim, quum in Aenaria, ubi tum eram Romana arce elapſus, atque liberaliter à Vaſtio receptus, reboatu tot tormentorum exaudito, qui per maris æquora longiſsimè diffunditur, commiſsi quidem prælij fama, ſed incertæ victoriæ rumor nunciaretur. Obſecrantibus enim nobiliſsimis mulieribus, quæ de ſalute coniugum vehementer erant ſolicitæ, ut honeſtiſsimum pietatis officium implerem cum duabus frahatis validiſsimo remige inſtructis, fretus Philippi (ſi forte victor evaſiſſet) amicitia ad claſſes contendi. Is nihil ea victoria elatus appulſum humaniter ſuſcepit, facultatemq́ue continuò conceſsit, ut duces captos in Mauræ trireme cuſtoditos inviſerem: quibus ideo gratiſsimus adventus meus fuit, quod de uxorum ſalute nuncium & opportuna quædam eorum calamitati lenimenta deferebam. Ab his de ratione eventuque prælij ſigillatim edoctus, rediens ad Philippi prætoriam, mare cadaveribus conſtratum conſpexi, ſicut Philippus benignè ſtudioſeq́ue diſſerens, ea quę audieram magna ex parte confirmaret, & multa quæ ſibi accidiſſent, copioſè atque fideliter enarraret. Eius verò tanta fuit humanitas, ut à ſe inaurata Vaſtij arma, me depoſcente, impetrari pateretur. Timebat enim Vaſtius ne Genuæ in trophæi morem, quòd eſſent ſpecioſiſsima celebri in templo, uti voto dicata ſuſpenderentur. Quum eſſem apud Philippum ſupervenit Ioachinus Levantius Ligur à Lotrechio miſſus, qui depoſceret captivos, ſed ille negavit ſe daturum, quando eos ad ipſum Andream Auriam ammirantem deducendos eſſe iudicaret. Vgonis verò cadaver, ut illudentium Barbarorum contumelijs eriperetur, ad Amalphim urbem delatum eſt, in ædeq; Andreæ Apoſtoli tumultuarijs exequijs tumulatum. In hac urbe citriorum

rum & medicorum odoratis nemoribus æquè peramœna & celebri, Magnetis uſum navigantibus hodie familiarem & neceſſarium, adinventum fuiſſe incolæ aſſerunt. Celebratur quoq; hæc urbs admirabili liquore, qui ex ſepulchro apoſtoli quod eſt ad aram templi maximam, exſudat. Hunc religioſè collectum æditui languentibus mirè prodeſſe perſuaſum habent. Ferunt Clementem, ubi ex literis, quas ad eum ex ipſa Philippi victoris prætoria perſcripſerã de eventu eius navalis pugnæ certius didicit, vel ob id magnopere fuiſſe lætatum, quod ipſe Vgo Moncata, & Cæſar Feramuſca prçcipuè cecidiſſent, quorum ille occupato Vaticano, & ſacrarijs auguſtiſsimi templi direptis primũ intulerit vulnus: hic vero ab Hiſpania pro legato Romam miſſus, nequaquam ſynceræ Cæſaris voluntatis ad traducendum falſus vades extiterit, ut immortalis demum DEVS totum id impietatis atque perfidiæ ſcelus, non ſerus ultor vindicaret.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXVI.

SECVNDVM adverſam navalem pugnam Cæſariani duces nihil ſeſe animis demiſerunt, tametſi exuti claſſe veteranorum militum longè fortiſsimos amiſiſſent, & iam Philippo victrici ſua claſſe captivos in Liguriam perducente, Petrus Landus, qui poſtea Venetæ Reipubl. effectus eſt princeps cum viginti roſtratis navibus à Meſſanæ freto in Campaniam perveniſſet. Superioribus namque diebus Corcyram delatus, aſcito ſibi cum aliquot triremibus Ioanne Moro Hadriatici ſinus præfecto, Apuliæ oppida proſperè tentans Molam, Polygnanum atque Monopolim, quod hæ urbes iam pridem moderato Venetorum imperio aſſuetæ, ab Hiſpanis cupidiſsime rebellarent, in deditionem acceperat, & quum Brunduſini ei portas aperuiſſent, alteram quæ à terra eſt urbis arcem oppugnare parabat, eo belli ſucceſſu, ut omnibus Apuliæ & Calabriæ, Salentinorumque oppidis potiturus eſſe crederetur, niſi acceptis à Senatu literis, ſuperare Siciliæ fretum iuſſus, interrupto victoriæ curſu ad Tyrrhena deflectens litora, Neapolim vela direxiſſet. Itaque Landus adventu ſuo legendo oram ab Athenæo Minervæ promontorio uſque Miſenum mare intercluſerat, ne ullum omnino navigium quo importari commeatus poſſet, Neapolitanum in portum proveheretur, perpetuiſque cuſtodijs a Cumano littore uſque ad Formias, & Caietam extendebatur, & turrem quæ eſt ad oſtium Lyris amnis, tormentis aliquandiu quaſſarat, moliſque ſubinde frumentarijs, quæ ſunt ad Scauros

potitus,minoribus etiam naviculis,quæ moliti tritici, & recentem pomorum ac hortenſium rerum copiam obſeſsis expetitam adveherent, commeandi facultatem eripuerat,tanta ſeveritate, ut quoſdam bis captos,laqueis in antenna ſuſpendi iuberet.Sed is terror nequaquam erat tantus ut ſpem lucri in quibuſdam minueret, navicularijs ſcilicet hominibus ſæpe velociſsimo intercurſu triremium ſtationes eludentibus,quum ab Aenaria & Capreis, Prochitaque, & Surentinis vicis ſolventes, felici audacia ſeſe Neapolim inferrent. Quibus rerum ſubvectionibus obſeſsi veluti oblato recẽti obſonio mirum in modum lætabantur, quandoquidem ingens eis frumenti copia abundè ſuppeteret, unde famem vel in multos menſes minimè timendam proſpicerent. Quòd verò conficiendi panis deeſſet facultas, huic deſiderio varijs contuſi,& ahenis excocti tritici pultarijs occurrebant. Quotidianæ quoque exercitationis maioris & minoris pecoris præda ex hoſtico rapta, opportunè panis inopiam ſublevabat.Nam nocturnis excurſionibus emiſſæ prædatum turmæ cum præſidio peditum ſemper aliquid recentis obſonij referebant. Sed unus in Campania famoſus latro, qui Verticillus appellabatur, quum exul præteriti maleficij veniam ab Aurantio per Fabritium Maramaldum impetraſſet, obſeſſos invecto multo pecore mirificè adiuvabat. Et ſiquidem ſaltuoſis & nemoroſis locis aſſueto notiſsimi erant obliqui tramites,quibus Campania,ſuburbanaq; præſertim ad incertum iter obſita eſt, eratq; ita familiaris vicis atq; oppidis, ut quot boum iugis ager araretur in numerato haberet, ſolertiſsimeq; inſidioſus, ubi maximè nocere cuperet,quam volebat prædam abigeret, uſque adeo feliciter vitatis aut deceptis Gallis, ut una nocte ſupra centum boves Neapolim perduceret uſq;,& ad belli exitum nihil induſtriam ſuam,uti pollicitus fuerat, uſquam remittens, ſæpe iuxta hoſtium caſtra impunè prædaretur, ſic ut Gallis fruſtrà indignantibus magno detrimento foret, & Cæſarianis ſingulare commodum attuliſſe diceretur. Sed is confecto demum bello,ita inexpectatum eius beneficij præmium tulit,ut à Prætore Capuæ viro Hiſpano,& utplerunque fit eius ſpolijs inhiante, comprehenſus in furca ſuſpenderetur; iuſta quidem veteris maleficij pœna, ſed omnino iniqua, ſi recẽtis publici beneficij memoria ſpectaretur.His Cæſarianorum terra marique obſeſſorum incommodis permoti aliquot Neapolitani proceres,nè inclinatæ victoriæ eventum cunctantius expectare viderentur, in oppidis ſuæ ditionis Gallica vexilla ſuſtulerunt. Novum etiam in Brutijs adverſus Cæſarianos excitatum eſt bellum, quum plerique circa Coſentiam Andegavenſis factionis nomen ex prioris belli memoria libentiſsimè complecterentur, cohortante eos ad rebellandum Simone Thebaldio Romano duce impigro, qui in eas regiones cum ala equitum,tumultuarijsque cohortibus (ex itinere ſiquidem milites conſcribebat) a Lotrechio fuerat miſſus. Iam æſtas à ſolſtitio in autumnum inclinârat, & tertius obſidionis menſis agebatur, quum Ferdinandus Gonzaga ſibi aliquid graviore eruptione tentandum ratus, Puteolana via per cryptam perforati olim à Cocceio Pauſilipi montis, validam equitum & peditum manum eduxit, eo conſilio ut hoſtes ab Averſa atque Puteolis excurrentes in inſidias, uti evenit,præmiſsis Epirotis equitibus pertraheret.Favit aſtuto conſilio Fortuna:nam quum Zuccrus Epirota & Iannitius Hiſpanus ſeſe oſtendiſſent, nõ continuêre ſe Galli equites, in quibus erant Scotorum cataphractorum turmæ,quin patefactis Averſæ portis,in conſpectos ſtatim hoſtes erumperent.

In

In quos Gonzaga qui depreſſo in loco iuxta Regiam Belvederij villam conſederat, ex inſidijs opportunè conſurgens magnã eorum partem à levi armatura circumventam facto vehementiore impetu fudit, & quòd eſſent gravioribus protecti armis, & ſegnibus utentes equis intercepit, uſq; adeo grãui cum dolore damnoq́; Lotrechij, ut Averſani præſidij curam duplicato amiſſorum equitum numero confirmaret, quòd hoſtium audaciam, qui illuc uſque inſolenter excurrere atq; prædari conſueuiſſent, iuſto aliquo certamine vindicandam, pariq́; aſtu acceptum incommodum omnino ſarciendum eſſe iudicaret. Nec multos poſt dies Gonzaga, qui de Auerſano equitatu adaucto didicerat, auidus rei gerendæ in eadem loca ampliores copias quæ frumentatorib. præſidio forent, eduxit. Nam tum demeſſæ ſegetis pleniſsimus erat ager, quæ res agaſones et pabulandi ſimul, & frumentandi cupidos vehementer alliciebat. Gonzaga conſtituto ad tendendas inſidias hoc ordine procedebat: cohortes Germanorum idoneo in loco collocantur (agminis enim frontem obtinebãt) ipſe cava in valle quam latrocinijs infamem Pecoream incolæ vocant, cum equitatu levis armaturæ, & cohorte una Hiſpanorum ſe condidit, quum antea Garzię Manrico, ut cum ſua cataphractorũ ala in poſtremo agmine frumentatoribus præſidio foret, præcepiſſet. Theodorum verò Bocalum Spartanum ſenem inclytæ virtutis ducem cum ſuis alarijs præcurrere, & ſeſe ad Auerſam hoſtibus oſtendere iuſsit, vt inde excitos præproperos naturâ homines ſimulata fuga in inſidias eliceret. Sed Galli recenti ſuo malo edocti non iam turmatim diſsipati, verum denſato agmine in quo erant equites galeati amplius mille, et pluribus expeditis ſclopettarijs unà deſumptis, uſque adeo graui impetu retro ſe vertẽtem (uti à Gonzaga præceptum fuerat) Bocalum invaſere, ut quum fugientem acriter perſequerentur, ei inſtitutum iter præciderent, ſic ut Græci equites cataphractorum metu, ipſeque Theodorus alia quàm putarat via per campos patentiores effusè profugere ſit coactus, & Gonzaga quòd ille ſecus ac præceperat tam diu tardaret, ſuſpensè miraretur. Itaq; expectabundo & circumſpectanti, inexpectati hoſtes ſuperueniunt, diſpalantur Gręci equites, frumãtatoribus perturbatis præſidium, cataphractorum improviſo invadentium Gallorum impetu propellitur, & in fugam conijcitur. ipſe Gonzaga multitudine celeritateque hoſtium ferè oppreſſus, magnum ſalutis diſcrimen ſubijt, quum ſeſe è loco ad inſidias tegendas idoneo, ſed ſinuosè anfractuoſo, celeriter explicare non poſſet, & ut manus hoſtium effugeret, dimiſſo equo in pedes deſilire, & ab alta præruptæ vallis crepidine ſe deijcere cogeretur, ut id faceret ſuadente Franciſco Ario equitum præfecto: atque eo modo per medios hoſtium ſclopettarios qui ab accliuibus locis imminebant elapſus, conſcenſo ignobili equo quem tubicen obtulerat, periculo ſe explicuit. Galli qui cataphractos fuderant, Garziæque Manrici legatum alæ Suatium ceperant, ipſoque alæ vexillo fuerant potiti, in Germanos iniquo in loco malè conglobatos ſe conuerterunt, & equorum impetu perturbatos, quanquam acerrimè reſiſtentes, magna ex parte trucidarunt. Reliqui terga dare coacti, permixtique equitibus, per tenebroſum cryptæ iter amiſſo vexillifero qui ſignum ſeruare fruſtra fuerat conatus, inter infeſtas equorum proculcationes Neapolim euaſere. Neque poſtea niſi cautius a Cæſarianis frumentatum in eam regionem eſt itum, neque a Gallis uſquam temere procurſum, quod alterno ſucceſſu par vtrinque audacia ſatis repreſſa & caſtigata videretur. Sub id tempus quum Lotrechiani aga-

ſones, & hippagij pueri perducendis potum iumentis ad Sebethum amniculum qui frumentarias agit molas, & ad Podium quem ab Alfonſi regis villa, Regalem appellant, uberrimis fontibus inſigne, quotidiana conſuetudine aquarentur, & Hiſpani agiles inſidioſique milites manipulatim Carmelitana porta exirent, deiectisque agaſonibus equos eriperent. Nauarrus ea offenſus contumelia novam munitionem erigebat comprehenſa caſa, quæ erat inter Podium ſtabulaque regia quæ ſunt ad Magdalenæ templum, ratus ſe ei latrocinio obviam iturum, ſi eo loco permunito perpetuę cuſtodiæ ſtationem imponeret. Hac re cognita Cæſariani duces, validam manum quæ opus diſturbaret, fervidiſsima diei hora emiſerunt. In his fuere Ioannes ipſe Dorbinus, Ripalta, Baracanes, atque Baredus, qui lectiſsimas habebant cohortes. Stabat Nauarrus ſub ſole linteo protectus umbraculo perficiendo operi intentus, certę tamen parato præſidio, ne quicquam incommodi à repentinis hoſtium incurſionibus acciperet. Itaque ingruente Dorbino, excitata eſt tumultuaria pugna, & caſa egregiè à Nauarro defenſa, quum multi è maioribus caſtris eò decurriſſent, & ante alios Etruſcæ cohortis perniciſsimi ſclopettariorum. Iamq; Dorbinus irrito conatu regredi parabat, quum Horatius Baleonus fatali temeritate longius à ſua munitione progreſſus, ut ſuos ægrè ad tympani ſonitum parentes, ſua voce compelleret, atque reduceret, inermis à Cantabro gregario milite qui ſeſe recipienti incumbebat, adacta in tergum alabardæ cuſpide, quum à nemine noſceretur interfectus eſt: Vir impensè audax, & æquè fortis, ſed natura ſanguinarius, utpote qui ſemper cædibus propter factiones à pueritia ſtuduiſſet. Cæterùm Dorbinus expugnandæ caſæ fruſtra hærens, è ſuperioribus Vaſconum caſtris, quæ erant ad Ianuariam, ut diximus, portam, tormentis peti cœpit. Atque ita paucis utrinque occiſis aut vulneratis, ignarus an ille eſſet Baleonus quem Cantaber occidiſſet, vitato tormentorum periculo in vrbem eſt reverſus. In demortui Baleoni locum Lotrechius Etruſcis cohortibus præfecit Vgonem Pepulum, egregię nobilitatis notæque virtutis virum, quem legati Florentini Marcus Nerius & T. Soderinus multis de cauſis comprobarunt. Nec multo poſt novi Duces, nunquam intermiſſa erumpendi, atque invadendi hoſtis conſuetudine, quod interdiu Dorbinus facere nequiviſſet, noctu perficere poſſe rati, expugnandæ caſæ, inuadendæque munitionis negotium ſuſceperunt. Eorum princeps fuit Ioannes Almeda, qui ſocios ſibi aſciuerat Cornegium, & Sancium Vargam. Hi cohortium ſuarum milites, albentes tunicas ſuperinduere iuſſerunt, ſicut ſæpe aliàs factum fuiſſe à Piſcario Vaſtioque meminimus, ut inſolito cultu hoſtes perterrerent, & inter ſe per tenebras perſpicuè dinoſcerentur. Magno ſilentio eductum eſt agmen, & ad caſam munitionesque pleno gradu perventum. Sed impetu facto cuncta apud hoſtes, quàm crediderant intentis excubijs paratiora, atq; inſtructiora repererunt. Nam Lotrechius unam præſertim à milite ſuo excubandi diligentiam exigere erat ſolitus, parata ſcilicet utrinque pœna, & propoſitis præmijs ſumma diſciplinæ ſeveritate fideque. Quamobrem Vaſcones, atque his intermixti Etruſci, ac Heluetij qui de tertia vigilia in ſtatione erant, conſpectis hoſtibus ſeſe celeriter erexerunt, expeditisque armis in munitione promptiſsimè conſtiterunt, Hiſpanosque abrepere & conſcendere conantes, omni telorum genere obrutos ita propulerunt, ut aceruis cadentium foſſa compleretur, multique in ea ſclopettorum glandibus traiecti, aut grauibus alabardis, & lanceis

vulne

vulnerati occumberent. In queis fuit dux ipſe Almeda, mucrone per os rececepto in foſſam pręceps deiectus. Itaque Cornegius, & Vargas ſtrenuè reiecti, deſperata expugnatione munitionis ſeſe recipere cœperunt, verum in abeuntes & perturbatos ſubita eruptione facta Lotrechiani impetum fecerunt, tanta vi, ut Hiſpani debilitatos vulneribus relinquere cogerentur: eiuſdem noctis victoria quanquam non magna, ſingulare tamen gaudium Lotrechio afferret. Neque poſtea Hiſpani, aut eandem caſam oppugnare, aut munitiones aggredi, aut quicq̃ ab ea parte aduerſus hoſtes iuſtis viribus tentare auſi ſunt. Sed duces in id vnum gerendi belli conſilium incubuere, ut nocturnis expeditionibus non modò ſuburbanos vicos ſed remotiora etiam oppida invaderent, raptoque paſsim commeatu, & collecta præda reverſi ſocios recrearent, adhortarenturque ad perferenda non diu duraturæ obſidionis incommoda, quando iam Gallorum hoſtium animi vireſque labaſcere inciperent, & propiores obſeſsis quàm obſidentibus videri poſſent: & iam affecta tetro caſtrorum odore militum corpora aut longis, aut mortiferis morbis tentarentur. Nam præterquam quòd Galli Heluetijque præſertim pomorum omnis generis matureſcente vindemia erant avidiſsimi, quarum rerum intemperanti ingluvie facile febres erumperent, ipſe etiam aer ſubiectæ regionis à putri depreſſorum camporum halitu factus inſalubris, eos contagioſis ferè morbis infecerat. Quoniam Lotrechius ab initio quorundam exulum Neapolitanorum monitu tam importuno quàm poſtea exitiali, aquæ perennis aquæductum concidiſſet, ut obſeſsis copioſiſsimorum fontium, qui multis per urbem locis ſyphonibus largiter lymphas fundunt, commoditatem eriperet. Neceſſario nanque tota ea aquæ vis multifariam corrivata per ſubiectam planiciem ita ſpargebatur, ut ſenſim exundante & mox ſubſidente humore, eorum camporum gleba putreſceret, orireturque inde craſsior nebula, excitata quidem ſed ſemper indomita ſolibus, quæ ideo febres progigneret, et totis caſtris evulgaret. Ferebant etiam tum nonnulli (quod vix credibile videtur) quoſdam impiæ malignitatis milites, cum ex ipſis Hiſpanis qui Maurorum ſtirpis eſſent, tum ex Germanis Iudaicæ ſectæ, viroſis herbarum ſuccis multoque lini ſemine indito, ſuperiectiſque item corrupti tritici quiſquilijs, vicinos caſtris hoſtiũ puteos, & ciſternas fermè ſingulas infeciſſe, proptereaque inde potantium vẽtres intumeſcere, turgeſcentibus cruribus, ora hominum uſque adeo lurida macie palleſcere cœpiſſe, ut deformato habitu vix inter ſe noti commilitones noſcerentur, rarique iam & ſegnes cuſtodiarum munia obirent. Quibus rebus diligenter exploratis conſtat Giahennam Bæthicum equitum præfectum, qui unus omnium prædæ erat avidiſsimus, & ſolertiſsimus, opportunis horis circuendo Gallorum caſtra, ſpeculandoque non ſemel intra munitiones irrupiſſe, aliquot rapuiſſe equos, & arma in tabernaculis expoſita, è focisque etiam infixa verubus obſonia in urbem retuliſſe, quum ſtationum milites humi ſtratos, neque in pedes ſe erigere, invalidiſque lacertis expedire & ſuſtinere arma non poſſe, ad ſocios nunciaret. Qua furtivi incommodi contumelia Lotrechius graviter commotus, interiorem cuſtodiam munitionibus impoſuit, eo eventu ut Giahenna non diu ſua temeritate felix, interceptus ſit, & in carcerem Averſanæ arcis perductus. Hæc quam diximus morborum labes, ab Idibus Iulijs caſtra irrepſit, & pręter vulgus militum, primores exercitus invaſit. Quamobrem plerique ducum de ſalute ſua ſolliciti, relictis caſtris, in proxima oppida

ſecedebant. Per eos dies Barbeſsius novus Gallicæ claſsis præfectus, qui propterea ab Armorico Oceano fuerat evocatus, quòd Andreas Auria à Regijs ſtipendijs gravi de cauſa diſcedens, uti ſuo loco narrabimus, ad Cæſarianas partes ſeſe cum peculiari ſua duodecim triremium claſſe contuliſſet, Lando ſe coniunxit, & ultra Sebethum ad pontem, quem vocant Ricciardum, noxiorum ſuſpendijs infamem, proras adegit, & quas adduxerat copias in terram expoſuit. Advehebat enim Rentium Ceritem, & quæſtores Gallos, qui ad perſolvenda militi ſtipendia depoſcente Lotrechio pecuniam attulerant. Eius appulſæ claſsis conſpectu Gonzaga permotus, qui tum erat in hortis Regijs ſub Capana arce, repente dari tuba ſignum iubet, ad urbis portam progreditur, afferrique ſibi arma præcipit, eaque celeriter induit, & cum primis equitum turmis quæ diſperſim & properanter exibant, contra hoſtes contendit. Hunc etiam equitatum, expeditæ peditum cohortes ſubſequuntur, quos omnes Gonzaga cohortatur, ut hoſtes deſcenſionem facientes, impeditosque ſarcinis, facto vehementiore impetu invadant. Parent milites & tumultuoſiſsima ſtatim pugna editur, eoque acrior quòd Lotrechius validam equitum & peditum manum, quæ deſcendentes in litus exciperet, præſidioq; foret, ad mare præmiſerat. Terrebant Cæſarianos, tardabantque ipſa tormenta Gallicis, & Venetis triremibus in adverſum litus emiſſa. Sed Hiſpani, diverſo atque audaci flexu eam munitionem quam ad mare à Gallis perductam diximus, tranſcendentes, tanta vi in hoſtes procurrerunt, ut perruptis Lotrechiani præſidij turmis, & cohortibus repulſis expoſita iam pecunia propè potirentur, ac niſi Vgo Pepulus conglobatis turmis Hiſpanorum audaciam repreſsiſſet, proculdubio ea omnis pecunia ad Cæſarianorum manus perveniſſet. Verum ardente prælio, & fortiſsimè depugnantibus Hiſpanis, Vgo ipſe vel impigrè reſiſtens vulneratur & capitur. Candalius quoque regiæ nobilitatis iuvenis Lotrechij propinquus, & inter Vaſconum duces facilè princeps, glande humerum traijcitur, & circumventus intercipitur. Quum eo modo periculoſiſsimum certamen eſſet contractum, Lotrechius novas turmas, & ante alios Valerium Vrſinum laborantibus ſubſidio miſit, cuius ſuperventu pugna iterum reſtituta accenſaque eſt, & Hiſpanorum impetus vehementer eſt retardatus. Itaque redintegrato prælio Valerius mirifica virtute confirmatis Gallorum animis Hiſpanos equites fundit, proterit pedites, & duos longè pugnaciſsimos Hiſpanorum equitum præfectos Arium & Mirandam circumſiſtit, & capit. Ab Helvetia etiam cohorte quæ gravi facta impreſsione hoſtium pedites loco pepulerat, his permixtus tertium equitum præfectus cognomento Pratęus confoſſo eius equo captus eſt. Hi tres poſtea æqua permutatione cum Vgone atque Candalio vel tum ex vulnere moribundo, utrinque reſtituti ſunt. Neque demum uſquam ad belli uſque exitum periculoſius ut gravius dimicatum eſt. Cæterùm Lotrechius tantæ claſsis appulſu aliquanto minore quàm ſperarat ſignatæ pecuniæ copia ſublevatus eſt, quum paulo poſt vixdum perſoluto vetere ſtipendio, novi exolvendi ſtata dies inſtaret, id iam expectante & flagitante milite uti par erat, & irate vociferantibus præfectis, unde exhauſto caſtrenſi ærario auri egens imperator à quibuſdam præfectis, ditioribusque alarum legatis oppignerata fide mutuo pecuniam accipere, & quando hæc quoque deficeret, aliquot levis armaturæ equitum turmas exauthorare atq; dimittere cogeretur. Cuius infauſti conſilij ratione vel extrema

necesſi-

neceſsitate expreſſam, ita veteres improbabāt milites, vt ea parte virium hoſtes omnino ſuperiores euaſuros dictitarent, atque obiter graue prorſus detrimentum ſe accepturos malè ominarentur. Horum erat princeps Nauarrus, qui à Lotrechio nunquàm planè diſſentire auſus, perſeuerandum in obſidione, minutisq; prælijs, & crebris excurſionibus, in queis leuis armaturæ equeſtris maximè valeret, premendum hoſtem eſſe diſſerebat, quando rem ad ſummæ apertæq; pugnæ caſum deduci poſſe deſperaret. Rentius verò Ceres per caſtra à Valerio ſpectatū deductus, quòd cohortes morbis & prælijs attenuatas, & ſemiplenas turmas, enataque in tabernaculis gramina notaſſet, deteſtatus loci inſalubritatem, atque improbans laxiorem munitionis & aggerum formam, ſuadere conabatur, vt contraheret caſtra, eaque in editiora loca ſubduceret, & remotum obſidionis genus occupatis circumiectis vrbibus & oppidis in queis diviſa forent præſidia, inſtituendum eſſe iudicabat: vt ſalubriore cœlo atque opportunis commeatus copijs ægri feſsique milites recrearentur, nec quicquam inde obſeſsis hoſtibus ſubportari ſinerent. Quibus rerum difficultatibus compulſus, & diuerſis diſtractus ſententijs, ſecus ac antea fecerat, minores duces & veteres ſigniferos conſultandi cauſa in prætorium advocauit. Nam vt tum à Guidone Rāgono accepimus, poſt ipſius diſceſſum à Troia, in eam vſq; diem, nunquam vniuerſis ducibus in vnum coactis, ſed per partes à ſingulis ſententias rogitans, tanti belli conſilia communicaſſe ferebatur. Nihil equidem illi, quod ingratum foret, auribus enunciari, aut diſputando perſuaderi poterat: vt pote qui ingenio ſuo indulgens errare mallet, quàm alienis vti conſilijs, ne quiſquam ipſo melior, militiæque peritior exiſtimari poſſet. Itaque eius conſilij exitus fuit, vt imperator natura obſtinatus & pervicax, & ſe ipſo fatali ſuperbia elatior & pertinacior factus, è vetere ſua ſententia vllo modo deijci aut dimoveri nequierit, profeſſus vtique ſe potius turpi nece moriturum, quàm vt paratæ victoriæ ſpem flagitioſo atque indecoro prorſus receptu corrumperet, vel ſi à multis deſereretur, & copias atroci peſtilentia totas abſumi conſpiceret, quando iam pro conſtanti ſibi eſſet compertum aduerſariorum animos auxilij deſperatione magnopere frangi, creſcenteque inedia, maioribus, quàm ipſos affici incommodis, & ob id præcipuè quòd Germanos cum Hiſpanis ſæpe rixari, ſeditionesque miſcere didiciſſet: ita vt de matura hoſtium deditione minimè dubitaret, modò veteris ſuæ cōſtantiæ meminiſſet, qua tot vrbes egregia cum laude ſuperioribus bellis expugnaſſet. Erant vera hæc, ſed valdè intempeſtiua, atque omnium confutata ſententijs, meliora ſcilicet conſilia præuertente fato, quod ad deſtinatam cladem cum ipſi Lotrechio, tum Gallico nomini properanter imminebat: Quandoquidem, quod homines maximè mirarentur, Fortuna ex adverſo ſui propoſiti nimium tenax, nuſquam niſi Cæſarianis rebus ſecundiſsimo inſtinctu adeſſe conſueſſet. Igitur Lotrechius irrito incepto minimè abſcedendum ratus, eam tantùm conſilij partem probauit & arripuit, quæ reparandas copias nouis delectibus, & ſuorum animos recenti præſidio confirmandos exiſtimabat. Quamobrem Rentius Ceres Aquilam continuò mittitur, qui quatuor milia peditum ex agro Piceno conſcribat, perſolvendisque ſtipendijs pecuniam à Quæſtore Aquilano, qui id facere perſcriptis literis iubebatur, accipiat, tranſuerſisque montium tramitibus in Appiam viam deſcendere maturet: vt per Fundanos Sueſſanosque fines prætergreſſus Calenum & Campanum agros, ab Auerſa demum vrbe, recta ad ſe in caſtra

peruemiat. Erat Rentius, quanquam infauſtus Vrbis patriæq; ſuæ defenſor nuper extitiſſe videri poterat, peritus tamen belli, & vna maximè probata fide ſingulariq; inuicti animi conſtantia inſignis, & quod ſuſcepti negotij plurimũ intereſſet, Gallicæ factionis apprimè ſtudioſus. Hoc ſupremi conſilij decretum ratioq; vel ob id facilè quibuſdam probari poſſe videbatur, quòd Lotrechius dedenti vrbem Aurantio, vel retenta arce, Cæſarianis omnibus incolumitatẽ, & nauigia quibus Hiſpani aut in Siciliã, aut in Hiſpaniã vti mallent, aduherẽtur obtuliſſet, & Germanis menſtruum ſtipendium quo ſe domum redeuntes alerent, per ſuos eiuſdem gentis milites qui apud ſe militarent, ſæpe promiſiſſet. Sed tanta erat alacritas Hiſpanorum, Germanorumque conſtantia, vt ſe potius inedia perire paratos eſſe, quàm Gallis ſe dedere, quos antea toties viciſſent, quotidie prædicarent, ſubindeque eadem ſigniferis ſignificando per manipulos ſublatis dextris, quod erat ſubitarium ſacramenti genus, ſe præſtituros iurarent, vſqueadeo præclarè vt dubios nonnunquam ducum animos confirmare cenſerentur, & omnis iampridem de tanto hoſte conceptus timor Neapolitanis decederet. Per eos dies vir è Montella Samnij oppido, ſe Gallicarum partium militem ab ipſo albæ crucis ſymbolo, teſſeraque mentitus, atque in inſidias excurrentium Hiſpanorum vltro datus, quum Neapolim perduceretur, ſe magnæ atque inſtructæ proditionis conſilium detecturum pollicitus eſt, unde non miſsionis modò, ſed multæ etiam pecuniæ præmium ſperare poſſet. Itaque uti oportebat ad imperatorem perducentibus Hiſpanis, qui eum ceperant, Fabritium Maramaldum cogitatæ nefariæ proditionis reum fecit, quòd is ad eam urbis partem, quæ Campanam & Carmelitanã portam interiacet cũ ſuis cohortibus ſtationem obtineret, & portam Lotrechio proditurum promiſiſſet. Ea re ſubitis auribus accepta, et ad ſuſpicacem animum tranſmiſſa, Aurantius vocatum Fabritium, & deponere gladium iuſſum, cuſtodiæ tradit. Tum vero Neapolitani ex ſingulis tribubus conſurgunt, & rei incredibilis fama vehementer offenduntur, quòd præclaræ & antiquæ ſtirpis civis, ſpectatæ virtutis dux, & per omnem vitam Cæſariani nominis ſtudioſus, ab agreſti, & nemini penè cognito homine delatore, in diſcrimen ſalutis & famæ vocaretur. Propterea orabant ſummis precibus, ne præcipiti iudicio, ſed accurata cunctatione eius accuſationis cognitionem ſuſciperet, & ille latronum more, inanis & proculdubio falſiſsimæ coniecturæ indicium ſevera in quæſtione prius perpurgaret, quàm Maramaldus ad refellendã calumniam, uti æqua iura in diſpari, probo atque pernobili reo caverent, tormentorum cruciatibus admoveretur. Indulſit hoc Fabritio nequaquam ægrè imperator Aurantius, alioqui in grauibus rerum momentis facilè ſuſpicax atque præproperus, quum reum peropportunè Victoria Columna tanquam Piſcarij coniugis ſui alumnum, efficaciſsimis literis commendaſſet. Nec multo pòſt accuſator in quæſtione diu & graviter tortus, quum tormenta ſecus ac ante periculum crediderat, acerbiora ferre nequiviſſet, ſe pecunia corruptum, ſubornatumque fuiſſe ab inimicis Maramaldi confeſſus eſt. Atq; ita ille ſceleſtus calumniator tanta infamia Fabritium liberavit, & talionis pœnas in fruſta diſſectus dedit, ſtatimque Aurantius priſtinæ dignitatis atque cuſtodiæ locum, unde iam cohortes dimoverat, Maramaldo cum multa verborum præfatione reſtituit. At Gallicis in caſtris uſque adeo lentæ, atq; tabificæ febres ab Idib. Iulijs ad nonas Auguſt. invaluerant, ut tabernacula funeribus complerentur, & languentes paſsim

milites

milites aut irritis, aut deſperatis medelæ ſubſidijs, fame ſitique enecti paſsim interirent, ſepultorumque tumuli frequentes iuxta munitionum aggeres conſpicerentur. Quapropter plerique ducum, aut tentati morbo, aut inſtante periculo perculſi, impetrato diſceſſu per cauſam curandæ vel avertendæ valetudinis, in proximas urbes caſtellaque ſeceſſerant, ſcilicet ut mitioris cœli faciem quæritarent. Veneti legati in primis freti claſſe ad urbem Caſtellimaris, quæ eſt ad veteres Stabias conceſsêre, conceptoque iam morbo Vgo Pepulus Capuam, Valerius Vrſinus Nolam, Griffeius ad Grannianum Nuceriæ propinquum dimiſsi ſunt. Ipſe verò Valdemontius ad Vicum Surrentini litoris urbem pauloante ſe contulerat. Remanſerant cum Lotrechio frigentibus iam conſilijs pariter & viribus, Navarrus, Michael Salaſſus, Guido Rangonus, & nonnulli togati generis homines. Cæterùm in Navarro veterem infracti & efficacis ſpiritus vigorem multiplicata militum funera, & expectatæ cladis nõ temerè ingruens metus, fermè totum eliſerant, ſic ut propemodũ muſſare interrogatus, aut reſpondens delyrare crederetur: ipſe autem Lotrechius attonito ſimilis diſsimulato animi dolore, ferociam ſuam & imperij vim iuſsis, edictiſque retinens obrepente morbo iaceret, atque eo contumacius, quòd legatos Venetos, Piſanum in primis obſidis Cardinalis patrem, & ſecundum eum Petrum Piſaurium Griffeiumq; mortuos eſſe: Valdemontium autem ſupremo iactatum morbo, fatalem horam, quę iam aderat, expectare didiciſſet. Nec Valdemontius vel ipſo virium, & peregregij habitus vigore prævalidus diu vim morbi ſuſtinere potuit, qui in ſpem regni triennio antea tumultuarijs viribus fretus ad Neapolitanam portam ſeſe oſtentarat, cum civium voluntatis, tum fortunæ ſuæ, quæ ſtirpi regiæ inniteretur, periculum facturus. Eius mors Neapoli nunciata ſicuti ingrata quibuſdam Andegavenſium partium, ſic maximè læta Cæſarianis fuiſſe viſa eſt. Quoniam conſtabat quicquid antiqui iuris vigeret in Carolo primo, qui Manfredum regem occidit, & regno potitus eſt, id totum per Andegavenſes provinciæ reges recta hæreditatis ſerie ad Lothoringiæ regulos recidiſſe. Nam Valdemontius genitus erat eo Renato Lothoringiæ principe, qui Carolum Burgundiæ regem cõmiſſo prælio ad Nanſim interfecerat. Maiore itaque animo diligentiaque intentiore Aurantius & Gonzaga perſpectis decumbentis Lotrechij difficultatibus, laceſſendos hoſtes perpetuisq; vigilijs conficiẽdos exiſtimabant, ſicut nõ modo circũeundo eorum caſtra, & ſtationes pertentando laceſſerent, & ad capienda arma ſemiſopitos & affectos morbis interdiu noctuque excitando perquam moleſtiſsimè fatigarent, verùm etiam iuſtis in proxima oppida, ubi hoſtes æſtivare didiciſſent, ſuſceptis expeditionibus eos adorirentur. Paulò ſiquidem ante Gonzaga noctu confecto itinere, ad Summam oppidum quod eſt Veſevo monti ſubiectum, cataphractorum alam oppreſſerat, & Nolana item via Helvetiorum cohortem, quæ commeatibus præſidio ierat, occultatus in inſidijs ſub Veſevo ſecunda expeditione trucidarat mirabili caſu, quum ſub auroram iuxta nemus deliteſcens fulmine ala equitum ex terribili tonitru tacta, aliquot tantùm equos vapore exanimatos nemine è ſeſſoribus læſo amiſiſſet. Iiſdem etiam diebus Belmares equitum præfectus adiunctis ſibi expeditis ſclopettariorum manipulis, aliam Gallorum equitum manum Matalonio in oppido, quod eſt ad Tifata montẽ in conſpectu Capuæ urbis expugnata ſtatione deleverat. Saiavedra quoque natione Bæthicus diligens equitum præfectus,

recepta in prędę ſocietatem peditum cohorte, uſque Avelinum nocturna profectione contendit, improviſoque in oppidum irrumpens, oppidanosq́ue diripiens, Martiranum Inſubrem eius urbis epiſcopum cepit, captiuumq́ue Neapolim perducens, ad contumeliam divulſis teſtibus, ut maiorem à captiuo pecuniam exprimeret, diu torſit, vixq́ue poſtea Aurantij clementia & Vaſtij precibus è manibus impijs Saiavedræ ereptus eſt. Hæc paucis diebus accepta incommoda, quanquam vetantibus medicis Lotrechio languenti nunciari non poterant, emanabat tamen aduerſarum rerum non obſcura fama, ſic ut ipſi ægro intentis ſemper auribus atq; oculis aſtantium & inuiſentium facies explorāti multa vel non integra delatione proderentur. Seuerè ſiquidem ſciſcitabatur à pueris, an quicquam noui de hoſtibus audirent: nec mendacio erat locus, utpote qui ſi audita retinecerent, flagella ad pœnam ſubire vererentur. Cognitis per hunc modum rebus improſperé per ſuos geſtis, neceſſe erat bilem commoueri, atque augeri morbum, eoque modo quum bis inciſa vena ſanguinem minuere fruſtra eſſet conatus, poſtridie Idus Aguſti indignabundus exceſsit è vita, vir certè bello egregie fortis, et pace ęqui pariter & iuſti uſque adeo tenax, ut ſeverus & inexorabilis haberetur. Sed elatior quibuſdam videri poterat, quum aſpectu auſteræ frontis, raro quenquam familiaribus oculis intueretur. Erat ei facies digna prorſus imperio militari, quod honeſtas, nec deformes cicatrices Rhavennate in prælio acceptas oſtentaret, & toroſo habitu validi corporis, quanquam mediocris eſſet staturæ, certum & conſtantem integræ ætatis vigorem exprimeret. Sublatus eſt omni apparatu funebris pompæ, & in eadem villa Aragonij Montalti ubi prætorium fixerat, cumulo arenæ tumulatus. Qui optimo iure ætate noſtra, ſi cæteros duces eius gentis recta æſtimatione reputemus, peculiari cum laude expugnator urbium ſit appellatus, repetito quidem cognomento quod olim Demetrio Macedoni obvenisſe conſtat. Mortuo Lotrechio, ad neminem ſummi imperij cura pervenit, ſed reliqui duces in unum coacti, quæ poterant afflictis rebus remedia caſtrenſis diligentiæ comparabant, ante omnia à Rentio Cerite ſupplementa copiarum expectantes. At Rentius Aquilam profectus, quum copias ſcribere, & evocare quoſque Vrſinæ factioni, Gallicisq́ue obiter partibus addictos cogere properaret, tota potiundæ pecuniæ ſpe decidit, quod quæſtorem Gallum, & Camillum Vrſinum cognomento Pardum, qui Aquilanis, Præcutinæq́ue provinciæ præerat, non exhauſtos modò pecunia, ſed publicè obæratos etiam reperiſſet. Itaque ad Neapoleonem Vrſinum ſe convertit, atque ab eo magnis perſuaſionibus cohortes impetravit. Erat tum Neapoleo recuperandis avitæ hæreditatis oppidis intentus, quæ poſt mortem Virginij avi Fabritio Columnæ Ferdinandi regis conceſsione obvenerant. Nam per eos dies propter eandem antiquæ litis controverſiam cum Scipione Columna Reatino Epiſcopo collatis ſignis apud Manlianum extremis Marſorum finibus conflixerat, cadenteque in acie Scipione ea oppida victor ceperat, quæ ſunt ad Fucinum lacum. Hic Neapoleo publicam patriæ iniuriam vindicare ſe velle profeſſus, infeſtis armis Cæſarianos quos in Vrbe vel in agro Romano deprehendere poterat, cruenta manu perſequebatur, cupiebatque Galli Regis auſpicia ſequi, & eadem ſtipendia promereri, quæ & Iordanes pater, & auus Virginius maiores ſui meruiſſent. Ad has Neapoleonis cohortes, alias è Piceno agro, Spoletoque in primis evocatas adiunxit, primasque earum Rentius uti ſtatuerat in

Campa-

Campaniam præmiſit. Iamque Paulus Petrus Cervarius cum ſua cohorte Capuam pervenerat, & reliquæ antecedentem cum Rentio conſequebantur, quum Cervarius de Lotrechij morte cognoſcit. Nec propter eam famam, qui erant Capuæ, venienti & poſtulanti ingreſſum, portam aperiunt. Nam Iulius Capuanæ familiæ princeps, & Fabritius Maramaldus, ad recipiendam Capuam adventare ferebantur. Qua denunciatione de muro facta, ut ſe periculo eriperet, Cervarius ad Rentium eſt reverſus. Lotrechij morte Neapoli nunciata Cæſariani duces nequaquam oppugnanda caſtra cenſentes, obequitando caſtris, intercipiendo commeatum, & ſe munitionem invaſuros oſtentando, bellum gerebant, quod ſine ſuo periculo & ſine vulnere hoſtem peſtilentia abſumi proſpicerent. Auſter namque ventus per eos dies perflare & mortiferum craſſioris nebulæ vaporem ex paluſtri ortum uligine per caſtra diſſipare & circumferre ita cœperat, ut alijs ex cauſis conceptæ febres, in contagioſum propè morbũ verterentur. Itaq; Gonzaga conſuetudine quotidiana partiendo per vices equitatum & ſclopettarios pedites quib, expeditæ celeritatis cauſa ignobiles equos attribuerat, turmis admiſcendo circuibat caſtra, & per tubicines pugnam ciendo hoſtes morbis atq; inedia debilitatos orbatosq; imperatore, & præfectis magna ex parte ægris aut morte abſumptis, aſſiduè exagitandos ſuſceperat. Cæterùm Aurantius ipſe cum Gonzaga per exploratores edoctus, numeroſum hoſtium equitatum ſuſcepta nocturna profectione è caſtris Nolana via iter intendere, continuò cum expedita parte exercitus in eos erumpit, à medioque itinere abeuntes conſecutus nullo negotio fundit, impedimentis exuit, & ferè omnibus aut cæſis aut captis cum magna præda Neapolim revertitur. Interea Galli duces aſperrimis rerum omniũ incommodis conflictati, & de ſalute publica deſperantes, ad unũ id conſilium quod antea Lotrechius maleſana obſtinatione repudiarat, ex communi omnium ſententia recurrunt, damnatisq; caſtris effugiendum cenſent, mensq; omnibus una eſt, ut Averſam ſe recipiant, dum aliquæ vires ſuperſint, ne cunctis, ſi forte caſtris ſe tenere eaque pertinacius tueri velint, inhoneſtè atque miſerrimè ſit pereundum. Itaq; more militiæ tres acies, triaq; agmina inſtituunt, quibus ſingulis præſidij cauſa minores ternos falcones adiungunt, & equitatũ æqua diviſione partiuntur. Primi agminis cura Salaſſo regulo, Guidoniq; Rãgono attribuitur. Secunda Navarro. In tertia Pomperanus Gallus, Paulus, Camillus Trivultius, & Palicia cognomento nigra ſingularum alarum præfecti conſtituuntur, & ſub auroram compoſita agmina ſilentio caſtris educunt, deſertis muralibus tormentis, & relicto omni graviore caſtrenſis apparatus inſtrumento, taciti quidem & ſine tuba tympaniq; ſtrepitu euadentes, atq; eo tectius quòd denſiſſimus imber, crebris fulgetris, & multo tonitru procelloſus ingruerat, aptus hercle avertendo hoſti, qui nec ſatis explorare, nec opportunè perſequi, nec quicquam gravius per eam turbidiſſimã tempeſtatem tentare poſſe videretur. Cæſariani nanque duces qui pridie eius diei (is fuit quarto Calendas Septembris) conſilio habito, quòd nonnulli militũ per Gallicas munitiones infrequentem & ſegnem ſtationem morbo atque inedia propè enectorũ hoſtium ſe deprehendiſſe nunciaſſent, ea ratione copias partiti fuerãt, ut Dorbinus cum Hiſpanis adiũcto ſibi Conrado Heſſio cum quatuor cohortib, Vaſconum caſtra quæ erant, ut diximus, ad Campum veterem ſupra Ianuariã portam oppugnaret. Ipſi verò Aurantius & Gonzaga cum reliqua parte exer-

citus admotis tormentis caſtrorum hoſtilium aggeres aggrediuntur. Sed decedente pluvia quum tantiſper reſerenaſſet, allatum eſt Gallos deſertis caſtris ad Averſam ſe proripere cœpiſſe. Qua re cognita propè totus in abeuntes equitatus eſt effuſus. Quod ad certam prædæ ſpem quiſque ſibi vel iniuſſus properandum exiſtimaret, nullo propè ſubſequente peditatu, quoniam Dorbinus et Heſsius in oppugnandis Vaſconum caſtris ſub eam horam vehementer eſſent occupati, & Vaſcones & Cantabri Agramontio duce ſuos aggeres acerrimè & conſtantiſsime defenderent. Erant in nouiſsimo abeuntium Gallorum agmine ſclopettarij, partim ex nigra Etruſcorum legione, partim ex cohortib. quæ à colore vexillorum albæ vocabantur, hiſque præerat Cæſar Scotus Placentinus. Ea manus primum aduentantium & irruentium equitum egregiè impetum ſuſtinuit, ſed ſclopettis ſemel diſploſis uſque adeo acriter equites invecti ſunt, ut univerſos ad ſecundos ictus ſeſe inſtruentes perturbarent, quòd viæ eius itineris cavæ, & præalta ſaxeaque crepidine utrinque munitę omnem diſcurrendi atque explicandi ſeſe facultatem eriperent, magnoque Cæſarianis uſui eſſet equorum impetus, quando in depreſſa & peranguſta via à paucis vel fortiter conglobatis ſuſtineri nequiret. Per hunc modum perrupto & fœdè profligato Gallorum noviſsimo agmine, gravis illico tumultus ad medium agmen pervenit, parique ſorte quum fruſtra à primo agmine ſubſidia expeterentur, quòd id plenis paſsibus anteibat, ab eodem victore equitatu fuſum, & parva cum cęde armis, & ſarcinis vexilliſque militaribus & tormentis exutum eſt. Quandoquidem ægra militum corpora langueſcentibus dextris vix haſtas intentarent, aut gladios diſtringere auderent, contra victores qui in deditos humique proiectos & ſalutem deprecantes, contenti præda à cædibus facilè temperabant. Navarrus ipſe qui uti erat æger lectica ſæpe vehebatur, & tum feſtinandi cauſa humilem mulam conſcenderat, obliquos viæ tramites quærens ab Epirotis Græciſque equitibus interceptus eſt, Neapolimque perductus. Salaſſus vero & Rangonus expeditum nacti iter ad Averſam intacti pervenerunt. Sed eorum copiæ uſque adeo anguſta portula receptæ ſunt, ut amplius tribus horis quum ſinguli introirent, victores iam adeſſe arbitratę, diu in foſſa trepidanter ut admitterentur expectarint. Quibus tandem intra mœnia receptis & paululum recreatis, quum duces in arcem de urbis defenſione conſultarent, Hiſpani pedites agminatim ſupervenere. Hi nanque à Vaſconibus repulſi ad famam fugæ hoſtium equitumque victoriæ incitati ad iter capiendum antecedentibus ſeſe aggregabant. Primis Hiſpanorum cohortibus in cōſpectum Averſæ ſe dantibus, reliqui manipulatim ſe aggregabāt, & quòd perterritos atque imparatos hoſtes exiſtimarent, adiuti paucis ſcalis quas è ſuburbanis caſis repererāt, alij haſtis innixi alij commilitonum humeris ſublevati, ereperi in muri coronam cœperunt, cohortantib. Saiavedra et Ioanne Gaetano qui navali prælio captus dimiſſusque fuerat. Hi primi omnium conſcenderant, plenaq; iam Cęſarianis muri corona, quòd hoſtes metu præpediti nequaquam alacriter arma expedire viderentur, in urbem ſeſe vel temerè dimittere non dubitarunt. Sed eorum paucitas Gallis animos ita erexit, ut Guidone Salaſſoq; ante alios prodeuntib. & acriter inuadentibus, Hiſpani quibuſdā ſuorū interfectis, aut captis, rurſus ſubire coronam, atq; inde ſe demittere cogerentur, ſic ut nonnulli religatis ad pinnas ſclopettorū funiculis, per eos vel abraſis manibus deſilirent, aut periculoſo ſaltu præcipites in foſſam ſe darent. Ab eo

irrito

irrito conatu Hiſpani quòd iam frequentes armatos, et tormenta diſplodentes Gallos in mœnibus conſpicerent, Aurantio & Gonzagæ quid rei gereretur ſignificarunt, poſtulantes ut tormenta muralia atque ampliores copias ſummittere properarent. Quandoquidem hoſtes iam confirmatis animis de ditione colloqui recuſarent, proindeq́ue iuſta vi expugnandos appareret. Itaque duces perterritis, nullum quo animos colligerent, aut vires alicunde reſumerent ſpatium moræ dandum rati, tormēta ad Auerſam pervehi iuſſerunt: quo temporis intervallo caſtra Gallica nullo iam defendente invaſa direptaq; ſunt, magna prædantium admiratione, quum præter arma tormentaque magnitudine & numero ampliſsima ſuis locis reperta, ægri etiam moribundiq́ue milites paſsim iacerent, & quod erat acceptæ cladis argumentum, in ornatiſsimis tabernaculis enata gramina conſpicerentur. Erat ea forma caſtrorum ſitu munitioneq́ue memorabilis, & prorſus ſicuti vidimus, ſtupenda: ſic ut pleriq; Cæſarianorum ducum nuſquam peritius & accuratius à quoquam hac ætate caſtrametatum fuiſſe faterentur, & magnam partem eius diſciplinæ à Nauarri ingenio profectam dicerent. Poſtero die Salaſſus ubi tormenta quę ex Gallicis caſtris advecta fuerant, promoueri videt, ſuos componit, & diſtributis per idonea loca præſidijs, hoſtium vim expectare conſtituit, quòd propugnando reſiſtendoque generoſa ortum ſtirpe armatum uti deceret occumbere, quàm nullo Fortunæ aut virtutis ſuæ facto periculo turpiter ſe dedere honeſtius putaret. Eiuſdem animi erant Rangonus & Pomperanus, pariq́ue alacritate & confirmatione animorum veteres milites defendendis mœnibus opportuna tela comparabant. Sed poſtquam ab Aurantio adactis maioribus tormentis verberari murus & mox aperiri cœpit, & introrſus repetiti pilarum ingentium ictus nequaquam diu ſuſtineri poſſe cenſerentur, eadem infeſtæ Fortunæ violentia in genu Salaſſus grauiſsimè vulneratur, reſiliente ſcilicet perfracti tormento lapidis fragmine, quo ex acie in domum relato, magnopere imminutus eſt paulo ante reſumptus vigor, & eo quidem grauius, quòd infelicibus nuncijs allatum fuerat, hoſtes Capuam recepiſſe, ad quam dubijs & aduerſis ſuis rebus Galli confugere poſſe ſperauiſſent. Nam (ut ſupra diximus) Maramaldus cum ſuis cohortibus ad tentandam Capuam proficiſci iuſſus, ſiniſtrorſum capto itinere, loco idoneo ſibiq́ue noto non procul ab urbe conſederat, & cum Iulio è Capuana familia Cæſarianarum partium, qui alæ equitum præerat, Campanos ad defectionem ſolicitabat. Erant Capuæ Vgo Pepulus æger ſupremum exhalans ſpiritum, & Iulianus Strozza (is cum nigris cohortibus præſidio Puteolis nuper fuerat) præterea ingens ægrorum multitudo omnis generis. Nam Capuæ cunctis qui morbo tentarentur in caſtris, certus atque ſalubris erat receptus. Itaque Campani moriente Pepulo, Maramaldi adventum timentes, & de Gallorū victoria nequaquā temere deſperantes, diſsimulato conſilio, eam militum multitudinem adhortantur, ut delectis his qui viribus valerēt, aut qui iam ex longa valetudine vires recepiſſent, facto equitum & peditum firmiore globo, exire prædatum vellent, quòd nihil iam Capuæ pecoris ſupereſſet, qua excurſione aliquam pinguioris obſonij copiam relaturos, & quo ſucceſſu à ſuis pariter atque hoſtibus bellum Neapoli gereretur, certius exploraturos. Probatur id conſilium ab omnibus, quod callidum & non obſcuræ perfidiæ plenum Campani obtulerūt, ſic ut magna manus armis & equis ſe inſtrueret, & ſub vexillo ſtatim portis egrederetur.

Sed Campani egreſsis,& non multo poſt redeuntibus portas occludunt, eadem fermè hora qua Ceruarium ut diximus cum Rentiana cohorte veniētem excluſerant. Ob id deſperato ingreſſu ea manus, uti cuique libuit, dilapſa eſt:& Maramaldus ab averſa porta in urbem eſt introductus, accumulata ęgris Gallis miſeria, quando omni armorum & veſtis inſtrumento expoliati captique eſſent, ipſiq; Vgoni iam mortuo, & in ęde ſacra feretro impoſito, inter nænias ſacrificulorum ornamenta equeſtris cultus detraherētur. Erat enim ex eo procerum ordine qui conchyliatum torquem Galliæ regis munere eximij honoris cauſa geſtare conſueuerunt. Maramaldi ſiquidem cohortes è rapaciſsimo genere hominum Lucanis & Brutijs conſtabant, quæ ex Gallia Ciſalpina, Etruriaque ingentes egerant prædas, Romæque præſertim avariſsimè graſſatæ fuerant. Strozza autem qui cum pecunia Florentini quæſtoris in arcem temere munitam confugerat, certa pactione ſe dedidit. Ea Campanorum defectione Auerſæ pervulgata, nec ceſſantibus Cęſarianorum tormentis, Auerſani metu inſtantis cladis perterriti, iacentem Salaſſum adeunt, orantque ſuppliciter, ne pertinacia ſua fidelem miſerrimamque urbem in extremum ſalutis diſcrimen adducere velit, maturaq; deditione, plorantibus tot matronis & pueris ſubveniat, poſtquam cuncta ſeſe defendere conantes deficerent. Salaſſus mortifero ictus vulnere, atque extremo dolore compulſus, animum ad pietatem revocat, & Guidonem Rangonum ad Aurantium mittit, qui de deditione quàm honeſtis poſsit conditionibus tranſigat. Is uti debebat in id conſiliū nitebatur, ut cunctis incolumibus, ſalvisq; vexillis & civitate conſervata paciſceretur: ſed victor Aurantij animus nonnulla ſuperbè repudiabat. Per hunc modum aliquandiu re diſputata, quòd interim tormenta nullo quidem temporis puncto ceſſarent, & iam perruptus ad grandē hiatum murus, coronaq; pinnis nudata conſpiceretur, nec Rongonus re confecta maturè uti ſperarat rediret, Salaſſus militum quorundam precibus, & Averſanorum lachrymis ſatigatus, per idoneum hominem ad arbitrium victoris indecoram deditionem fecit. Eam verò fœdæ pactionis conditionem, vel miſeris vel victis indignam putavit Guido, qui adhuc cum Aurantio de conditionibus ſubtiliſsimè contendebat, quum tranſactæ deditionis tabulæ proferrentur, uſqueadeo eas Rangonus eſt averſatus, ut teſtaretur ſe æquo iure eſſe liberum, nec pudendis ſtaturum legibus, quando eius perſcriptæ legis beneficio uti nollet. Hac lite cœpta Cæſariani interim recepti in urbem, quos pecunia redimere poſſe videbant ad unum omnes cepêre. Ferunt Pomperanum in ea tantæ calamitis cogitatione defixis in cœlum oculis obſtupeſcentem, acerbiſsimoque dolore perculſum, in veſtigio concidiſſe, quum rigerent adhuc oculi, nec ullis fomentis ei exanimato, vita ſubito deliquio erepta, reſtitui poſſet. Hic eſt ille qui Carolo Borbonio proditionis damnato, totius exilij comes fuit, & eius poſtea admiſsi ſceleris pertæſus, à clementia Franciſci regis alæ profecturam promeruit. Illo etiam triduo, quod multis fortium virorum funeribus Gallis maximè luctuoſum fuit, mortuus eſt ignobili & fœdo in loco Ambroſius ille Florentius Inſuber, qui mali aut certè fatalis conſilij dirus author, Lotrechium ut diximus, ab oppugnatione Mediolani Neapolim pertraxerat, ob idque meritas factioſæ malignitatis ſuæ pœnas dediſſe videbatur. Eum quoque altero tantū die anteceſsit Petrus Paulus Creſcentius Romanus, Clementis legatus, & Paulus Camillus Trivultius præfectus equitum in eadem peſtilentis do-

loris

loris miſeria exceſsit è uita, qui omnes uti erant nobilitate clariſsimi, ſepulturę honore caruerunt. Pridie quàm Galli Averſana in via funderentur, atq; eorum Cæſariani potirentur caſtris, Andreas Auria ipſos captivos Alfonſum Vaſtium & Aſcanium Columnam, quod Cæſaris ſtipendio ſeſe commutata voluntate addixiſſet, in Ænaria inſula, ubi illorum erant uxores, lætos expoſuit. Nec multas poſt horas Veſtius Neapolim eſt profectus, ut ducum conſiliis intereſſet. Is quòd ſuæ perpetuæ benignitatis munus videbatur, Salaſſum Neapolim perductum omni humanitatis & munificentiæ officio complexus eſt. Sed ille non multò poſt internecivo vulneris dolore mœroreque animi confectus, ultrò propè accerſita morte vitæ ſuæ finem impoſuit. Vaſtius quoque Rangonum cum Hiſpanis an iure militiæ captivus dici poſſet, prolixè diſputantem lata ſuper ea re mitiore ſententia liberauit, & cum quibuſdam notæ virtutis præfectis actuario navigio impoſitum in Ænariam abire iuſsit, ut inde Romam, uti probè à fideliſsimis nautis factum eſt, adveheretur. At Navarrus cui miſerè capto quidam milites Hiſpani bina maleſani atque infelicis decreti transfugia obiectabant, in eundem priſtinæ, & tum ſupremæ calamitatis carcerem coniectus eſt, ea tamen Hicardi cuſtodis indulgentia atque humanitate, ut extrui ſibi in foco vaporarium camini tubum quo algens calefieret, impetrarit, ſed aliquando poſt vel æger vel ſenex, quum eum ſicuti alios qui eo bello defeciſſent, Cæſar perſcriptis ab Hiſpania literis, capite plectendum eſſe cenſuiſſet, exanimatus in culcitra repertus eſt. Nec defuêre qui crederent eum ſuperiniectæ multiplicis ſtragulæ veſtis pondere preſſum, ultrò necatum fuiſſe, quod Hicardus exiſtimatione fortiſsimi ducis permotus, eum qui illam eandem arcem aliquando cepiſſet, revocata rerum fortiter geſtarum memoria extra Cæſaris invidiam carnificis manibus ſubtrahere voluerit. Per eos etiam dies ambo Florentinorum legati Marcus Nerius, & T. Soderinus Auerſę capti, apud Hiſpanos Neapoli vitam cum morte commutarunt: quum Nerius pecuniam, quam pepigerat pro redemptione tardius expediret, & Soderinus auri tenax, & vitæ prodigus, impoſitum tanquam æquo gravius pecuniæ pretium, ſe perſoluturum obſtinatè pernegaſſet. Verùm nihil in eo belli exitu, quàm infimæ multitudinis deformius atque miſerius ſpectaculum fuit, quum ſemineces umbris hominum pares, pecorum modo ad ſtabula regia quæ ſunt ad Magdalenam truderentur. Nam hoc pietatis officium à ſenatu Neapolitano ducibus ita iubentibus, ut ibi alerentur, curarenturque, impenſum eſt. Verùm corpora cuncta cœli, vigiliarum, & militaris laboris incommoda per quinque menſes perpeſſa, uſque adeo acervatim communicatis morbis à contagioſa illuvie peribant, ut pauci ſupereſſent, qui in Galliam atque Germaniam remigrarent, atque ex eorum calamitate atrox peſtilentia Neapoli relinqueretur. Ab hac inexpectata multis victoria felicitateque Cæſaris, & portentoſa Gallorum clade, Fortuna nequaquam adhuc ſuo in eam gentem exaturato pleniſsimè odio, tam inſolens quàm atrox, in ipſum Lotrechii cadaver ſævitiam exercuit, ut diuturni ludibrii victo, mortuoque contumeliam accumularet. Id enim Hiſpanus quidam impiæ atque impudentis argutiæ rapax, ſabulo erutum è caſtris in Vrbem retulit, & in regione, quam Sellariam vocant recondidit ſubterranea in cella, ut venalitium cadaver aliquem è Gallia pietate & reverentia inſignem emptorem reperiret, qui redemptum repenſo multo auro in Galliam ad Fuſiæ gentis ſepulchra referendum

arbitraretur. Sed nemo unquam vel propinquorum qui ſepulturæ iacturam magnifaceret, aurumque rependeret, comparuit, ita ut valde mirum videri poſſet, quòd in nemine apud Neapolim vel ducum vel procerum in eo flagitio inuſitatæ impietatis & iniuriæ generoſus pudor humanitatem expreſſerit, quum in cella vinaria tanti nominis Imperator inhumatus iaceret, ſecus ac Valdemontio acciderat, qui ſacratarum virginum, quæ in divæ Claræ clauſtris degunt, mirifica pietate honeſtiſsimo templi in loco collocari meruiſſet: quoniam id templum Andegavenſes reges Valdemontij progenitores pia liberalique magnificentia condidiſſent. Cæterùm Lotrechij mors ſicuti militibus importuna, ita ſupra quã credibile ſit civibus Romanis ingrata, luctuoſaque extitit, utpote quæ ſingularem Vrbi triſtitiam attulerit uſque adeo, ut populus Senatusq; Romanus in Capitolio non obſcura ſummi doloris ſignificatione è cunctis tribubus atra in veſte cogeretur, ut ei quem Vrbis liberatorem appellabat, quòd Cęſarianos ſupremæ labis excidium communi gentium omnium patriæ immaniter afferentes detraxiſſet, iuſti honoris cauſa parentalia decerneret, quæ eo ipſo die quo nunciata mors eius eſt, inſtauratis regio cultu ſplendidiſsimi funeris exequijs, Laterano in templo quotannis celebrarentur. Id decretum religioſæ pietatis uſque adeo ad diuturnam memoriam Lotrechio glorioſum videri potuit, ut non dubium victoribus, qui mortuo ſepulturam invidiſſent, præduræ & propè infamis inclementiæ pudorem exprimeret. Sub ipſam quoque Averſæ deditionem Agramontius publicæ labis Fortunam agnoſcens, & reliqui cum eo Vaſconum duces neceſſaria potius quàm æqua conditione ſe dediderunt, ſic ut multa inermium & egentium agmina, quæ ſe Romana via ad iter expedirent, cernerentur. Hiſdem etiam diebus poſt Lotrechij mortem Sanſeverinus Salernitanus regulus, & Hieronymus Tutavilla Sarnenſis comes ab Aurantio Nolam proficiſci, & Valerium Vrſinum obſidere iuſsi, cum vix dum ſe ab adverſa valetudine novis viribus confirmantem, in arcem ſe recipere, & poſtremò ea conditione deditionem facere compulerunt, ut cum præſidio ad caſtra Gallica deduceretur, quòd is erat parvo cum præſidio attenuataque equitum ſuorum ala, & Nolanorum animi, ut ad priſtinam Cęſarianorum ducum fidem redirent, ad arma parati eſſent. Sed in itinere cognitum eſt Gallorum caſtra nulla iam eſſe, quapropter Hiſpani equites eum iure captivum eſſe dictitantes, exutum armis & ſarcinis Neapolim perduxerunt. Ibi de militari iure aliquandiu in ea controverſia diſputatum eſt. Verùm commendatione multorum, ipſiusque præſertim Mirandæ precibus, quem paulò antè ab ipſo Valerio captum, humaniterque dimiſſum diximus, ab Aurantio propter virtutem ſæpius ſpectatam & generis nobilitatem, ut Romam enavigaret, impetravit. Quum eo modo res Gallica paſsim urgente Fortuna fœdè concideret, Gallicæ Venetæq; claſsis præfecti invadendi opprimendiq; Andreæ Aurię conſilium ceperunt. Erant enim ei concitante odio vehementer infenſi, quòd is à Gallo rege diſcedens, totius Italię cauſam importunè deſeruiſſe, & perverſa ratione nequaquã iuſta de cauſa ſeſe Cæſarianis partibus applicaſſe videretur. Itaq; prodeuntes ex Prochytano freto, Auriam ſub Iſcla ſtationem habentem, ubi pridie Vaſtium & Aſcanium expoſuerat, conſpicati in eum tormenta maiora in ſpatio viginti ferè ſtadiorum emittere cœperunt. Deſcenderam ego tum fortè ab arce ad litus prætoriamque conſcenderam, ut ſummæ authoritatis virum, cui eram familiaris, hono-

honoris cauſa inviſerem, gratularerque ſubinde quod commutata voluntate felici iudicio animum pro hoſtili erga nos amiciſsimum induiſſet, poſtquam inſigni beneficio bello captos proceres civili humanitate uxoribus & liberis atque penatibus reſtitutos videbam. Tum verò me ſecus ac putaram, navalis pugnæ periculo implicitum cernentem, Andreas nihil prætervolantes pilas timere, & in certa puppis parte conſiſtere iubet. Ipſe molitur ancoras, aquilamque triremem omnium velociſsimam præmittit, ut hoſtilis claſsis numerum certius exploret, expediriq; armamenta omnia, tormentaq; dirigi in hoſtem præcipit, ea mente ut cum ſuis duodecim tantum triremibus, vel cum multo maiore hoſtilium numero, contempto omni periculo audacter congreſſurus crederetur. Sed quum hoſtiles multitudine eſſent ſuperiores, utpote quæ triginta quinque numerum, quæ iam freto exceſsiſſent facilè excederent, Andreas prælium non temerè vitandum putavit, & in eadem ſtatione ſubſtitit, quæ erat tutiſsima. Nam urbs Iſcla quæ antiquitus Pythacuſæ à figulinis & nõ à ſimijs dicebatur, ſterili in colle collocata in ſummo vertice munitiſsimam habet arcem, unde ei è vulgari Græco nomen eſt Iſchia, ſiquidem munitiſsimum locum Græcè exprimit. Hæc latè maria proſpectat, tormentiſque maioribus in hoſtilem claſſem directis, & prægrandibus pilis in eam vel ad incertos ictus frequentiſsime contortis, Venetas ſimul & Gallicas triremes ab acceſſu facilè deterrebat ea conditione, ut è longinquo tantũ crebris & innoxijs tormentis certaretur, & Auria lunato in loco rupium obiecta mole protectus conſiſteret. Arx enim ad ſeptentrionem directis in ſubiectum mare cautibus inacceſſa eſt, quum in meridiem extenſæ per gradus urbi immineat. Iungitur porro hic collis Ænariæ inſulæ oblongo ponte lapideo, ſic ut urbs ſcopulo impoſita & ponte annexa inſulæ, navibus circum navigari nequeat. Circumvolitabant tamen ex longinquo Venetæ triremes, & uno atq; altero ingenti tormento, quod Baſiliſcum vocabant, inanibus ictibus terrorem inferre, & noſtros in altum elicere conabantur, quod ſubire arcem nec ex propinquo conferre triremes ſine certo diſcrimine atque exitio ſe poſſe providebant. Itaque quum aliquandiu irrito conatu detrimentum inferre contendiſſent, intra fretum Prochytanum unde exierant, ſe receperunt. Eo die tum primum Auria ſtudium ſuum nudavit, aurataq; lilia, quæ erant Galliæ Regis inſignia, & in extrema puppe ſpectabantur iracundè perfregit atque decuſsit: pauciſsimoſque poſt dies Gallicam claſſem Neapolitano excedentem litore, & quod iam Veneta fractis & deletis partium viribus ad Meſſanæ fretum contendiſſet, intentiſsimo curſu ſuæ claſsis perſecutus eſt, tanta celeritate ut quædam navigia militaribus equis & pretioſo caſtrenſium rerum apparatu onuſta conſequeretur, & caperet, nec inde quicquam intermiſſa perpetui curſus diligentia, & ſegniores & longa navigatione debilitatas quaſdam noviſsimi hoſtium agminis triremis interciperet, ut vix Tendanus regulus, quem præfuiſſe Helvetijs diximus, è manibus elaberetur. Locus admonet, ut quæ promiſeram de alienatione Auriæ, & Liguſtici belli cauſis (hæc enim à legentibus diutius expectari non poſſunt) ex inſtituto operis exoluam: & ſeriatim enarrem, quando res bellicæ ſub unum fortè tempus geſtę, ne texturam hiſtoriæ intercidant, atque ineptè confundant, ſuo ordine per partes explicandæ videantur.

Itaque operę pretium erit paulò altius repetere à rebus geſtis ſuperioris anni, qui toti Italiæ non modò ab atroci terribilique armorum ſtrepitu, ſed ab

inuſitata frugum penuria, & peſtilenti cœli atque aeris inclementia ſupra omnes, quorum patres noſtri meminiſſent, maximè dirus & perniciosiſsimus fuit. Erat is vigeſimus ſeptimus ſupra quingenteſimum & milleſimum à partu Virginis, nefanda Vrbis clade inſignis. Igitur ſub id tempus quo Lotrechius tranſgreſſus Alpes, eo modo, quo diximus, Boſcum, Alexandriam atq; Ticinum expugnavit, Franciſcus Galliæ rex viginti duarum triremium claſſem Andrea Auria præfecto Maſsilienſi portu emiſit. Eum nuper honorificentiſsimo maritimæ præfecturæ titulo Amirantem mediterranei maris appellarat. Is Genuam obſidere iuſſus, ſuperiora inferioraq; Liguriæ litora percurrebat, idq; unum iniunctum diligenter obibat munus, ut frumentarias invectiones impediret. Nam tum Genuæ frumenti inopia vehementer laborabatur, & peſtilentia ſævire in cives cœperat, nec ſatis firma aderat claſsis Antoniotto Adurnio urbis & Cæſarianarum partium principi, qua Gallicæ claſſi obſiſti poſſet. Hæc dudum onerarias duas Ferrariam & Rapallinam proſpero deſtitutas vento apud Florentium Corſicæ portum perſequuta, ſeſe in litus eijcere compulerat, evadentibusque nautis atque vectoribus incenderat. Quamobrem fiebat ut Genuenſes onerarias naves ad coemendum frumentum in omnes partes dimitterent, & quotidie effuſa in portum eſurientis populi multitudine adventum navium expectarent. Earum fortè duę frumento Siculo onuſtæ ſeſe in Delphini portum intulerant, ut inde expectata idonea tempeſtate eluſa Aurinarum triremium cuſtodia ad urbem perveherentur. Qua de cauſa ſuperioribus diebus apud portus fauces Adurnius munitionem erigi, inædificarique propugnaculum, & præſidium imponi iuſſerat, ut ibi ab alto intrantia navigia tutam haberent ſtationem, & ne à Gallicis triremibus oppugnarentur terreſtri cohortium præſidio defendi poſſent. His Adurnij conſilijs diligẽter exploratis Andreas claſſe provectus, idoneo in loco circiter quatuor millia peditum expoſuit, ut à terra portum & vicum occuparet, allectus ſpe totius hoſtium opprimendæ claſsis. In ipſo nanque Delphini portu præter aliquot Liguſticas naves frumento & mercimonijs onuſtas ſeptem aderant, partim Adurniæ, partim Cæſarianæ triremes: quarũ proviſo periculo Adurnius ferendę opis conſiliũ cepit, Auguſtinumq; Spinulam prętorij præfectum cum multo maxima parte prætorianorum, eò terreſtri itinere proficiſci iubet. Is naviter iuſſa faciens per montana aſperaque itinera contendens ad vicum quem incolæ Bramapanem vocant, ſub auroram pervenit. Tum verò exoriente ſole ab hoſtibus, qui in litus deſcenderant Spinula conſpicitur adeo præclarè, ut quum per diruptos & anguſtos tramites ſe demitteret, militum numerus facilè recenſeretur, & Auriani ampliore numero ſuo confirmati obviam deſcendentibus eundum cenſerent. Erat modica planicies non longè à fano divi Michaelis trecentorum fermè paſſuum. Eam Auriani duces Antonius & Philippus provecti præoccupant, & Viſcontem Cicadam nobilem ſigniferum, qui præfecti Auriæ geſtabat vexillum cum valida ſclopettariorum manu anteire iubent: ipſi mediam aciem excepturam deſcendentium impetum ex adverſo inſtruunt. Viſcontes nactus in his rupibus duos ingentes ſcopulos poſt eos ſuam manum collocat, & primos deſcendentium hoſtes, effuſa glandium procella, tranſitu arcere conatur. Tum verò Spinula coniectus in locum unde ſe eripere ſine ignominia graviq; ſuorũ detrimento nõ poſſet, quanquam numero hoſtium terreretur, brevi oratione militum animos

animos confirmat, docetq; hoſtes facile [illegible]di ſuperariq; poſſe ſi ſe prætorianos eſſe meminiſſent, quorum neq; virtutem [illegible]ue impetum, aut Galli novi milites, aut Auriani ſemiremiges laturi viderentur. Nec mora æquiſsimo loco ſe demittens, Viſcontis ſclopettarios è ſcopulis deiicit. Qui pulſi mediam aciem ex tumultuaria ſua fuga perturbant, certatur tamen magna vi collato pede, ſed vel paucorum hoſtium Auriani iniquo decliviquè in loco impetum non diu ſuſtinent, continuò dant terga, & ſe in fugam per confragoſam viam præcipites conijciunt. Spinula pulſis atque perterritis capto Philippo Auria inſtat. Ab Adurnijs victoriæ clamor attollitur, Gallique & Auriani timore occupati adeo perturbatè ad littus deſcendere conantur, ut pauci apprehenſis remis in triremes evaderent, reliqui cæſi aut capti ſunt, aut per avias & inaceſſas rupes effugerunt, quum multo plures eorum præcipiti ſaltu ſe eripientes profundo mari mergerentur. Parta victoria admirabili caſu accidit, ut eo ipſo die Spinula ab Adurnio ad urbem revocaretur, quòd Cæſar Fregoſius à Lotrechio Genuam cum delecta manu peditum & equitum miſſus, in Pociferam Vallem ſe demiſiſſe, & iam adeſſe nunciaretur. Quibus iuſsis Spinula parendum cenſens, ſuſpicatus quod futurum videbatur, ut ſe diſcedente Auria claſſem invaderet, trierarchos admonuit, ut ſe compararent ad prælium, & nudatas propugnatoribus hoſtium triremes aggrederentur. Quod ſi id facere præſtareque uti oportebat non poſſent, in altum ſe proriperent, & in quos Fortuna vel Liguriæ, vel Etruriæ portus offerret properè confugerent. Cæterùm vel terreſtri victoria adiuti, nihil egregium aut fortibus viris dignum tentare auſi ſunt, quód defenſores pariter & remiges ad prædam incitati, conſpecto hoſtium adverſo ſucceſſu in triremibus contineri nequiviſſent. Secundum verò complexi conſilium, quum enavigare cœpiſſent, nec ullo prorſus vento iuvarentur, feſsis remigibus animos ita deſponderunt, ut in tutum evadere poſſe deſperarent, & continuò in eundem Delphinum portum redirent. Affuit occaſioni ſuæ intentus Auria, & invectus in hoſtes, triremes præter unam omnes cepit. Hæc fuit Iuſtiniana cognomento Gibba, reliquæ fuêre in poteſtate hoſtium, eo facilius quod nexi, ſervique omnes ad tranſtra cathenati ſublata voce libertatem invocaſſent, & propugnatores epibatæque omnes undique deſcenſione facta dilaberentur. Captæ ſunt ante alias duæ Genuenſes, quibus præerat Iulianus Ripa Adurnij cliens. Aliæ fuêrunt partim Siculæ, partim Hiſpanicæ. Capta quoque eſt & direpta pretioſi mercimonij plena navis oneraria cognomēto Iuſtiniana, quæ dudum è Chio Orientis inſula in Delphini portum pervenerat. Hæc res geſta eſt ſub Idus Auguſti ita alternante vices ſuas Fortuna, ut qui terreſtri pugna victores fuerant, mari victi, & mox debellati fuerint. Cæſar nanque Fregoſius ad divi Petri fanum, quod vocatur ad Arenam poſitis caſtris, caduceatorem regium in urbem præmiſit, qui Genuenſes ad deditionem hortaretur, & ſi id facere abnuerent, omnia infeſti belli detrimenta, & villarum incendia dinunciaret. Adurnius qui paucis antè diebus ægra ſpe rerum ſuarū permotus decurionibus permiſerat, ut legatum ad Lotrechium de concordia mitterent, caduceatorem repulit. Id autem legationis munus ſuſceperat Vincentius Pallavicinus, æquiſsimasque conditiones a Lotrechio retulerat, præter id unum quod à Genuenſibus enixè petebatur, ut ſcilicet Savonam urbem ademptam populo Genuenſi redditurum polliceretur. Eam namque urbem Memorantium

regis gratia validum ſibi impetraſſe, [illegible] præfectum nomine Moretum impoſuiſſe ferebant, eo conſilio ut S[illegible]ienſi portu, quòd eſſet Galliæ Ciſalpinæ opportuniſsimus, poſtq[illegible] Genua alienæ eſſet ditionis, ad omnes belli commoditates uteretur. [illegible]re Genuenſes nihil gravius ſibi accidere poſſe rati, quàm ut Savona tot [illegible]ulis civitati contributa ſubtraheretur, repentè commutatis animis, à [illegible]ore deditionis conſilio diſceſſerunt, ita ut Adurnius non obſcuram ſp[illegible] retinendi principatus ſumeret. Quapropter exploratis Cæſaris viribus noctu in eum eruptionem facere conſtituunt. Impoſuerat Cæſar cum præſidio unius cohortis Borrachinum præfectum in æde ſancti Benigni. ea eſt in ſupercilio montis, qui imminet ei turri quam à lychno nocturni luminis Pharum vocant, deſpectatque dextrorſum ſubiectam maris plagam, in qua, ut diximus, ad Arenæ templum Fregoſius conſederat. Cognito hoſtium adventu Adurnij, & paucitate copiarum eius contempta, eos invadendos decernunt: & poſt intempeſtam noctem eductis prætorianis rectà ad eos proficiſcuntur, adeo ſilenti agmine, ut apud Lazariam veterem portam Borrachini excubias parum intentè ſpeculantes opprimerent. Ab his ubi ſit Borrachinus, & ubi conſiſtat Cæſar diſcunt, continuoque dorſum eius promontorij conſcendentes, Borrachinũ ſemiſopitum, confiſumq; ſuis excubijs capiunt, præſidiumq; eius paucis cæſis, & nonnullis vulneratis fugatur, & per exteriorem rupis partem dejicitur. Fregoſius audito ſtrepitu & iam inalbeſcente cœlo conſpecta ſuorum fuga, appropinquanteq; hoſte ſeſe colligens, munimentum quod ſors obtulit irruentibus opponit. In ea namq; parte littoris ædificabatur oneraria ingens navis, cui Grimaldiæ nomen fuit. Iamq; carina eius ſcamnis & navalibus canterijs, quos fabri ſcalos vocant, erat conſtituta, & coſtæ ſuis incurvis aſſeribus intexebantur. Itaque eo navigio promunitione uſus, ſclopettarios opportunè diſponit, & glandibus coniectis hoſtes ab acceſſu arcet. Ii bifariam diviſi pars dextrorſum ad Fregoſianas copias ubi erant equites nonnulli, Martinengo duce defertur, altera contra Cæſarem procedit. Sed factum eſt egregia fortitudine Cæſaris, ut qui in navigio erant, hoſtes loco pellerent. Nam Cæſar & à puppe & a prora cum ſuis proſiliens in ipſos Spinulanos parum conſtanter oppugnantes, & metu ſclopettariorum perturbatos erupit, & reliqui Fregoſiani Martinengum in congreſſu ita repulerunt, ut circumventus in medio caperetur, Spinulaque ipſe deveniret in poteſtatem: & Sinibaldus Fliſcus, qui cum clientũ manu aderat parvo temporis & loci ſpatio ex hoſtium manibus eriperetur. Eo modo Cæſar ſemihoræ momento in ipſa propè rerum deſperatione victoria potitus, pleno paſſu ad urbẽ contendit, & inter ſuburbana tecta viæ militaris, quam Faſciolam vocant, iuxta Theodori templũ tumultuariam Hiſpanorum manum, quæ ſubſidio mittebatur, magno impetu fundit, & ad divi Thomæ portam provehitur. Nec diu poſt cives excitati Fregoſij victoria uti antè ſtatuerant, neq; poſtea impleverant, Galliæ regis imperio ſe dedere decernunt, miſsisq; Ferrario & Lomellino legatis (hi enim erant Fregoſianæ factioni addicti) qui portam aperirent, & Cæſarem exciperent, victores introduxerunt. Ipſe princeps Adurnius, qui ad tumultum adcurrerat, ubi introductos in urbem hoſtes ex populari acclamatione audijt, converſo equo in arcem properè cõfugit, paululumq; moratus, ad noviſsimũ conſilium quod erat civilis potius pietatis quàm bellicæ virtutis, deſcendit. Neq; enim eum animi vigorem, quem Hieronymus frater adverſis in rebus tulerat Antoniottus, uti

erat

erat remiſsiore ingenio, & podagræ vitijs correptus, ferebat. Statim ſiquidem Philippum Auriam, quem in arce captivum habebat, liberaliter dimittit. orat ut operam æternæ laudis patriæ præſtare velit, ne neceſſe ſit in ea mutatione principatus cædibus certare, quibus inteſtinis malis civitas omnino lacerari atque deleri poſſe videatur. Sibi quoque in eam publicæ ſalutis curam intento nihil fore honeſtius arbitrari, quàm excedere arce, ut urbanis rebus tranquillitatem adveheret. Cum his mandatis Philippus æquè fidus & alacer ab arce in aream Aurianam deſcendit: advocat contribules, & pleroſque alios cives, appoſitaque oratione perſuadet, ut Galliæ regis imperium lubentibus animis ſuſcipiant, veterum odiorum & factionum obliviſci, & ab omni contentione diſcedere velint. Ea Philippi oratione permoti cives ad comprimendum plebis & militum tumultum per urbem diſcurrunt, ſedaturque illico moderatione Fregoſij & civium precibus armorum ſtrepitus tanto parendi obſequio, ut nulla domus præter decurionum Prætorium concurſu plebis diriperetur: ſic ut admirabile videri potuerit, quòd in tanta perturbatione, nullo propè effuſo civili ſanguine urbanæ res fuerint compoſitæ. Quòd ſi Aurianæ Gallicæque triremes quę tum aberant, eo die portum tenuiſſent, rebantur cives, navales turmas uti prædæ avidas non facilè coerceri potuiſſe quin effuſiſsimé graſſarentur. Itaque ſingulares à Senatu atque omnibus ordinibus Cæſari gratiæ ſunt actæ, quòd Galliæ Regis commodo quàm propriæ dignitati atque amplitudini quàm armatus arripere poterat, ſtudere maluerit. Erat enim Cæſar Iano patre genitus, qui tum Venetis in caſtris militabat, Genuęq́; principatus Fortuna aliquandiu, ut ſuo loco diximus, fuerat potitus. Data ſunt ei virtutis & clementiæ nomine præmia ſignatæ pecuniæ & certiſsimi annui redditus alimenta, quæ ad poſteros tranſirent, è ſenatuſconſulto conſtituta. Nec multò poſt pari civilis animi propenſione Adurnius arcem civibus reddidit, & cum præſidio clientium ſuorum patria & principatu cedens, ad paterna caſtella ſe recepit, pauciſque pòſt menſibus quum ad Antonium Levam eſſet profectus, apud Mediolanum ſine prole fato conceſsit. Non multos autem poſt dies Genuam venit Theodorus Trivultius, qui deductus in ſenatum conſenſu civium, ſatagenteque in eam rem ipſo Auria, Decuriones in verba regis ſacramento adegit, quum paulò antè Cæſar Fregoſius ad Lotrechium in caſtra rediſſet. Eius diri anni inclinante autumno quo hæc in Liguria geſta ſunt, & Lotrechius reiecto oppugnandi Antonij Levę conſilio, totas Franciſci Sfortiæ præſentis atque obnixè orantis ſpes eludens, poſt eas urbes, quas diximus manu captas ad oppugnandam Neapolim ire properabat. Landus Venetæ claſsis præfectus in Siciliam navigavit, atque ingreſſus capaciſsimum Auguſtæ portum poſtulavit à præfecto arcis, ut ſibi præſenti pecunia coemere frumentum liceret: quod quum præfectus ſpontè ſe conceſſurũ Venetis ex profeſſo Cæſaris hoſtibus pernegaſſet, Landus refractis horreis, quantum ſibi opus eſſe iudicabat, frumenti copiam navibus impoſuit, ea æquitate ut pretium Siculis egregia fide perſolveret. Ab Auguſta autẽ digreſſus, quæ eſt inter Pachynum promontorium & Siracuſas, ſuperato Meſsanæ freto ad Æolias inſulas cõtendit, circa quas triduo tempeſtate iactatus, & perflantibus demum modò Euro, modò Subſolano ſecundiſsima navigatione in Puteolanum ſinum ſe intulit. Ibi quum tormentis peteretur è ſuperiore Baiana arce, quæ eſt ad Baulos, in eo loco ubi olim Hortenſij oratoris villa fuit,

longius ſecedens, directis proris atque tormentis oppugnare urbem Puteolos cœpit, ad quem claſsis locum Baianæ arcis tormenta pervenire non poterant. Ea namque arx in ſupercilio montis poſita eſt, qui duo diverſa maria deſpicit Puteolanum ſcilicet ſinum, & Baianum portum, qui antiquitus Miſenenſis fuit, Romanorum navale tutiſsimum. Mare ſiquidem Miſeni ſcopulo illiſum per arctas fauces ad lævam influit, & concluſum efficit pelagus, quod hodie perpetuæ tranquillitatis nomine, Mare mortuum appellatur, habetq; iuxta ad certam æquationem fornicati operis piſcinam, quæ ab incolis Admirabilis vocatur. Cæterū Landus nihil tantata per milites expugnatione ex condicto iuſſuq; Senatus, ut Gallicæ claſsi iungeretur, Tyrrheno provectus mari, ad portum Herculis quod eſt ad Argentarium Senenſis agri promontorium, Auriam obvium habuit, communicatiſque conſilijs in Corſicam primò, atque inde per fretum quod utramque inſulam dirimit, in Sardiniam traiectum eſt, & copiæ, quas Rentius Ceres elapſus clade Vrbis Gallica pecunia ſcripſerat, in terram expoſitæ ſunt. Primum quod occurrit, fuit oppidum nomine Genuenſe Caſtellum. Ibi promotis proris tripartito munere tres claſſes uno tempore diverſis in locis murum verberare cœperunt, ſatiſque magna parte mœnium quaſſata & diruta Caſtellanorum res, quanquam egregiè ſagittis præſertim atque lapidibus ſe defenderent, grave in diſcrimen adductæ videbantur. Quo permoti periculo oppidani Rentio ſignificarunt, ſe certa conditione poſtero die dedituros. Is enim ſuos in acie continebat, ut cuncta quæ ſupervenire poſſent Sardorum auxilia continuò arceret, ne navalibus ſocijs oppugnatione occupatis ulla exterioris hoſtis vi noceretur. Sed in metu deditioniſque conſilio verſantibus oborta forte tempeſtas turbulenta, qua ab importuoſo littore claſsibus erat diſcedendum, ſalutem attulit. Nam repentè ſublatis ancoris intento uſus remigio Auria ad Herculis inſulam, quę olim Diabata, hodie Aſinaria dicitur, contendit, curſumque eius obſervantes Venetæ Gallicæque triremes in eundem portum conceſſerunt. Is eſt fidiſsimi receſſus, & obiectum contra reſpicit Falconis promōtorium, ab antiquis Gorditanum appellatum. Dum claſſes decedente tempeſtate idoneam maris tranquillitatem expectarent, qua freti ad expugnandum Caſtellum Genuenſe reverterentur, Rentius eos admonuit, ne renovato impetu de expugnatione oppidi cogitarent per cauſam obtinendi commeatus, quoniam ipſe cum terreſtribus copijs proximum oppidum nomine Surſam occupaſſet, quod erat ab incolis deſertum, atque omni commeatus copia pleniſsimum, vnde per multos menſes univerſa claſsis ali poſſe conſtaret. Interea Rentio interiora inſulæ pervadenti nunciatum eſt, Sardorum equitum alam cum ingenti ſagittariorum peditum agreſtium numero adventare: quibus excipiendis Rentius expeditam ſclopettariorum manum loco inter vepres & arbuſta ad inſidias idoneo collocavit, primoque impetu incautè præcurrētes hoſtium equites fudit & avertit, quum in primo agmine nonnulli glandibus traiecti cecidiſſent, & ante alios eorum dux cum ſignifero Bartholus cognomento Florentinus, uſque adeo perturbatis reliquis, ut ea ala equitum ferme quingentorum refugiens, agmina ſagittariorum perturbaret atque proculcaret. Neque poſtea ullo in loco amplior Sardorum manus ſeſe oſtendit. Itaque claſsibus Surſanæ prædę & commeatus ingenti copia affatim repletis, Rentius ad Saxerim urbem præfecti totius inſulæ ſede, & Sardorum conventu claram acceſ-

ceſsit, & quòd præfectus munitiorem quærens locum Caralim aufugiſſet, eam urbem copijs ſuis occupavit, quo etiam appulit claſsis. Tanta verò omnis generis annonę copia reperta eſt cum frumenti & vini, tum etiam ad opima militum & remigum ſalitæ carnis & caſei, numeroſique maioris & minoris pecoris multitudo, ut multa ingluvie earum rerum paulò antè exurientia corpora morbis tentarentur, nec ſecus ac in peſtilentia accidit, magnus numerus ægrorum interiret. Nam ſupra intemperiem Sardoi cœli, quæ vel hyeme etiam erat graviſsima, ea copia cibariorum & multiplex recentium præſertim carnium eſus, deficiente pane, affectis et paratis ad mortem corporibus acceſſerat, uſq; adeo miſerabiliter, ut non modò in milites & remiges, ſed ad aliquot nobiles trierarchos ea contagioſa labes permanaret, & dimidia pars hominum abſumeretur, reliqua lethaliter langueret, & ea clades adverſo prælio maior cenſeretur. Audivi ego Auriam eius infauſtæ expeditionis conſilia explicantem, propterea in eam calamitatē claſſes incidiſſe, quòd ſicuti propoſiti prioris erat, regijque conſilij Siciliam gerendo bello invadere nequiviſſent, retardati ſcilicet longa expectatione Rentiarum copiarum, quas ille tardius quàm expediret, conſtitumque eſſet, è Liguria ad Etruriæ portus adduxiſſet, ſubindeque adverſiſsimis ventis maria clauderētur. Idcirco commeatus inopia adductos Corſicæ, ut neceſsitati parerent, oram legiſſe, atque Sardiniam apprehendiſſe, nihil hyberno tempore infamis inſulæ inclementiam reformidantes, quum æſtate ſolū & autumno Sardinia peſtilens eſſe conſueviſſet, quaſi cuncta uno tempore pro Cæſare admirabili conſpiratione propugnarent, mirumque eſſe fateretur quòd ipſorum conſilijs rectiſsima deliberatione ſuſceptis, tota ea navigatione adverſa omnia, hoſtibus verò ſecundiſsima proveniſſent. Exinde ab infami litore diſcedentes, Liburni portum tenuēre, quem antiquitus Ciceroni Labronem fuiſſe conſtat, hodieque apud incolas priſcum id nomen retinet. Inſtabat iam adventus ciconiarum prima non dubij veris ſigna afferentium, qui incidit in Idus Februarias, atq; ita aperiente ſe mari Ioannes Morus primus omnium cum ſua claſſe profectus Siculum tranſivit fretum Corcyramque pervenit, quem non multò poſt ſubſecutus eſt præfectus Landus. Gallicæ verò triremes reliquias Rentianarum cohortium ſuſtulerunt. Ipſe autem Auria ea conditione Genuam eſt reverſus, ut cum octo triremibus Aurianis Philippum Auriam propinquum legatumque ſuum cuius virtuti plurimum confidebat, non multò poſt ad Lotrechium Neapolim obſidentem mitteret. Initio autem æſtatis (ut diximus) Philippus navali prælio propè Salernum cum Vgone Moncata commiſsis claſsibus conflixit, partaque victoria Alfonſum Vaſtium & Aſcanium Columnam eo prælio captos ad Auriam perduxit. Hi pro redemptione æquum pretium pollicentes Auriam demiſsiſsimis precibus orabant, ne ſe regi Gallo ad diuturni carceris miſeriam tradere properaret. Repetebat enim eos rex multis de cauſis, quòd lege militari & ſuis auſpicijs capti tradendi cenſerentur. Sed id Auria ex privatis ſtipendij ſui conditionibus ſe facturum pernegabat, quod longè moleſtiſsimum magnanimo Regi cupidiſsimoque oſtentandæ liberalitatis atque clementiæ in captivos dolorem afferebat, uſque adeo ut iracundia correptus Auriæ reſponſa tanquam inſolentiæ & non obſcuræ avaritiæ plena contumelioſe deteſtaretur. Dicebat enim Auria nuper expetenti regi Philibertū Aurantium ab ſe mari captum & prægrandem pecuniam pollicentē li-

beraliter conceſsiſſe, neq; poſtea regem uti promiſiſſet, iuraque militiæ poſtu-
labant, pro captivo ullam omnino pecuniam rependiſſe, cumque pro acce-
pto munere aliam non reddere gratiam, quàm ut ipſum meritorum ſtipendio
rum ſpe & longa expectatione fruſtraretur. Sed Auriam ſicuti didicimus, ut
duriorem ſe æquo regijs poſtulatis, inexorabilemque præſtaret, nequaquam
pecuniæ cupiditas, ſed ingens amor erga patriam impellebat. Genuenſes
namque graviſsime conquerebantur, Savonam ſibi adimi, vetuſtiſsimoque i-
pſorum imperio ſubtrahi impotenti regis libidine, qui importuno detrimen-
toſoq; vectigalium præiudicio, portum atq; emporium ibi condere ad ſum-
mam ipſorum contumeliam ſtatuiſſet. Hoc ſiquidem publico dolore Auriam
vehementer angi Vaſtius conſpiciens, eius animum pertentare auſus, eò iam
ægrum & nutantem perpulit, ut commutata voluntate, converſoque ſtudio
repudiataque regis amicitia Cæſaris auſpicia ſequeretur, à quo certiſsima prę-
mia expectari poſſent, quæ ſpes omnes de liberalitate regis conceptas magni-
tudine honoris atq; ſtipendij ſuperarent. Clemens Pontifex cauſis Aurianæ a-
lienationis compertis per Salviatum legatũ regem amiciſsimè permonebat,
ut operam daret, ne Auria cauſam depravati animi diſceſſusque ſui nanciſci
poſſet, quod vir ille poſſeſsione maris potens omnino in officio atq; amicitia
retinendus eſſe videretur, ne ſi labeſceret atq; deficeret ad hoſtem, ſpes omnis
exploratæ prope victoriæ corrumperetur. Proinde imponendos eſſe iracun-
diæ frenos, ne publicis rebus officeret, ſi pertinacius vel iuſto dolori indul-
gendum arbitraretur. Miſit etiam Clemens ad Auriam T. Sangam ab epiſto-
lis, qui eum leniret, ne quid properè tranſigeret, hortaretur, quando perpe-
tuum eius ſtudium fideſque veteris conſtantiæ ab omnibus fœderatis exige-
retur. Cæterùm Auria quum audiſſet à Barbeſsio Gallicarum triremium prę-
fecto ſibi inſidias tendi, & ſalutem eius ad ſicarios propè deferri, opportunè
ſibi cavendum cenſuit, atque omnino Cęſaris amicitiam & militiam tanquam
uberiorem certioremque complectendam ratus, è Genua ad Erycem, quod
eſt oppidum iuxta Lunenſe promontorium poſitum, cum reliquis ſuis trire-
mibus ſe contulit, dimiſitq; ſub fide Vaſtium ad Antonium Levam, ut cum eo
communicatis conſilijs de conditionibus ageretur, quæ deferri ad Cæſarem in
Hiſpaniam deberent. Atq; ita non multò poſt Auria torquem conchyliatum,
quem honoris cauſa ab rege delatum acceperat, ad eum remiſit, ab eaq; de mo-
re cerimonia ſacramento militari ſe abſolvit. Rex enim exactis ſtipendijs ho-
minem retinere conatus, multa per Ioachinum Levantium Ligurem, quẽ Lo-
trechij iuſſu ab navali ſtatim victoria captivos à Philippo poſtulaſſe memora-
vimus, atq; item per Petrum Franciſcum Pontremulanum fruſtra egit, quum
iam ſeræ pœnitentiæ tempus incidiſſet. Per hunc modum Auria ſingulari
cum offenſione Regis, magnoque eius incommodo cum Cæſare tranſegit, &
uti diximus, cum duodecim triremibus ad Ænariam liberatos proceres Va-
ſtium & Aſcanium retulit, deletiſq; iam Gallis ad Averſam, & caſtris eorum
captis, conſectabundus Gallicas naves, Genuam eſt reverſus, eo infenſi animi
conſilio, ut Gallos urbe depelleret, neque tamen novum aut Fregoſij nominis,
cui ipſe antea enixè ſtuduiſſet, aut Adurnij, quod multis de cauſis iam pridem
odiſſe videbatur, principatum induceret, ſed ut omni externo dominatu re-
pudiato, patria inteſtinis malis diu afflicta oppreſſaque nunquam deficienti-
bus tyrannis, in libertatem ſuis auſpicijs aſſereretur. Hanc enim Genuenſes in
uni-

univerſum multis annis exoptaſſe potius quàm ſperaſſe videri poterant, quòd eorum ingenia nunquam ſatis pacata, novis ſemper ſtudeant rebus, & mutatione principatus tumultuque urbano magnopere gaudeant, parata ſemper plebe ad excitandas ſeditiones ſuopte inſtinctu, impulſuq; procerum, qui diverſas alere factiones, oſtentare potentiam, & modò his, modò illis prout repentina libido tulerit, partibus adeſſe conſueverunt. Civitas ſiquidem prioris ſeditioſi ſeculi mores ſequuta, inſano & miſerabili inſtituto non in duas uti priſcis temporibus, ſed in diverſas atq; multiplices factiones ſcindebatur. In Guelphos namque & Gibellinos diducta erat, quorum principes erant nobiliſsimæ inter Ligures familiæ patritij ordinis nuncupatæ, Spinula ſcilicet & Auria ex profeſſo Gibellinæ, & Fliſca atque Grimaldia, quæ Guelphum nomen præferebant. Vetere autem lege diu obſervata cautum erat, ne quiſquam civitatis principatu potiretur qui eſſet patritiæ gentis. Hunc enim honorem eximium populus uſurparat, ea tamen conditione ut ex his eſſet familijs, quæ Gibellinæ partis forent. Nam populus eo etiam antiquiſsimo morbo laborabat, & ſuper hunc etiam nova factione dividebatur, quod aliqui maioris claſſis quæ honeſtiſsimis atque ditiſsimis familijs conſtabat, vetuſtate numero atque potentia patritijs æquarentur. Huius claſsis principes evaſerant Adurnij atque Fregoſij, qui Gibellinæ ſtirpis cenſebantur. Hi perpetua deſcenſione à maioribus per manus traditum ſupremæ poteſtatis & imperij ex æquo decus petebant, certabantque odijs & armis, inclinante ad eos victoria, ad quos patritius ordo, & popularium amplior manus acceſsiſſet. Magna quoque ſpes principatus poſita erat in minoris claſsis ſtudio: ea enim opifices infimamq; plebē continebat, cuius erat multitudo ingens, & ad capienda arma ferendaſque ſeditiones paratior. Hæc infima populi claſsis ante viginti annos ab inſolentia, turbulentiaque ingeniorum tantum invaluit, ut ſicuti ſuo loco memoravimus, patritios tanquam ſuperbè dominantes expelleret, erectoq; popularium ſtatu à Galliæ regis, in cuius clientela erat civitas authoritate diſcederet. Qui tumultus uſque adeo gravis fuit, ut vix adventu armati regis perdomita civitate coerceri potuerit. Igitur ſub adventum Auriæ Genuenſes animos à priſtinis diſſenſionibus ad concordiam revocantes, de conſtituendo oblatę libertatis ſtatu, conſilia inire cœperunt. Multa tum ſenatorum omniſq; generis civium capita, eius damnati anni peſtilentia ſuſtulerat. Non deerant tamen in quibus vigeret ſtudium complectendæ libertatis: propterea paulò antè nunciata Gallorum clade, quæ ad Neapolim Lotrechio acciderat de abolendis veteribus factionum odijs, parandaque fideli concordia per coronas ſermones ſerere cœperunt, quos quanquam non obſcuræ rebellionis initia viderentur, Theodorus Trivultius urbi præpoſitus minimè vetabat, utpote qui Italicæ probitatis, & Chriſtianæ diſciplinæ putaret nihil pace & conſenſu civili melius, nihilque factionum, quæ ſæpe cruentæ extitiſſent, oblivione tutius atque ſalubrius. Andreas itaque iuxta urbem ei litori, quod Sarzanium vocant, cum tredecim triremibus noctu appulſus, notos ſibi cives quoſdā evocavit, roſtratarumq; ſingularum ſcaphas militibus cōplevit, iuſsitq; ut exploratum intra molem prǣcederent. Orabant cives ut nihil bellica vi tentare properaret, ne urbs fœdæ direptionis periculo obijceretur. Idcirco Philippum Auriam, Chriſtophorumq; Pallavicinū in Auriam adoptatum familiam cum manu militum miſit, qui per notos ſibi aditus urbem intrarent, & quid facto

opus foret explorarent. Interea Galli trierarchi cognito Auriæ adventu nihil ſibi moræ attulerunt, quin ſublatis ancoris ad prælium ſe compararent, & è portu in altum ſe proveherent. Eo caſu Auria ſcaphas ſuas revocat, recipit milites, & ad pugnam compoſitis armamentis procedit. Sed nox adeo obſcura erat, ut claſſes inter ſe conſpici nequirent, momentaneiſque tantùm quum tormenta incenderentur relucentibus flammis ſpectarentur. Quamobrem Auria non temerè tenebras deteſtatus, quod Gallos procurſu ſuo prælium appetere & congredi velle appareret, expectandam lucem eſſe conſtituit. Qua mora ei renunciatum eſt ab his quos miſerat, urbem eſſe in poteſtate. Nam Philippus porta arcus potitus, & Pallavicinus per Giaretam quam vocant portam iuxta navalia ingreſſus, pulſis ex itinere Gallorum excubiis in forum pervenerant, coniunctiſque viribus ipſum prætorium depulſa Helvetiorum prætoria cohorte ſine vulnere occuparunt. & quum libertatis ingeminatum nomen undique audiretur, Theodoro arce ſe tenente civitas oblita Gallici principatus libertatem complexa eſt. Inalbeſcente verò die quum ſpeculatorium navigium Auriæ renunciaſſet, duas triremes è Savona recta navigatione urbem petentes, ignaras earum rerum quæ accidiſſent, adventare, Auria ad eas opprimendas contendit. Earum altera in alto comprehenſa, alteram concitatam in littus quod Cogoretæ plagæ eſt, ſuis cathenatis remigibus plenam evadentibus propugnatoribus cœpit. Nec multò pòſt ſublato Cæſariano vexillo, quo Vgonis Moncatæ prætoria capta fuerat, ad urbem ſuburbani littoris loco, qui Malpaga vocatur, claſſem appulit, exindeque urbem in poteſtate eſſe certior factus, Gallicas duas item triremes, quas conſternati ad arma adverſus trierarchos nexi remiges occuparant, propugnatoribus ad arcem confugientibus cœpit, acclamanteque ei populo tanquam victori aſſertorique libertatis, ad paternam domum ire contendit. Ibi concionatus ad cives ſui conſilij cauſas aperuit, & ſuum erga patriam adductæ libertatis beneficium, ut agnoſcerent, conſervareque ſtuderent, admonuit. Ipſi cives præ gaudio plorantes, certatim gratias agentes, receperunt ſe fortibus animis, eo uſuros beneficio, quòd optimus civis & patronus omnium fortiſsimus præſtaret. Creatus eſt ſubinde advocato in conſilio populo conſtituendæ Reipublicæ Decemviralis magiſtratus, qui ordinaret civitatis ſtatum, atque item alter qui belli & pacis munia tractaret, quòd plerique conſcribendum exercitum cenſerent, quem deſcendenti in Pociferam vallem Franciſco Borbonio Sancti Pauli regulo opponerent. Tantùm porrò fuit in pleriſque civibus tuendæ libertatis ſtudium, ut ingentem pecuniam in ærarium liberaliter conferrent. Sed Borbonius retrò rebus deſperatis reverſus, in Galliam Ciſalpinam unde venerat facilè effecit, ut Theodorus Trivultius honeſtiſsima pactione reddita arce ſibi conſuleret, & humaniſsimè dimiſſus ad tuta Gallorum præſidia proficiſceretur. Nec multò poſt hiſdem copijs, quæ contra Borbonium cõparatę erant, Savonam in poteſtatem redegerunt, Noviumq; item oppidũ, & Vadum caſtellum, quod eſt ad Vada Sabatia, Antonij triumviri ex Mutinenſi prælio fugientis receptu clarum. Verùm multo iracundiæ ſtudio incitati Genuenſes, ut bene mulctatos Savonenſes relinquerent, in eorum portu duo magna navigia plena ingentibus ſaxis demerſerunt, ſcilicet ut victis & æmulis omnem eius portus opportunitatem adimerent, impoſita graviore etiam pœna ſi portum repurgare ullo unquam tempore tentaviſſent. Pari

quoque

quoque lætitia Caſtelleti arcem deſerentibus Gallis receptam, funditùs everterunt, ne ulla extaret arx quæ reponẽdo ſervitutis iugo vel civibus tyrannis, vel externis regibus occaſionem afferre poſſe cẽſeretur. Ferunt ipſum Auriam cohortantibus quibuſdam civium primatibus, ut dominatum civitatis quem bona ſors offerebat, ſuſcipere vellet, eius rei peramplum munus mira animi integritate atque conſtantia renuiſſe, quum diceret ſibi exactæ propè ætatis ſeni, & ſatis opulento, nullisque innixo liberis, ineptum fore principatus nomen, ſatiusque omnino eſſe & multò glorioſius, id donum patriæ dedicare, quàm inde à quoquam privato cive vel externo principe, qui ſua ope ad imperium provehi poſſet, amicitiam & gratiam promereri, quando nihil ad veram laudem uberius, vel ad dignitatem honeſtius, vel denique ad reliquæ vitæ felicitatem firmius atque ſplendidius fore iudicaret, quàm ęternæ ſuæ erga patriam munificentiæ trophæum, poſt excuſſum ipſius auſpicijs diuturnæ ſervitutis iugum, in foro memoriaque hominum, liberatæ à ſe patriæ ſtatuiſſe. Nec multo poſt populus univerſus pręclara ideoq; perenni gratiſsimorum animorum teſtificatione legem rogauit, quam decuriones cunctis ſuffragijs ſanxerunt, ut Auriæ ſtatua Coloſſeæ magnitudinis è Lunenſi marmore decerneretur, locareturque in foro, cuius baſi his verbis titulus inſcriberetur. ANDREÆ AVRIÆ CIVI OPT. FELICISS. QVE; VINDICI ATQVE AVTHORI PVBLICÆ LIBERTATIS, SENATVS POPVLVSQVE GENVENSIS POS. Paulo antequam Ligures tam varia publici ſtatus commutatione agitati, inexpectato libertatis munere pacarentur, Cæſar nutantem partium ſuarum Fortunam, novis copiarum viribus confirmandam ratus, è media Germania, Saxonumque finibus Henricum Brunſvicenſem regulum in Italiam evocavit. Hunc Brunſvici dominantem (quæ vrbs eruditioribus Germanis olim Tuliſurgium iuxta Viſurgim amnẽ poſitum fuiſſe exiſtimatur) Ferdinandus rex Cæſaris frater oblatis ſtipendijs propoſitisque vberioribus præmijs, ætate florentem & bellicæ avidum laudis facilè accenderat, ut ad quærendum novum decus domo proficiſceretur. Coegit is parvo temporis ſpatio validiſsimas peditum legiones duas, armatorumque equitum ingentem manum, deſcenditque Tridentinis alpibus iuſto tormentorum apparatu inſtructus, ſecum adducens carros vehiculaq; Germanici generis, quibus non modo commeatus magnam vim, ſed clybanos etiã minorum inſtar furnorum convehebat, ut Cererem expeditè vel in hoſtili ſolo percoquere atque inde ſe alere exercitus poſſet. Ad famam Henrici deſcendentis, Veneti de ſalute oppidorum ac urbium ſuarum ſoliciti, continuo Feltrium imperatorem ſuum, qui amiſſam ferendæ opis occaſionem, quam Clemens in arce obſeſſus fruſtra expectaſſet, in Piceno atque Vmbria conſederat, revocandum cenſuerunt, ut eo Germanis oppoſito ſuæ ditionis fines ab iniuria defenderent. Sed is peritus belli, neque Germanicæ virtutis ignarus, ſuaſit ſenatui, ut vitãdum omnino validi hoſtis impetum decerneret, nullum pugnæ diſcrimen ſubiret, & ſuas tantùm urbes atque oppida confirmata præſidijs tuerentur, quando ipſe neque Italicis peditibus campeſtri in pugna confideret, adverſus præſertim eas gentes quæ ab ſtatario ordine acierum inſuperabiles viderentur: neq; levis ipſorum armatura equeſtris niſi temere committenda foret Germanis equitibus, qui eſſent cataphracti robuſtorumque equorum conſtantia atque impetu maximè valerent. Itaq; eas quoque copias quę Sfortianis

coniunctæ cum Antonio Leva bellum ad Mediolanum gerebant, trans Abduam revocavit, validoq; præſertim pręſidio urbem Bergomum permunivit, quòd fama eſſet illac hoſtes tranſituros tanquam Bergomatium prædę inhiantes. Antonius porrò Leva cognito Brunſuici adventu Abduam traiecit, atque unà colloquutus, eum multis de cauſis ad oppugnãdum Laudem Pompeiam perduxit. Ea enim urbs quæ prima omnium eo bello à Cæſarianis defeciſſet, Sfortiæ detrahenda iudicabatur. Nam Leva captum à Lotrechio Ticinum ignavia Veneti, Sfortianiq; præſidij cui præerant Petrus Longena Brixianus, & Annibal Picenardus Cremonenſis peſsimè poſtea cuſtoditum, inopinata hoſtis invaſione receperat, ita ut eã regionẽ quę eſt inter Ticinum & Abduam prædabundi Cæſariani impunè percurrerent. Quibus rerũ periculis ex novi hoſtis adventu cumulatis Sfortia Brixiam ſuadentibus Venetis ſe recepit, Paulumq; Sfortiam ex patre Ludovico germanum fratrem præſtanti virtute virum Laudi Pompeiæ præſidio impoſuit, confirmatum aliquot Sfortiani nominis cohortium præfectis longè fortiſsimis. Brunſuicus Brixianum & Bergomatem agros effuſè populatus, & ſævis etiam incendijs bellum gerens, deducẽte Antonio Leva Laudem Pompeiam ſuperato Abdua pervenit, admotisq; tormentis oppugnare cõſtituit: quoniam Paulus Sfortia depoſcenti Antonio Levæ, ut urbem Cæſari per inſidias ereptam continuò redderet, niſi cuncta aſpera & ſæva experiri vellet, generoſe reſpondebat ſe à fratre legitimo urbis principe cuſtodiæ impoſitum, neque fidem, neq; ſpem de virtute ſua conceptam fallere decreviſſe, neq; his terriculis & minis terreri, quibus ipſe Leva quominus acriter ſtrenueq; Ticinum adverſus Gallũ regem defenderet, minimè ſuccubuiſſet. Itaq; uti luberet mœnia tentarent, ſperare enim urbem Dei maximi, divorumq; qui iuſtæ cauſæ nunquã deeſſent, beneficio & virtute militum ſuorũ proſperè poſſe defendi. Nec multo pòſt explorato urbis ſitu duobus in locis, quibus mœnia infirmiſsima viſebãtur, triduò perpetua quaſſatione murum perforavit, ſtravitq; ſummam pinnarum coronam, uſq; adeo lato hiatu edito, ut facilè invadi urbem, & capi poſſe promptiſsimi Hiſpanorũ iactarent. Brunſuicus enim Germanis tanquã parum ad id munus expeditis, primũ prælij decus Hiſpanis conceſſerat. Neq; defuit alacritas atq; audacia ingens commendante Leva Hiſpanorum cohortibus, quæ primę Remiro duce ſubire murum cœperunt. Ii per arduum & acclivem mœnium aggerem conſcendentes ſcuta prætendebant. Sed Sfortiani crebra glandium procella appropinquantes & ſubeuntes primò perfuderunt, occiſisq; aliquot ſigniferis, qui intrare per ruinas auſi fuerant, lanceis & alabardis pulſos in foſſam cruento impulſu præcipites deturbabant, ſicut præ timore incommodoq; accepto inſtaurare prælium dubitarent, quanquam eos Antonius ignaviam increpitans, ut animos reſumerent, rurſusq; irrumperent, vehementer adhortaretur: Brunſuicus verò ut deſinerent iniquiſsimo loco pugnam ciere Levam admoneret. Atq; ita Antonius receptui cecinit, quũ occulto dolore angeretur, quòd viri fortiſsimi aut cecidiſſent in foſſa, aut lethiferis vulneribus debilitati ſibi detraherentur, quorum deſiderio extenuari ſua præſidia, & difficiliorem defendendi Mediolani facultatem ſibi futuram proſpiceret. Paulus depulſo fortiter periculo pro concione milites laudavit, honeſtavitq; muneribus eos præfectos, qui in muro & periculoſa ea cõtentione ſingulari promptitudine dimicaſſent. Fuêre hi Baptiſta cognomẽto Mactus & Mannara ambo Cremonen-

ſes,

ſes, Pelacanes item Bononienſis. Henricus qui eo cõſilio in Italiam veniſſe meminerat, ut ad ferendam obſeſsis opem Neapolim contenderet, poſtquam initia cœptæ oppugnationis adverſa funeſtaque provenerant, nec inſtaurato apparatu munitiſsima urbs iterum tentanda videretur, conſilij inops, circa Mediolanum æſtivare, novaque belli ratione Cæſari operam præſtare cogitavit, quòd eadem à Mediolanenſibus quæ Antonius imperare atque exigere conſueſſet, gratuita alimenta atque ſtipendia ſe conſecuturum confideret. Id veritus Antonius aſtutà ſimulatione Germano Italicarum rerum ignaro facilè perſuaſit, ut id conſilium abijceret, & in Germaniam omnino redeundum arbitraretur, quoniã peſtilentia valde atrox iam in legiones Germanicas graſſari cœpiſſet. Nam eo infami anno peſtilentis morbi lues diffuſa per omnes Italiæ regiones tertiam ferè mortalium partem abſumpſiſſe ferebatur, deficienteq; paſſim annona quæ immenſo pretio cunctis in urbibus creviſſet, multi inopesq; præſertim inſolitis utentes cibis, contracta tabe ſenſim interirent. Qua de cauſa Germani vel ſua conſuetudine peſtilentiæ periculo contemnere ſoliti, conſpectis ſuorum funeribus, mortem ita timere cœperant, ut ſtipendiorum certa ſpe deſtituti, ac urgentis inediæ metu adducti, peroſique externum tanquam inſalubre cœlum, manipulatim domum redire properarent. Neq; enim petere Neapolim aut tutò proficiſci ſe poſſe providebant, quum per infeſta hoſtium itinera eſſet tranſeundum, vel ſi in Etruriam aut per Togatam Galliam iter haberent, quando hinc Florentinos, illinc verò Ferrarienſes Æmiliam attingentes viam pro infenſiſsimis hoſtibus habituri dicerentur, appareretque ipſum Sancti Pauli regulum qui cum novo Gallorum exercitu nuper in Italiam deſcendiſſet, occaſionem minimè prætermiſſurum, quin iunctis cum Feltrio copijs proficiſcentium veſtigijs inſiſteret, et iniquo aliquo eius tam longi itineris loco, grave detrimentũ noviſsimis inferret. Hæc Antonius ſuo præditus aſtu prolixe & libentiſsimè diſſerebat, utpote qui collegam præpotentẽ ſibi adſciſcere nollet, ne enervatam opibus Inſubrum civitatem, magno ſuo incommodo delendam truculentiæ Germanorum volens traderet. Ferunt Henricum graviſsimè de malignitate Antonij apud ſuos conqueſtum, quòd importunis perverſisq; eius conſilijs ſe deceptum fuiſſe prædicaret, quibus ab inſtituto itinere petendę Neapolis retractus totum munus ſibi ex conſilio Cæſaris impoſitum, quũ tempus appeteret, obire nequiviſſet, atq; ita iratum cõſternato animo per Rheticas alpes Larium lacum et Griſonũ fines in Germaniã rediſſe, magna parte bellici apparatus quẽ attulerat relicta, et multis equis parvo pretio divenditis, quòd pleriq; eorum pręgrandium & graviũ, attritis ungulis intumeſcentibusq; talis debilitati claudicarẽt. At Philibertus Aurantius nõ ſine certo numine Gallis adverſo tanta potitus victoria, primum omnium ſevera lege præſcripta, citatos nec comparentes proceres qui rebellaſſent, aut dubiæ fidei indicia præbuiſſent, erecto tribunali condemnavit, bonaque eorum, edito in milites ingenti donativo profusè diſtribuit, ea ratione ut ex merito ſpectatæ virtutis, pro dignitate ducum & præfectorum, redacta in fiſcum oppida benemeritis adiudicaret. Ipſe contentus Aſculo Apula urbe, Montis ſacri oppidũ quod in Samnio Vincentius Caraffa poſſederat, Vaſtio attribuit: Ferdinando Gonzagæ Arrianum. T. Caraffæ exulis oppidum, Alarconi Cæcilianæ vallis quæ in Prætutinis eſt oppida, quæ Camilli Pardi fuerant, addixit. Turmarum verò pręfectis, & ſingulis propè pedeſtris ordinis centurionibus atque ſi-

gniferis Aquilanorum caſtella largitus eſt, & in his Epirotarum præfecto nomine Saccalo Nauplienſi, qui Navarrum ceperat, caſtellum in Salentinis dono dedit, Philippoq; Belgæ Caroli Lanoij filio, Venafrum, quod Ferdinandi Pandonij fuerat: Beurioq; item Belgę Quadratam in Apulia, quæ Aquinatis familiæ reguli fuerat, conceſsit. quam largitionem eo animo ratam habuit Cęſar, ut Aurantium ea deſignatione prgoccupaſſe ſuæ liberalitatis decus quereretur, eumq; ex alieno facilè immodicum largitorem extitiſſe diceret. Cæterũ magna vis pecuniæ ab his extorta eſt, qui nutaſſe in fide, afflatiq; defectionis ſuſpicione, paratis in eam rem delatoribus accuſarentur. Cuius claſsis fuére Ferdinandus Vrſinus Gravinæ regulus, & Bonifacius Oriæ oppidi in Salentinis dominus, Dragoneti lepidiſsimi poetæ pater antiquæ ſimplicitatis ſenex: Boviani autem & Venafri regulo, & Federico Gaetano, qui intempeſtivè nihil de Lotrechij victoria dubitantes arma ceperant, & cum his Altomari Averſano civi, in foro cervices abſciſſæ ſunt. Incredibile dictu eſt quantam pecuniæ vim ex varijs criminationibus eo anno fiſcus acceperit, in eam rem ſeveræ inquiſitionis diligentiam exercente Hieronymo Morono, quem pro captivo a Borbonio Romam perductum, in liberando Pontifice tam piam quam neceſſariam efficacis conſilij operam prꝗſtitiſſe memoravimus. Non toto vertente biennio ab Vrbe capta, quo Genuenſes toties mutato rerum ſtatu libertatem præſtantiſsimo Auriæ civis munere receperunt, & Brunſuicus rebus infectis in Germaniam eſt reverſus, Lotrechianæque demum copiæ accedente peſtilentia deletæ ſunt, novum in Apulia bellum exarſit, Venetis (uti ſuprà diximus) urbes priſtini ſui imperij rèpetentibus: & nonnullis Gallicæ factionis ducibus ſeſe his in belli ſocietatem aggregantibus. Nam ut memoravimus à Veneta claſſe Monopoli capta undique milites confluebant, & tum Camillus Vrſinus, quem à Troia in Apuliam a legato Veneto miſſum fuiſſe conſtat, coactis circiter quatuor milibus hominum Manfredoniam obſidebat, quam Cæſariani nominis cohortes duce Petro Aloyſio Farneſio tuebantur. Cum Farneſio autem aderant cohortes præter ſuas peculiares nonnullæ etiam aliæ quæ Petri Mariæ Ruſsij atque Alexandri Vitellij abſentium vexilla ſequebantur. Hi namq; poſt deſperatas Pontificias res impetrata miſsione Cæſarianis adhæſerunt, iuſſuq; Aurantij Farneſio ſe coniunxerant, qui ab initio ſecutus Cæſaris nomen cladi Vrbis interfuerat. Gerebãt Ruſsij atq; Vitellij vices duo peditum præfecti, Carlottus Parmenſis cognomento Eques, & Alexius Laſcares vir Græcus, quibus uno conſenſu urbem defendentibus fruſtrà Camillus oppugnare atq; obſidere contendebat: quanquam turrim caſtris ſuis infeſtam, quę erat extra urbem, igne cuniculis ſuppoſito, totam ferè cum clade defenſorum, ſuisq; aliquot incendiarijs artificibus exſcidiſſet. Erumpebant Cæſariani omnibus propè horis, & cum Venetis quotidiana exercitatione dimicabant iniqua conditione, quòd Veneti multitudine equitum valerent, atque ex occaſione ad cohibendas eruptiones, triremes obverſis in litus prioris in erumpentes hoſtes tormenta conijcere conſueſſent. Eo tempore Veneti terra mariq; impigre bellum gerebant. nam præter claſſem quæ magno ſibi uſui & terreſtribus copijs erat, mirifica etiam Græcorum equitum opera utebantur, qui non ſolũ circa Manfredoniam, ſed tota quoq; Apulia & in Salentinis, Gallicis admixti copijs volitabant. Conduxerant namque fortiſsimorum hominum turmas, qui exoſi Turcarum iugum è Peloponneſo reliquaq; Græcia invitati

vitati

vitati ſtipendijs in Italiam tranſire cœperant. In his fuere, quorum nomina ſilentio minimè prętermittenda duximus, ut pręclare conſtet nō omnino exoluiſſe equeſtris militiæ diſciplinā tātopere apud eas gentes antiquis ſcriptorib. celebratam, Demetrius Maureſsius Ætolus, & Ioannes Palæologus Byzantius, duoque item Spartani Nicolaus Rhalla, & Emanuel Cladaus, & è Nauplio Petrus Froſsina, eo genitus Theodoro quem Brixiæ cecidiſſe docuimus, Ioannes quoque Coroneus cognomento Vaſco, & è Zacyntho Luſius dignitate equeſtri, Theodorusque Rhenes Epidaurius, ut Cæſarianos hoc loco minimè nominemus, apud quos militare liquet inclytæ virtutis duces, Theodorum Buccalum Lacedæmonium, Demetrium Capuzzimadium è Nauplio & Zucerum Epirotica ortū ſtirpe, Megalopolitanū civē, quæ urbs hodie Londarium vocatur in centro Peloponneſi, loco valde campeſtri poſita. Sed apud Venetæ militiæ Græcos à multis ſtipendijs præclaraque laude ſupra cæteros eminebat Georgius Boſichius, eo Dominico qui Patavino bello longè clariſſimus fuit, genitus: Simon quoque Romanus qui in Brutijs ab initio profectus eius regionis populos ad defectionem compulerat, magnasque res geſturus videbatur, poſtremo ad Montem Aureum non procul à Coſentia à Pignatello Borellio acie ſuperatus, per Lucaniam in Apuliam pervenerat, & auctus cōpijs quas ad eum Federicus Caraffa perducere ſerò fuerat conatus, Barolum ingreſſus, bellum Cæſarianis inferre cœperat. Quibus nuncijs permotus Aurantius ut Apulię rebus opem ferret, Ferdinandum Gonzagam cum dimidia parte equitatus, qui Quadratæ conſiſteret, in Apuliam miſit. Reliqua enim pors hyematum circa Aquilam dimiſſa fuerat. Camillus quoque Vrſinus de Lotrechij obitu certior factus deſperata expugnatione Manfredonię, cum ſuis copijs Tranium occupavit, propenſiſsima Traneuſium uſus voluntate, qui à memoria priſtini Venetorum imperij moderatum graviſsimæ gentis dominatum expetebant. Ex adverſo Borellius Simonem Romanum ab ſe in Brutijs fuſum, & Federicum Caraffam in Hpuliam ſe recipientes perſecutus, cum his quas habebat copijs apud Andriam poſuit caſtra, tumultuarijsq; excurſionibus cum Cæſarianis iunctus bellum gerere cœpit, iniqua conditione: quoniam eius equites magna ex parte Siculi, ineptis atque veteribus armis inſtructi & planè rudes, nequaquam Epirotis equitibus, arte ſua per gyros hoſtem eludere ſolitis, pares evadebant. Quo mirifico equitatu fretus Simon cum Federico Aufidum tranſgreſſus incurſionem faciens repentinam in regiones Canuſio & Cerenniolæ, quæ Caſtellum Geryonis olim fuit, ſubiectas, magnam utriuſque pecoris prædam abduxit, initoque cum veteribus præfectis conſilio de munienda urbe cogitavit. Sub id quoq; tempus Rentius Ceres, qui uti memoravimus circa Aquilam, Piceniq; fines cohortes coegerat, ut opem Lotrechio laturus Neapolim ire maturaret, audita Lotrechij morte deſperatisq; partiū rebus, cum his quas habebat copijs (nam magna pars militū fuerat dilapſa) ad mare deſcendens, & ad Senogalliam naves nactus in Apuliam pervenit, & quod reliqui ante eum duces ſtatuerant, muniendæ urbis Baroli conſilium ſuſcepit, tanta cura, tantaq; ſævitia, ut eam urbem dirutis omnibus ad unum ſuburbanis ædificijs, evaſtatisque civium poſſeſsionibus atq; delitijs, nec delubris ſacroſanctis, veteribusq; cœnobijs parcens, luctuoſum in modum deformaret, tanquam longè omnium graviſsima obſidio expectanda putaretur. Hiſdem ferè diebus Landus qui è Campania in Hadriaticum mare redierat, coniuncto

ſibi Ioanne Moro, Ionij ſinus præfecto, tota claſſe admota Melfictam urbem fortiter expugnauit, quum à terra uno tempore Simon Romanus & Federicus Caraffa ſuas copias admoviſſent. Muralis verò coronæ decus ad Dominicum Bembum nobilem trierarchum pervenit, qui per antennas muro appoſitas, primus pinnas apprehēderat. Federicus autem Caraffa, qui refrigerādi cauſa æſtuans galeam fortè detraxerat, lapide caput ictus occubuit. His de Cauſis Aurantius, quòd in Apuliam hoſtium copias augeri, inſigniq́ue claſsis beneficio bellum in Salentinos etiam extendi providebat, aperiente ſe anno maioribus viribus bellum gerendum conficiendumq; eſſe iudicans, novos duces ſuis ſubſidio miſit, Alarconemq́ue præſertim qui Borellio lethali febre abſumpto ſucceſſerat, ipſumq́ue Vaſtium cum tota mole peditatus, apparatuq́ue tormētorum, ut Monopolim oppugnaret. Qua re proviſa Camillus eductis Barolo lectiſsimis militum ſuorum, atq; his triremib. impoſitis, Monopolim eſt profectus, magnisq; operibus, atq; omni telorum genere ita ſe permunivit, ut Vaſtij impetum, cuniculis murum ſubruere conantis, aliquandiu ludificatus irrito incœpto abſcedere cogeret, quū ibi iuxta eum magno periculo Pomponius cubicularius tormēto fuiſſet interfectus, ita ut cruento diſcerpti eius viſcere Vaſtius conſpergeretur, & Mendanius Hiſpanus cohortis pręfectus, glande frontem penetrante occubuiſſet. Is ille eſt Mendanius qui ſub arce Molis Hadriani vetulam olitoris uxorem impijs manibus laqueo pro ianua ſuſpendit, quòd illa expetenti Pontifici binas lactucas in foſſam opera pueri funiculo alligandas, & ſurſum extrahendas proieciſſet, ſic ut deteſtabili eius ſuſpendij ſpectaculo, proſpectantis Pontificis oculi graviſsimè per ſex dies offenderentur, illeq; iuſta indignatione permotus, hominem uſque adeo impium execratus, pari ſupplicio devoveret. Cæterùm eius Apuli belli nulla re præclarè geſta memorabili, quòd latrocinijs & excurſionibus, vaſtationeq́ue urbium utrinque certaretur, eum habuit exitum, ut pace inter Cæſarem & Franciſcum regem confecta finiretur. Nam rex in eam curā totus incumbens, ut liberos quos obſides dederat, redimeret, cunctas ſociorum rationes, ſuæ rei memor, atq; alienæ oblitus neglexerat, Cæſarq; petendæ Italiæ cupidiſsimus, ut de more ſicuti obtulerat pontifex, honore diadematis ornaretur, facilè obſides ab ſe redimi paſſus eſt, quum ei ducentæ aureæ monetæ miriades pro redemptione numerarentur. Hac pace vel muliebribus ingenijs tractata atq; confecta, nihil regi felicius, ſocijs verò fœderatis moleſtius atq; damnoſius fuit. Nam hoc fœdere cū Veneti, tum Florentini facile ſunt prætermiſsi, qui non ſine calumnia Gallorū eo pacis beneficio nihil adiuti, ſed magnoperè iniuria affecti, de fluxa fide regis conquerebantur, qui tametſi pudoris plenus eam duarū civitatū offenſionē in fœminas tanq̃ pacis avidiores reijceret, atq; eas iniquè deſerere videretur, quibus tamen poterat verbis humaniſsimè ſolabatur. Ludovica namq; mater regis cum Heleonora regina nuru in Belgarum fines ad Cameracū contenderat, ut ibi celebri conventu habito cum Margarita Cæſaris amita de pacis conditionib. ex arbitrio excluſa omni vel legatorum externorum, vel iureconſultorum diſceptatione ſtatuerent, adeo occultatis conſilijs, ut Balthaſar Carduccius veſano propè ſermone reipub. ſuæ dignitatem atq; ſalutem iniquè proditam quereretur, & Veneti non obſcuræ ſuſpicarentur, ea de cauſa id percuſſum eſſe fœdus, ut ipſi urbibus quas recepiſſent in Apulia decedere cogerentur. Qua in re Nicolaus Campanus antiſtes Cæſarem monuiſſe ferebatur, ut quæ armis non fa-

cilè

cilè recepi poſſent, eius æquiſsimi fœderis beneficio recuperanda cenſeret, ſatagente in eam rem Clemēte Pontifice, qui Rhavennā & Cerviam ſibi ereptas aliquādo ex illa cōſpiratione duorum regū, ſibi repetendas arbitrabatur. Itaq; ad pacis confectæ nuncium Gallicarū partium duces Apulię urbes tradiderūt, ultimusq; omnium eo bello Romanus Simon tormēto eſt interfectus, quum Brundulinam arcem oppugnare pararet, & ſe incautius ſpeculabundus hoſtibus obieciſſet, Veneti tñ aliquando tardius ſua præſidia deduxerunt. Accidit autem ut his propè diebus in agro Inſubrū, ſancti Pauli Regulus ab Antonio Leva acie funderetur, et caperetur; quo nūcio Franciſcum regē apparuit opportunè pacē petiviſſe, quū eam omnino deteriorē accepturus videretur, ſi Cæſariani de Antonij Levę victoria tempeſtiuè divinaſſent. Hic Sanctopaulus Borbonius non multum efficax aut felix dux, iam unum atque alterum annum in Gallia Ciſalpina tranſegerat, incenſusque odio in Ligures qui ab rege defeciſſent, fruſtra bellum inferre fuerat conatus, atque item inſidias Auriæ tetenderat, quum eius domum nocturna incurſione occupari, & diripi, quòd eſſet extra urbis portam per Valacercam agreſtium hominum cohortis ducem iuſsiſſet. Sed Auria domi non repertus facilè periculum vitavit, neq; poſtea extra urbem in ea villa ſine præſidio atque excubijs pernoctavit. Itaque Galli ſeſe cum Venetis Sfortianis copijs coniunxerunt, ut Antonium Levam arctius obſiderent, egregiaq; ſimulatione ſpeciem præbentes invadendi Mediolani, Ticinū continuo deflexerunt, quòd ibi non multum validas in præſidio copias eſſe didiciſſent. Quorum profectione cognita Antonius parvo temporis ſpatio deceptus, uti cupiebat, Ticinenſibus opem ferre non potuit. Erant in præſidio Petrus Biragus Inſuber æquè ſtrenuus & nobilis equitum præfectus, & Petrus Botticella patritius Ticinenſis, Apontesque Hiſpanus, cuius virtuti Antonius multum tribuere erat ſolitus. Hi circiter duo milia hominum partim Italici & Hiſpanici, partim germanici generis coegerant, quibus addebantur promptiſsimi quique Ticinenſium, qui pro patria ſupremum virtutis conatū edere decreverant. Sed bipartita oppugnatione, quum Galli paulo infra Perticariam portam oppugnare adorti eſſent, Feltrius ſumma feliciq́ue induſtria traductis ultra Ticinum maioribus tormentis, intercedente amne navalia quatere cœpit. Nam ab ea parte mœnium angulus prominebat, qui defenſores in corona conſtitutos protegere videbatur, quo angulo celeriter decuſſo latera propugnatorum momento temporis nudata ſunt, ſic ut pilis coronam per longitudinem detergentibus, in muro conſiſteret nemo, qui ſubeuntes hoſtes detruderet. Magno namque conatu Gallos ſimul & Feltrianos atque Sfortianos, ut ſubirent & irrumperent ingens cadentis muri ruina invitabat, nec propugnatores, vel multis cadentib. retardabantur, quin pari conſtantia dimicarent. Verùm Birago & Botticella cadentibus, & defenſorib. eorum morte perculſis, vis irruentium diu ſuſtineri non potuit. Atq; ita Aponte ipſo cum expeditis Hiſpanis & Germanis in arcem ſe recipiente, urbs non multa cæde capta eſt. Nam quum ſe reciperent Germani, atque hoſtes obvertentibus nonnunquam ora, & repugnantibus inſtarent, toto ſpatio per regiones urbis uſq; ad arcem atrociter eſt dimicatum, ſic ut hæc nobiliſsima Longobardorum regum olim regia, & nulli in Italia urbium fœcunditate agri, & opportunitate amnium, ædificiorū magnificentia inferior, accumulatis tot cladibus, funditùs propè everſa cenſeretur. Hac expugnatione Feltrius ſingularē peritiæ militaris

& efficacis induſtriæ laudem omnium iudicio adeptus eſt, quòd opportunè tranſvectis ultra Ticinum tormentis hoſtes decepiſſet, & ſecus quàm illi credidiſſent, ex obliquo murum feriens latum ad irruptionem ſuorum aditum patefeciſſet. Ea die tamen nonnullos viros fortes amiſit, & in his Paulum Manfronum inclyti nominis equitum pręfectum, qui quũ eſſet octogenarius & indomito corporis vigore frueretur, nunquam à militiæ laboribus atque periculis diſceſſerat. Malateſta quoq; Ceſennas nobiliſsimæ ſtirpis dum circa vineas verſaretur, glande caput ictus occubuit. Quo pacto autem hic Franciſcus Borbonius cognomento ſancti Pauli Regulus in Antonij Levæ poteſtatem devenerit, operæ prætiũ eſſe reor paucis enarrare. Igitur per id tẽpus quo Andreas Auria à ſtipendijs atque amicitia Franciſci regis diſcedens, atque obiter ſe Cæſari applicans, cum incomparabili veræ laudis pręconio patriam in libertatem aſſeruit, Borbonius quod eius facti contumelia, detrimentoque regem ipſum vehementer angi perſpiceret, totus gravi incenſus odio in Auriam & Genuenſes demiſsis in Pociſeram vallem copijs ferebatur. Sed poſtquam ut ſuprà diximus, inſidiæ nihil proceſſerant, & Genuenſes opinione ſua diligentiores paratioresque reperiſſet, retro Alexandriam ſe recepit, captaq; Mortaria, & pulſis Novaria Cæſarianis, cum Venetis & Sfortianis copijs ſe coniunxit, eo conſilio ut novis auxilijs (erant ea peditum duorum circiter milium Hiſpanorum quæ à Barchinone in Italiam pervenerant) iter præcideret. Cæſar enim quòd urbs Genua Gallis eſſet detracta magnopere gaviſus, Genuenſes fovendos ſublevandosque opibus atque auxilijs exiſtimabat, quòd Gallo hoſti ereptam Liguſtici maris navigationem ſuo inſigni commodo provideret. Verùm Genuenſes ea Hiſpanorum auxilia decedente iam periculo in urbem minimè ſuſcipienda cenſuerunt, quando ſibi ſatis præſidij in concordia civium foreputarent, & externa, eiusque præſertim gentis præſidia, odiſſent. Erant hi tirones à fœda corporum illuvie, & longa maris nauſea, deforme militum genus, utpote qui eſſent dudum neceſſario potius quàm accurato delectu conſcripti, magna ex parte non inermes modò, ſed propemodum nudi, ut qui vili pulláque tunica, & carbatinis ſparteisque calciamentis uterentur. Hos milites poſtquam non recipiebantur a Liguribus, Antonius Leva miſſo ad eos Ludovico Balbiano, ad ſe perducendos curavit. Hic enim ſuperiore anno Ticini captus & Genuæ aliquandiu in arce cuſtoditus, Gallorum manus evaſerat. Is uti erat vir impiger, quum eas copias recto itinere perducere non poſſet, ne hoſtibus facilè delendas obijceret, eas per tranſverſos Apennini tramites, aſperrimaſque valles difficili ærumnoſoque itinere in Placentinorum fines perduxit. Nam hoſtiles copiæ inter Padum & Apenninũ conſtiterant, ut tranſire auſos circa Derthonam & vicum Iriæ invaderent, tranſituque prohiberent. In adverſo autem Apennini latere deſcendentibus pacata amicaque omnia proponebantur, quòd eæ regionis Pontificiæ eſſent ditionis. Cæterùm Balbianus tertiam ferè partem ſuorum, ſævitia montanorum Ligurum abrupti eius itineris ſaltus inſidentium amiſit. In feſſos ſiquidem & fame propè enectos è ſuperioribus locis tranſeuntes ſagittas & iacula ſuo more ſcutati iaciebant, & quum hæ deficerent, ingentia ſaxa obruendis Hiſpanis provolvebant, tanta locorum & armorum iniquitate, ut Hiſpanorum acervi profundis in vallibus præcipites dati ſpectarentur, & paſsim quòd eripi nequirent, à ſocijs deſererentur. Induerant ſiquidem Ligures ſæva odia in Hiſpanicum nomẽ, quòd ab his

Genuam Liguriæ caput rapaciſsimè direptam meminiſſent. His ſuperatis difficultatibus opportuneque deceptis hoſtibus Balbianus paulo infra confluentes Padum et Ticinum contra oppidum ſuum, cui Bello Iocoſoque nomē eſt, lintribus copias traiecit, eamq; manum inſperato incolumem Antonius Mediolani recreandam veſtiendamque ſuſcepit. Is tironum Hiſpanorum adventus, Inſubrum calamitates accumulavit: nam præterquam quòd & ſtipendia præberi, & domi liberaliter alere veteres Germanos atq; Hiſpanos cogebãtur, tirones etiã ſeminudos, et ab extrema inedia famelicos ſuis larib. accipere, et domeſticis copijs tueri oportebat. Hæc longè graviſsima civibus, Antonius ut militi præſtaret, diræ cladis vectigal excogitarat, quo omnium pecunias abraderet, & ſingularum familiarum fortunas everteret. Severo namque edicto vir imperioſus & ſævus, a quoquam cive cererem coqui vetuerat, quum venalis tantum panis ederetur, conſtitutis eius monopolij tabernis, unde eſuriētes magno pretio panem coemerent, tanta edicti atrocitate, ut plerique inopes laquei metu fame paſsim interirent. Molendi utique tritici percoquendique panis vetantes leges, pavidum vulgus perhorrebat, ita ut Antonius clariſsimam paulo ante atque opulentiſsimam Italiæ civitatem, importato ingenti luctu, longe omnium miſerrimam redderet. Tanta ſcilicet acerbitate atque ſævitia crudeliſsimè legis authoritatem tuebatur, ut vel ab egentibus mulierculis, quæ deſiderio panis ſubcinericias conficerent offulas, & in ſartagine placentas oleo ſuffrixiſſent, contuſoque in pila tritico farinam exprimere conarentur, prægraves pœnas exigeret, ſic ut non infacete quanquam amariſsimè Marcus Antonius Canicula quæſtorij ordinis civis, in corona diceret, peramplam uti reor cives hic noſter Antonius à Cæſare gratiã proculdubio referet, quando ei ſupra tot clara cognomina ſummæ maieſtatis, novæ nobilitatis ergo, Furnarij titulum adiecerit. Nam & tabernæ furnariæ & venales panes Cæſareæ aquilæ nota ſignati, vulgo imperiales vocabantur. Verùm neque Antonius neque Cæſar ipſe ab ea execrabili divinarum atque humanarum rerum labe, fideliumque Inſubrum miſerijs, ullam omnino infamiam ad ſe redituram putabant, modò opes ſuas adverſus conſpirantium hoſtium potentiam confirmarent. Quando neque Antonius deformatæ urbis aſpectu commoveretur, neque Cæſaris abſentis molliri animus, tot in Hiſpaniam fruſtra miſsis legatis, ut miſerijs finem imponi iuberet, ad miſericordiam flecti potuiſſet, utpote qui alieno potius cum luctu eo bello victor evadere, quàm inanis clementiæ laude potiri vellet. Quibus rebus fiebat, ut Antonius ſtudio militum firmior factus, & numero eorum auctior, quando illis cuncta ad prædam obijceret, hoſtes facilè contemnebat. Nam neque Venetus imperator, ita operam exigente ſenatu, pugnax erat, ut qui periclitari vires nollet (tenues autem erant Sfortianę copiæ) neque apud Borbonium aut firmæ vires, aut expedita conſilia videbantur. Quibus vim admovere vel coniuncti caſtris, & cominus congredi auderent. Itaque communicatis conſilijs, & abiecta oppugnandi Mediolani cogitatione, optimum factu cenſuerũt, ut hoc modo Antonius lenta & longinqua belli ratione obſideretur. Feltrius in vetera ſua caſtra concedens ad Caſsianum ſupra Abduam, ubi amne ponte conſtrato ex Veneta regione commeatibus & copijs iuvari poſſet, id ſe præſtiturum pollicebatur, ne quicquam per Martianam regionem, quę erat refertiſsima omnib. rerum copijs, ad obſeſſos importaretur. A diverſa verò parte Borbonius ad Abiatum cõſiſteret, omnesq; inde

quæ ſubvehi Ticini emiſſario poſſent, commeatus interciperet. Sperabant enim hoſtes poſtquam vi ſubigi non poterant, diuturnæ obſidionis incommodis minime ſuffecturos. His conſtitutis apud Landrianum vicum, qui eſt ad decimum lapidem ab urbe, Feltrius caſtra movens, ſigna ad Caſsianum dirigi iuſsit, Borbonium admonens, ut pari digreſſu ad Abiatum iter intenderet. Sed Borbonius inclinante die nequaquam moturum caſtra, ſed poſtridie Ticinum ſe iturum dixit, quòd ibi graviora quędam tormenta, impedimentaque deponere ſtatuiſſet. At Leva qui diligentiſsimè in eam excubabat curam, ut ex occaſione alicunde hoſtibus noceretur, ubi didicit Feltrium conclamatis vaſis a Borbonio diſceſsiſſe, ſuſpicatus id futurum, quod uſu evenit, ut Galli nequaquam maturè proficiſcerentur, præfectos omnes advocavit, inſtructiſque militibus, paratos ad profectionem de ſecunda vigilia ſibi adeſſe iuſsit, cohortatuſque eos ut alacri ſtudio ſecum expeditionem ſuſciperent, pollicitus eſt poſt exortum ſolem victos eis ad prædam Gallos ſe daturum. Quòd ſi, inquit, ut non planè reor, feſtinantius effugerint, poſtremum certè eorum agmen certiſſimæ prædæ vobis cedet. Milites ſublata voce reſponderunt, ut fortia conſilia digna ſuperioribus victorijs ingenti animo agitare pergeret, ſe namque quod imperaſſet periculoſæ profectionis dubiæque aleæ munus alacribus & impavidis animis eſſe ſubituros. Nec mora, quanquam ipſe cunctis propè membris articulorum dolore caperetur, fulgentia arma induit, pręmittit equitatum, duplicique inſtructa acie, hinc Germanis, illinc Hiſpanis latera cingentibus, Italicis verò cohortibus tormentorum præſidio conſtitutis, ad hoſtes contendit, quos nondum profectos & expediendis impedimentis intentos deprehendit. Borbonius qui nihil minus putarat, quàm Antonium inſtructis copijs ſibi ad iter parato ſuperventurum, quum oriente iam ſole lintheata de more hoſtiũ agmina conſpexiſſet, obſtupuit, graviq; metu, uti deprehenſis accidere ſolet, nequaquam temerè correptus eſt, ob idq; præſertim quòd ab heſterno conſilio Guidonem Rangonum primo præpoſitum agmini Ticinum pręire, atque ibi hoſpitia parare iuſsiſſet. Imparatus itaque, & multo ſpatio à prima acie diſiũctus, tanta perturbatione medij poſtremique agminis circumventus eſt, ut tumultuoſiſsimè aciem inſtruere, & repugnare fruſtra cogeretur, & vi celeritateque incumbentis hoſtis animo concideret. Præbuit Antonio Fortuna ſpatium parandæ victoriæ ab inopinato caſu: nam quum maioris tormenti currus, perfractis rotę axibus media lutulenta in via concidiſſet, vel ob id magno fuit incommodo, quòd Galli etiam nobiliſsimi equites id ſublevare atque reficere conati in pedes deſilijſſent. Vetere ſiquidem ſuo inſtituto turpe ducunt, tormenta ex itinere ocupanda hoſtibus reliquiſſe. Hac mora ſicuti Rangonus iuſto feſtinantius quàm ita facere eſſet iuſſus, tantum anteeundo confecit itineris, ut neq; revocari, neque admoneri de repentino adventu hoſtium opportunè potuerit, neq; obiter Antonio producendi peditatus defuerit tempus, qua pedeſtri acie promota, & equitatu audaciſsimè dimicante, media Borbonij acies, cui ſe coniunxerat poſtrema, puncto tẽporis terga vertere cœperit, quũ Antonius in ſella fulgentib. protectus armis criſtiſque conſpicuus, ſuccollantibus baiulis in aciem ſeſe inferre iuſsiſſet. omnium namq; oculos in ſe converterat, quum aperta galea adhortaretur ſuos voce terribili, & peracri oculorum obtutu Gallos terreret. Interim Germani qui Gallis militabant, quod nunq̃ ferè aliàs acciderat, turpiſsimè terga verterunt, utpote qui eſſent ex collectitijs, qui ſuperiore tem-

pore Gallica ſtipendia meruerant, aut ex ea regione eſſent conſcripti quæ eſt citra Rhenum, Lothoringiæque fines attingit, nec multam habet Germanicæ virtutis & diſciplinæ opinionem. Germanos Galli pedites, & ſecundum eos Italicæ etiam cohortes, nulla dedecoris cura ſubſecutæ ſunt, parvaque ideo cædes edita eſt, quod neque à ſclopettarijs inter confuſos permixtoſque ordines opera exigi potuit, neque tormenta niſi pari periculo diſplodi potuerint. Ipſe Borbonius latam foſſam periculoſo æqui ſaltu ſuperare conatus, ab equitib. captus eſt. Nec longè ab eo, eandem ſortem tulit Claudius Rangonus vir impiger, qui poſtremæ aciei pręfuerat. Stephanus quoque Columna in foſſam pręceps datus, concidente equo magnum ſalutis diſcrimen adijt, quum galeatus, in lacuna ferè ſummerſus ægrè ſeſe è manibus hoſtium eripuiſſet. Leva potitus omnibus tormentis atque vexillis, & duce capto, ab eius rei geſtæ fama uſque adeo inclaruit, ut nemo eius ætatis dux, vel in conſilio capiendo ſolertior, uel in exequendo acutior, & efficacior haberetur: Hiſpanique eum ſi proſpera uteretur valetudine, Magno Conſalvo eius magiſtro parem evaſurum dicerent. Cæterùm Galli fœdo eventu ſuperati de Guidone Rangono non obſcurè conquerebantur, quòd eos deſeruiſſet præpropera eius feſtinatione prædicarent, quanquam ille ita imperanti Borbonio iure militiæ obſecutum fuiſſe teſtaretur. Sed eam impoſitæ contumeliæ controverſiam, quę Guidone indignante & provocante obtrectatores Gallos, ſingulare certamen poſtulabat, Feltrius familiari ſermone ita diremit, ut & Borbonium & Guidonem pari propè errore à diſciplina diſceſsiſſe iudicaret, approbantibus ipſo Leva & Vaſtio, qui unà Mantuæ tres clariſsimi noſtri ſeculi duces fortè coiuerant, apud Hippolytum Medicem qui tum è Pannonia legatus redibat, ab Hercule Gonzaga cardinale hoſpitio domi ſuſceptum. Dictis namque ſententijs, quibus ego pręſens interfui, è diſciplina rationeque bellica diſſeruerunt, ſingulorum ducum eſſe muneris, qui diſtinctis agminibus in itinere faciundo præſint, per diſpoſitos equites mutua diligentia emenſi itineris ſpatia metiri, nihil extra conſpectum ſigna præire ſinere, anteriores medios, medij poſteriores, quibus paſsibus eant obſervare, ut unaquæque acies ad ſubitos hoſtium incurſus ex propinquo parata ſit, quæ circumventæ opem ferat, & univerſis coactis viribus confligat.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXVII.

DICTATORE Caponio Rempublicam adminiſtrante Florentini recenti ſuo incommodo & tot adverſis Gallorum caſibus perculſi, in eam curam incumbebant, ut Clementis conſilia diligenter explorarent, opportunáque adverſus imminentis prope belli vim præſidia compararent. Non inanibus ſiquidem coniecturis adducti, ſuſpicabantur Clementem ad amicitiam Cæſaris eſſe rediturũ, ut invictis eius copijs contra ipſos uteretur. Providebant enim eum, poſtquam in libertatem eſſet reſtitutus, minimè conquieturum, donec vetere patriæ dominatu potiretur, offenſum ſcilicet Lotrechiano fœdere, in quo diſertè perſcriptum fuiſſet, pudenda ſibi & damnoſiſſima conditione, ut popularis Florentinæ civitatis ſtatus in clientela Galliæ regis foret, defenderetur que eius peculiari officio munereque, poſtquam ſuas copias ad Lotrechium communes hoſtes oppugnantem Neapolim miſiſſent. Propterea Caponius non ignarus quàm graviter offenſus eſſet Cæſar, qui nullam ſibi a Florentinis iniuriam inferri debere exiſtimans, eo Etruſcæ legionis auxilio ſuos duces oppugnatos atque obſeſſos fuiſſe didiciſſet, Pontificem non iniqua quædam à civitate poſtulantem, molliendũ potius æquiſſimis reſponſis, quàm acerba negatione exagitandum putabat, ne Cæſari fœdere iungeretur. Erant enim gravia & moleſtiſsima eius animo quæ ad ſuggillandam maieſtatem, minuendamque nominis exiſtimationẽ perſcripta fuerant his fœderibus, quibus ſe obſeſſo captoque in arce Alfonſus Ferrarienſis princeps Cæſaris opportunè detractus videretur, & Veneti nova conditione in fœdus Gallicum eſſent recepti, quorum ille Mutinam Pontificio imperio diu poſſeſſam per occaſionem peſsimè à Fortuna mulctati pontificis recepiſſet, ij verò Rhavennam & Cerviam occupaſſent. Quæ omnia quanquam ex authoritate Innocentij Legati atque aſſenſu aliquot Cardinalium tranſacta eſſent, Pontifex niſi planè inſanus, & ſuæ dignitati ineptus hoſtis foret, rata habere non poterat, utpote qui de recuperanda potius amiſſa ditione, quàm de vindicanda iniuria ſibi cogitandum eſſe cenſeret. Iam enim per Antonium Muſetulam ſenatorem Neapolitanum, quem Viterbium acceſſiverat, legati Cæſaris vices implentem, & qua erat mirifica ſolertis ingenij induſtria præditus, Cæſarem Pontifici reconciliare maturantem, de concordia agere cœperat, adeo feliciter, ut propenſiſsimis utrinq; auribus ea res tentaretur, nec multos poſt dies bene auſpicato ſolennibus tabulis conficeretur. Quod ut crederent Florentini in univerſum adduci non poterant, ut qui Pontificem inexpiabilis eius recentis

iniuriæ,

iniuriæ, ſi generoſi ſpiritus foret, oblivisci non poſſe prædicarent, quorum opinionem ob id falſam eſſe eventus docuit: quoniam in Pontifice tanta erat ereptæ ab ingratis civibus patriæ repetendæ cupiditas, ut omnem recentiſsimæ calamitatis acceptæ memoriam, ipſo novæ ſpei pondere ſuperaret. Eodem rerum conſiliorumque ſucceſſu miſſus eſt cum preſcriptis mandatis Hieronymus Vaſionenſis antiſtes, Pontificiæ familiæ diſpenſator, qui apud Barchinonem Cæſarem convenit, atq; his fermè legibus cum eo fœdus percuſsit. Pontifex Chriſtianæ pietatis titulum prætendens, miſeratusq; quaſſatæ diro bello Italiæ vaſtitatem, ſynceram deterſis ſuperioribus odijs voluntatem atq; amicitiam Cæſari offerebat, pollicebaturq; ſe de more capiti eius imperatorij diadematis coronam impoſiturum, ſi Cęſarianis viribus in patriam reduceretur, unde ſua cum iniuria propinquis ipſius expulſis ampliſsima civitas Florentia fœda atq; acerbiſsima popularium imperitorumq; hominum tyrannide premeretur, optimatibus ſcilicet contumelioſè atq; arrogēter eiectis, antiquisq; ritibus divinarum humanarumq; rerum uſq; adeo impiè atq; inſolenter perturbatis, ut in florentiſsima dudū urbe publica ſalus, deſperata concordia conclamata videretur. Adiectū eſt ut poſtquam Florentini adverſum Cęſarem, confiſi incertę Gallorū victoriæ arma tuliſſent, maieſtatis rei facti libertate & antiquis ſuperiorum Cæſarum conceſsis immunitatibus ſeverè privarentur, obiterq; civitati principem Alexandrum adoleſcentē imponeret, cui ipſe Cæſar ad confirmanda fœdera augendamq; Alexandri dignitatem, Margaritam filiam ſe cælibe ſuſceptā in matrimonium deſponderet. Dum hæc per idoneos homines tractarētur, tumultus inuſitatæ perturbationis atq; periculi apud Florentinos in curia exortus eſt unius malè ſani atq; efferati civis inſolentia. Hic erat Iacobus Gerardus contumaci fronte popularis, qui non in Mediceos modò, ſed in patritios omnes livore atque odio percitus ferebatur, ob id tum ſeipſo turbidior atq; arrogantior factus, quòd per id tempus ſederet inter Octoviros decuriones ſupremę poteſtatis, qui dictatori cōſultandi gratia perpetuò in curia aſsiſtunt. Is literas à quodam Ioachino Serralio Iacobi Salviati apud Pontificem toti ſummæ conſiliorū præpoſiti cliente, ad Caponium perſcriptas, delapſasq; eius ſinu malignè collegerat, nactusq; materiam calumniandi, obiurgandiq; dictatoris, eò rem turbulenta vociferatione deduxit, ut dictator perfidiæ reus fieret, accuſatusq; concurſu in curiam turbulentæ iuventutis inſultantis & propemodum vim inferentis, vitę diſcrimen ſubiret, quum nonnulli è feneſtra illicò præcipitem dandum dicerent, qui aliena à ſalute libertateque patriæ cum Pontifice infenſiſsimo hoſte conſilia agitaret. nefandumque profectò facinus in necem optimi & probatiſsimi civis editum fuiſſet, qui optima fide magiſtratum gereret, niſi Laurentius Segnius qui erat Octovir è decurionum numero iuvenis æquitate & conſtantia animi præſtantiſsimus, ſuperbiam & atrocitatem imperitorū, petulantiumq; civium deteſtatus, corpus ſuum furentibus oppoſuiſſet, abductumq; in ſuam cellam dictatorem extremo pallentem metu conſervaſſet. Earum literarum exemplū Gerardus pauloantè miſerat ad quoſdam ſectæ ſuę cives, qui in privatam domum foro proximam convenerant, & de tollendo dictatore ſummę atrocitatis conſilium, accerſita ſeditioſorum manu inierant, curiæq; ſuperioris ſcalas atq; oſtia occuparāt, concitantibus pręſertim Thoma Soderino & Alfonſo Strozza, qui nequaquā ex ſimultate Caponio infenſi, ſed ex damnatione eius hono-

rem petituri videbantur, quòd popularis ſtudij prærogativa ſummæ nobilitatis atq; exiſtimationis homines ad dictaturam aſpirarent. Poſtero die coacti in conſilium octoginta viri, atque ij ſimul qui ex reliquis magiſtratibus atque collegijs publica conſuetudine adiungi ſolent, abrogatus eſt Caponio magiſtratus, atq; is honor biduo poſt delatus ad Franciſcū Carduccium, quem nemo candidatum fore putaviſſet, ita ut Soderinus & Strozza ſua ſpe deiecti ex conſcientia animi pudoreq; repulſę, perverſa miſeræ civitatis comitia damnarent, & pleriq; irriderent, quòd homo in Hiſpania dudum decoctor, & paucis in Republ. notus, tenuioris Fortunæ, nec præclari quanquam vetuſti generis ab incondito populi ſtudio clariſsimos cives anteiſſet. Valebat Carduccius ſolertis ingenij firmitate, & perurbana eloquentia, ſed qui obliquo oculo & pallida facie nequaquam decentem aut parem tanto honori habitū præferret. Sequenti die Caponius nihil ægrè ferens quòd magiſtratu excidiſſet, ſed de ſalute ſolicitus, quanquam ut ſeſe animo confirmaret, & timere deſineret, amiciſsimi & magna pars ſenatus cohortarentur in pallio atro, & civili capitis integumento ad dicendam cauſam paratus venit in ſenatum, ſereniore utique vultu pacatioreq; animo quàm pridie, quum tum coccineam familiarem togam ſumens pro ſe pauca, Petriq; filij ſalute pręfatus cauſam ſuam demiſiſsimè magiſtratibus commendaſſet uſq; adeo ſupplici ter, ut innocētiam ſuam in dubium revocaſſe amicorum propenſiſsimi iudicarent. Erat enim Caponius natura lenis, nunquam ulla in re iratus aut fervidus, utpote qui patientia & moderatione cuncta aſpera ferri & ſuperari debere pręedicaret. Protulit Gerardus immitis accuſator exemplum earum literarū quas ſolo ſuſtulerat, lectitatumq; in ſenatu eſt. Cuius ſentētia talis fuit, uti nos ex Etruſco ſermone vertimus. Ioachinus Serralius Caponio dictatori ſalutē. Quoniam non ſemper tuta mihi offertur occaſio ſcribendi, præſentem nactus nuncium nolui differre, quin te facerem de inſtituto negotio certiorem, de quo probè ſcis ex arcano me agere cum gravi illo, quem noſti, homine, maximeq; familiari Pontificis. Is mihi retulit Clementem ſatis proſperè & firmiter convaleſcentem, eo eſſe animi decreto, ut ſe honeſta conditione cum civitate concilient, & belli conſilia penitùs abijciat, neque ægerrimè ſit laturus, quòd populus perpetuò remp. adminiſtret, & parta libertatis iura tueatur, modò peræquas conditiones civili more propinquorum ſuorum ratio apud magiſtratus habeatur. Sed quoniam plura ſcribere non licet, à te vehementer petimus, ut ad condictum locum extra urbem colloquendi cauſa Petrum filium ad me mittas. Ab eo enim cuncta fideliter exprimente præclarè cognoſces, quæ in negotio conficiendo opus ſint. Vale. Hæc quæ ex literis recitabantur apud ſuſpicioſos homines ita animos commovebant, ut plerique maligno per ſubſellia murmure oborto, cuncta perverſè interpretarentur, & magna tamen ſenatus pars communicatis ſermonibus cum proximo aſsidentium ordine ſubmiſsè deliberando, eius rei culpam à toto læſæ maieſtatis crimine ſuſpicioneq; remouendam cenſeret. Inter eos qui mirificè Caponio faverunt, extitit Petrus Victorius eius contribulis, qui tum erat ſexdecim vir collegiorum ordinis civis honeſtiſsimus, & de optimis literarum ſtudijs egregiè meritus. Tum verò Caponius à dictatore cauſam dicere iuſſus, in hanc ſententiam conſtanti vultu, miroq; omnium ſilentio loquutus eſt: SEQVVTVS morem & diſciplinam maiorum meorum ampliſsime dictator, prudentiſsimiq; cauſæ meæ iudices, nihil unquam

carius

carius liberà patria, nihil unquam præclara rectæ conſcientiæ laude honeſtius duxi. Quandoquidem remp. uti probè noviſtis, pluris ſemper fecerim quam privata commoda. Pudebat enim ea expectare ferreq; præmia, quæ turpi obſequio vel adulatione facilè pararentur, ab his qui ex uſu dominatus pro libidine cuncta dare, atq; eripere poterant. Hoc inſtituto animi ingreſſus curiam ad obeunda munia civitatis per quinquaginta annos ita ſavi ſemper proſpexiq; exoptatæ necunquam deſperatæ libertati, ut in utraque Reipub. fortuna modò fortem, modò incorruptum, nec unquam demiſſum animum ferrem: quippe qui vitæ innocentia, & domeſticæ frugalitatis laudè contentus (quæ duæ virtutes (abſit invidia) domui noſtræ ſemper peculiares fuère) opportunitates temporum expectandas atque omnino maturè captandas arbitrabar, quo excitari, ingentibusq; civium animis conſtitui ſine perturbatione labeq; civitatis ſecura libertas poſſet. Affuere itaq; Dij immortales non irritis votis civium uti piè conceptis, & libertatem intermortuam inſperato excitarunt, civitatique nullo effuſo ſanguine, quod ipſorum miræ benignitatis fuit, largiti ſunt. Hanc ego ante alios flagrantiſsimo ſtudio complexus, ut diu apud nos vigeret atque floreret, omnibus conſiliorum artibus adnitebar, providebámque ne infirmas eius radices ulla adverſa tempeſtas revelleret, primumq; omnium Clementem ipſum nobis his præſertim lenimentis & officijs quæ libertati noſtræ nihil officerent, pacandum, aut omnino ſpe & mora diſtinendum exiſtimabam, ne accumulatis iniurijs irritatus, alicunde nobis inſidias atq; arma moliatur, uti quis non imprudens ominari facilè poteſt. Probe ſiquidem agnoſcimus quos ſpiritus gerat, quo angore animi torqueatur, quod patriæ dominatum horribilis ruinæ caſu oppreſſus amiſerit: qua demũ machinatione bellici conatus eum recipere cupiat, & ulciſci odia in illos, qui dignitatem eius pudendis contumelijs obtriverint. Hæc eius exagitatæ mentis conſilia, ut à nobis averterem, ægro blandimenta afferenda, iuſtasq; iras mitigandas rebar, ſpe iniecta non iniquæ conditionis, ſi nos æquitate rerum potius quam importuna libidine voluntates noſtras moderemur. Quamobrem per Iacobum Salviatum, quem non plus de vita Pontificis propinqui ſui, quàm de ſalute libertateq; patrię ſolicitum eſſe comperio, ſcioq;, operam dabam Serralio internuncio, ut cum Pontifice de compoſitione ageretur. Verebar enim ne fœdere Gallico, quo illigati ſumus, vehemẽter offenſus, deſperato meliore conſilio, vel invitus ad Cæſarem verteretur, quod nobis magnopere cavendum timendumq; hodie magis ac magis exiſtimo. Proinde iam ab initio, ne properè cum Gallo fœdus percuteremus enixè contendebam, niſi eidem fœderi Pontifex iungeretur, ſcilicet ut eo honeſta utrinq; cautione cõciliato, validiora certioraq; præſidia adverſus invictas adhuc Cæſaris copias pro cõmuni ſalute pararentur. Sed in ancipiti deliberationis negotio intempeſtiva uti pernoſcere fas eſt, vicit plurimorum ſententia, atq; ita elapſi ſalubris conſilij rationem omnem intercidiſſe, quod dolet, agnoſcimus. Quę huiuſmodi fuère, ut huius officij pro ſecuritate publica ſuſcepti, nõ contumeliam, quę mihi gravi cũ periculo paratur, ſed gratiam omnino expectandã à vobis putarim. Quinq; ille à nobis hæc poſtulabat, ut patrimonij fructibus, vectigali æqua oneris lege perſoluto potiri liceret: ſibi puella neptis redderetur: propinquis eius aditus ſecundum leges in remp. petendis honoribus daretur, & quod ad tuendã Pontificij nominis authoritatẽ pertinet, Florentini à decumandis ſacerdotijs abſtineant,

& ſacroſancta templorum donaria ſuo iniuſſu avara manu non attrectent: poſtremò etiam, ut deiectas gentilitijs inſignibus pilas, privatis ſaltem familię ædibus aut templis maiorum ſuorum pia liberalitate ædificatis reſtitui pateremur. Hæc rerum capita, ęquiſsimi cives, ſi diligenter conſiderem, nec improbè expendam, vel ſi cumulatè & exactè cuncta cōcedantur, facilè fatebor me non videre quid incommodi aut detrimenti reip. afferri poſsit, quum iam pridem eiectis adoleſcentibus Mediceis, quòd ſponte nobis tantū hortantibus dominatu exceſsiſſent, ius civitatis ex decreto publico relinqueritis, nec ideo ex fide veſtra ſit, dignitateq; ſenatus id decretum ſuſtuliſſe. Bono itaq; iure repeti quod publica obligetur fide iudicare poteſtis, niſi aliquot civilium prædiorū redditu augeri publicas opes, & ſarciri bellicos ſumptus ineptè exiſtimet ea civitas, quæ per ſexdecim annos inexhauſtis opibus perpetuum cum Piſanis bellum geſſerit, & me teſte, atq; adiutore confecerit. Nunquam enim pecunias huic urbi alendo & ſuſtinendo bello defecturas crediderim, ſi ſit firmum apud cives, quod rectè optare facilius quàm ſperare poſſumus, communis concordiæ ſtudium. Nec item ſatis provideo quid nobis officere poſsit puella novennis patruo ſacrorum principi depoſcenti benignè reddita. Nam præterquam quòd eam & ſexus, & ætas tutam ab omni contumelia reddant: cavere etiam oportet, ne hac in re, dum Pōtifici nocere quàm morem gerere malumus, Galliæ regis fœderati maieſtatem offendamus, ſi regio ortā ſanguine, & nihil tale merentem diutius in veſtalium virginū ſeptis adſervandam iudicemus. Tantum verò abeſt, ut cōplectendo cives univerſos, atq; his honores ęqua lege partiendo Reip. noceatur, ut hac civili benignitate eam firmiorem florētioremq; evaſuram arbitrer. Amantes ſiquidem patriæ & conſtitutæ libertatis ſtudioſos, veroq; bono tranquillę pacis gaudentes, una maximè concordia lætari decet, obliviſciq; item omnis privatæ iniuriæ publicæq; ſimultatis. Inſuperabilem namq; civitatem, non arma, nō pecuniæ, ſed unus publici decoris conſenſus efficit. Porrò quod quarto loco petitur, ita mihi, & bono cuiq; civi æquum videri poteſt, ut nihil fœdius & invidioſius accidere poſſe exiſtimem, quàm ſi ſpreta, & violata ſummi Pontificis authoritate, tanquam diro ſacrilegij piaculo polluti, infami prorſus avaritiæ nomine aqua & igni interdicamur. Poſtremò autem ut deiecta inſignia & tituli reponantur, ſumma ratione indulgendum putaverim, ne gloriæ noſtræ, communibusq; ornamentis ſtultiſsimè invidere videamur. Nam & ſi quicunque Medicei nominis principatu potiti ſunt, re nomineque fuerint tyranni: in civitate tamen ſi non verè libera, non intolerandis certè compedibus vincta, quàm plura, quod fateri licet, glorioſæ laudis monumenta condiderunt, quæ homines elegantiæ ſtudioſi plurimùm admirantur, advenæ, peregriniq; ſuſpiciunt, & noſtri cives æquè iuſta atque difficili imitatione ęmulantur. Quod verò ad deformatū Coſmi ſepulchrum pertinet, non eſt quod quicquam aliud ineptius & inanius factum fuiſſe iudicem: quandoquidem ea deraſi tituli iniuria, cuicunq; non inſulſo ridenda ſit. Illius namque ingenioſiſsimi viri oſſa ad perennem memoriam non anguſto quidem loculo, ſed luculentiſsima incomparabilis templi teſtudine continentur, quæ ſine inexpiabili & propè impia totius humani generis invidia exſcindi delerique non poſsit, ut hîc prætereamus literarum ſempiternæ famæ præſidia, quibus Medicei ferè omnes tam aſtuta quàm liberali diſciplina impenſiſsimè ſemper faverint. Ea namque vel nobis invitis perpetuò durabunt,

niſi

niſi putemus totius Europæ gentes, ad quas hiſtoriæ manarint ad iracundiæ noſtræ libidinem, cunctos annales quibus eorum nomina cum laude inſerta ſint inuſitata conſpiratione crematuras. Vos itaque qui Romanæ virtutis exempla æmulari honeſtiſsimum ducitis meminiſſe oportet, præclaram virtutem, vel ſummis adumbratam vitijs tantam habere in ſe vim ac admiratione͂, ut pop. Rom. diri hoſtis Pœni Annibalis ſtatuam, in foro cunctis perpetuò ſpectandam collocaſſe maximè decorum exiſtimarit. Hæc ſunt crimina quibus feciſſe adverſus remp. accuſor, unde me nonnulli fervidiore tuendę publicæ exiſtimationis ſtudio provecti, improbo aut certè illoto ore patriæ proditorem appellare non erubuerint, vel ob id præſertim quod huiuſmodi conſilia ex arbitrio meo ſubtilius & tectius concepta decemvirali octoviraliq; collegijs communicanda non exiſtimaverim: cuius obiecti nomen facilè diluitur, quando hi ante alios Laurentius Segnius, & Iacobus Morellius optimi cives, ac nonnulli alij ex hoc ordine me ſecum de hac re loquutum fuiſſe, & has ipſas literas quæ mihi ſinu exciderint, oſtendiſſe, præclari teſtes eſſe poſsint. Neque propterea quòd non omnibus hæc communicanda iudicarim, parum ſyncero animo, parumque integra fide conſilia, quæ ad ſummam rerum pertineant agitaſſe exiſtimari debeo. Verebar enim ne diſſeminata apud ſuſpicioſos & imperitos, uti ſæpe accidit, latius efferrentur, atque inde eo quem optabam, ſperareque licebat, ſucceſſu carerent. Neque enim uſque adeò anguſtæ & circumſcriptæ poteſtatis dictatorem eſſe putabam, ut ei quæ cogitet & coquat ſilentio tegere non liceat, quum eius ſit muneris & officij vigilando & penſitando id unum reſpicere, quo plurimum reip. prodeſſe poſsit. Hoc animi inſtituto ſicuti ſupremi honoris ratio poſtulabat, dictaturam veſtro inſigni beneficio mihi delatam prorogatamq; privato meo tantùm, non publico periculo geſsi. Itaq; ſi peccavi, dare pœnas vel indigna morte paratus ſum. Sed apud vos obſecro id moderandis ſententijs, ferendoq; ſuffragio valeat, totius vitæ meæ curſus, in quo nuſquam improbè fefelli: valeat patris mei memoria, qui pro patria pugnãs, Piſano bello occubuit: valeat, ut maximè opto, priſtini iudicij veſtri teſtimonium, quo me nihil ambientem, minimeq; prehenſantem hoc ſummo honore digniſsimum exiſtimaſtis, quum recens recepta libertas neque rerum imperito rectore egere cenſeretur. Nemo quidem repentè fit malus, quod de me ſuſpicari homines nolim, quum idem ſim, qui ſemper apud vos integer vitæ omniſque expers ſceleris, ſexaginta ætatis annos exegerim. Nec ideo deprecor integerrimi iudicij veſtri ſeveritatem, quàm obtrectatores mei, accuſatoreſq; longè maximam atq; acerbiſsimam requirunt, ut apud vos certa clementiæ laus paretur. Exiſtimatote ſiquidem vos non de dignitate vitaq; & fortunis meis in ſuffragium ituros, ſed facturos iudicium de publica ſalute, quã ita ſuperi incolumem ſervent, ſicuti me à vobis benigniore decreto conſervatum iri & ſpero & opto. Caponio perorante, ſecedenteque in interius cuſtodiæ cubiculum, eo modo liberis ſuffragijs iudicium eſt factũ, ut magno aſſenſu cunctis fere ſententijs abſolveretur. Movebat enim populum viri gravis maieſtas acrioribus calumnijs circumventa, magnoq; eius diu ſpectatæ virtutis & integritatis argumento curia excedentem omnes optimatium ordines domum deduxerunt tanta frequentia, ut quum ad paternæ domus limen trans Arnum agendis gratijs ſubſtitiſſet, noviſsimi agminis pars gravior & honoratior præ turba ad curiæ limen adhuc hæreret, & multi ex his

qui eum damnatum voluerant, aſtuta diſsimulatione comitantibus admiſcerentur, inſtarq; magni triumphi ea frequentiæ pompa intermixto lachrymis gaudio Caponij gentiles & propinqui, probique cives maximè lætarentur. Tantum verò abfuit, ut quicquā priſtinæ exiſtimationis in ipſo ex tanta ſummi honoris iactura deperiret, ut ſuperata inimicorum acerbitate, nova quadam incorrupti conſtantisque animi gloria adaugeri, & refloreſcere cenſeretur. Verùm eam ſplendidiſsimi comitatus frequentiam facilè inde oriens invidia corripuit, quum poſtridie manè duo ſummæ authoritatis legati Claudius Velleius Gallus, & Antonius Surianus Venetus eum domi humaniter inviſiſſent. Quamobrem Caponius graviorem apud populares invidiam veritus, amicis admonentibus in agrum ſuum clam ſeceſsit. His cognitis rebus Clemens vehementer adverſus Florentinos exacerbatus eſt, quòd in omnibus eorum actionibus atrox contra ſe odium emineret, nec ſe quicquam vera aut ſimulata lenitate apud corruptas cunctorum ferè ordinum voluntates proficere poſſe perſpiceret, nec deeſſent, quod maximè impium & contumelioſum putabatur, qui eum ſine ulla honoris aut ſanctitatis præfatione nominare, Clementemq; nudo nomine appellare, & tanquam ſpurium neq; ideo ritè Pontificem creatum dicere conſueſſent, & in patritios ipſosq; præſertim Mediceorum neceſſarios, qui veteris illorum erga ſe beneficentiæ memoriam retinerēt, nec apertè ſtudium ſuum pro Repub. nudare vellent, perpetuò graſſarentur. Amoto namq; Caponio Reip. facies immutata videbatur, quū ius & æquum civilisq; humanitas nuſquam vigerent. Vis enim & acerbitas immitisq; ſuperbia apud efferatos cęca rabie populares & turbidam pręſertim iuventutem virtutum loco cenſebantur. Ipſe ſiquidem Carduccius ea mente Remp. fuerat complexus, ut eam his artibus quæ maximè populo placerent, adminiſtrandam exiſtimaret. Neq; enim alia via ſuis ſuffragatoribus gratiam referri poſſe providebat, niſi ſe maximè popularem, acerbiſsimumq; patritij ordinis, Mediceæq; familię hoſtem futurum oſtenderet, quum alioquin diligentem accurateq; induſtrium & factioni probè addictum ſenatorem pręſtitiſſet, & ſuſcepto dictaturæ honore impavidus & conſtantiſsimus libertatis defenſor haberi percuperet. Id enim ſibi ex eo magiſtratu decus petebat, ut fide inclytus, incorruptus pecunia, & pro factione inexpugnabilis & invictus propugnator evaderet. Quæ tamen non incertæ virtutes in ipſo ita elucebant, ut turpiſsimis inuſitatæ malignitatis maculis fœdarentur. Nam impio erga patriam conſilio literas, quas è Gallica legatione Balthaſar gentilis eius ad ſenatum perſcribebat, aut ſupprimere, aut notarijs perversè interpretandas dare conabatur, ut populus commentitijs fabulis deceptus in conſilio reip. deterrimo diſtineretur. Nam quum è Gallia nihil propenſum à rege, nullumque ab eo efficax pręſidium ad ſalutem ſervandæ civitatis Carduccij literis afferretur, inani ſpe auxiliorum animos imperitorum ſuſtentabat. Nec quiſquam tamen optimus civis, & à factione ſemotus reperiebatur, qui in Gallo rege iam planè Cæſari conciliato quicquam ſpei impetrandæ opis reponendum cenſeret, quò ille ante omnia vel cum ſociorum detrimento liberos obſides recipere maturaret. Acceſsit ad hoc infame prorſus nequiſsimi facinoris factum, quod vehementer ipſius Carduccij exiſtimationem læſiſſe videri potuit. Nam amœniſsimas, quæ ornamento urbi erant, Mediceorum & Iacobi Salviati villas intemperantis, & turbidæ iuventutis impetu incendijs abſumendas iuſſerat, quanquā

id non imperaſſe, ſed diſsimulanter delendas obieciſſe fateretur, ſcilicet ut ex tam horribili fœdoq; maleficio, nunquam veniam impetrari poſſe diffideret, quando id ſcelus promiſcuæ iuventutis ad omnes ferè civitatis familias pertineret. edicto quoq; inuſitato, & ſi religionem ſpectes, & teſtamenta piorum animorum æſtimentur, maximè nefario xenodochiorum, hoſpitaliumq; domorum & templorum prædia confiſcanda venundandaque propoſuerat, & non cōparentibus emptoribus ea locupletibus, ſub pœna maieſtatis coemunda addixerat, quæ impotenter decreta cum certa labe privatorum fortunas ad excidium redigebant. Verùm Carduccius lugētes ſua incommoda ſpecie pietatis admonebat, ut patriæ ſecuritatem privatis divitijs anteponere vellent, quando incolumi patria, optima fide pecunia reddi poſſet. Quòd ſi contumacius ceſſarēt, officioque patrię deeſſent, fore ut improbi conſilij pœnas darent, paulopòſt extremam cladem aut ab hoſtilibus barbaris, aut ab impijs tyrannis extra pœnitentiæ locum daturi eſſent. In eandem quoque ſententiam pauloantè Carduccius quum eſſet Decemvir, mentionem primus intulerat, cum de cogenda pecunia ageret, ut donaria templis religioſiſsimè dicata tollerentur, quòd ea non tam ad ornamentum pacis quàm ad belli ſubſidia collata exiſtimari debere magnificè prædicaret. Ocioſas ſcilicet opes, & nihil profuturas ad ſalutem patriæ impendi transferrique debere, ſicuti charitate patriæ ducti boni cives, ſi ſalus publica quæreretur poſthabendas iudicarent. Quum de his Carduccij imperijs nonnulli cives mœſto liberoque ſermone in corona diſſererent, quod minimè prætermittendum videtur, Antonius Albertus vir honeſtiſsimus & perurbanus non infacetè dixit: Non eſt optimi cives quod quicquam à dictatore commodius & mitius expectetis: nam poſtquam decoctori Remp. commiſiſtis, neceſſe futurum eſſe prævideo, ut nos omnes cum ipſa Repub. decoquamus. Sed tum quum hoſtes longè ab urbe abeſſent, neque adhuc appropinquantis belli incommoda ſentirentur, de ea re à Carduccio decretum fieri non potuit, quòd nondum aut certa, aut propinqua adveniſſet neceſsitas, ut opus eſſet civitatem infamis ſacrilegij flagitio contaminare cum multo maxima offenſione Pontificis, quod niſi ex eius anthoritate ritè tolli poſſe viderentur: quandoquidem ea donaria extra prophani iuris vim iam ſacra eſſent, ob idque præſertim quòd Leonis fratris memoria, qui ea ornamenta ad cultum altarium pia liberalitate contuliſſet graviſsimè læderetur. Ita tamen eius rapinæ ſpes malis civibus illata eſt, ut id ſcelus Carduccij ſucceſſori patrandum relinqueretur. Præbuit tamen anſam turpi conſilio exequendo, quum matronas nuptialibus ornamentis, ſingulaſque familias vetere argenti atque auri ſupellectile ſpoliandas cenſuiſſet, veterum Romanorum exemplo quum extremis Punici belli caſibus matronæ dites generoſa propenſione omne aurum & argentum ex ſuo mundo, ut pecunia cuderetur, in ærarium detuliſſent. Carduccius quoque quum ad mœnia hoſtem expectaret, tam fortem quàm inexorabilem dictatorem geſsit, quum proxima mœnibus ædificia, vel ſummæ amœnitatis dirui iuſsiſſet, ne venturo hoſti munitam ſedem præberent. Acerbiſsimè autē imperavit, ut quæ poſſent uſui hoſtibus eſſe, omnis generis commeatus, pabuliq; præſertim in urbem conveherentur, & quę tranſferri nequirent, ultrò incendijs corrumperentur. Qua edicti ſeveritate lugentibus ſua detrimēta minoribus pręſertim civibus ex ardente invidia, ingēs contraxit odium, quanquā id futuri belli dira cōditio flagitaret, & cunctis civibus

patriæ ſalutem privatis opibus anteponendam cenſeret. Adiecit quoque animum muniendæ urbi, ita ut ſi quid vetere in muro vitij aut ineptæ defenſionis foret, ea omnia novis artificijs emendarentur, inſtitutisque operibus, & curatorum collegio opportunè creato præpoſitus eſt, qui hæc omnia ex diſciplina bellicorum operum impleret atque perficeret Franciſcus Sangallius architectus, civis bonus & induſtrius. Is pręcepta et documenta ducum et militum ſequutus, portis nova propugnacula impoſuit. Sub id enim tempus Florentini Malateſtam Baleonum certis de cauſis diductum à Pontifice, neq; ei qui Paulum patrem capitali ſupplicio affeciſſet ſatis fidentem, ex authoritate Franciſci regis conductum ducem crearant, Stephanumque Columnam diſpartitis muneribus urbanæ militiæ præfecerant, minoresque aliquot duces, & in his Marium, Neapoleonemque Vrſinos, & Georgium Sanctacrucium Romanos ſtipendijs ſuis addixerant: quibus pari ſtudio ſatagentibus egregiè muniri urbs cœpta eſt magno operarum ardore, quæ ex agro excitę opus facere cogebantur. Iam enim Pontifex ad urbem acciverat Philibertum Auranțium Cæſariani exercitus Imperatorem, & cum eo de inferendo Florentinis bello conſilia inierat, confectoque bello Apulo, & Alfonſus Vaſtius cum Hiſpanorum cohortibus, & Ferdinandus Gonzaga cum equitatu in Vmbriam pervadebant, ut inde in Etruriam deſcenderent. Increbuerat etiam fama Cæſarem ab Hiſpania citeriore propediem Auriana atque Hiſpanica claſſe Genuam eſſe perventurum, ad quem Pontifex tres ſummę dignitatis legatos miſiſſet, ut honoris cauſa illum quo iret deducerent. Hi fuère Alexander Farneſius ſenatus princeps, & Franciſcus Angelius Hiſpanus, cuius diligentia Pontificem carcere eductum, ob idque ſummæ pietatis officium purpureo galero donatum fuiſſe diximus, & Hippolitus Medices Iuliano Pontificis fratre patrueli genitus, & cum eo Alexander Medices Cæſaris gener deſignatus. Adventabant quoque è Germania novi duces cum validis equitum & peditum copijs Philippus Areſcotus Belga, & Felix Vitembergus è Suevia, qui ut Cęſari præſidio adeſſent, Tridentinis alpibus ſeſe demittebant. Ipſe quoq; Pontifex cum univerſo cœtu Cardinalium minorumque præſulum, id iter per Flaminiam viam, ut Bononiam peteret, ibique Cæſarem opperiretur ſeſe accingebat. Quibus de cauſis Carduccius permotus in ſenatu retulit, Cæſarem miſſa legatione excolendum molliendumque ſibi videri, & eum quibuſvis conditionibus oblatis, ne hoſtis foret pręoccupandum, utpote qui eius invicti imperatoris vim potius per conditiones quàm armis avertendam putaret: ratus hoc facilè poſſe impetrari, quòd iam latè fama ingrueret, Solymanum ab Hadrianopoli profectum cum innumerabilibus copijs in Pannoniam pervaſiſſe eo conſilio, ut regnum ab ſe iure belli partum, Ioanniq; Sepuſio beneficiario iure conceſſum, iiſdem victricibus armis repeteret, eumque Ferdinandi armis Pannonia pulſum reduceret, quòd ſuæ dignitatis atque amplitudinis arbitraretur, eum tueri atque defendere, quem ipſe, vel Chriſtiani nominis titulum pręferentem liberali munere Budana in regia depoſcentibus Hungaris regem conſtituiſſet. Nec barbarus tantis inſtructus armis conquieturus eſſe crederetur, niſi partem Norici Auſtrianique principatus Budano imperio adiungeret, & cumulatè iniuriam acceptã vindicaret. Quibus de cauſis Cæſarem tanquam domeſtico terrore atque periculo adductum flectere conſilia, ideoque ab Etruſco bello abſtinere poſſe crederetur: quoniam Italiæ viribus barbaro

hoſti

hoſti formidoloſiſsimo opportunè eſſet reſiſtendum. Quibus gerendis rebus Cæſarem apparebat una omnino pecuniæ inopia laboraturum, ſi Germaniæ robora propoſitis ſtipendijs evocata, barbaris opponenda ſtatueret. Itaq; conſentientibus patrum ſententijs delecti ſunt quatuor legati, qui ad Cæſarem ire maturarent, ſummæ authoritatis atque prudentiæ ciues: ipſeq; in primis quod magnæ gloriæ ei fuit, Nicolaus Caponius è rure tanquam ab exilio in urbem revocatus, & cum eo Thomas Soderinus, Matthęus Strozza, & Raphael Hieronymus, iam pridem Cæſari notus, quòd in Hiſpania legationis munus obiviſſet. His verò proficiſci iuſsis, actitatum eſt in ſenatu, an Pontifex pari legatione ad ſpem pacis flectendus, aut certè exploratis eius conſilijs pertentandus foret. Quòd quum à plerisque tanquam æquum & plane pium probaretur, tanta fuit perverſi dictatoris aſtutia, tantaque popularium ſuperbia, atque impudentia, ut nec civem, nec ſacrorum principem, cuius nomen cunctis gentib. eſſet venerabile, vel adeundum, vel excolendum decernerent: quoniam eius congreſſu à quo nihil è republica impetrari poſſe confirmarent, contagione non obſcura conſtantia liberæ civitatis fœdari poſſe putaretur. Tanta ſiquidem popularium animos invaſerat inſania, ut facilè ſuſpicarentur, in optimo quoque cive deeſſe fidem. Quandoquidem qui legationis munus ſuſciperent, facilè muneribus adulationeque Pontificis corrumpi poſſe iudicarent: nec quemquam uſque adeo probum crederent futurum, qui Pontificis pollicitationes, expeditaque præmia publico bono anteponenda non duceret. Superabant tamen cogitatio periculi, atque imminentis belli metus, omnem depravatorũ civium pertinaciam, ita ut pudore per ſubſellia oborto, Petrus Franciſcus Portinarius, qui è legatione Britannica redierat, ad Pontificẽ legatus deſtinaretur, cui adeſſent duo mediocris exiſtimationis collegę. Cæterùm opera Carduccij nequaquã mandata publica proficiſcẽti data ſunt, quòd ea Decemviri in itinere ſe ſubmiſſuros mentiendo pollicerẽtur. Quamobrẽ neceſſe erat, ut ea legatio, quę certis mandatis nõ inniteretur, inanis foret. Hæc res indigna Pontifice, animũ eius vehementiſsimè pupugit, quũ civium uſq; adeo aucto acerbitatis furore, inſanabiles animos armis omnino perdomandos cenſeret. Interea Cęſar Barchinone oram ſolvẽs Auriana prętoria vectus, comitãte Portundo, qui Hiſpanicę claſsi pręerat, Genuã pervenit, præſtoq; ei fuerunt Pontificis legati. Cæſar autem in ædibus prętorianis ſuſceptus eſt, excepereq; cives eius comitatum proprijs penatibus impetrante hoc officij genus Andrea Auria à ſingulis familijs, quod ægrè Genuenſes in univerſum ſuſcepturi Hiſpanos hoſpites viderentur propter recentem adhuc memoriam, ab ea præſertim gente direptæ civitatis. Cæſar ipſe ſecus ac crediderant homines, faciem prætulit lenis clementisq; animi indicem, ipſoq; iuventæ flore maximè decoram, quã honeſtabant mores civili modeſtia conditi, et eloquia benigni comitatus, ſic ut famam conceptæ apud Italos feritatis extingueret: quandoquidẽ nequaquam eius imperio, ſed dira atq; immani ducum ſuorũ acerbitate quę perpeſsi eſſent ſummæ calamitatis incommoda illata fuiſſe crederentur. Nec multum inde Florentinorum legatos admiſit, qui ab eius ęquitate clementiaq; demiſsè poſtularunt, ut civitati parcendum duceret, ſi quid fatali coacti bello maieſtatem eius lęſiſſe videretur, paratam quidem eſſe cuncta facere, quæ imperaret, modò eam vetere conſuetudine liberam, ſua qua potiti eſſent libertate frui pateretur, pro qua omnino cõſervanda tuendaq; populus univerſus, nõ urbium

modò ſibi ſubiectarum opes, ſed liberos & coniuges, delubraque & fortunas omnes, contempto omni belli periculo devoviſſet. Propterea maximè decorum fore ſi civitas quæ eſſet totius Italiæ longè pulcherrima, & ad ipſius Cæſaris authoritatem ultrò ſe conferret, libera atque integra ſervaretur. Ad ea Cæſar paucis reſpondit, Florentinos iniquè arroganterque feciſſe, qui nulla laceſsiti iniuria Gallis hoſtibus ſuis adhæſiſſent, fœdereque icto Etruſca auxilia oppugnandis ipſius ducibus Neapolim miſiſſent. Quo inexpiabili delicto ſuperiorem Cæſarum conceſſas libertatis immunitates, vel ingratè vel perfidiosè corrupiſſent. Hæc tametſi uti maximè fœda omnino armis vindicanda cenſerentur, ſe tamen noxam, & totum eorum maieſtatis crimen pro ſua humanitate, magitudineque animi remiſſurum, ſi ſacroſanctum Pontificem, eundemque civem ſuum eximiæ moderationis, quem impudenter patria eieciſſent, converſis voluntatibus reciperent. Hanc unam ſiquidem ipſis relinqui viam parandæ pacis, quando nullo alio auſpice ſequeſtróve, eam impetrare poſſent. Proinde ſi ſani forent, in id enixè ſatagerent, ſi incolumes eſſe vellent, ut priſtinam gratiam à Pontifice honeſtiſsimo obſequio promererent. Neque enim aliter ſe fidei prȩſtitȩ, neque officio ſuo quod percuſsi fœderis legibus eſſet obſtrictum ſatisfacere poſſe, niſi ſacrorum principi & civi de Florentina Republ. optimè merito, ſua patria redderetur. Ab his prægravibus Cæſaris reſponſis legati diverſo animorum habitu ab Genua diſceſſerunt. Caponius & Strozza proviſis aſperrimi belli difficultatibus, vel non æquas, & præſenti Reip. incommodas certæ pacis conditiones dubio bello facilè præferebant. Soderinus autem ita horrebat bellum, ut animi anceps pacem improbaret, quòd ea propter gentilitias ſimultates, niſi reductis Mediceis parari poſſe videretur. Raphael autem occulta correptus ambitione popularis factionis ſtudium ſuſcepit, aſtuta quidem ratione, ut quum eſſet patritius & multis nominibus Mediceo nomini obſtrictus, utriuſque ordinis voluntates promereret, petitionique ſuæ quam animo agitaret certa ſuffragia compararet. Itaque Soderino per cauſam valetudinis Piſis ſubſiſtente, quòd Caponium apud Caſtrum novum Calphurniani ſaltus ex morbo perijſſe: Strozzam verò quieti comes affuiſſet metu belli, & turbulentæ popularium factionis tædio Venetias abijſſe didiciſſet, magna feſtinatione Florentiam contendit, ita ut intento curſu in curiam ire pergeret, & penulatus petaſatusque ad præoccupanda hominum ſtudia ad dictatorē & decuriones aſcenderet. Eius adventu frequens factus eſt in curiam hominum concurſus, quum quiſque quod à Cæſare relatum eſſet, noſcere percuperet. Ante omnia Raphael Carduccium arctè complexus, cohortatusq; ut eundem quem maximè fortem pro ſalute patriæ animum induiſſet, generosè confirmaret, cauſas namq; vel timoris vel periculi aliquanto minores eſſe quàm putarent, poſtquam Cæſarem exploratis & expenſis conſiliorum eius explicandorum difficultatibus adijſſent, & ex colloquio inanis contumaciȩ reſponſa iuſtis ipſorum poſtulatis aliena retuliſſent. Primū omnium advectas eſſe ex Hiſpania non multas, easq; tironum inermes copias, nec ſatis quoque auri ſignati adductum, quo Hiſpanorum & Germanorum cum veterum, tum novorum qui è Germania expectarentur, ſtipendijs ſatisfaceret: vigere adhuc bellum adverſus Antonium Levā, quod à Venetis ſimul & Sfortianis continenter gereretur. neque vlla alia re Cæſarem cum Pontifice certius atque propenſius coniungi, quàm ipſa adipiſcendi diadematis cupiditate,

ditate, propter quam invitus æquo plura quàm rebus ſuis expediret, indulgenda promittendaq; exiſtimaſſet, quæ non facilè præſtari poſſent propter terrorem quem Solymanus incuteret, non Pannoniæ modo, ſed paternis eius regnis, quando certior fama vulgaretur, eum cum trecentis milibus hominũ egreſſum Pannoniç finibus, rectà ad oppugnandũ Viennam contendere. Sic ut non obſcuro deorum immortalium munere, Florentinis auxilio ingentis potentiæ barbarus mitti videatur, poſtquã rex Gallus aliena pericula pro ſuo commodo ſupinè contemnens, & Venetus aſtutè ſemper cunctator inani tantùm legationum ſpecie ſpes ſociorum ſuſtentarent. Fore etenim ut Cæſarem Italiam attigiſſe, propterea pœniteret, quòd in Germaniam difficili periculoſoq; propoſito bello ad defendendum, protegendumq; fratrem ſecus ac putaſſet, importunè vocaretur. Pontificem verò rerum omnium pecuniæq; præſertim egentiſsimum fruſtrà ſuſcepiſſe vota, quibus pertenuis arrideret occaſio, his rerum initijs appareret. Itaq; viribus fortibus, & pro patria adverſus tyrannos pugnaturis, non defuturum victoriæ ſucceſſum, niſi intempeſtivè deſperarent: quandoquidẽ ſatis magna habituri eſſent præſidia cum externorũ militum, tum civium ipſorũ, quibus egregiæ firmitatis mœnia proculdubiò defenderent, neq; defuturam in ſtipendia pecuniam tanta liberalitate ſingulorũ ordinum ſubſtantiam omnem pro libertate patriç conferentium, poſtquam ſummæ charitatis ſtudium pro ſalute publica ſuſcepiſſent. Cæteris autẽ rebus eam fore egregij dictatoris & magiſtratuum curam & diligentiam, ut nullum vel in urbe tumultum, vel extra mœnia extimeſcendum hoſtium impetum expectare deberent, modò commeatus dividendi cura ſeveris legibus intenderetur. Hæc magnificè diſſerendo, & Cæſaris & Pontificis apparatus, qui erant ampliſsimi, inanibus verbis elevando Raphael boni civis optimiq; popularis nomen ita conſequutus eſt, ut privatæ libidini incumbens, ſibi ad petitionem dictaturç, vel exitioſis artibus viam permuniret, unusq; ipſe malo publico, privatoq; exitio ſuo proclinatas iam ad pacem civium voluntates pervertiſſe diceretur. Itaq; Carduccio ad arma paranda vehementer inflammato, conſtantiſſimeq; pro popularibus Remp. adminiſtrãte, quç excogitari poterant pro defenſione civitatis accuratiſsimè adverſus hoſtes parabantur. Interea Cæſar è Genua Placentiam contendit. Ei adventanti tres Pontificis legati præſtò fuerunt, ut eum Pontificiæ ditionis fines intrantem ſacramẽto adigerent, quo de more iurare cogebatur, nunquam ſe Pontificiæ libertati vim allaturum. Ea autem iuſiurandi formula verbis ritè conceptis ex ſacris cerimoniarum libris petebatur. Sed Cæſar ſui imperatorij iuris appoſitè memor, ita iuravit, ut ſe de iure ſuo nihil deceſſurum teſtaretur. Placentiam ſiquidem & Parmam urbes tanquam Mediolanenſi imperio antiquitus attributas: quoniam id Cæſarum imperatorum beneficiarium ſemper fuiſſet, non obſcuro, nec intermiſſo iure repetere videbatur. Antonius quoque Leva ad inviſendum edocendumq; Cæſarem Placentiam deſcendit. Is Cæſari aulçq; proceribus cum mutua gratulatione dux mirus & incomparabilis eſt viſus, vel ob id præſertim, quod tantis rebus geſtis, totque partis victorijs, vel occupante totos artus miſerabili morbo, animo pariter & corpore indomitus nunquam à munere militari diſceſsiſſet. Sæpe enim lectica vectus, illigatusq; faſcijs propter acerbiſsimos nervorum dolores acie conflixerat, expugnarat oppida, diverſorumque hoſtium ſibi incumbentium conatus infregerat, ita ut ſi proſpera utere-

tur valetudine, non ſuæ modo, ſed ſuperioris etiam ætatis duces, fama & laude ſupergreſſurus crederetur. Is diſertè atque appoſitè quæ geſsiſſet, & quæ geſturus foret diſſerens, pacem è cogitationibus Cæſaris excutere conabatur, quòd vir belli gerendi conficiendiq; avidus, unde ſibi certum decus, immenſasque divitias pararet, omnia ſibi facilia ad pleniorem victoriam de hoſtibus parandam, obventura prædicaret: eo quidem fortaſſe iactantius quàm prudentem deceret ducem, quòd Sfortianas pariter tanquam exiguas: Venetas verò copias tanquam parum efficaces, & pro alieno commodo nunquam aſperioris pugnæ aleam ſubire ſolitas facilè deſpiceret, eoq; præſertim contemptius & tutius: quoniam Venetos deſcendentibus Germanis ad oppidorum ſuorum præſidia, Feltrium ducem ipſum & cohortes quas ad Abduam haberent, revocaturos divinaret. His Levæ ſermonibus fiebat, ut Cæſar magnopere gauderet, neque tamen ab inſtituto parandæ pacis conſilio ſe deijci, aut longe abduci pateretur, quòd ea quæ Clementi promiſerat, rata facere ſuæ dignitatis eſſe ſtatuiſſet, ut tandem ipſe imperatorij diadematis honore compos fieret, mederet urque afflictæ Italiæ incommodis, & propterea pacem pararet ut fratri Ferdinando Turcarum circumvento armis matura præſidia digna ipſo, traductis in Germaniam Hiſpanicis copijs præberentur. Clemens enim, ad quem unum ſalutis ſuæ cauſa Franciſcus Sfortia confugiebat, ratus Etruſcũ bellum nequaquam confici poſſe, niſi compoſitis Galliæ Ciſalpinæ rebus, id præcipuè ſicuti ſemper aliàs à Cæſare poſtulabat, ut ipſum Sfortiam quem inſontem criminis exiſtimare fas eſſet, in gratiam reciperet, & in regnum paternæ hæreditatis reſtitueret: ex cuius facti glorioſa liberalitate ſtudia hominum ſibi eſſet conciliaturus, poſtquam undique victori principique magnanimo nihil potius appetendum foret, quàm eximiæ moderationis decus, quod maximè ſpecioſum atque honeſtiſsimum eſſet. His Pontificijs adhortationibus quanquam Cæſar omnino obſequendum ſtatueret, magnopere tamen dulcedine maximi pulcherrimique imperij potiundi diſtinebatur, uſque adeo ut à pleriſque commutata voluntate in conſilio reſtituendi Sfortiæ nutare crederetur: ob idq́ue præcipuè, quoniam dum hæc per legatos tractarentur, Antonius Leva nullam gerendi belli occaſionem prætermittendam ratus Ticinum urbem rurſus occuparat, ingenti celeritate admotis caſtris, avaro ſcilicet perfidioſoque præſidij præfecto Aunibale Picenardo impudentiſsimè atque turpiſsimè ſe defendente, ut ſeſe incolumem cum præda omni quam undiq; coegerat opulentam ex pactione conſervaret. Sed eius facti ignominia non multò poſt uſque adeo atrociter laboravit, ut vituperantibus cunctis, ad mortem uſque inſania corriperetur. Pari quoque felicitate Antonius Caſtellum ſancti Angeli Laudenſi via ad Lambrum amnem poſitum, in poteſtatem redegit, miſſo in eam expeditionem Ludovico Balbiano cum delecta parte copiarum. Is uti erat impiger Sfortianoque nomini maximè infenſus, ita oppidum adortus eſt, ut nactus noctem pleniſsimo imbre turbulentam, Sfortianis & Venetis præſidiarijs fruſtra repugnantibus, muri corona potiretur, quum imber omnem penitus ſclopettorum uſum, extinctis funiculis, defenſoribus eripuiſſet. Edita eſt non parva cædes, quum ſclopettis abiectis, ad haſtas & gladios rem deduxiſſent, iniqua propugnatorum conditione, quando pauci, amiſſo tormentorum præſidio, cui maximè confidiſſent, tanquam deſerti à Fortuna, inopinatoque timore præpediti ſternerentur. Id oppidum inexpectato amiſ-

ſum

ſum tāto dolore Sfortiam affeciſſe viſum eſt, ut geminatis cladibus, tota ſpe impetrandæ pacis decideret, & Clemens longè graviſsimè perturbaretur; veritus ſcilicet ne Cæſar nova ſecundarum rerum fiducia impulſus, uti à familiarib. factioſisque depravatus, ad bellum ſpreta pace traheretur. Sed ea fuit in ipſo animi conſtantia, eaque ratio moderationis atq; virtutis, ut ullo pacto flecti nequiret, quod conceptæ atque propoſitæ pacis ſpem, eluſo Pontifice minimè corrumpendam arbitraretur. Id verò ut ſtatueret graviter adducebatur, propter Turcas quos in Noricum effuſos eſſe didicerat, ſummo Viennenſium periculo, cladeque regionis, quando quidem cuncta cædibus & incendijs permiſcerent. Sub id quoq; tempus Rodericus Portundus Hiſpanicę præfectus claſſis Barchinonem reverti iuſſus ſummum fœdæ calamitatis infortunium ſubijt, commiſſo namque navali prælio cum Turcis prædonibus, claſſe exutus eſt, atque interfectus, tam ſua exitiali, quàm Reipub. damnoſa temeritate. Quomodo autem res geſta ſit, paucis enarrare lubet, ut noſtri homines nuſquam ſuperbia efferri, nec barbaros, qui pertinacibus animis nullo mortis metu ferrũ in noſtros exercent, deſpicere condiſcant. Portundus ex itinere prædones ſe adepturum ratus, qui tum Balearico in mari vagabantur, quum ad Ebuſum inſulam perveniſſet, ibi didicit prædonum quindecim navigia, quæ remis agerentur, ad Colubrariam inſulam conſediſſe. Ea abeſt ab Ebuſo decem milibus paſſuum Frumentariaque à nautis appellatur. Itaq; evectus in ſpem opprimendæ piraticę claſsis, ex quindecim ſuis triremibus, validiſsimas octo deligit, eaſque cæterarum remigibus, & epibatis complet, impetratq; à prætore Ebuſano centum circiter, & quinquaginta notæ virtutis propuguatores, quos in triremes diſpertit. Hoc auctus numero, confirmatoq; ſuorum perſidio, non dubitat quin cum barbaris omnino ſit confligendum, compoſitisque armamentis de tertia vigilia ab Ebuſo ſolvit, & ad Colubrariam progreditur. Barbari à medio pelagi ſpatio adventantes triremes conſpiciunt, celeriterq; è litore ſe expedientes navigia conſcendunt, atque arma parant. Portundus quum Ioannes eius filius iam inalbeſcente cœlo, hoſtilium navigiorum claſſem numeraſſet, ideoq; admoneret patrem ne properaret congredi numero impar, vehementer eum acerbeq; ignavia increpita obiurgauit, uſq; adeo inſolenter, ut diceret eum nõ eſſe ipſius Portundi filium, qui hoſtem reformidaret biremibus tātum ex ſpeculatorijs mioparonibus inſtructum quando ipſe vel ſua tantùm prætoria trireme, cuncta ea barbarorum leviora navigia eſſet demerſurus. Erat Portundus animo certè egregio & forti, ſed valde elato ſuperboq;, quandoquidem ab inani iactantia contumacem & indomitum, nulla vel certi, vel præduri diſcriminis reputatio, nullaque vel horribilis præſentis periculi oblata facies perterreret. Tum filius qui cum virtutis, tum prudentiæ præcellentis erat, dij faxint pater, inquit, ut nos concepti timoris diſpudeat potius quàm doleat. Eo modo Portundus ſuæ prætoriæ ita curſum intendit, ut reliquas quæ remigio minus valebant, anteiret, & reſpiciens, remos tolli iubere cogeretur, ſcilicet ut conſequendi ſpatium præberet, quæ ad æquandam frontem cum voce, tum maritima ſignificatione, ut accelerarent accerſebantur. Haidinus Smyrneus archipirata, cui Cacciadiabolo cognomen fuit, ubi inæqualem hoſtium curſum deprehendit, quod longam intercisa ſerie nullam conſerturi frontem cum prætoria videbantur, advocatis commilitonibus navigiorumq; magiſtris (ita enim barbari trierarchos appellant) hoc conſilij expedita deliberatione ſuſcepit, ita di

viſis pugnæ muneribus, validiores biremes noſtris hoſtilem claſſem rectà ferirent: leviores autem ſingulas binę à lateribus aggrederētur. Favit fortuna prędonibus æqua, noſtris verò infeſtiſsima: nam Aſlanes Celebinus, & Solymanus audaciſsimi omnium & pugnaciſsimi uno tempore, hic à latere, ille rectiſſimè a prora in prætoriam invecti, priuſquam ſuccurri poſſet, Portundum capta Prætoria cum ſuis omnibus propugnatoribus trucidarunt, ita ut vexillum repente, quod magnopere cæterorum animos imminuit, ſterneretur, pariq; celeritate Haidynus ipſe triremē ſuccedentem Ioannis Cantabri quæ à Gallo, id erat puppis inſigne, cognomen habebat, conſcendit, & Cantabrū cum univerſis navalibus ſocijs interfecit. Eodem puncto temporis Salecus Derthuſenſem triremē, in qua erat Ioannes Civeres Trierarchus proximamq; huic Ioannis Portundi filij, magno impetu adortus interfecto Civerio, & Ioanne capto, propugnatoribusque omnibus trucidatis occupavit. Eodem quoque ſemihoræ ſpatio Matthæus Sances à Saba prædone expugnata trireme interfectus eſt. Maggalis verò poſtremas, & converſis puppibus aufugientes uſque adeo acriter eſt conſectatus, ut alteram in qua erat Martinus Ariegus, velis & remis proſperè antecedentem amitteret: alteram verò in qua erat Ioannes Corduba, ſcopulis ſeſe illidere cogeret, quæ effugientibus omnibus cum ſolo trierarcho, qui ſupereſſe fœdæ cladi noluerat, capta eſt, Turcis ex victrice claſſe deſcenſione in litus facta effugientes ex trireme ita conſectantibus, ut multò plures quā evaderent, integri caperentur. Aidinus tanta parta victoria tridui quietem remigibus conceſsit, atque inde ad Barbaruſſam cum ſeptem captivis triremibus Algerium traiecit, cuius adventu victoriaque maximè lætatum ferunt Barbaruſſam, qui ex eius victoriæ fama apud Solymanum imperatorem plurimum inclaruit, quum ei Byzantium uſque dono miſiſſet ſplendidiora eius victoriæ ſpolia, ipſumque in primis Portundi prætorium vexillum, & ſumptuoſi operis puppis integumentum. Hoc loco minimè abſurdum putavimus, prædones barbaros proprijs nominibus appellaſſe. Id verò duabus de cauſis fecimus, quòd ſequentibus bellis, quę ſuo ordine referentur, eorum virtus efficax, ſi hoc honeſto nomine vis effera vocanda, ſic crebro noſtro incommodo multum inclaruerit, & demum illi victi pulſique Tunetanæ Cæſaris victoriæ famam auxerint, inſignique omnium mari noſtro navigantium lætitia latius extenderint. Cæterū Barbaruſſa acceſsione tot triremium captivarum, totq; noſtris hominibus ad tranſtra cathenatis, inſtructior atq; validior factus, maiora animo agitare cœpit, aſciſcereque ſibi novas vires, atq; arridentis Fortunæ ſecundas vices experiri conſtituit. Iam enim fraterni imperij compos, Hariadenus vocari volebat, ad differentiam Horuccij fratris, qui primò idem ab ænea barba cognomentum tuliſſet, cuius cognominis & Fortunę hæres multis rebus in Africa fortiter atq; feliciter geſtis, terra marique rex metuendus evaſerat, magno quidem Fortunæ ludibrio, ſi humilis piratæ deſpiciendam ab initio conditionem reputemus, poſtquam ad id humanæ ſuperbiæ faſtigium aſcenderit, ſicuti ſuo loco exordientes à prima eius è patria Lesbo profectione diffusè narrabimus. Igitur ante omnia miſſo ad Mœnicem inſulam, quam Gerbim vocant, Tabacco trierarcho Synam Smyrnæum cognomento Iudæum ſummæ prudentiæ uti conſtat archipiratam, certo fœdere ſibi coniungit. Is viginti quatuor biremibus imperabat, uniq; triremi, quam Gallis ereptam cognomine Nigram appellarat, cui Halicolam Corſum à pueritia alumnum

lumnum pro trierarcho præfecerat, qui & ſuo nomine expeditam triremem cognomento Calabram trahebat. Synas quum ſubduci & refici claſſem iuſsiſſet, interea Tunetum contendit, ibiq; repertum inſignem prædonem è Cilicia, qui Halicotus vocabatur, æqua conditione tranſigit, ut ſecum ad Barbaruſſam enaviget, atq; ei operam præſtet. Halicotus quatuor habebat biremes, & duas quæ Neapolitanæ fuerant, ad Argentarium montem captæ, quum fortè tormentarij pulveris & pilarum certam copiam ad Cęſarianos, Florentiam oppugnantes, iumentis deportandã expoſuiſſent. Altera fuit Iuſtiniana Gibba quæ in litus effugientibus remigibus pariter atq; vectoribus, vacua in poteſtatẽ devenerat. At altera fuit Aloyſij Hiſpalenſis, qui expugnata trireme interfectus eſt. Horum omnium viribus in unum coactis Barbaruſſa ad Algeriũ claſſem luſtravit ſexaginta navigiorum militariter ornatorum, initaq; deliberatione cum ſocijs, urbem Gades in freto propter opulentiſsimi emporij famã adoriri conſtituit. Dum propoſito conſilio Barbaruſſa diligenter incumbit, Halicotus cum dimidia ferè claſsis parte Algerium mittitur, ut ibi magnam vim frumẽti nactus, nautici panis, quẽ biſcoctum vocant, ampliorem copiam paret, & reliqui cõmeatus iuſto numero ſe inſtruat, armamentaq; pluteos & tormenta coaptet. Hęc quum Algerij, Cercelliq; impigrè atq; avidè parantur, Andreas Auria vehementer offenſus incommodo cædeq; Portundi, vetereq; ſuo contra prædones odio incenſus, quòd publicam iniuriam vindicandam rebatur, validiſsimam roſtratarum navium claſſem Genua eduxit, cui ſe Gallicæ triremes adiunxerant: quoniam rex Franciſcus maximè pium, ſibiq; decorum exiſtimabat armis perſequi Piratas communes humani generis hoſtes, obliviſciq; indudum cõciliati Cæſaris gratiam, totius ſimultatis, quę ſibi cum Auria nuper interceſsiſſet. Auria ad Baleares inſulas curſum tenuit, ibiq; didicit Piraticæ claſsis alteram manũ eſſe Algerij, alteram ſedere ad Cercellum. Idcirco conſilium expedit alteramq; earum priuſquam in unum coniungantur, invadendam cenſet, apertoq; mari rectà in Africam Cercellum verſus curſum intendit. Erant ei triginta octo roſtratæ omnes triremes. Has advenientes Mauri è ſpecula promontorij olim Carapulæ, quod nos Battalium: Pœni verò Gyra Flumar appellant, facilè conſpiciunt. Id verò quòd vidiſſent referentes, Halicoto ſe Barbaruſſæ claſſem quum deciperentur, adventare confirmabant: ſed ut id crederet Halicotus, vel ea ratione adduci non potuit, quoniam ea adventans claſsis parem navigiorum magnitudinem certa ſpecie referret, quæ proculdubiò eſſet externa atq; inimica, poſtquã nulla inter eam minora apparerent navigia, ſicuti neceſſe eſſet in Barbaruſſæ claſſe, quum maiores minoresq; biremes, & parvos mioparones ſpeculatorios ex ſua conſuetudine eſſet adducturus. Iam ſenſim appropinquantes Aurianæ triremes quales eſſent, ſeſe intuentium oculis præclarè oſtendebant. Propterea Halicotus raptus in id conſilium quod inopinata neceſsitas afferebat, ſingulari celeritate Chriſtianis remigibus cathenas detrahit, qui erant numero circiter octingenti eosque in ſubterraneum carcerem detrudit, partem triremium perforata carina, ne his potiatur hoſtis, in portu demergit: Turcas omnes ſecum adducendo arcem intrare iubet, præcipitq; Mauris ut oppidum relinquãt, & ad evocandos proximæ viciniæ Numidas, & montanos agreſtes, bellicoſosque homines in auxilium accerſant. Dum hæc turbatè adminiſtrantur Auria adactis proris portum atq; oppidum occupat, tresq; cohortes ſub vexillo ad quęrendum car-

cerem, liberandoſque Chriſtianos ſervos dimittit. Nec mora, certo indicio ergaſtula omnia refiguntur, & cum magna gratulatione ſervi è ſumma miſeria beati repentè facti per triremes diſtribuuntur. Cæterùm navales ſocij per oppidum diſcurrunt, cunctaſque domos diripientes, per varias regiones diſsipantur, nec reclamante, revocanteque ad tubę cantum Auria ſe recipiunt, quum rapinæ ſpes omnem pudorem in milite nuper collecto conſcriptoque penitus extingueret. Id diſſolutæ diſciplinæ factum ab arce Halicotus deprehendens, ſubita eruptione diſperſos invadit, opportuneque ſuperveniunt auxilia Numidarum, qui ęquato peditum atque equitum curſu, inopinantibus noſtris advolarant. Commiſſa eſt atrox cædes in noſtros potius quã pugna, quòd nemo præpeditus complexu prædæ, & inopinato pavore perturbatus uſquam conſiſteret, aut viriliter repugnaret: nam quiſq; ad repetendam claſſem concitatus à pluribus trucidabatur. Eam verò fugæ ignominiã iratus Auria, ut aliquo remedio ſiſteret, poſtquã nemo imperijs ſuis parebat, paululum è litore triremes abduci iuſsit, ut ſpe inſiliendi erepta, milites ad pugnam, ſalutis metu arma atq; animos cõverterent. Sed tanta erat impreſsio Barbarorum nemini parcẽtium, Turcarumq; præſertim qui gravibus ſuis incurvis gladijs rem gerebant, ut plures natandi imperiti, & malignè propter id dedecus à claſsiarijs adiuti, fœdiſsimo interitu mergerẽtur, ſic ut paulo minus quadringentos Auria deſiderarit, quum vix ſexaginta cum Georgio Pallavicino nobili ſignifero vivi in poteſtatem hoſtium veniſſent. Verùm Auria id detrimentum æquiore animo tulit, quòd ab ſe tot Chriſtiani nominis ſervos in libertatẽ aſſertos eſſe videbat, & aliquot eorum maiora navigia remulco ſecum abduxiſſet. Hac re geſta proculdubio Gadibus ſalutem attulerunt: nam Barbaruſſa ea ſpe deiectus ad minora latrocinia deſcendit. Iam Cæſar (ut ad hiſtoriæ ſeriem revertamur) circiter duos menſes Placentiæ Parmęq; exegerat, quum optatiſsimum à Ferdinando fratre nuncium accepit, Turcas, qui per multos dies irrito conatu Viennam obſediſſent, & cuniculis oppugnaſſent, deſperata expugnatione retro abijſſe, Solymanumque ipſum non dubio concepto pudore, quòd ei Fortuna cœptis aliàs arridere ſolita tantos conatus eluſiſſet, tripartitò in Thraciam reverti cœpiſſe. Tempus poſtularet ut hoc loco quo impetu Solymanus in Pannoniam venerit, reiectuſque à Viennæ mœnibus inglorius in Thraciam redierit, ex rerum geſtarum ſerie narraremus, ſed bono iure hic hiſtoriæ tractus in alium locũ omnino commodiorem atq; aptiorem traijciendus videtur, ne dum ſingula rerum membra ſecare, & præcipuis temporibus coaptare contendimus, rerum cognitio conciſè atq; confuſiſsime legentib. proponatur. Hac ſingulari lætitia perfuſus Cæſar, rectà Bononiam contendit, quò iam paulò ante Calend. novembres Clemens pervenerat. Ex itinere autem ſuſceptus eſt apud Regium Lepidi, Mutinamque magnificentiſsimo Alfonſi Ateſtini Ferrarienſis principis apparatu. Excipitur ergo triumphali pompa ſummis honoribus, incredibili omnium lætitia, ipſe paludatus, & militaribus armis una dempta galea undiq; protectus, albo inſigni equo, regio ſumptu phalerato, à Mutinenſi porta in forum provehitur. Præceſſerant quaterna vexilla, cum levis, tum gravis armaturæ Belgarum equitum, ſagulis, criſtis, & colorũ varietate ita inter ſe diſtinctis turmis, ut quorum ducum eſſent, ab ipſo inſignium & veſtitus argumento facilè noſcerentur. Succeſsit inde peditatus toties victor, non tam opimis hoſtiũ ſpolijs exornatus, quàm armorum fulgore ac aſpectus feritate terribilis, ad tru-

cem

tem tympanorum ſonitum,& graves tibiarum modulos,gradu ſuperbè compoſito,ſub ſignis introductus. Quadratam umbellam auro purpuraque diſtinctam gymnaſiarchæ,& celeberrimi bonarum artium profeſſores in togis ſericis præferebant. Latus Cæſaris à decora Bononienſium iuventute,non cuſtodiæ,ſed honoris cauſa cingebatur. Prætor urbanus,& decuriones cum vexillifero,et à Quadraginta virali magiſtratu,primoribusq; patritijs ſplendidiſsimi ſuccedebant. Conſtitit in médio foro Antonius Leva æger pedibus,ſed vivacibus oculis pugnaciſsimi ducis habitum præſeferens,ac ut magis ob recentem bellicæ conſtantiæ & rerum geſtarum gloriam,omnium oculis offerretur,in ſublimi ſella geſtatus,hinc veterana Germanorum legione,illinc Hiſpanorum cohortibus,ita prædenſa acie directis,aut obverſis,& tormentis in fronte collocatis,ut exercitus concurſurus eſſe videretur. Erant iuxta Cæſarem illuſtres reguli,auro in lacinijs vel ſolido bracteato,vel acu pingente inducto,vel ad luxuriem conciſo,itemq; exquiſitis armorum & equorũ ornamentis maximè ſuperbi. Secundum eos prælata eſt Romana Aquila aureo in vexillo picta,ac itẽ candidum aliud vexillum purpurea cruce diſtinctum,ſub quibus totius aulæ familia ex flore gentium omnium delecta,& nobiliſsimi Hiſpaniæ ſacrati religione equites Cæſaris veſtigia ſequebantur. Prætorianus miles cuſtodiæ corporis aſſuetus,diverſis ſub ſignis Hiſpanus,Belga,Germanus,in croceis ſagis agmen extremum clauſit,& quicquid in foro ſpatij reliquum fuerat,occupavit. Erat erectus in Petroniani templi veſtibulo peramplus ligneus ſuggeſtus,periſtromatis,& aulæis ad loci dignitatem undique protectus,in quo Cardinales & epiſcopi,cæterique minores ſacerdotes purpurati,ſuo quiſque ordine conſederant. In medio autem præalta in ſede mitratus Pontifex Cęſarẽ expectabat. Ille itaque nobilioribus tantùm regulis,principumque legatis ſibi aſcitis,equo deſcendit,ſubeuntem per gradus Cardinales duo deduxere. Tum verò ut prodijt,omnium oculi in duos longè maximos terrarum orbis dominos ſunt coniecti. Explorabat enim quiſque valde ſuſpenſus & tacitus,propter memoriam veteris diſſenſionis & recentis amicitiæ,an ora ipſa interiores ſenſus nunquam ex toto fallentia,ſubitis illis affectionum & nutantis animæ momentis obedirent. Erat vultus Cæſaris in geſtu militari & gravi,blanda quadam lenitate,verecundiaq; perfuſus. Clementis verò facies ita ſubito ad eius occurſum exhilarata eſt,ut vel ob id maximè lętari crederes,quòd illũ multo humaniorem & auguſtiorẽ quàm putarat,eſſe conſpiceret. Varia ſiquidẽ ab Hiſpanijs,& falſa quidem,de Cæſare plerique malignè retulerant,& multi etiam ultrò trepidis animis,propter acceptas tot inuſitatas clades,ſibi illũ fingebant,uti alterum Arioviſtum,aut Rotomalcem,aliquo ſcilicet vultu Cimbrico & feritate Gothica metuendum,ac ipſius denique militibus,ferocia & ſpiritus immanitate perſimilem,qui devictis & ſtratis tot hoſtium exercitibus,tot urbibus direptis,evaſtatiſque provincijs,divina ac humana omnia dira confuſione miſcuiſſent. Sed iam fuerat exceptus Genuæ,Placentiæ cognitus,Parmæ demum,Regij,& Mutinæ,cum ſumma omnis generis hominum gratulatione ſalutatus,utpote qui paſsim humanitatis,abſtinentiæ,pietatis,atque iuſtitiæ monumenta,abſq; ullo vel ſuperbię,vel crudelitatis,vel libidinis veſtigio reliquiſſet. Enimverò,quo nihil eſt in rege popularius & gratius,aditum cunctis,atq; aures ſumma benignitate & ſingulari patientia præbuerat,dederatq; obiter reſponſa ſpei,æquitatiſque pleniſsima,quæ propoſitis poſtulatorum

retur. Veneti per Gaſparem Contarenum divini ingenij & felicis induſtriæ legatum non proferendi imperij, ſed tuendæ publicæ omnium libertatis cauſa, adverſus Cæſarem arma cœpiſſe teſtabantur. Proinde eas urbes quas in Apulia, Galliaque togata poſsiderent, Cæſari atque Pontifici ſtatim eſſe redditu ros, adiuturosque pecunia Cæſarem, ſi ille erga Franciſcum Sfortiam clementia & lenitate liberaliter uteretur. Cæſarem etiam ipſe Pontifex ab initio belli fuerat obteſtatus, ut Sfortiam deprecantis Italiæ præcibus condonaret, vel humani iuris æquitate, ſi ei falsò perfidię contumelia fuiſſet impoſita, vel illa pręclara clementiæ virtute, qua reges Dijs immortalibus æquantur, ſi in maieſtatem aliquid ingrato infidelique animo lapſus admiſiſſet. Ad quam quidem rem ſingulare Pontificis ſtudium, ac inſignis authoritas momenti plurimum afferebat ijs conſilijs approbandis, quę honeſta, tuta, decora, atq; uſu omnibus commoda cenſerentur. Nemo enim eo gravius atque prudentius de magnis rebus diſputare, & diverſas ſententiarum opiniones acutius ponderare, conſi- tareque didicerat. Addebant dictis fidem utriusque Fortunæ facta pericula, & quæ Chriſtianos animos facile perſtringit, illa inveterata religionis opinio: & ea quoque erat promiſſæ barbæ intempeſtiva & veneranda canities, ut apud Cæſarem cuncta pie & graviter æſtimantem, & carceris & tot cladium memoriam facile renovaret. Sed tanta erat altitudo iudicij Cæſaris, tanta moderatiſsimi eius animi religio, & tantum denique pacis & concordiæ ſtudium, ut nihil regali faſtigio dignius atq; præſtantius exiſtimaret, quàm omnia conſilia ad verum decus, ad ſolidam pietatem & ad animi magnitudinem revocare, ut arma in Turcas, adeo inter nos impiè fœdeque tractata, verterentur.

Quippe qui non adumbratam, ſed veram & vividam, non Fortunæ adminiculis quæſitam, ſed a fonte ipſo propriæ virtutis profluentem gloriam ſectaretur. Itaque Solymano Turcarum imperatore iam à Viennæ Noricæ mœnib. cum ſtrage ignominiaque depulſo, atque eo Byzantium pręcipiti fuga properante, quum nihil iam hoſtile inde amplius eſſet timendum, pacare cuncta conſtituit. Evocatur extemplo Bononiam Franciſcus Sfortia: procumbit ad eius pedes, redditoq; diplomate, quo illum data fide ubiq; terrarum Cæſar ſaluum & tutum eſſe iubebat, ſalutem, imperium, & ſpes denique omnes uni Cæſaris probitati, fideique committit. Quoniam innocentia fretus, omnia ſe ex illius ęquitate humanitateq; ſperare prædicabat. Tum verò ſtupentibus cunctis, videre licuit quantò Cæſar eſſet omni ſua fortuna maior & excelſior. Certarat pro imperio Madiolanenſi, deſertus à ſocijs, ab omnibus oppugnatus, in qua contentione omnes omnium vires ingentibus partis victorijs præclare contuderat, & quum aliquando nutante partium Fortuna, in dubia ſpe victoriæ verſaretur, honeſtas pacis cōditiones ſemper elato conſtantiq; iudicio repudiarat, ne quod virtute atq; una animi magnitudine erat facturus, veluti ignobili metu ſubactus, & præſenti impulſus neceſsitate feciſſe videretur. Habet enim hoc in ſe regius eius animus, veluti excellenti & perfecta virtute præditus, ut nunq̃ vel acriter urgente Fortuna, abiectè ſe demittat, vel ea penitus arridente intemperanterq; extollat. Ergo ubique victor & triumphator, ſupplicem in gratiam recipit, Mediolanenſium ducem appellat, & tabulis Auguſtialibus rite confectis, totum ei paternum regnum adiudicat, neq; amplioris pecuniæ tributum imponit, quàm ab initio & ante diſſenſionem imponendum eſſe cenſuiſſet.

Nec multò poſt Calend. Ianuarijs ſolenni adiecta precatione ſacra peragũtur,

ab incredibili hominum frequentia, exoptatum afflictis Italiæ populis, inſperatæ pacis nomen excipitur. Præſentes Clemens Pontifex & Carolus Cæſar, orantis Romuli Amaſæi viri eloquentiſsimi voce Chriſtiani nominis conſervatores, ac optimi maximi Italiæ parentes appellantur. Obortas prægaudio lachrymas vix continent viri togati, optimi cives, ſanctiſsimi ſacerdotes, legati regum omnium, Gallię ſcilicet, Britanniæ, Luſitaniæ, Scotiæ, Pannoniæ, Sarmatiæ, Daciæ, Veneti Senatus, ac item Allobrogis, Ferrarienſis, Mantuani, Vrbinatiſq; regulorum, ac liberarũ etiam civitatum, Genuenſium, Senẽſium & Lucenſium, cunctiq; demum proceres & principes, ipſeq; ante alios Franciſcus Sfortia honoris cauſa ſeſſum inter poſtremos Cardinales receptus. Ea enim dies tranquillitati initium, & ærumnis finẽ allatura videbatur. It fama per urbes Italiæ, externaſq; provincias omnes Veneti ſenatus æquitatem, abſtinentiam, in appetenda pace ſtudium, in gerendo bello conſtantiam admirantur. Clementis verò quòd deſperatæ pacis conficiendæ implicatum turbidúmque negotium generosè, divinéq; ſuſceperit graviter appoſiteq; tractarit, proſperè & ſalutariter confecerit, iudicium ſubtile, induſtriam vehementem: inuſitatam verò felicitatem, in cœlum eximĳs laudibus ferunt. Cæſarem uti verè imperatorem quòd omnibus proferendi imperĳ cupiditatibus imperaret, uti verè victorem, quòd ſeipſum alĳs parcendo præclarè devinceret: uti verè liberalem, munificum, largitorem, quòd regnum dare quàm accipere maius & pulchrius exiſtimaret, admirabili quodam genere gratulationis et laudis proſequuntur. Soli mortalium veterani, quibus natura odioſum pacis nomen eſſe conſuevit, moleſtè & inſolenter ferre id inexpectatum, & propterea clariſsimum Cæſaris factum vehementer dolere, ac invidia commoveri, quòd perpetua belli commoda, & victoriarũ pręmia, eo importuno pacis nomine perderentur. Summa tamen Cęſaris æquitate & liberalitate ex agro Inſubrum aſſentiente Sfortia, præmia ſunt decreta Antonio Levę, ac Alfonſo Davalo Vaſtio, minoribuſq; ducibus, qui eo bello fortiſsimam operam navaſſent. Interea Cæſaris uxor Iſabella puerum peperit, cui propter avi materni memoriam Ferdinandi nomen impoſitum. Eius nuncĳ lætitiam celebravêre inſignes Hiſpaniæ reguli, magnificẽtiſsimo apparatu, arteq; mirabili, ad equeſtris pugnæ ſimulacrum Maurorũ iaculatorum cultu, in ſcuta paſsim coniectis arundinibus decurrẽtes. Quum hinc Oſorius Aſtorgius, illinc Paceccus Aſtalonius, ornatiſsimi duces ſingulas turmas ſpectante Cæſare in forum pugnaturas induxiſſent. Concurrere etiam quatriduo Itali, Belgæ, Hiſpaniq; equites cataphracti inſignibus amatorĳs & militaribus ornamẽtis valde cõſpicui, panno aureo ac altero item purpureo, à ſenatu Bononienſi ad virtutis pręmium, et in honorem Cæſaris hylari benignitate propoſito, tulitq; pręmium Altamirus ex ulteriore Hiſpania regulus, quod plures quàm quiſquam alius haſtas in adverſis concurrentiũ pectoribus infregiſſet. Per eos dies Hiſpanorũ & Germanorum copiæ ex agro Mediolanenſi, Brixianoq; iuſſu Cęſaris, hortatuq; Põtificis deductę, diverſis Apennini iugis in Etruriã deſcenderunt, hęſere tamen in nivoſis ſaltibus ęnea tormenta, quũ vapore Solis reſoluta, & curruũ pondere fracta glacies, cœnoſæq; nives, rotas ad axes uſq; devoraſſent. Eas copias in unũ coactas, Vaſtius à citeriore Arni fluminis parte in ſuburbana ad conſpectum Florentiæ urbis perduxit, ut Florentini duobus exercitibus, hinc ab ipſo Vaſtio, & illinc è veteribus caſtris trans Arnum ab Aurantio, obſidione & minutis

lentæ oppugnationis prǽlijs prǽmerentur, omniſque pabulatum & lignatum exeundi facultas, præciſis egreſsibus concluſo hoſti, & niſi per ſumma pericula erumpenti, penitus adimeretur: Poſtquam eos qui rempublicam gubernarẽt, obſcuros novosq; homines ad privata potius commoda, quàm ad urbis ac imperij, & publicam denique totius populi ſalutem reſpectantes, nihil pro ſanis facturos apparebat: Quoniam legatos cum mandatis inanibus & parum expeditis de pace poſtulatis ad Cæſarem Pontificemq́ue miſiſſent, & tunc maximè deiectis optimatibus libertatem illam non modo leniſsimo Mediceorum dominatu, ſed quavis acerba tyrannide ſæviorem, obſtinatis inſanisq; animis tueri uſque ad interitum patriæ ſtatuiſſent. Interea Cæſar propter pituitæ redundantiam, quam grave per hyemem cœlum invexerat, periculoſo anginæ morbo laboravit, ſolicitis de eius ſalute omnium animis: quoniam Philippum patrem, & Maximilianum avum, ea ſǽpius tentatos fuiſſe meminerant. Sed Narciſsi Neapolitani medici valde fortunati peritia, qui ei ab adoleſcentia ſemper aſtiterat, celerrimè convaluit. Per eos dies ſenatus Venetus longè omniũ quas unquam emiſiſſet, ornatiſsimam legationem ad Pontificem Cǽſaremq; tranſmittit. In ea fuere Marcus Dandalus ætatis honore, & optimorum ſtudiorum gloria facilè princeps, itemq́ue Aloyſius Mocenicus ſummæ gravitatis patritius, & Memphitica ad Selymum legatione clariſsimus, et Hieronymus Gradenicus vetus ſenator qui Romæ apud Hadrianum legatus fuerat. Porrò Laurentius Bracadenus florentis eloquentiæ philoſophus, & Nicolaus Teupulus graviſsimarum artium, & Etruſcorum carminum laude celebratus, & Antonius Surianius vir eximio rerum uſu & doctrina præditus ſingulari, & Gabriel Venerius vir prudens, efficax, aſsiduus, conſtans, qui Sfortiæ difficillimis temporibus ſemper affuiſſet: poſtremo Gaſpar ipſe Contarenus Venetorum ab excellenti virtute lectiſsimus. Erant in lato clavo vel aureo vel purpureo ad humeros fibulato, torquati fermè omnes, & à quodam auguſtæ gravitatis habitu venerabiles. Pontifex eis ſenatum dedit, advocatis etiam minoribus aulæ ſacerdotibus, & triduo poſt Cæſar in peramplo conclavi conſtituta ſede, proceribus circumſeptus eos ſuſcepit. Bracadenus utroque in loco orationem habuit ſplendidam, gravem, luculentam, exquiſito laudum genere pleniſſimam, qua gratias nomine ſenatus agebat, quod optatiſsimam pacem turbulentiſsimo tempore Chriſtianis ferè omnibus peperiſſet, offerebatq; Venetas opes, ſi quid egregium, & ſummis Chriſtiani nominis principibus dignũ, concordibus animis agitarent. Latinè oranti continuò per utriusq; principis epiſtolarum magiſtros, qui erant a Pontifice Evangeliſta Taraſconus, & à Cæſare Mercurinus Cardinalis, brevi latina oratione fuit reſponſum. Donavit demum ſingulos legatos Cæſar quingentis aureis, & quanquam dimiſsi eſſent, aliquandiu tñ Bononiæ ſubſtitere, ut eum diem quo Cæſar Romani imperij coronam eſſet accepturus, ad declarandũ ſenatus ſtudiũ honeſtarent. Cǽſar enim multis de cauſis Bononiæ coronari ſtatuerat, quãquam id antea Romǽ faciundum eſſe decreviſſet, ubi ſuperiores Cæſares tanquam in ſanctiſsima ſacrorum ſede, et felici nationũ omniũ domicilio, Vrbeq; ipſa veteris imperij honore antiquorũ triumphis, & ſtupendis ſupremæ fortunæ monumentis longè clariſsima, coronas legitimo iure ſuſcepiſſent. Sed evaſtatǽ urbis & nondũ novis commodis ſublevatǽ calamitoſa tenuitas, & opulentæ ſupellectilis ornamẽtorumq́ue penuria Cæſarem avertebant, quamvis Romani eius ſpe advẽtus ab omni

triſtitia & ſordibus ad lætitiam veteremque ſplendorem revocati viderentur. Erant præterea Cæſari multa opportuno ſtatutoque tempore in Germania perficienda. Nonnulli ſcilicet pacandi reguli, qui ad arma conſternati bellum quàm pacem malle videbantur: aliquæ liberæ civitates confirmandæ, quæ ſe ad Helvetios certo percuſſo fœdere contuliſſent: Appellandus item novus Cæſar procerum ſuffragijs, & deniq; Pannonicis rebus occurrendum: quoniam Ioannes Vayvoda, quem regem Solymanus Budæ ſtatuerat, magnã regni partem obtineret, fretusq; ingentibus Turcarum præſidijs, ad prima veris ſigna in Noricum irrupturus eſſe crederetur. Itaque evocatis omnibus regulis deligitur Iovis dies ſexto Calend. Martias, Matthiæ Apoſtolo dicatus, qui erat natalis Cæſaris, ſemper ei fauſtus, & Ticinenſi etiam victoria lætiſsimus. A medijs prætorijs feneſtris patefacto aditu pons ligneus, penſilis, ſublicis impoſitus incurvo tractu per forum & Petronianũ templum ad aram uſq; maximam protrahitur, & feſta fronde, pictisq; tapetib. exornatur, ut ſine tumultu confundentis & prementis turbæ Pontifex & Cæſar in pompa prætervecti ſpectarentur. Erat de more veterum Cæſarum ut Modoetiæ propè Mediolanum coronam ferream ſuſciperent, quæ indicaret Romano imperio firmitatem ferro & militaribus copijs comparari. Tres enim coronæ Cæſaribus debentur. Prima eſt argentea Germanici ſcilicet regni, quam ſuffragio procerũ Aquiſgrani decennio ante ſuſceperat. Secunda ferrea regni Longobardici: Tertia verò aurea Romani imperij. Præſtò igitur affuere Modoetienſium legati, cuius erãt principes Polydorus Vectius, & Paulus Velanius, qui ad retinendam veteris prærogativæ dignitatem vetuſtiſsimi operis coronam, & annalium codices antiquitate pernobiles detulere. Ea erat ſine florentibus pinnis, in ſimplicem & latum orbem circumducta, ferro introrſus tempora præcingente, ſed exterius auro & gemmis exornata. Biduo itaque antequam tertiam coronam acciperet, in ſacello domeſtico aſtante Pontifice ſacris peractis Cæſar ungitur, ferreáque corona & cæteris regijs inſignibus decoratur, ijſdem ferè cerimonijs quas paulo infra memorabimus. Prætulere ante Cæſarem ſummi honoris cauſa Alvarus Oſorius Marchio Aſtoricenſis aureum ſceptrum. Didacus Paceccus dux Aſcalonius enſem gemmata vagina conditum. Alexander Medices dux Pinnenſis Cæſaris gener, orbem aureum cum præfixa cruce gemmis diſtinctum. Bonifacius autem Marchio Montisferrati, Modoetienſium coronam. His rebus rite confectis advenit demum dies maioris aureæ coronæ pompæ deſtinatus: & is quidem, quum noctu pluviſſet, ſuperis mirè faventibus, incredibili ſerenitate perſpicuus. Ante alia Pontifex univerſo Cardinalium, & epiſcoporum ordine in mitris, & pluvialibus ſacris pallijs, cæteris verò ſacerdotibus in coccinea veſte per pontem ſolenni pompa traductis in præalta ſede geſtatur, & comitantibus prætorianis ſub umbella templum ingreditur. Iam in forum Antonius Leva pedeſtres copias adduxerat, & obverſis in omnes aditus maioribus tormentis & ſignis in medio conſtitutis, cuncta loco perpetua militum ſtatione firmaverat. Interim è lacubus qui in ſummo prætorianæ porticus fornice fuerant fabrefacti, per ſyphones rubra & alba vina fundebantur, panes ab alto in ſubiectos milites ſpargebantur, torrebaturque in machina verſatili bos integer, ingens, hœdis, vervecibus, ac omni ferè volucrum genere farctiſsimus, vt in tãta feſta hylaritate milites ſub armis in acie ſtantes, ad manum paratis obſonijs cum iocunditate veſcerentur. Nunquam ab ulla memoria, vel

vel ad celeberrimi triumphi, vel ad inauditi ſpectaculi famam, maior atq; nobilior mortalium inſignium numerus in vnam urbem confluxit. Erant adeo plena loca omnia quæ foro imminebant, ut multi in alto ſuſpenſis & pendentibus ſpeculis, alij in ædium proiecturis & periculoſiſſimis locis cum aliorum admiratione proſpicierent. Ipſa porrò domorum tecta pueris & fœminis in ea mira cupiditate ſcandentibus, tantæ multitudinis pondere fatiſcebant. Fuere etiam erecta inter Columnas templi ad theatrorum imaginem, podia gradibus excelſa ſuperædificatis quoque ſuggeſtibus, unde illuſtres matronæ ſuſpicerentur, & cuncta ipſæ pariter iocundiſsime deſpectarent. Iam Pontifex ſacratas tunicas & chlamydes induerat, & ſacra ſolennia excultis altaribus parabantur, quum Cæſar ſub umbella cum ornatiſsimo procerũ comitatu ad templi veſtibulũ pervenit, ita ut vix eo paucis paſsibus prætervecto, tabulata pontis, prægravante prætorianorum turba frangerentur. Ibi pleriq; militibus immixti fœdo caſu procidentes ſeſe pilis atq; ſecuribus induerunt, inter quos fuit Albertus Pighius Belga theologus Lutheromaſtix, minima tamẽ pro tumultu clades incidit. Sed facile fuit æſtimare ex atrocitate periculi quis in Germano milite ſupra ferociam militarem natura implacabili animorum habitus eſſet futurus, ſi ad certam omnium perniciem Cęſar ipſe ſe paululũ vertente Fortuna cecidiſſet. Sed intrepidè reſpectans Cæſar leniter arriſit, ita ut fortunam ſuam certius agnoſcere videretur, quæ cœptis & votis omnibus benigniſsimè ſemper aſpiraſſet. Erant omnia ad imaginem Vaticani templi conſtituta, & novæ ſacellis appellationes impoſitæ, ut ea ſigillatim ad veterem conſuetudinem ex Pontificijs libris reſponderent. Affuere igitur Romani ſacerdotes quibus ſacra Vaticani templi ſunt commendata. Ii ad aram Cæſarem ſuſceperunt, linteaq; ſacerdotali tunica ſuperiniecta in collegium eius ſacerdotij cooptarũt. Eum Salviatus Cardinalis in verba ex libris Pontificijs concepta, ſacramento adegit, ita ut in ſumma libens iuraret, ſe Pontificiæ dignitatis perpetuò futurum eſſe defenſorem. Ab hac ara duarum turrium nuncupata duo Diaconi Cardinales, Salviatus ſcilicet ipſe, & Ridulphus, ambo ex patruelibus Pontificis nepotes ad templi limen deducunt. Flexo genu ſupplicantem Picolomineus presbyter Cardinalis certis precationibus expiatum in ſacellum ſancti Gregorij perducit. Ibi lintea tunica deponitur, ſandalia margaritis & gemmis picta ſtatim induuntur, & Dalmatica veſte in morem Diaconi prius aſſumpta, paludamento demum conveſtitur. In eo habitu præcedenti Puccius Cardinalis ad Porphireticam rotam, quæ eſt ad Vaticani templi medium mitratus occurrit. Ingeniculatus Cæſar ad aram maximam obvertitur, ſolenniq; altera precatione, ut eius imperiũ ſtabile, perpetuum, victoriarũ, pietatis & laudis plenum faxit, Deo maximo, in cuius manu ſunt regna, commẽdatur. Sunt enim multa antiquitus à pijs præſtãtibusq; ingenijs cum ſumma verborũ elegantia, & Chriſtiana gravitate compoſita, quę ex ſacrato libro ad ſtatus rerum & locorum ceremonias, ab alijs atq; alijs ſacerdotibus in frontem Cęſaris perleguntur. Quæ omnia in illis Pontificum iam editis libris, quiſque curioſus facilè poterit invenire. Aſcenditur demum verſus aram maximam ubi Innocentio Cibo Cardinale letanias præeunte, alternis precibus piè pronunciatis, Divi divæq; omnes propitiantur. In lectiſternio ſupplicanti Cæſari Campegius Cardinalis aſtitit, & de ſcripto oratiunculã, ut auſpicatò coronaretur, religioſè recitavit. Inde mox Cæſar à Farneſio, quoniã is erat ſenatus princeps &

Cardinalium vetuſtiſsimus, intra ſancti Mauritij ſacellum eſt deductus, ubi diſſibulata Dalmatica, humeros & brachium dextrum ſacro oleo adiectis puris, & prijs orationibus inungitur. His rebus ritè confectis ſolennia ſacra erudito phonaſcorum concentu, alternantibus choris, operante Pontifice, ipſo Cæſare in ſacra veſte miniſtrante protinus inchoantur, quæ miro ordine cerimoniarum, ſumma gravitate ſacerdotum, inſigni omnium religione adeo in ſerum diei ſunt protracta, ut vel piè curioſos fatigare potuerint, ſi is longè omnium clariſsimorum principum admirabilis conſeſſus ſpectantium oculos ulla in parte ſatiare potuiſſet. Neq; hic eſt neceſſe, ut cuncta ſicuti ſigillatim fuère celebrata, à nobis minutiſsimè referantur, quando ea in libris Pontificum beneficio publicatis ad amuſsim deſcripta videamus. Legati interim Genuenſes & Senenſes quum de loci dignitate inter ſe contumelijs pugnisq; contenderent, templo iuſſu Cæſaris exacti ſunt. Cæterũ ſumma ſacrorum fuit, ut Cæſari de manu Pontificis Romani imperij inſignia traderentur. Itaq; ſolenni precatione ſemper adhibita Pontifex ei ſupplici ſceptrum aureum dedit, florenti cacumine cõſpicuum, quo piè gentibus imperaret: itemq; nudatum enſem, quo Chriſtiani nominis hoſtes perſequeretur, ac pomum aureum, quem uti terrarum orbem inſigni pietate, conſtantia, virtuteq; regeret, & poſtremò thiaram illam potius quam coronam bicipiti faſtigio, multisq; adamantibus inſignem capiti impoſuit. ille piè inflexo genu, pronus exoſculato pede Pontificem adoravit. Tum demum Cæſar in illa tot gemmis ac unionibus exornata triumphali trabea ad lævam non procul à Pontifice in ſede auro protecta, ſed paulò humiliore, ſeſſum eſt perductus, & Romanus imperator appellatus. Quod ubi in foro militibus eſt renunciatum, Antonius Leva ad declarandam lætitiam, maiora minoraque tormenta diſplodi iuſsit, ita ut terribili ſonitu cœlum crepitare, terra quati, & tecta nutare viderentur. Nec multò poſt Pontifex ſacratiſsimæ Euchariſtiæ hoſtiam humillimo quodam oris geſtu, puriſsimóque animi habitu deſumpſit, atque eam obiter Cæſari omni labe criminum expiato religioſè communicavit. Peractis ſacris templo exceſſum, ad præparatos equos ſacerdotes, legati, proceres diſcurrunt, omnis repentè multitudo in equis conſpicitur, acclamationes, tubarum cantus, tympanorum ſtrepitus audiuntur. Conſcendenti equum Pontifici Cæſar ad lævam pedes aſtitit, uti benignè auratam ſtaffam ſacrato pedi protinus inducturus. Sed pium Cæſaris obſequium Pontificis humanitas, religioſaque modeſtia ſuperavit. Ergo iunctim equo uterque albo, ſed Pontifex Thracio, Cæſar Hiſpanico conſidentes umbellam ſubeunt, ſummæ dignitatis hominibus ad eam geſtãdam honori ſimul & labori ſuccedentibus. Præcedebat miro pompæ ordine tum Cardinalium tum procerum utriuſque aulæ familia, in tergo ſigna erant viatorum, qui curſores appellantur. Ad hæc ſubſecuti ſunt ſeptem viri inſignes armis, trabeis, militaribus equis, & pedeſtri comitatu valde conſpicui, qui totidem ingentia vexilla deferebant. Angelus Ranucius Bononienſium vexillifer, qui eſt ſummus apud eos magiſtratus, primùm detulit cum titulo libertatis, ſecundum erat ſenatus populique Romani Iuliano Cæſarino Romani ſanguinis adoleſcenti ab ipſa familiæ prærogativa demandatum. Ad hos ſecuti ſunt Ioannes Menricus, & Hotrechius Belga, hic Cæſaris aquilam, ille candidum vexillum cruce purpurea diſtinctum geſtabant. Tum demum tria ſunt prælata Clementis ſcilicet Pontificis cum Mediceis inſignibus unum, alterum ſanctæ Ro-

Romanæ eccleſiæ: tertium verò illud Chriſtianæ crucis adverſus Turcas aliquando deferendum. Signiferi fuere Leonettus Sidicinus, Ludovicus Rangonus, & Laurentius Cibo prætorij præfectus. Traducti præterea aliquot albi aſturcones ſine ſeſſoribus auratis ephippijs inſtrati. Prætulere etiam adoleſcētes eximiæ nobilitatis in ſcipionibus præfixos galeros Pontificis purpureos quatuor. Nec multū inde ſuccedebat Euchariſtia ſub aurea umbella loculo criſtallino incluſa, & ſellę generoſi & tamen pacati equi ſuperimpoſita. Laterna ingens ante & circum dena funalia ferebantur. Tum demum promiſcuè gentium omnium honeſtiſsimi quique ſucceſsēre, ut decuit in tanta hylaritate regio ſumptu ſupra quàm credibile videatur exornati. Nemo enim ex tota Italia paulò vir illuſtris non venerat, niſi vehemēti valetudine præpeditus. Hiſpani, Itali, Belgæ, prout libido genijq; tulerunt, auro textile & ſerico omnis coloris eleganter variegato, itemq; Phrygijs operibus, & acu pictis ſagulis ſpectantium oculos præſtringebant. Germani in veſte obſcuriore, ſumptuoſa tamen torquibus aureis relucebant. Viſebantur paſsim equi ex omni regionum ſobole maximè generoſi, & inſano ſumptu toto terrarum orbe conquiſiti. Notiores Hiſpaniæ reguli fuere Alvarus Oſorius Aſtorgiæ marchio, Didacus Pacecus Aſcaloniæ dux, Indicus Mendocius Saldaniæ comes, Infantaſiorum ducis filius, qui Franciſcum Gallorū regem in Carpentanis regali hoſpitio ſuſceptum, admirādis muneribus exornavit, & Petrus Toletanus Marchio Villafranchæ, Albano duce genitus, qui filiorum & nepotum ſobole felix, & fide virtuteq; præditus ad regni tutelam in Hiſpania conquieſcit. Præterea paulò minores comites Agillarius Fonteius, Coſantanius Altamirus, & ſupra hos, quem ingenio fideq; ſpectatum Fortuna extulit, Franciſcus Covus conſiliorum omnium particeps, & in regno legionis ſacratorum equitū magiſter. Sed quis reliquos nobiles, opulentos, clarorum principum progenie editos ſuo ordine numerarit? Neq; Italos alacritate & ſumptibus inter ſe certantes ſua ſerie arbitror recenſendos, ne ſi in tanta vel Fortuna vel claritate propè æqualium equitum turba aliquos nominemus, cæteri ſe indignè vel iniquè prætermiſſos conquerantur. Fuere tamen inter tot regulos maximè conſpicui Alexander Medices, & Ioannes Aloyſius Caraffa Statilianus princeps. Belgarum autem longè digniſsimi ſucceſsēre Henricus Nanſous comes cubiculo præpoſitus, cuius eſt ſummus dignitatis & gratiæ locus apud Cæſarem, Philippus inde Croius marchio Areſcotæ, præfectusq; equitum, & Cæſari ſanguine coniunctus. itemq; Hadrianus Roſeus Cęſarianæ familię magiſter. Venerat etiam ipſe Andreas Auria, cui Cæſar maris imperium detulerat, non à cultu corporis, amictusq; luxuria, verùm ab aſpectu gravi & militari, ipſaque prolixæ barbę ſpectanda canitie, & rerum geſtarum fama conſpicuus. Subtraxit pompæ Franciſcum Sfortiam non importunus modò, ſed gravis etiam morbus. Ferdinandus etiam Sanſeverinus Salernitanus princeps, ne primum locum Aſcalonio concedere videretur, intra limem domi ſe continuit. Federicus verò Gonzaga Mantuanus, ad exornandam urbem, ut ſummo cum honore Cæſar exciperetur, domi remanſerat, & ob id etiam ne cum Boniſacio Montisferrati regulo, de loco & dignitate diſceptaret. Alfonſus Ateſtinus Ferrariæ dux ideo non venerat, quod Cæſar pacificator, uti poſtea fecit, nondum ei diem quo pro cōcordia ad Pontificem veniret, omnino ſtatuiſſet. Nec Pyrrhus Antonius Sanſeverinus Beſſennianus princeps, quamvis properaret, in

tempore ſupervenit. Erat cum ijs, quos diximus, minorum regulorum atq; honeſtiſsimorum equitum numerus, veſtibus & equorũ ornamentis magnis regibus exæquandus. Sed unus omnes omnium nationum Aſtorgius eruditis ſumptibus ſuperavit. Erat enim eius prætexta verè triumphalis margaritis & gemmis ad delphinorũ imagines opulentiſsimè depicta. Ad hos ſequutæ ſunt variæ legationes, & mox ipſi purpurati Cardinales. Inde non procul ſucceſsit umbella, ſub qua duo longè auguſtiſsimi terrarũ domini in mitris illis ſtupenda & inæſtimabali gemmarum & unionum varietate pretioſis, ita collucim & temperato paſſu incedentibus equis, ut ij certa ingenij gravitate, quales ſeſſores veherent, ſentire viderentur. Antecedebant umbellam ipſe Montisferrati marchio ſolenni in chlamyde, & corona gemmis ornata, qui Cęſaris ſceptrum deferebat. Franciſcus inde Maria Feltrius dux Vrbini, Venetorũ imperator: & quoniam erat præfectus Vrbis in veſte purpurea Dalmatica cum inuſitato in metę formã capitis tegumento, aurea cruce diſtincto, & tænijs utrinq; pendentibus, nudatum enſem prætendebat. Philippus verò Palatinus, quem decora proceritas & obſidio Viennæ adverſus Turcas fortiſsimè tolerata clariſſimum reddebant, aureum orbem detulit in talari toga purpurea, aſtrictis manicis & plano pileo candidis pellibus redimito. Poſtremus erat Carolus Sabaudius Allobrogum dux, pileolum feretis unionibus, ſmaragdis & carbunculis collucentem, qui quum oporteret, nobilioris officij cauſa, ademptam capiti Cæſaris coronam prætentis manibus deferret. Inter hos ſummi ordinis principes, & umbellam ipſam Cæſaris quæſtor obequitabat, qui per ſingulas regiones certis paſſuum intervallis ad dimovendã turbam, excitandamq; lętitiam effuſè in populum argenteam atq; auream ſtipem ſignatam imagine coronati Cæſaris diſpergebat. Secundum umbellam binis cubicularijs & medicis locus fuit. Tum verò antiſtites opibus & authoritate præſtantes, qui vel legati regum erant, ut Gabriel Agramontius Tarbenſis Gallus, & Bernardus Tridentinus Germanus, vel Cæſaris conſiliarij, in queis fuit Gabriel Barenſis pace & bello rerum maximarum adminiſtrator, vel ij quos ab inſigni gratia Pontificis aſsiſtentes vocãt, ut Hieronymus Vaſionenſis, qui Cæſarem in Italiam adduxerat, & cæteri demum epiſcopi in violaceis pallijs, & poſt hos minores ſacrati viri ſucceſſerunt. Noviſsimum agmen clauſêre cataphracti equites Belgæ per alas turmasq; diſtincti, eo ordine indutis galeis & prætentis haſtis ſubſequentes, ut non modò tantæ pompę pręſidio, ſed ornamento eſſe viderētur. A templo, ut diximus, profecti, modico ad lævam flexu ad urbis umbilicum ubi eſt turris Aſinellorum altitudine Italicarum nulli ſecunda. Inde per regionem albis & cyaneis pannis coopertam, quæ ad Flaminiæ viæ portam perducit, inter acclamationes longo tractu proceſſum eſt: porticibus hinc & inde ſpectantium fœminarum multitudine refertis, ſicut pompa omnis ſine tumultu omnium oculis ad incredibilem voluptatem oſtentata quietiſsimè ſpectaretur. Tum demũ ad regionis bivium, quod dicitur ad Clavaturas, Cæſar à Pontifice digreſſus ad divi Dominici templum contendit. Ibi venientem Romani Lateranenſis templi ſacerdotes cum ſumma veneratione ſuſcepe runt, & uti Vaticani dudum fecerãt, in collegium cooptarunt. Inde Cæſar ad aram divi Ioannis ſupplicavit, & multos omnis generis oblatos nobiles equeſtri dignitate, gladio leviter percuſsis humeris ornavit. Nec multò poſt alio itinere quam illuc Pōtifex, ad prætorium eſt reverſus. Erat maximo triclinio ad

epulum

epulum præbendum aulæis undique ſtrato coniunctum cubiculum Hippolyti Medices Cardinalis, in id familiariter Cæſar coronatus excluſo fermè omni famulatu ſe recepit, trabeam depoſuit, exuit ſandalia, & auream talarem togam ſumpſit, atque hylaris aliquandiu ab illo tanto prætextæ chlamydis, & prægravis thiaræ pondere conquievit. Interea præcinentibus tibijs & tubis epulæ miro ordine miniſtrorumque ſilentio introferri ſunt cœptę. Itaq; affuère Cæſari præſto quatuor illi principes in ſua quiſque ſolenni chlamyde, ut inſignia præferrent, atque item alij illuſtres reguli, ut eum ad menſam deducerent. Cæterùm priuſquam exiret, ex eorumq; numero ſeptem equeſtri ordini adſcripſit, & ante alios ipſum Aſtorgium qui longè omnium in pompa cultiſsimus extitiſſet, & Philippum Palatinum, qui Viennæ divina virtute propugnando, non modò Germanos, ſed Chriſtianos omnes ſummo metu & incredibili periculo liberaſſet. Cœnavit ſolus Cæſar ſingulis imperij inſignibus in menſa collocatis, quæ erat aliquot gradibus excelſa: at in alia infra gradus in conſpectu tamen Cæſaris diſcubuère, Sabaudius, Palatinus, Vrbinas, & Montisferrati reguli. In exteriore verò triclinio epulum cæteris proceribus præbitum. Remotis menſis iterum Cæſar gladium cœpit, & pleroſque nobiles equeſtri dignitate decoravit. Accidit verò dum nudatum enſem Vrbinas porrigere vellet, ut pomum manubrio inſertum excuteretur, atq; eo cadente in pavimentū incluſæ gemmę ad circumſtantium pedes proſilirent. Fuère qui id prodigij loco accipere viderentur, quaſi futurum eſſet, ut Cæſar abſens aliquando exercitum bene regere nequiret, capite ſcilicet eximiæ gravitatis indigentem. Alij autem felicius interpretabantur, Cęſarem ad Orientis regna unde gemmæ provenirent gladium eſſe vibraturum, ſimulq; futurum, ut duces & milites ab ipſa victoria quæ gladio pararetur, ingentibus illis Turcarum opibus potirentur. Hiſdem diebus quibus Cæſar Genua diſcedens Placentiæ ſubſedit, & Solymanus caſtra poſuit ad Viennam, Auraritius ab urbe Aquila promotis copijs in Vmbriam eſt profectus, eo cōſilio, ut Malateſta Baleonus, quem Florentini ex authoritate Galliæ regis ſibi ducem deſignarant, urbe Peruſia pelleretur. Reiecerat hic ſatis ęquas conditiones à Clemente propoſitas, quòd nequaquam, ut ſuprà diximus, eius fidei magnoperè cōſideret, arbitrareturq; ignobili & dubia pace bellicū decus eſſe præferendum, unde clareſcere, opibus augeri, atq; omnino ut vir maximè bellicoſus proferre potentię nomen poſſet. Suadebat Florentinis ut ad tuendā civitatis libertatem, bellū quod immineret, quantum fieri poſſet longius ab urbe Florentia alendum ſuſtinendumq; cenſerent, ne ſuburbanus ſummæ fertilitatis ager pendente præſertim vindemia, nec planè reconditis colonorum frugibus & reliquis copijs, expoſitoq; paſsim ad prædam maiore minoreq; pecore ad primas hoſtis incurſiones vaſtaretur, & demum populus bellicæ inſolens cladis amœniſsimarum villarum, uti neceſſe foret accidere, è mœnibus incendia proſpectaret, quibus barbari inſita animo eorum agreſti ferocia minimè parſuri viderentur. Itaque ſibi videri maximè tutum, & quod ad exiſtimationē civitatis confirmandam plurimū pertineret, ut ſibi eas quas haberent circa Cortonam & Aretium copias, pecuniamq; item in ſtipendia ſubmitterent: ſe namq; ſperare ut Aurantius aliquandiu expugnandis oppidorum præſidijs diſtineretur. Neq; enim eum tanti animi, aut tantarum virium fore, ut Peruſiam ex propinquo oppugnandam ſuſciperet, quam ipſe inexpugnabili ſitu permunitam fretusq; ob-

ſtrictorum ſibi civium ſtudio, & quo polleret fortium atq; fidelium veterum militum numero eſſet ſine ullo periculo defenſurus. Quòd ſi Nigrarum cohortium nova præſidia ſubmitterentur, & hoſtes deſperata expugnatione Peruſiæ, in Etruriam penetrare, Florentiamq; conſcendere velint, ipſum non eſſe prætermiſſurum, quin deductis ex omnibus Vmbriæ oppidis certis præſidijs, iuſto cum exercitu, eoque tormentis maioribus egregiè confirmato, abeuntes hiſdem veſtigijs inſequeretur, & aliquam rei benè gerendæ occaſionem pararet, circa tranſitum paludis, quam Glanis amnis efficit, nec aliter ea quàm duobus aut tribus ligneis pontibus poſſet pertranſiri. Id Malateſtæ conſilium tanquam ſalubre quanquam magnopere placeret Zanobio Bartholino, qui in procuratione negotij bellici Florentinorum finibus cum authoritate erat præpoſitus: nulla tamen ratione, vel Carduccio, vel Decemviris probari potuit, quum ille diceret, bono medico conſervandi cordis, in quo vita conſiſteret, peculiarem curam eſſe reponendam, neglectis quæ ferè nihil ad ſalutem pertinerẽt, exterioribus membris: & in eandem ſententiam cum Decemviri, tum decuriones facilè adducerentur. Id quoque conſilium Franciſco Ferruccio probabatur, qui aſſuetus Nigris cohortibus ſtipendio militi numerando apud Soderinum ſolers miniſter prope Averſam captus fuerat, atque inde pecunia redemptus, utilem Reipub. operam præſtiterat, colligendis ſcilicet undique veteranis, ſic ut eo bello legationis militaris honorem conſequutus, diu æquè fortis & acer dux ſecundiſsimo ſtudio civium uteretur, quòd ex humili loco inter cives multo auſu perpetuoq; labore clarum militiæ locum ſibi quæſiviſſet. Cæterũ hæc ſana conſilia fatalis inſita Carduccij animo rabies, & inuſitata expersque rationis confidentia, & ſupra id pervicax popularium conſenſus, in irritum facilè rapiebant. Timebat namq; Carduccius nõ obſcurè, ne populus tot conſpectis urgentis belli detrimentis perculſus, ſicuti pleriq; optimatium ſuadebant, ad petendam pacem verteretur. In ea ſiquidem perſuadenda Clemens multis de cauſis vehementiſsimè laborabat, ut qui parcendum patriæ, avertendaque belli incommoda putaret, ne pro paucis malis civibus, univerſa civitas, ſævo atque irrevocabili periculo implicaretur. Interim Aurantius fruſtrà pertentato Malateſtæ animo, in Fulginatem agrum progreſſus, vi admota & deiectis Menavia, Montefalco, Aſiſioque Malateſtæ præſidijs, ad oppidum Hiſpellum, quod erat peculiare Baleonæ ditionis, caſtra admovit. Defendebatur oppidum acerrimè ab his cohortibus, quibus præerant Baptiſta Borgheſius Senenſis patritius, & Leo Baleonus. Hi Hiſpanos poſt editam tormentis ſuperioris coronæ ruinam, ſcalas apponere atque ſubire auſos, tanta vi omni telorum genere, trabibusque deiectis obruerunt, ut multi interirent: alij vehementer ſauciati oppugnationem relinquere cogerentur. Eo die Ioannes Dorbinus apud Hiſpanos primum exiſtimationis poſt Vaſtium qui aderat locum, non claritate quidẽ natalium, ſed fortibus factis fama latè parta promeritus, craſsioris ſclopetti glande ſupra genu vulneratus eſt, lethifero quidem vulnere: nam paucos poſt dies Fulginium delatus interijt, quo nemo conſilio manuque melior apud pedeſtres Hiſpanorum copias putabatur, Cæſare facilè eum nobilioribus gentis præferente, quod præclaram virtutem omni nobilitate digniorem, utilioremq; ſibi fuiſſe iudicaret. Eius morte Romanos lætatos ferunt, quòd is, quẽ in occupanda urbe crudeliſsimè cædibus graſſatum norant, ſuperis id ſcelus non ſerò vindicantibus, Borbonio, Vgonique

Mon-

Moncatæ tertius dux Vrbi funeſtus, comes ire maturaſſet. Nec multò poſt Hiſpellani duces, honeſtas conditiones offerente Aurantio ſi oppidum dederēt, cum eo pepigerunt, ut ſalvis rebus oppidum traderent. Sed Hiſpani ita exuerunt armis ſingulos milites, atque vniverſas domos diripuerunt, ut fidem ab Aurantio datam fefelliſſe dicerentur. Hiſpello & cohortibus amiſsis, reliquiſque omnibus exutus oppidis Malateſta, quanta poterat ſimulatione ancipitis periculi ſui conſilia tegere contendebat, ob id magnopere perplexus, quod ſine Florentinorum auxilijs, neque urbem tueri poſſet, civibus præſertim ſatis importunè bellum deteſtantibus, & iam plane animis in Pontificē proclinatis, neq; ſe inde ſine gravi pugnę periculo, ſi erumpendum & Florentiam quò vocabatur, contendendū foret, tot circumiectis hoſtibus certas utrinq; difficultates evaſurum proſpiceret. Itaq; ægro, ſed maxime conſtanti animo ad neceſſaria deditionis conſilia ea ratione deſcendebat, ut extra omnem urgentis belli metum, quę neceſsitas afferret ad pietatem patriæ referre videretur, & civium voluntates ea oſtentatione virtutis mirum in modum conciliaret. Prædicabat enim ſe eo eſſe animo, ut ab omnibus civitatis incōmodis abhorreret, nec pati velle ut cives ſicuti Pontifex denunciaſſet, ipſius pertinacia aquæ & igni interdicerentur, vaſtaretur ager, & civitas vetere ſua libertate, & gymnaſij honore ſpoliaretur. Propterea ſe malle incolumi patria, atque integris civium fortunis excedere, & Florentinis auxilio ire, ne officio ſuſceptoque muneri deeſſet, quàm patriam in periculum læſæ religionis, & totius belli diſcrimen devocare. Itaq; ad Aurantium legatos mitterent, à quo ſi honeſtas pro ſe conditiones impetrarent, certaq; fides ſibi à Cæſarianis pariter & Pontificijs ducibus præſtaretur, ſine mora copias educturum, atq; hos omni belli metu liberaturum. Aurantius Hiſpello in poteſtatem redacto, & dimiſsis ea conditione his cohortibus quę ſe dederant, ut intra tertium menſem hoſtibus Pontificis nequaquam militarent, Peruſiam quę aberat ſpatio quindecim milibus paſſuum, rectà contendit, poſitisq; caſtris ad pontē ſancti Ioannis quo Tiberis iungitur, expectabat quidnam conſilij Malateſta caperet, atq; ita auditis Peruſinorum legatis, non contempſit conditiones quæ proponebantur, vel ob id præſertim quòd Pontifici curæ eſſe intelligebat ne Peruſinus ager ulla belli clade vaſtaretur, ſed protinus Florentinis bellicum terrorem admoveret. Propterea his conditionibus Vmbrico bello finis eſt impoſitus, Malateſta Peruſia excederet, eamq; urbem Pontifici regendam relinqueret. excedenti Aurantius cum univerſis eius copijs tutum egreſſum, atq; iter præſtaret. Cæſariani anteirent itinere capto ad locum Tabernas dictū: Malateſta poſtero die ſubſequeretur, interim Peruſini utriq; exercitui commeatus copiam præberent: tutus Peruſię uxori & liberis Malateſtæ, atq; item propinquis eius atq; clientibus receptus foret, liceretq; ei duodecim ænea tormenta urbe educere, eaq; ad ſervanda ad Vrbinatium principem tranſmittere, ea lege ut his adverſus Pontificem nuſquam uteretur. De lite autem & controverſia, quæ ſibi cum Braccio & Sforza intercederet, qui Gentilis patrui hæredes dicebantur, arbiter fieret & diſceptator Antonius Montanus Cardinalis Vmbriæ legatus. His rite tranſactis, Aurantius movit caſtra, & ad oppugnandam Cartonā profectus eſt. At Malateſta dextrorſum itinere capto, rectà Florentiam nullo incommodo accepto perrexit. Cortonenſes qui ſatis valido quatuor cohortium præſidio tenebantur, quum portas clauſiſſent, nec depoſcēti colloquium Vaſtio quicquam pa-

cati reſponderent, & tormenta murum ferientia oppoſitis novis aggeribus egregiè ſuſtinerent, & audaciſsimè adverſus ſubeuntes Hiſpanos præliarentur, Vaſtius portam promotis, quæ à delubro Vincentia vocatur, multis ictibus maioris tormenti quaſſatam, ſuccendi iuſsit, primiq; omnium inter Hiſpanos promptiſsimi centuriones Securra, & Alfonſus Vallius, id munus coniectis facibus implevêre, unoque tempore duobus in locis contractum eſt certamen valde cruentum, quum in ſubeuntes Hiſpanos ipſi propugnatores glandibus & ſaxis intrepidè rem gererẽt. Sed ardentem portam duo eximiæ virtutis cohortium præfecti Iacobus Tabuſſus Vmber & Rodulphus Aſsiſias reſtinctis ignibus Hiſpaniſq; repulſis pertinaciſsimè defenderunt. In alia quoq; parte, ſingulari conſtantia propugnarunt Franciſcus Sorbellius, Marcus Empolitanus, Goriuſq; Montebenicius, eo pugnę exitu, ut Hiſpani multis acceptis vulneribus, et nonnullis interfectis, ſe recipere cogerentur, atq; eo maturius quòd Securra & Alfonſus valvas concremare conantes, graviter ſauciati pugna exceſsiſſent. Cæterũ Cortonenſes, quum Vaſtius maioribus viribus redintegrare oppugnationem ſtatuiſſet, & per caduceatorem ad decuriones miſſum urbi excidium comminaretur, niſi intra horæ ſpatium portas aperirent, perterritis civibus, vel nolentibus præſidij præfectis, deditionem fecerunt, ea conditione ut incolumes ſervarẽtur. Hæc diditionis formula præſidij milites excludebat, ſic ut ſe ingratè prodi, tradiq; iratis hoſtibus quererentur. Sed Vaſtius pro ſua humanitate ita omnes urbe exeuntes conſervavit, ut armis tantùm & vexillis exueret, quòd pertinacius quàm oporteret tanti exercitus vim contempſiſſe viderentur. Verùm non eandem exempli ſortem tulerunt Caſtellionenſes Cortonæ proximi, tot invadentibus copijs reſiſtere auſi: nam dum tormenta, paratamq; hoſtium aciem deſpicere videri volunt, & fortiſsimè propugnant, creſcẽte periculo, quum ſe dedere velle ſerò ſignificarent, expugnati direptiq; ſunt. Aretini autem aliquanto ſalubrius nihil de defendenda urbe cogitantes, continuò portas aperuerunt, quòd Capinſaccus exigui præſidij præfectus, in arcem confugiſſet, ſuadente Roſcio Bevignanæ comite cive Aretino, qui Aurantij gratiam promereri, & patriæ ſuæ dominatum invadere perfidioſa vanitate cupiebat. Id primũ amiſsi Aretij incommodum Carduccij non obſcura malignitate, & Antonij Franciſci Albitij temerario obſequio acceptum optimates aſſeverant, quòd ille adverſis de adventante hoſte rumoribus permotus, eas copias cum Florentini nominis, tum Peruſini, quæ Aretij coiviſſent, & ſe urbi præſidio futuras ſumma ſpe defenſionis profeſſæ fuiſſent, ad ſe Florentiam perduci iuſsiſſet: Albitius verò factioſo animo Carduccij literis, quæ non erant ex decemvirali ſententia, nimis properè atq; improbè paruiſſet. Neque enim dictator civium ſtudijs diffidens, ſe tutum eſſe adverſus factionis ſuffragia fore putarat, niſi urbem militari præſidio confirmaret, ut qui inter ſpem pacis, & belli metum nutabant, quominus hiſcere auderent præſentibus armatis terrerentur. Hoc autem ſuopte ingenio conſilium Carduccius ita ſuſcepit, ut nihil decurionibus communicandum putaret, ne contradicendo impediri poſſet, & inconſultis Decemviris ad Albitium perſcriberet, qui Zanobio Bartholino in eo procurationis munere ſucceſſerat, vir turbido ingenio, aliena ſemper à Repub. coquens, nec quicquam ſtabili mente per occaſionem probans. Itaq; nullam ſibi Albitius moram attulit, quin perlectis Carduccij literis, detractas undique & collectas in unum cohortes Florentiam mitteret,

pro-

provinciamque & urbem Aretium præſidio nudaret, haud dubiè hoſtibus mox occupandam. Id admiſſum facinus Carduccio pariter, & Albitio capitale fuit, quum in exitu belli, ſucceſſuq; temporis contra leges maligne atq; arroganter feciſſe ab Octoviris iudicarentur. Aretio occupato Aurantius copias effudit in peramœnam frequentemque oppidis, & nobilitate Trebiani vini percelebrem regionem, quam ſuperioris Arni Vallem appellant, ea clementia, ut ſevero edicto milites ab omni præda atq; licentia cohiberentur. Eo modo per quatriduum recreato exercitu rectà per Inciſiam vicum Florentiam contendit, qua Annibalem olim tranſiſſe ferunt, certiſsimo argumento quod ibi elephantum oſſa ab aratoribus hac ætate reperiantur, quas beſtias multo gelu alpium correptas amiſerit. Primæ alæ equitum Hiſpanorum & Epirotarum ſecundum Arni ripam deſcẽdentes, in regione, quę Plana Ripolis, & Paradiſia vocatur, magnum fugientibus incolis tumultum excitarunt, ſic ut ſeſe inſinuarent uſq; ad ſuburbana ædificia, quæ Recorbula nuncupantur. Is adventantium hoſtium conſpectus & fremitus à divi Nicolai porta in urbem, & trans Arnum in forum & curiam uſq; permeavit, tanta populi trepidatione, ut pleriq; pavore concitante portis ſeſe in agros cum uxoribus & liberis eijcere properarent, vixq; paventium turba imperio magiſtratuum, & obſtructis iam portis ſiſteretur, quũ eodem tempore tormẽta è propugnaculo portę divi Nicolai, atq; item ab adverſo aggere munitionis, quę erat trans Arnum Crucianæ portæ impoſita, in provectos hoſtium equites, horriſono reboatu diſploderentur, & Malateſta milites ſuos arma capere, & in muro conſiſtere: urbanam vero iuventutem Stephanus Columna ſublatis vexillis curiæ aream & fora tueri, perſtrepentibus undiq; tympanis iuberent. Ea repente commotæ perturbatæq; urbis facies, imbellium pręſertim oculis atq; auribus inſolita, uſq; adeo vehementer patrum animos perculit, ut iam petendæ pacis conſilia, quam gerendi belli potiora cenſerentur. Aurantius poſtridie ſpeculatus urbis ſitum, à meridie apud templum Margaritæ Montichiæ caſtra poſuit, contra mœnia, quæ excelſo montis ſupercilio impoſitam, eam urbis partem quæ eſt ultra Arnum, à divi Nicolai porta, modò erecto, modò declivi muro, uſq; ad Fridianam portam præcingunt, quòd nuſquam eius tortuoſi & inęqualis muri ſtructura debilior appareret, & ſi arduo eo colle, cui tota civitas ſubiecta eſt, potiretur, inde productis tormentis hoſtes ſubigi poſſe iudicaret. Quamobrem Malateſta deprehenſis militari coniectura hoſtium conſilijs, intentiſsima cura extruendis aggeribus incubuit, æquato civium & militũ ſtudio laboreq; tanta contentione & celeritate, ut quum facibus accenſis periculoſa loca noctu permuniret, omnis paulò ante conceptus timor civium animis decideret, vel ob id maximè quod Malateſta ex conſilio Stephani Columnæ & Marij Vrſini, totũ divi Miniati collem templo inſigni, & excelſa ſacræ turris ſpecula maximè opportunum, ne eo potiretur hoſtis, valida munitione, foſſaq; circumcidi, urbiq; adijci curaviſſet, turremq; tormẽtis iuſsiſſet inſtrui, quibus hoſtium caſtra in ſubiecta valle poſita, ad deſtinatos ictus omnibus propè horis peterentur. Aurantius porro geminos terrenos colles è ſua valle ubi caſtra locarat, molliter aſſurgẽtes, Miniatiniq; montis ęquantes ſupercilium occupare, munitosq; maioribus tormẽtis inſtruere cõſtituit, quod ubi a Florẽtinis ducibus eſt animadverſum, cohortes quę toto montis aggere frequẽtibus propugnaculis pręſidio erãt impoſitæ, ſigno accepto in hoſtes decurrerũt, ductante Mario

Vrſino, cuius impetum excepit Petrus Maria Roſcius ab oppido ſancti Secundi comes vocatus. Hunc Aurantius ex Apulia cũ veteranis cohortibus evocarat, & propter virtutem nobilitatemque generis inter cariſsimos in honore habebat. Itaque acerrimè dimicatum eſt, tantaque creſcentibus utrinque auxilijs contentione prælium eſt conſertum atque protractum, ut multis interfectis, multoq; pluribus vulneratis, vel occidente ſole ægrè dirimeretur, & ſequentibus diebus alterno impetu utriuſque partis milites, ad maiorem præcipuè clivum, quem Giramontem appellabant, iuſto propè prælio concurrerent, nullaque in re vel audendo, vel reſiſtendo Etruſci Aurantianis cederent; quorum principes Hiſpani, quòd agilitate corporum armaturæq; genere valerent, videri cupiebant. Ad extremum, quum his collibus aliquandiu acerrimè & cruentiſsimè decertatum eſſet, multis de cauſis intermiſſa contentione, Aurantius eos obtinuit atque permunivit, ſic tamen ut caſam in proximo Barduciæ villæ, quam uti invadendæ hoſtium munitioni opportunam occuparat, prementibus Amici Venafrani, & Peruſinorum cohortibus, relinquere cogeretur, iubenteque Malateſta, totum id ędificium ſuccenderetur, & in conſpectu hoſtium deleretur. His prælijs mirum in modum ad capeſſendam pugnam, oſtendendamq; virtutem, utrinq; ita exarſerant militum animi, ut neque Aurantius de ſubigenda urbe deſperaret, neque Malateſta conſtantibus uſque adeò civibus, de felici rerum exitu dubitare videretur. Nam huic tanta cum ſingulari diligentia ordinata diſpoſitaque erant pro mœnibus veterum militum præſidia, ut neque vim hoſtium ab ulla parte, ſi murum tormentis aggrederentur, extimeſcendam prædicaret, neque intus ullam tumultus procellam oriri poſſe arbitraretur, poſtquam milites & armata iuventus mutua præſidij ope (uti oporteret) in officio religiosè continerentur. ſumma nanque magiſtratuum providentia, neq; eſculenta in foro venalia deerant, nec quicquam aliud fruſtrà à milite deſiderari poterat, quando certa quæſtorum fide, ad diem ſingulis cohortibus ſtipendia provenirent, omniſque vel iurgij, vel contentionis materia ſubitò tolleretur ſeveritate Zanobij Bartholini, & Raphaelis Hieronymi, qui cum authoritate ſummi imperij per urbem volitantes, & miram in foris & compitis tranquillitatem adapertis tabernis, nec intermiſsis uſquam tribunalium officijs, ſummæ ſecuritatis & pacis ocium repreſentabant. Aurantius autem pręter copias Germanorum & Hiſpanorum, quæ erant vetuſtate ſtipendiorum & longa exercitatione firmiſsimæ, acciverat ſibi nobiliſsimos quoſque ac fortiſsimos Italicæ diſciplinæ proceres, quos ob id quòd plures ſecum traherent cohortes, vulgò Columellas appellabant. In his erant præter ipſos qui Romæ & in Apulia militaſſent Roſcium ſancti Secundi comitem, Petrum Aloyſium Farneſium, & Alexandrum Vitellium, plerique alij, inter quos eminebant Romani ſanguinis Ioannes Baptiſta Sabellus, Martius Columna, eiuſque gentilis Camillus Mutio viro forti genitus, atque item Pyrrhus Stipicianus, & Scalengus Aſtenſis: præterea Braccius & Sfortia Baleoni fratres peculiari odio Malateſtæ infenſi: & ſecundum hos Andreas Caſtalius Neapolitanus, & poſtea non ſerò applicuit Fabritius Maramaldus, & vetus dux Ioannes Saxatellus è Togata Gallia cum validis copijs accerſitus, iuſſuque Pontificis Ramazottus cum armata multitudine militum clientiumque ſuorum. Nam apud montanos homines vir factioſus ab antiqua nominis authoritate plurimũ valebat, ex Apœninoq; in Mugellanum agrum

deſcen-

deſcenderat, & interceptis commeatibus magna Florentinis detrimenta afferebat, obſiderique urbs cœpta cis Arnum exiſtimari poterat: quoniam è Bononia Felicis Vitembergi legiones, & Hiſpanorum tironum cohortes à Mutina tranſverſis Apœnini iugis propediem deſcenſuræ, & diverſa ab Arrantio intercedente Arno flumine, caſtra facturæ dicerentur. Italici generis milites, qui his quos diximus Columellis parebant, ſupra viginti milia peditum ſummam efficere putabantur. Veteres Germani & Hiſpani ſexdecim milium ferè numerum implebant, præter eos quos Felix adducebat, & tirones Hiſpanos, qui Petro Velleio Ghevara duce nondum advenerãt, ſic ut vera æſtimatione ad non dubium omen diuturni belli, longiſsimæque obſidionis utrinque vires victoriæque ſpes æquatæ cenſerentur. Quandoquidem Florentinos non pro libertate tantùm, ſed pro gloria civitatis, Etruſcique imperij dignitate ab omnibus ſocijs deſertos, oppugnatosque ab invictis gentibus, ſummisque principibus arma induiſſe minimè pœniteret, & unicam veræ conſtantiæ laudem ſpectantes, quicquid vel iniqua belli ſors afferret tam æquis quàm indomitis animis laturi viderentur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXVIII.

PRÆPOTENTIS nobiliſsimæque civitatis conſtantiam, quum inauſpicatæ libertatis nova iura defenderet, ingentique animorum pertinacia antiquiſsimarum gentium gloriam æmularetur, armis fameque perdomitam narraturum, tantiſper reſpirare, & priores ſpiritus reſumere non puduit, dum inſtituti ordinis ſeriem ſequutus, ea quæ diſtulimus, ſervato temporis tenore, ſuo loco referantur. Operæ itaque pretium duxi ſerviendum hiſtoriæ, ut non interciſa diſsipatis membris, ſed per partes inter ſe non abſurdè coniunctas, integra legentibus proponatur. Quo fit ut promiſsi memor ad Solymanum me convertam, qui ab obſidione Viennæ inglorius diſceſſerat. Sed priuſquam hæc dicere aggrediamur, opportunum eſſe arbitror, ut rerum in Pannonia geſtarũ ſucceſſum paulò altius repetamus, ſcilicet ut boni mortales, quibus de cauſis cum Solymano contractum ſit bellum, liquidiſsimè cognoſcant, & hinc quoque Chriſtiani reges, quantum nobis hæc bellua ab immenſo eius imperio, expeditisque opibus reformidanda ſit reputando, expendendoque pericula, conſilium pro publica ſalute digniſsimum aliquando ſuſcipiant. Igitur Hungaris ad Mugacium trucidatis, & rege ipſo ad fœdum interitum paluſtri lacuna ſubmerſo, victor Solymanus Budam rectà contendit. Vrbe, regiaque potitus, ad Danubium poſuit caſtra, inviſitque regiam arcem, ita tamen ut in ea minimè pernoctaret, quod antiqua Othomannorum

lege cautum ſit, ut Imperator nuſquam muris, ſed ſuæ tantùm cuſtodiæ munimentis confidat. Ibi ad eum delata ſunt occiſorum antiſtitum & procerum cruenta ſeptem capita, quibus renidenti ore illuſiſſe viſus eſt, quum purpurati ea ſingula ligneo in gradu collocata, ſimulanter honoris cauſa inclinata cervice, & dextris ad pectus compoſitis nominatim ſalutarent, Papasque ſtrenuos per iocum appellarent. Sed Solymanus gravi fronte, quum ſingulorum nomina indicarentur, vehementer deteſtatus fuiſſe ferebatur, unum præ cæteris Ladislaum Salcanium Strigonienſem antiſtitem potentiſsimum, obiecto fœdæ avaritię probro, quòd is regem ſuum in tanta urgentis belli difficultate aurum mutuo depoſcentem, quum multa pondera in eius theſauris laterent, adiuvare recuſaſſet. Tomoreum porrò ſtolidæ temeritatis incuſavit, quòd vir conficiendis ſacris dicatus alienæ functionis munus arroganter uſurpaſſet. Ex adverſo Franciſcum Perenum Varadinenſem antiſtitem, nobiliſsimi generis virum, feræ prudentiæ nomine laudavit, quòd imminentis publicę cladis nequaquam falſus vates, in conſilio non inſulsè dixiſſe didiciſſet, quum Tomoreus de committenda pugna importunè decerneret: poſtquam eius fatali ſententiæ obſiſti non poſſet, ſe providere quid cucullatus imperator poſtridie eſſet facturus. Eum namque tanto auſu nihil omnino aptius præſtaturum, quàm ut celeberrimum diem Chriſtiani calendarij faſtis inſereret, à cæde triginta milium Hungarorum martyrum pro tuenda religione à barbaris iniquiſsima prælij conditione conciſorum. Eos enim Chriſtiani martyres vocant, qui pietatis cauſa pugnantes, ultrò egregiæ morti ſe devovent. Reliquos tyrones audaculos appellavit, & in his pręſertim Georgium Sepuſium, Tranſylvaniæ præfecti germanum fratrem, & multa canicie ſenium præferentem, Ambroſium Sercanũ, nobilitate generis, opibus & dignitate illuſtrẽ. Quum verò ei Ludovici & Mariæ uxoris ſimulacra oſtenderẽtur, generoſo ore dixit, ſe adoleſcentis regis calamitatẽ miſereri, qui uſq; adeo malè ſobrios in re graviſſima conſiliarios nactus, pugnã abſurda ratione committere properaſſet, & ſe non eade cauſa, ut ei adimeret regnũ, ſed ut acceptas ab Hungaris contumelias ultore gladio vindicaret, in Pannoniam veniſſe affirmaret. Propterea ſi pugnę diſcrimen evaſiſſet, proculdubiò certa tributi conditione impoſita ei Pannoniæ regnum redditurum, quando non ſua, ſed aliena culpa cladem accepiſſet: & ſibi gloriæ futurum teſtaretur, ſi Sigiſmundi Regis ſocij ſui fratre genitum, & tantis Auſtrianæ clariſsimæ domui affinitatibus coniunctũ cõſervaret, tanta clemẽtiſsimi ſermonis magnitudine diſſerens, ut hæc animi ſui decreta Mariæ reginæ, quæ Buda Poſonium belli metu profugerat, enunciari iuberet: ſicuti nos ab his qui interfuerunt accepimus, quod profectò pro falſo de barbari regis æquitate humanitateque dictum videri poſſet, niſi præclaro teſtimonio ingentis ſuæ liberalitatis paulò pòſt Ioanni Sepuſio, nequaquam regia ſtirpe nato, & tum etiam hoſtilis animi ſpeciem retinenti, id Pannoniæ regnum, vel nullis præeuntibus meritis dono dediſſet. Exinde æneas ſtatuas tres priſci artificij ſuſtulit, quæ in veſtibulis regiæ à rege Matthia Corvino, omnis virtutis atque elegantiæ ſtudioſo conſtitutæ fuerant. Hæ clavigeri Herculis, citharœdique Apollinis, & pharetratæ Dianæ formas referebant, quas pro trophæo Pannonicæ victoriæ monumentum Byzantij in Hippodromo collocari iuſſit. Abduxit etiam tria inuſitatæ magnitudinis, operoſique artificij tormenta, quum paſsim ad ornamentum inſignia & literæ argento ſcalptoria arte æri

incluſo

incluſo eſſent admiranda, quæ Illyricæ Boſnæ regis fuiſſe dicebantur in expugnatione Sciabatij oppidi ad Savum capta, atq; item ęneas aliquot ſtriati operis columnas, quę portarum epiſtylia ſuſtinebant. Moratus eſt ad Budam dies fermè viginti, quo ſpatio innatæ ſuę genti ſævitię indulſit: nam diverſa in proximas provincias equitū agmina prædatum ſunt emiſſa, quibus hinc ad Giavarinum uſq;, illinc ad Tibiſcum amnem regio omnis improviſa atque horribili populatione ita vaſtata eſt, ut ſupra centum & quinquaginta hominum milia omnis ętatis & ſexus, aut gladio cæſa, aut in ſervitutem adducta referantur: quas prædatorias manus poſtquā redeuntes in caſtra recepit, eodem quo venerat itinere Byzantium eſt reverſus. Hiſdem verò diebus Ioannes Sepuſius è Tranſylvania eductis copijs, ut Regi opem ferret, ſerò in Pannoniam venit, non obſcurè Regis morte, & magno ſuo cōmodo lætatus. aſpirare namque cœpit ad Pannonici regni faſtigium, quando ipſe nulla extante regia prole, inter Hungaros proceres eſſet clariſsimus, & propter victoriam quondam de agreſtibus, Georgioque Secalo Bornomiſſa collega partam bellica laude illuſtris haberetur. Itaque Ioannes valido prudentique ingenio vir erectus in ſpem potiundi regni, ſingulos proceres diligenter prehenſare cœpit, obteſtarique ne proximis comitijs Hungarici nominis decus prodere vellent, ſi vetuſtiſsimę dignitatis imperium ad externę atq; inimicæ gentis nomen traduci paterentur. Debere Hungaros probè meminiſſe quantas clades ſuperioribus tempeſtatibus acceperint, quum alieni externiq; ſanguinis reges ſibi accerſerent, & adverſus Turcas inauſpicata eorum ſigna ſequerentur: ſatis præclaro documento eſſe debere ſuperiorum temporū calamitates, quas vel Sigiſmundus Bohemus, vel ſuperior Ladislaus Sarmata ad Nicopolim ſemel, atque iterum ad Columbatium, & ad Varnam demum infeliciter cum hoſte barbaro dimicantes Pannonijs importarint. quando ea detrimenta quæ vel longa Ladislai ignavia, vel hac dudum infelicis filij temeritate ſubijmus, memorare diſpudeat: ſub quo militaris diſciplina gloriaq; Hungaricæ virtutis penè tota interijſſe credi poteſt. Supereſſe profectò proceres Pannonici ſanguinis & antiquę, ideoq; imperio digniſsimæ ſtirpis, qui generoſos ſpiritus gerant, atq; animos reſtituendæ publicæ dignitati, & tuendo regno pares in hoc publico luctu conſilia fortia atq; arma expedita invictis animis proferant, inter quos uſq; adeo demiſſi vel hebetis ingenij numerari nolim, vel ſi me nonnulli clariores, honore natalium atq; opibus antecedere videantur, ut me regendo regno, adminiſtrandoq; bello quenquam virtute aut Fortuna meliorem fore confitear. ſatis namq; fortē atq; animi virtute pernobilem præſtabo regem, ſi ab hac certa fidelis animi propenſione, ſuffragio veſtro dignus exiſtimabor. Hac via ingreſſus multū rogando ſatagendoq; Ioannes multorū ſtudia promeruit, eoq; facilius quòd Stephanus Bator procerum clariſsimus ad Ferdinandum paulò antè in Bohemiam contendiſſet, & Ferdinandus apud Bohemos indictis comitijs vehementer eſſet occupatus, quibus primatū & popularium præoccupatis voluntatibus rex erat appellandus. Per eos dies Hungari celebrandis regijs exequijs animos intenderunt, quū Ludovici integrum cadaver Cetriſchi armigeri indicio repertum, è Mugaciana palude ad Albam regalem fuiſſet relatum. Dictis namque ſolennibus inferijs, inſigni pompa apparatuque tumulatum eſt apud ea ſepulchra, quibus ſuperiores reges condi conſueverāt. Exinde exequijs ritè confectis, Rhacos eſt indictum, id eſt comitiale cōcilium

armatæ multitudinis, cuius authoritate acclamationeq́ue ex vetere legis inſtituto Pannoniæ reges creantur. Eius autem Rhacos is fuit exitus, ut Ioannes, quum neminem in publico luctu competitorem habiturus videretur, quando nemo vel clariſsimus candidati nomen profiteri auderet, magno omnium applauſu rex appellaretur, præſtoque ei maturè adfuit Petrus Perenus, in cuius cuſtodia vetuſtiſsima ex rudi auro Hungarici regni corona ſervabatur, qua ſolenni cerimonia legitimi reges coronari ſoliti ſunt. Ea Stephani primi Pannoniæ regis fuiſſe traditur, ſervaturq; in arce Vicegradenſi antiquiſsimorum procerum, more per manus tradito ſervatoque. Atque ita Ioannes ritè coronatus conſecratusq́ue eſt de manu Pauli Antiſtitis, qui in locum Ladislai Salcani Strigoniæ antiſtes fuerat ſuffectus, & Stephani Brodarici præſulis Vacienſis, quem propter eruditi ingenij vim, & dexteritatem in omni rerum actione ſingularem epiſtolarum ſcrinijq; regij magiſtrum effecit. Americum verò Cibachum in præfectura Tranſylvaniæ Vayvodam ſibi conſtituit, qui Varadinenſi etiam præſulatu interfecti ad Mugacium Pereni loco dudum fuerat exornatus. Regi autem creando ex ordine militarium procerum mirificè faverunt hi, quos è Tranſylvania alarum præfectos adduxerat, viros bello paceq; præſtantes. In his eminebant Hungarico ſanguine progeniti Stephanus Verbetius, qui Romæ apud Leonē legatus fuerat, & Paulus Artandus, atq; item Gregorius Peſchenius, & Nicolaus Gleſſa, Ianusq; Docia. Per hunc modum dum novus rex firmandis imperij viribus, aſciſcendisq́ue ſibi & promerendis proceribus liberaliter atq; humaniter ſtudet, Ferdinandū Hungarici imperij æmulum in Bohemia regem creatum didicit. Is ex vetere controverſia eius litis, quę agitata fuerat inter Matthiam Corvinum & Federicum Cæſarem proavum, præclara hæreditatis iura proferebat, ducta ſcilicet à Ladislai morte, qui in Bohemia in ipſa nuptiarum celebritate, veneno ſublatus ferebatur, ambitione malignitateque Georgij Poggibracij, qui Bohemiæ affectans regnum id paulò poſt occupavit: videbaturq; adveniſſe tempus, quo Ferdinandus Bohemico auctus regno, & Caroli fratris opibus ſubnixus, nec oblitus ſui iuris, Pannoniam non iniqua ratione repeteret, Auſtriano ſanguini, ideoq; ſibi ab Alberti principis memoria debitam. Neque Ferdinando præter Auſtrianas & Germanicas vires quorundam Pannoniæ procerum ſtudia deerant, quum apud eum eſſent ſemitransfugæ turbulentique homines, novarum rerum cupidi, & quo facilè impelli poterant livore corrupti, invidentesq; prorſus Ioanni Hungarici diadematis decus, tanquam pręcipitatis comitijs tumultuarioque favore imperitæ multitudinis, ipſo dignioribus ereptum. Nam præter Batorem, cui petendi adipiſcendique regni prærogativa optimo iure obvenire poſſe dicebatur, eminebant & alij pari propè nobilitate, & bellica virtute illuſtres, Valentinus Turaccus, Stephanus Maylatus, Ianus Sala, Gaſpar Seredius, Balthaſar Pamphilus, & Ferentius Gnarus. His acceſſerat Paulus Bachitius genere Triballus, vir eximiè bello fortis, qui apud Turcas Mahometanis initiatus ſacris, ex neceſsitate fugiendæ ſervitutis ad noſtros redierat, renovatoque baptiſmate Chriſtiano ritu fuerat expiatus, & Mugaciano prælio intactus evaſerat. Horum omnium hortatu Ferdinandus ſuopte ingenio repetendi ſui iuris avidus, confiſusque Bohemorum auxilijs & Noricis copijs, quibus accedebant è Rhetia ſuperiore cohortes evocatæ, & ſatis magnus e Stiria, Carinthiaque levis armaturæ equitatus, Budam rectà perrexit:

cuius

cuius adventu graviter permotus Ioannes, ut qui rerum omnium difficultatibus erat circumventus, nec ſatis haberet copiarum, quibus agnoſcere ſtabilireq; novi regni opes poſſet, atq; infirmiſsima apud ſe partim metu, partim levitate gentis ſtudia fore perſpiceret, nequaquam hoſtem Budæ expectandum eſſe conſtituit, hortatusq; duces ſuos, ut cedenti, & adverſis infeſtæ Fortunæ flatibus vela dare coacto adeſſe vellent cum his copijs quas adduxerat, & quas demum conſcripſerat, Peſtum traiecit, atq; inde nuſquam conſiſtere auſus iuſtis confectis itineribus ſuperato Tibiſco, ad Tocaium caſtra fecit. Id erat munitum caſtellum, in ulteriore ripa poſitum. Eius diſceſſu cognito Ferdinandus ſine vulnere Buda potitus eſt, ubi aliquandiu permanſit, conſultatumque eſt, an aufugiens hoſtis eſſet perſequendus. Eorum autem ſententia vicit, qui perterritum hoſtem priuſquam auxilia compararet, aut nova conſilia ſuſciperet, adhibita celeritate conſequendum cenſebant. Itaque Ferdinandus his maxime ducibus, quos memoravimus, omnes copias commiſit, qui continuatis itineribus quanta feſtinatione equorum laſsitudo pateretur, & pedites gradum intendere poterant, ad Tibiſcum pervenerunt, & navigijs quę carris advexerant connexis, contabulatoque ponte Tibiſcum ſuperantes, explicatis vexillis ad Tocaium ubi Ioannis erant caſtra, inſtructa acie pervenerunt. Quo hoſtium ſuperventu perculſus Ioannes, communicata cum ducibus eius periculi difficultate, conſilium capit ſibi neceſſarium potius quàm decorum. Suadebant enim duces promptiſsimis animis pugnam poſcentes, contemptis ferè hoſtibus, ut ipſe paululùm acie excederet, amoveretque ſe periculo, & ſi ita iniquior prælij ſors ferret, ſeſe incolumem ſecundis Fortunæ caſibus reſervaret, ipſos namque quod turpiſsimum ſit Hungaris ad arma natis oblatum ab hoſte prælium detrectare, invictis atq; indomitis animis adverſus tranſfugas conſtantiſsimè pugnaturos. Eminebat inter duces Ferentius Bodo ſingularis virtutis & fidei dux vetus, cui rex præcipuum militiæ ſceptrum atque vexillum de manu tradiderat. Is ſumma peritia pro numero genereq; militum aciem inſtruxit, in medio ipſe cõſtitit cum Hungaris, cornua Tranſylvanorum copiæ tenuerunt. In Auſtriana autem acie Valentinus mediam pariter aciem cum Hungaris tenuit, ubi erat vexillum, duas medio agmini cohærentes brachiorum inſtar firmaverunt: hinc Stirianæ, illinc Noricæ equitum alæ. Sed Paulus Bachithius ex Turcica diſciplina aſtu & inſidijs uti ſolitus cum globo Vſaronum, qui ſunt levis armaturæ equites, latrocinijs aſſueti, remotiore in loco ſtruendis inſidijs idoneo contra lævum hoſtium cornu conſedit, ita ut ex occaſione ſucceſſus qua parte oporteret in hoſtem impetum facturus videretur. Tum verò militum animis non multa ducum cohortatione ad pugnam accenſis, minora utrinq; tormenta currulia, quæ gallinacei ovi magnitudine pilam evomebant, diſploſa ſunt: parvo quidem detrimento, quum procurrere & manum conſerere ſimul turmæ properarent, alternis utrinque cornibus alæ pulſæ profligatæq; ſunt: nam Stiriani equites Tranſylvanorum vim non diu tulerunt: quum in altera parte Noricus equitatus cataphractus, novas & collectitias Bodonis copias in lævo cornu proſtraviſſet. Eodemq; tempore ab utraq; media acie paribus Hungarorum animis atque artibus contractum eſt certamen, uſque adeo acriter invehendo procurſandoque, ut nuſquam antea vehementius & pertinacius dimicatum fuiſſe appareret. Sed novo cataphractorũ impetu, qui pulſo dextro cornu in hoſtium latus ruebant, tota Bo-

donis acies vel egregiè reſiſtens fortiſsimeque dimicans, loco pulſa perturbataque eſt, eo quidem eventu, ut ipſe Bodo imperator, qui vexillum ſervare reparareq; aciem aliquādiu fuerat conatus, incumbente Paulo Bachithio ab Vſaronibus caperetur, & reliqui duces deſperatis rebus profugerent, non multaq; cęde edita tormenta ad unum omnia, vexillaq; in poteſtatem hoſtium devenirent. Quum rex ipſe conſpecta ſuorum ſtrage, periculo ingenti fugæ curſu ſe eriperet ad ipſos Sarmatiæ fines, victores, uti oportebat, in Tranſylvaniam penetrarunt, quibus populis nullo negotio in ditionē acceptis, vniverſa provincia ad authoritatem Ferdinandi regis ſe contulit: Bodonem porrò cum reliquis nobilioribus captivis atque vexillis ad Ferdinandum miſerunt. Cęterùm Bodo quum vel propoſita libertate flecti non poſſet, ut ſacramentum Ioanni dictum violaret, & contra eum militaret, ab clementiſsimo alioqui rege in tenebricoſum carcerem Novæ civitatis relegatus eſt, atque ibi aliquanto poſt pedore conſumptus, miſer fato ſuo conceſsit. Nec multò pòſt Ferdinandus inclinantibus in eum Hungaris ferè omnibus ex uſu victoriæ rex eſt acclamatus, atque eadem vetere aurea corona, quam idem Perenus vir incertæ fidei, ideoq; facilè ad officium rediens detulerat, cum Anna uxore quæ Ludovici regis erat ſoror, inſignitus eſt, celebratis eius ſolennis pompæ cerimonijs apud Albam regalē. Exinde Ferdinādus utriuſq; regni rara felicitate compos factus, in Bohemiam redijt, præſidesq; qui Pannoniæ regnū adminiſtrarent, delegit. Hi fuêre Stephanus Bator, qui cum ſumma poteſtate Prorex eſt creatus, cui collega addebatur Paulus Strigonienſis antiſtes, qui & ipſe à Ioanne defecerat. Berethſaxium autem epiſtolarum magiſtrum fecit: Alexium verò Turſonem Moravæ gentis, cuius ſoror Petro Pereno nupſerat, ærario præfecit. At Ioannes uſque adeo acerbè mulctatus à Fortuna, ad Hieronymum Laſchum profugit, virum inter Sarmatas ab illuſtri nobilitate, eruditæque virtutis nomine clariſsimum. Is tanti hoſpitis occaſione lætus nihil antiquius habuit, quàm ut regem in eas amiſsi regni calamitates præcipitatum accuratiſsimè recrearet, polliceretur que ei in ſpem recuperandæ dignitatis opes ſuas, quæ non erant mediocres, & quod redivivæ felicitatis interfuit, ingenium ſuum in omni actione humanarum rerum valde mirificum. Non erat ingrata Sigiſmundo regi ea Laſchi erga regem hoſpitalitatis liberalitas, quanquam ne Ferdinandum offenderet amicitia atque affinitate ſibi coniunctum ingenuè clientis officium diſsimulare videretur, vel ob id quòd antea ipſius Ioanni Sepuſiani tum reguli Germana ſoror in matrimonio regio fuiſſet. Qua de cauſa fiebat ut Laſcus nihil tenerioris officij in percolendo hoſpite prætermitteret, nec tamen Sigiſmundi regis exiſtimatio læderetur. Quum verò multum inter ſe colloquendo deliberandoque integrum ferè menſem abſumpſiſſent, Laſchus excelſo ſolertique ingenio graviſsimarum rerum conſilia agitare atque aptè terminare ſolitus: poſtremò ad id unum deſcendit, ut ab uno tantum Solymano maturam opem afflictis & perditis rebus ſperandam cenſeret, arbitrareturque generoſiſsimum eundem & longè maximum regem, ſupplicis & eiecti preces minimè neglecturum, ſi ipſo miſerante ſublevanteque reſtitutus foret, ex tanto beneficio ſe clientem factum ex authoritate Othomannici nominis regnaturum profiteretur. Intelligebat ſiquidem Laſchus à tanto elatiſsimique animi Imperatore, non regna quæ illi abundè ſupereſſent, nec facilè enumerari poſſent, poſtquam magnam orbis terrarum partem

impe-

imperio complecteretur, ſed magnificentiſsimæ laudis gloriam peti, qua præ inſita orientis regum animis vanitate, eum impenſè oblectari didiciſſet. Hoc erat conſilium, ut uſu apparuit, Ioanni maximè ſalutare atque honeſtiſsimum, ſi expulſi atque exulantis conditionem reſpiceres, ſed in cauſa Chriſtiana non obſcurè nefarium, poſtquam privati commodi nomine Reſp. in longè maximum atque horribile diſcrimen adduceretur. Verùm ægra mortalium mens quum de ſalute ſolicita parũ ſperet, nulla unquam vel ancipitia, ideoq; ſæpe nocitura remedia repudiat. Nec multò poſt decreto facto Laſchus, qui nominis ſui famam præclaris operibus extendere cupiebat, legatione ſuſcepta Byzantium contendit. Fama eſt Sigiſmundum non modò euntem non retentaſſe, ſed iuviſſe etiam diplomate, atq; inſtruxiſſe eum literis, quibus tanquam civem familiaremque ſuum extraordinariæ & peculiaris legationis munus ſuſcipientem, ſibiq; cariſsimum, purpuratis & nonnullis Sarmatici etiam ſanguinis, qui in aula Solymani gratia valebant, commendabat. Itaq; Laſchus emenſo itinere ubi Byzantium pervenit, primum omnium allatis muneribus, quæ elegantia potius quam pretio placitura grataq; præcipuè uxoribus eorum futura non abſurdè exiſtimarat, purpuratorum nõ modò, ſed ianitorum etiam amicitiam promeruit: quando apud venales barbaros nihil magis in pretio ſit quàm ſimplex vel aſtuta liberalitas. Inter purpuratos qui Baſſæ vocantur, eo tempore authoritate præſtabant Luſtebeius, in cuius matrimonio Solymani ſoror viſebatur, & Habraymus ex Acarnania Pargæ humili vico natus, & cum Solymano à prima pueritia molliter educatus. Is Viſir, hoc eſt purpuratorum princeps evaſerat, & quum teneret regium ſigillum, cunctiſq; ſupplicibus libellis & epiſtolis ſubſcribere conſueſſet, reliquos aulæ proceres honoribus validos, ex peculiari atque firmiſsima gratia, authoritate anteibat. Per hunc modum inſinuatus & ſæpius apud purpuratos ſine interprete loquutus, quòd Illyrica lingua omnibus ferè in aula eſſet familiaris, Ioannis regis cauſam egit, atq; eum mirificè commendavit: nam ſalutato tantũ Solymano ſub primum ipſius adventum de negotio acturus ad purpuratos de more fuerat reiectus. Neq; enim Solymanus virum Chriſtianum intra ſepta aulę ad colloquium admittere conſuevit. Petebat Laſchus à Solymano, ut Ioannes Ferdinandi Auſtriæ principis iniuria, & quorundam Hungarorum perfidia regno pulſus, Pannonię rex & Othomanici nominis beneficiarius appellaretur, ideoq; Turcicis armis in regnũ reduceretur, ſicuti proprium eſſet Othomannicæ ditionis, poſtquam illud iure belli adiudicante Fortuna ab ea inſigni victoria Solymanus felici dextra vindicatis iniurijs, devictiſq; hoſtibus ſibi peperiſſet. Ioannẽ qui commendatione virtutis publico in concilio Hungarorum omnium legitimè rex fuerat appellatus, & ritè etiam ex antiqua regni formula coronatus, nunquam ſi in clientelam tutelamq; reciperetur, reducereturq; tanti beneficij memoriam animo depoſiturũ, egregiaq; fide gratiſsiſimi animi maieſtatem Solymani perpetuo cultu veneraturum, atque ea quæ imponeret tributa quotannis perſolvẽdo, initæ clientelę nomen cunctis gentibus declaraturum. Id verò ſi Solymanus ſupplici concederet, tam ipſi honorificum, & ad beneficentiæ famam ſplendidiſsimum fore, quàm Ioanni utile vel decorũ. Nam pręterquam quòd magnanimi reges beneficio dando potius quàm accipiendo Dijs ſuperis æquẽtur, etiam id Othomanis magnopere conducere conſtaret, ut Turcæ infirmo & beneficiario regi potius finitimi ſint,

quam Ferdinando, qui à Bohemis rex aſcitus, & Caroli fratris, cui Germani bellicoſi homines parent opibus fretus, bellum inferre, quā in finibus pacem tueri malle exiſtimari poſsit. Non ineptè ſiquidem cavendum eſſe Turcis, ut quæ ſibi bellando paraverunt, ijſdem armis defendant, nec quenquam ſupra cęteros potentia atq; opibus augeri ſinant. aliquando etenim fieri poſſe, ut Carolus authoritate virium ampliſsimus, in eandem indicendi ſacri belli cauſam reliquos principes trahat, & pro religione uti ſuperiores Europæ reges fecerint amiſſa, omnino repetenda iudicet, cuius viribus non facilè demum reſiſti poſſet. Hæc diſertiſsimè dicta, quū Solymano ex occulta feneſtella auſcultanti à purpuratis referrentur, non magni negotij fuit imperatorem gloriæ, potentiæq; avidum eò perpuliſſe, ut Pannonicum bellum rurſus ſuſciperet, & Ioannis preces ad animum admitteret, polliceretur q; ex uſu novæ victoriæ ea conceſſurum quę poſtularet, modò fidem tueretur, & ingrati nomen maximè abhorrendum exiſtimaret. Interea Ferdinandus non temerè Pannonię regnū ſibi gravi ratione confirmandum exiſtimans, neque alicunde vehementiorem, quàm à Turcis vim timens, pertentare Solymani animum atque eius amicitiam appetere conſtituit, ratus eam honeſta conditione poſſe comparari, ſi quo iure inductus Pannoniæ regnum invaſerit & cœperit, apud barbarum nequaquam abhorrentem à iuſtitię laude antiquę ſuę litis ſeriem explicaret, & ſe legitimū eius regni hæredem præclaris noſtræ legis monumentis demonſtraret. Exiſtimabat enim Solymanum tot undique victorijs auctum, & iam planè tot regna faſtidientem, veluti ſumma gloria contentum, pace parta aliquando conquieturum. Petebat autem hiſdem conditionibus amicitiam atq; inducias, quibus Ladislaus & Ludovicus filius per aliquot annos ab Othomannis regibus antea meruiſſent, & tum etiam Sigiſmundus Sarmatiæ rex pari induciarū tranquillitate eius amicitiæ beneficio frueretur. Itaq; idoneum nactus hominem, qui hęc mandata Byzantium deferret, Ioannem Oberdanſcum virum Pannonium deligit: hunc iuſto comitatu exornat, & muneribus, quæ purpuratis largiretur, decenter inſtruit. Sed ubi Oberdanſcus emenſo itinere Byzantium pervenit, Solymanus ſua ſpe durior eſt inventus, averſosq; ſe penitus purpurati à mentione induciarum præbuerunt. Nam tametſi legatus humaniter a Solymano fuerat receptus, auditusq; patientiſsimè in conſeſſu purpuratorum facundè & diligenter cauſam egerat, in exitu tamen legationis, nihil plus quàm ſuperbi atq; inſolentis decreti reſponſum tulit. Dixerat enim Solymanus alienum eſſe a maiorum inſtitutis, eos in gatiam amicitiamq; recipere, qui Othomannico nomini iniurias intuliſſent, proinde Ferdinandum impudēter facere, qui alieni iuris regnum invaſiſſet, atq; id retinere poſſe confideret, quando eius vetera iura planè inania quæ oſtentaret recenti ſua victoria, Marteq; iudice obliterata antiquataq; fuerint. His de cauſis eum toto induciarū & amicitię munere indignū videri, ſeq; eo eſſe animo ut contumeliam quam acceperit, probè vindicandam ducat, indictoq; bello rurſus ſibi Pannoniam omnino repetendam: tantis autem ſe copijs eam expeditionem ſuſcepturum, ut Ferdinandum vel intra Norici, Germanięq; fines ſit invaſurus. Proinde ei omnem belli cladem pro inducijs atq; amicitia denunciaret, properéq; Byzantio excedere maturaret. Cæterùm Oberdanſcus ubi Viennam eſt reverſus, quæ retulerat regijs præſidibus communicando, barbarorumq; minas & maturum Solymani adventum pronunciando, quū nemo Germanorum,

ut ea crederet adduci poſſet, aliquandiu pro vaniſsimo nebulone habitus eſt. Quamobrem ut effugeret invidiam vera pro falſis interpretantium, ad Ferdinandum pervolavit. Is tum erat apud Spiram Nemetũ urbem ad ripam Rheni poſitam, ubi petitioni ſuæ ſuffragatores comparabat, quód ea inſtarẽt apud Germanos comitia, quibus ipſe coronato Carolo fratre Cæſar eſſet deſignandus. Is nuntius non mediocriter eum perculit, quód eorum quæ diceret, & ſe facturum profiteretur hoſtis barbarus, non facilè fidem fallere ſolitus, proculdubió eventura proſpiceret, alienoq; tempore auxila à Germanis petenda viderentur, ſi tanto hoſti obviam eundum, & Hungarorum ſaluti conſulendũ foret, Carolo præſertim fratre Italicis implicito bellis, & rebus undiq; ad multam rei nummariæ inopiam redactis, qua una cogi milites & barbaris reſiſti poſſe iudicaret. Adulto vere & læto iam gramine virentibus campis, Solymanus nihil ab inſtituto conſilio repetendæ Pannoniæ diſcedit, magiſtris equitum imperat, ut copias omnes ad ſigna vocent. Europeis equitibus imperabat Habraymus, Aſiaticis autem Berambeius: hic ad edictum ex Aſia copias in Europam traducit, ille advocat Sanzacos omnes, qui ſunt provinciarum pręfecti. Ab his ex vetere diſciplina accerſuntur Subaſes, Vayvodæ & Flammurani, qui diſtinctarum alarum atq; turmarum præfecti ſunt. Hi omnes indicto die opportuno loco conveniunt, præcipueq; apud Sophiam Triballorũ urbem, quæ Europei magiſtri equitum certa ſedes eſt, ſicut Aſiatici urbs Cuthea Galatiæ. Præmittuntur itaque voluntarij equites, qui ſunt extraordinariæ militiæ, temporarijq; ſtipendij ex omnibus provincijs, Transdanubijsq; præſertim ad prædæ ſpem evocati, ideoque eorum lingua Achangi appellantur. Eorum ingens numerus eſſe conſuevit, utpote qui ſupra quinquaginta milia numerum impleant: reguntur autem imperio peculiaris præfecti, qui ex antiquiſsima Turcarum familia, uti virtus provehit ex vetere prærogativa deligitur. Is tum erat Acomathes Michaloglis, qui anteire magiſtri equitum agmina, & primus in hoſtilem regionem irrumpere, & latè prædari, ferroq; & incendio cuncta abſumere iubetur. Itaq; Solymanus pręeuntibus Europeis et Achangis, Aſiaticis terga tuentibus, Hadrianopoli profectus, quintis decimis caſtris Belgradũ pervenit, ſuperatoq; Savo Dravoq; fluminibus iter rectà Budam extendit. Hiſdem fermè diebus Solymanus Belgradum applicuit. Ioannes rex quanto maximè potuit honeſtiſsimo Hungarorum procerum comitatu ſeptus, ipſo Laſcho comite ad Solymanũ venit, ut honoris cauſa in gratiam clientelamq; ſuſcipientem præſens agnoſceret, tutelarem eius dextram oſcularetur, atq; eum ut promiſſa præſtaret, gratias agendo veneraretur. Ille gravi fronte, ſed amico obtutu parum ſe è pulvino commovens, dextram ſuam fide virtuteq; pręſtantem, ideoq; ſemper valituram apud eos quos in amicitiam reciperet, porrexit, teſtatus nihil ſibi optatius & melius à maximo numine poſſe tribui, quam ut miſeros ab ipſius præſertim hoſtibus iniqua & indigna perpeſſos ſublevare poſſet. Proinde bono animo eſſe vellet: cuncta enim quæ ultore gladio in bello de hoſtibus pararet, liberali animi decreto ei protinus eſſe conceſſurum. In conciliando autem Solymano Ioannes Habraymi Baſſæ efficaci ſtudio profecit, quẽ antea per Laſchum Byzantij ita precibus atq; muneribus præoccupato eius animo, ſibi benevolum amicumq; paraverat, ut regiæ cauſæ patrocinium facilè ſuſciperet, Aloyſio Gritto præſertim internuncio feliciq; auſpice. Is enim caſtra ſequebatur, & uti erat Andreæ Venetorum

principis filius, ideoq; præclara eius nominis commendatione inſignis, & omnis elegantię peritus, ab intimo convictu ſecretioreq; conſuetudine familiaris, tanta valebat gratia, ut Habraymum ab occulto quodam ſydere Solymani genio non obſcure imperantem, eò quò vellet facile perduceret. Grittum ſiquidem Byzantij natum atque educatum, ideoq; Turcicæ uſque ad admirabilem facundiam peritum linguæ, generoſi mores & domeſtici apparatus ſplendor, ſummaq; in omni re, agnoſcendisque præſertim, & peritè æſtimandis gemmis, quarum mangones domi aleret, mirabiliter commendabant, uſq; adeo ut in eius hortos, quos apud Peram habebat, ex Italica diſciplina cultiſsimos, Solymanus ipſe oblectationis cauſa ab Habraymo perduceretur, atq; eo ſeceſſu iocundis ſermonibus tenuioris amicitiæ gratiam aucuparet, inde magno quæſtu vectigalibus atque portorijs præficeretur. Adventantis Solymani, rectaque Budam ire pergentis, Budenſes metu perculſi, fermè omnes urbe profugerunt, & in proximas urbes, pars Strigonium, pars Albam regalem, aliij Poſſonium demigrant. Itaque vacua pene potitur Buda, & arcem, quę Germanico præſidio tenebatur, oppugnari iubet. Turcæ perfectis per cuniculos ſubterraneis operibus, vectibus & dolabris, ima turrium fundamenta ſubruere conantur, ut ſuppoſitis ignibus arcem exſcindant. Quibus barbarorum operibus territi Germani, quòd paribus cuniculis ex diſciplina obviam ire nequirent, nec tormentis ſeſe defendere poſſent, & imminentis excidij propinquũ iam diſcrimen pręſentirent, de deditione ſigna proferre, & cum barbaris colloqui cœperunt, inter quos nonnulli erant Germanicæ periti linguę. Præerat arci Thomas Nadaſtus inter Hungaros nobilitate generis, eruditiq; ingenij dotibus illuſtris. Is uti debebat egregiè fortis cuſtos, milites cum hoſtibus colloqui vetat, & in hoſtes tormenta converti & dirigi iubet, ignaviæ ſimul atq; perfidię eos arguit: comminaturq; eis pœnam fœdi ſupplicij, niſi extrema quęque oppugnationis pericula ſuſtinenda cenſeant, & decus Germanici nominis, Ferdinandiq; præſertim, à quo ſtipendia acceperint, atq; opima præmia expectare poſſent, conſtantiſsimè tueantur. Sed iam ſulphureus vapor ſuccenſi in cuniculis tormentarij pulveris, ad nares Germanorum permeabat, & ex diſcurrentium ſpectantiumq; Turcarum habitu, non obſcura concaſurę mox turris indicia deprehendebantur, quo ingentis periculi metu adducti rurſus ad idem deditionis conſilium redeunt, quòd præſentis vel maturæ iam cladis pavorem altè conceptum, nullus vel teterrimæ pœnæ metus, aut admiſſi flagitij pudor, aut cuſtodis ampliſsimi viri reverentia ſuperarẽt. Itaq; quum Nadaſtum minaci fronte vociferantem in ſententiam decretæ deditionis adducere non poſſent, eum comprehendunt, vinculaq; iniiciunt, ne reſiſtere aut hiſcere queat, cõſpirantes cum hoſte ſalvis rebus paciſcuntur. Id ratum habuit Solymanus. Cæterum quum eius pręſidij milites, qui erant ferè ſeptingenti ex conditione incolumes, ſarcinisq; ſuis onuſti in Poſſonium abirent, & Ianizeri occupata arce Nadaſtum ſolutũ vinculis pariter dimiſſuri eſſent, Solymanus de militum perfidia, probitateque Nadaſti certior factus, quo nefario flagitio contaminatos ſua lenitate indignos putaret, ut alienæ perfidiæ ſcelus ulciſceretur, Ianizeris ad unum trucidãdos obiecit: Nadaſtum verò ipſum ſtipendio invitatum, idq; renuentem humaniter dimiſit: ipſius etiam Ioannis regis commendatione adiutus, quanquã ſoror eius eſſet in matrimonio Stephani Maylati deſertoris primo, & mox atrociſsimi ſui hoſtis. Id ſævæ cædis facinus im-

mani

mani imperatoris iuſſu non iure modò, ſed ad laudem etiam veræ virtutis atque iuſtitiæ patratum videri volebant barbari, qui ſacramentum militię nullo vel præſentis metu mortis violandum cenſebant: quod fortaſſe æquum exiſtimari poſſet, niſi atrox atq; perpetuum barbari hoſtis in noſtras gentes odium, ſi iuſta humanitatis iura æſtimentur, elevaret penitus & everteret. Cur enim Germani, qui beneficio ipſius peccaviſſent, & diplomata conceſſa libertatis obtinuiſſent, uſq; adeo crudeli nece mulctandi videri potuerint, quum ipſe Solymanus in ea alienę perfidiæ cauſa propriam abruptę fidei notã ſubiret, & quã quęrebat iuſtitiæ laudem tam crudeli quàm turpi ſententia perverteret? Exinde Solymanus eo conſilio, ut Viennam duceret, caſtra movens, ex itinere Altaburgum Bohemico cuſtoditum præſidio admotis copijs adortus, vel impigrè Bohemis aliquandiu propugnantibus, ſed mox cadente ipſorum duce, concepto gravi metu murum deſerentibus, expugnavit, interfectis ferè ad unum Bohemis. Ab Altaburgo Acanzes verſus urbem Quinqueeccleſias vocatam prædatum dimiſit, qui intercepta ingenti omnis generis hominum præda, nemine uſquã reſiſtente prætervecti Viennam, luctuoſas ad Linzium uſq; excurſiones fecerunt, ita ut paſsim atrocibus incendijs ædificia conflagrarent, & magnus Viennenſibus incuteretur timor. His barbarorum pręcurſionibus antea proviſis Ferdinandus gravi incenſus cura, quas potuerat evocare & cogere copias, intra Viennam contulerat, & maioribus cogendis præſidijs implorabundus opem, ſingulos regulos, ſingulasq; civitates adiens volitabat, qua in re aliquanto quàm pericula poſtulabãt, ſegniores Germanos reperiebat, ideoq; etiam tardius, quæ vellet conficiebat: quoniam celeritate Solymani pręoccupatus fuiſſe diceretur, in oreq; omnium eſſet Oberdanſcus, qui tanquam non falſus vates probo ore, quæ à barbaro imperatore dicta fuerant, nõ ſero futura prænunciaſſet, & Viennenſes vanitatis & incredulitatis ſuæ pœniteret, & tum fervidiſsimè quę opus erant pro tuenda ſalute munimenta circa urbem præpararent. Paucis autem diebus ſecundũ amiſſę Budę famam circiter viginti milia peditum & equitum Viennam confluxère, quibus pręſtantiſsimi præerant duces, inter quos eminebant Philippus Palatinus, Nicolaus Salma, qui Ticinenſi prælio, in quo rex Galliæ captus eſt, inclaruerat, & ſecundum eum Gulielmus Rocandulphus regię aulæ magiſter Italicis clarus bellis, & Ioannes Cazianer vir pugnax natione ſemiIllyricus, cui poſtea Viennæ præfectura obtigit, et ſecundum hos Nicolaus Turrianus, Ioannes Hardecus, Leonardus Velſius, & Hector Rayſachus, inter Germanicos proceres cũ genere, tum bellica laude illuſtres. Ab his præparata ſunt ænea circiter centum curulia tormenta præter minora. Hæc erant ferè trecenta, quæ pilam plumbeam infra anſerini ovi magnitudinem ferrent, & pro corona mœnium iuxta pinnas, earumque feneſtellas in canterijs diſponebantur. Circiter Idus Septembres Solymanus Viennam pervenit, aliquanto tardius quàm ſperarat, quòd eius curſum toto ferè itinere propter plenos & creberrimos eius æſtatis imbres, amnes inflati multis in locis alveorum marginibus ſuperatis inundantes, retardaſſent, ob idq; Danubius ſe ipſo largior atq; turgidior, minus idoneam aut tutam navigationem ſubeuntibus tot navigijs, onerarijsq; præſertim lintribus, præberet. Igitur Solymanus quinis caſtris diverſo atque opportuno loco poſitis urbem circumplexus, tantam per omnes campos tabernaculorum multitudinem Viennenſibus è ſacra turre, quæ à media urbe ex-

celſiſsima atque pulcherrima ſtructura exurgit, proſpectantibus oſtendebat, ut octona undiq; ſuburbani agri millia paſſuum occupare cenſeretur. Habraymus montem ubi caſtellum eſt antiqui operis deſertum preoccuparat, unde non interiecto magno vallis ſpatio totã vrbem deſpicere poſſet, extra tamen tormenti iactum. Becrambeyus autem conſidebat contra Purgatoriam quam vocant portam, iuxta Sancti Vlderici templum. Tertia caſtra erant Michaloglis: quæ ſecundum acclivia montis ad templum ſancti Viti latiſsimè extendebantur. Quarta erant poſita ad Scotorum portam ad Danubij ripam pertinentem, qua in parte conſtitutæ fuerant Aſaporum turbę, quibus admiſcebantur validæ Ianizerorum cohortes, quæ repentè erectis munitionibus prælongis ſclopettis rem gerebant, nec quemquam in muro Viennenſium conſiſtere patiebantur; adeo namque peritè glandes dirigebant ut pluteos perforarent, atque his appoſiti milites ſternerentur, & ſedulò collimantes deſtinatò intra ſagittarias feneſtellas crebrò glandes conijcerent, & in ſtatione pro corona conſiſtere auſos vulnerarent: ſuperfunderetur autem tanta ſagittarum vis intra urbem, ut per regiones qui non eſſent geleati tanquam è cœlo decidentibus ſagittis graviſsimè ferirentur. Cæterùm Solymanus ad diui Marci templum prætorij vexillum erexerat, ſeptus hortorum lateritijs munitionibus, & per Aſapos actis cuniculis mœnium fundamenta ſubruere, & dolabris & vectibus non uno in loco muros præcidere iubebat: nam quum muralibus careret tormentis, ad id oppugnationis genus via rectior & potior videbatur, vel ob id præſertim quod magno Viennenſinum commodo accidit. Volfangus Hoder Poſſonio exiens cum iuſto tormentorum apparatu expeditisq; copijs ſubeuntem adverſo flumine Turcarum claſſem eo eventu aggreſſus fuerat, ut multa navigia minora demergeret, & lintres aliquot magnos, quibus maiora tormenta ad oppugnationẽ mœnium ſubvehebantur, perforaretatq; demergeret, & Turcæ amiſsis pluribus è numero ſociorũ navalium, multisq; militibus, qui claſsi præſidio impoſiti fuerãt interfectis, inſigni clade afficerentur, paucisq; ſuorũ amiſsis Volfangus Poſſoniũ victor rediret. Reliqua tamen barbarorum claſsis ubi Viennam pervenit, primo impetu pontes omnes præcidit & diruit: nam Danubius paulò ſupra urbem in aliquot partes diductus parvas efficit inſulas, quæ pontibus iunguntur, per quos Auſtriana via in urbem dirigitur. Ea claſsis ita verſus arcem conſtitit, ut neque terra neque flumine aditus ullus liber aut tutus exituris vel ingreſſuris relinqueretur, & ſi armatorum cuneis effectis portis erumperent, facilè à barbarorum multitudine intra urbem cum detrimento retruderentur. Nam paulò antè Ioannis Ardechi equites vel egregiè pugnantes & ſplendidis muniti armis erumpere auſi, detrimento accepto, cum ab equitibus, tum à Ianizeris ſclopettarijs reliquisque ſagittarijs tanta perturbatione pulſi reiectique ſunt, ut multis interfectis & vulneratis Volfangus ſignifer cum vexillo caperetur, qui non multò poſt à Solymano inſigni donatus veſte ad ſuos remiſſus eſt cum mandatis, ut ad deditionem præſidiarios milites ſimul & Viennenſes cives hortaretur. Ipſum enim, ſi pertinacius reſiſterent, pro humanitate atque muneribus quæ offerebat, in omnem ætatem & ſexum gladio ſæviturum. Sed ea erat omnium conſtantia, ut nihil tanta multitudine hoſtium terrerentur, & probè ſe mœnia defenſuros confiderent, poſtquam nulla hoſtibus eſſe muralia tormenta perſpicerent, quibus facilè murus quati atque perfringi

ſtringi poſſet, niſi Volfangus è Poſſonio navali prælio victor aliquot inuſitatæ magnitudinis tormenta demerſiſſet. Neque enim quæ barbari advexerant curulia tormenta campeſtribus potius prælijs apta, quàm pulſandis diruendiſque mœnibus idonea, nullam niſi in ſumma corona ad pinnas vim afferebant, videbanturque peritis tot ducibus Germanorum Viennæ mœnia tanquam ab imperitis architectis antiquitùs ſtructa, ob id magnopere inepta eſſe neq; invalida ad ſuſtinendam graviſsimam tormentorum oppugnationem: quoniam rotunda & tanquam circino in orbem circunducto nulla extantioris prominenciæ propugnacula haberent, unde oppugnantium hoſtium latera per obliquos pilarum ictus feriri poſſent. Nam neq; antea Ferdinandus à quoquam finitimo vim timens, neq; Viennenſes qui multis annis hoſtem nõ vidiſſent, muniendæ urbi curam intenderant, utpote qui nihil antea vel admonente Oberdanico de barbarorum adventu timuiſſent, vixq; terrenam nequaquam denſi aggeris munitionẽ, quæ idoneam propugnaculi haberet proiecturam erexerant, circa unam tantũ Carinthię portam: alijs autem in locis ligneas extantis podij modò caſulas protulerant, ut inde nihil ab hoſte conſpecti defenſores gravioribus ſclopettis rem gererẽt. Sed his falconum hoſtilium crebris ictibus diſiectis & deturbatis, aut perpetua glandium minorũ grandine terebratis, totus penè murus propugnatoribus nudabatur. tanta quoq; fuit temporis exiguitas, ut duces uti oportebat ex gleba ceſpiteq;, altiora intus munimenta erigere nequirent. Ibi enim de more conſtitui debebant maiora tormenta: nam magno numero impoſita currubus ſuppetebant, quæ longiſsimè hoſtium caſtra globos ferreos evibrarẽt, ita ut illorum nullus eſſet uſus, quòd nullo alto ſtabiliq; propugnaculo collocari poſſent. Apparebat ſiquidem ſi in altiores aggeres educerentur, quos hodie propterea quòd emineant & excelſi ſint cabellerios vocamus, magna clade Turcarũ caſtra poſſe affici: nam paulo antè duo Hiſpani Davalus & Aquileria tormentũ mediocre quod mediam colubrinam vocant, in præalta mœnium parte, uſitato ergatæ molimine funibus eduxerant, cuius ictibus aliquot hoſtium tabernacula proſtrata fuiſſe ſpectabantur. Itaque omnibus labor totaq; ſpes ſubruendi muri apud Turcas poſita erat in cuniculis, qui tribus in locis ſubter fundamenta mœnium ducebantur, quorum operum ſonitum ſedulò auſcultantes Germani, & quo tenderent telluris commotæ pulſu certis (ut alibi diximus) plenorum aqua pelvium & tympanorum militarium inſtrumentis deprehendentes, paribus cuniculis occurrebant, quando neceſſe eſſet tympana ſolo appoſita, vel ex minimo terræmotu commota membrana palpitare: vaſa autem pariter concuſſa tellure criſpantem aquam oſtendere. Ad hæc ſuſpectis in partibus murum introrſus ingentium trabium tibicinibus effulciebant, ut caſura extrorſus mœnia proruerent, uti tum accidit quum excitatis ab hoſte cuniculorum ignibus ad Carinthiam portam magna pars muri tremefacta, incolumi tamen turre hiſceret, atque extra prolaberetur, Turcæ præpediti ruina & confertim ingredi conati facilè ab armata Germanorum phalange repellerentur. Nec multò poſt contra templum divæ Claræ proruens murus binis hiatibus editis, ſed his non omnino latis Turcæ ad irrumpendum invitarentur. & quanquam propter anguſtias tenui cuneo intrarent, cruentum tamen, ſed ſuo maximè ſanguine, certamen cum Germanis eius ſtationis contraxerunt, tanta barbarorum audacia conſtantiaq; noſtrorum, ut protectæ ſplendentibus armis co-

conis

hortes facilè inermem turbam hoſtium temerè proruentem, & cuſpidibus ſeſe ultrò offerentem egregiè ſuſtinerent: & quòd barbari eſſent numero impares, multos eorum confoderent, tergaque dare, & tumultuosè regredi multis cadentibus cogerent. Triduo pòſt atrocißimè dimicatum eſt, quum pars muri iuxta Carinthiam portam non longè à priore mœnium ruina ita concidiſſet, ut Turcæ noſtrorum phlanges in pomerio conſtitutas, paratasque ad pugnam excipiendam patente ruina conſpicerent, adorirenturque ardentibus animis, & abiectis demum utrinque ſclopettis & arcubus ad gladios incurvos & prælongos enſes Germanicos, quos ambabus regunt manibus, rem deducerent, quũ eadem ratione qua Germani duces hortabundi phalangem promoverent, & Turcarum præfecti ſuos non verbis modò feroq; ululatu capeſſere pugnã, ſed illatis vulneribus ad prælium compellerent. Certabatur omni genere telorũ igneq; miſsili, ſic ut nuſquã acrius & periculoſius hoc ſeculo pugnatum fuiſſe diceretur. Ambuſtus eſt Othingus nobilis regulus, & nonnulli pariter e barbaris ordinum præfecti: quoniam Aſapis & Ianizeris equites ipſi dimiſsis equis ſuiſque protecti ſcutis & incurvis armati gladijs equeſtribuſque haſtis audacißimè miſcebantur. Ad extremum quum tribus horis eſſet pugnatum, Turcæ inſigni detrimento accepto per eaſdem ruinas extrorſus præcipites dati ſunt. At Solymanus tot irritis & maximè cruentis ſuorum prælijs permotus, ſupremum immanium virium ſuarum conatum editurus, præfectos omnes advocat, acerbißimis caſtigat verbis, quòd parte propè victoriæ defuerint, ignavißimeque contra morem invictæ gentis a limine ſemicaptæ urbis (quod pudeat viros fortes) pedem retulerint. Propterea confirmarent animos, & rurſus ad renovandam pugnam corpora atq; arma pararent, ne dedecus admitteretur. Se enim putare turpißimum incœpto abſcedere. Proinde exiſtimarent, aut egregiè in poſterum diem expugnata urbe vincendum, aut ignominiosè pereundũ. Ab hac atroci denunciatione poſtridie, qui fuit idibus Octobris, ſupremo conatu redintegrata eſt pugna uſque adeo terribilis, ut quum barbari agminatim per eaſdem ruinas in urbem irrumperent progrederenturq;, & denſatas horrenteſq; haſtis noſtrorũ acies contemnerent, præeunte incredibili crepitantium ſclopettorum procella, collato pede pugnaretur. Sed magno ſtatim noſtrorum commodo nonnulla maiora tormenta certis locis peritè diſpoſita collibrataq; in proruentes Turcas emiſſa ſunt, tanta ſtrage edita ut milites prodeuntium ducum imperijs & minis parere deſinerent, & Turcico gladio interfici quàm Chriſtianis tormentis ſterni ſatius & melius arbitrarentur, atq; eo modo finis Viennenſium periculo eſt impoſitus, & inſolentis tyranni pertinacia fracta eſt, non dubia cũ laude Germanicæ virtutis atq; ignominia barbarorum. Poſtero die Solymanus ſibi diſcedendum multis de cauſis iudicans, captivos quoſdam ornatos veſte ſerica, pecuniaq; donatos in urbem remiſit, ut ducibus Viennenſium referrent, ſe nõ eo conſilio obſeſſum oppugnatumq; Viennam veniſſe, ut urbem caperet, ſed peculiari de cauſa, ut Ferdinandum hoſtẽ ſuum nanciſceretur, quo cum de Pannoniæ poſſeſsione nobili prælio controverſiam finiret. Verùm poſtquam eum Viennæ non eſſe, & in ulteriorem Germaniam abijſſe didicerit, moturum inde caſtra, & ad quærendum perſequendumq; eum tanquã præcipuum hoſtem eſſe progreſſurũ. Proinde ipſos rectè facturos, ſi ſeſe dederent. Quod ſi facerent, ipſum neq; ingreſſurum urbem, & Viennenſes præſidiariosq; eorum

inco-

incolumes ſalvis rebus ſervaturum, donaturumq; perpetua immunitate. Hæc Viennenſes uti à barbaro propter deſperatam urbis expugnationem prolata irriſerunt, maximoque rerum diſcrimine ſe liberatos confeſsi ſunt. Nam poſtridie, qui fuit trigeſimus dies obſidionis, Solymanus caſtra movit, tribusq; itineribus, & tribus maximis agminibus iter cœpit. nam Strigonienſi via, atque item altera, quæ ad Granium Semilliricam regionem ducit, & tertia qua iter eſt in Boſsinam digreſſum eſt, ita ut Habraymus ultimo loco regij agminis terga clauderet, & claſsis totis Danubij ripis omnes commeatus, & reliquarum rerum facultates terreſtri agmini ſuppeditaret. Verùm à tanti hoſtis diſceſſu, lætitiam ingens perfudit luctus: quoniam ſupra ſexaginta milia Germanorum capitum in ſervitutem abducta ferebantur, & magno Viennenſium incommodo totus ager ſuccisis vitibus & frugiferis arboribus fœdè deformatus viſebatur. Solymanus autem Ioannem Budæ conſtituit, beneficiariumque & amicum ex diplomate & ſolennibus codicillis appellavit, adiunxitque ei Grittum; ut ea pararent, quæ confirmando regno opportuna viderentur. Accidit autem (quod minimè prætermittendum videtur) tametſi barbari laudem reſpiciat, ut Solymanus Ioannem in eius tabernaculum cum proceribus Hungaris admiſſum impensè rogaret, ut Paulo Strigonienſi & Petro Pereno clementer parcere, & in priſtinum gratiæ locum recipere vellet. Nam Ioannes ab eorum ingenijs amicitiaque plurimùm abhorrebat: quoniam illi fluxa fide ſacramentique immemores idem quod ſibi antea dum coronaretur officium Ferdinando præſtitiſſent, tanquam deſertores oblitique Hungarici ſanguinis ad Germanos defeciſſent. Ad id clementiæ munus quum duriorem ſe oſtenderet Ioannes, atque prediceret eos propter ingenij levitatem præclara malignitate cumulatam, nequaquam in fide permanſuros, rurſusque qua deficerent occaſionem priore tupiorem inventuros, Solymanus vocem paululùm intendens non barbaro, ſed optimo rege digniſsimam, an tibi, inquit, in hac vita melius atq; honeſtius quicquam evenire poſſe putas, quã ſi ex tua clementia, qui tui ſint hoſtes ingrati apud mortales evadant, hoc eſt æterno ignominiæ probro notati, quũ in te ſempiterna probi & clementis animi laus manſura ſit? Nec multò pòſt inſtantis iam hyemis frigora timẽs infeſta iumentis, camelisque præſertim calidiore ſub cœlo natis, iter cœpit ad Belgradum, atq; inde in Thraciam eſt reverſus. Cuius diſceſſus aliquanto maturior quàm ſperaſſent homines, ſicuti Cęſarem ingenti cura metuque liberavit, ita Florentinorum animos magnopere conturbaſſe viſus eſt, qui nõ ineptè ſperaviſſent Cæſarem ſuo permotum periculo barbaris occurſurum. Quid enim ineptius atq; abſurdius, quod ad exiſtimationem eius pertineret, quàm proprias vires impia quadam obſtinatione alieno atq; invidioſo implicaſſe bello, dum Noricus ureretur ager, & Ferdinandus frater novo Pannoniæ regno pulſus, patrimonij ſui dira incendia proſpectaret, ſcilicet ut liberam civitatem, ſecus ac ſuperiores Cæſares feciſſent, urbes tyrannide oppreſſas liberare ſoliti, ad veterem redigeret ſervitutem? Quid porrò ignominioſius Pontifici accidere poſſe, quàm Cæſarem retentare, qui peculiare deflagranti patriæ ſuæ ſubſidium afferre deberet, ſuopteque ingenio publici periculi cauſam generoſa voluntate, niſi ſacrorum princeps religionis oblivisceretur, eſſet defenſurus? Sed vel in deiectis tanta ſpe animis, nihilo ſeciùs vigebat illa pertinax voluntas, ut omnes pacis conditiones abnuerent, quæ ſpecioſo ſuſce-

præ libertatis nomini officere poſſent, nec tamen alicunde reperirent, vel privatis vel publicis conſilijs, qua ratione diuturno reſiſti bello poſſet, poſtquam deſerti ab omnibus ſocijs, oppugnatiq; conſtantiſsimis duorum maximorum principum viribus nihil de belli exitu dubitarent. Id verò fiebat quòd in civitate populares dominarentur, imperiti homines, uti paulò antè uni tantùm mercaturæ dediti: peritis autem rerum, patritijsque præſertim & rectè ſapientibus nullus eſſet in repub. locus, utpote qui is tantùm optimus civis exiſtimaretur, qui acerbiſsimè eos civium ordines, qui antea in adminiſtranda repub. valuiſſent, proſcinderet, & de Pontifice inſolentius loqueretur, ſicuti paulò antè intemperanter evenerat in publicis concionibus quas in templis facundiſsimi quidam iuvenes ad populum habuerant, ut iuventutem ad capeſſendam inſtitutæ urbanę militię diſciplinam hortarentur, quia civitatis dignitas & publica omnium ſalus conſtaret. His autem orationibus ſingulari aſſenſu atque omnium commendatione exceptis unum id maximè petebatur, ut Mediceæ familiæ dominatus probroſo nomine tyrannidis appellaretur, eorumq; civium ordines, qui illius beneficia muneraq; ſenſiſſent, aut producti in curiam fuiſſent, tanquā improbos adulatores, oblitosq; publicę dignitatis effusè criminarentur. Sed unus ante alios Petrus Philippus Pandulphinus, præſtanti quidem avo, ſed vecordi patre genitus, furioſo quanquam erudito orationis genere, uſque adeo petulanter in Mediceum nomen eſt invectus, ut quum in templo Laurentiano Coſmi pietate atque opibus ædificato, ubi ſunt Mediceæ gentis ſepulchra cōcionaretur, ad abolendam tyrannicæ ſtirpis memoriam templum illud decreto publico funditùs evertendum diceret. Multò autem ęquioribus auribus auditus eſt apud ſanctę Crucis templū Baucius Cavalcantes. Is moderatæ & perelegantis eloquentiæ nervos intendens, quæ opus eſſent aptius perſuaſerat quàm nonnulli alij qui maledicentiæ fræna laxaviſſent. In his fuerat præter Pandulphinum Aloyſius Alamanus poeta Etruſcus, qui multum antè nefariæ coniurationis in necem Iulij Cardinalis ſuſceptæ, quum complices capite pœnas dediſſent, elapſus damnatusque diu exul in Gallia fuerat. His cohortationibus nō iuventus modò, ſed tota civitas hilarior atq; paratior ad tuendam libertatem reddebatur, ita ut eximium robur in urbana iuvētute eſſe putaretur, quę ſplendidis armis & divite cultu ornata ſub ſingulis tribunorum vexillis inſtructa prodibat, & uti dux eorum Stephanus Columna iuſsiſſet, militiæ munera implebat. Certabatur enim quotidie, nec urbana iuventus contineri poterat, quin veteranis militibus, ubi periculum poſceret, aut virtus digna vero milite oſtendi poſſet, audaciſsimè miſceretur. Aurantius porrò totum Vrbis ambitum, qui eſt trans Arnum à Nicolai porta ad Fridianam lunato circuitu complexus, ita diverſarum gentium caſtra caſtris perductis munitionibus coniunxerat, ut Florentinorū eruptiones perpetua ſtatione militū, & tormentis aptiſsimo loco collocatis facilè contemneret. Ita enim fiebat, ut quicquid mœnium à media divi Georgij porta, quæ editiore urbis clivo erecta eſt, Hiſpani eruptiones hoſtium ex ſuperioribus locis obſervarent: Itali verò ad ortum Solis uſque ad Roſcianam villam extenderentur, quæ excelſo ædificio inſignis clivoque impoſita urbem ab orientali latere trans Arnum proſpectabat. Germani autem paulò remotius in valle circa Baroncelliam villam conſtiterant, ubi erat forum rerum venalium, & Aurantij prætorium viſebatur. Nihil tamen Aurantius tentandum de oppugnatione

& pro-

& prolatis tormentis uſquam quaſſanda mœnia arbitrabatur, quod murus admirabili ſtructura firmiſsimus, niſi longo labore, multoque ſumptu atque periculo aperiri diruiq; poſſet, tot præſertim propugnatoribus, qui audacia numeroque præſtarent ad omnes hiatus hoſtilemque impetum occurſuris. A Giramonte autem tumulo quem maioribus inſtruxerat tormentis, eius munitionis frontem quam in Miniati templi horto erectam fuiſſe diximus, creberrimè quaſſandam ſuſceperat. Nam ab ea ſubſtructione lignea altior ſuggeſtus à Malateſta fuerat eductus, unde ſubiecta hoſtium caſtra verberari poterant frequētibus pilis multa cum pernicie commeantium militum. Nam ab ipſa etiam ſacra turre quæ cuncta proſpectabat, uno atque altero falcone peritè conſtituto à quodam Lupo Florentino qui turri præerat, diligentiſsimè res gerebatur.

Eam autem turrem demiſsis ſtorijs duplicibus, denſiſsimiſque culcitris & lanarum ſaccis circumquaque munierat, ut immiſſas pilas craſſa mollitie obiecta obtunderet & eluderet. Nam ab Aurantio maiora tormenta in Giramonte cōſtituta in turrem intentiſsimè dirigebantur, quæ cauſa fuit ut minutis prælijs quotidie certaretur, & multi viri fortes interirent, in quibus fuerunt Bartholomæus e Fano Fortunæ ſpectatę virtutis pręfectus, & Iacobettus Corſus eximię promptitudinis centurio: è Cæſarianis autem Ciſpa Piſanus & Bonifacius Parmenſis. Vulnerati quoque pleriq; illuſtres, & in his Roſcius ipſe, Alexanderque Vitellius, quum recipientes ſeſe Etruſcos admodum conſtanter Mario Vrſino reducente, audaciſsimè premerēt. Ea autem erat natura vulnerum ut qui glandib. circa oſſa paulo vehementius eſſent vulnerati, difficillimè mortem evaderent, & multi longa plagarum ſanie tabeque affecti, irritis remedijs morerentur. Propterea Florentini operam dabant ut ampliores militum manus mercede compararent: nam præter urbis cuſtodiam, minora etiam præſidia reliquis urbibus atq; oppidis quæ erant in poteſtate imponenda videbantur. Magno nanque ad ſuſtinendam obſidionem uſui erant, Pratum, Piſtoriū, & à Piſana via ad ſeptimū lapidem Laſtra caſtellum, atq; inde Empolis, quod eſt medium Etruriæ mercatu celebre oppidum, quod antiquitùs Emporium fuit, atq; inde Piſæ, & ſiniſtrorſum Volaterræ. Itaque pecuniam in ſtipēdium Neapoleoni Vrſino mittunt. Is in agro Romano propter familiæ clientelas & opes erat potens, & ſe averſum à Pontifice, & Cæſarianorum hoſtem profitebatur, numerumque earum quæ antea habuerat cohortium & turmarum auxerat, accitusque in Etruriam penetrare iubebatur. Cuius conſilio cognito Aurantius Alexandrū Vitellium, qui eius tranſitum impediat, in Tifernates ſuos mittit. Is diligenter exploratis hoſtium itineribus, coacta valida manu Tifernatium, Neapoleonis copias iuxta ſancti Sepulchri oppidum improviſo adortus paruo negocio fundit, ereptiſq; vexillis et exutos armis profligat, ita ut propè ipſe Neapoleo caperetur, & Vitellius re bene geſta ad Aurantium rediret.

Hiſdem ferè diebus quibus Alexander Vitellius ad Vmbriæ fines adverſus Neapoleonem eſt miſſus, Stephanus Columna audaci ſuſcepto cnoſilio, ad invadenda hoſtium caſtra nocturnam eruptionem inſtituit, quod magnæ ſibi gloriæ futurum apud cives, atque ipſum Galliæ regem, cuius auſpicijs operam navabat, rebatur ipſo id plurimum expetente Carduccio dictatore, ſi non defenſuros modo mœnia Etruſcos, ſed ingentib. etiam animis caſtra adoriri, prodireque in aciem auſuros oſtenderet. Id facinus eo ordine ſilentioque conſtitutum atque initum eſt, ut cum Malateſta, pauciſsimiſque tribunis re communi-

cata, nacti ſubobſcuram noctē ex condicto tribus portis erumperent, Ioannes ſcilicet Taurini cohortes á cliuo diui Georgij, & Octauiani Signorelli á Catellina porta, quū his cœptæ pugnę ex inſtituta teſſera, vel ad faciundum impetū vel ad receptum ſignum daretur. Stephanus ante omnes a diui Nicolai porta magno ſilentio per mediam vallem, quæ eſt inter Roſcianæ villæ collem & Girammotem, vbi erant perpetuæ hoſtium ſtationes iter habuit, cum Ioanne Taurino pręfectorum pugnacisſimo, ſexcentisq; delectis militibus, quibus adiunxerat Florentinæ iuuentutis cohortem. Hæc Alamanni Pactij tribuni vexillum ſequebatur, in quo Monocerus erat depictus, eo Stephani edicto, vt nemo longam haſtam deferret, ne iter habentibus & in anguſto pugnaturis impedimento forent, quòd ſecures & lato ferro breuiora haſtilia, quæ partiſianæ appellātur, & prægrandes enſes, qui ambabus reguntur manibus ad cædē faciundā habiliora putaret, nec ſclopettos magno vſui fore arbitreretur, ne á ſtrepitu, quod eſſet præcipué cauendū, hoſtes excitarēt. Stephanus quū nemine hoſtium ſentiente præteruéheretur planæ vallis ſpatiū, in Sarrę Columnæ cohortes impetum fecit, quò propter veteres ſimultates in Sarram interneciuo odio deferebatur, tanto autem ſilentio, vt quum ex itinere ad compitū, cui Quinq; viæ nomen eſt, excubias ſemiſopitas extemplo opreſſas iugulaſſet, ad Margaritæ Montichiæ templum ædificiaq;, vbi Sarranarum cohortium ſtatio erat, peruenerint, adortiq; improuisò multos trucidarint, ægré Smaragdo Parmenſe tribuno inexpectatum hoſtium impetum anguſtiore in loco ſuſtinente. Is Sarræ tum forté ægri & abſentis vices gerebat, atq; opem magnis clamoribus excitatis à proximo quoque præſidio petere, & ſuos magnoperé perturbatos conglobare contendebat. Accidit autem mgno caſu vt irrumpentibus per ædificia Etruſcis, et multam cædem in obuios per tenebras edentibus, lanij cuiuſdam caſtrenſis ſtabulum riuulſis poſtibus aperiretur, indeq; magnus grex ſuum cum ingenti atq; horriſono grunnitu proſiliret, tam graui atque inexpectato impetu per crura militum peruadens, vt oppugnantium cateruas perturbaret, & multo grauior pugnantium atq; opem implorantium ſtrepitus augeretur, & ad ipſum Aurantij imperatoris prætoriū, & Germanorum caſtra, tanti tumultus terror diſſonus & incertus, cunctis ad arma conclamantibus, peruaderet; atque accurrentium undique auxiliorum accenſæ faces, appropinquantiſque ipſius Aurantij funalia ſpectarentur; aliquanto hercle maturius quàm Stephanus crediderat. Nam hoſtes nequaquam ipſius inuadentis impetum, non ante ſenſuros putabat, quàm duorum tormentorum geminatis bombis teſſera his daretur, qui opportuné poſt contractum certamen in auerſos & ad Montichiam vbi erat tumultus properantes, erant erupturi: quum ab ipſa ſancti Georgij porta, vbi præparatæ erant Ioannes Taurini cohortes, & a Catellina, Octauiani Segnorelli Peruſina eſſent ſubſidia, quæ erumpendi ſignum expectabant. Itaque quum ab omnibus partibus ad arma conclamaretur, Stephanus non temeré veritus ne ſibi reditus præcideretur, vti antea conſtitutum fuerat, magni cornus cantu receptui cecinit, multis quidem hoſtium interfectis & nonnullis etiam equis in reditu captis. Deceptus vtique ſpatio temporis, nec parum præpeditus à porcis, nullo accepto incommodo in vrbem redijt; non parua tanto auſu collecta apud ciues gratia, quum ad non inanem victoriæ ſpem, ſi pari ſucceſſu primis initijs media reſpondiſſent, operam longe promptisſimam ea nocte nauaſſe diceretur. Ab eo noctur-

nę

næ trepidationis periculo ſinguli hoſtium duces iubẽte Aurantio, nequaquã apertis in locis, ſed novis munitionibus circumductis, ſe adverſus nocturnos diurnosque impetus diligentiſsimè conſepſerunt, ſic ut in poſterum audaciſsimæ gentis vim atque ſolertiam minimè contemnendam eſſe declararent. Præerat Emporio Franciſcus Ferruccius Florentinus, novæ militiæ laudem quærens, quòd Neapolitano bello apud Soderinum proquæſtor fuiſſet, multúmque ideo apud Nigras cohortes verſatus, reip. fortem operam, ut inde clareſceret, præſtare cupiebat. Is Laſtram oppidum, quod diximus firmo validũ muro, iuſto tuendum præſidio ratus, quoniam magno uſui obſeſſæ urbi ad ſuppetendos commeatus iudicaret, eò cum trecentis militibus tres centuriones Michaelem Angelum Paranium, Florivantium Piſtorienſem, & Octavianũ Bertinorum è togata Gallia ea ſpe miſit, ut eos continuo perampla tormentarij pulveris copia, & commeatu adiuturũ promitteret. Sed cẽturiones oppidum vacuum temerè ingreſsi, confiſiq; Ferruccij promiſsis, dum ea parant quæ ad defenſionem opus ſint, hoſtes contra ſe adventare cognoſcunt. Aurantius namq; hiſdem de cauſis, quòd id oppidum opportunum hoſti fore providebat, expugnandumque cenſebat, ad id munus Rodoricum Ripaltam cum Hiſpanorum cohortibus è caſtris miſit. Tum vero centuriones, quos antea dixi conſtanti animo Hiſpanos muro ſcalas apponentes multis vulneratis repellunt. Quare permotus incenſusq; Ripalta ab Aurantio poſtulat, ut ſibi tormenta muralia ſubmittantur. Nec ille petenti deeſt, mittunturq; cum tormentis muralib. duo milia Germanorũ, quorũ adventu murus quatitur atq; perrumpitur, Germaniq; illac intrare contendunt, dum Hiſpani ad inferiorẽ oppidi partẽ ſcalis rurſus murum aggrederentur. Centuriones deficiente ſulphureo pulvere, nulloq; commeatu adiuti à Ferruccio uti ſperarant, animo perterrentur, nec intrantiũ hoſtium vim fortiſsimè ſuſtinent, ſic ut abiectis fœdè armis, fruſtraq; ſalutem deprecantes crudeliſsime a Germanis trucidarentur. Ab Hiſpanis verò reliqui omnes, qui in inferiore erant oppidi parte, paucis vulneratis caperentur, & cẽturiones nõ iniqua ſorte in Hiſpanos incidentes, dedentesq; ſe ęquo militiæ iure, ab his demũ ſe centenis ſingulis aureis redimerent. Dum Laſtra quateretur capereturque iam perditis rebus, ſupervenerunt auxilia: nam Otho Montacutus cum vexillis quatuor peditum è Prato, & Georgius Sanctacrucius, et Amicus Arſula cum equitibus urbe emiſsi per Signinum pontem ſe oſtenderunt, in quos tantus ab hoſte impetus eſt factus, ut equites citata fuga cõtinuò ſe eriperẽt eodẽ põte et pedites intento curſu evadẽtes ad Montelupũ, naviculis Arnũ tranſire cogerentur. Amiſſa Laſtra Florentini quòd, uti ſupra diximus, Ramazottus cum valida mõtanorum agreſtium manu ex Apœnino ſe demiſerat, & Florentiola oppidulo, Scarpariaq; caſtello occupatis, prædatum diverſas ſuorum manus emittebat, quę ſe in Mugellanum agrum uſq; ad Vicum pagum, et illinc dextrorſum ad Barbarinũ oppidum effuderant, & eos cõmeatus, qui inferri obſeſſæ urbi poſſent, intercipiebant: ut tot malis aliqua ex parte obviam irent, Othoni Montacuto imperant: ut Prato copias educat, & operam det, ut quos nanciſci poſsit ex his agreſtib. opprimat. Secreto etiam monetur, ut Trebiam villam Mediceæ gentis, quæ eſt medio ferè itinere inter urbem & Scarpariam intret, atq; ibi Mariam Salviatam cum puero Coſmo filio comprehendat, quòd hæc Iacobi Salviati eſſet filia, apud Pontificem ſumma authoritate vigentis, ideoque obſes paternæ fidei foret, & puer uti populares dicebant, ty-

rannico ſanguine progenitus tolleretur. Sed fata quæ conſentientibus aſtris puero Etruriæ imperium deſtinabant, & vlla humani conſilij malignitate præuerti non poterant, ab eo facinore Othonem auerterunt; ſiue quòd ſuopte ingenio parcendum puero iudicaret, quòd ſub Ioanne patre nuper ordines duxiſſet, ſiue eam villam valido quorundam veteranorum, & eius viciniæ magno agricolarum numero, quos Saluiata ibi aleret, falſo teneri didiciſſet. Trebia nequaquam adita Otho ſiniſtrorſum deflexit ad Barberinum, vt ibi nonnullos ex hoſtibus qui aliquantam pecoris prædam coegerant, improuiſus opprimeret. facilé itaque euenit vt eos profligaret, & prædam relinquere cogeret, atque inde Pratum eſt reuerſus. Sed non multo poſt Otho in ſpeciem patratæ cædis in quendam ciuem Lutherij prætoris alumnum reus factus; re vera autem quòd apud Trebiam vti iuſſus erat, Saluiatam cum Coſmo filio comprehendere noluiſſet, & illi opportuné ad Scarpariam oppidum refugiſſent, tacitæ pœnæ loco captus tortusq; eſt, et inde in tetrum carcerẽ coniectus: quòd octouiralis magiſtratus inuidioſum fore proſpiceret, ſi de viro forti nequaquam evulgatæ ſuſpicionis crimine circumvento capitale ſupplicium ſumeretur. Eodem hyemis initio Pyrrhus Stipicianus cum ſuis cohortibus ad ſoluendam obſidionem Peccioli oppidi in agrum Piſanum ab Aurantio miſſum cum Florentinis copijs bis improſperè conflixit; ſemel ad turrem quam diui Romani vocant, & iterum ad Martis pagum, qui eſt inter Palaiam vicum atq; Montopolim. Deſcenderat è Calphurnianis ſaltibus in Etruriam Hercules Rangonus, ab Alfonſo Ateſtino cum valida equitum & peditum manu miſſus (nam is Herculis ipſius Alfonſi principis filij vices gerebat, quem paulo ante Florentini numerato ſtipendio conductum, eorum militiæ ducem ſummum appellarant): verum deterrente Cæſare in Pontificis gratiam, ne filium mitteret Alfonſus, quum adoleſcens Hercules toto eo belli munere ſubtraheretur, quin copias mitteret tanquam acceptis iam ſtipendijs Florẽtinorum ſacramento addictas, adduci non potuit. Itaq; Rangonius Ceccoto Toſingo Florentinorum legato adducente, & ex præſidijs Piſanis augente eius copias, Cæſarem Foroliuienſem, cum ala Aurantianorum cataphractorum Peccioli hybernantem obſederunt, tripliciq; certamine fatigatum eò planè iam perpulerant, vt diu hoſtium vim ſuſtinere non poſſe appareret, quum aduentu Pyrrhi relicta oppugnatione perterriti ad Pontaderam ſe ita receperunt, vt poſtridie Pyrrhus excurſione facta magnam maioris pecoris prędam abigeret, & ſequẽtibus diebus diſpoſitis inſidijs Ceccotus atque Rangonus eum ſatis patenti campo adepti immiſſis cataphractorum turmis facilè funderent; quanquã Pyrrhus indomito corporis atque animi vigore aliquandiu fortiſſimé reſtitiſſet. Capti ſunt tres eius cohortium præfecti, quum multi ex eius peditatu aut cæſi aut vulnerati fuiſſent; ſic tamen vt non multos poſt dies á Pyrrho, qui apud Caſtellum Florentinum copias inſtaurarat, in eundem agrum redeunte á victoribus Hercules cognomento Braſſichella Piſani ſanguinis egregiè fortis fuſa eius cohorte apud vicum Furculas interficeretur. Secundo veró prælio (vt diximus) maiore aliquanto accepto incommodo, quum ad Montopolim ſe recipere poſſe credidiſſet, eo euentu profligatus eſt, vt quum Michael Montopolitanus qui rurſus oppidanos à Florentinis rebellantes ad fidem redegerat, e cliuo cum armatis decurriſſet, Pyrrhus qui pertinaciſſimé equeſtri prælio contenderat, in præpeditam foſſam præceps propelleretur, vnde quum ad

ſalu-

ſalutem nullam ſibi opem ſupereſſe conſpiceret, relicto ſuo, qui tenaci voragine hæſerat, atque alieno repentè conſcenſo equo, fuga ſe eripuit, quo caſu Pallota Peruſinus & Bartholomæus Spiriteus, nonnulliq; alij clari nominis præfecti in poteſtatem Rangoni devenerunt. Nec multo poſt ſub ipſum brumæ exitum magno luctu occupata eſt civitas, quòd duos inclytę virtutis duces, uno hoſtilis tormenti ictu amiſiſſet. Nam quum in horti munitione, quam iuxta cœnobium divi Miniati ligneis ſubſtructionibus erectam fuiſſe diximus, Marius Vrſinus, & Georgius Sanctacrucius ſpeculabundi proſpectarent, è Giramonte emiſſa colubrina quę lateritiam columnam perfregerat, interfecti ſunt, quorum mortē eò lugubrius luxit populus, quòd eodē ictu accumulatis funeribus interijſſet Averranus Petrinius, Etruſcæ iuventutis formoſiſsimus. Exeunte anno, qui erat trigeſimus a partu Virginis ſupra mille et quingentos, Carduccius dictatura ſe abdicat, quòd is honos promulgata lege prorogari nō poterat, et ſucceſſori Calen. Ianuarijs eſſet ineundus, ſcil. ut tāta dignitas latius diſpenſata, propoſitaque ex æquo à pluribus peteretur. Suffectus ei eſt Raphael Hieronymus, quem è legatione Cæſaris redeuntē elevatis hoſtium viribus, ſenatū in priſtina ſpe tuendę libertatis, ſuſtinendiq; belli prolixè cōfirmaſſe diximus. Hic nō ſingulari tantū popularium ſtudio adiutus eſt, ſed mirifica etiam optimatium ſuffragatione, & pręclaro aſſenſu eorū civium, qui Mediceo nomini addicti, honeſtā pacem potius quàm aſperū & difficile bellū probarent. Exiſtimabant enim pleriq; cives, Raphaelem nequaquā tanta duritie acerbitateq; qua dudū Carduccius ſe totum à cogitatione pacis ſubduxiſſet, magiſtratum geſturum, quòd multis affinitatum neceſsitudinibus patritio ordini coniunctus, publicū bonum popularium factioni præferre velle crederetur. Sed eum uſq; adeo nova ſummæ poteſtatis inſignia ſpe clarioris famę inflaverant, depravaverantq; eius animū quorundā amicorum malignæ cohortationes, ut facilè omnium rerū, quæ publicam ſalutem reſpicerent, oblivi ſceretur, & ſummum decus in obſtinatione gerendi belli reponeret: exitioſo quidem conſilio, cum ſibi uti evenit, tum etiam nonnullis alijs qui propter inſanā pervicaciam abhorrentes à pace, dignas poſtea improbitatis pœnas dederunt. Sed dictator ut declinaret invidiam importuni conſilij ſui rationes honeſtiſsimis ſententijs atq; ſermonibus contegebat, eoq; ſimulantius, quòd dudum apud Bononiam ſingulari cum laude Cæſaris, Franciſcum Sfortiam Mediolani principem reſtitutum, Venetoſq; item, qui Rhavennam & cerviam Pontifici redderent, à Cæſare ex ampliſsima eorum legatione in amicitiam receptos didicerant. Alfonſum quoq; Ateſtinum Ferrarienſium principē, qui ſub fide publica Bononiam veniſſet, totam ipſius de Regio Mutinaq; urbibus cōtroverſiam ad arbitrium Cæſaris diſceptatoris relaturū: Pontificem verò dexteritate ingenij & longa prudentia in rem ſuam opportunè præditū, cuncta quæ vellet ab ipſo Cæſare impetraturum. Propterea Germanos Apœninū tranſiſſe, tirones Hiſpanos deſcendere in Etruriam, & tormenta maiora per Apœninū ſuperatis aſperrimis ſaltibus tranſvehi ad mœnia à duplici loco ferienda aperiendaq; poſtquam nihil adhuc Aurantius è ſua parte murum maioribus tormentis pertentaſſet. His adverſis famæ rumoribus cives in univerſum admonebantur, ut maturè æſtimatis periculis æquam pacem, aſpero bello facilè pręferrent, ob id iam in coronis deteſtabantur id Carduccij conſilium, quo delectis legatis, atq; his diu retētis, et poſtremò ſine mādatis publici decreti miſsis,

Pontificem non impudenter modò eluſiſſent, ſed noua contumelia plurimū exacerbaſſent. proinde advenisse tempus credere, quo legati mitti ad Pontificem deberent, quando Cæſar à nemine quàm ab ipſo Clemente exorari poſſe crederetur, neq; ob id vllo piaculo ciuitas offendi poſſet, ſi à ſacrorum principe ciueq;, quem alias non inhumanum, ſed beneficum experti eſſent, ſupplices iuſtam peterent pacem, eoq; demiſſius quòd eam neceſſitate potius quàm voluntate expreſſam peti appareret, ab his qui diuerſis obſeſſi caſtris, & à Gallis deſerti, neq; à Venetis adiuti, nullā præterquàm à Dijs immortalibus opem expectarent. Quo fremitu populi adductus Raphael, quanquā cuncta eius conſilia ad bellū eſſent deſtinata, vt certius ciuiū animos exploraret Nonis Ianuar. vniuerſum concilium indixit, vt liberis ſuffragijs decerneretur, mittendi neceſſent legati ad pontificem. Coiuere mille et ſexcenti homines, atq; in ſuffragium iuere, vſq; adeo in id decretum propenſis animis, vt mille ſupra trecentas atri coloris fabas numerarent, eorum ſcilicet qui probaſſent, reliquorum verò albæ a bonis ciuibus irriderentur. Quod aduerſo inopinatoq; ſuffragiorū euentu fractus atq; deceptus Raphael aſtuta præclareq; nefaria prævaricatione vſus decretum fieri vetuit, reiecitq; ad peculiare conſilium octoginta virorum, qui id Conſilium explorandæ tantùm voluntatis, non conficiendi decreti cauſa vocatum, impudentisſimé decepta republica iudicarunt. Hac actione dictator præclarè extitit popularis, & ſicuti apud bonos ciues intempeſtiuæ atq; leuiſſimæ improbitatis notam ſubijt, ita apud populares, quos vulgo ab inſana bili pervicacia rabidos vocabant, mire laudatus eſt. Alteram quoq; minoris inuidiæ labem ſuſcepit, quum poſtulanti Malateſtæ ſceptrum & vexillum ſupremi militaris imperij inſignia, atq; ornamenta, altera eius inchoati magiſtratus actione conceſſiſſet, contradicentibus multis, qui ſupremi imperij poteſtatem nondum planè explorato eius hominis ingenio, aut cautè, aut nunquam tribuendam cenſerent. Multa nanq; in ea republica, quæ tota popularis euaſerat, rapidè & inconſultè fiebant, quæ ſæuitiæ labes præcipuè apud rabidos & turbidos eius factionis, tanquam neceſſaria probabatur: nam capitale erat obloquētibus de eo Reip. ſtatu, aut quoquo modo cōplectendæ pacis mentionem inducentibus, ſiquidem vel leuisſima ſuſpicione rei maieſtatis facti feſtinato ſupplicio plectebantur. In his fuere Laurentius Soderinus, quòd literas accepiſſet à Baucio Valorio, qui in caſtris prolegato apud Aurantium Pontifici operam præſtabat. Iniecto ſiquidem laqueo é feneſtra latronum more præcipitatus eſt, & Ficinus Marſilij clariſſimi philoſophi nepos, quòd Coſmū Medicem, à quo vrbs admirandis ædificijs, templisque præcipuè eſſet adornata, iuſtum patris patriæ titulum meruiſſe dixiſſet, abſciſſis à carnifice ceruicibus, ſtulti proloquij, quanquam non inepti, pœnas dedit. Carolus quoq; Cocchus, quòd in corona dixiſſet æquum eſſe, vt in libera ciuitate cuncta belli & pacis conſilia per omnes ciuium ordines diſpenſarentur, vt vno conſenſu ciuitatem liberam & libertatis iura tuentem ſentirent & agnoſcerent, intempeſtiuæ ſententiæ, quanquam non iniquæ, capitali ſupplicio pœnam ſubijt: ſic vt nec cucullato Franciſcani ordinis, cui Rigogolo cognomen fuit, pepercerint, quòd Pontificem alloquutus fuiſſet, impoſito maieſtatis crimine, quaſi tormenta apud diui Miniati templum collocata clauis per ſpiramenta inditis configere cogitaſſet, in ipſa cuculla miſer ſacerdos decollatus eſt. Quin etiam ab intemperanti odio in Mediceos, quod ciuitati maximè pudendum, & hoſtibus

pariter

pariter ridendnm fuit, Antoniũ Caraſullam à vetere inſania non inſulſum morionem, Mediceæ domus familiarem, in eum carcerẽ, qui Stincus appellatur, duci iuſſerunt, quòd perambulando urbem, vociferandoq; comitantib. et arridentib. pueris, decuriones & ędiles dixiſſet nunq̃ recte annonam curaturos, niſi Mediceorum inſtituta ad memoriã præſentemq; uſum revocarent, qui vili pretio commeatũ omnis generis coemendum in omnib. foris proponere conſueviſſent. Sed Caraſulla quum traheretur à lictoribus ſubinde dixerat (quod diuturnæ ei calamitati fuit,) Neque vos apparitores, qui me invitũ perducitis, propterea minoris pretij emptam, quam ſeſqui aureo nivei panis heminã comedetis. Nam tum maximè annona creverat, & magna obſoniorum in urbe penuria eſſe cœperat, ita ut milites opimi aliâs convictus conſuetudinẽ, ut ſtipendijs parcerent, ad Etruſcam frugalitatem redigere cogerentur. Iam ſeſe aperuerat annus, & vere novo utrinque milites ſegnitiem torpida hyeme conceptam, ita corporibus atq; animis diſcutiebant, ut minutis prælijs quotidie certaretur, & Florentini nihil intermittebant, quin circa urbẽ inſtitutas munitiones perficerent. Nam ſicuti ſuburbana ędificia, quę tot ſęculis condita à ſingulis portis extendebantur, miſerabili conſilio funditus everterant, antemurales pro portis aggeres extruebant, tormentis atq; præſidijs impoſitis, ne alicunde hoſtis ex propinquo tormenta ſubvecturus atq; oppugnaturus ſeſe inſinuaret. Tormentorum namque omnem apparatum, qui per Apœnini iuga, præaltaſque crepidines aſperrimarum vallium advehebatur, in plana ad Campum munitum oppidulũ pervenerant. Huic præſidio erat Petrus Velleius cum ſeptem tironum Hiſpanorũ cohortibus. Is totus apparatus qui genere, magnitudineq; & numero erat admirabilis, atq; ideo hoſtibus metuendus, magno fabrorũ labore reficiebâtur, quo iniquiſsimo itinere luxatis currubus & perfractis rotis, in præſens uſui eſſe non poterat. Quibus de rebus fiebat, ut Florentini Pratum oppidum ultro deſererent, & ad famam tanti tormentorũ apparatus, magnus agreſtiũ & novorũ militum numerus ad Cæſariana caſtra conflueret ſpe prædæ: ſiquidem allecti non dubitabant, quin admotis tormentis urbs caperetur, & ſingulari tot gentiũ obſidentium lętitia diriperetur. Ob eandem cauſam Hiſpanorũ vexilla ſeptem, quæ Cæſarẽ è Bononia in Germaniam profectionẽ parãtem ſequi noluiſſent, proptereaq; iuſſu irati Cęſaris privati ſtipendijs, et cũ ignominia à Vaſtio dimiſsi fuiſſent, ſub Feſulano mõte cõſederant, ita occupatis pulcherrimarum villarũ ædificijs ſe permuniverant, ut undiq; prædatũ irent, & urbe egredi excurrereq; auſis è ſuperiorib. locis inſidiarentur, ſic ut nemo lignatum prodire auderet ſine certo militari pręſidio, ut tum accidit quum lignatoribus Cruciana porta egreſsis, quæ tutiorem, quòd eſſet maximè averſa hoſtibus, egreſſum habere videbatur, cruentæ conſerendæ pugnæ occaſio prębita eſt. Ibatur namque ſecundum Arni ripas, & lævorſum in eos campos, qui à cœnobio ſancti Salvij plana vocantur, ubi ante ducentos annos Henricum Cæſarem Florentinos oppugnantem caſtra poſuiſſe memorabant. Exeuntium autem peculiare munus erat ſuccidere paſsim virgulta, atque his faſces conficere quibus in cõſtruendis aggeribus ad continendas glebas intermiſcendo & coequando uterentur, ſimulq; iumenta quędã maioris pecoris, quæ ab agricolis in urbẽ coacta fuerant, in herbidos campos paſtũ educerent. Secundum hos binę ternæque militum cohortes præſidio ibant, ex militibus, qui ea de cauſa in urbe certis locis erant collocati, ut extraordinario munere, ubi opus foret, operã

navarent. Eò die id munus obvenit Anguilloto Piſano, & Frãciſco Bardo Florentino. Piſanus propterea quòd à Roſcio ſub quo ordines ducebat, paulò ante è caſtro, quod nunquã antea acciderat, in urbẽ transfugiſſet, ipſi Roſcio ita erat inviſus, ut Aurantij iudicio turpiſsimę necis exitio deſtinaretur. Fortè autẽ exeuntibus porta cohortib. eius vexillum conſpectum notatumq; eſt à Cæſarianis, ipſoque præcipue Roſcio, qui trans Arnum è collib. cuncta proſpiciebant. Nec mora Roſcius Aurantium adit, occaſionẽ opprimendi Anguilloti adeſſe docet, ſi Arnum traijciat, & frequenti atq; expedito equitatu vagos hoſtes patentib. campis adoriatur. Probat conſilium Aurantius, accerſitoq; Ferdinando Gonzaga, & ſubſequentib. multis ducibus atq; præfectis, intra tertium lapidem contra Rapazanũ pagum, reperto vado traijcit, bipartito hoſtes invadi imperat. Ipſe ante alios galeatus patenti ſtrata via defertur verſus portam, reliqua manus ad dextrã latiore flexu concitata hoſtes circundat. Itaq; pręciſo ferè in urbem reditu Anguillottus fruſtra compoſito ſuorum globo pręliatur, equites undiq; conſurgunt, peditatumq; eius ſerò fugam meditantem conſequuntur, proſternunt, lateq; trucidant. Ipſe ingẽti ictu clavę ferreæ caput percuſſus, quum Ferdinando Vitello Neapolitano equitum præfecto ſe dederet, nec uti agnitus ab eo reciperetur, quòd Vitellus eum ad ſubeundam perfidiæ carnifici tradere infame ſibi fore teſtaretur, Ergo, inquit, Anguillottus patere, ut hoc à te impetrem viro forti, ſcilicet ut tua potius quàm carnificis manu concidam: atque ita vir alioqui ſtrenuus, quodam liberali miſericordiæ genere, iugulatus à Vitello occubuit. Eius verò ſignifer Cicchus Buteius qui unà transfugerat, quum iam deditus & captus eſſet, manu ipſius irati Roſcij per ilia tranſfoſſus interijt. In Franciſcum verò Bardum humanius res geſta eſt: nam ipſe cum ſua cohorte penè tota captus, & perſoluto redemptionis pretio dimiſſus eſt, quum milites armis tantum exuerentur. In eo improviſæ equeſtris procellæ ſtrepitu Ioannes Vincius, portæ cuſtodiæ cum ſua cohorte præpoſitus, quòd eſſet Anguillotto familiaritate coniunctus, opem ei ferendam exiſtimavit, deſertaque porta ad Salvianà uſque plana progreſſus eſt, ſpectator editæ cædis potius quàm non ſerus circumventis & oppreſsis adiutor, magno quidem ſalutis ſuæ periculo: quoniam Malateſta è monte prælij commiſsi tumultum cernens, gravioremque impetum inde facturos hoſtes putans, cum Zanobio Bartholino ad Crucianam portam advolarat, quam ubi deſertam cuſtodia reperit, magno iræ impetu accenſus, invectusque in Vincij temeritatem, laqueum paravit, quo rediens Vincius in porta ſuſpenderetur. Sed is quum iam rediret de adventu Malateſtæ atque eius iracundia admonitus opportunè ſeceſsit in Salvianum templum, conſcenſaque ſacra turre tam diu delituit, donec Malateſtæ ira deferveret, ignominiæ tamen propter admiſſum ſummi periculi facinus adempta ei eſt portæ cuſtodia. Cæterùm Aurantius Anguilloti & ſigniferi eius cæde ſatis expiatum eius transfugium ratus, nihil ſe ulterius promovit, atque eodem amnis vado in caſtra reverſus eſt. Nec multis inde diebus extra Pratenſem portam equeſtri prælio certatum eſt, quum forte Aurantius & Vaſtius explorandi loci cauſa cum ala equitum amnem tranaſſent, apud eum vicum qui Lignarius appellatur, melopeponũ fertilitate inſignem. Non enim longè ab eo vado munitio quædam perducebatur ad Germanorũ caſtra, quæ non multum inde aberant. Ab ea nanque parte mœnia latè ſpeculati tanquam infirmiora expugnationi deſtinabant, ad eoſque acciti propter eandem cau-

ſam

ſam Petrus Velleius, ipſeque Ludovicus Lodronius, quem in loco Felicis Vitembergi diſcedentis Cæſar Germanis præfecerat. Hi omnes quum explicatis & diſcurrentibus turmis è ſummo portæ propugnaculo extra tormenti ictum proſpicerentur, atq; ad eam portam Malateſta decurriſſet, ipſius iuſſu Iacobus Bichius Senenſis, quem Neapolitano bello inclaruiſſe diximus, in procurſantes Hiſpanos repẽtinus erupit, nobiliſq; à ſolis equitibus pugna edita eſt: nam ſæpius inſtaurato impetu cum utrinq; creſcentibus auxilijs novæ turmæ pugnam capeſſerẽt, adeo acriter dimicatũ eſt, ut unus ante alios Bichius albicante criſta conſpicuus promptiſsimè dimicans, vel ab hoſtibus impenſè laudaretur. Eo ardentis pugnæ ſpectaculo ipſos Aurantium & Vaſtium in certamen allectos atq; protractos ferunt, quod Vaſtij haſta corolla ſerica ad cuſpidem redimita: illius verò pileus è purpureo ſerico villoſo turbinatus, à pleriſque noſcerentur. Sed eum pugna habuit eventũ, ut Bichius preſſus multitudine incumbentium hoſtium maturè nec indecenter ſe recipere cogeretur, receptusque intra portam cum galeam aperuiſſet, honeſtiſsimis accumulatis laudibus à Malateſta commendaretur. Eo die tanquam ex condicto tormenta quæ erant trans Arnum Olivetano in podio collocata, & quæ erant in ſuperiore portæ propugnaculo ceſſaverunt, ut equitum virtus lætius & tutius utrinque ſpectaretur. Sed Bichius non diu ea laude honoreque lætatus eſt, quum intra paucos dies præſtandæ operæ cupiditate incenſus ab eadem prodijſſet porta, vel negante Malateſta, ut ad eam quam diximus à Germanorum caſtris ad Arnum uſque perductam munitionem excurreret, ſcilicet ut aliqui eo vado commeatũ in maiora Aurantij caſtra devehẽtes ſubito incurſu interciperentur. In eum ſiquidẽ equo albo vectũ, hoſtes ab Olivetano aggere falcone direxerunt & contorſerunt, cuius pila dextrũ ei crus abripuit, pertoſſo & cadente equo, ſic ut ſemianimem nonnulli equitum in pedes deſilientes ſublatum intra portã cum multo luctu referrẽt: neque eo mortuo quiſquam equitum æquè fortem operã poſtea Reip. præſtaſſe viſus eſt. Interim Florentini tot fortiſsimis intra paucos dies ducib. infeliciter amiſsis, creſcentibusq; in dies hoſtium viribus, ac undiq; deſperatis auxilijs graviter affecti, quod difficiliora ſenſim cuncta ſibi obventura proſpicerent, ita ſuſpenſis animis honeſtæ pacis nomen complectebantur, ut iterum de mittendis legatis mentionem inducerent: Rebantur ſiquidem ipſo Cæſare nondum Bononia profecto, æquã à Pontifice pacem ſe facilè impetraturos: quoniam Clementis animus vel tot exulceratus ipſorum contumelijs, cohortante Cæſare, non inani Chriſtianæ pietatis verecundia, & civili quodam pudore leniri expugnariq; poſſe videretur. Sed ad eam rem toties fruſtra actitatam, quum quiſq; graviſsimus ſenator facilè recurreret, nemo tñ quid in arcano animi ſentiret, in conſilio publico atque ipſa curia liberè proloqui audebat, propterea quod plerique cives privato adducti periculo pulicam ſalutem potius negligendam ꝙ odium irritatis popularibus periculoſa cum laude parandum iudicarent, tanto conſenſu ut quum muſſarẽt omnes, libertas ipſa non media in urbe quę hoc inani titulo gauderet, ſed in ſenatu maximè quæreretur. Verùm non defuit in Repub. honeſtiſsimus iuvenis, qui eam animorum conſternationem malo publico inter cives obortam, gravi facundia deteſtaretur, atque diſcuteret. Is fuit Philippus Melior probo ore, uti ſibi licebat, quod eſſet ſuæ tribus collegij ſignifer, è ſuggeſtu apud ſenatum frequentiſsimum in hanc ſententiam loquutus eſt; Sæpenu-

mero audivi, cives optimi, ab his natu maioribus qui authoritate prudentię in hac civitate maximè valuerunt, nihil in ipſo imminentis periculi limine pernitioſius eſſe longa deliberatione, quæ exiguo temporis ſpatio circumſcriptã rectè ſentiendi atq; opportunè agendi facultatem eripiat. Quandoquidem magno ſit uſui celeriter explicare & terminare conſilia, quum neceſsitas urget, & in medio diſcrimine ſalutis ultima remedia depoſcit. Propterea ſicuti præclarè video animadvertoq;, extrema nobis conſilia incumbunt, vel ob id tractatu atq; explicatu duriora, quòd nullum mox ubi ſemel ſtatuetueris ſalubrem habeant receptũ. unde afflictis & difficillimis rebus nova ſubſidia quærantur. Alia namq; atque alia in conſulendo diſputandi & decernendi ratione uti oportet, quum occaſionum & temporũ ſingula momenta ſapientes facilè reſpiciãt. Nam ſicuti initia ſuſcipiendarum & gerendarũ rerum prolixè differendo, maturè apteque expendere, & media aſtrictius perfinire decet: ita demum ultima expeditis ſententijs claudare, nec ullam quum maturè facto opus ſit aggrediendę rei occaſionem elabi ſinere, ſaluberrimum exiſtimatur. Diſputatur hodie diverſo conſultantium ſtudio, num è Repub. videri poſsit, ſi in hoc aſperrimarum rerum ſtatu poſiti, legationem ad Pontificem decernatis, quã ſi optare licet non iniqua conditione ea petatur pax, quam ab initio Cæſar negarit, niſi in eam Pontifex conſentiret. Primùm omnium non video cur decernere mittereque legatos inſalubre ſit, vel quod ad dignitatem pertineat, parum decorum: quandoquidem nihil melius, nihilq́ue honeſtius eſſe poſsit huic civitati, quàm animos ſicuti bello invictos, ita à communi concordia non abhorrentes oſtendiſſe. Optandum enim eſt ut hi qui nos pervicaces potius quàm fortes, importunæque inſaniæ vela inflantes appellant, non ſemper obſtinatè pertinaces & imprudentes exiſtiment, qui à bellicoſiſsimis gentium prope omnium copijs diu obſeſsi, preſsique his malis quæ diuturnum affert bellum, ſæva armorum pati incommoda quàm de concordia cogitare malimus. Nam præterquam quòd mittere legatos & de concordia æquis condicionibus agere minimè pudendum eſt, quum ad ſupremæ fortunæ potentiæque principes mittantur, etiam nobis non erit inutile cum Pontificis, tum Cæſaris intimos ſenſus pertentaſſe, & quod plerunque frequentibus colloquijs evenit, ad abdita eorum conſilia exploratius penetraſſe: quandoquidem de compoſitione æquis conditionibus agendo, nihil de noſtro iure depereat, quum nullam omnino pacem ab his ſimus accepturi, niſi ea tuta honeſtaque ſit, & integra libertatis iura diſertiſſimè nobis reſervet. Hoc enim legati qui non ſint graviſsimarum rerum imperiti, ſed fideles probiq; ſenatores, ſicuti vos diligentiſsimè lecturos arbitramur, ante omnia cavebunt. Neque putarim, niſi me ſtudium & amor erga patriam fallunt, Clementem tam adverſum à patriæ pietate, Chriſtianisq́ue legibus fore, ut quum iam ægerrimè tot ſumptuum pondera ſuſtineat, nihil nobis de iracundia ſua vetere, triſtique ſeveritate remittere nolit. Quòd ſi ille etiam atque etiam obduret, nec Cæſar ipſe quum in Germaniam cogitet proclivi ad concordiam ingenio ſicuti ſuſpicari licet, hoc bello ſe explicare velit, nec proinde ad pacem inclinet, nos certè hoc ſupremo legationis officio dignitati famæque noſtræ ſatisfecerimus, atque eò alacriter & fortiter, quo noſtra pietas & fortuna urbis ducat, ire contendemus, ſic tamen ut extremos belli caſus ultrò minimè ſubeundos exiſtimem, ſi pius erga patriam, nec omnino inſanus civis eſſe velim. Nihil enim magis miſerum & calamitoſum nobis eſſe poteſt quàm

quorundam conſilium,qui nefaria crudelitate potius Saguntinorum & Campanorum exemplo,quum ſaluti ſuæ impiè diffidant,una ſecum univerſam civitatem miſerabili exitu interire,quàm quoquomodo incolumem ſervare percupiunt,ſecus aliquando avorum noſtrorum memoria Vbertus Farinata, vel hoc uno tantũ generoſo animi decreto civis æternis laudibus attollendus, qui vinci exilioq; mulctari,quam ad excidium florentiſsimæ patriæ cum factioſis nefariiſq; civibus conſpirare maluerit. Perorante Philippo non dubitavêre patres,quod eius oratio tanquam à moderato,nec harum vel illarum partium cive profecta videbatur,quin legatos omnino mittendos decernerent. Sed ea præpedientium malignitas fuit,ut non hi quos negotij magnitudo flagitabat, ſed leviſsimæ alioqui authoritatis,verum egregie populares homines legerentur. Hi fuêre Aloyſius Soderinus,qui nihil uſque adeò gravi negotio dignum ab uſu rerum præter familiæ nomen præferebat, & Andreolus Nicolinus aſſiduus & diligens potius mercator quàm ſenator, atque item Robertus Boncius,quem iampridem Thomæ Soderini ſoceri propinquitas quominus enixè concordiæ ſtuderet, maximè ſuſpectum faciebat. Hos ubi Bononiam pervenerunt, Pontifex quòd nec ſatis dignitatis, nec ſatis induſtriæ,ſyncerǽque voluntatis & fidei in his conſpiceretur, adeo contempſit, ut effuſè rideret, quòd ad ſe pro eximijs ſenatoribus mercatores, nec primæ quidem claſsis è Florentia miſiſſent. Nam quod ad elevandam legationis exiſtimationem maximè pertinuit,apparitores miniſtrique vectigalium Bononienſium,in ipſorum ſarcinis nexi auri filorum ad telas aureas texendas, magnam vim mercimonij cauſa,ut portorium ſubterfugerent,deprehenderant. Quæ calliditas inepta negotio longè graviſsimo, tanquam involuta tenuiſsimi lucri ſordibus, eo validius ridẽda fuit,quòd nihil certi ad conficiendam pacem prolatis mandatis attuliſſent,atque ita Clemens ridente etiam Cæſare,mercatorum avaritiã atque imperitiam in maximarum rerum conſilio periculoque, ad exiguam lucri ſpem revocatam ſtomachatus,ſic pertinaciam inſaniæ proximam exprobraret,ut inde non obſcurè exploſi dimitterentur. Vbi verò domum ſunt reverſi, quod nihil omnino pepigiſſent,tanquam patriæ dignitatis egregiè memores atque conſtantes, ab ipſa factioſorum multitudine laudati celebratique ſunt, gementibus bonis civibus,qui deſperata concordia nullum niſi maximè funeſtum belli atque obſidionis exitum expectabant.Nec multos poſt dies ab inſigni generoſoque certamine Florentinorum quatuor iuvenum inexpectatæ celebritatis ſpectaculum eſt editum,quum Ludovicus Martellius inter cives nobilitate inſigni,ac corporis & animi vigore florentiſsimus,Ioannem Bandinũ pari virium ac ingenij robore præſtantem,quod in caſtris apud hoſtes eſſet, ex provocatorio libello hoſtem communis patrię compellaſſet,proptereaq; eum ad ſingulare certamen devocaſſet in arenam, ut ibi Marte iudice uter ipſorum honeſtiorem cauſam tueretur,oſtenderet. Condicionem non abnuit Bandinus,dixitq; ei ſi Martellius ſibi aſciſceret in eam dimicationem ſocium,ei ſe parem hiſdem inſtructum armis in ſtadium producturum, atque ita Martellius Danthem Caſtellionum præferocem ex tota iuvẽtute virum delegit, cui à Bandino oppoſitus eſt Albertinus Aldobrandus vix dum pubeſcens immoderati ſpiritus iuvenis. Aurantius iuxta caſtra locum eis ſub publica fide funibus circumſeptum, triumq; gentium præſidio vallatum certantib. præbuit,quũ pari numero è Germanis, Hiſpaniſq; & Italis delectæ cohortes,pugnãtes ſimulác

ſpectantes ab omni iniuria defenderent. Arma fuère ſingulis ſinguli militares gladij, neque aliud tegumentum præter unam in dextris ex lorica ferrea chirothecam. Dantes cui ſorte ducta par Aldobrandus obvenerat, quanquam circa brachij dextri nervos primo congreſſu grave vulnus accepiſſet, hoſtem in ſe inſano procurſu ruentem ea impavidi animi firmitate ſuſtinuit, ut ambabus manibus gladium prætendens, in os incumbentis inſereret, eumque evomentem cum ſanguine animam extemplò conficeret. Contrario eventu pugnabat Bandinus : nam alternante fortuna Martellio ſupra oculum vulnus inflixerat, admirabilique iudicio & gladiatoriæ artis peritia hoſtem eludens, adacto ſupra coſtas gladij mucrone victum & deditum fateri coegerat. Sed Martellium relatum intra urbem uſque adeo gravis ex adverſa ſorte certaminis occupavit dolor, ut angore potius animi quàm vulnerum dolore mortem accerſiſſe crederetur. Id certamen ſicuti eximiam virilis conſtantiæ laudem Bandino peperit, ita Danti par ferè decus attuliſſe videbatur, quanquam ille detractis ſpolijs, planeque integer & omnis expers vulneris glorioſius victoriæ ſuæ trophæum præferret, & ſpectatores præclarum totius belli omen acciperent, quòd victis pariter atque victoribus non omnino lætum finem futurum arbitrarentur. Ab hoc alternę cædis ſingulari certamine Florentini varios in coronis ſerere ſermones, accendi tamen ferè omnes ad ſuſtinendum gerendumque bellum, tanta obloquendi libertate, ut non milites modò, ſed ducem quoque ipſum Malateſtam nimis longæ atque importunæ ceſſationis convitio perſtringerent. Non enim mœnia vigilanter tantùm defendenda videri, ſed audacibus conſilijs erumpendo laceſſendoque aliquam retundendi hoſtis in ſpem univerſæ victoriæ occaſionem aperiendam eſſe dictitabant. Viros quippe fortes & pro libertate pugnantes, nullo vel difficilium rerum periculo terreri debere, quominus fortiter audeant, & tentata ſæpe dubij Martis fortuna non conſtantiæ modò, ſed vividæ virtutis famam ardentiſsimè defendendam demonſtrent. Non eandem ſiquidem eſſe obſeſſorum & obſidentium conditionem. obſeſſæ namque urbis opes ab immodicis ſtipendiorum ſumptibus ſenſim atteri, abſumi interim commeatus, et ſpes omnium infirmari, quum ex adverſo obſidentibus nihil earum rerum omnino ſit defuturum. Qua ſpe freti hoſtes nec admovere tormenta audeant, nec murum uſquam tentare velint, quòd perpetuas promptiſsimorum militum & civium cohortes fulgentibus per muri coronam galeis atque thoracibus perpetua in ſtatione conſpiciant. Proinde ad exiſtimationem cùm externi præſidij, tum urbanę militiæ tuendam, omnino conandum eſſe aliquid valida eruptione, ne militum torpeſcant manus, ſtudiaque populi langueſcant, et hoſtes cum viris longè fortiſsimis æquiſsimæ cauſæ nomen tuentibus perpetuò ſe dimicaturos intelligant. His ſermonibus non obſcurè offendebantur militum animi, univerſum totius ſuæ rei cenſum ad unum decus bellicum referre ſoliti. Sed multò magis hæc evulgata intemperanter Malateſtæ nomen lædebant, ita ut non omnino devoranda exiſtimaret, palamque diceret, nequaquam ea ratione qua imperitus populus cenſeret, ſed ea qua probus nec incautus imperator uteretur, urbis ſalutem defendendam, atq; ita vociferando intempeſtivas populi voces redargueret. Sed idem decurionum, reliquorumq; magiſtratuum erat ſenſus, præcipuaque omnium experiendarum virium voluntas: quam quum dux prudens fruſtra improbando damnandoque diutius ſuſtinere non poſſet,

ſet,

ſet, poſtulantibus militibus, ut id impetrari pateretur, eruptione certare conſtituit, ſeverè proloquutus ad id ſe invitũ trahi, quando hoſtium munitiones non modo non expugnari, ſed nec ſine maximo detrimento tentari poſſe teſtaretur. Exiſtimabat Malateſta nequaquam abſurdis rationibus impetum ad caſtra Hiſpanorum eſſe faciundum, ut acerrimæ & pugnaciſsimæ gentis vim experiretur, opinionemq; de eorum virtute latè conceptam aliquo illato detrimento apud Italicos milites elevaret: quod accidere poſſe rebatur, ſi tribus uno tempore prælijs trina eruptione facta eos munitione loci confiſos, & nihil tale timentes adoriretur. Neq; enim anteà Hiſpani ſuperioribus prælijs ad Giramontem factis ſeſe immiſcuerant, niſi per extraordinarios excurrentium manipulos: quoniam diverſiſsima in parte eſſent conſtituti. porta nanq; divi Georgij, quæ eſt in excelſo collis ſupercilio iuxta editiſsimum aggerem, quem Amicus Venafranus ſuarum cohortium peculiari præſidio tuebatur, Hiſpani longo tractu occupatis villarum ædificijs uſq; ad Olivetani cœnobij montem extendebantur, deſpiciebantque urbem è perpetuo colle, eoq; præſertim, cui Scopeto nomen eſt, & divi Donati templum habet, adeo Catelinæ portæ ex propinquo imminentes, ut muri corona colli ſubiecta, non plus quàm ad teli iactum diſtet, ſic ut perpetuis munitionibus obſeſſa Romana via à Catelina porta, & Piſana item via, quę initium habet ab ipſa Fridiana, quę occidentalis eſt, cuncta complecterentur: ipſis porrò Hiſpanis in tergo ad meridiem Germanorum caſtra apud Aurantij prætorium eſſent, & Italicæ cohortes ad diverſiſsimam ab oriente divi Nicolai portam iuxta Arnum perpetuis cuſtodijs obtinerent. Cæterùm Venafranus, qui à ſuo latere Hiſpanos aggredi diſtinereq; iubebatur, impoſito muneri adeſſe non potuit, quũ fortè eo die à Stephano Columna propter contemptum ſuperbis verbis ſui nominis decus infra Miniati templum fuiſſet interfectus. Neq; enim ſignifero ſui præfecti inopinata cæde perterrito is animus fuit invadendi hoſtis, qui in Venafrano excellens proculdubiò, & maximè efficax futurus ſperabatur. Sed Malateſta nihil eo caſu permotus Catelina porta Octavianum Signorellum inter Peruſinos præfectos nobilitate virtuteq; facilè principem erumpere iubet. Hunc conſequebantur pugnaciſsimi minores duces, Binus Mancinus, Blaſius Stella, Raphael Orbetanus, Proſper Cornea, Marguthes Piccininus, Caccia Altovitus, Hadrianus Cauda, & Paulus Corſus, qui intrepidè ſtrata via inter procellam glandium dextrorſus evadentes, in collem cum Hiſpanis terribile maximeq; funeſtum certamen contraxerunt. eodemq; puncto temporis à Fridiana porta erupere cum ſuis cohortibus Bartholomęus Montanus & Rodulphus Aſſiſius, qui in lævam flexi ab Olivetano monte cum Hiſpanis à tergo ſeſe oſtendentes ingenti auſu, impreſsioneque novam inière pugnam, ſic ut Hiſpani & in fronte ſuſtinere hoſtem, & in tergo ancipiti periculo dimicare cogerentur. Sed his magno fuit præſidio Baracanis Cantabri mira conſtantia, qui eo die ſolertiſsimi ducis, & fortiſsimi militis munia implebat. Nam cohortatus eſt ſuos, ut impigrè conſiſterent, inveteratæque virtutis ante partum decus adverſus collectitios milites, urbanamque turbam tueri vellent. Itaq; coeuntibus ad vexilla undiq; Hiſpanis, & ſclopettis egregiè rem gerentibus, adverſariorum impetum conſtantiſsimè ſuſtinebant, tantusque erat ſclopettorum ſtrepitus, & tantus volitantium glandium ſtridor, ut multi undiq; caderent, & longè promptiſsimi, qui intrepidè pugnam capeſſerent, vulnerarentur.

Ad eum ardentis prælij tumultum excitus imperator Aurantius proximas Italicorum cohortes Andreæ Caſtalij laborantibus Hiſpanis ſubſidio mittit, tormenta produci diſplodiq; in hoſtes iubet, & Germanicam phalangem in ipſa Romanæ viæ latiore area conſtituit. Ferdinandus quoq; Gonzaga levis armaturæ equites inter Marignolæ pagi campos, & Scoperũ montem inducit, ita ut ampliſsimi iuſtiq; prælij apparatus, & à caſtris, & ab urbe conſpiceretur. Nec Malateſta quanquã infirmo atq; imbecillo corpore, animo tamen adverſus pericula indomito, & egregiè provido, laborantibus ſuis deerat, quũ opportune feſſos & ſauciatos reciperet, & novis atq; integris cohortibus pugnam ſæpius inſtauraret, quando nulla ex parte Etruſci vel in ſumma locorum iniquitate quicquam Hiſpanis de virtute concederent, donec Baracanes glande traiectus occubuit. Nam tum Etruſci veluti redintegrata victoriæ ſpe ardentius incubuerũt, ſic tamen ut pari propè virtute Rodericus Ripalta, Macicaus, & Buccanigra mirificè reſiſtentes Etruſcos ſuſtinerent, & mox accedentibus Neapolitanis Caſtalij vexillis, loco pellerent, & per deiectus montis ſummotos urgendo deturbarent. Quibus ſuorum atque hoſtium caſibus animadverſis Malateſta, quod multi cecidiſſent, plurimique eſſent vulnerati, receptui cecinit, atq; ita nihil iam tormentorum muralium metu, perſequentibus Hiſpanis prælium diremptum, quo nullum eo bello cruentius editum fuiſſe conſtat. Nam utrinque quingenti fermè milites ex fortiſsimorum numero deſiderati ſunt, multi porro vulnerati mortiferis glandibus. Ante alios autem Octavianus Signorellus, quum ſe recepiſſet ad portam, & feſſus longo prælio equum conſcendere vellet, craſsiore ictus glande occubuit, & ſecundum eum medio in certamine interfecti ſunt Fantaccius Corſus, & Giubbonarius Ferrarienſis eximiæ fortitudinis cohortium præfecti, atque item Ludovicus Machiavellus Nicolai Florentinæ hiſtoriæ ſcriptoris filius, quum cohortis ſignum geſtaret, Petruſq; Pactius eximiæ nobilitatis civis. Septem quoq; clari nominis centuriones graviter vulnerati diſceſſerunt. Apud Hiſpanos autem pręter Baracanem ipſum Cencius Neapolitanus Caſtaliæ cohortis pręfectus, dum laborantibus ſuis opem ferret, interfectus eſt. Multi autem & in his duo ſigniferi mortiferis vulneribus affecti ſunt. Malateſta in urbem rediens Octaviani mortem, & totum eius cruentæ pugnæ detrimentum, eo animo vultuq; ferebat, ut renidenti fronte obvios interrogaret, an cupiditati ipſorum inconſulte pugnam poſcentium planè ſatisfactum putarent, poſtquam quantum poſſet loci iniquitas, & quantum veterani externiq; militis dextræ valerent, facto periculo didiciſſent. Tantũ verò abfuit ut hoc irrito adverſoq; prorſus eruptionis conatu, vel civium vel militum animi perculſi aut imminuti ſint, ut cõſtans opinio vulgaretur, Etruſcos, qui præſtantiſsimis animis èruperãt, excellentiq; virtute dimicarant, aut inſignem victoriam relaturos, aut ſingulare detrimentum non Hiſpanis modò, ſed reliquis etiam hoſtibus illaturos fuiſſe, ſi ab altera parte ſicuti fuerat conſtitutum, Venafranæ cohortes erumpendo parem operam præſtitiſſent, nec ſubeuntium è reliquis duabus portis acerrimum initioque felicem aſcenſum, una potius locorum iniquitas, quàm hoſtium virtus importunè retardaſſet. Quo animorum habitu fiebat, ut cives neq; præclarius ſtudium oſtendendę virtutis in pręſidiario milite requirerẽt, neq; in Malateſta efficacioris animi atq; operæ officia deſiderarent, quando illis, qui pro dignitate Etruſci nominis dimicando ceciderant, decreto publico

ſuſtus exequiarum honos haberetur, & dux ampliſsimis honeſtaretur laudibus, vel ob id præſertim quòd certiſsima ratione uſus, ea quæ parum ſecundè evenerant, rectè providendo præſenſiſſet. His de cauſis quòd inſtantia ad certum diem ſtipendia niſi ingratè viris fortibus, & de Repub. benemeritis protrahi nequirent, dictator ab inopia ærarij, & quòd iam eſculentarum rerũ gravis penuria ſentiretur, perturbata mente, eliſaq; penitus religionis & pietatis ratione, ad id decretum, quod antea à Carduccio inductum fuiſſe diximus, invidioſum utique bonis omnibus atque neſarium deſcendit, quò è fanis cuncta donaria tolli atq; divendi iubebantur, inter quæ præter auream crucem pręgrandibus gemmis ornatam, quæ erat in delubro divi Ioannis, etiam fuit mitra illa inſignis pretioſiſsimis redimita gemmis, à Leone Pontifice pari liberalitate templi maximi altaribus dicata conſecrataq;. Sed nemo ferè reperiebatur qui ea ornamenta profanis manibus attrectare vellet, & Bernardus Baldinus gemmarum ęſtimator peritiſsimus, id impij nominis officium ſe pręſtare poſſe pernegaret, niſi alienis manibus violato ſacrario detractæ gemmę ipſi æſtimaturo proferrentur. Sed in mora non fuit Leonardus Bartholinus ad id à Raphaele miſſus, qui impia voce, uti erat omnis religionis contemptor, ſacrarij armaria ſublatis avide donarijs, vel inhorreſcente trementeque æditũo perfregit. Per eos dies magna Decemviros inceſsit cura de retinendis, defendendiſq; ab hoſte Volaterris: nam eius civitatis animos alioqui fideles, ſuſpectos habere cœperant, quòd principes civitatis, inter quos eminebant è Maffea familia Mediceo nomini addicti Marius vir ſacratus, et Paulus eruditæ elegantiæ ſtudioſi homines ſolicitarentur ad defectionem ab Alfonſo Picolomineo Amaphiltano regulo, qui Senis educta equitum & peditum manu pòſt redacta in deditionem Cæſarianorum Florentinę ditionis oppida, ipſumq; in primis Collem et Sanctogeminianum: in Volaterranum etiam agrũ excurrebat, ut direptione iacturaq; rerum ſuarum permoti cives à Florentinis ad Pontificem rebellarent. Quo tempore Covonus Florentinus pętor Sanctogeminiano à Cęſarianis pulſus cum pręſidio quatuor cohortium Volaterras ſe recepit, ut fidelium confirmaret animos, & nutantes in fide à conſilio defectionis pręſenti manu deterreret. Conſederat extra urbem in ſuburbanis tectis. Dum verò de confirmanda civitate multis alloquutionibus ageret, furto quodã dum ſe recenſurum copias ſimulat, in urbem irrepſit, continuoq; aſcendit in aream curiæ, ubi decuriones advocatis in conſilium primarijs civibus de Repub. conſultabant. Primo impetu Covonus Volaterranæ iuventutis cohortem, quę in area ſtationem habebat, hoſtili facta invaſione deturbat. Quo tumultu duo gemini fratres interficiuntur, & nonnulli vulnerantur. Exinde ipſos decuriones occupata curia obſidet, eamque in poteſtatem redigit. Id inſolens factum non tulêre Volaterrani, & ut ſunt militari ingenio ferè omnes, ſtirpe ducta à vetere Romanorum Colonia, qui Syllanarum partium fuerint, extemplò arma capiunt, feneſtras ſaxis onerari iubent, aditusque viarum interſeptis trabibus præcludunt, magnaq; armata multitudine Covonianos in curiam confugere cogunt. Eo armorum ſtrepitu Covonus perterritus certis conditionibus pacem impetrat. Hæ fuerunt, ut cohortes dimitteret extra urbem. Paret Covonus, extemploq; Gorium Montebenicium qui geminorum fratrum cædem fecerat, atque item Paulum Corſum cum ſuis cohortibus urbe egredi iubet, reliquas duas Tincto Battifolio, & Hercule Piſano ducibus pau-

lo poſt cives adeo infenſis vultibus urbe extrudunt, ut ſigniferi involutis vexillis, & milites haſtas inverſa cuſpide verrentes ſolum traherent, quod ignominioſum militiæ habetur. Cæterùm Volaterrani uti planè caſtigata Covoni arrogantia Florentiam perſcribunt, excuſantes urbanum tumultum nequaquam ipſorum culpa, ſed malignitate Covoni excitatum, prolixè pollicentes ſe in vetere fide permanſuros, ſi in Covoni locum improbè prætoria poteſtate abutentis, alium honeſtum atque æquum civem ſummitterent. Itaque Decemviri non mediocriter Covoni inſolentiæ ſuccenſentes, ei Bartholum Tedaldum ſufficiunt. Hic Piſis profectus adduxit quatuor peditum centurias, quibus præerant Franciſcus Brocca Corſus, & Alexander Monaldus, & Mugellanus cognomento Fortuna, atq; item galeatorum equitum alam duce Amico Arſula Romano. Adventantem Tedaldum Volaterrani egreſsi honoris cauſa alacriter ſuſceperunt, atq; eum cum paucis ea conditione introduxerunt, ut cohortes atque alarios equites apud ſuburbana tecta relinqueret. Eo forte die Pyrrhus Stipicianus ad Cecinam uſq; amnem advenit, & cum expedita equitum & peditum manu prædatus agrum, magnũ numerum maioris pecoris abegit. Quo tumultu ad urbem perlato, Volaterrani ut prædam hoſti eripiant, erumpunt, et ſecundũ eos eodẽ itinere pertendit Arſula. Cõmittitur leve prælium cum Pyrrhi ſclopettarijs, quos ille cũ præda antecedẽs de induſtria in inſidijs collocarat. Sed Arſula maiores inſidias veritus, neq; temerè volantibus glandibus equites ſuos obijciens, vel obnixè orantibus Valaterranis, ut continuato curſu unà perſequi hoſtes vellet, inſequendi finem fecit, triduoq; poſt cum ſuo equitatu & dimidia parte peditũ diſceſsit, Covonum ſemicaptivũ ad dicendã cauſam ad Decemviros perducẽs Empolim primò, & mox Florentiam eſt reverſus. Sub id tempus Alexander Vitellius in Volaterranum agrum hoſtiles incurſiones fecit, ſanctiq; Dalmatij oppidum, & Villam magnã, ac nonnulla alia ſuburbana oppida manu cepit atq; diripuit, perpetuisq; illatis detrimentis, quum etiam incendijs graſſaretur, eò Volaterranos compulit, ut amicè ſecum in ſpem futuræ deditionis paciſcerẽtur: nam ad eum è civitate legati miſsi Villammagnam pervenerant. Quibus cognitis rebus Tedaldus, quum ſuſpicaretur cives gravi rerũ ſuarum detrimento compulſos ad hoſtes omnino defecturos, cũ reliquis militibus ſuis, incolisq; cunctis Florẽtini nominis in arcem ſe recepit, moxq; tormentis maioribus urbem quatere cœpit, infeſtiore aliquanto, atq; acerbiore animo in perniciem civitatis, quàm paulò anteà Covonus, concepti odij iracundiam effundens. Propterea cives frequentibus circa tecta affecti incommodis, & contumeliæ indignitate permoti, Baptiſtam & Carolũ Borgheſios fratres Senenſes patritios ſtipendio conducunt, arcem obſidere & circumvallare inſtituunt. accitur etiam ipſe Vitellius, qui peritè doceat, quibus operibus eruptionibus hoſtium reſiſti poſsit. Eo autem poſtea diſcedente Volaterrani prætorio nomine poteſtateq; Thadeum Guiduccium Mediceæ factionis probum civem, in locum Roberti Acciaioli ſuſcipiunt. Robertus enim præſtantiſsimæ authoritatis inter Florentinos cives, qui inſolentium popularium vim impotentem timentes, ſponte patria exceſſerant, paulò ante ſe conciliatorem inter Volaterranos atq; Vitellium obtulerat, tranſactæq; pactionis teſtis interfuerat. Exinde Volaterrani, Tedaldo nihil iracundiam ſuam remittente, ſed aſperrimè tormentis domos perrumpente, ad Clementem legatos decernunt, qui Bononiam pertendant,

tendant, & ab eo maiora tormenta, quibus arcem evertere poſsint, expoſtulent, obtineantque obiter à Pontifice honeſtiſsimas deditionis conditiones. Nec multò poſt curavit Pontifex ut quinq; muralia tormenta navigio è Genua ad vada Volaterrana deveherentur. Dum hæc Volaterris tam ſtulta Bartholi arrogantia, quàm peracri civium pertinacia gererentur, Ferruccius qui Empolitano præſidio præerat, de Volaterranis rebus magnopere ſolicitus eſſe cœpit, quòd eò à civibus accerſitum Vitellium, & arcem circumvallatam cognoviſſet, quanquam Vitellius poſtea in urbe minimè permanſerat, quum de alendo perſolvendoque præſidio cum civibus ſumptui facilè parcentibus nequaquam convenire potuiſſet, ideoq; eſſet ad occupandum Piſtorium profectus, quò itidem à civibus Panciaticę factionis adverſus Cancellarios Guelpho nomini impensè faventes, fuerat vocatus. Propterea Ferruccius Decemviris perſcribebat Volaterranæ rei tumultum minimè negligendum videri, quod iam planè cives ad Pontificem rebellaſſent: proinde ſi ipſis è Repub. fore videatur, cum valida atque expedita manu eò ſe advolaturum, atque ea initia defectionis celeriter oppreſſurum. Id verò ſe præſtare non poſſe, niſi ſucceſſor novo cum præſidio ſibi è Florentia ſummitteretur. Re ad conſilium delata, quòd magno ad univerſi belli victoriam momento ſibi futurum credebant, ſi Volaterras urbem natura munitiſsimam omnino recuperandam cenſerent, continuò utendum Ferruccij viri ſtrenui atque peracris opera, eiq; præſidium mittendum decernunt. In id decretum valde proclinatum dictatorem fuiſſe apparuit, vel privata de cauſa, quòd duas filias, quarum alteram Bardo Altovito, alteram Vincentio Thadeo nuptui dederat, in Volaterranam arcem ab initio belli tanquam procul ab armorum ſtrepitu futuras, confugere iuſsiſſet. Putabat etiam ſui privati decoris, & publicæ dignitatis fore, ſi arcem obſidione liberandam ſtatueret. Mittitur itaq; Ferruccio ſucceſſor Andreas Iunius popularis factionis civis, & cum quinis vexillis unà cum Nicolaus Strozza, Speronus Borgenſis, Nicolaus Saxoferratus, Ioannes Scuccula, & Balordus ſtrenui cohortium præfecti. Hi magno ſilentio & perobſcura nocte urbe egreſsi, elapſique per medias hoſtium ſtationes, quum diu erraſſent, quòd militaris via vitaretur, nec facilè per invios calles & inculta loca expeditum iter haberent, ſub auroram ab hoſtibus cōſpecti ſunt. Ad quos perſequendos Ferdinandus Gonzaga equitatum eduxit, perſequutusq; per aſpera obſitaq; virgultis & vepribus loca, aliquot eorum ad Peſæ amnis vadum interfecit, & in his Nicolaum Saxoferratum dum agminis terga conſtantiſsimè tueretur, ac niſi denſata acie ſe proripientes, & ſclopettis arcentes equitatum, cui præpeditum undique arbuſtis iter ad incurrendum aperta ſpatia minimè præbebat, feſsi longo itinere ad villam turritam, quam Freſcobaldiam vocant, ſe contuliſſent, proculdubio ab equitatu conſectante, ad unum omnes deleri potuiſſe conſtabat, quanquam ea vis equitatus multa inde non equorum modò, ſed virorum vulnera à ſclopettarijs retuliſſet. Nam Ferdinandi ipſius & Roſcij à ſancto Secundo reguli, equi nobiles vulnerati ſunt, & Nicolaus Criſia Epirotarum præfectus, cui Capiti nigro cognomen erat, fuit interfectus. Quum ad Feſcobaldiam equites perſequendi finē feciſſent, Etruſci cum ſingulari Strozzæ ducis laude toto eo liberati periculo, nemine poſtea laceſſente, Empolim ad Ferruccium pervenerunt. Nec multò poſt Ferruccius Iunio ſucceſſori oppidi cuſtodia obnixè commendata, relictoque ibi cum aliquot cohortibus Pe-

tro Orlandino, Tincto Battiſolio, & Vrbeco Caſentinate veteranis peditum præfectis, Volaterras iter intendit, adducens ſecum bellicoſos delectarum cohortium duces, quarum ſigna paulò minus duorum milium peditum ſummam continebant: equitum verò præfectos Amicum in primis Arſulam, & ſecundum cum Gerardum Gheradeſchæ comitem Piſani ſanguinis, & Muſaccinum Epiroticæ ſtirpis, quorum omnium ex turmis ducenti amplius galeati equites recenſebantur. At Volaterrani qui hoſtis Ferruccij adventum nequaquam maturè preſenſerant, ubi ſigna eius conſpexerunt, levi commiſſa pugna cedentes, eo conſilio confeſtim in urbem ſe recepêre, ut poſtquam imparati viribus inſtructa acie advenientem aſcenſu prohibere non poterant, munitiones ſaltem inſtitutas impoſitis cuſtodijs defenderent. Ferruccius itaque præmiſsis equitibus ad arcem aſcendit, vixq; ſemihora ad quietem qua ientarent militibus conceſſa, quum fruſtrà per tibicinem decurionibus, niſi extemplo ſe dederent, ferro atq; igne urbem vaſtaturum denunciaſſet, atq; illi tantæ rei decretum ad maius conſilium referendum reſponderent, inſtructis ordinibus per diverſas regiones ad expugnandam altiorem munitionem deſcendit, tãto impetu ut milites, quos longi itineris labore feſſos ſegnius ſubire proſpiciebat, vulneribus inflictis pugnam capeſſere cogeret, & tanta contentione ad munitiones utrinq; pugnaretur, ut neq; acrius Ferrucciani, neq; conſtantius Borgheſij cohortes admixtæ civibus dimicare poſſe cenſerentur. Nulla alia res magis Ferruccium perpulit, ut non plenè recreato milite ſubita eruptione pugnaret, quàm inopia commeatus, & venturi Volaterranis auxilij metus. Protractum eſt certamen ad mediam ferè noctem adeo varium, atrox, & cruentum, ut quum Ferruccius ædificia propinquiora arci coniectis facibus incendi iuſsiſſet, mulierum ululatu & pugnantium clamore horiſonum atque terribile redderetur. Sed Ferruccius rem obtinuit, potitusq; ſumma urbis parte, & expugnatis munitionibus divi etiam Auguſtini templum occupavit, in quo hoſtes ſclopettis rem gerentes ex occulto multos interfecerant, eo eventu, ut nonnullos cives, & in his circiter quatuordecim milites Hiſpanos, qui ſub Borgheſij vexillis militabant, caperet, atq; inuſitata crudelitate in tetrum carcerem coniectos enecaret fame, & demum ad ignominiam gentis eo modo enectos laqueis ad pinnas arcis ſuſpenderet, quòd ſe ab ea gente Neapoli captũ atq; inhumaniter cruciatum fuiſſe prædicaret. Deſiderati ſunt eo prælio ex utraq; parte æquato ferè numero circiter trecenti: vulnerati autem multo plures, & quod longè graviſsimum fuit, amiſſa ſunt ea tormenta, quæ è vadis pridie in urbem ad expugnandam arcem fuerant advecta. Sequenti die Volaterrani quarta ferè urbis parte etiam tum ardente, uti nuſquam reſtinctis, ſed annexa quæq; populantibus incendijs, & multa item ſuorum cæde terrefacti, ac deſperatis auxilijs impetrata ſalute incolumitateque rerum ad fidem priſtinam Florentini imperij redierunt, ſic ut pleriq; ex ditioribus cives, et ante prælium factum, & poſt conceſſam hoſti patriam urbe profugerent, metu ſcilicet gravioris incommodi: nam Ferruccius crudeliter & immodicè victoria utendum adverſus rebelles ratus, atrociſsimè ſęvire cœperat, id maximè depoſcente Tedaldo prætore non immiti modò, ſed implacabili, qui privatæ iniuriæ ſuæ contumeliam publico civitatis excidio vindicare properabat. Ante omnia ſiquidem quum Borgheſium cum ſuis cohortibus dimitti iuſsiſſet, atque ei integra fide abeunti cum rebus ſuis vexilliſq; facultatem conceſsiſſet, quoſ-

dam

dam opulentos cives in carcerem detruſit, imperatiſque pecuniis, niſi propere eas expedirent, fame ſenſim enecaturos minabatur. Vno quoque dicto pronunciavit his capitale fore, qui urbe excedere auderent: & ut reliquos terreret, duos cives qui fugam fuerant meditati, laqueo ad prætorij feneſtras ſuſpendit. Diſtribuit autem per omnes domos milites, ut gratuitò civium copijs alerentur, donec alicundè pecunia repræſentari poſſet, qua pro ſtipendio emeritò frequentibus iam id convitioſe flagitantibus militibus ſolveretur. Nam iratè & petulanter milites querebantur ſe parata prædę ſpe excludi, quum multo ſanguine parta victoria, rebellantem vrbem ſe æquiſsimo militiæ iure direpturos ſperaviſſent. Sed Ferruccius nō inſulſa ratione Reipub. urbem quoquomodo incolumem ſervare, quàm avaritiæ militum urbium excidijs vel parvo ſuo lucro gaudentium obijcere mallet, aliò ad parandam pecuniam ita vertebatur, ut ſacrilega manu donaria antiquitùs dicata templis, & religioſè uſque in eam diem cuſtodita non cunctanter auferret, & res pretioſas carioreſque civium in ipſo belli metu in ſacroſanctis virginum cœnobijs abſconditas ſuam eſſe prædam diceret, denunciata capitis pœna his, qui abdita biduo non revelaſſent. Quod verò ſummo religionis contemptu factum videri poterat, cælata argento altarium frontalia atq; abacos cum candelabris atque calicibus conflari iuſsit. Poſtremò divorum urbis tutelarium Octaviani ſcilicet atque Victoris argentea ſimulacra, quibus vera capita ipſorum martyrum includebantur, ad haſtam venalia in foro propoſuit, ingenti cum luctu civium, mulierculárumque præſertim crebris eiulatibus, quæ pietatis cauſa conceptis votis eminentem aperto paululum vertice ſanctiſsimæ reliquiæ calvam exoſculari conſueverant. Hac in re ipſo duce prudentior & religioſior in univerſum miles eſt inventus. Nam quum à Volaterranis omni pecunia expoliatis capita redimi non poſſent, ne conflarentur, ipſi milites tacti religione pecuniam in pretium contulerunt fermè ſerius, quòd eorum iam alterum ſimulacrum aurea barba pretioſius & magnitudine auguſtius ad quæſtoris officinam delatum, propereque conflatum fuerat. Violavit etiam atque diripuit nullo pudore, nullaque prorſus miſericordia, publicam piamque domum, in qua multa ſuppellex collata fuerat, ab his qui egentes exiguo fœnore res cariores oppignerare ſub fide publica conſueverant. & quum cives publicos redditus cogendæ pecuniæ cauſa, quæ militi præberetur, locupletioribus coemundos adijcere vellet, Ferruccius licitationem fieri vetuit, quòd Tedaldus immitis & aſper cuncta publica privataque civitatis tanquam rebellis fiſcum reſpicerent, & niſi ad nutũ Reipub. alienari non poſſe clamitaret. Hæc raptim violenterq; fiebant: quoniam Fabritius Maramaldus cum magnis copijs adventare nunciabatur, & tum fortè importunè quum Ferruccius ſpe recuperandi Sanctogeminiani, Donatum cognomento Saltamacchiam eò ad pertentandos oppidanorum animos cum iuſta manu equitum miſiſſet. Donatus erumpente acriter Borgheſio fuerat pulſus, & multis ſuorum amiſsis fœdè profligatus. Ab hac adverſa adventantis hoſtis fama ipſoq; ad Sanctogeminianum irrito conatu Ferruccius ad muniendæ urbis curam properantius ferebatur. Cęterùm Fabritius quum inſtructa acie adventare ab ipſo Ferruccio, qui in edito colle conſederat, & equitatum explorandi laceſſendique hoſtis cauſa præmiſerat, facilè conſpiceretur, contracto per equites modico certamine, & repulſis hoſtibus ad ſuburbana tecta pervenit, atque ibi deiecto Ferruc-

Battiſolius præfectorum fortiſsimus, tormenti ictu cecidiſſet, & iam interiorem munitionem alacri concurſu non virorum modò, ſed & mulierum lateres, glebas, & tigna comportantium extruere properarent. Per eum modum Sarmentus quod periniquo atque admodum periculoſo loco obniti, non ſine certa pernicie milites providebat, tanquam tormentis locum mutaturus receptui cecinit. Eodem quoq; tempore Vitellius poſtquam aliquantum muri diruerat, nec ſatis ad irrumpendum apertus foret, abſtinuit prælio, alia via aditum quæſiturus. Interim Titus Orlandinus cognomento Pullus, qui erat apud Vitellium, per Petrum Orlandinũ Florentinæ cohortis præfectum gentilem ſuum poſtulavit, ut Iunius prætor in colloquium devenire non gravaretur, prodeuntemq; ſub fide publica hortatus eſt, ut conſtantiæ laudem ſua atq; oppidi ſalute nequaquã potiorem arbitraretur, poſtquam tantas non haberet præſidij vires, quibus binis ducibus è diverſo oppugnantibus diu reſiſti poſſe cõſideret. Iunius ad ea elato in præſens animo reſpondit, ſe quinquagenario maiorem ſatis vixiſſe, proinde nihil ſibi longiore vita opus eſſe, quę vel imbellis ingenio, vel fluxæ erga Remp. fidei notam afferendo, antiquum Iuniæ familiæ nomen dedecorare poſſet. Hæc tamen eum non ita intrepidè dixiſſe apparebat, ut perculſæ & attonitæ mentis ſigna non eminerent. nam quũ paulo antè ſæpius ac ſæpius ad Odoardũ Giachinottum prætorem Piſanum maturam implorans opem perſcripſiſſet, ut ſibi trecentos ſaltem ſclopettarios ſummitteret, vix demum unam centuriam, cui præerat Borna Lucenſis ab eo acceperat, quum ægrè cum Vitellianis hoſtibus certando ad oppidum perveniſſet. Eodem metu ſummi diſcriminis adducti Empolitanorum primores eadem nocte quæ primum oppugnantium conatum ſequuta eſt, legatos ad Sarmentum emiſerunt, qui de concordia agerent, quorum princeps erat Bacinius decurionum ſcriba, in cuius cuſtodia totus tormentarij pulveris apparatus ſervabatur. Is ut exiſtimari potuit inſigni flagitio ea pactione egiſſe ferebatur, ut oppidani eſſent incolumes: præſidium verò Hiſpanis prædæ eſſet. Oriente ſole Ioannes Bandinus, quem ſingulari certamine palmam retuliſſe diximus, qui erat apud Sarmentum per abrupta tormentis mœnia in oppidum venit cum Lucio Mannellio, ut Iunium prętorem ad deditionem eadem ferè qua pridie Pullus egerat adhortatione impellerent. Sed eadem reſpondente Iunio non multò poſt Hiſpani facto impetu nemineque prohibente per ruinas adaperti muri in oppidum irruperunt, quòd Orlandinus muri cuſtodiam ut pranſum iret, importunè deſeruiſſet vel contradicente ſignifero, & illac certum periculum irrupturi hoſtis demonſtrante. Quod flagitium vel turpi ignavia, vel intempeſtiva tranſactæ deditionis fiducia admiſſum multi crediderunt, non ſine etiam nota perfidiæ, quando non ſtatim Orlandinus pœnam veritus ad urbem niſi perdomita, & commutata republica redierit. Cæterùm Hiſpani in oppidum irrumpentes aliquandiu hæſerunt in foſſa, quum adeo profundo, & inextricabili cœno prępedirentur, ut lutu lenti umbilico tenus creperent, ſublevatique ſociorum manibus mœnia ſuperarent. Primus omnium Buccanigra in domum Orlandini per tecta delapſus, in quam omnes propè nobiliores fœminæ, multæque Florentini nominis matronæ ut ſecuriores eſſent confugerant, eas omnibus ornamentis exuit uſq; ad monilia, maritaleſque anulos, & corollas divorum ſupplicationibus dicatas. Reliquas verò domos gregarij Hiſpani ea Sarmenti lege diripuerunt, ut

neminem è præſidio militem violarent. Iunius prætor, & ipſe Orlandinus, quòd ſummę eſſent authoritatis apud milites, capti ſunt, parique puncto temporis Vitelliani in oppidum penetrarunt, atq; ignobiliore præda potiti ſunt. Sed eos poſtea Sarmentus excedere oppido, & in caſtra redire coegit, quum Vaſtius ipſe ſeram opem direptis & miſeris offerens ſuperveniſſet: quantum tamen authoritate atque imperio poterat maleficia prohibendo, inviolatasq; fœminas præſtando, non mediocriter in ea calamitate Empolitanos eſt conſolatus.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXIX.

PER hunc modum inter parum ſyncera colloquia Empoli capta direptaque, Vaſtius inde celeriter copias educens cum Sarmento Volaterras eſt profectus, quòd ad expugnandam urbem Maramaldus iuſtum tormentorum apparatum ſibi advehi crebris nuncijs poſtularet. Nihil enim cuniculis profecerat, nec minis Ferruccium hoſtem, niſi murus magno conatu quateretur terreri, & ad deditionem cōpelli poſſe providebat propter incomparabilem naturæ loci difficultatem. Nam Volaterræ in arduo monte ſitæ ſunt, vetere priſcorum ſtudio excelſa quærentium iuga tanquam tutiora contra omnes hoſtium impetus, ſalubrioraque campeſtribus locis, quæ ſæpenumerò caliginoſis atque denſiſsimis nebulis obſidentur: nam Volaterrani originem ſuam à Tyrrheno Lydorum duce repetunt, qui olim duodecim nobiliſsimas Etruriæ urbes condiderit. E ſummo montis iugo quinque præcipuè deſcenſus oblongo dorſo ad infimos pertinent campos, qui radiorum inſtar ad imaginem extentæ cum digitis palmæ manus, interiectis profundiſsimis vallibus dirimuntur, ita ut convalles tranſiri nequeant, quum abruptiſsimæ ſint, atque ita denſis arboribus obſeptæ, ut exercitibus inacceſſæ fiant: quoniam ab his aditibus ſcilice ſtratis, quum paululum aſcenderis in proximas vias nullo modo ad mutuam opem ferendā tranſiri poſsit, quòd præaltæ crepidines undiq; ſubſint, ad quas commeantium oculi propter profunditatem facilè caligent. Ad has naturæ munitiones acceſſerunt mœnia antiquitùs è quadrato lapide cōſtructa, quæ hodie ſuburbana præcingunt tecta: quoniam urbs nova, quæ hodie incolitur, poſt calamitatem à Pannonijs acceptam, aliquanto aſtrictiore quàm antea muri ambitu munitur. Vaſtius ubi advenit, contemplatus ſitum admirabilis munitionis, quanquā aſperrimas ſibi rerum difficultates ad oppugnandum propoſitas videret, quòd niſi ægerrimè pertrahi conſtituiq; tormenta non poſſet, communicatis cum Maramaldo conſilijs,

ſilijs ad Portonem, qui eſt antiquæ portę munimentum, humilem nactus collem caſtra poſuit. Nec mora in Hiſpanos tentoria ponentes Ferrucciani audacter eruperunt, contractaq; eſt cum imparatis aſperrima pugna, ſed ferente celeriter opem Maramaldo, paucis utrinq; deſideratis in urbem compulſi ſunt. Exinde Vaſtius diligentius locorum ſitum ſpeculatus, ad divi Andreæ templum aliquot Fabritij cohortes, Barone Neapolitano duce tranſire iuſsit. Qua re conſpecta Ferruccius nullam ſibi moram attulit, quin exturbandos eo templo hoſtes decerneret, atq; ita emiſit Camillum Appianum cum ſuis Corſorum cohortibus. Ab ea eruptione certatum eſt amplius duabus horis, ſed multis utrinque interfectis & vulneratis, Camillus ſe recipere coactus eſt, eo impetu incumbentibus Fabritianis, ut quũ ſe obverteret, in genu mortifera glande vulneraretur, uti aſſerunt, ipſius Ferruccij iuſſu in eius odium vehementer incitati, quòd portum ad Arcum, cuius cuſtodia Camillo fuerat attributa, hoſtibus prodi poſſe ſuſpicioſè iudicaret, ac ſimul vitæ ſuæ periculum, quod recenti Corſorum ſeditione ſubijſſet, ulciſci properaret. Eodem quoq; tempore Ferruccius ſuos à Florentina porta contra hoſtes, qui ad Portonem conſederant, eruptionem facere iuſsit, ut diverſo hoſtium impetu Hiſpani, quo minus ſocijs opem afferre poſſent, ancipiti prælio diſtinerentur. Sed Ferrucciani hunc audaciæ ſuæ exitum tulerunt, ut Franciſcus Brocca egregie fortis Corſorum tribunus, non paucis utrinq; amiſsis & vulneratis occideretur. Nec multò poſt à Vaſtio duobus in locis duplex oppugnationis genus eſt inſtitutum: alterum adverſus ſancti Lini cœnobium, cuius horti ad mœnia pertinent, Maramaldo attributum eſt: alterum ipſe deſumpſit iuxta portam Florentinam. Vaſtius conſtitutis, partim ex directo, partim ex obliquo aſpectu maioribus tormentis tanta vi utrobique quaſſari iuſsit mœnia, ut amplius quadringentis ferreorum globorũ ictibus murus adapertus ſit, ſed multò maximè apud Maramaldum: nam ſupra triginta cubitorum ſpatium proſtratus eſt, tanto Ferruccianorum pavore, ut quum nonnulli tormentis icti cecidiſſent, ipſeq; Ferruccius lapidis fragmine cubito percuſſus ſe recipere cogeretur, milites in ruinæ aditu nequaquam intrepidè conſiſterent, & equites inſtratis equis fugam pararent, confugereturque undique in arcem, hoſtes interrumpere potuiſſe conſtaret. Fabritius namq; per audaciſsimos prius milites, qualis quantusque per ruinas aditus pateret, explorandum ratus, quum impetum fieri iuberet, quòd locus ruinis impeditior, & æquo ad invadendum difficilior renunciaretur, importuna cunctatione ſerò pugnæ ſignum propoſuit, occaſionemque victoriæ corrupit, quum ab ea mora hoſtium ceſſationeq; multi propugnatores redintegratis animis extruere introrſus aggerem, admirabili conſtantia atque celeritate properaſſent, Morgante præſertim Caſtellioneo ab ingentibus lacertis validiſsimo centurione, & Ioanne Broccardo paris animi Volaterrano cive, rem adminiſtrantibus. nam in aggerem tumultuarium adiuvantibus maximè fœminis, oblata quæq; & ex cœnobio abrepta, lectos culcitras & cophinos, pretioſiſsimis etiam rebus plenos infarciebant, ut munitio in iuſtam altitudinẽ educeretur, pro qua mox acerrimè decertatum eſt, aucta ſpe propugnantium, quum Ferruccius lenito vulnere cum valida fortiſsimorum militum manu decurriſſet, & Fabritius recẽti ſubmiſſo ſubſidio, ſæpius inſtaurando pugnã multa utrinq; cæde edita, irrumpere eſſet conatus. Eo die inter Fabritianos multum enituit Angeli Baſtardi viri Zacynthij origine Volater-

rani virtus, quum ſæpius certamen reſtituiſſet. Altera porrò in parte Vaſtius quanquam non adeo latè murum patefecerat, ſatis pro tempore animadverſa introitus conditione prælium iniri iuſsit, pugnatumque eſt aliquandiu ab Hiſpanis audaciſsimè. Sed eorum impetum ea animorũ & corporum promptitudine defenſores ſuſtinuerunt, ut pulſi non parvo accepto incommodo repellerẽtur. Cæterùm Vaſtius nihil eo duplicis conatus detrimento permotus, paucos poſt dies iterum geminam oppugnationem inſtituit, alteram ad ſiniſtrum eiuſdem Florentinæ portæ latus, quod Pinzianam reſpicit vallem, alteram iniquiſsimo loco contra fontem perennis aquæ, quæ Ducciola vocatur. Ibi ea forma mœnium eſt, ut murus utrinque per declivè ductus ad infimam vallem ubi fons eſt in angulum ſe coniungat. Proinde putabat Vaſtius eum locum propter inæqualis loci difficultatem ægerrimè defendi, & ex adverſo illac facilè ſuos perrumpere poſſe, quum in eam partem ſedulò collibrari tormenta atq; diſplodi iuſsiſſet. At Ferruccius ubi periculum poſceret, nova opponebat munimenta, & ſupra fontem præcipuè aggerem erexit, unde cóllocatis tormentis, oppugnantes hoſtes deſtinatis ictibus peterentur. Sed quũ id opus novæ munitionis fervere atq; exurgere ab hoſtibus conſpiceretur, in id coniecta colubrinæ pila, in ſignis præfectus cognomento Scuccula interficitur, nec tamen intermitti opus Ferruccius imperat: nam paulò poſt in eo falcones duos collocavit, quorum ictibus quator ex hoſtibus noti tormentorum libratores abrepti ſunt. Nec multo poſt ab Hiſpanis cohortante Didaco Sarmento prælium eſt cœptum tanta contentione, ut aliquot vexilla Hiſpanorũ impigrè ſummo in muro figerentur, inſtaurataque ſæpius admodum cruenta pugna certaretur, inter fortiſsimos Sarmento armis & criſta conſpicuo, & ſecundum eum Macicao Cantabro, qui caſtrorum erat magiſter, audaciſsimè ſubeuntibus. Verùm non diu poſt Sarmentus, ſpectatæ eius virtuti invidente Fortuna glande traiectus occubuit, quum longiore vita dignus videretur, & Macicaus pluribus confectus vulneribus propè exanimis retrahentibus ſuis ægerrimè ſervatus eſt. irrumpentibus autem Hiſpanis maximè officiebant dolia ſaxis plena, quæ per deiectus ſtratæ viæ magno ſtrepitu devolvebantur, ita ut facilè appareret univerſos hoſtes anguſto in loco vel ſi omnes intraſſent, ea doliorum & lapidum mole obrui potuiſſe. Nec feliciore eventu certatum eſt in altera oppugnatione: nam tametſi proſtratis mœnibus alacriter ſubirent Hiſpani admixti Italis, non longum tamen certamen, ſed æquè cruentum ac Ducciolanum extitit. Vaſtiani quippe propiore acceſſu facilè loci iniquitatem propter hoſtium munitionem, & præſentem paratamq; vim reformidantes, nequaquam pertinaciſsimè expellentibus reſtiterunt, quum ab utroq; latere intra pomerium foſſas perductas, & aggeres tormentis permunitos, & adverſus armatorum aciem ſe irrupturos proſpicerent, quando per id totum etiam edendæ pugnæ ſpatium ad inſidias diſpoſiti murices & tabulæ peracutis cõfixæ clavis eminente cuſpide conſpicerentur, quibus indui prius neceſſe eſſet, quàm ad equites qui in pedes deſilierant, & ſuis gravibus protecti armis pugnam eſſent excepturi, pervenirent. His prælijs multi viri fortes deſiderati ſunt, & in primis ipſe tormentorum magiſter Appulus Calcella, quo nemo eius artificij peritior habebatur, ut qui Antonio Levæ mirificam operam ſuperioribus bellis navaſſet. Interfectus etiam eſt Donatus Tranius, qui eius artis commendatione in Calcellæ locum ſucceſſerat.

ceſſerat. Conſtat Ferruccium aliquanto maiore detrimento hoſtes afficere potuiſſe, niſi ſumma ſulphurei pulveris inopia laboraſſet, quod eius paulo ante non modicam copiam Tedaldus, ut iracundiæ ſuæ ſtultæque ferociæ impenſius indulgeret, & urbanis tectis maxime noceretur, intemperanter abſumpſerat: qua de cauſa Ferruccius per turmas equitum, ſalis nitri ad conficiendum pulverem aliquot pondera à vadis uſq; Volaterranis proximi litoris petere fuerit coactus, ut ſportulis ad equorum clunes coaptatis fallendo hoſtium cuſtodias in urbem cõportarentur. Ferunt Vaſtium à tanto irrito conatu ſummũ concepiſſe mœrorem, ita ut nonnulli ad eum conſolandum de Maramaldo obloquerentur, quaſi ille in prima oppugnatione propterea ceſſaviſſet, quod indignaretur Vaſtium ſuperveniſſe, ut paratam ſibi expugnatę urbis gloriam eriperet. Quandoquidem ipſum nequaquam venturum, ſed uti poſtularat, tormenta tantum ſubmiſſurum crediſſet. Atque ita Vaſtius adeo bile plenus ad Aurantij caſtra rediјt, ut Fortunam, quæ ſibi paulo ante ad Montopolim adverſa atque infeſta fuerat, convitioſe & intemperanter incuſaret. Maramaldus autem longo circuitu per Piſanum agrum paulo ante calendas Iulias Volaterras relinquens, verſus Piſtorium, combuſtis prius vineis, atque everſis operibus eſt profectus. Florentini quanquam aliquanto maiore damno Empolim oppidum urbi propinquum, & ad ſublevandam multarum rerum inopiam opportunum amiſiſſe cenſerentur, quàm Volaterras urbem longinquam inſigni commodo recepiſſent, nihil tamen ſuſtinendi belli curam ullis conſilijs remiſerunt, adoriendaque Germanorum caſtra ſtatuerunt, authore Stephano Calumna, qui non obſcure Malateſtæ ęmulus, & tentare ipſe aliquid ſuo ingenio, & erecto animo dignum facinus aggredi cupiebat, ut civitatis animos redimeret, qui Venafrani tanquam bellicoſiſsimi viri importunam cædem ægre tuliſſe videri poterant, nihil magis cupientes, quàm ut præſidiarij milites frequentibus pręlijs ſeſe exercerent, ſubeundoque vel ſummi certaminis aleam, fatiſcentis Reip. extremis caſibus ſubvenirent. Hæc res diu explorata à Stephano, delataque ad dictatorem, quum aſciſceretur in eam conſultationẽ dux Malateſta, ipſo oblique tantum contradicente, graviterq; expendente totum id dubij periculi diſcrimen, quod ſubituri eſſent, in id tota deliberatio cecidit, ut ab omnibus probaretur, ipſeq; demum Malateſta in eo negocio collegam adiutoremque Stephano fortia audenti ſeſe offerret, quod Lodronij caſtra nonniſi magnis viribus & validiſsimo impetu invadenda iudicaret. Quintiles iam Idus aderant, torrenteq; ęſtu Germani in vigilijs ſtationibusq; ſe ipſis languidiores facti videbantur, ſic ut eruptiones hoſtiũ contemnere potius quàm timere conſueſſent. Caſtra eorum, ut diximus, coniuncta erant templo, cœnobioq; ſacratarum virginum, quod divi Donati in Pulveroſa nomen habet, eo ordine ut ſepta quadratis aggeribus, intra quos tendebant milites, hortos virginum perpetuo vallatos muro annexos continerent, & dux ipſe Lodronius ſacris ædificijs uteretur, duobusq; ad caſtrorum aggeres propugnaculis erectis, in quibus collocata erant aliquot tormenta, utranq; viam, quæ ab urbe hinc Pratenſi, illinc Faventina porta ferebatur, reſpiceret, & perpetua ſtatione ab omni hoſtium impetu aptiſsime defenderet. Itaq; magno cõſenſu, magnaq; omnium expectatione Stephanus & Malateſta copias inſtruunt, partiuntur inter ſe munia impetus faciundi, & triplici egreſſu veteranas ferme omnes atq; lectiſsimas cohortes educunt, ea ratione ut Florentini

populi vexilla, quæ in locum decedentium militum in muri atq; aggerum, qui erant in monte, cuſtodiam ſuccederent: & ſi caſus ferret, his in locis propugnando patriam defenderent, donec milites re bene geſta ad ſolitam muri ſtationem reuerterentur. Ad confirmandos tamē armatæ iuuentutis animos veterū militū aliquot centurias interpoſuerūt, & quatuor cohortes conglobatas loco medio atq; opportuno cōſiſtere iuſſerunt, ducibus Franciſco Taruſio & Barbaruſſa Bartholo, vt commodè vbi res poſceret ciuibus aduerſus hoſtes opem ferrent. Media quoq; in vrbe ſimili ratione reliquarum tribuum vexilla conſtituerunt, quibus addebantur quaternæ cohortes, quæ fuerūt Pacerini, Giometti Senenſis, & Corſorum duæ ex Paſquinianis. His rebus aptè conſtitutis Stephanus Pratenſi porta milites eduxit, ad vnum omnes candidis tunicis indutos, vt inter ſe noſcerentur, & ea ſpecie per tenebras hoſtibus terrori eſſent. Malateſta autem ea Prati portula, quæ ad Arnum ducit, eo conſilio egreſſus eſt, vt ſecundum flumen totum ripæ marginem equeſtribus & pedeſtribus præſidijs occuparet, vt ſi forte è maioribus Aurantij caſtris hoſtes laboratibus Germanis opem ferre, & flumen tranare auderent, vti accidit, circa vada amnis inuaderentur. E Fauentina autem porta tertia manus erupit; eo conſilio vt ſuperiore circuitu ad Germanorum caſtra verteretur, & diuerſo metu illato Germanos eo temporis momento diſtineret, quo eos Stephanus adoriretur. Paſquinus Corſus quum præmiſiſſet expeditam ſuorum centuriam, duos hoſtium vigiles extra munitionem excubantes ita oppreſſit, vt altero occiſo, alter quanquàm ſauciatus ad ſuos confugeret, qui adeſſe hoſtes ſemeſopitis nunciauit, atque ita Paſquinus ad munitionem caſtrorū impetum fecit, pauloq; poſt conclamantibus iam ad arma Germanis, Stephanus gradum intendens, vt imparatos & incompoſitos inuaderet, apprehenſis & ſuperatis munitionibus in caſtra tranſcendit, impigrè rem gerente Ioanne Taurino, qui inter Paſquinum & Stephanum ipſum aggerem adortus, iaculatusque ardentes tubas, Germanos ita ſubmouerat, vt vndiq; fruſtra reſiſtente hoſte, Etruſci certatim in caſtra irrumperent, atque hos animoſa Florentinæ iuuentutis cohors Dante Caſtelliono ſignifero audactar irrumpente conſequeretur, & prius quàm Germani Lodronij ducis ſuperuentu adhortationeq; componi & conglobari poſſent, fœdo incœpto exituq; ad diripienda tabernacula diſcurrerent. Quo tumultu ingens non militum modò ſed fœminarum & lixarum numerus per tenebras trucidatus eſt, atque item multi ex eius noctis ſtatione, qui impetum irruentium numero atq; animis impares ſuſtinere nequierant. In ea rerum perturbatione Lodronius admirabili conſtantia circiter duo milia hominum in receſſu caſtrenſis areæ conglobari, retinereq; ordines, neque vſquam acie excedere iuſſit. Stephanus ſemiparta victoria, niſi milites prædæ cupiditate adducti diſſipatis viribus pugnam ſubijſſent, increpitare reuocareq; ſuos conatus, in phalangem hoſtium denſatam non ſemel impetum fecit; ſed poſtremò, quòd immota prætentis haſtis egregiè reſiſteret, & mox inducente Lodronio in diſperſos & imparibus pugnantes armis impreſſionem faceret, nonnullis vtrinque cadentibus, ipſe Stephanus vehementer eſt vulneratus lanceæ cuſpide, quæ in os recepta ei dentes excuſſit, & inguine pudendisq; alabardæ mucrone ita transfixis, vt exturbatus è munitione in foſſam deijceretur, multique ſimul vulnerarētur, atque in foſſā conciderent. Interfecto Virgilio Romano, qui diu Stephano comes repugnarat, Zagoneq; viro ingenti proceritate corporis, atq;

animi vigore terribili per femur transfixo, & Ioanne Taurino haſtarum impulſu extra aggerem eiecto, Etruſci ſe receperunt, vel ob id præſertim nequaquam redintegrata pugna, quòd iam ab Olivetano monte tormenta diſploderentur, vererenturq; Malateſta ne Aurantius è Giramonte ſuorum ſtationes invaderet, quas diſceſſu militum civili præſidio, ſi gravior pugna incideret, nequaquã fore firmiſsimas arbitrabatur. Id vero uti poſtea cognitum eſt, Malateſtam magnoperè permovit, quod equitatum è caſtris hoſtium ſigno tuba propoſito, eductum decurrere ſecundum ulteriorem Arni ripam ſenſerat, utpote qui non temerè timeret, nè ſi conglobato agmine humilioribus vadis tranarent, non facilè ſuſtineri poſſent, quin ipſe erepta ab hoſte receptus facultate, porta urbis excluderetur, & populus ipſis ambobus ducibus extra urbem diverſo prælio occupatis, portaq; interclusis, incumbente Aurantio aliquod gravis vel ſummæ etiam calamitatis detrimẽtum acciperet. Nec tamen deerãt, qui Stephano laudem aſtruentes, aſſererent à Malateſta receptus ſignum maturius datum fuiſſe, obtrectatione non dubia alieni decoris, ut parem exitum ac ipſe nuper ad Catelinam portam fuiſſet expertus, inconſultæ audaciæ eruptio tuliſſe videretur, apud cives qui non æquè prudentiam cauti ducis, quàm bellicoſi audaciam è Rep. eſſe iudicabant. Cæterùm ab hoc irrito conatu Florentini in univerſum non obſcuro dolore, neq; inani concepta triſtitia turbabantur, propterea quod ad extremam eſculentarum rerum inopiam erat perventum: nam neq; equis, neq; aſinis, neq; etiam felibus pepercerant. Nec defuêre è plebeiis, qui mures avidè conſectarentur. Frumenti autem ea erat penuria, ut panes ex milio vetere & panico, atque ea olyræ ſcandellæq; ſegete ad iumenta in alimentum deſtinatæ, confici vendiq; inciperent, & vulgus ignobile ea nigri milii ſegete culmoſa, alias dicata ſuibus, quam Trãſpadani Melicam, Etruſci verò ipſi Saginam vocant, veſceretur. Vini nuſquam erat copia, niſi quæ ſacrificiis atq; ægris in medicinæ uſum ſervaretur, potabant omnes aquam hilariter, ſic ut ipſi cives frugi homines hæc a militibus incommoda tolerantiſsimè ferre mirarentur, laudarentq; eos, quod fideli perſeverantia nuſquam excitato tumultu, ſuisq; contenti ſtipendiis, pro militari tantũ gloria alienę libertatis cauſam adverſus exteras gentes generosè defenderent. Sed quũ nullus belli exitus deſperatis auxiliis, niſi valde lugubris atq; duriſsimus proſpiceretur: verſabat iam multorum animos cura ingẽs publicę ſalutis, prudentioresq; iam planè ea abominabantur ſupplicia eſſe ſubeunda, quæ Romani nuper pertuliſſent, ſi vinci armis quàm pactione ſe dedere mallẽt. Neq; tamen quiſquam reperiebatur, qui effari auderet, adeo erat certum his, qui ferociam animi deditionis cogitatione remiſiſſent, fœdæ mortis ſupplicium, ut pleriq; tacitè animos deſponderent, cum ſubituri caſum, quem vel iniqua ſors publicis rebus attuliſſet. Primus omnium Zanobius Bartholinus, qui dudum à tota civitate libertatis defenſor, gravitate conſilii, induſtria, & vigilantia ſingulari cum ſummo imperio legatus extiterat, ſimulato corporis morbo nequaquam occultè concepta animi ęgritudine, è curiæ limine ſe ſubduxit, quod authoritate ratione q; multorum efferatorum civium inſaniæ mederi poſſe deſperaret, agitaretq; animo quanam ratione cõſilii affectæ civitati prodeſſe poſſet, & quum nihil deditionis pactione utilius atq; ſalubrius fore iudicaret, ſæpenumero de ea re in arcano cum Malateſta & Stephano fuerat colloquutus, per quem tentandum Aurãtii hoſtis animum eſſe ſtatuebat: occaſio verò eius

tractandę rei non ſemel petita eſt, quum munera ad ducem in caſtra mitterentur: idoneus autem interpres erat Cencius Peruſinus cognomento Strabo, aſtu atque prudentia militari inſignis, proptereaq; Malateſtæ fidus. Is Aurantium reperiebat nequaquam abhorrentem ab honeſta concordia, quũ ille ducenta tantum milia aureorũ nummûm ad perſolvenda militi ſtipendia poſtularet, ſubindeq; peteret, Mediceam familiam ſervato libertatis nomine, uti antea conſueuiſſent, priſtinæ dignitati reſtituendam: & obiter à Clemente Pontifice præteritarum offenſionum oblivionem ſe impetraturum polliceretur. In quas conditiones non Baucius modò Valorius, prolegato à Pontifice ab initio belli in caſtra miſſus inclinabat, ſed Aurantius ipſe, undecim iam propè menſium obſidionis tædio affectus, & quod maximè urgebat, pecuniæ inops, quod multo luſu aleæ ingentem pecuniæ vim ſtipendijs deſtinatam, gemente Valorio legato, importuniſsimè perdidiſſet, & Conradus Heſsius, vetus Germanorum dux, & valde felix aleator, eam fermè totam abſtuliſſet, adeo importunè ut quum Hiſpani atque Itali debita ſtipendia flagitarent, Aurantius pudendis circumventus difficultatib. nihil potius atq; expeditius reperiret, quã ut expreſſa vel non acerbis conditionibus deditione, ærumnoſo bello finem imponeret. Ad ea perſuadenda ipſius Valorij authoritas plurimum valebat. Quoniam ex arcanis mandatis à Pontifice de patriæ ſalute ſolicito etiam atque etiam admonebatur, ne expugnandæ per vim urbis caſum neceſſarium duceret, daretque operam, ut ſine ſanguine victoria quæreretur, quòd nequaquam ſibi deleta patria, ſed incolumi, opus eſſe prædicaret. Eadem etiam Pontifex perſcribi ad reliquos duces, Ferdinandumque in primis Gonzagam iubebat, ea conditione, ut his certis præmijs gratiam ſervatæ patriæ relaturum polliceretur. Hæc ubi Cencius è caſtris rediens Malateſtæ renunciabat, cum bona ſpe concordiæ Zanobio communicabãtur, & per eum ſedulò, & quantũ fieri poterat occultè, ad eos emanabant cives, quos incolumis patriæ cura totius obſtinatæ factionis obliviſci cogeret. Verùm recta ſalutariaque paucorum prudentium, inſana multitudo imperitorum popularium facile ſuperabat, ipſo præſertim dictatore perverſiſsimis opinionibus imbuto, & rem ad extremum violenti conatus caſum deducere cupiente, ita ut accerſendum cum omnib. copijs Ferruccium, defenſis Volaterris ingenti virtutis opinione à popularib. ſublatum, & periclitari extremo conatu Etruſci imperij fortunam ſtatueret. Itaq; Ferruccius è ſenatuſconſulto revocatur, & quid fieri oporteat ex præſcriptis mandatis docetur. Summa conſilij hæc erat, ut per Piſtorienſium montes ad urbem Florentiam duceret, & decedens dextrorſum à Feſulis, ipſo Malateſta erumpente, atque excipiente occaſionem nobilis pugnæ edendæ, qua patria obſidione liberari poſſet, opportuniſsimè prębeteret. Ferruccius qui quaſſata mœnia reficiebat, acceptis à ſenatu literis, Marco Strozzæ, & Baptiſtæ Gondo, qui Florentia miſsi fuerant, viris prętorijs, urbis cuſtodiam cõmendat, & cum ſingulis militum centurijs attribuit Nicolaum & Gualterotum Strozzas, Alexandrumq; Monaldum. Imperat etiam Volaterranis decem obſides, qui caſtra ſubſequantur, captoque itinere ſecundum Cæcinam amnem, ad vada Volaterrana deſcendit, atque inde per Liburnum, antiquæ Labronæ turritum oppidum, Piſas contendit. Ibi aliquot conſumpſit dies apparandis his rebus, quæ ad profectionem pertinerent, imperandiſque pręſertim pecunijs, ut milites qui ſtipendia ſeditioſè flagitabãt, tumultu à Corſorum cohortibus orto, prębita pecunia

pacat

pacarentur. Eam autem viritim mercatoribus imperatam, uſque adeo impotenter extorquebat, ut quibuſdam præſentem laquei mortem horribili voce interminaretur, alijs porrò in ſummá domus cœnacula contruſis, niſi pecuniã expedirent, fame pereundum eſſe denunciaret. Qua ſævitia acerbitateque uſus, ſicuti Volaterranos afflixerat, ita à Piſanis magno fœnoris impendio patrimonia diſtrahere coactis, tantam auri ſummam, quæ menſtruo ſtipendio ſatis foret corraſit. Exinde Piſanos ad unũ omnes qui arma ferre poſſent, tanquã veteris memores libertatis, proptereaq; ab iuſto odio Florentinis ſuſpectos, patria excedere iuſsit, quanq́ Piſanorum optimates octoginta numero, obſidum nomine Florentię ſervarentur. Adduxerat paulo ante Piſas aliquot exercitatorum militum cohortes Paulus Ceres, Rentij filius, dux impiger. Cum eo belli gerendi conſilia Ferruccius cõmunicat, cogitq; in unum omnes copias. productis autem omnium vexillis, quum inſpicerentur ſingulæ cohortes, cenſa ſunt tria milia peditum, galeatorum verò equitum numerus, & pileatorum Epirotici generis levioris armaturę, qui erant peltati, quingentorũ ſummam implebat. His pręerat Nicolaus Maſius è Nauplio Peloponneſiaco vir egregiè fortis, cui Pulledro Epirotica lingua cognomẽ fuit, Galeatos autem thoracatosq; ductabant veteres ac clari nominis præfecti Carolus Civitellæ regulus, & Amicus Arſula. Pręter has copias ſolicitarat etiam montanos Piſtorienſes homines Cancellariæ factionis, qui ſicuti promittebant ſuis illaciter habentibus præſtò futuri ſperabantur. Sarcinarijs autem iumentis multis undique violento imperio contractis, ſupra centum ligneas tubas, quæ ſulphuream flammam evomerent, impoſuit, atque item decem minora tormẽta, quæ moſchettos appellant, & ligneis canterijs impoſita ſubitaria in pugna ad confirmandas acies peditib. præſidio adverſus equites eſſe conſueverunt. Cum his copijs eoque apparatu, & cum aliquanta commeatus copia, biſcoctique præſertim panis, more nautico, quæ properantibus per nemora & ſylvas ſufficeret, vel ſi nihil omnino parati commeatus, montanorum agreſtiumque hominum tenuitate nanciſceretur, reluctante genio Lucenſi porta ſigna eduxit, converſusq; ad quoſdam pręfectos fatali proloquio, fortiſsimi viri, inquit, ad ſubeundam duriſsimi eventus Fortunam ire iubemur, neque reformidanda eſt ulla periculi vis imminẽs, quum omnino ſenatui ſit parendum qui nos alit, & in dextris noſtris ſupremæ ſalutis ſuæ ſpem reponit. Apparebat enim eum quibuſdam ſecus ac conſueſſet parum alacriter loquutum fuiſſe, quaſi divinaret, qua ſorte ad Alieum arbitrium ſuſcepta expeditione eſſet pugnaturus. Reliquit autẽ in præſidio Piſarũ, qui Odoardo Giachinotto prætori parerent, cum ſingulis cohortibus, Matthiam Varanium Camertem, & Bettum Ranucinum Florentinum, Michaelemque è Montopoli, & cum his Epiroticæ ſtirpis inquilinum cum ala equitũ Muſacchinum, Muſachio vetere fortique equitum præfecto genitum. His rebus conſtitutis per Lucenſium agros, atque inde ſubter Piſciam, & Collodium oppida ita agmen duxit, ut ſigna ſenſim ad lævam in ſuperiores montes erigeret, confragoſisq; & ſylveſtribus locis rectà verſus ſancti Marcelli pagum progreditur. Interim Aurantius de conſilio itinereque hoſtium per ſpeculatores certior factus, communicatum cum paucis totius negotij conſilium per hunc modum maturè explicat: Ferdinandum Gonzagam in obſidione relinquit, & cum eo fermè omnes Hiſpanos pedites, multoque maximã Italicarum cohortium partem. Vltra Arnum porrò ſuis in caſtris Lodronium conſiſtere, obſer-

uareq; hoſtium motus, atq; intentius euigilare iubet. Scribit autem ante omnia ad Fabritium Maramaldum, atq; Vitellium qui in agro Piſano circum oppida Vicũ, Sanctæ crucis, & Focenſium pagos æſtiuabant, vt coactis cohortibus ad prçcidendũ Ferruccio iter, veſtigijſq; inſiſtendo quanta poſſent celeritate maturarent. Ea quoq; Hiſpanorum tironũ manus, quæ per aliquot mẽſes Clauerio duce diuagata per agrũ, & mutando loca rapto ſeſe aluerat, tanquam edicto Cæſaris ſtipendijs caſtriſq; excluſa ad Altopaſſum conſederat, Vitellianas cohortes eſt ſubſequuta, adhortante ipſo Vitellio ad nauandã ea expeditione operã, qua omnẽ conſternationis, & diuturnæ ſeceſſionis noxã redimerent, & noua promoreri ſtipendia properarent. Præmittit etiam è caſtris Roſcium, Martium Columnam, & Scalengum cum ſuis cohortibus, atq; item Roſcij alarijs equitibus Theodorũ Biſchetmium Epirotarum equitum præfectum adiungit. Hos ſubſequitur veterum Germanorum legio. ipſeq; poſtridie cum vniuerſo leuis armaturæ & cataphractorum equitatu è caſtris proficiſcens, tranato flumine Arno verſus Piſtorium contendit. Noctu autem iter faciens peruenit ad locum, cui Lagoni nomen eſt, caſtaneis arboribus frequentem, qui locus eſt ferè medius inter Piſtorium & Gabinianum oppidulum. Ibi aliquãtiſper ſubſtitit, vt equos modica quiete, & milites leui ientaculo recrearet, atque interim nuncios opperiretur, qui de itinere hoſtium certius referrent. Eo modo quieſcenti ſuperuenit curſu citato feſſus ſacerdos, qui Aurantium requirens, adeſſe Ferruccium, eumq; ſancti Marcelli oppidum intraſſe, direptumq; incendiſſe, vnde ipſe vix effugerit, anxiè nunciauit, ſubdens Ferruccianos in tergo à Cæſarianis premi, quod ex multo ſclopettorum ſtrepitu noſceretur. Ab hoc nuntio bonæ ſpei plenus Aurantius, quũ lagenas popoſciſſet, & vina latis pateris funderentur, circumiectiſque in coronam ducibus Franciſco Prateo, Roſſalique Hiſpanis, & Zucero Epirotæ hylariter propinaret, denſiſsimus repente cœlo dudum ſereno imber effuſus eſt, uſque adeo largus, ut cunctos ſub divo perpotantes laté perfunderet, & ad omen à quibuſdam verteretur. Arriſit ad id ſublato lætiore cachinno Aurantius, & commilitones inquit (uti video) in hoſtes nequaquam temulento agmine provehemur, poſtquam nobis ſuperi vina coronantes pocula benigne propitieque diluunt. Hæc fuere ſuprema eius verba, continuò efferri ſigna iubẽtis, quum paulo antè ducibus ſua munia in omnem eminentis pugnę caſum tam ſobriè quàm opportunè per hunc modum diſpenſaſſet. Hos enim quos diximus duces cum univerſo levis armaturæ equitatu præire iubebat, quibus præſidij cauſa addiderat Pompeium Farinam cum trecentis pernicibus ſclopettarijs, monueratque eos ut paſsim ſi qua paulo anguſtiora in itinere reperirent loca, per quæ difficulter equitatus tranſire poſſet, idoneis tumulis certas ſclopettariorum manus imponerent, ut quũ hoſtes conſpexiſſent, ſi forté premerentur ad ea præſidia ſenſim ſe recipere poſſent. Quód ſi planiora occurrerent loca quæ non inepta equeſtri prælio fore proſpicerent, tam diu diſtinere hoſtes lento certamine niterentur, quoad ipſe cum cataphractis superveniret. Vbi equites ad Gabinianum oppidum pervenerunt, & portas ſibi pandi poſtularunt, oppidani non aliter eos ſe admiſſuros reſponderũt, niſi Aurantius fidem daret ſine maleficio milites ingreſſuros. Erant Gabiniani adverſæ factionis, qui edoctis de Ferruccij adventu fallacibus reſponſis tempus extrahebant, quorum conſilium non multo poſt ab Aurantianis eſt intellectum, quum oppidani è ſacra turre conſpectis é longinquo Ferruccianorum

vexillis,

vexillis, eorum ſcilicet qui præcurrebant equitum, ſacri campani æris ſonitu adeſſe iam Cæſarianos hoſtes ſignificarent, atque eo modo dum expectatur Aurantius, qui fidem præſens oppidanis daret, quod multum intereſſet ad victoriam parandam, eo opportuno plenoque commeatus oppido potiri, equites circumflectentes ſe ſubter mœnia verſus ſancti Marcelli oppidum excurrerũt, & cum antecurſoribus hoſtium leves pugnas ſerere cœperunt. Siquidem Ferruccius ſanctum Marcellum ingreſſus, paucis interfectis, & eorum domibus qui erant adverſæ factionis crudeliter incenſis, Gabinianum petere ſtatuebat, ratus hoſtes nequaquam tanta celeritate occurſuros. Dum oppido egrederetur, conſpexerat turbam mulierum cum liberis rerum ſuarum onera capitibus portantium, quæ adverſa porta exijſſent, in montes altiſsimos evadentem. Nonnulli propterea locorum periti milites, qui de adventu hoſtium certius cognoverant, Ferruccium cohortari cœperunt, ut eodem montium dorſo, quo ire pergerent mulieres, agmina educere vellet, quod id montanum iter anguſtam viam, & utrinque abruptiſsimos haberet deiectus, ſic ut hoſtes illac non facilè perſequi poſſent aſcendentem in ea Apœnini iuga, quæ demum æquiores quanquã longiores vias dextrorſum haberent, & per eas ad Scarpariam & Mugellanum agrum deſcendere poſſent. Paulus Rentij filius levem putabat impedimentorum iacturam, modò incolumes eluſis hoſtibus eò pervenirent, quò vocarentur. Sed Ferruccius elato ſpiritu id conſilium, quod timoris & fugæ indicium præbere poſſet, deteſtatus, rectà progredi cœpit. Præibant equites Carolo atque Arſula ducibus, & quum non amplius duobus millibus paſſum Gabinianũ abeſſet, anteſignanę cohortes, quas ductabat Bernardus Strozza, cui cognomentum Captivantio fuit, ad Gabinianam portam applicarent, poſtremæ aciei vexilla ad portam ſancti Marcelli adhuc erant. Iter non admodum erat impeditum, ſed paululum per acclivia deſcendere oportebat, quoniã ſancti Marcelli oppidum in ima valle poſitum eſt, & perpetuis undique montium iugis præcingi videtur. Iam Cęſariani qui cum Roſcio, Theodoroque, ut diximus, pręmiſsi fuerant, inſiſtentes veſtigijs noviſsimos carpebant: nam Roſcius expeditam ſclopettariorum manum ſublatis ſingulis in clunes equorum advexerat, quæ procurſaudo diſplodendoque magnopere hoſtes vexabant. Maramaldus autem à Calamecha vico, ubi pridie hoſtes caſtra fecerant, eos ſanctum Marcellum petere conſpiciens, ad lævam fidis viæ ducibus uſus, per ſuperiorum montiũ & ſylveſtriũ tramitum compendia ad Gabinianum pervenerat. Alio quoque breviore itinere quanquam aſpero, Vitellius non procul ab oppido dudum conſederat. Interea Ferruccius albo vectus equo diſtrictum tenens gladium ſuos hortabatur ut compoſitis ordinib. ad præoccupandũ oppidum, quod erat in conſpectu feſtinarent, propellerentq; urgentes hoſtium equites: nam Carolus & Arſula ſingulari virtute dimicantes, non ſuſtinebant modò, ſed redintegrato ſæpius utrinque impetu per declives ripas adverſos, & terga vertentes hoſtes ſe recipere cogebant. Dum tumultuoſiſsimè magnoque ſtrepitũ pugnaretur, quod è Ferrucciana acie certę ſclopettariorũ manus emittebantur, & Pompeiani, quos diximus, equitũ præſidio miſsi, equeſtri prælio ſe immiſcuerant, multiq; iam ceciderãt, Maramaldus ab adverſa porta, & partim à facilè diſiecta mœnium maceria oppidum eſt ingreſſus, Ferruccio iam ab anteriore porta ſigna inferente. Atq; ita per oppidũ atrox & cruenta editur pugna, ſicut in medio foro magna cõtentione certaretur: nam Ferruccius ingenti

animo in pedes deſiliens, abrepta pedeſtri lancea fortiſsimè rem gerebat. Nec ſuis deerat Maramaldus, quin magna vi facto cuneo, toto plateæ ſpatio potiretur. Interim ex Ferrucciano agmine pars ſequuta ducem, ingreſſaq; oppidum operā navabat, pars deflectens ſecundum murum, apud caſtaneti ingentes arbores idoneum nacti locum, quo ſe adverſus inſultantes equites tuerentur, diſploſis ſclopettis adverſa glandium procella hoſtes obruebāt. Ab his, ut poſtea compertum eſt, qui erant numero fermè quingenti, quum Aurantius adducto cataphractorum agmine, ut prælio intereſſet per arduum ripæ callem eniteretur, vectus ſpadice, & gladium vibrans, gemina glande traiectus equo decidit, nec tamen ſtatim eſt agnitus, quum argentea veſte & auratis armis carptim exueretur. Ferunt eum prius quàm vulneraretur cum Nicolao Maſio, qui primus occurrerat, ſingulari certamine collatis equis contendiſſe, quum Græcus ferrea clava ei galeam pertunderet: ipſe verò equeſtri mucrone ad eum perſodiendum iteratis ictibus uteretur. Sed Maſium cataphractorum impetum veritum, ad caſtaneas refugiſſe. Aurantium autem audacius ſe provehentem lethalia vulnera ſuſtuliſſe. Eodem ferè tempore Vitellius in agmen ſecundæ hoſtium aciei, quam Paulus Rentij filius ductabat, ex obliquo peropportunè invectus, ad primam ferè impreſsionem ita perturbavit atque diſiecit, ut omnibus vexillis in unum de more conglobatis potiretur, vel acerrimè reſiſtente Paulo, qui dimiſſo equo conſtantiſsimè pugnans, aciem componens, & pugnam inſtaurans, ad oppidum perrumpebat, ut Ferruccio opem ferret. Cæterum ubi Aurantium cecidiſſe, & cataphractorum agmen, fœdum viſu atque incredibile dictu, ſe totum retrò in fugam præceps dediſſe vulgatum eſt, Ferrucciani ſublato victoriæ clamore ſe conglobare, & perterritis inſiſtere cœperunt, ac niſi Germani qui ſe nihil adhuc commoverant, ſed phalangem ſuam inſtar arcis ad ſociorum receptum non procul ab oppido in ordine continebant, in viam progreſsi tumultuarios hoſtium procurſus repreſsiſſent, proculdubiò nemo equitum fugere deſtitiſſet, quum eorum plerique, & ante alios Roſſales exemplum Antonij Hiſceræ qui cataphractis præerat ſequutus, intenta fuga uſque ad Piſtorij portas profugiſſet, tanta perturbatione, ut & in caſtris ad Gonzagam, & in urbe ad dictatorem interfecti Aurantij, fuſique exercitus fama deferretur. Eodem puncto temporis Vitellius Pauli cohortes oppidum intrantes urgendo cædendoque aliquandiu perſequutus, opportunè deflectens ad portam, qua Maramaldus intrarat, ut ei maturam opem ferret, ſigna intulit, & uſque adeo ſævum certamen renovatum eſt, ut in plateam coacervatis cadaveribus impeditam penetrari vix poſſet. Sed Ferruccius & Paulus ex longa pugna, maximoque meridiani temporis fervore fatigati, in quandam editiorem domum ſe receperunt, atque inde ſclopettis rem gerere perſeverarunt, donec ab equitatu levis armaturæ, qui Roſſalem fugientem præ pudore ſequi noluerat, confertis turmis conglobato, hoſtium equites ad unum omnes profligati deletique ſunt, quum paulò anteà cohortes vel quæ oppidum ingredi nequiverant, vel quæ Ferruccij iuſſu extra remanſerant, Aurantiumque interfecerant, clavis utendo ferreis, quibus galeæ quidem vix reſiſtebant, proſtratæ fuiſſent: neque ea die magnopere victis profuerunt præparatæ ad id tubæ ſulphureum vomentes ignem, quum aliquos tantū in Germanos & equites iacere licuerit, nec direptis & perturbatis impedimētis, moſchetti expediti, aut canterijs, uti ſperaſſent, imponi nequiverint.

Fer-

Ferruccius & Paulus aduerſæ pugnæ exitum,atq; infeſtam Florentino nomini Fortunam agnoſcentes, quum ipſorum milites aut interfecti, aut capti eſſent; expugnatiſq; atq; direptis ſingulis oppidi domibus, Maramaldus certa victoria iam potiretur, ſe dediderunt: moxque Ferruccius, vti erat armatus, ad Maramaldum perducitur. Tum veró Fabritius, An quũ Volaterris tympaniſtam meũ contra militiæ morem laqueo impiè ſuſpendebas, te vnquàm ad manus meas peruẽturũ putaras? Tum ille: Hæc non iniqui ſemper Martis ſors eſt, quę tibi bellũ gerẽti obuenire poteſt. Sed tu ſi me occidas, neq; utilẽ, neq; decorã ex mea nece laudẽ feres. Sed itidem obiurgans, & ex mercatore ducem factũ appellans, victor ei galeam & thoracẽ detrahi iuſſit, gladiumq; gutturi impegit, & militibus conficiendum reliquit. Erat Ferruccius excelſo corpore, excelſoque animo, ſed admodum ſuperbo, tumidioreque facundia; ita vt non longo quidem belli vſu edoctus, ſed naturali quodam Etruſcæ ſolertiæ vigore præditus, ſingula munia cum admiratione non ciuium modò ſuorum, ſed militum implẽdo, ſtrenui militis & iuſti penè ducis ſpeciem præferret; ſed qui adunco naſo, palloreq; multo & oculis ſanguineis inſitam feroci ingenio crudelitatem fateretur. Audiui ego poſtea à Maramaldo, quum eius cædis damnaretur, ſe nequaquàm ex priuata iniuria, ſed quodam non impio pudore percitum eum ſeruare noluiſſe, ne incolumis hoſtium dux, poſtquàm tantus imperator cecidiſſet, ſeruaretur. Quando ſibi honeſtiſsimum fore duceret, ſi eum in gratiam militum, Germanorumq; præſertim, pro victima Aurantij manibus immolaret. Cæterùm Aurantij cadauer iam armis omniq; amictu undatum ſub ipſam cataphractorum fugam Tentauilla Gallus eius familiaris, agnitum collectumq; extra oculos militum aſportauit, et ſtragulæ laneæ veſti inuolutum in ſacello collocauit, donec parta victoria ſuſceptus in ceruicem robuſtioris equi, brachijs & cruribus vtrinque pendentibus, lugubri humanæ miſeriæ ſpectaculo Piſtoriũ eſt deuectus; non abſimili fati ſorte ac Borbonius fuerat ereptus, quum vterq; in limine victoriæ ſuæ ceciderit. Ferunt in eo qui nondum trigeſimum ætatis exceſſerat annum, perilluſtres liberalis animi, & pugnacis ingenij virtutes, quibus ſtudia militum, vt alibi diximus, cum inſigni gloria, & non obſcuro quodam dolore Cæſaris promerabatur, quum militibus defenſi Neapolitani regni oppida, tanquam ſua, quæ aliena erant profuſiſsimè largiretur; & ante alios ſemper in acie conſpicuus pugnam cieret. Ortus erat Salonia familia apud Sequanos illuſtri, præferebatq; indolem inclyti futuri ducis, niſi id ſummæ gloriæ decus intempeſtiua præuaricatione, quæ temporis ſpatio atque integra ætate pararetur, præferuidus affectaſſet. Cecidere ea in pugna paulò minus duo milia hominum vtriusque partis: nam multi poſtea ex vulneribus perierunt. In his autem fuere acerrimè pugnantes Ferruccianorum cohortium præfecti, Capitaneus Borgenſis, & duo è Corſorum gente, Paulus & Franciſcus, atque item Carolus Ciuitellæ comes, qui equeſtri prælio longe omnium promptiſsimè dimicarat, & Alfonſus Stipicianus Farneſia matre genitus, ipſius Pauli Ceritis propinquus. Ex Fabritianis veró Ioannes Maius inter Brutiarum cohortium præfectos pugnaciſſimus, & tres cum eo ſigniferi occiſi ſunt. Amicus quoque Arſula Martio Columnę pecunia redimenti traditus, necatusq; eſt, quòd Scipionẽ Colũnam patruelẽ ſuũ Malliana in pugna, ipſius Amici manu interfectũ fuiſſe diceret; ignobili hercle facinore, ſed vſitato huius ſeculi Romanis, qui iniuriarum perpetuó

memores, vindictæque avidi, inimicorum ſanguine propinquorum ſuorum manibus avidiſsimè parentare conſueſſent. Maſius verò à ſuæ gentis equitibus captus, æquo iure militiæ facilè ſe redemit. Captivantius quoque Strozza graviter vulneratus, curatusq; apud hoſtes, mille aureorum nummum pretio dimiſſus eſt, quum Paulus Ceres eadẽ militiæ lege aureis numinis quatuor milibus à Maramaldo libertatem impetraſſet. At Florentini vel hoc adverſo Ferruccianæ pugnæ eventu vehementer perculſi, nihil ſe animo demittebant, nihilque obiter ad petendæ pacis conſilia flectebantur: nam populares inſanæ contumaciæ & ſummæ acerbitatis homines, quorum pervicacibus ingenijs reſpub. regebatur, extrema ſupplicia à barbaro hoſte perpeti, & captæ conflagrantisq; patriæ interitum conſpicere, quàm deditione ſe victos fateri malebãt. Et quoniam ſuprema auxiliorum ſpe decidiſſent, deveniſſentque ad ultimam alimentorum inopiam, qua una non civium modò & imbellium tanquã propinqua morte, ſed militum vires atque animi frangerentur, ad id extremi conſilij decretum decurrebant, ut longè graviſsimo impetu ad ſalutem, aut ſi non ita ſors ferret, non indecorum communẽ exitum, in hoſtes erumpendum eſſe cenſerent, ipſo ante alios concitante dictatore, cuius mentem inveterato depravatam odio, atque ipſa afflictarum rerum deſperationẽ perturbatam, neq; religio, neque erga patriam pietas, neque ulla demum prudentiorum conſilia ſanare poterant, quin in ipſo honore magiſtratus ipſoque iam proviſo perituræ libertatis & cadentis urbis funere, mortem oppetẽdam decerneret. Huic diro inſiſtentes cõſilio, per eos dies quibus Ferruccium Piſis movere iuſſerãt, à Malateſta Stephanoque intentè & graviter poſtulabãt, ut in eandem committendæ pugnæ ſententiam devenirent, & fortibus explicatis conſilijs, expeditisque efficacibus armis ſecum adeſſe vellent, qui pro libertate ſaluteque pàtriæ, ſupremi cẽrtaminis aleam ſubire ſtatuiſſent. Ad ea duces, quòd ita ex uſu ſaluteque civitatis, & ſua dignitate rebantur eſſe, de ſcripto his verbis dictatori, decurionibus, decemvirisque reſponderunt, ut eos iuſta militiæ ratione à temerario exitialique decreto deterrerent, utpote qui honeſta pactione, ut antea per Cencium Strabonem Aurantij ſenſus pertentaſſent, de deditione tranſigere, quàm rem ad periculoſiſsimum prælij diſcrimen deducere, multò ſatius atque ſalubrius eſſe iudicabant. Quum ſæpè aliàs accuratè deliberando, excelſi Reipub. præſides, de eruptione conſultaretis, ſemper nobis una atque eadem ſententia fuit, ut id periculoſæ aleæ diſcrimen tanquam funeſti exitus, libero ore deteſtaremur. Nam pro diſciplina cuncta bellicæ rationis momenta diligenter expendentes, facilè providebamus, nos iniquiſsima locorum & rerum omnium conditione cum hoſtibus pugnaturos: quandoquidem numero virium inferiores, uti præclarè liquet, & vos omnes facto ſæpius periculo perſpexiſtis, niſi temerè & cæco impetu hoſtem adoriri expugnareque non poſſumus, munitiſsimis ſcilicet & diſtinctis vallatum caſtris, æquitate loci fretum, & multo tormentorum apparatu inſtructum. Itaque nihil à priore ſententia diſcedimus. noſtri nanque muneris atque exiſtimationis eſt, ea afferre conſilia, quæ civitati tuta, atque ſalubria ſint: ea verò quę certum incommodum, & luctum, atque adeo ſummam calamitatem prænuncient, repudiare penitus atque damnare: nec mediocris ſubinde animis noſtris bellici decoris cura inſideat, ne ſi militiæ parum peritis, quod ſyncerè dictũ vos ęquo animo laturos ſcimus, temerè atq; indulgenter obtemperemus, nõ obſcuræ inſcitiæ, tumentisq; arrogãtiæ apud univer-

univerſas gentes damnemur, & ſuperos hoc tanto admiſſo piaculo graviter offendamus, inexpiabilemque ſubeamus invidiam, ſi malè ſano præcipitique noſtro conſilio, patriam veſtram omnium florentiſsimam, & quod ad Italiæ publicum decus attinet, avaritiæ atque immanitati Hiſpanorum & Germanorũ occupandam atque delendam, teterrimo urbis Romæ exemplo obijciamus. Sed poſtquam à nobis nunc hoc unum poſtulatis, ut quæ erupturis via inter omnes maximè difficiles, tutior atque aptior videri poſsit, demonſtremus: Primum omnium ſcire vos oportet, caſtra hoſtium ita perductis & cõiunctis munitionibus eſſe permunita, ut nequaquã è montibus, ſicuti ſpeculando deprehendimus, aliunde inſtructa acie deſcẽdere liceat, quàm duabus omnino vijs, quarum altera eſt ſecundum Roſcianam villam, & ſubter Margaritę Monticię templum, qua ad ipſa Aurantij caſtra pervadere poſſumus: altera relinquitur per vallem, quæ ad Gallum, ubi Hiſpanorum ſunt munitiones, perducit: nam utrinq; aggeres aliquanto longius quã alibi inter ſe diſtant, ut ſine detrimento ad ipſas uſq; munitiones perveniri poſſe appareat. Neque enim è Fridiana porta conſervatis ordinibus erumpere licet, quòd evadentibus tormenta hoſtium Olivetano in podio conſtituta & certius collibrata immineant, quæ ſingulare incommodũ afferre poſſe facilè demonſtrant, ſic ut Germanos etiam è ſuis Pulveroſę caſtris, cognito noſtrorum egreſſu nihil moraturos credere par ſit, quin à tergo vehementer atque celeriter incumbant. Pari quopue ratione quo pacto Catelina porta tuto educi agmina poſſunt, non videmus, quum hoſtiũ munitiones adeo mœnib. ſint propinquæ, ut intra teli iactum portam diſpiciant, egredientesq; non maioribus modo tormentis, ſed ipſa ſclopettorum procella obruere facilè poſsint, prius quàm componi atq; inſtrui ordines queãt. Quòd ſi ſancti Georgij portam reſpiciamus, liquidò nihil inſanius & pernicioſius accidere poſſe iudicandum eſt, quàm ſi illac erumpere conemur: quandoquidem in conſpectu ſit Barducciæ caſæ propugnaculum, quod portę opponitur, multitudine tormentorum undiq; permunitum, quo vetari poteſt et egreſſus ipſe, & tota adimi inſtruendæ aciei facultas. Barduccio quoq; coniuncti ſunt perpetui aggeres, qui directa ſerie totius protractę munitionis ad Giramontẽ uſq; pertinẽt, & uſq; adeo urbi proximi ſint, ut aliunde q̃ duobus ijs, quæ diximus, itinerib. tentari eruptio nequeat. Cęterũ nos magnopere permovet, omnemq; audacioris conſilij rationem & ſpem perturbat, dubius & anceps qui proponitur expugnandæ munitionis eventus. Sed eſto quòd impigrè aggeres conſcendamus, atque ipſa hoſtium munitione victores potiamur, num idcirco ſperandum eſt, ut Germani atque Hiſpani ſibi deſint? nec ſe colligendi inſtruendiq; ſpatium habeant? ut diſperſos, & in expugnanda munitione feſſos, inordinatosque noſtros conferta acie nequaquam invaſuri credantur? An non Italicas cohortes, quę & in tergo & dextrorſum ſua minora ſeparatim habent caſtra, in tanto tumultu ceſſaturas, quin accurrant, putabimus? Et non rectè ſuſpicabimur Lodronianos Germanos è Pulveroſæ caſtris, & tirones quoq; Hiſpanos ſuperato Arno laborantibus ſuis occurſuros? Quòd ſi planioribus locis iuxta Arnum maiore circuitu, ut quibuſdam videri poteſt, ſit erumpendum, infelici certè audacia, atq; infauſto conſilio agmen noſtrum per patentia loca perducetur, quum univerſum hoſtium equitatũ veſtigijs extemplò inſequuturũ, & pedeſtres copias equeſtri nudatas præſidio perrupturum facilè ominari poſsimus, preterquam quòd aliquanto minore cohortium noſtrarum numero

Id iter ſit tentandum, quum neceſſariò relinquenda ſint firma præſidia in munitionibus, quæ ſunt ad ſancti Miniati, ſanctiq; Georgij colles, quę urbem tueri valeant, ſi fortè hoſtes animadverſo neglectoque longiore noſtrorum itinere, non abſurda occaſione adducti, commodeque invitati, montem invadant & occupent, atque inde urbem vacuam militari præſidio confeſtim adoriantur. Proinde penſitatis utrinque viribus rerumque periculis in hoc decretum deſcendimus, ut nos confirmare non pudeat hoſtes undique numero, viribus, æquitate loci, apparatuque rerum omnium eſſe ſuperiores, melioreque ideo quàm nos Fortuna, uti facto ſæpius periculo, omnino pugnaturos. Nihilo ſecius tamen profitemur, ſi imperabitis nullum vel ſalutis vel exiſtimationis noſtræ deſcrimen reformidaturos, modò ea quæ dictator in rem opportuna ſæpius promiſit, egregiè præſtet, oſtendemusque proculdubio, neque fidem neque induſtriam, neque, ſi dicere fas ſit, virtutem probis dignam ducibus nobis erga vos omnino defuiſſe. Hæc tradita decurionibus, & per omnes ordines lectitata, quanquam iniquis auribus atque animis acciperentur, aliquos tamē de ſalute publica maximè ſolicitos impulerunt, ut in tanta negotij difficultate ſententias à præfectorum primoribus ſeparatim exquirendas cenſerent, vel ob id quòd Malateſta & Stephanus de ſcripto ſignificarant, ſe omnes cohortiū præfectos pridie advocaſſe, propoſitoque pugnæ conſilio, & qua nam parte quòve itinere, ſi ineundi pręlij opinio probaretur, erumpendum foret affirmarāt, eam eſſe omnium ſententiam, niſi iniquiſsima conditione prælio certari non poſſe, ſicut civitatem maximè evidenti ſupremæ calamitatis periculo obijci conſtaret. Itaque quum ab aliquibus probatæ virtutis & fidei præfectis ſigillatim ſententiæ exquirerentur, neminem ferè reperiebant, qui tantæ rei difficultates audacioribus elevaret verbis, aut ullam omnino proſperè edendi prælij ſpem promitteret: quanquam ad unum omnes ſe dicto atque imperio obtemperaturos, & fortem navaturos operam pollicerentur. Sed únus ante alios ætatis honore, & longo militię uſu facilè ſuperior Paſquinus Corſus, qui ſub Ioanne Medice ſpectata cum laude ordines ductarat, quanquam inculta facundia non inepta tamen uſque adeo liberè commemoratis difficultatibus atque periculis diſſeruiſſe viſus eſt, ut nihil ſtultius atq; damnoſius fore teſtaretur, quàm ſi eruptione pugnādum ſtatuerent, proptereaque infenſis torvisq; oculis eum populares intuerentur, & nonnulli comprehendendum, atque extemplò capite puniendum dicerent. Quo rumore ad eius aures perlato Paſquinus poſtea curiæ limine abſtinuit, nec niſi ſuorum cohortibus ſtipatus in area verſari auſus eſt. Neque propterea magiſtratus quin obſtinatè in ſententia perſiſterent, perſuaderi ullo modo poterant: nam identidem ſingulis diebus ab utroque duce flagitabant, ut omnino ad erumpendum corpora atque animos & neceſſaria arma compararent. Quibus importunis expoſtulationibus duces ita & de ſcripto ſemper reſpondebant, ut magnopere ea conſilia deteſtarentur, quando manifeſtum totius belli, ſummæque rei diſcrimen agnoſcerent, ideoque pacis atque concordiæ æquas rationes præferrent, ac obiter poſtquam de conditione loqui cœpiſſent, poſtulabant, ut ſibi ad Aurantium duos legatos mittere liceret, quorum fideli induſtria eius introſpici explorarique ſenſus omnes, atq; referri certius poſſent, quoniam de eius voluntate poſtulatiſque, diverſa ab his quæ magiſtratus dicerent, audiebantur, nec ea quidē de cauſa, ut ipſis tractandæ compoſitionis negotium eriperent, & ſibi uſurparent, quod publici magi-

ſtratus

ſtratus muneris eſſe faterentur, ſed ut exploratius quæ tractarentur, agnoſcerent, ſibique, uti deceret atque æquum eſſet, tempeſtivè caverent. Id verò præclarè confirmabant, ſi ſuprrbus hoſtis honeſtas pacis conditiones repudiaret, & libertatis nomen revellere, potirique ad arbitrium deditâ civitate contenderet, aut ſi populus ab omni concordiæ mentione averſus foret, pugnandumq; decerneret, ipſos non recuſaturos vel certiſsimæ mortis periculum, quin donec vita ſuppeteret, pro ſalute dignitateque urbis decertarent, quando ſe nuſquam aut nobilius aut honeſtius vitam morte commutaturos arbitrarentur. Sed id unum præcipuè ab æquitate ſummi magiſtratus poſtulare, ut advocato maiore populi conſilio, ipſis concionandi libera facultas daretur, ſcilicet ut propoſitis inſtantium diſcriminum difficultatibus, an eadem omnium foret, quæ tum decurionum eſſet, repudiandæ concordiæ atque appetendi prælij voluntas, numeratis ſuffragijs explorarent. Quòd ſi ex mora & prolixa cunctatione temporis beneficio frui poſſe confiderent, ſubindeque remedium certũ afflictis rebus alicunde afferri poſſe ſperarent, ſibi magnoperè opportunum & planè neceſſarium videri, urbem multitudine imbellium exoneraſſe, quo inopia levaretur, quum iam fames urgeret. Ipſos etenim certis præſidijs eam turbã in tuta loca mœnibus feliciter educturos, deceptis ſcilicet, aut ſi ita caſus ferret, ſtrenuè repulſis hoſtibus. Tum verò ſe daturos operam, ut milites æquiſsimis animis obſoniorum omnium, viniq; inopiam ferrent, modò illis præſenti pecunia ad diem ſtipendia ſolverentur: & quando cuncta alia eos alimenta deficerent, pane etiam cibario atque furfuraceo contentos fore. Interim dum ſenatus his graviſsimis diſſentientium ducum reſponſis ſeverisque obteſtationib. angeretur, ferè uno tempore in curiam certius allatum eſt, Aurantium poſtridie Cal. Auguſti cum delecta parte exercitus è caſtris ad opprimẽdum Ferruccium contendiſſe, poſteroque die eo eventu conflixiſſe ad Gabinianum, ut ipſe in primo congreſſu caderet, & eius equites terrore concepto in fugam verterẽtur. Sed mox tanta vi à reliquis ducibus inſtauratam fuiſſe pugnam, ut Ferruccianæ copiæ ipſarum duce interfecto, & Paulo Cerite capto, amiſsis vexillis funditus delerentur, nec iam ulla ſpes reparandi exercitus difficultatibus ſupereſſet. Quo atroci nuncio, quanquam in univerſum civitas admonebatur, ut ad deditionis tractandæ conditiones tempeſtivè decurreret, nihil tamen principes popularis factionis qui erant in magiſtratibus tanto communi periculo permovebantur, ſed magis ac magis duces urgebant, ita ut ab his in ipſum committendæ pugnæ decretum præſentem operam exigerent, qua eorum virtutis ſimul & fidei in extremo Reipub. diſcrimine periculum facturi eſſent. Erat is pervicacium animorum habitus uſque adeo ſtabilis & confirmatus, ut Malateſta magnoperè miraretur, cur Florentini præſides nihil omnino de priore ſententiarum ferocia remitterent, quandoquidem res adverſæ aliàs comminuere vel inſolentium ſpiritus ſolerent, ipſis autem adaucto periculo mirum in modum augerentur, ſicut hæc non ab inuſitata animorum fortitudine, ſed à violenta quadam rabie, deſperationeque rerum proficiſci prædicaret. His de cauſis fiebat ut nonnulli ex primoribus popularium eam Malateſtæ oris libertatem, & obſequendi contumaciam tanquam dubiæ fidei implicitam apertè calumniarentur, adnecterentque non ideo illum, qui natura pugnacis eſſet ingenij, reformidare prælij eventum, quòd hoſtium vires inſuperabiles putaret, nec quòd urbanas res æquo impenſius propter annonæ inopiam afflictas arbitraretur, re-

PP

pugnare magiſtratuum voluntati, officioq; ſuo deeſſe, ſed eum prorſus Clementis promisſis atq; muneribus corruptum militiæ ſacramentum negligere, ob idq; ſe dicto atq; imperio audientem minimè fore ſtatuiſſe. Nec defuit ferroculus notus ſenator Andreolus Nicolinus, è decurionum numero, qui diceret, Malateſtam quum veniret in curiam comprehendendū eſſe, atq; extēplò Pauli Vitellij exemplo capite mulctandum. Quā atrocisſimi de ſe iudicij cogitationem Malateſta facilè ſubodoratus, vſq; adeo grauiter tulit, vt quū inermis, & paucis à pedibus ſeruis humili vectus mula, quod eſſet tenuisſima valetudine, ad decuriones conſultandi cauſa aſcendere conſueſſet, vir æq; ferox & ſuſpicax, numeroſo ſatellitum comitatu ſeptus, eo diè ad ſenatum accederet, ita diſpoſitis in limine atq; atrio curiæ ſcaliſq;, & ſuperiorum conclauium ſingulis foribus, armatorū præſidijs, vt aduerſus omnē inteſtinam vim quæ inferri poſſet munitisſime ſe confirmaret, & libero ore in conſeſſu quereretur fidem ſuam in dubium à quibusdam contumilioſè reuocari, deſpiciq; ſua conſilia, quæ de compoſitione protuliſſet, ſtudio quidem propenſisſimo conſeruandæ ciuitatis, poſtquàm ipſis cuncta omnino aduerſa, hoſtibus autē, ſi tot irritos conatus enumerarent, proſpera atque felicia proueniſſent. Propterea ſe ſuperos orare, vt eam mentē ſenatui darent, vnde ipſorum conſilia complecterentur, quæ Reipub. ſalutaria forent, poſtquàm eò eſſet deuentum, vt minimè prolixa deliberatione opus eſſe iudicarent. Decuriones ad ea mitisſimis verbis reſponderunt, diluerruntq; adeo appoſitè totā eam ſuſpicionem, vt ipſi & Stephano binos legatos ad Ferdinandum Gonzagam mittendi facultatem concederent, (ad eum ſiquidem mortuo Aurantio militari conſenſu ſumma imperij authoritatis reciderat) quibus de compoſitione loqui referriq; liceret. Tum verò Malateſta diſceſſit, & re cum Stephano communicata, legati confeſtim ad caſtra hoſtium miſsi ſunt. Sequenti die dictator cum decurionibus atq; decemuiris legatos audijt, qui eam eſſe mentem Cæſaris à Ferdinando referebant, vt incolumis libertas ciuitati ſeruaretur, & his quidem conditionibus, quæ neq; immodicæ, neque ab vlla parte omnino ſpernendæ videri poſſent. Sed adeo maleſana erat popularium voluntas, vt nihil ſibi ex condicionibus detrahi vellent, quibus futurum intelligabant, vt reductis Mediceis atque patritijs, popularis ſtatus forma mutaretur, vnde ipſos qui tum publica munia in lucro haberent, magna ex parte excludi apparebat. Nam plerique non ad decus Reip. ſed ad priuatum quæſtum magiſtratuum honores reuocabant, quibus mediocres & nonnulli ex fece populi homines ditari conſueuiſſent; poſtquàm nobilitas perculſa popularium metu in exilium abijſſet. Itaq; non multum inter ſe conſultantes propoſitæ concordiæ condiciones ſuperbi repudiarunt, & ad priſtinum experiundæ prælij Fortunæ decretum redierunt, tanta obſtinati animi perſeuerantia, vt Malateſtæ eam eſſe ſenatus vltimam voluntatem ſignificarent, ipſorum ducum conſilijs vti nolle, ſed ab his tantum fortem fidelemque militiæ operam requirere. His acceptis mandatis duces vſque adeo intempeſtiuā atq; execrabilē decurionum, dictatoriſque præſertim pertinaciam ſtomachati, quòd ipſorum vel certisſimæ rationis conſilia nihil valerent, atq; improbè deſpicerentur ab his qui militiæ imperiti corruere, & ſecum in eandem ruinam extremæ calamitatis patriam cæca libidine trahere mallent, quàm neceſſario non iniquæ pactionis remedio ſeſe ſuaq; omnia cōfirmare, his verbis per Cenciū Strabonem deſcripto reſponderunt. Poſtquàm vobis excelſi Reipub. præſides immota ma-

nes

net mens, ea penitus aſpernari cōſilia, quæ toties opportuna periculo quo premimur ſyncerè ſtudioſeque protulimus, nunc tandem arbitrati ſumus ſicuti viros militares, & non obſcura præditos dignitate decet, oportetque, cunctas ſcilicet militiæ rationes ad bellicum decus revocantes (id enim unum ipſa vita carius eſſe debet) nobis maturè conſulendum, ne vobiſcum ſi impio veſtro imperio parendum putemus, in idem exitium cum inexpiabili exiſtimationis noſtræ infamia perducamur, quandoquidem nihil turpius atque ignominioſius nobis accidere poſsit, quàm ſi huic urbi, quam undecimum iam menſem impigrè defendimus, volumusq; non modò incolumem, ſed ſalvis etiam, quòd maximè optatis, liberæ civitatis legibus florentem, horribile ſupremi excidij periculum ab inſana inauſpicatæ pugnæ cupiditate procreemus. Proinde certum eſt intereſſe nolle, neque nos duces præbere huic perverſæ, ideoq; exitiabili funeſtæque eruptioni. Illud autem ut hoc conſilij ſuſciperemus vehementer impulit, quòd univerſæ civitatis iudicium ſequi iuſtum honeſtumque ſit, quum multo maximæ partis civium voluntates ad deditionem proclinatas intelligamus, & idcirco civibus maius conſilium uti popoſcimus, denegatum fuiſſe ſuſpicemur, quo non dubiè adverſis ſuffragijs pertinacia veſtra frangeretur. Hęc ſcripta quum à decurionibus legerentur, Cencius militari libertate inſolentes quoſdam ſermones, quibus magiſtratuum offendebantur animi, ita ſerere cœpit, ut ex tranſverſo decurionum obtutu non obſcurus omnino metus ei incuteretur. Itaque vim apparitorum veritus ille celeriter ſe explicuit, ſcalaſq; magnis paſsibus deſcendit. Quum ea ducum reſponſa verbaq; Strabonis aliena prorſus ab eorum mentibus & planè contumelioſa viderentur, Decemviri cū decurionibus dictatoreq; in unum coeuntes, utpote qui elati atque ſeveri adverſa vel acerba audire nunquā antea didiciſſent, raptim Malateſtam ipſo honore militaris imperij abdicandum cenſuerunt, ſolenniq; diplomate cum ſumma verborum lenitate perſcripto, quo ſe dimitti perſpiceret, ad eum extemplò duos ſenatores, qui ea in re magiſtratuum decreta certius referrēt, miſerunt. Hi fuere Andreas Nicolinus, legatione dum Bononiæ eſſet apud Pontificem functus, & Franciſcus Zattus, ambo populares, averſique penitus à concordię ſtudio ſaluteque civitatis. Habitabat eo tempore Maleſta trans Arnum Binianis in ædibus Catelinæ portæ propinquis, expectabatq; ut magiſtratuum miteſcerent animi, & ad meliora conſilia verterentur. Proinde admiſsis legatis, atque his mandata quæ habebant referentibus, uſque adeo vehementer conturbatus iracundiaq; correptus eſt, ut Nicolinū diſtricto pugione repetitis ictibus, ſed dextra tñ debili vulneraret, quòd arrogantius quàm deceret proloquutus videretur, vixq; illum aſtantes milites ut legatis parceret obnixè deprecantes, lenita ducis iracundia morti ſubtraherent, ipſe verò Zattus graviſsimo metu perfunderetur. Eius à Malateſta editi facinoris perinde atrocis atq; ſuperbi fama celerrimè pervaſit in curiam, & inconditum tota urbe tumultum ita excitavit, ut eodem propè momento temporis cum cives ipſi, tum milites ad arma decurrerent, & tota area ſingularum tribuum vexillis compleretur. Hic armorum ſtrepitus ad id Malateſtam impulit, ut occupandæ Catelinæ portæ conſilium caperet, & Marguttem Peruſinæ cohortis præfectum eò convolare iuberet, à quo fores refringerentur, & tormenta quæ in propugnaculo erant in hoſtes obverſa, ad terrorem atque perniciem civium, ſi quid hoſtile auderent, illico converterentur. Tum verò dictator è feneſtra armatas tribus proſpectans, &

ſubita exardens iracundia, quòd Malateſta perfidioſe atq; inſolenter legatos violaſſet, tanta animi perturbatione caſum eſt indignatus, vt ſibi omnino in hoſtes, armato conſequente populo erumpendum, ideoq; honeſtè cadendum eſſe ſtatueret, ſibiq; inſtratum equũ dictatorijs operimentis exornatum adduci iuberet; iamq; deſumptæ loricæ dictatoriç poteſtatis paludamentũ, quod paulo ante in hos vſus confici curarat, ſuperindueret, & ſingularis amentiæ quodã furore percitus, ſpumantib. labris & dentibus infrendẽs deſcendere pararet; ſic vt eum pleriq; ex populari factione, qui deſperata venia plurimũ de ſalute dubitabant, ſi aduerſarijs ſuccubuiſſent, dictatorẽ laudando, quatiendoq; arma, magnopere concitarent. Eoq; die profectò lugubre ciuitatis ſpectaculum Raphael furibundo ſimilis edidiſſet, niſi cõſtantiſſimi probiq; animi vetuſtiſſimę familiæ ciuis Cecottus Toſinghus efferveſcentis animi motum in dictatore graui dehortatione mitigaſſet. Is enim propius accedens, patere, inquit, dictator, vt voce liberi ciuis vtar, & te non importunè tui muneris, tuæq; dignitatis, & publicæ omnium ſalutis admoneam. Nihil enim incommodius & peſtilentius in magnis conſilijs præcipiti iracundia eſſe poteſt. Proinde compeſcenda eſt hæc tua ardentis animi vis impotens; eaq; omnis ad rationem ſalubreque conſilium omnino conuertenda videtur; ne cuncti, ſi eodem impetu cum externo atque inteſtino hoſte pro dignitate tui imperij dimicaturum ſubſequamur, vel non inulti miſerrimè tamen barbarico gladio pereamus. Nam eſto quòd duces ad ſanitatem redeant, & milites dicto audientes eſſe velint; non video tamen qua via nobis ſit erumpendum, niſi mœnia demoliamur, vt egreſſuris latus aditus paretur. Neque enim quatuor horarum ſpatio tot armatæ cohortes Catelina porta educi poſſe conſtat; ſic ut ſi ſenſim educantur, non antè inſtrui queant, quàm hoſtilium tormentorum non dubia atq; ineuitabili procella conſternantur. Hos Toſinghi ſermones nequaquam conuicioſè prolatos, ita nonnulli alij æquè prudentes exceperunt, quòd Thoſinghus magni in re militari vſus haberetur: nam ab adoleſcentia Piſano bello præclara cum laude ordines duxerat; vt in dictatore impetus omnis conceptæ iracundiæ deferueret, et ſeſe reprehendi ciuili modeſtia pateretur, omneſq; propè qui aderant, vt ex vultu ſingulorum agnoſci poterat, petendam pacem potius quàm experiunda arma iudicarent. Accedit autẽ vt eadem hora trans Arnum magna multitudo ciuium in aream templi Sanctiſpiritus conueniret, & Malateſtę cauſam, factiq; ipſius nomen, quanquam violato ciue non magnopere improbaret, deteſtareturq; palam magiſtratuum acerbitatem, qui vel honeſtas cõcordiæ conditiones abnuerent. Decuriones autem offenſi iracundia, atq; alienatione Malateſtæ, ne Rempublicam in ſummum diſcrimen adducerent, diſſimulata iniuria Nicolini, Zanobium Bartholinum, quem tanquàm amiciſſimum Malateſtæ maximè idoneum iudicabant, ad eum inter duos ſupremi magiſtratus viatores miſerunt, vt molliendo exorandoq; operam daret, ne ex eius perturbatione reſpublica detrimentum pateretur. Is facilè placato Malateſta, vti optimus ciuis, & publicæ ſalutis amantiſſimus rogauit etiam eum priuato nomine, vt in negotio impetrandę concordiæ ſicuti cœperat ſatagere vellet, quando iniquiſſimum eſſet atq; miſerrimum vniuerſam ciuitatem extremæ labis calamitatem ſubire, ſi paucis perditæ obſtinationis, deſperatiſq; hominibus aſſentiretur, qui improbi atq; impij ſui exitus famã ab excidio deletę patrię quęrere properarent. Excuſauit Malateſta paucis verbis iuſtæ iracundiæ ſuæ impetum,

quem

quem in Nicolinum effuderat, Cenciumque Strabonem paulo poſt in caſtra ad hoſtes miſit. Is Ferdinandum aliquanto molliorem reperit, quod cum Valorius de ſalute patrię ſolicitus, magnis precibus Pontificis nomine diligenter, atque vehementer obſecraſſet, ut de concordia tranſigere maturaret, ne paucorum pertinacia, & ſua cunctatione urbs nobiliſsima in periculum ſupremi caſus devocaretur. Iam enim excitati in urbe tumultus fama ſtrepitusque in caſtra pervenerat, exindeque alacres fiebant milites, qui opulentiſsimam urbem prædæ ſuæ deſtinaſſent. Nec multo poſt magiſtratuum pervicacia meliorum impulſu, atque ipſa prorſus neceſsitate ſuperata, ex ſenatuſconſulto quatuor legati ad Ferdinandum decreti miſsique ſunt. Hi fuere Bardus Altovitus, Laurentius Strozza, Petrus Franciſcus Portinarius, & Iacobus Morellius, qui apud Ferdinandum atque Valorium ſummæ Cæſaris atque Pontificis authoritatis nomen præferentes, his conditionibus de compoſitione pepigerunt.

Ante omnia conſtituendæ atque ordinandæ Reipub. facultas arbitrio Cęſaris permittitor, ſic tamen ut incolumi libertate Florentini ſuis antiqui iuris legib. utantur. Civitas mulctæ nomine octoginta aureorum nummûm milia, ut ſtipendia militib. præberi poſsint, quadraginta in præſens, reliqua intra ſex menſes perſoluito: de promiſſa verò pecunia obſidibus caveto: & quos imperet Ferdinandus numero quinquaginta cives nominatim traduntor, qui in caſtris cuſtodiantur, donec pecunia repræſentetur. Florentini his urbibus & oppidis atque arcibus, quas præſidijs obtineant, confeſtim excedunto: & quos in carceribus Florentiæ, Volaterris, & Piſis cuſtodirēt extemplò dimittantor: Malateſta & Stephanus militię ſacramentū, quod antea populo Florentino dixerint, ſolenni renunciatione facta ſtatim eiuranto, obligataq; fide Balanzoni Belgæ Cæſaris cubiculario promittunto, ſe tam diu in cuſtodia urbis cum his copijs quas ſatis eſſe putaverint, permanſuros, donec concordiæ conditionibus planè ſit ſatisfactum, alimentaque civitati omnis generis commeatus à Cęſarianis interea prębentor. Ipſius verò Malateſtæ officij atque muneris ſit, tam diu quā Cæſarianæ copiæ dimittantur, Florentiæ permanere, atque ipſe demum urbe excedito, quum id facere Pontificis imperio iubebitur. Cunctis autem Florentini nominis civibus, libera migrandi Romam facultas eſto, et quibuſcunq; locis placeret, domicilium figere, habitareque impunè poteſtas conceditor: cunctique vel Etruſcæ vel cuiuſvis gentis milites, qui Florentinorum ſtipendia feciſſent, & propterea vel exilio, vel pecunia et bonis à Pontifice mulctati eſſent, ea noxa pœnaque liberantor. Mediceorum animis acceptæ offenſiones, iniuriæque ſyncera fide deterguntor. Hæc verò perſcripta tractataque ſunt in caſtris ad Monticiam villam quarto Idus Auguſti, anno à partu Virginis trigeſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum, ea lege ut Ferdinandus Gonzaga, & Baucius Valorius prolixè pollicerentur, ſe intra ſpatium duorum menſium curaturos, ut Carolus Cæſar & Clemens Pontifex cuncta ex formula æquiſsimi iuris comprobarent. Per hunc modum compoſitis reb. milites utrinque commeare cœperunt, introijtque urbem ipſe Valorius magna frequentia gratulationeque populi ſuſceptus, dimiſsique ſunt omnes qui erant in cuſtodijs, & traditi obſides, quos Valorius iudicio ſuo nominatim eligendos perſcripſerat, ex eorum numero qui Mediceo nomini inimiciſsimi fuiſſe dicerentur. Sed hi non multo poſt perſoluta pecunia, uti fuerat conſtitum, in urbē redierunt. primi autem omnium Germani veteres, quos Aurantius adduxerat,

acceptis ſtipendijs miſſionem impetrarunt. Secundum eos Hiſpani, vltimo loco Itali. Cæterum vix dum compoſitis rebus Florentini longe grauiſſimum ſalutis ſuæ diſcrimen è ſeditione militari ſubierunt. Fortè accidit vt ex Pyrrhi cohortibus, duo noti nominis milites apud Hiſpanorũ præſidia in rem ſuam euntes, quod ditiore cultu eſſent, non ſimultatis ſed latrocinij cauſa interficerẽtur, atq; eorum cadauera, vti poſtea ab exuvijs cognitum eſt, ad occultandum facinus in puteùm deijcerentur. Qua crudeli iniuria offenſus Pyrrhus, pares inſidias idoneo in loco tendens, bis totidẽ deprehenſos, quos patratæ cædis conſcios putarat, occiderat. exinde creuere odia & vtrinq; accenſis ad vindictã animis, captis repẽte armis cõcurſum eſt tãta vi, vt tumultuario prælio certaretur, dirimereturq; tamen authoritate atq; interceſſione ducũ; ſed nondum pacatis Hiſpanis: qui demum confirmatis viribus eo animorum impetu Italos quoſq; depoſitis armis, nihilq; tale expectantes adorti ſunt, vt multos interficerent. Tum verò Martij Columnæ, Caſtalijq; & nonnullæ ex Roſcianis cohortes ſeſe in vnũ conglobarunt, & cum irruentibus Hiſpanis vehemẽtiſſimè conflixerunt, quo Italici nominis decus aduerſus Hiſpanos, qui ſuperiorib. annis hiſdẽ de cauſis ſeditiones miſcuiſſent, defendendũ putarent; promittentibus præſertim Germanis neutris opẽ laturos. Verũ quũ tirones Hiſpani, qui erant trãs Arnum non longe à Lodronianis caſtris, cognito ſuorum periculo, inſtructa acie vt veteranis eſſent auxilio ſuperueniſſent, ſubindeq; Italis creuiſſent præſidia, atrox certamẽ contractum eſt, eoq; Hiſpani iam perducti erant, vt non dubiam cladem accepturi crederentur; niſi Ferdinandus in eo valde aſpero exitiabiliq; tumultu, quòd nihil deprecando deterrendoq; authoritate valuerat, Tamiſiũ monuiſſet, vt Germanorum phalangem promoueret, Hiſpaniſq; ſe applicaret; quòd Itali propter vetera in externos odia, deletis ſemel Hiſpanis, nequaqam ipſis Germanis parſuri crederentur; ob idq; præſertim quòd euulgatum eſſet, Malateſtã ex condicto, vt Italiam excuſſo penitus externæ gentis iugo ſeruitute liberaret, vrbe copias ſuas educturum. Eo inexpectato promotæ phalangis aſpectu Italicæ cohortes cõmotæ, ſeſe recipere cœperunt, tanquam impares, & inſolenter prementibus Hiſpanis terga vertere coactæ ſunt, tanta perturbatione, vt ſuis caſtris atque tentorijs pellerentur, & dum Hiſpani direptione tabernaculorum occupati eſſent; neq; Sabellus è Roſciana villa ſe commoueret, vt pulſis opem ferret; Arnum tranſierunt, quum iam trina Malateſtæ vexilla conſpicerentur; atque eo modo exutæ impedimentis ſub Feſulanis collibus diſperſim per villas conſederunt. In eo tumultu ferunt amplius trecentos vtrinq; fuiſſe deſideratos, ſauciatos autem bis totidem, ſed Italicas cohortes maius accepiſſe incommodum, quòd rerum ſuarum iacturam feciſſent. Hiſdem diebus Maramaldus, & Vitellius, atq; item Zuccerus, cum maiore parte equitum leuis armaturæ, in Piſanũ agrum à Ferruciana victoria deſcenderunt, poſitiſq; binis caſtris in vtraq; ſuperiore Arni ripa, & impetratis à Lucenſibus muralibus tormentis, vrbem intercepto multo pecore obſidere cœperunt. Quum verò Vitelliani vſque ad ſancti Marci portam excurrerent, Michael è Montopoli, quem Pyrrho ſingulare detrimentum intuliſſe diximus, contineri non potuit, quin adaperta porta proſiliret, & cum hoſtibus leue certamen contraheret, quo ipſe audacius pugnãs occubuit. Nec multo poſt Odoardo Giachinotto prætori, a Florẽtinis initæ concordiæ cũ teſſera nuncius eſt miſſus, á quo Aloyſius Guicciardinus in eius locũ ſucceſſurus, ſtatim eſt

intro-

introductus, cui Piſani extemplò ſacramentum dixere. Ipſe verò Odoárdus traditis iam arcibus non multo poſt à Guicciardino comprehenſus eſt, diùq; tortus, quòd paulo antè Piſis Iacobo Corſio eiusque filio Florentinis civibus ſumma crudelitate ex leviſsima ſuſpicione cervices abſcidiſſet, pari ſupplicio affectus eſt. Maramaldus autem atq; Vitellius Piſano agro excedentes, hic per Elſæ vallis pagos ad Florentinum caſtellum, ille verò per Nevolæ vallis vicos ad Montecatinũ oppidum conceſſerunt, donec perſoluto militi ſtipendio cohortes dimitterentur. Recepta patria, & è ſententia compoſitis Etruriæ rebus, Clemens uſque adeo incredibili lætitia affectus eſt, ut eam totum id conmitiale gaudium, quo Pontifex fuerat renunciatus, ſuperaſſe fateretur, diceretq; urbem aliàs de religione benemeritam, accuratis ſanctiſsimarũ virginum, piorumque hominum precibus, incolumem proculdubio fuiſſe conſervatã, quando Dij ſuperi imminentem cladem præclara miſeratione depuliſſent. Eo autẽ impenſius exhilarari videbatur, quòd Aurantius cuius ingenti merito nequaquam facilè ſatisfacere poſſe iudicaret, in ipſo victoriæ limine cecidiſſet. Is nanque non obſcura fama ferebatur Caterinam, ipſius Pontificis neptem, ſuis deſtinaſſe nuptijs, ut ex ea Mediceę domus legitima hæreditate in Etruria dominatum conderet, inflante eum ad id quorundam præfectorũ turba, qui ab Aurantij potius liberali comitate, quã à præduro parumque munifico Pontifice ampliſsima præmia ſe laturos ſperabant. Iam enim Franciſco Ruſcio quodam Aretino impellẽte urbem Aretium ditionis ſuæ facere cogitarat, Aretinorum ſtudio non abſurdè comparato, quum arcem eorum à Florentinis ędificatam, gemente Valorio funditùs evertiſſet. Cæterùm Pontifex, quod ſuæ exiſtimationis pietatisque fore exiſtimabat, tueri nomen quod ſibi deſumpſerat, moderata utens ultione, paucisſimorũ pœna cõtentus fuit. Duodecimviratum creari iuſsit, cuius magiſtratus authoritate civitatis ſtatus regeretur. Is conſtabat ex lectiſsimis civibus, qui omnibus temporib. Mediceo nomini mirificè ſtuduiſſent, & tum antè alios uſu rerum, civilique prudentia laudem ferebant. In his fuit princeps ipſe Baucius Valorius, in quem Pontifex omnem arcani conſilij ſummam contulerat, & ſecundum eum Zanobius Bartholinus, Matthæuſque Nicolinus, & Armannoctius Detus, ambo iurecconſulti, Aloyſius item Stufa equeſtris dignitatis, Antonius Gualterottus, Andreas Minerbettus, Leonardus Ridulfus, Philippus Machiavellus, Octavianus Medices, & ipſe quoque Raphael Hieronymus dudum dictator, & adverſarum partium princeps: poſtremo autem loco Nicolaus Troſcia popularis ordinis. Ab his creati ſunt novi decuriones, & reliqui ex priore formula magiſtratus, Raphaelque ipſe Duodecimvirali honore contentus, abdicarat ſe dictatura, ſuffectusq; fuerat in eius locum Ioannes Corſius optimis inſtructus literis, & Mediceę familiæ multis nominibus addictus. Exinde creati ſunt Octoviri, qui vitæ & necis traditam à decurionibus habent poteſtatẽ. Ab his aliquanto poſt in curia comprehẽſi, reique facti maieſtatis, capitali ſupplicio damnati ſunt Baptiſta Ceus, & Aloyſius Soderinus, & ſecundum hos aliquot poſt dies Bernardus Caſtellioneus, Iacobus Gerardus & Franciſcus ipſe Carduccius, qui acerbiſsimus popularium partium fuerat dictator. Hi pro multis debitas perverſis ipſorum moribus pœnas dederunt, privatis quidẽ criminum nominibus in quæſtione cõvicti. Non enim eo nomine damnabãtur quòd Mediceo nomini infenſiſsimi hoſtes fuiſſent, & pertinaciſsimè pro tuenda libertate propugnaſſent, id

ſiquidem non honeſtum modò, ſed valde etiam decorum putabatur libertatis nomen conſtantiſsimè defendiſſe, quanquam id eſſet inane imperitis ſcilicet & ſævis civibus, principatum impotẽtem tyrannidiq; proximum ſævißimè exercentibus. Ceus ante alios acerbæ malignitatis civis, uti è ſingulorũ confeſsione tormentis per Octoviros expreſſa, deſcriptaq; publicis in tabulis rerũ capitalium ad memoriam eius legitimi iudicij ſempiternam conſtat, perpetuo ſuæ ſententię tenore concordiam deteſtatus, ſupremum ineundæ pugnæ conſilium tanquam ſalubre vehementer extollebat, uſq; adeo aſsiduus ut Malateſtam, quod dicto audiens non eſſet, neq; antea ad pulveroſam Stephano Germanorum caſtra invadenti maturam opem tuliſſet, capite plectendum apud Decemviros decurioneſq; cenſuiſſet. Neptem porro Pontificis novennẽ puellam, quæ clauſtris Veſtalium virginum ſervaretur, in ipſa muri corona inter duas pinnas collocandam obijciendamq; hoſtium tormẽtis ſuaſiſſet, atq; item ut Mediceorũ domus urbis ornamentum decreto publico excinderetur, quòd ut certius à ſenatu impetrari poſſet, ſæpius ac ſæpius cum Foiano egit, ut inter ſacras conciones in eam ſententiam populũ perducere conaretur. Soderinus autem ex legatione Bononienſi impudenti mendacio retulerat, infirmiſsimas eſſe Cæſaris vires, atq; adeo exhauſtum Pontificis ærarium, ut non diu ali, contineriq; exercitus eorum poſſe periti rerum homines exiſtimarent, conſternatos eſſe Germanos, nec procul abeſſe à ſeditione fruſtra utiq; expectatis ſtipendijs: Hiſpanos autem ducibus nequaquam parentes rapto vivere, divagariq; per Etruriam manipulatim. Quibus falſis evulgatis rumoribus populum ab omni concordiæ conſilio deterreri, retardariq; poſſe ſperaviſſet, proptereaq; Foianum cucullatum acerbiſsimas in templis habentem conciones, ut eadem populo nunciaret, hortatus fuiſſet. Bernardus Caſtellioneus inſanæ propè truculentię, uti efferato ingenio vir, quum antea Aurantio bellariorum dona detuliſſet, Vaſtio cohortanti, ut Pontifici aliàs optimo civi, nec nominis ſui clementiæ defuturo, patriam cõcedendam curaret, ſuperbè reſponderat, ſublata atq; oſtentata argentea pelvi quam habebat in manibus exclamans, non alio modo Florentinos, quã in cineres redactam patriam ea pelvi reddituros. Dixerat quoq; ſępius in adverſarũ partium cives invectus, ſi hi unam tantũ haberent cervicẽ, ſe illam cupidiſsimè uno dextræ ſuæ ictu, diſtricta latiore ſica detruncaturum. Confeſſus etiam eſt ſe perpetuis ſentẽtijs in patritium ordinem, ipſosq; Mediceos tanquã tyrannos inimiciſsimè fuiſſe proloquutum, adeo ut neptem Põtificis nunquam reddendã eſſe, ſed quum adoleſceret, contrudendam in Marmarucos fornices, ubi tum fœdiſsimũ erat lupanar, inverecundè cenſuiſſet, ſemperq; in ſenatu à ſententia quęrendæ cõcordiæ procul abfuiſſet, incitaſſetq; iuventutem per Dantem fratris filiũ, notę ferociæ apud turbidos ducem, ut nullã aliam quàm in armis, internecioneq; inimicorũ, ſalutis ſpem eſſe putarẽt, & obiter in adverſam factionem effuſè graſſarẽtur. Hæc tamen diræ vel maleſanę voluntatis crimina nequaquã ab ipſo reo cõfeſſa, ſed ab inimicis malignè affixa, impoſitaq; fuiſſe pleriq; crediderunt, ſcilicet ut inviſus, effuſeq; terribilis, & indomiti animi ſenex è Repub. tolleretur. Gerardus autem quod ſemper malediciẽtiſsimè de Cęſare atq; Pontifice fuiſſet obloquutus, ſęvaq; malignitate Caponium probè & ſapienter Remp. adminiſtrãtem temulenta accuſatione in diſcrimen capitis adductum, dictatura ſpoliaſſet, & in ſenatu ad cõtumeliam ſacroſancti Pontificis petenda eſſe auxilia ab immanibus

Turcis

Turcis pro tuenda libertate cenſuiſſet, turbidumque ſe & periniquum in omni actione civem præbuiſſet, promeruit ut ab amicis Caponij immitioribus tormentis torqueretur, & ab Octoviris cupidiſsimè damnaretur. At Carduccius ſicuti recentis dictaturæ honore cæteris ſuperior, ita quum acerbius à Norio torqueretur, graviora confeſſus eſt. arguebatur enim non obſcuræ in Remp. perfidiæ, quòd literas à Balthaſare Carduccio apud Galliæ regem legato miſſas, pro concione legi ad populum vetuiſſet, invertique demum eas nefaria interpretatione per Donatum Giannottum ſcribam iuſsiſſet, ſcilicet ut poſtquã ille nihil certę opis ab eo rege, qui amicitiam Cæſaris commodo ſuo appeteret, populo Florentino nequaquam expectandam ſignificaſſet, civium animi totà ſuſtinendi belli ſpe deciderent, et ad parandam pacem verterētur: ſceleſtoque demum hortatu ſuo ſeorſum iuventutem concitaſſet, ut in villas ſuburbanas Mediceæ gentis, & Iacobi item Salviati crudelib. incendijs deſævirent, ut propter eam barbarici maleficij atrocitatem civitas omnis deſperata venia, à cogitatione concordiæ penitus averteretur. ſed multo maximè eius famam prægravabat, quòd dictator inconſultis decurionibus atque Decemviris, ad Antoniũ Franciſcum Albicium Aretij tum legatum, ut copias omnes in urbem adduceret, malignè perſcripſiſſet, ut civitatem imparatam, & ob id de concordia cogitantem, ad gerendum bellum erigeret: contra Rempub. enim feciſſe cenſebatur, quod eius rei conſilium magiſtratibus nequaquam communicandum exiſtimaſſet. His tamen omnibus conceſſum eſt, ut maiorum ſepulchris inferrentur. Zanobio autem Bartholino Malateſta, Raphaelique Hieronymo Ferdinandus Gonzaga ſalutem impetrarunt. Dantem Caſtellioneum Stephanus Columna impoſita ſacrificuli cuculla ſecum abduxit, tanquam virum egregiè fortem, qui ſingulari certamine pro dignitate patriæ dimicaſſet. Cæterùm Raphael in Piſanum carcerem relegatus eſt: nam erumpente publico odio, ſumma deflagrabat invidia, quòd in tormẽtis cõvictus eſſet feciſſe adverſus Remp. quum è Genuenſi legatione rediens, atq; ante collegas præcurrens confirmandis civium animis, & ad gerendum bellum incitandis, Cæſarem atque Pontificem uſq; adeo imparatos eſſe, atq; adeo rei numerariæ inopia preſſos dixiſſet, ut prius omnio eos decocturos, quàm Florentinorum mœniũ, vel unã tantùm pinnam caperent, vaniſsimè teſtaretur. Quo mendacio tantum diuturni belli detrimentum patriæ attuliſſe credebatur. primis quoque inchoantis dictaturę ſuę diebus, quum ſe à concordia minimè abhorrentẽ fingeret, deque mittendis legatis maiore populi advocato cõſilio ageretur, ac ideo collectis ſuffragijs manifeſtè pacem ab omnibus ferè peti animadverteret, nullo ea de re facto decreto, non modò optimos quoſque cives, ſed ipſos etiam populares ex conſcientia animi peroſos belli incommoda, tam improbè quàm impudenter decepiſſet. Pontifex autem eo animo fuit, ut Raphaeli parceret, niſi ille ex importuna verborum contentione cum præfecto arcis indignabundus, non dubiæ libertatis beneficium feſtinata morte prævenißet. Effudit autem Pontifex totum contumeliæ ſuæ odium in Foianum cucullatum, qui eum illoto ore in ſacris concionibus intemperantiſsimè laceraſſet. Coniectus ſiquidem in baratrum molis Hadriani totius inſanæ facundiæ ſuæ pœnas fœda morte perſolvit. Nobis compertum eſt damnatos evadere, & longè è caſtris primo, et ex urbe demum profugere potuiſſe, quòd poſt ipſam deditionem antequam caperentur, & de his ferretur capitalis ſententia, duorum ferè menſium ſpatium interceſſerit,

quum interim Raphael literis Nicolai Scombergi, antiſtitis Campani, amiciſſimi hominis admoneretur, ut ſi pacatum ſibi vellet Pontificem, continuò ad eius pedes ſupplex ire maturaret. Sed is ita hærebat curiæ, ut ambitioſa quadã ingenij vanitate, quòd eſſet lectus inter duodecim viros, non dubia novi honoris cupiditate teneretur, & qualis dudum fuiſſet ſummæ poteſtatis oblivíſci non poſſet, quin ſibi peramplum in ea Rep. qualiſcunq; futura eſſet, locum deſtinaret. Fit enim aut imbecillitate, aut ſuperbia humani ingenij, ut non facilè quiſquam ubi peccaverit, vel ſecũ ex conſcientia ſe deliquiſſe fateri velit, nec ideo alienę ſeveritatis & malignitatis impetũ magnopere formidet. Carduccium anguſta domi res, quòd avaritia incorruptus ex dictatura abſtinentiſsimas manus retuliſſet, neceſsitate quadã in urbe retinebatur, quòd ad opimam alicuius urbis præfecturam aſpiraret, quæ dictatorijs & conſularibus viris vetere conſuetudine deberetur, uſq; adeo ut ea ſpe vir alioqui peracutus & callidus, ſe ipſum depravãte ingenio ſtultè deciperet, arbitrareturq; dictaturæ ſuæ actiones ad duodecimvirale iudicium devocari non debere. Audivi ego à Philippo Nerlio patritio, qui actionũ urbanarum diurnales cõmẽtarios ſcripſit, a Carduccio fuiſſe rogatũ, ut pro ſe Volaterranam præfecturam ſibi paulò ante è ſenatuſconſulto deſtinatam impetraret: ipſum verò eo reſpondiſſe vultu ſermoneq;, ut id petere auſum caſtigaret, qui præmia ab his, quibus magnopere nocuiſſet, promereri poſſe ineptiſsimè ſperaret, ideoq; ſi ſaperet, ad tutiora conſilia verteretur. Eo autem die, quo in curia cuſtodiæ traditus eſt, quum duodecimvirali imperio vocaretur in curiam, nec ſtatim ire vellet, poſtulavit ab Antonio Alberto ſibi ex cognatione amiciſsimo, ut pro ſe in curiam ad magiſtratus aſcendere minimè gravaretur, diceretq; ſuo nomine, Carduccium quidem paratum venire, ſed timere inimicorum inſidias, ne ſibi in itinere vim inferrent, ſcilicet ut Albertus ex vultu verbiſq; qualis eſſet erga ſe magiſtratuum voluntas exploraret. Officium præſtitit Albertus, renunciavitque nullum aliud à duodecemviris reſponſum retuliſſe, quam ut dicerent, Carduccium ſatis prudentem exiſtimari, quo reſponſo non obſcurè admoneri videbatur, ut ſibi caveret. Sed non multò pòſt eo ambigente hærenteq; advenit è curia oſtium pulſans publicus viator, qui eum argenteam præferens clavam in curiam deduxit, atq; inde cuſtodiæ traditus eſt. Quibus argumentis & ex multis quoq; ſermonibus ipſius Pontificis coniectari licuit, eum ad clementiam uti perſonæ memorem decebat, proclivem futurum, ſi amici eius cives recentium offenſionũ oblivíſci, quàm civili ſanguine manus imbuere maluiſſent. Non defuêre ſiquidem ex civibus, qui privato incitati odio Pontificem ad exercendam crudelitatem impellere conarẽtur, ſed is cunctis in rebus quæ pœnam aut præmium reſpicerent, vel ſupra æquum temperatus, importunam vindictæ libidinem moderatiſsimè contrivit, utpote qui incendiarios, maleficoſq; extremę pervicacię homines, exilio mulctaſſe cõtentus fuerit, quũ adverſarum partium principes, Thomam Soderinum, & Alfonſum Strozzam honoris cauſa in villas ipſorum voluptatibus dicatas relegaſſet: reliquam vero turbam publico damnatã iudicio, eodemq; nomine relegatam per Italiæ oppida diſſeminaſſet, ea conditione ut pro merito nonnulli efferatos ſpiritus retinentes inſalubribus locis, ſicuti Graviſcis, Centumcellis, Terracinæ, & ad Superum item mare Senogalliæ, Piſauri, & Rhavennæ ſedem ſortirentur. Per hunc modum temperatæ ſeveritatis urbe pernicioſis civibus repurgata,

adve-

advenere ab Auguſta Vindelicia decreti Cæſaris diplomata, ſolennibus latæ membranæ codicillis perſcripta, obſignataque aureo ſigillo, quibus Cæſar diſertè explicabat, ſe idcirco ab Hiſpania veniſſe in Italiam, ut ſublatis bellis certã atque optimam pacem afflictis Italiæ rebus apportaret, contentiones tolleret, partaque cum omnibus, quibuſcum anteà armis contendiſſet, concordia, ſacrũ bellum contra barbaros Turcas indiceret, quo nihil ſibi antiquius atque nobilius, vel Reipub. Chriſtianæ utilius fore exiſtimaret. Unos omnium vero repertos eſſe Florentinos, qui pacis & tranquillitatis nomen odiſſent, animos feroces iniquiſsimè retinerent, & cum privato, tum publico commodo obſtinatius adverſarentur, utpote qui anteà rebelles animos induerint, Mediceam familiam, à qua privatim & publicè commoda atque ornamenta ingẽtia omnibus temporibus accepiſſent, patria pepulerint, oblitique prorſus beneficiorũ, & immunitatum, quas ſuperiorum Cæſarum indulgentia liberalitateque retuliſſent, ab ipſius demum authoritate diſceſſerint, ipſorum copias & duces adverſum ſe Neapolim miſerint, adventantique exercitui ſuo portas occluſerint. Quas multiplicis iniuriæ contumelias, quum pati non poſſet, & ſuæ dignitatis eſſe ſtatueret rebellem civitatem perdomare, coactum fuiſſe inferre arma, poſtquam tentata ſæpè concordia, atque æquiſsimis oblatis conditionibus, vel vitio temporum, vel pertinacium quorundam civium malignitate corrupta, à pace ſe prorſus alienam oſtendiſſet, proptereaq; integrum ferè annum obſederit: Se tamen quum armis fameque perdomitam iure optimo expugnare, atque militibus diripiendam tradere poſſet, nihilo ſecius Cęſareę clementię nunquam oblitum, populi reſipiſcentis pœnitentia fuiſſe contentum, atque ipſius Pontificis maximè precibus adductum conſervare voluiſſe. Quum verò, ſicuti ex deditionis conditionibus liqueret, ipſius Auguſtæ poteſtatis, imperatoriique arbitrij ſit leges condere, & Rempub. ordinare, ideo optimum fore exiſtimabat, quod perpetuam civitatis tranquillitatem reſpicere videatur, Mediceam familiam reduci, atq; reſtitui in priſtinam dignitatem. Et quoniam præclarè manifeſteque conſtat, in liberis civitatibus nunquam vigere concordiam propter diverſa diſsidentium facilè civium ſtudia, easque improſperè ſemper atque infeliciter regi, niſi ſtabili perpetuoque Reipub. capite gubernentur, declarat Alexandrum Medicem, quem ſibi generum aſciverit, Reipub. caput, cuius ſinguli magiſtratus authoritatem ſequantur, eaque dignitas ad liberos eius legitimos pertineat, atque his deficientibus, ad proximiores Mediceæ ſtirpis totius eius præeminentiæ & dignitatis iura devolvantur, ſubindeq; Cęſar cuncta veterum beneficiorum atque immunitatum privilegia, quæ aliàs promeruerint, ſyncero affectu confirmat. Hæc ut perpetuò ſerventur imperat, & his qui violaverint decẽ myriadum puri auri mulctã indicit. Huius diplomatis ſententias, quæ latinè perſcriptæ erant, Italica loquutus lingua, ut ab omnibus intelligeretur, vertit, & promulgavit Antonius Muſettola Neapolitanus iureconſultus, qui tum Cæſaris legati munere fungebatur, membranam explicatam, aureoq; ſigillo & manu Cæſaris ſubſcriptam ſæpe oſtendens, & legendam his qui vellent, libentiſsimè præbens. Ipſo autem Muſettolla perorante aſſurrexit dictator Benedictus Bondelmontes, qui nuper eductus fuerat è Volaterranæ turris carcere, in quem antea populares relegarant. is iuxta aſsidebat, hisque verbis reſpondit. Grata nobis atque lætiſsima erit hodiernæ diei recordatio in omnem ævi poſteritatiſque memoriã: quandoquidẽ præclaro magni

numinis munere, & invictiſsimi Cæſaris beneficio optimè conſtitutæ Reipub. ac duraturæ tranquillitatis initium auſpicamur. Quod igitur felix fauſtumque ſit Florentino populo, leges nobis latas à Cęſare, ad non dubium huius rectè atq; appoſitè ordinati ſtatus incrementum ſuſcipio, veneroŕq;, ſervaturumq́; polliceor, ac pari ſtudio atq; obſequio magiſtratus, cunctiq; civitatis ordines, qui pręſentes adſunt, ſuſcipient, atque optima fide ſervabunt. Tum verò ad dictatorem legatumque ſimul à dextris aſsidentem, ſinguli magiſtratus viritim acceſſerunt, tactoq́; diplomate, atq; honoris cauſa inclinatis capitibus, quæ dixerat dictator approbarunt. Primi fuère decuriones, Octoviri & Decemviri, qui ab integritate iudicij, famaq́; probitatis boni viri vocantur. Ad hos tres Guelpharum partium duces defenſoreſq;, qui magiſtratus in urbe vetuſtiſsimus habetur, itemq́; Octoviri, qui belli & pacis negotio præſunt, ideóque Practici nuncupantur. Hos ſubſequuti ſunt Octoviri, qui ſummam vitæ & necis habent poteſtatem. Cum his iêre Quinqueviri, qui ærario præſunt, itemque Septemviri, conſervatores legum appellati. Poſt hos Triumviri fiſco prępoſiti, & ſecundum hos mercaturę Sextumviratus, & Quartumviri urbis muniendæ curatores. Poſtremò Duodecemviri, quibus ab initio ordinandæ Reip. munus fuerat demandatum. His acceſſerunt ex Mediceorum amiciſsimis viginti & ſeptem primores: ita ut in univerſum centum & viginti primatium civium numerum implerent. Eo die videre ſubnotareq́; licuit diverſiſsimos eorum civium vultus, qui ordinatim ad tribunal aſcendentes non obſcura iuſiurandi ſignificatione in ſententiam dictatoris pedibus ibant, atque his, quas dixiſſet Cæſar, legibus obtemperaturos confirmabant. Nam quum multi præ gaudio plorarent, quòd ſe in poſterum incolumi & pacata patria, inteſtinæque diſſenſionis & turbulentiæ omni malo vacua liberataque potituros proſpiciebant, diverſo animorum habitu pleriq; alij triſtes atq; demiſſos vultus certi doloris indicia præferebant, uſque adeo procul à diſsimulatione poſiti, ut emigrantis & ereptæ libertatis exequijs intereſſe viderentur. Ea ſiquidem die, quæ Iulias Nonas anteceſsit anni trigeſimiprimi ſupra milleſimũ & quingenteſimum, dictaturæ ſimul & decurionum nomen, antiquata veterum magiſtratuum formula ſublatum eſt, & principatus ex decreto Cæſaris in civitate, vel non planè libero civium aſſenſu feliciter introductus, ſic ut Alexander Medices è Belgio rediens, ubi tum agebat apud Cæſarem, inauguraretur, & Reipub. Florentinę dux, quæ vox hodie dynaſtam & principem exprimit, gratulantibus penè omnibus appellaretur. Eiuſdem anni principio, quo hæc Florentiæ confecto bello tranſacta ſunt extremæ terrarum in Belgis regiones, quæ Geſſoriaco litori incumbunt, repentina atque inuſitata prorumpentis Oceani inundatione ſummã cladem ſubierunt, qua nobiles paulo antè urbes, frequentiſsimaq́; oppida ſuperfundente ſeſe mari periêre, uſq; adeo miſerabili calamitate, ut infinita propè mortalium multitudo intercepto fugæ remedio opprimeretur. Nam horribili prodigioſoq́;, ſicuti coniectari licuit, terræmotu concuſſus Oceanus, ita magno æſtu intumuit, ut inſtitutos antiquitùs, & perpetua cuſtodiæ diligentia ferè quotidie ab accolis inſtauratos aggeres, quibus ſubmoveri arceriq́; æſtuantis maris fluctus conſueverant, concitato quodam & vehementiſsimo incurſu perrumperet, interiorisque plagæ terris altiſsimarum & reciprocantium undarum pelagus per tranſcenſos margines effunderet, animantiaq́; ſubinde omnis generis irrito receptus curſu, in

aridas

aridas litoris partes perſugere conantia ociſsimè mergerentur, quibus longo natatu feſsis & fame morientibus, marinæ belluæ non dubio pavore attonitæ, impulſaq; fluctibus conterritorum piſcium agmina ſuccédebant. Prænunciarant hanc cladem triduo antè denſiſsimi imbres diraque tonitrua ſcintillantis aeris, & crebra motatio telluris, perpetuoq; biduo cõcurſantium inter ſe ventorum diverſi turbines ita horribili pavore concuſsis mortalium mentibus, ut quum tecta nutarent, & ingruente inevitabili aquarum mole colluctantibus ſcilicet elementis, tota univerſi orbis compages reſoluta, in antiquum chaos redigi crederetur. Ea porro calamitas longe maxima incidit Caneniphatum, & Batavorum inſulis, quæ Selanda & Holanda à noſtris hodie nuncupantur. Nam præter eas quæ inundantis maris impetu multorum cubitorum altitudine penitus ſubmerſę fuerant: Alendebucha quoque & Harles, & Excluſæ clara oppida, ita fluctibus oppreſſa devorataque ſunt, ut vix ſacrarum turrium & templorum faſtigia extarent, quæ horribili æquè & ſæpe metuenda excidij memoria cladem teſtarentur. Sed Nonæ Novembres tantis malis finem attulerunt, quum porſtidie Calendas ſereno (quod mirum fuit) cœlo, ſed mox portentoſum in modum ab repentina effuſi imbris, & certantium inter ſe ventorum procella commutato, dira ea tempeſtas accidiſſet, tanta admiratione mortalium, ut nulla ab orbe condito maior et gravior ullis gentibus clades poſt diluvium Moſaycis literis celebratum incidiſſe crederetur. Nec multo poſt ſequenti menſe Ianuario, par propè exitij clades Luſitanis in ipſis proculdubio viſceribus terræ furente debachanteq; Æolo illata eſt, cuius impetu urbs Vlyſsipo in primis incomparabile detrimentum ſenſit, & poſt eam Coloniam, Sanctæ arenę, & Azembugerę, Almeriniq; urbium publica privataq; ædificia, inuſitato terræmotu conquaſſata proſciſſaq; magnã vim mortalium ruinis oppreſsère, & nonnulla etiam navigia turbulento inflati maris hiatu abſorpta ſunt, ſicut Tagus inſanis allidentis maris fluctibus repulſus, diſcedentibus in utranq; ripam ſuis undis, ſicca in medio vada obſtupentibus cunctis oſtenderet, nemoq; iam tota prope Luſitania tectis ſuis confideret, ſubſultante ſcilicet ſolo, ideoq; non citò deſiturã terræmotus vim ita præmonſtrante, ut regis & reginę exemplum ſequuti univerſi ferè incolæ tabernacula apertis in locis caſtrenſi in more erigere cogerentur, neq; in his tamen ſoluti metu pernoctarent, quum repentinum aliquem terræ hiatũ quo abſorberi poſſent, non temerè extimeſcendum arbitrarentur. Hiſdem quoq; diebus Ferdinandus Caroli Imperatoris germanus frater Cæſar eſt appellatus, ſuſcepitq; eius novæ dignitatis ornamenta apud Belgas, opulentiore atq; auguſtiore apparatu ad Aquiſgranum urbem, Caroli magni olim ſede, ſepulchroq; clariſsimã, quę antiquis Nuagerra fuit, quum ſuperiore biennio Bohemici regni diadema apud Pragam ſuſcepiſſet. Nam ſicuti Marcomannorũ, qui hodie Moravi ſunt, & Bohemorũ, qui Ercynio ſaltu circundantur, & Sleſitarũ, qui Sarmaticos attingunt fines, frequentiam & cultum Germani authoritate atq; opibus ſuperiores facilè ſuperabant, ita utriuſq; pompæ ſpectacula cum ipſius Caroli imperatoris pręſentia tam opulentiſsimorum procerum, & antiſtitum admirabilis comitatus incomparabilẽ illuſtrium hominum conventum repręſentaſſe cenſebatur. Nihil enim vel precioſius vel operoſius excogitari potuit apparatu atq; inſtrumento utriuſq; aulæ, quum in eum totius Europæ ad exornandum triumphum lectiſsimæ opes, inſigni ſtudio certantium inter ſe gen-

tium collatas fuiſſe appareret: ſacris namq; cerimonijs & ludis equeſtribus, geminatoq; præſertim epulo totius eius pompæ apparatus conſtitit, in quo accumulati luxus exquiſitiſsimæ & copioſiſsimæ dapes alendis etiam plebeis hominibus ſuperfuerunt. Imperator ipſe uſus eo prægrandi enſe, quo Carolus ille Magnus omnibus ſacri belli prælijs uti conſueſſe fama erat, quanquam eſſet à multo vetuſtatis ſitu eruginoſus, clariſsimum quemq; Germanorum & Belgarum leviter contactis humeris equeſtri dignitate nobilitavit, dimiſsisq; conventibus uni ei curæ inſtitit, ut conſentientibus Chriſtianarum gentium regibus pia arma in Solymanum, nimio plus immodicas vires extendentem verterentur. Namq; tum conſtans apud pios mortales fama erat, quorundam etiam vatum oraculis comprobata, nullis quàm Auſtrianorum fratrum certiſſimis auſpicijs barbarorũ vires malo noſtro in immenſum ſeſe attollentes poſſe ſuperari: quod exiſtimare crederedq; fas erat, poſt quam & his Ferdinandus à matura iam indole ſummæ pietatis atq; virtutis Pannoniæ atq; Bohemiæ regna bellicoſiſsimarum gentium paterno Auſtriæ imperio dudum adiecíſſet, & fraternæ demum amplitudinis, imperatoriæq; dignitatis ſucceſſor & hæres eſſet deſignatus: Carolus verò auguſtiore maximarum virtutum & opum concurſu exaggeratus undique victor inuſitata felicitate ad Occidentem per Oceanum auriferis regionibus potitus, Chriſtiani imperij terminos ad Antipodas uſque protuliſſet.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXX.

ARMORVM maximè ingentem terra mariq; apparatum, & qualem nulla maiorum ætas viderit, aut literæ meminerint ad admirationem poſteris traditurus, paulò altius belli cauſas repetam, ut magis illuſtria ſint, quæ mox dicentur. Pacata Italia Cæſar è Belgis, apud quos alterum iam annum egerat, adverſo Rheno profectus, Ratiſponam ad Danubium venit, ubi totius Germaniæ concilium multis de cauſis, & ſanandis præſertim Lutheranorum mentibus, erat indictum. Eo enim tempore celeberrimis in urbibus vehemẽter convulſa erat Chriſtiana religio, ob idq; in partes diducti pleriq; populi inter ſe bello contendebant: adeo ut Germania armis, opibus ac ingenijs florens, dum inſanis erroribus ſervit, ſublato conſenſu, atq; interrupta religionis authoritate graviſsimum vulnus acceptura videretur, eò præcipue quòd eius diræ peſtis venenum ad animos potentium pervaſerat, qui impiè atq; arroganter ea dogmata tuebantur. In his erant Fridericus Saxonũ, & Philippus Langravius Cattorũ principes, Carolo & Ferdinãdo infenſi, veteresq; hoſtes

Auſtriæ

Auſtriæ domus, cuius opes & dignitatem maximè infringi debilitariq́; ea religionis cõturbatione exiſtimabant. Vuillermus quoq; Boioariæ regulus, qui multis præclaris cum familiæ tum virtutis ſubſidijs fretus, ad imperium aſpirarat, æquo animo ferre non poterat, Ferdinandũ ſuperioribus comitijs veluti adoptante fratre, Cæſarem appellatum, querebaturq́; Romanum imperium una in Auſtriæ domo tanquã hæreditarium perpetua quatuor Cæſarum ſucceſsione confirmari, adeo ut eum vitio creatum diceret, et nova ſubinde comitia veluti prioribus ambitu largitioneq́; corruptis flagitaret. Angebat etiam Vuillermũ genus à præalta ſtirpe repetentem ignominia repulſæ, quam tulerat in petitione regni Bohemorum, ſuperante ſuffragijs Ferdinando, quanquã ipſe Berneſthenij & Cauphonis procerum, qui authoritate maximè valebant, amicitiæ & ſtudio plurimũ inniteretur. Quibus de cauſis fiebat, ut Cæſar nequaquam eorum ſyncera fide, aut egregia voluntate uteretur, qui vel piè ſanctèque de ſacris poteſtateq́; Pontificis ſentirent, proptereaque minus facilem eius cauſæ cognitionem iudicaret, quanquam à Laurentio Campegio Cardinale legato cuncta propè firmiſsimis rationibus refellente, tractari, & iure optimo damnari poſſe Lutheri placita viderentur: ea enim non rejcienda modò atque abolenda, ſed riſu excipienda eſſe cenſebant, qui ſacrarum literarum peritia mediocriter valerent, quando nulla conſtantia plures diſcipuli ipſo magiſtro inſaniores, provecta in immenſum interpretandi lidibine à primæ rebellionis argumentis impudentiſsimè deſciviſſent, ut ipſi de nomine peculiares ſectas conderent, & imperita multitudo ad factiones atq; inteſtina bella traherentur. Dum hæc exploratis procerum animis pertractant, & profani iuris controverſias finiunt, certis rumoribus affertur Solymanum innumerabilibus inſtructum copijs à Byzantio in Myſiam perveniſſe. eadem confirmãt Clementis, Venetorumq́; literę. magnus timor Germaniæ incutitur, Noricisq́; præſertim, qui proximis barbarorum incurſionibus abacta pecora, raptos in ſervitutem liberos cum uxoribus, & fratres trucidatos, incenſaq́; ædificia repentina belli clade conſpexerant. Fama erat ea de cauſa redire in Pannoniam Solymanum, ut Viennam expugnaret, à cuius mœnibus paulò antè fortiter repulſus, cum ignominia diſceſsiſſet: aut ſi Germani duce Carolo Cæſare contra prodirent in aciem, de totius ferè terrarum orbis imperio decertaret: ipſum enim ſe unum eſſe, ad quem Romanorum imperium legitimo iure pertineret, dicere ſolitum ferebant. Quoniam magni Conſtantini, qui univerſi orbis Auguſtus imperator extitiſſet, ſedem & ſceptrum atq; urbes eius imperij teneret, uti proavus Mahometes expugnata Conſtantinopoli, & Conſtantino ſupremo Græcorum imperatore ſuperato occiſoque, hæc omnia iure belli capta Ottomannicis regnis adieciſſet: propterea quum de Carolo ſermones inciderent, vel literę ſciberentur, eum nõ Cæſarem, ſed Hiſpaniæ regẽ ſuperba diſsimulatione vocare conſueverat. Elatus enim tot ſuis, maiorumq́; ſuorum victorijs, quibus à Mæotide ad Erythræi Indiciq́; maris anguſtias, & ab extremis Illyrici finibus ad Armeniæ terminos imperium protuliſſent, decorum maximè & nominis ſui fama dignum putabat, in Germaniam penetrare, terrorem, cędes, incendia circumferre, oſtentareq́; aciem, ut Carolum acerbiſſimis ſuorum cladibus permotum ad pugnã provocaret: ſperabat enim eum nequaquã univerſo prælio certaturum, quòd Germanos per cauſam Lutheranæ ſuperſtitionis inter ſe diſſentire didiciſſet, unde ſibi nõ dubiam erecto tro-

phæo ex aliena infamia laudem pararet, quod ſi eo animo eſſet Cæſar, ut prodire non dubitaret, & patentibus campis Chriſtiana ſigna committeret: tum verò ipſe ſua occaſione ad optimam ſpem exploratæ victoriæ uteretur, quando pedeſtres magna ex parte noſtrorum copias circumducto innumerabili equitatu, fame enecare, ſpe prælij latè fruſtrari, ac demum funeſta neceſsitate cedentes & diſſolutos in fuga proterere facilè poſſe videretur. Cæterùm ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat Ioannis iniurias defendere, quem ipſe in Pannonia regem conſtituiſſet. Is quanquam Ferdinandum maiore ſemper animo quàm viribus contra ſe bellum gerentem contemnere poterat, Caroli tamen potentiam veritus, qui ex propinquo copijs, pecunia, authoritateq; fratri opem laturus eſſet, a Turcis auxilia petere cogebatur. Fuère qui crederent Solymanum invito Ioanne in Pannoniam veniſſe, Polonorum ſcilicet & Gallorum cohortationibus inductum: quoniam hi Cæſarem qui bella gerere per legatos ſingulari felicitate conſueſſet, graviſsimo bello periculoſisq; prælijs implicitum videre percuperent: illi verò Ioannem uti affinitate Sigiſmundo regi coniunctum, in Pannoniæ regno conſpicere mallent, quàm Ferdinandum, uti gravem aliquando è tribus regnis hoſtem Sarmatiæ futurum. Sed de hoc quũ nihil pro vero ſit compertum, haud temerè cenſuerim hos magnos piosq; reges, tanta infamia liberandos, adeo ut arbitrer Solymanum non magnopere his de cauſis & precibus permotum, tantũ itineris ſuſcepiſſe, ſed veterem potius ſuum, Ottomannorumq; principum morem ſecutum, qui exercendo militi bella ex bellis ſerere, nihil è vetere diſciplina ſegni ab otio corrumpi ſinere, & finitimos quosq; tanquam veros hoſtes, prædę, victorię ac laudis materiam putare conſueſſent. Quo inſtituto alternis annis univerſas copias educendo omnibus gentibus, cum quibus collatis ſignis ſint congreſsi præter unos Scythas, bello ſuperatis ſupra viginti Aſiæ atq; Europæ regna imperio ſuo adiecerint. Ferdinandus ubi fit certior Solymanum prima agmina per Thraciam extendiſſe, ad eum cum muneribus & æquiſsimis de pace fœdereq; mandatis tres legatos mittit, quorũ princeps erat Leonardus Nogarola nobilis Vicentinus literarum & multarum linguarum peritia inſignis. ij in Triballorum finibus obviam facti Solymano, humaniterq; ſuſcepti, nihil plus retulerũt, quàm ut caſtra ſequerentur. His Ratiſponæ nunciatis, Cæſar Germaniæ proceres, legatosq; liberarum civitatum alloquitur, docet in eo communi & graviſsimo rerum periculo nihil tutius eſſe conſenſu, nihil diſſenſione calamitoſius: proinde excitarentur ad id claſsicum, quo ſævus & barbarus hoſtis cunctis cathenas & compedes, & templis ac urbibus vaſtitatem denunciaret, ſe conſtantiſsimo animo paratum eſſe contra hoſtes proficiſci, ad tuendam religionis cauſam, ac nominis ſui dignitatem, ſi ipſi fortiter & alacriter coactis copijs Chriſti vexilla & victrices aquilas ſequerentur, atq; unà more maiorum, pro ſalute omnium & vetere gentis gloria bellum ſuſciperent, acciturum ſe confeſtim Hiſpanorum & Italorum expeditas cohortes magni roboris auxilia, quibus Germanorum ſtatarię legiones firmarentur, Clementemq; Pontificem in hos apparatus magnam auri vim collaturũ, uti eſſet pollicitus, ſi hæc gnaviter parari & egregia fide adminiſtrari didiciſſet. Ad ea principes legatiq; propenſiſsimis animis reſpõderunt, in animo eſſe Germanis omnibus, ut ab antiquiſſimis temporibus factum meminiſſent, ſalutem publicam & communem omnium, imperijq; præſertim exiſtimationẽ tueri, propulſare iniurias, & Chri-

ſtianæ

ſtianæ religionis hoſtes bello perſequi: Cæſarem vero prolixè collaudare, qui ſe eo bello imperatorem futurũ profiteretur, et externa item auxilia defendendis, adiuvandisq; Germanis eſſet adiuncturus. Idcirco ipſe, fraterq; Ferdinandus darẽt ſedulò operam, ut ea quę uſui eſſent, maturè & diligenter expedirẽt: ipſos enim ex vetere formula tabularũ Romani imperij, uti eſſet deſcriptum, æſtimato provinciarum atq; urbium cenſu, delecturos milites, & ad condictũ Viennam undiq; in una caſtra tranſmiſſuros. Itaq; fit decretum è ſumma concilij, ut in aliud tempus Lutheranæ cauſæ cognitio differatur, cæterisq; cõtroverſijs et rebus omnibus poſtpoſitis, omnes in unum belli apparatum animos intendant. Igitur Cęſar Alfonſo Vaſtio in Italiam perſcribit, ut veteres præfectos advocet, & per eos cohortes cõſcribat, & quantum maximè poteſt ſclopettariorum numerum paret, ſimulq; Hiſpanos omnes Tridentinis alpibus ad ſe celeriter in Noricũ adducat. Andreę quoq; Aurię iniungit, ut pari ſtudio triremes ac plures onerarias militariter exornet, & adverſus Turcarũ claſſem in Græciã traijciat. Accerſit etiam è Belgio, Burgundiaq; gravis armaturę ornatiſsimum equitatũ, & ab Hiſpania complures nobiles veteranosq; milites: et ſibi quoq; privatim, cohortium prętorianarũ nomine, duodecim milia Germanorũ, ex his qui in Italia plura ſtipendia meruiſſent, mercede cõducit, quibus præficiuntur Maximilianus Heberſthenius, atq; Tamiſius Italico bello clari duces. Vni Galli multis de cauſis, quas ſuo loco memorabimus, nihil huic bello ſeſe miſcuerunt: rexq; Britannus ab infami repudio legitimę uxoris, quæ Cæſaris erat matertera, uti planè hoſtis depravatũ & penitus alienum ab amicitia & religione animũ oſtendit. Interea Clemens dabat operã, ut pecuniæ à quæſtoribus undiq; cogerẽtur: volebat enim in tanto rerum diſcrimine, uti communẽ omnium parentem decebat, erga remp. præclarum pietatis ſtudium oſtendere, cõciliandis præſertim Lutheranorũ animis, qui eo beneficio atq; ea liberalitate ad ſanitatẽ reduci poſſe viderentur. Erat ærarium Pontificij imperij penitus exhauſtum ſuperiorum temporũ calamitate, pręcedentibusq; iacturis ac impendijs: nam Etruſco bello decies centena milia aureorũ nummûm expẽdiſſe ferebatur. Quamobrẽ in ſenatu decretũ eſt, ut quinq; decumæ ſacerdotijs imponerẽtur, quę res minores ſacerdotes, ſacratasq; virgines, & ſacras hoſpitales domus vehemẽter afflixit: nam exactores cum imperio in provincias emiſsi, dum privato quæſtui ſtuderẽt, incredibili acerbitate humana & divina omnia perturbabant, adeo ut pleriq; ſacerdotes templa deſererẽt, & paſsim ſacrata vaſa & antiqua donaria cõflarentur: erant & qui prædia dicata altaribus venditarẽt, ut decumę ſolverẽtur, neq; honeſtiſsimus ſacri belli prætextus, ac extrema propè neceſsitas invidia leniebat: quoniam Cardinales qui opima ſacerdotia poſsiderent, immunes evaſerant, quaſi illis ad tuendam Romanæ aulæ amplitudinẽ de ſolito vitæ ſplendore nihil remittere moderariq; liceret, quum ex adverſo pleriſq; egentibus ultima vitæ alimenta raperentur. Per hunc modũ coacta pecunia Hippolytus Medices Cardinalis, qui bello interſit, Legatus efficitur, ut in ſummę nobilitatis excelſiq; animi Legato ſumma authoritas & dignitas emineret, eoq; pignore tradito Clemens propenſiſsimã voluntatem erga Cęſarem præclare teſtaretur. In eum iuvenem alterũ & vigeſimum agentem annũ natura Fortunaq; certatim maxima dona congeſſerant: ſpecie formaq; corporis ac ingenij rara felicitate inſignis erat, & ſuper hęc ſpectacula edendo, donandoq; liberalis famã conſecutus, adeo ſtudia populi com

non ſemper ſobrius, & turbidus in ſuſcipiendis conſilijs alacritate quadam inanis & pervicax, ſive quod Turcas putabat ad oppugnandam Viennam, uti arcem belli, protinus advolaturos, & propterea eam urbem nulla ex parte nudandam iudicabat, ſive quod ſatis virium in ſola claſſe futurum arbitrabatur, terreſtri itinere nihil tentare conſtituit, prætermittensque facilè patrandæ rei occaſionem Poſonianis reſcripſit, ut Naſadias quantas haberent propugnatoribus inſtruerent: pollicetur verò ſe paulò poſt graviora navigia maioribus tormentis referta, atque exornata more maritimarum triremium, ut Naſadijs præſidio eſſent, continuò ſubmiſſurum. Vngari Naſadias vocant navigia oblonga remorum ordine valde expedita, biremibus prædatorijs, quæ in mari noſtro viſuntur, diſciplina celeritateque ſimilima. eius generis ad ſexaginta in ſtatione erant Poſonij, quas vir Germanus, cui Corporano cognomen fuit, rei navali præpoſitus, uti Catianer præſcripſerat, deducit, ac remige militeque & minoribus tormentis complet: eo conſilio ut in Comaria inſula, quam paulò infra Poſonium Danubius efficit, deſertum quoddam caſtellum occuparet, atque inde cùm graviora navigia è navalibus Viennæ demiſſa applicaſſent, in hoſtium claſſem inveheretur: ea erat in obſidione Strigonij diſtributa in ſtationes, ut flumine nihil omnino obſeſsis importari pateretur. Dum hæc ad Poſonium parantur, Grittus per ſpeculatores de hoſtium conſilio fit certior: erant enim permulti Hungari in partibus Ferdinandi, qui non valde turpe ducebant, uti libido ferret, hac & illac tranſire: gens enim effera præſentis tantùm gnara commodi, atque eventuum ſpectatrix, ſtudiorum commutatione magnopere gaudebat, adeo ut nemo ferè in partibus Ioannis eſſet paulo notior atque nobilior eques, qui non aliquando cum Ferdinando rege militaſſet. nec ſatis firma etiam fides apud ſacratos antiſtites, qui non ſemel animos atque opes alternæ Fortunæ ſuccesſibus applicaſſent. Igitur Grittus celeriter conſilium capit præoccupandi hoſtis, conſerendæque pugnæ, priuſquam graviora hoſtium navigia Naſadijs coniungantur. Erant ei Naſadiæ numero Poſonianis fermè pares: gubernatorum verò ſcientia & militum virtute aliquanto inferiores, quamobrem in has complures ſagittarios & ſclopettarios Turcas diſtribuit: proponit præmia ſingulis, qui ſpectatum facinus ediderint, atque omnes ad præſtandam gnaviter atque celeriter operam cohortatur. nec mora adverſo amne per noctem ad hoſtes magno ſilentio provehuntur. At Poſoniani, qui iam ad Comeriam pervenerant, ubi ex pulſu remorum renunciantibus ſpeculatorijs navigijs de adventu hoſtium cognoſcunt, vehementer perturbantur, ut ij plerunque ſolent, quibus præoccupari deprehendique contingit dum inſidias hoſti moliuntur. Erat præpoſitus quinque Naſadijs Peſtanus ſenex, negotij navalis admodum peritus: is Corporanum monet, ut congreſſum devitet, atque ſeſe Poſonium recipiat, ipſum à poſtremo agmine totius claſsis terga validiſsimis Naſadijs eſſe defenſurum. non eſſe credendum hoſtes, niſi magna de cauſa & certa cum ſpe, veluti rebus exploratis, adverſo amne ſubijſſe: proculdubio totius conſilij decretum per Hungaros hoſtibus eſſe delatum, profectionemque proditam: ſatis honeſtum videri poſſe eum receptum omnibus militiæ non ignaris, poſtquam graviores naves nondum advenerint, quas etiam Catianer expectandas eſſe præceperit. Corporanus ingenio ferox nihil de Peſtani monitis ad aures admittit, ſive quòd flagitioſum putaret non expectare hoſtem ultro ſubeuntem,

prœliumq́; poſcentem, ſive quòd ſuorum virtuti nimium confiſus, adverſariorum vires magnopere deſpiceret: ergo prælij ſignum præponitur, dividitur claſsis in acies tres. Peſtanus omnium primus prorumpit, profluentiſque ſecundo curſu concitatus hoſtes adoritur, eo impetu quatuor eorum Naſadias perfringit, primum agmen perturbat, magnam victoriæ ſpem ſequentibus præbet. At Turcæ confertis navigijs vim atque impetum invadentium conſtanter excipiunt. fit prælium atrox, omittunt pleriq; remos, contis & gladijs rem gerunt: tormentorum ſonitu ac fumo, & diſſono clamore tot gentium omnis oculorum atq; aurium uſus eripitur: ad hæc nebula craſsior, uti fit, orta diluculo, ita amnem totum & claſſes intexerat, ut navium magiſtri non planè perſpicerent, quamnam in partem flectendi remi, & proræ eſſent incitandæ. erat Turcis fluminis impetus maximè gravis & adverſus, ſed ea iniquitas coniuncta inter ſe eorũ navigia maximè confirmabat, adeo ut contrà veluti æquata conditione, Poſonianorum oculi adverſis orientis Solis radijs ferirentur. tum vero Turcæ diſcuſſa nebula tantam vim ſagittarum adverſis navibus ſuperfuderunt, ut propugnatores ſimul & remiges his confixi, ſclopettorumq; glandibus traiecti, in fugam verterentur. In eo tumultu Peſtanus egregiè pugnans interficitur. Corporanus cum tredecim omnino Naſadijs, quæ celeritate rèliquas anteibant, adverſo flumine profugit: reliquæ aut demerguntur, aut deſilientibus in proximas ripas militibus atq; remigibus vacuę capiuntur: ex mille & ſeptingentis hominibus qui in Poſoniana fuerant claſſe, ferè quarta pars interijt, cæteri terreſtri itinere evaſerunt, nonnulli etiam capti, dimiſſiq; ab hoſtibus non multo pòſt Poſonium ſunt reverſi. Poſt id prælium Grittus, quòd cuniculis nihil profecerat, & duo muralia tormenta ab crebro uſu, uti accidit, fervefacto metallo diſrupta fuerant, arcis oppugnationem intermiſit, ratus circumvallatum hoſtem, non diu obſidionis incommoda tanquã deſperatis poſt navalem victoriam auxilijs eſſe toleraturũ. Sub id fermè tempus Hiſpani, qui in agris urbium Æmiliæ viæ ſtativa habuerant, fertiliſsimique tractus incolas circa Scultennam & Gabellum amnes, ad Padum uſque magnis detrimentis afflixerant, ad alpes pervenerunt. Erant in eorum caſtris ſupra viginti milia hominum, ſed tertia fermè pars inutilis turbæ cum tantum ſeptem milia veteranorum peditum cenſerentur: cum multis enim impedimentis & iumentis onuſti vetere præda ſecum fortunas ſuas omnino deferendas eſſe iudicabant, adeo ut nec ſcorta & voluptatum inſtrumenta relinquerent. Hanc militum licentiam atque luxuriem, quum Vaſtius præcipuè commeatus inopiam veritus, caſtigando iubendoque cohibere, ſarcinarumque numerum præſcribere vellet, ad Atheſim militaris ſeditio exarſit. Nonnulli enim centuriones opulenti, quibus adeo longinquæ & periculoſæ militiæ labor erat ingratus, concitare vulgus militum, & ſtipendia flagitare cœperunt, adeo ut non exceſſuri Italia viderentur, niſi conſternatis, & in unum animi decretum conſentientibus pecunia ſolueretur. Vaſtius qui ad minuendam ipſius exiſtimationem à paucis inimicis adverſum ſe exagitari multitudinẽ haud obſcurè intelligebat, diſsimulandum in præſens ratus, quędam tempori neceſsitatiq; tribuit, donativumq; pollicitus quum ad Cæſarem perveniſſent, menſtrui ſtipendij pecunia cohortes pacavit, & in Germaniam ſublatis ſignis eſt profectus. nec multo pòſt Italicę cohortes ſunt ſecutæ. Tanta enim alacritate in Ciſalpina atq; togata Gallia, Piceno, Vmbria, totaq; paſsim

Etru-

Etruria milites bello aſſueti nomina dederunt, ut duplicatum ſignorum numerum quiſq; præfectus adduceret, & Vaſtius nonnullos nobiles Circumpadanos opibus inſignes, quos præfecturis honeſtarat, & in magnos bellici apparatus ſumptus adegerat, ſuperante militum multitudine cum magna invidia repudiare atq; relinquere cogeretur: non enim Italos tum primū læta pace perfruentes tanta promptitudine virtuteq́; animi eam ancipitem durant que militiam ſubituros crediderat, ut præcipuè Germanis opem ferrent, a quibus tot clades accepiſſent: propterea potentes opulentosque rogarat, prolixéque invitarat ad capeſſandam laudem, quibus clientes atq; oppidanos minimè ad ſequenda ſigna defuturos iudicaſſet. Id autem invitus fecit: quoniam ei certum militum numerum Cæſar præfinierat, iuſſeratq; ut cæteris reiectis ſigna & cohortes uni tantum ſpectatæ virtuti & fidei veterū præfectorum commendaret. Ii fuêre Martius Columna, Petrus Maria Rubeus, Philippus Torniellus, Ioannes Baptiſta Caſtalius, Fabritius Maramaldus, & qui noviſsimè omnium alpes tranſiêre, Pyrrhus Stipicianus, & Camillus Columna Martij frater patruelis, veteres præfecti omnes, & bellica virtute, & ſtudio erga Cæſarem admodum illuſtres, in his cohortibus fuêre amplius quatuordecim milia delectorum peditum præter voluntarios, qui undique Viennam poſtea confluxerunt. Secutus eſt legiones Ferdinandus Gonzaga cum duobus circiter milibus galeatorum equitum, in quibus fuit ala ab Alfonſo Ateſtino miſſa, & trecenti veteres Hiſpani equites, & Græcorum aliquot turmæ acceſsêre, & his pleriq; è tota Italia ſine ſtipendio nobiles ſtrenuiq; equites, qui antea ordines duxerant: exiſtimabant enim ſe ignominia notatos iri, ſi uti deſides & parum pij ſacro bello minimè interfuiſſent. Hæc tanta multitudo ad Halam, ſalinis celebre oppidum, navigijs impoſita, ſecundo amne Oeno ad Boiodurum, quod hodie Patavia dicitur, Danubium intravit. Sub id quoq; tempus Cæſar inſpectis Sequanorum & Belgarum alis, quæ erant mirificæ, tormentisq; maioribus, quæ Nurumbergæ præſenti pecunia compararat, ratibus impoſitis a Ratiſpona Lintium devehitur. Nunquam tot navigia, totq; militum à Romanis uſq; temporibus Danubius tulit. erant maximi lintres ad effigiem terreſtris ædificij cum cubiculis & porticibus fabrefacti: viſebantur latiſsimæ rates equorum agmina deferentes: erant navagia tabulatis contecta, plena commeatibus. præter hæc, innumerabilis navicularū multitudo intermixta maioribus navigijs ſequebatur. undique audire erat conſalutantium acclamationes, timponorumq; & cornuum ac tubarum concentus, & cùm navigia defuiſſent, etiam ripæ frondoſis arboribus conveſtitæ ſinuoſi peramœnique fluminis ad iocundiſsimum quoddam ſpectaculum equeſtribus atque pedeſtribus copijs complebantur. Interea Solymanus, qui ſextis & quinquageſimis caſtris Belgradum pervenerat, Savo amne multis ſimul pontibus conſtrato, innumerabilem equitum multitudinem in Pannoniam effudit, relicto in dextra Danubio, paululum ad lævam deflectens, ut intactæ ſuperiore bello regionis copijs uteretur, & in Valeriam provinciam latè fertilem, & Norico ad meridiem coniunctam, quæ Stiria hodie dicitur, rectà contenderet. In eo itinere Guintium occurrit, quòd Nicolizza vir fortis domeſtico potius quàm externo præſidio tuebatur. Id eſt oppidum non longè ab urbe Sabaria in plano poſitum, quadrato nec magno ambitu & modicis quidem mœnibus cinctum, tenue opibus, & prorſus ignobile, niſi ab ignominia Turcarum

claritatem accepiſſet. Igitur Nicolizza refectis propugnaculis, repurgata foſſa, oppidanis & paucis militibus animo confirmatis, vel ob id præcipuè, quod in Turcarum caſtris nulla eſſent tormenta muralia, vires minasq; tanti hoſtis contemnere, ſeque ad extremum rerum exitum tueri conſtituit, ut indebellicæ virtutis & conſtantiæ habiturus famam, aut ſi cum oppido cadendũ foret, Pannoniorum fidei & fortitudinis præclarum ſpecimen æditurus. Habraimus ipſe Baſſarum princeps, cui Solymanus, quòd nemini unquam ab Othomanis datum meminerãt, ſupremi imperij poteſtatem cõmunicarat, ad Guintium provectus, Nicolizzæ fidem promiſsis & minis pertentat: noverat enim hominē Habraimus, dum ille Byzantij legationis munere fungeretur, eúmq; veluti virum fortem ac induſtrium, ſibi & Solymano cõſervare, quàm omnino perdere cupiebat. ſed quum Nicolizza nihil pacatum, nihilque demiſſum reſponderet, copiæ innumerabiles in coronã mœnibus admoventur, aguntur tribus in locis cuniculi, ut ſubditis ignibus mœnia ab imo diſrupta frangerentur. Cæterùm quum diſciſſo & proruente muro Guintiani præſentibus animis introrſus munitiones extruerent, & cuniculis diligenter, vel à fœminis obviam iretur, ac in ſtatione ubi periculum poſceret, audacter conſiſterent, & multi utrinque tormentarijs glandibus peterentur, Habraimus agmina Aſaporum, atque item Ianizeros prætorianos, ad eam muri partem convertit, quæ meridiem ſpectat: à Septentrionibus verò ubi multi paſsim colles exurgunt, oppidoque imminent, curulia tormenta perducit, eo conſilio, ut terga propugnantium hoſtium, ab excelſioribus locis intercedente oppido verberaret. Ea res non ſtatim animadverſa magnum Guintianis attulit detrimentum, quum eodem tempore adverſi ſclopettariorum & ſagittariorum multitudinem vix ferre poſſent: averſi verò plumbeis pilis ſternerentur, erant tormenta non diruendis muris, ſed ad campeſtres pugnas idonea, levitate & brevitate expedita, ita ut commodè ſubductis rotis ſingula camelis ſingulis veherentur. At Nicolizza quanquam ſuorum clade perculſus ſeſe non deſerit, ſublataque ex ædificijs magna tabulatorum atque aſſerum multitudine perpetuam munitionem introrſus à muro, pedes duodecim erigit, qua milites protecti atque occultati commeando & propugnando conſiſtere poſſent, eo ſubitario opere perfecto Turcæ incertis demum ictibus tabulata petebant, ita ut pauci, & caſu quidem interirent. Sed quotidie non parvus numerus fœminarum, puerorum & ſenum vulnerabatur, qui concluſi domibus cum parandis alimentis, tum ſaucijs percurandis vacabant, quòd in ligneas domos frequentes pilæ terebratis repentè tabulatis in nihil tale expectantes inciderent. Interim ducenti fermè equites Turcæ è caſtris ſpeculabundi prædabundique ultra Neoſtadium excurſionem fecerunt. qui quum diu vagati ad Leopoldium vicum perveniſſent, incidêre in inſidias, ſic ut inter amniculum, qui illac præſeptis ripis perlabitur, & mediam vici regionem, quæ publicum iter præbet, intercluſi fermè, omnes ab Hungaris equitibus cæderentur aut caperentur. Leopoldenſes enim ingenti ſtipite prælongi arboris ita militarem clauſerant viam, ut cùm is ſtipes in lignea tricubitali columna ad libramentum ſuſpenſus eſſet, & in axe verteretur, facilè quum vellent in directum extenſo ſtipite à læva dextraque aditum aperirent, vel eo contraria ratione reducto per obliquum levi momento præcluderent. Ea enim erat agreſtis machinæ forma, quòd eſſet undique armata præacutis ramorum truncis

latè

latè prominentibus, ut Turcæ equites qui nec artificium moliendi noverant, nec quin infeſtis ingentibus ſtimulis inducerentur, tranſilire audebant, tanquam indagine clauſi caperentur. Præfectus alæ Pauli Bachitij, cui à vitio diſtorti cruris Claudio cognomen erat, detruncata humeris hoſtium capita Viennam detulit, & ad omen victoriæ, ſpectaculumq; coeuntium undiq; militum in mœnibus præfixit. Tum verò ex captivis certius eſt cognitum, duplo ampliores copias, quàm quiſquam rex Othomannus ad bellum eduxerit, & ob id ferè innumerabiles eſſe in caſtris, ipſumq; Solymanum ſine muralibus tormentis adventare, ut quamprimum collatis ſignis cum Cæſare confligat, aut ſi hoſtis armatus non occurrat, ferro ac incendijs cuncta obvia devaſtet. Eadem quoq; legati Ferdinandi retulerunt, quos ſerica talari veſte & ſingulis argenteis pateris donatos à Guintio dimiſerat, ut literas ad Ferdinandum Cæſaremq; deferrent. eas nos tum vidimus in oblongo & per anguſto dentatæ carthæ volumine aureis atq; cæruleis literis Arabicè ſcriptas obſignatasq; aureo ſigillo & ſacculo purpureo incluſas. utpote quæ tantis involucris barbari vaniſsimiq; regis ſuperbiam præferrent. In his enim uſurpatis multorum regum titulis tumidiſsimè ſe terrarum prope omnium & gentium dominum ac imperatorē præſcribebat: ſed ſumma hęc erat, Se vindicandis iniurijs, quas Ioanni regi beneficiario atque amico ſuo intuliſſent, domo profectum in Pannoniam veniſſe, proceſſurumque infeſto exercitu in ipſorum provincias, ac ſi quis contrà reſiſteret, prælio certaturum ſecundiſsimis auſpicijs Dei optimi maximi & Mahometis, qui pro iuſtiſsima cauſa ſtare conſueſſent. Proinde ſi regij nominis memores eſſe vellent, & armati progrederentur, uno prælio finiri poſſe controverſiam, atq; ipſos totius orbis imperium in pręmium victoriæ aut daturos protinus aut accepturos. Cæterùm legati uti ex captivis varijs percunctationibus fuerat expreſſum, multitudinē quinquaginta myriadum in caſtris eſſe referebant, & tormenta ænea curulia circiter trecenta, e quibus longè maxima vix anſerini ovi magnitudine pilam emitterent: caſtra plena eſſe omnis opulentiæ, ſecuritatis, ſilentij, diſciplinæ: Solymanum ipſum, ſi ſuperſtitionem demeres, ab æquitate, continentia, liberalitate, magnitudineq; animi tanta fortuna dignum videri: ſtatura eſſe ſupra mediocrem, habitu graciliore, cervice oblonga, ore candido & exangui, ac oſſeo propemodum naſo, atque eo plurimum adunco: raros patere ad prętorium aditus, ſed eum cuncta benignitatis officia per Habraimū humaniter implere: lautitiam ſibi caſtrenſi more largè præbitam fuiſſe, nihilq; ſibi extra vini deſiderium defuiſſe unquā: univerſum exercitū egregiè ali vervecinis carnibus atq; oriza, nullū panis eſſe uſum, niſi ſubcineritij & tumultuarij: equos in univerſum campeſtri pabulo contentos eſſe, cuius magnam copiam eæ regiones ferant: nam prata nequaquam detonſa falcibus, quod ſponte tulerint, præaltè adultum, & planè ſiccatum præbent: unum eſſe in caſtris Habraimum, ad quem veluti ex æquata cum Solymano militaris imperij poteſtate rerum omnium ſumma reſpiciat: eum eſſe ingenio excelſo, gravi, expedito, & ad virtutem exornandam maximè proclivi & liberali: penes hunc maximarum & ſecretiſsimarum rerum arcana recondi, adeo ut Solymanus in eius viri conſilio, fide ac vigilantia ſecurè conquieſcat: ab eo proximam dignitatem tenere Aiacem & Caſſimium magiſtros equitum, quos Bellerbecos vocant: huic Aſiaticorum, illi Europæorum Sanzachos parere: ſecundum hos Michalogli Muſtaphæ

nomen celebrari, qui voluntarijs equitibus præſit. Ii ſunt eorum lingua Acanzi, qui longè lateque præcurrere, regiones explorare, demorari, diſtineréque hoſtes, atque omnia ferro atque igne vaſtari ſoliti ſint. hunc eſſe Turcica ſtirpe ortum Ottomannis vetuſtate originis parem, militari prudentia clarum, antecedere cum caſtra duorum dierum itinere, & ſicuti ſuperiore bello feciſſet, ante alios cum centum milibus equitum intra proximos Auſtriæ fines eſſe præcurſurum. Interim Habraimus quum plures dies irrito conatu in oppugnatione Guintij contriviſſet, quòd abſcedere incœpto neq; Solymani nequæ ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, duo inuſitatæ magnitudinis propugnacula ante foſſam erexit. hæc non murum modò, verum & turrim, quæ erat in angulo ad Auſtrianam portam altitudine ſuperabant, ea etiam ratione muri angulum complexus, ut ex primo, quod erat latius & excelſius frontem hoſtium verberaret. & ex ſecundo per obliquum ipſorum latera peterentur. Ea continenti totius exercitus labore quatuor omnino diebus fuère conſtituta, & in ſummam educta altitudinem, ut hinc etiam Turcarum multitudinem æſtimare liceat. Imperatum enim fuerat ſingulis propè equitibus, omnibusq; ſarcinarijs iumentis, ut cæſam Aſaporum ſecuribus materiam è proximis ſylvis in caſtra cõveherent. ſcapos enim ramorũ magnorum aut diſciſſarum arborum deciſis frondibus æquali, & ea quidem tricubitali longitudine ita collocabant, ut alternis ordinibus modò recta, & modò obliqua ſerie, alteri ſcilicet alteris impoſiti ingentem lignorum ſtruem efficerent, ad effigiem latiſsimæ turris, è qua non modò qui in muro conſiſterent, ſed & qui intra oppidum vagari vellent, à ſclopettarijs & ſagittarijs conficerentur. Eo opere incredibili celeritate perfecto, repletaque foſſa, & compluribus in muro occiſis & vulneratis, Turcæ, qua murum cuniculo diſruptum diximus, in oppidum impetum fecerunt, quibus irrumpentibus Nicolizza quantas habebat copias, uti in extremo conatu neceſſe erat, haud cunctanter oppoſuit. Sed quum iam propè intra murum pervaderent prætoriani, tantus ſublatus eſt clamor cum eiulatu ab imbelli puerorum, & fœminarum multitudine, ut ſtupefacti potius quàm territi impetum repreſſerint. Ea cunctatio ſicuti ſubeuntes tardavit, ita animos propugnantibus in immenſum adauxit. Natura enim fit, ut homines tum maximè audeant, cùm repentè commutata fortuna timere deſierint. Eo modo quum præfecti cohortium milites caſtigando atq; item verberando nihil profeciſſent, pugnæ finis eſt impoſitus. Referebant Turcæ ſe integri erumpentis ab arce præſidij ſtrepitum, clamoremq; putaſſe, equitemq; diſtricto gladio ipſis ſubeuntibus comminantem in aere conſpexiſſe. eam proculdubio extitiſſe divi Martini ſpeciem, qui Sabarienſes omnibus dubijs temporibus certo tutelari numine conſervaſſet. cæterùm eius miraculi fides apud Nicolizzam relinquetur, à quo demum obſidione liberato Viennæ eam rem longa percunctatione didicimus. Porrò Habraimus pudore atq; ira vehementiſsimè conturbatus, dum vi Nicolizzæ animum pervincere nequit, honeſtiſſimis oblatis conditionibus expugnat: data enim fide publica evocatum ad ſe in caſtra cum ſummo honore verborum eius virtutem commendare cœpit, rogavitq; ut fortunæ periculũ facere deſineret: oppidum in eius poteſtate ſe relicturum, ſi in verba Solymani iuraret, & in ſpeciem præſidij aliquot Turcæ veluti tradito oppido reciperentur. Nicolizza qui ex octingẽtis ſtrenuis defenſoribus vix tertiam partem, atq; eam cõfectam vigilijs & vulneribus debilitatam,

tam, ſibi ſupereſſe meminerat, omnino tranſigendum exiſtimavit. Quid enim optatius accidere poterat, quàm ipſum cum præclarà fide virtutiſq; laude retinere oppidum, & cum ſola verborum inanium iactura tantam ſuorum multitudinem ſupremo metu atq; periculo liberare? Quum in colloquio nullum timorem præferret, & præſidij vires effusè mentiendo adaugeret, affirmavit ſe antea oppidū dedere paratum fuiſſe ob amicitiam Byzātij initam, ſed ſemper fuiſſe prohibitum, quo minus votum impleret, à Germanis & Hiſpanis, feris violentiſque hominibus, qui in præſidio eſſent, eos quoque tum vel exorantibus pueris ac fœminis, ut ipſe exiret, ægerrimè permiſiſſe. Itaque ſe polliceri Turcis omnibus, qui illac tranſirent amicum fore, eiſq; quos poſſet commeatus ex copia attritæ regionis præbiturum liberaliter, & Ottomannicum vexillum in ſumma turre præfixurum. id verò quod ad Turcas introducendos pertineret, ut deditì oppidi acceptique prçſidij ſpecies præberetur, ſe prçſtare omnino cupere, ſed plurimū vereri ne à Germanis ac Hiſpanis, qui Turcicum ſanguinē inducti religionibus maximè ſitirent, tumultu facto diſcerperentur, ut demum violato iure gentium, & corrupta ſpe deditionis, ad funeſti belli diſcrimina ſit redeundū: debere eum qui maximis eo bello rebus gerendis immineret, ut ſe inde explicaret, ſponte dediti, & in veterem amicitiam recepti voluntate et fide contentum eſſe, ſicuti ipſe quū oppido exiret, uti ſecurus de ſalute ac reditu ſeſe nunquā antea exploratç fidei commiſiſſet. Ad extremum Habraimus, virtute atq; aſtu Nicolizzæ ſuperatus, id tantū impetravit, ut Ianizerorum decuriam intra portæ limen admitteret, quibus introductis, & Illyrica lingua ad potandum vinum, cuius ea gens eſt avida, comiter invitatis, & ſibi & Habraimo cumulatiſsimè ſatisfecit, cùm neque Germanos neque Hiſpanos in præſidio habuiſſet. Nec multo poſt Habraimus, & ipſe qui non longè ſubſederat Solymanus, à Guintio diſcedūt, & in Carinthiç fines ad Muram amnem feruntur, in lævam longè à Danubio vertentes agmina, & penitus à noſtris diſcedentes, qui iam magna ex parte trinis circa Viennam poſitis caſtris convenerant, ac adventum hoſtium alacriter expectabant. Erat enim opinio orta primò à præfectis, uti fit, ac demum edita in vulgus, Solymanū in Neoſtadianos & Viennenſes campos à Guintio ſtatim eſſe progreſſurum, ut equitatu, qua parte virium erat ſuperior, undiq; præmiſſo aciem oſtentaret, & ſi noſtri obviam irent iuſto prælio cōgrederetur: ſed ab ea ratione alienum id iter adeo timorem antea de Turcis non ab re conceptū ex animis omnium deterſit, ut qui tanta mole virium incubuiſſet, tantæ arrogātiæ & tanti faſtus imperator exiſtimatione & dignitate ſpoliatus profugere crederetur, Turcaſq; iam noſtri milites, uti ignaros rudeſq; militiæ munitionumq; præſertim & operum penitus irriderent, poſtquam oppidulū tantis circumſeſſum copijs, & tantis operibus oppugnatū, viginti trium dierum ſpacio capere nequiviſſent. cæterùm tribus de cauſis id iter Solymanum tenuiſſe, poſtea à captivis compertum eſt: primò ſicuti ipſi iactabant, ut ad Cæſarē breviore compendio contenderent, quem nondum à Ratiſpona Lintium perveniſſe, cunctanterq; Viennam devehi cognoviſſent; ſecundò quòd Neoſtadium, uti paludibus cinctum, magnoque tormentorum apparatu, & valido militum præſidio firmatum, nequaquam ſibi tentandum eſſe decreviſſent, quo ab hoſtibus inſeſſo, atque in tergo relicto, ad Viennam ſanis hominibus minimè fuerit procedendum: tertiò, ut tutiſsimo fertiliſsimoq; itinere inter Dravū Savumq; ſuſcepto,

quum æſtas in exitum præceps & gravis imbribus autumnus ſuaderent, ad Belgradum reverteretur. Nos potius credimus Solymanum perſpecta totius Germaniæ ad id bellum alacritate, cognitoq; Italorum atq; Hiſpanorum adventu, de quorum numero ad eum ampliora & maiora vero à ſpeculatoribus veteribusq; amicis deferebantur, repreſsiſſe animi ferociam, & tuto evaſtare provinciam, quàm ancipiti eventu noſtrorũ vires collatis ſignis experiri maluiſſe. Sub id fermè tempus quo Nicolizza Guintij maximè laborabat, Viennæ militaris ſeditio exarſit, non modò propinquitate hoſtium periculoſa & pene exitialis, ſed diſiunctione animorum, & diſciplinæ conturbatione graviſsima, niſi dij immortales celerem atq; inexpectatã opem rebus propè perditis attuliſſent. Rochandulfus enim regiæ familiæ magiſter, quum in adventũ Cæſaris, totq; regulorum & legatorum hoſpitia prepararet, Hiſpanos qui in Pannonia militarant, urbe excedere, & in proximis campis extra tendere iuſſerat, illi id ſe facturos pernegabant, niſi merita ſtipendia præberentur, quod Viennenſium hoſpitijs aſſueti, omni caſtrenſi ſuppellectile, pecuniaq; carerẽt: in hos Rochandulfus contumacius hærentes impetum fecit, excitisque more militiæ ad arma Germanis & Viennenſibus tormenta currulia provexit: nec ſe deſerunt Hiſpani quanquam numero inferiores, & in oblongam regionem conglobati ſenſim pedes referunt, portamq; occupant, quæ in caſtra deferebat, adoriſſuri in auxilium Hiſpanos, qui dudum ab Italia veniſſent, atq; item Italos, qui in aliena terra viribus ut eſſent firmiores, anteà cum Hiſpanis cohortante Vaſtio privatum fœdus inierant. Res eò perducta eſt, ut quum Rochandulfus vir admodum iracundus & ferox, armatus in equo vehementius urgeret, & tormenta producerentur, contraq; Hiſpani obverſa ſclopettariorũ cohorte conſiſterent, penè crudeli prælio certaretur: tantus erat utrinque furentium ardor ad conſerendas manus, ut deprecantibus ſummis ducibus qui aderant, non modo non parerent, ſed promiſcuè omnibus minarentur, adeo ut Vaſtius & Antonius Leva, Hippolytusq; legatus, qui eo ad viſendũ belli apparatum à Ratiſpona decurrerat, quum deprecando orandoque nihil valerent, ſeſe intra proximam domum recludere cogerentur. Dum arma quatiunt atq; ignes tormentis imminent, haud dubiè cœleſte aliquod numen Chriſtianis rebus adfulſit: ſponte etenim veluti exæquato utrinq; periculo milites arma depreſsère humi, Rochandulfo ira deferbuit, adcurrère duces, dictæ ſunt cõditiones, atque æquis auribus acceptæ, promiſſa item ſtipendia, in pacandis utrinque animis Antonij Levæ, qui in ſella humeris hominum inter armatos illatus ora converterat, authoritas plurimùm enituit, Vaſtio præſertim, legatoque & Ludovico inter armatos iratosque iam depoſito metu ſeſe miſcentibus. Paulo antè ad Crementium, quod eſt oppidum in ulteriore Danubij ripa inter Lintium & Viennam, Hiſpani authore Hieronymo Leva, ſeditionem mouerunt. Iuſſerat Cæſar, ut milites nominatim per manipulos atque centurias recenſerentur: nam æmuli atque inimici ipſius Vaſtij, ut eius dignitatem & gratiam convellerent, Cæſari detulerant, falſum ab eo in cohortibus numerum militum referri, ob id Petrum Conſalvum Mendocium triclinij præfectum Crementium miſerat, ut milites inſpiceret diligenter, & deſcriptis ſigillatim ſtipendium numerari curaret, anteà ſiquidem præfectis cohortium univerſa pecunia dabatur, ut illi iudicio ſuo in ea dividenda uterentur, quum diſcretæ cohortes in templum inſtituto ordine à quæſtoribus citatæ eſſent, &

uni-

unicuique militi ſtipendium de quæſtoris manu ſolveretur, militibus novum morem approbantibus, uni omnium ex Levaniana cohorte reclamare, tumultumque miſcere cœperunt. Hæc ubi videt Vaſtius, qui initia ſeditionum audacter opprimenda eſſe didicerat, diſtricto gladio in medios irrupit: duos qui ſeditioſius commilitones incitarant, ex conſcientia ſceleris è templo profugere conantes vinciri iubet. ex his quæſtione habita Mendocius cognoſcit ſeditionis authorem eſſe Hieronymum Levam, qui ad Atheſim eius conſternationis, quam diximus princeps extitiſſet. Itaq; Mendocius re ad Cæſarem per tabellarios delata, brevi mandata recipit, damnatusq; Hieronymus Macicao caſtrorum magiſtro traditur, atq; ita ad minorem ignominiam in tabernaculo iugulatur, vir egregiè fortis, ingenio validus: eloquẽtia vero & vultu antiquis ducibus comparandus. Ferunt Mendocium aliquãto libentius atq; maturius de reo ſupplicium ſumpſiſſe propter ſimultatem Mediolani conceptam, quũ Hieronymus in tradenda arce ipſi Mendocio Cæſaris literas afferenti parere recuſaſſet. Leva ſublato cæteri in officio permanſère: retulitq; Mendocius, ſe pleniſsimas optimis militibus cohortes reperiſſe, adeo ut eas res ab invidis conficta, maligneque delata ipſi Vaſtio apud Cęſarem gratiam ac benevolentiam magnopere confirmarit. Dum hæc fiunt, Michaloglus iubente Solymano ex voluntarijs prædatoriam manum emiſit duce Caſono, qui ſuperiore bello vaſtabundus ad Lintium uſque præcurrerat: huic præcipit, ut iter non intermittat: longè lateque totam eam regionem pervagetur, quę̃ eſt inter Danubium & alpes, ut de Cęſare hoſtiumq; copijs certiùs cognoſcat, ac demum id pręſtet, ut maximè funeſtam & luctuoſam Germanis adventus ſui memoriam relinquat. Erat per ſe Caſonus vir impiger, & prædę avidus, ſed eo etiam promptiorem operam pollicebatur, quòd ſuperiore incurſione ſe maximè illuſtrem atque opulentum evaſiſſe meminerat. Igitur in tres alas ad quindecim milia equitum, modicis tamen intervallis dividuntur, in agris latè pagiſque præſertim, & in fuga plena timoris atque tumultus: magnam mortalium omnis ſexus & ætatis multitudinem improviſi repentinique opprimunt, ſenes invalidi fœminæque cathenis & laqueis tracti, equorum curſum adæquare coguntur: ędificia item, & in his infantes pueros barbara feritate ſuccendunt, adeo ut per centum & quinquaginta ferè miliaria rectis & tranſverſis itineribus cuncta ex continenti fumo, flammis atq; ignibus colluceręt. Caſonus ad Lintium uſq; provectus, quum ad Anaſſum amnem tertio ab urbe lapide perveniſſet, tantum terrorem intulit Lintianis, ut rex Ferdinandus, quòd ibi nullum eſſet militum præſidium ab Hippolyto legato cohortem Italicam poſceret, cuius præſidio Anaſsi pontẽ tueretur. Is primus omnium à Crementio rediens, conſpectis ab adverſa ripa Turcis, de eorum adventu nuntium attulerat: itaque eò confeſtim mittuntur viri fortes Sforcia Baleonus atq; Otho Montacutus cum valida ſclopettariorum manu. Hi contractis aliquot ligneis dolijs ad caput pontis ſubitariam munitionem erigunt, continuoq; revocant Hiſpanicam equitum alam, quæ in prima trepidatione, Roſale veterano duce, quin Danubium tranſiret retineri nequierat. Sed Caſonus ſive ponte non animadverſo, quòd frondoſæ arbores proſpectum impedirẽt, ſive vado ſuperius improſperè tentato, ſive ut credi par eſt, quòd non uſq; adeo audendum putaret, ut ad oppidi portam progrederetur, ad lævam deflexit. nec ibi rex Ferdinandus uti oppido diffiſus diu conſtitit, ſed ad Aciliam urbem, quæ Strabinga dicitur, ad

Cæſarem ut copias pararet, ea nocte contendit. At Caſonus coacta ingenti præda, evaſtataque univerſa regione, quum paganos ad arma concurrentes paſsim cæderet aut eluderet, eodem ferè itinere regreditur, Solymanum ratus ſe aut Guintij, aut in proximis ſupra Neoſtadium campis eſſe reperturum. Sed is iam promotis caſtris ad urbem Gratiam, Stiriæ Metropolim, quæ eſt ad Muram amnem, iter intenderat. Id viç conſilium ex falſa opinione ſuſceptum, Caſonum importunè decepit, atque ei pariter ſupremam propè attulit calamitatem: nam ubi ex frequentibus incendijs cognitum eſt, Turcas ad Lincium uſque regionem latiſsimè & crudeliſsimè populari, ex omnibus caſtris copiæ ſeſe effuderunt, ut tranſeuntibus occurrerent. Germani enim ad recuperandam prædam, vindicandasq; iniurias vehementer excitabantur, & quiſq; dux privatum ſibi conſilium deſumebat, quum in univerſum conſultandi & coeundi, & tempus exiguum, & hoſtium inaudita celeritas, omnem facultatem eriperent. non enim prædatorias tantùm alas evagari, ſed adeſſe robora equitatus, atq; ipſum etiam Solymanum adventare crediderant. Itaque Vaſtius à Crementio Danubium trajcit, & per nemora verſus divi Hippolyti oppidũ ad hoſtes fertur. Federicus Palatinus omnium auxiliorum, quę Germania contulerat, Imperator ad Viennam ſuperato Danubio caſtra movet. Auſtriani duces Sigiſmundus Prandeſer, & Ricianus à Neoſtadio copias educunt. Ludovicus Lodronius alio opportuno loco caſtra conſtituit. idem Bohemi, Moraviq; equites, & ipſi ante alios Hungari impigrè faciunt. loca ad tendendas inſidias quæritant, per quæ tranſituros hoſtes arbitrantur. Vaſtius fruſtrà ſylva & nemora triduo pervagatus, quum & commeatus deficeret, & Turcæ retrò converſi longè abeſſent, iam ſeneſcente in his locis eorum fama, Crementium & mox Viennam copias reduxit. Secant mediam Auſtriam Norici perpetui montes, qui ab alpibus Rhæticis oriuntur, ſeſeque mollioribus ſenſim iugis ad Danubium uſq; demittunt, adeo ut in ripa fluminis perangustum iter equis nonnunquam & curribus relinquant, ea montium congeries uſque ad Vindeliciæ fines pertinere dicitur, caſtellis ſatis frequens, multis amnibus irrigua, pecoris abundans. In hac regione multæ atq; latiſsimæ ſunt convalles, partim arâtris cultæ & paſcuis fertiles, partim ſylvis atq; nemoribus impeditę, eæ ad exitus fauces habent, pertinẽtes ad eam planiciem, quæ Noricum à Pannonia citeriore diſterminat, & ad Sabariam Veſpriniumq; perducit. Ad hos cõvallium exitus noſtri duces, uti quiſq; ab oppidis fumo & ſcloppis ſignificatione facta de Turcarum adventu cognoverat, diſtinctis locis copias admoverunt, intentè expectantes, unde nam hoſtes eſſent erepturi, quum in quadam convalle circa frumẽtarias molas ad amniculum Caſonus aquationis commoditate inductus conſediſſet. Neoſtadienſes de adventu hoſtium certiores facti, utpote qui in propinquo erant, primi omnium cum quinq; millibus peditum ad occupandas fauces advolarunt. Erat deſpectus in vallem ab edito collium iugo, ita ut noſtri cõſpectis hoſtium caſtris, ut eo declivi molliq; deſcenſu quin continuò decurrerent, contineri nequiverint. erant eę cohortes quatuor expeditæ Hiſpanorum atq; Italorum ſub Ludovico Goveio nobili atq; impigro, ſed ea die nimis præcipiti atq; præpropero duce. Nam qui modicis paſsibus & ſilenti agmine deſcendere debuerant, effuſo curſu & clamore edito pręcipites ierunt, adeo ut cum fatigati & curſu & armorũ pondere pervenirent, excitatis iam ad arma Turcis numero & viribus impares eſſent, ita occiſis paucis fron-

dato,

datoribus,qui obvij primò fuerant,adcurrentium mox equitum vim ferre nequiverunt.cecidêre in prima fronte ingentibus gladijs obtruncati Ferdinandus Cabreria præfecti Sardiniæ filius,& Franciſcus Rocha centurio, Villazaneſque ſignifer, & Martinus Gorea nobilis Tarraconenſis. milites magna ex parte ſunt cæſi, nonnulli in paludem profugientes umbilico tenus totam noctem latuerunt,cæteri agiliores conſcenſis montibus evaſêre, ipſe Ludovicus vallum ruſticanæ areæ concitato equo,ſaltu ſuperavit,& ad Germanos eſt reverſus:ij Sigiſmudo & Riciano ducibus cùm ab alto ſociorũ cædem fugamq; conſpicerent,uti inſtructa acie deſcendere atque opem laborantibus ferre vellent, nulla ratione adduci potuerunt. At Caſonus ne ſibi in valle & paluſtri impeditoq; in loco, ubi diluceſceret,cum pedeſtribus hoſtium copijs eſſet dimicandum,captivos quatuor milium numero,ne oneri eſſent,barbara feritate ad unum omnes interficit,et intempeſta nocte duobus factis agminibus caſtra movit:alterum Feriſio duce, ad meridiem perrexit, ſucciſo nemore & patefacto exitu,quod mirabile fuit,equitum ſecuribus,nullo accepto incommodo ad Solymanum pervenit: alterum ipſo Caſono duce per Storambergi oppidi vallem erumpens in Palatinum incidit.is ad Leopoldium vicum cum xij millibus peditum,& duobus equitum gravis armaturæ,tormentiſque viginti curulibus in acie conſtiterat.Fortè tum orta erat ex proxima palude nebula denſior, quæ mutuum utriſque aſpectum omni ex parte ſuſtulerat,qua demũ dilabente in adverſos Palatinus tormenta diſplodit. his vehementer Turcæ perterrentur, & quũ deflectere paululùm nolunt,ut pilas evitent,in paludem proximam equos imprudenter adigunt:ibi multi tenaci in voragine impliciti perierunt:nonnulli equis longo curſu debilitatis & macie conſumptis, quum extricare ſeſe nequirent, pedites evaſerunt, multo maxima tamen eorum pars ad noſtrorum acies ſe convertit, ſolis peltis protecti, & diſtrictos gladios in humero deferentes, adeo intrepidè, ut ante denſiſsimam haſtatorum phalangem decurrerent, ſpectantibus & conſervantibus locum atque ordinem non modò peditibus, ſed ipſis etiam equitum alis nihil ſe in prætereuntes evadenteſq; incitantibus. Tum Palatinus converſus ad ſuos, ſpectatores ergo,inquit, non bellatores erimus commilitones? ſi ut ſeſe ultrò hoſtes noſtris cuſpidibus induant expectamus.incitate acriter equos atq; haſtas intendite,ut prętereuntium agmina perrumpamus: nec mora ſigno tuba dato,armati equites in latera denſatis cuneis incurrunt,magna equorum atque hominum ſtrages editur: poſtremum Turcarum agmen intercluſum à primis undique urgentibus cataphractis cæditur & profligatur, pauci evadunt:ſternitur eorum vexillum,et ad Palatinum defertur:cecidit & ibi Caſonus,uti impigrum ducem decuit,ſupremo virtutis opere edito. Nam à noviſsimo agmine, ut ſuis ſpacium ad evadendum pręberet,diu acerrimè ferrea ingenti clava dimicans reſtiterat. erat enim inter omnes inſigni criſta conſpicuus, ea fuit ab aurea vagina in fronte exurgens ala vulturis, quæ ut ab omnibus noſceretur appenſi atque ideo volitantis plumei veli mappulam trahebat. ea demum Cæſari dono data,occiſi eo prælio Caſoni fidem fecit. Cæterùm Turcæ amiſſo duce vexilloque,& tertia ferè ſuorum parte deſiderata, quum in patentes campos evaſiſſent, vix emenſi iter ſeptem milium paſſuum in Lodronianas copias inciderunt. Lodronius enim ubi tormentorum boatum audivit, ratus quod erat, Palatinũ cum Turcis prælio congreſſum eſſe,eò ſigna converterat,unde cavæ per anfractus val-

les iterato repercuſſu acceptum armorum ſtrepitum reddebant. Nec mora Turcæ conſpiciuntur, & ante alios ferè trecenti, qui amiſsis equis in noſtros pedibus tanta vi, tantaque alacritate impetum fecerunt, ut ſeſe lanceis induere, & offerre tormentis minimè dubitarent, modò noſtros vel ſemivivi, traiectiq; vulnerarent, tantus inerat aut deſperatis aut devotis animis mortis contemptus. his celeriter interfectis affuêre equitum agmina modò confertis, modo diſsipatis ordinibus, in hæc Lodronius tormenta emitti vetuit, ne noſtri qui terga fugientium cędendo è Palatini caſtris ſubſecuti fuerant, uti erant hoſtibus permixti, temerè ſternerentur: ita Lodronius omiſsis tormentis magnũ ſpacium directa peditũ acie complexus: atq; item pari cõſilio Ioachimus Brandeburgenſis cum duobus milibus equitum lunata acie venientes excepêre, ibi vecordia ſive temeritas hoſtium debitas invenit pœnas: nam ſicuti intermittere fugam atque etiam fervida ora convertere cœperant, ut dextras conferent, & ſe minimè animis fractos oſtenderent, ita vi atque impreſsione noſtrorum perturbati pecorum modo cædebantur: nullæ enim eis loricæ, aut galeæ, rari arcus, haſtæ rariſsimæ, utpote quas per nemora diverſis caſibus effregiſſent. nec deerant qui cędis ſacietate aliquos caperent ut oſtentari poſſent, & demum ſacri belli iure pro ſervis venderẽtur. Tanto accepto incommodo, Turcę uti ſeſe è noſtrorum manibus explicabant, agminatim in patentes campos efferebantur. Equi enim eorum quanquam continenti tot dierũm labore & inedia confecti, natura tamen agiles & in extrema neceſsitate vehementer incitati, facile Germanos qui gravioribus armis & equis utebantur, vel immodico ſpacio reflexi in gyros, eo modo profligatos nequicquam perſequentibus Germanis latiſsima planities excepit. ea utrinque parva habet nemora ſolo herbido, & raritate arborum adeo peramœna, ut equeſtribus prælijs tota Europa nulla commodior eſſe videatur. Hæc exitum habet ad Neocrichum oppidum, cuius mœnia abluit modicus amnis, virentibus ripis & aquarum ſalubritate ponendis caſtris opportunus. Ibi dum Turcæ veluti ſuperatis omnibus eius diei difficultatibus conquieſcere parant, & equi virique promiſcuè ſumma laſsitudine defeſsi è profluente bibunt, & tenuis alimenti ex ſalita carne atque ea ſiccata in pulverem reliquias expediunt, novorum hoſtium ſuperventu perturbantur. Catianer enim ipſe & Turrianus equitum magiſter cum tribus milibus equitum diu quæritando hoſtes evagati: accepta demum, ut diximus, per manus ex fumo & tormentorum bombis ſignificatione Neocrichum decurrerant: ita tumultuarium prælium exoritur. multi Turcæ uti in gramine ſtrati deprehenſique dum equos frenant, ephippiaque ſubſtringunt, latè cæduntur, mox ita æquatur pugna, ut cùm fortiſsimi quiq; validioribus utentes equis in tergo conſtantiſsimè dimicarent, reliqui capto moræ ſpacio ad evadendum antecederent, & ſæpe converſi ac demum averſi certamen redintegrarent: noſtri tamen omnibus rebus ac animis præſertim ſuperiores ita perturbatis, feſsis, vulneratiſque inſtabant, ut paſsim peramplum eorum numerum proſternerent: reliqui tamen magna ex parte evaſuri viderentur, niſi, quod ſummam Turcis attulit calamitatem, & feroces adhuc eorum animos latè perfregit, nequaquam antè expectati Hungari ſupervenißent. Valentinus enim & Paulus, itemque Balthaſar Pamphilus & Claudius è montibus decurrentes, cum ſingulis alis in tranſverſos impetum fecêre, atque eos adæquato equorum curſu per ſexaginta amplius ſtadia terga cædentes

dentes ſunt perſecuti. Erant enim equorum pernicitate, & armorum genere, & pugnandi diſciplina Turcis ſimillimi et eò terribiliores, quòd recentibus equis advenerant, & Turcica lingua ad eos perterrendos, dum fugam increpitant, & ſuperbè inſultant, feris ululatibus utebantur. Ea die quum à tribus exercitibus tribus in locis eſſet pugnatum, ſumma virtutis laus penes Hungaros fuit, eò tamen æquiore conditione, quòd tribus iam prælijs profligatos, & in fugam coniectos, neque poſtremò paratos ad prælium deprehendiſſent. Vni Auſtriani Sigiſmundo & Riciano ducibus, qui biduo ante commilitonum cædem ab excelſo loco deſpectarant, & ſe demum in Neoſtadium urbem recreandorum corporum cauſa receperant, tantæ victoriæ participes eſſe noluerunt: eos enim ſomno vinoque ſepultos in tanta occaſione Rauber Labacenſis antiſtes vir graviſsimus ut arma caperent & oppido exirent, excitare non potuit. Quum Hungari inſequendi finem feciſſent, Turcis effugium patuit, ſolitudines ſylvarum petentibus, ſed ij demum pars ad Ferreocaſtrum, pars ad Veſprinium & Balatonem lacum in manus effuſorum ad prædam populorum devenerunt, adeo ut ex octo milibus vix pauci ad Belgradum: nulli verò ad Solymanum in caſtra pervenerint. Porrò Cæſar ubi Solymanum didicit ad Gratiam contendiſſe, Lintiana in arce duces ad conſilium vocat, ſententias exquirit an brevi & recto itinere ad hoſtem ſit properandum, ut Stiriæ maturam opem ferat. Gratia, Lintium, & Vienna urbes ita inter ſe ſitæ ſunt, ut æqualium ferè laterum trianguli figuram efficiant, ſed à Lintio Gratiam iter eſt expedito equiti trium dierum maximè aſperum, & convehendis præcipuè curulibus tormentis impeditum. id enim quum à Danubio receſſeris, per Velſienſium fines, & Salisburgam, quæ antiquitùs Iuvavia dicebatur, perpetui montes & abruptæ vallès excipiunt. Erant qui dicerent cum Turcis æquiore conditione poſſe confligi, ſi in regione montoſa & peranguſta, per expeditos pedites bellum gerendo, equitatus hoſtium, quo illi maximè valerent, inutilis redderetur. Id conſilium quanquam maximas haberet difficultates, quòd ab ore ſtrenuorum ducum proficiſci videbatur, eò Cæſarem adduxit, ut Apontius Hiſpanus, qui apud Antonium Levam caſtrorum præfectus fuerat, ad explorandum iter mitteretur. ſed is paulo pòſt quum deſerta paſsim omnia incolarum pavore & fuga comperiſſet, pauca atq; ea incerta de hoſtium itinere ſpeculatus, Lintium redijt: tum verò ex omnium ſententia pronunciatum eſt, ut Vienna peteretur: ibi enim conveniſſe totius Germaniæ copias, ibi proviſa re frumentaria commoditati tanti fluminis, tantisq; minorum amnium, qui ab utraq; ripa in id influerent, rerum omnium devectionibus nō defuturos commeatus: & deniq; ibi recenſendum luſtrandumq; univerſum exercitū, & ſi hoſtis regrederetur, ante urbis mœnia collatis ſignis eſſe confligendū. Non defuère tamen qui petendæ Viennæ conſilium, uti diverſum ab hoſte, & à gerendo bello penitùs alienum haud obſcurè damnarēt, quaſi hoſtis in ea calamitate provinciæ à Cæſare omnino fuerit perſequendus: ſed aliam inferentis bellum, aliam propulſantis rationem eſſe conſtabat, adeo ut dignitate integra Cæſar prætorio in Viennenſibus campis ſemel poſito, ignobiles hoſtium motus excurſionesq; ſpectare, & inanem ſtrepitum ſuperbi hoſtis à multo terrarū ſpatio provocantis ſimul & recedentis irridere poſſe videretur. Itaq; Cæſar Viennā claſſe devectus, Hiſpanos atq; Italos decurrentes more militiæ & pugnę ſimulachrum edentes cum ſumma admiratione ac vo-

luptate inſpexit. Antecedebat Vaſtius cum pedeſtri fraxineo conto, auratis armis, & ſua inſigni proceritate conſpicuus. Is denſando & celeriter explicando cohortes ad varias acierum effigies, quanta arte ſuperioribus bellis pugnatum eſſet edocebat. Sequenti die Cæſar Germanos inviſit ferina pelle contectus, ut vel ea militari comitate quale eſſet erga eos ſtudium, uſurpato gentis habitu teſtaretur. Tum Federicus Palatinus virtute animi atque oris habitu antiquis Germanorum ducibus, qui quondam Romana arma exercuêre, perſimilis, iuxta peditum phalanges diſploſis miro ordine tormentis quadrata equitum agmina traduxit. Ibi videre erat prægrandes equos ferreis bardis protectos, ingentia virorum corpora longè pulcherrimis munita armis, omnibus intortæ & rutilantes barbæ, atque ora bellicum vigorem ſpirantia, quales antiqui Theuthones Cimbrique fuiſſent, ex literarum memoria referebant. Neque enim gregarios equites tot reguli totque liberæ civitates, ſed maximè generoſos aut fortibus factis illuſtres, dum certatim ſtudio atque opibus excellere cuperent, ad id bellum miſerant. nam quicquid in Germanico nomine aut exquiſiti roboris, aut delecti floris fuit, à Viſtula amne ad Rhenum tam latè quàm litora lambit Oceanus, & Rhæticis Iulijsq; alpibus, ac Hercynia ſylva concluditur, id totũ aut iuſſu principum nomina dederat, aut ſponte conſcriptis adhæſerat, quando nihil tale unquam à maiorum ſuorũ, vel annalium recordatione contigiſſet, ut cõ ſenſu uno Germania omnis pro publica ſalute ac dignitate arma capere cogerentur, præſertim adverſus eas gentes, quæ ab ultimis Aſię Syriæq; & Ægypti finibus veniſſent, ut Germanos Romanorum armis indomitos & vetere militiæ gloria, & præſenti libertate ſpoliarent, quibus maximè rebus ſupra cæteras gentes omnibus ſeculis abſq; ulla dubitatione floruiſſent. Nec Bohemorum caſtra longè aberant, Sleſitarum & Moravorum copijs adaucta, quas gentium inclyti duces Hardechius et Berneſthenius adduxerant, Præerat omnibus Bohemis Sedislaus Lippa, ſummi magiſtratus honore inſignis. Ea gens cum lingua, quæ Illyrica eſt, tum caſtrorum diſciplina & armorum genere plurimum à Germanis differt, curribus caſtra vallantur, ingentiumq; ſcutorum ordine firmantur acies, equites, peditesq; peritiſsimè ſclopettis utuntur. Mos eſt & genti in Hercyniæ ſaltu latrocinijs aſſuetę, parvas è chalybe ſecures, ad certiſsimos ictus eiaculari, ferreas item clavas cubitales, cathena haſtilibus appenſas ambabus regere manibus, atq; his armatos magnis ictibus proſternere. Hi populi regiones ad Albim in Hercynia tenent, quas olim Marcomanni & Hermanduri tenuerunt. Ferdinando regi parent, quum regem nequaquam è popularibus, ſed ab externis nationibus, quē virtute atq; iuſtitia potiorem putaverint, vetere inſtituto ſibi deligant: ita ut modò Hungaris, modò Polonis, & uti hodie videmus, nonnunquã Germanis Bohemię regnum deferatur gravi & contentioſa ambitione principũ: nam qui Bohemorum rex evaſerit, in creando demũ Cæſare ſeptimi ſuffragij prærogativa & potens & inſignis efficitur, adeo ut quum Germani ſex proceres ad quos comitiorum ius, poteſtasque pertinent, ex pari numero utrinq; terni diſsideant, addito demũ utri libuerit ſuffragio ſuo Bohemus cum magna gloria Cæſarem pronunciet. Nec defuère aliquot Polonorum turmæ, non publico, ſed privato conſilio bellum ſecutæ, connivente ad ea Sigiſmundo rege, qui ſicuti non temerè cavebat, ne inducias violaret, quę ſibi cũ Solymano erant, ita ne Chriſtianæ cauſæ deeſſet, fortiſsimis viris oſtendendæ virtuti locũ præcla-

ra diſ-

ra diſsimulatione relinquebat. Quum tantarum copiarum numerus ſciretur, reperiebamus Cæſarem, non deductis urbium præſidijs, nonaginta deſcriptorum peditum, & triginta armatorum equitum milia in aciem eſſe producturum, nequaquam adnumeratis peditum atque equitum miniſtris, qui ſervorum loco, ſi labores officiaq; reſpiceres, æſtimari poterant: ſi verò ætatis, ingenia, equi atque arma cenſerentur, nemo eſſet militiæ peritus, qui eos putaret vel robore, vel uſu, vel ipſa ſpe veris militibus inferiores. Erant enim tum ad Viennam, coniunctis in caſtris ſupra ducenta & ſexaginta milia hominum, quibus Arioviſtus Vilermi Baioarij frater Patavienſis Epiſcopus cõmeatum in tres menſes ſe præbiturum certa pactione receperat. Neque enim unquam ab ulla memoria tantũ inſignium ducum, lectorumq; militum ullis in caſtris coiviſſe crediderim, ſi ſingularũ gentium nobilitatem, ac famam aſsiduis quæſitam bellis & privatæ virtutis decora animo reputemus. Nam cohortes ferè integræ ex his conſtabant, qui paulò antè centuriones ſigniferiq; fuiſſent, & turmæ refertæ erant veteribus præfectis, aut ijs qui egregiè pugnando, & preclarum nomen, & militaria dona, torques aureos, & aurata calcaria meruiſſent. Porrò in quota parte virium cenſebitur curulium tormentorum appara|ratus? qui in veterum caſtris aut certè nullus fuit, aut qualiſcunque fuerit, is omnino ætate noſtra ſit deridendus, cum operoſas è materia turres & machinas tremenda effigie, & aſperis ſuis tantum nominibus terribiles, maiores noſtros timuiſſe videamus, ea tum apud Cæſarem tot erant egregiè fabrefacta, ut perpetua eorum corona inſtructæ acies præcingi & latè muniri, ad non dubiam victoriam facilè poſſe viderentur. Omnium enim ducum id fuerat decretum, nihil à flumine Viennaq; diſcedere, nihil omnino progredi in apertos campos, ne hoſtium equitatus ſua multitudine atque audacia à latere inſinuatus, ab urbe demum Danubioq; intercluſis noſtris, omnem ſupportandi com meatus facultatẽ eriperet. hoc verò ordine exercitus noſter expectare hoſtem paratus, non procul à mœnibus ampliſsimo in loco ſtatuebatur. Tres peditum haſtatorum quadratæ phalanges, latis inter ſe diſtinctæ ſpacijs pari & æquata fronte contra hoſtes ſic locabantur, ut ipſis medijs intervallis equitatus omnis bipartitus reciperetur: neq; enim putabant numero exiguum aperto in loco extra pedites trecẽtis fermè Turcarum equitum milibus eſſe obijciendũ. Dextrum cornu equitum Cæſar, lævum Ferdinandus eo modo deſumpſerant, ut levis armatura ſclopettariorum, quę viginti milium numerum efficiebat, undique haſtata quæ diximus agmina, relicto triginta paſſuum ſpacio coronaret, horum acies longior & rarior erat, & quinis tantũ militum ordinibus in latitudine conſtabat, ut expediti & nihil inculcati, habili manu, dum primi ſclopettos emittunt, & ſecundi implent, alternantibus eo modo ordinibus perpetuam glandium procellam effunderent. neq; enim multum referebat, ſi tenuior eſſet: quoniam ſclopettarijs omnibus, ſi urgerentur, paratus erat ad proximos haſtatos receptus. Circumdabant ergo & frontem & latera atq; etiam terga, continuata ſerie, quæ duobus tantum in locis erat interrupta, ut egreſſus liber atque expeditus, quum oporteret, equitibus denſatis abſque ulla peditum perturbatione præberetur: ante verò levem armaturam conſtituta erant tormenta, ea ratione, ut poſtquam diu emiſſa fervefactaq; uſui eſſe deſinerent, in valli morem firmiſsimo quodam monimento irrupturis hoſtibus opponerẽtur. Soli Hungari extra munimenta ſe pugnaturos profeſsi à Valen-

tino Pauloque ducibus in ingentes alas expandebantur. Hæc ipſa ſpectantibus præ gaudio manabant lachrymæ veluti concepta non ſine ingenti ſpe de barbaris certa victoria, ſi ſe audacius ſuperbus hoſtis efferret, ac noſtros totis copijs adoriretur. Cæterùm Solymanus, qui è ſua vetere diſciplina campos quærebat, in queis noſtros expanſo & circumdato equitatu, nunquam comminus oblata pugna fatigaret, ubi de apparatu conſilijsque Cæſaris certius cognovit, ultra Muram eſt profectus. Is amnis antiquis Savaria fuit: effunditur in Dravum paulò infra Petoviam, urbem Romanorum caſtris & hybernis claram: eo ſuperato Turcæ ad Marpurchum oppidum delati, tumultuarijs pontibus effectis, Dravum tranſierunt: atque ita Solymanus qui univerſum prope terrarum orbem eius ſuſcepti belli fama commoverat, nulla memorabili re geſta, undique repulſus & cæſus Stiria exceſsit, & inter Dravum & Savum directo itinere ad Belgradum eſt reverſus, paſsim ſævitiæ ſuæ veſtigia relinquens, & ſæpe reſpectans, an Cæſar in tergo eſſet, quando poſtrema agmina à paucis Illyrijs & Croatis equitibus cæderentur. Ferunt eum ſupra triginta milia Chriſtianorum capitum in ſervitutem abduxiſſe, & aliquot milia diverſis in locis per Michalogli præſertim equites trucidaſſe: nam diſperſæ agreſtium armatorum manus, dum coire in unum conarentur, à repentinis aſtutisq; equitibus paſsim ex inſidijs circumventi facilè opprimebantur. Cognito Solymani diſceſſu Cæſar, omnium opinione celerius in Italiam redire conſtituit, deprecante Ferdinando, ut poſtquam innumerabiles copiæ tanto ſumptu tantoque labore coiviſſent, ea occaſione atque eo apparatu uterentur adverſus Ioannem, quem planè deſtitutum, & in magno regionis ſpacio disiunctum à Solymano & Buda urbe, & tota demum Pannonia facilè eſſent expulſuri. Sed Cæſar quòd hyems ſuberat, et commodiſsimis itineribus ſibi alpes omnino tranſeundas iudicabat, in propoſito diſcedendi perſtitit. Invitabat enim eum ad feſtinandum mira cœli ſerenitas, eo ſuſpectior in reliquum tempus, quòd per plures dies æſtiva potius quàm autumnalis extitiſſet: eam tum, ut ex naturæ cauſis credi par eſt, in cœlo per xv dies apparens crinitum ſidus, ſiccatis planè terris attulerat. peſtilentia quoque contagijs ſerpens & in urbe, & in caſtris, & in ipſa demũ aula multos cotidie & inſignes quidem rapiebat, ut non modò Cæſarem, ſed etiam conſtantiſsimum & graviſsimum quemque magnopere perterreret. Id verò Cæſar & communi cauſæ & fratris precibus dedit, ut Italicas cohortes omnes relinqueret, quæ adiunctis Auſtrianis copijs in Pannonia cum Ioanne bellum gererent: ipſe autem cum Hiſpanis & Germanorum Maximiliani atque Tamiſij legionibus in Italiam proficiſceretur. Delectus verò Italis dux eſt, Vaſtio efferente, Fabritius Maramaldus, nec de ſtipendijs quicquam eſt conſtitutum, ut cohortes ad præſtandam operam accendi, ac in officio contineri poſſent. Ea res primò reliquorum præfectorum animos vehementiſsimè pupugit, quòd unus cæteris omnibus non ſine aliorum dignitatis offenſione præferretur. Vt verò in vulgus militum emanavit, centuriones & ſigniferi notique milites veterum præfectorum ſuorum nomen & amicitiam ſecuti, ſe in Pannoniam non eſſe ituros teſtari, niſi rex Ferdinandus, aut ipſe Vaſtius, aut Antonius Leva imperij militaris munus ſuſciperent: gregarij verò milites palàm dicere miſſionem eſſe petituros, niſi trimeſtris pecunia ſolveretur, quam per ſe non multum pecunioſo Regi, & tum maximè exhauſto, defuturam eſſe in-

telligebant. Oderant & plerique Maramaldum, uti violentum, & in exercenda diſciplina nimis ſeverum, minimaque errata militum aut morte aut inflictis vulneribus ſæpiſsimè punientē. Vaſtius non uno in loco ad milites verba fecit, cohortes monendo ut ſacramentum militare reſpicerent, & decus quod tanta alacritate & celeritate adventus ſibi ipſis ac toti Italiæ peperiſſent, remanendi perſeverandique conſtantia tueri vellent: ad eos enim recuperatæ Pannoniæ laudem & gloriam eſſe perventuram, nec fortes viros unquam eguiſſe ſtipendijs: omnia virtute victoriaque parari, quæ certa atque explorata videretur: quantum ad ducem pertineret, eum ſemper ſatis generoſum & dignum videri, qui eſſet rei bellicæ peritus, & ſtrenuè hoſtem ferire ac profligare didiciſſet: in Fabritio tamen non deſiderari honeſtos natales, & excellere comitatem, & ipſum quum vi corporis ac ingenij vigore nemini cederet, etiam ætatis honore cæteros anteire. Sed in hoc præcipuè ſpectari debere iudicium Cæſaris, qui eum uti potiorem delegiſſet, & modeſtiam, parendique obſequium in milite ante omnia requirere, & maximè commendare eſſet ſolitus. His cohortationibus Vaſtius tantum profecit, ut ſtipendio præbito pacari atq; inflecti poſſe viderentur, ſed ad id Cęſar quæſtorum malignitate durior eſt inventus. Nondum enim perſolvendi ſtipendij dies advenerat, verùm id æquitate quadam milites ſibi deberi poſtulabant, quum novo & longinquo bello ſub hyeme illigari ſine pecunia nollent, & arma quoq; diſcedẽtes ab Italia ſtipendij nomine acceperant, quę quarto demum menſe per partes levi cum incommodo ſolverentur: ita accidebat, ut quibus arma publicæ divendita fuiſſent, illi maximè in alimenta vitæ pecunia carerent. Interim quum Vaſtius è caſtris in urbem ad explicandas huiuſmodi difficultates perrexiſſet, nox advenit opportuna miſcendæ ſeditioni, utpote quæ in certa luce pudorem metumque demeret, & ob id flagitio & petulantiæ locus creſcente licentia præberetur. Fortè allatus erat ex urbe nigerrimus panis, planeq; muccidus, quem emptum milites infixumque haſtilibus ita comilitonibus oſtentabant, ut cum inſigni dolore bileque Ferdinandi regis nomen maledictis inceſſerent, qui in regno ſuo, ipſoque belli initio, re frumentaria negligentiſsimè procurata, externos exercitus ad ſe præcipuè defendendum augendumque venientes, eo corrupto & ob id peſtifero cibi genere alendos putaret. & paulò ante inſolentius etiam egerat gregarius Hiſpanus, qui prætorium ingreſſus ſimili pane ad Vaſtij pedes cum execratione duorum Cæſarum proiecto, magnas turbas exciverat. Itaque milites ante tentoria in coronam coeuntes, dum adverſa atque aſpera de ſtipendio, de cõmeatu, de Hungarici belli difficultatibus proloquuntur ad ſigna Parmenſium ex omnibus cohortibus plurimi confluxêre. Ibi Titus Marconius Volaterranus, cæteris turbidior & eloquentior coacervatis iumentorum clitellis impoſitus, ſeditioſiſsimo quoq; centuriorum incitante, ut pro dignitate ſaluteq; omniũ liberrimè diſſereret, ita locutus fertur: Ergo, inquit, commilitones, uti audiviſtis, Hiſpani in Italiam ibunt, & noſtro malo in vetera hyberna concedent, atque etiam quòd pudeat præclari hoſpites cum uxoribus noſtris cubabunt: nos verò exulabimus, & in Pannonia hac hyeme cum glacie & nivibus bellum geremus: pugnaturi ſcilicet pro egentiſsimo rege, & eo quidem ſi Hungaros ſpectemus, inſititio & peregrino contra indigenam acceptum ſuis popularibus, ſuperque cætera omnia Turcarum copijs ac opibus longè firmiſsimum, & quòd fortibus viris maximè mo-

vere ſtomachum poſsit, duce Maramaldo, qui ſæpe cæcuſaira, præcipiti crudelitate, ita latera noſtra avidè gladio petere eſt ſolitus, ut non aliunde libentius, quàm ex noſtra cæde & ſupplicio ducis nomen uſurpet. neque vos qui ſæpe ſigniferi centurioneſque fuiſtis, uſque adeo inſaniſſe crediderim, ut ſine ulla ſpe ſtipendij, aut commeatus, aut victoriæ, aut deniq; reditus ſub gregario duce militetis. profectò non tam me iuvat huc veniſſe pro laude Italici nominis, vel non pluris quàm triginta denarijs æſtimatum, & ſi hactenus undena ſtipendia meruerim, quàm hodie diſpudet hunc fœdum antè finiri, quàm cœpti belli exitum ſpectare, ſed in regia fortuna nullus eſt pudor, ſicuti nec ulla æquitas in referēda militi gratia; militarem enim operam hodie reges una belli neceſsitate metiuntur: hæc una, inquam, nobis præmia expedit, amorem conciliat, auget dignitatem, quæ omnia demum poſt victoriam parta pace penitus obſoleſcunt. Ita vobis hodie evenit commilitones, Cæſar & Ferdinandus graviſſimo belli metu liberati, ut hac noſtra multitudine exonerentur, nos tanquā pecora in Pannoniam detrudere contendunt, ita ut ſperent noſtro ſanguine victoriam eſſe relaturos, aut in adverſa noſtra fortuna, nullam omnino iacturam facturos, ſi nos Turcæ & Hungari Danubij glacie, & Alpinis nivibus interclusos, fame & ferro penitùs abſumpſerint: verùm hæc fortaſſe non agnoſcitis, ſicuti nec planè noviſtis, quid hic durus, & verè ſanguineus cometes evibratis in Italiam radijs portendat, certè hic nec Solymano nec Cæſari fatalis adfulget, quum verius nobis calamitatem ac interitum minetur: illi enim pari conſilio ſecuritatis atque prudentiæ pleno, viam fatis aperire noluerunt, dum in diverſa abeunt, atque omnes committendi prælij caſus devitant. Ergo ſi illis planè licuit, & ſalva quidem maieſtate egregiè caviſſe, ne prælij aleam ſubirent, quum utrinque dimidius terrarum orbis præmium victoriæ ſpectaretur, nos minimè cavebimus, ne eò demittamur unde nullus niſi funeſtus exitus eſſe videatur? quum id abſque flagitio & optimo quidem iure, nulla propoſita mercede facere poſsimus. hoc modo valde præclarum tanto bello finē impoſitum videtis, in quo uni omnium Itali pro laude & donativo contumeliam ferimus, & ob id fortaſſe in Pannoniam relegamur, ut in Italiam hoc flore militum detracto longeque ſemoto, Hiſpanorum & Germanorum coloniæ deducantur. Profectò nimis miſerum videtur, ablegari in ſolo barbarico, ubi omnia hoſtilia occurrent, nec ullus deſertos & errabundos omnino pacatus locus excipiat. Experiemur quoque vel inviti quàm grave ſit, atque intolerandum corporibus ſimul atque animis hyberni & ancipitis belli ærumnas pati, atque interim ægro animo & moleſtiſsima reputatione meminiſſe, quid domi ab Hiſpanis atque Germanis liberi, fratres, conſanguinei, & ipſæ denique uxores noſtræ patiantur. Itaque hodie commilitones pluris intereſt rectè ſapere, quàm fortiter pugnare. Ad certam ſalutem, ad verum decus occaſio quæ ſe nobis præbet, in præcipiti vertitur, maturè facto opus eſt, & priuſquam Hiſpani vaſa conclament, nobis eſt provolandum, ut magno intervallo caſtra & prima agmina Cæſaris antecedentes, primi omnium Italiam intremus. ſi prolixè conſultando paululum cunctemur, & Vaſtius aderit, & ipſi præfecti noſtri advenient, Italici ſanguinis proditores, qui nos ſuo quæſtu & malo noſtro in has difficultates adduxerunt, ſcilicet deprecantes, & denique fallaciſsimis artibus multa ſtipendia pollicentes. At vos, ſi viri eſtis, eos tanquam publicos hoſtes à colloquijs arcebitis, atque etiam iure optimo, ut veterum ſce-

lerum

ſcelerum pœnas pendant, interficietis: non deerunt in hac corona viri fortes, atq; etiam magnitudine animi et vitæ innocentia illis multo meliores, qui nos educãt, agmina ſubſidijs firmẽt, aciem inſtruant, & hac veſtra virtute veſtriſq; animi feliciter utantur. Vos ſi ſapitis expedito conſilio corpora atque animos ad iter parate, Dij maturantibus ubique aderunt: nam facilè voti compotes evadunt qui præoccupant. Hæc dicentem excepêre turbidiſsimi quique ex varijs cohortibus laudando atque approbando cuncta ordine, uti Marconius perorarat, moxque fremitus tota concione eſt auditus, qualis apud conſternatos ad arma eſſe conſuevit. inde evulgata profectione ſigna ſunt revulſa, & denſato agmine ad Neoſtadium iter eſt directum. nec mora in agmine tribuni militares tumultuarijs ſuffragijs cum imperio creantur, nec his ubi nomen eſt recitatum, honoris recuſandi facultas relinquitur. Hi fuêre Montebellius Vmber, Nerius Tiphernas, Molearius Parmenſis, Sanctiuſque Picens, & à Mediolano gemelli fratres Gluſsiani, qui ad octo millia hominum ſecum traxêre, reliqui partim pudore, partim metu ſuſpenſi apud Maramaldum, Torniellumque in obſequio permanſerunt. Eo modo profectos Vaſtius, præfectique, & plerique centuriones provecti equis ad ſextum fermè lapidem conſequuntur, orant ut conſiſtere, nec tantum ſcelus admittere velint, parata eſſe ſtipendia docent, & precibus minas addunt. At illi obaudire, nihil morari, ira ſimul atque flagitio efferata ora convertere, adeo ut in adverſos minora tormenta diſploderent. Ibi Vaſtius dum retentare agmen, & tribunos deterrere, revocareque ad imperium conaretur, non mediocre vitæ periculum adijt. In ea interpellatione Molearius, qui ut ſeſe expurgaret, atque operam ſedandæ ſeditioni polliceretur, paulùm extra agmen in colloquio hæſerat, interceptus à Caſtalio præfecto iugulatur. Vulneratur & C. Anguillius Florentinus, capiturque ut eo indice ſeditonis authores quæſtione habita noſcerentur. eo atroci facto ſemel conſternatis, ira in immenſum accenditur, ita furentibus ſimiles multa millia progreſsi, ad Martis lucum perveniunt: id oppidum quòd portas clauſerat ſuccenſis valvis expugnant atque diripiunt, continuatiſque & maximè extentis itineribus cuncta obvia crudeli rabie populantur: omnia exempla ſcelerum paſsim edunt, avaritiæ, libidinis, immanitatis. His iniurijs Ferdinandus vehementiſsimè commotus, quòd recuperandæ Pannoniæ tota ſpe deciderat, & ab his à quibus ſummum beneficium expectabat, inexpiabilis iniuriæ detrimenta pateretur, omnibus Stiriæ, Carinthiæque populis ſcripſit, ut nemini Italico parceretur. id irati animi decretum, quanquam in ſupplicia meritos ederetur, tamen aliquanto acerbius & atrocius eſt viſum, & prorſus eo rege indignum, qui in omni actione anteà pietatis ac humanitatis laudem ferre concupiſſet: quoniam neminem eo periculo eximeret, adeo ut tot reliqui milites, tot legati, totque ſacrati antiſtites, atque ex omni Italia honeſtiſsimi viri in id cædis diſcrimen cum ſceleratis hominibus miſcerentur. Ad hanc edicti famam decurrentibus undique Germanis ad obſidendas itinerum anguſtias, multæ cædes factæ, in diſperſos præſertim & alimenta quærentes: ſed ubi conglobatæ cohortes, ad veſtigia cædis, & ad ipſa cadavera perveniebant, tum verò animis ira ac indignitate percitis in ædificia graſſabantur, ſic ut paſsim cubitalibus literis ex carbone incendiorum cauſam præſcriberent, ut ſubſequentes id nequaquam temerè, ſed vindicandis iniurijs factum ſcirent, caverentque ne ipſi pariter in

ſaltibus impediti Germanorum inſidijs ſternerentur. Interea Cæſar profecturus, Viennæ edixerat, vt hoc ordine in Italiam iretur, ex primo agmine cui ipſe præeſſe volebat, Ferdinandus Gonzaga cum leuis armaturæ equitibus antecederet, inde Vaſtius cum Hiſpanis, & prætoriani equites ſuccederent: interpoſito autem biduo ſubſequeretur Hippolytus legatus, cum toto legatorum ſacerdotúmque & togatorum ordine, quorum omnium comitatus erat ampliſſimus: tertium & poſtremum agmen, in quo Albanus regulus cum Hiſpanico equitatu erat, Germanorum legiones clauderent. Sed hunc ordinem militari conſilio conſtitutum Hippolytus abrupit iuuenili quadam impatientia leuitateque, quum natura feruido & volucri ingenio vlla in re nullam moram ferre, & nulli, vti accidit in ampliſſima fortuna, parere didiciſſet, adulantibus præſertim clientibus nonnullis, & centurionibus, quos incridibili ſumptu ſibi adſciuerat. Ii enim eum inſana libidine militare imperium affectantem, tanto exercitu dignum ad maximas res ingenti auſu gerendas dignum eſſe dictitabant, ita optimo quoque familiarium fruſtra deprecante, relicta ſacerdotali purpura, galeroque, quem maxime faſtidiebat, ferina pelle contectus, cum paucis armatis equitibus præcurrit. Id factum ad altioris conſilij receſſum plerique reuocabant, ceu legatus in ſumma rerum opportunitate conſternatos milites ad patrandum aliquod inſigne facinus in Italiam ſtipendio præbito eſſet adducturus: ſed intimi amicorum, qui eius ingenium ætatis voluptatibus occupatum, & nullo adhuc ſtabili vel grauiore decreto ſatis firmatum ſæpius excuſſerant, nihil tale verebantur; in eam tamen ſuſpicionem adductus eſt Cæſar, vt eum qui ſpiritu valeret, & Pontificia pecunia potiretur, ad occupandam Florentiam condentere iudicaret; allocutus enim milites fuerat, & ſecum adducebat Roſcium præfectum, à cuius cohortibus ſeditionis initia emanaſſe ferebant. Itaque precurrentem Cæſar, nec reuocantibus ipſius nuntijs obtemperantem, ad oppidum ſancti Viti cum Roſcio comprehendi cuſtodirique iubet, ne pax tanto ſumptu, tantoq; labore omnium in Italia parta, eius adoleſcentis audacia turbaretur. Verum non multo poſt Cæſar, cum certiora de ea re didiciſſet, nec patrui Pontificis animum acerbiore offenſione exagitandum putaret, violatique ſacroſancti legati infamia permoueretur, quinto die eum emiſit, retento Roſcio, qui & ipſe demum facilè impetrante Ferdinando Gonzaga affine, cuſtodia eſt eductus, quòd eum præclaro multorum ſigniferorum & centurionum teſtimonio, culpa vacantem caſtrenſis prætor abſoluiſſet. Quum in itinere Cæſar eſſet, Paulum Iouium qui has conſcripſit hiſtorias, in agmine adequitantem ad ſe vocauit, vt eius paulo durioris facti famam leniret. nactus enim idoneum hominem, vti ſibi notum, ac Hippolyto familiarem, per quem cuncta ordine ad Clementem ſcriberentur, docuit, non voluntatis, quæ eſſet egregia erga Pontificem ipſumq; legatum, ſed ſummæ neceſſitatis fuiſſe conſilium. quid enim acerbius accidere potuiſſet vel ipſi, vel Pontifici, ſi Italia, ipſaque imprimis Florentia ſeditioſorum militum incurſione in diſcrimen noui belli fuiſſet adducta? ſcire ſe quantopere Clemens paci quietique ſtuderet, qui iampridem graui iudicio & Alexandrum Etruriæ principatu, & Hippolytum ſenatoria dignitate contentos eſſe voluiſſet, vt diuiſa & communicata in vnũ conſenſum, deuerſa

cum

rum virium potentia, Mediceæ domui firma & diuturna felicitas pararetur. Bellorum initia ſapientibus maximè eſſe pertimeſcenda, quæ cùm à peritis plerunque temerè atque imprudenter ſerantur, ubi demum creverint, niſi graviſsimo conatu periculoq; vix à maximis & prudentiſsimis regibus tolli vel opprimi poſsint, non debuiſſe Cardinalem, qui tanti muneris perſonam gereret, deſumere ſibi habitum militarem, ut ſeditioſos & caſtrorum atque militię deſertores cõſequeretur, & cum ijs quæcunq; in exitu forent, conſilia communicaret: nequaquam enim eum quieti vel moderati animi dediſſe ſigna, cùm neque edicto, neque precibus audiens eſſe voluiſſet: quorſum enim eius dicta factaque tenderent, quis non inſanus minimè divinaret, quum ille & ſua & aliena dignitate vel improbè vel arroganter abuteretur? profectò eum uti antea tentaſſet, Florentinę civitatis otium conturbare cupiviſſe, aut certè reliquiſſe præclaram eius importuni conſilij ſuſpicionem, quum nulla ſpe vel laude totam caſtrenſis diſciplinæ rationem intempeſtiva excurſione corrupiſſet. Cęterùm ſe ea, & quidem propenſiſsima voluntate, qua ſemper fuiſſet, Cardinalem loco fratris habiturum, ſatis facturumque ei molliore excuſatione, cum in Italia antecedentem foret conſecutus: id verò ſe in ſumma teſtari, quicquid fieri iuſsiſſet, id non ſuo, ſed Clementis commodo factum fuiſſe, quum etiam publicam Italiæ quietem unius inquieti hominis amicitia cariorem habuiſſet. Sibi verò pergratum fore, ſi id totum animi ſui iudicium, uti ab æquitate præſentiumque rerum ratione minimè alienum, ad Pontificem accurata fide pręſcriberetur, quod mox Iovius diligentiſsimè fecit. & id quidem æquiſsimo animo tulit Clemens, quum & captum ſimul & dimiſſum Cardinalem uno tempore cognoviſſet, ſæpe quærens eius ingenium à deterrimis adulatoribus fuiſſe depravatum, quanquam in ea re Cæſar ſe ipſo ſuſpicacior & aſperior extitiſſe videretur: erat enim in Cæſare, niſi naturam acerbiore facto exagitares, ſumma æquitas, rara modeſtia, patientia ſingularis, adeo ut in tanta fortuna nihil repentinum aut inſolens, vel iudicio vel ſermonibus eius excideret. At Hippolytus ubi cuſtodia eſt emiſſus è ſancti Viti oppido, quod Virunum nonnulli antiquitùs fuiſſe putant, ingenti curſu Venetias contendit, bis cum ſummo vitæ diſcrimine per infeſſos à Germanis ſaltus feliciter elapſus, quum Mercadus Hiſpanus dux itineris, Germanicæ peritus linguæ, oſtentatis cultu ipſo regiæ aulæ inſignibus ea pericula depuliſſet. Porrò tribuni militares quum incredibili celeritate continuatis die noctuque itineribus ad Vacorium perveniſſent, quod hodie Villacum dicitur, in ripa Dravi amnis conſtiterunt. is amnis aquarum mole & ſuo rapido curſu concitatus, nequaquam vado ſuperari poterat: pons verò ſublicius quo iungebatur oppidi portæ, ita erat inſinuatus, ut per mediam oppidi regionem ad adverſam portam via militaris extenderetur. Quum Vacorienſes in muro eſſent, & in ulteriore ripa non exiguam equitum & peditum armatorum multitudinem oſtentarent, tribuni in lunato ripæ tractu extenſis ordinibus aciem inſtruxerunt, quæ aſpectu ipſo & genere armorum latè ſplendentium, & ſclopettariorum multitudine terribilis non rudibus modò populis, qui à multis annis armatos exercitus non vidiſſent, ſed exercitatis etiam militibus terrorem incutere poterat. Pollicebantur Itali, ſi ponte tranſitus præberetur, & venali commeatu iuvarentur, ſe continenti agmine ſine maleficio eorum finibus exceſſuros, ſi id minimè concederetur, ipſos ſua induſtria & parvo quidem cum labore inven-

turos viam, qua ſuccisis proximis arboribus flumen tranſirent, ſubindeque adnixuros vt Vacorienſes inhumanitatis & contumaciæ pœnas darent. Parati erant oppidani commeatum dare, ponte oppidoque recipere, ſed per cohortes ſeparatim, vt ſingulæ per oppidum cæteris omnibus excluſis, ſine periculo tranſmitterentur. Eam condicionem minimè probantibus Italis, quòd neque tuta eſſet, neque ex dignitate videretur, oppidani qui fortunas ſuas cum deſperatis minimè in periculum temerè deuocandas eſſe exiſtimabant, ponticulum ſubitarij operis à proximo maioris pontis capite iuxta oppidi murum ad frumentarias molas celerrimè perfecerunt, atque ita ad mutuam ſecuritatem vtriuſque integra exiſtimatione, præclarè atque opportunè conſultum. Drauo ſuperato, quintis demum caſtris, & multo pacatioribus quàm antea itineribus ad Tiliauentum flumen eſt peruentum, atque inde diſſolutis cohortibus milites vario itinere, vti quiſque patriæ proximus, cum execratione eius infauſtæ militiæ domum ſunt reuerſi. Nec multo pòſt Cæſar Italiam intrauit, ſingulari Veneti ſenatus ſtudio liberalitateque paſsim ſuſceptus: eam verò pacati amicique animi modeſtiam præ ſe tulit, vt Venetæ ditionis vrbes ſe minimè ingreſſurum eſſe teſtaretur. nolebat enim qui validiſsimis copijs cinctus aduentaba, vllam omnino affectati Italiæ imperij ſuſpicionem præbere, quum paulo antè ab diro bello tot vrbium excidia pertæſus, vt pacem adferret, ea quæ victricibus armis tenebat, incredibili æquitate magnitudinèque animi veteribus dominis reddidiſſet.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXI.

ADVENTANTE In Italiam Cæſare, Andreas Auria cum triginta quinq; onerarijs & quadraginta octo roſtratis nauibus Meſſanam venit. ibi cum inſtrumenta bellica & nauticos præcipuè commeatus, nequaquam ingenti cura ac diligentia à præfecto Siciliæ, quem tum importunè morbus inuaſerat, parata atque expedita reperiſſet, aliquantò ſerius quàm volebat, in Græciam traiecit. Audierat enim Himeralem, Ottomannicæ claſsis præfectum, in Ambracio ſinu aliquandiu deſediſſe cum ſeptuaginta triremibus imperitè & nequaquam militariter inſtructis, vtpotè quibus vſu periti nautæ gubernatoreſque deeſſent, & remigum turba magna ex parte ad naualem operam rudis, vti ex mediterraneis ſæpe hominibus impotenti imperio in naues cogi ſolita, vulgato per ſingulas triremes morbo laboraret, ſic vt eum nullo prope negotio ſi maturaſſet, oppreſſurus fuiſſe crederetur. Erat tum ad Za-

cynthum inſulam Veneta claſsis ſexaginta triremium Vincētio Capellio prę-fecto, qui inſulas & urbes litoraque Veneti imperij vigili cura tuebatur, utri-que iure fœderis amicus & hoſpes, nulli ſocius, ſpectator tantum, ſed ex pro-feſſo illis futurus hoſtis, qui ſubiectis Veneto nomini populis terra aut mari vim intuliſſet. Fuere qui crederent Venetos, ut neutris æquitate officij deeſſe viderentur, uno tempore & Aurię de Turcarum clade per Corcyreos miopa-ranes ſignificari iuſsiſſe, & monuiſſe item amicè atq; opportunè Himeralem, ut Ambraico ſinu quamprimum educta claſſe Ionio mari excederet, ne ab Au-rianis triremibus, quæ apparatu celeritateque præſtarent, dum parum ſalubri in ſtatione moram inutilem trahit, deprehenſus opprimeretur. Itaque Auria à Lacinio promontorio, quod hodie Columneum vocant, dimiſsis in altum onerarijs navibus, ut rectà ad Peloponneſi inſulas curſum dirigerent, Iapy-gium Salentinorum, legendo Magnæ Græciæ oram tenuit, indeque Corcy-ram & Cephaleniam prætervectus Zacynthum venit. Conſtiterat in acie Ca-pellius penè hoſtilis paratique animi ſpeciem præbens, ut apparatum atq; ip-ſam nondum vel diuturna pace ſeneſcentem maritimi negotij diſciplinam o-ſtentaret: & vetera quidem odia memoriam ſubibant, quibus Ligures Lucia-no Auria duce, ipſius Andreę tritavo, ad internitionem propè Veneti nomi-nis ad foſſam Clodiam dimicaſſent, atq; inde Auria ſubirato triſtique animo Luciani interitum defleret, qui victor eo navali prælio cecidiſſet: ſed ſanctiſsi-ma religionis & fœderis iura ita animos continebant, ut quum utriq; impru-dentes vel incauti videri nollent, præbito inſigni ſpectaculo concurſuri vide-rentur. neq; inutile vel iniucundum poſteris futurum putaverim, ſi acierum ordo paucis verbis explicetur, quando ætate noſtra nequaquam ſimile conti-gerit, ut id literarū memoriæ mandaremus. Collocarant in alto Veneti ingen-tem onerariam navem quaternis funibus à puppe proraq; ad totidem ancho-ras, in obliquum ductis, firmiſsimè deligatam: ab hac utrinq; binę galeaciæ in-gentium tormentorū apparatu formidabiles ita conſtitutæ erant, ut ex inter-vallo onerariæ navis frontem non æquarent, & utrinq; tantū ſpatij relinque-retur, quantū ſatis eſſet, ut à læva dextraq; viginti ſingulæ triremes, quę erāt in cornib. erumpere poſsēt: tertia verò acies ex reliquis viginti triremibus, in qua erat ipſe Capellius, in tergo ſubſiſteret, hinc aut inde allatura opem, uti prælij caſus & incurſus hoſtium popoſciſſet. eo pacto onerariæ navi ad emittenda tormenta latum & vacuum mare, à fronte & à lateribus relinquebatur, & ga-leaciæ in altum exporrectæ, triremium latera tuebantur. Ab Auriana claſſe tres ſpeculatoriæ triremes antecedebāt inſigni velocitate: tres verò acies quin-decim triremium eo ordine ſubſequebantur, quem in agmine navigationeq; tenuerant: ubi verò in conſpectum Venetæ claſsis eſt deventū, Antonius Au-ria, qui primo præerat agmini, in dextrum ſenſim deflectens, remos ſuſtulit, ut ſequentes expectaret, & Andreas, qui medium tenebat agmen, ſuo curſu pro-greſſus, ſeſe introrſus ad cornu dextrum applicavit: Salviatus verò Rhodiarū totius tertij agminis præfectus, interim in lęvam ita cōcitavit remiges, ut pun-cto temporis ad medium agmen proveheretur, adeo ut æquata omnium tri-remium fronte, uno pariq; impetu concurſuræ crederentur. Reddidère veri prælij ſimulachrum tormenta utrinq; ad conſalutationē honoris cauſa, exem-ptis pilis miro ordine diſploſa. Venit ad Auriam Canales nobilis vir atq; item fortis, Ionij maris cuſtodiæ præpoſitus: per eum Capellius, portus, ſtationes,

commeatus amicè obtulit, excuſauitq; ſe, quòd integra ſenatus fide conſociare vires, & publicos hoſtes perſequi nequaquam liceret: obſtare enim fœdus, antiquitùs cum Ottomannis percuſſum, quod ipſe etiam Solymanus renouaſſet. At Auria Cæſaris nomine gratias egit, quòd ſenatus eo animo eſſet, vt maiorem æquitatis atque iuſtitiæ, quàm vllam bene gerendæ rei rationem reſpicere cogeretur, ſperare ſe tamen Cæſaris auſpicijs talem ad ingentem victoriam Venetis occaſionem eſſe præbiturum, vt eæ fœderum compedes, ab ipſis vltro pietatis et certæ victoriæ cauſa cupidisſimè frangerentur. Et certè quum hæc animo reputamus, noſtrorum temporum condicionem deflere, Chriſtianorumq́ue principum inſaniam deteſtari lubet, qui dum inter ſe bello aut odio diſsident, ita Ottomannis parcunt, vt qui toties ſuperari delerique potuerunt, non immeritò adaucta in immenſum potentia, ad totius orbis imperium aſpirent. Himerale enim tum in fugam acto, atq; eo, ſi perſecuti forent, facile deleto, quæ reliqua vnquam Solymano claſsis ſuperfuiſſet? qui nam Byzantij, Cæſarianæ Venetæq; claſsium impetum tuliſſent, niſi tirones prætorianos, aut eunuchos ad coſtodiam fœminarum domi relictos, mœnia egregiè defenſuros credamus? quũ in Pannonia procul ageret Solymanus & Græci ex ipſa vetere libertatis ac imperij ſui memoria, vt rebellare ex tuto poſſent, non quidem acceſſum Chriſtianæ claſsis, ſed vix ipſam tantam aduentus famam, erectis animis expectarent. Cæterùm Auria vbi didicit Himeralem ſuperato Galli promontorio, quod antiquis Acritis fuit, ad Maleam contendere, Antonium Auriam cum delectis ſeptem triremibus qui perſequeretur miſit. ſed ille ad Cytheram inſulam vſq; fruſtra perſecutus, quo hoſtes Argolicum ſinum prætergreſſos, Atticæ Sunium atq; inde Chalcidem petere audiebat, ad claſſem eſt reuerſus; ea tum in Sphragiæ inſulæ portum, quem noſtri Sapiẽtiam vocant, ſupra Methonem ad explicanda conſilia ſe contulerat. iam enim onerariæ ab alto, remisſioribus vſæ ventis, in conſpectum ſe dederant. Fuere qui dicerent Methonem oppugnandam eſſe, & ante alios Saluiatus impiger iuuenis, Rhodiarum triremium præfectus: profitebatur enim ſe eam turrim, quæ ſubiectum mare deſpiceret, & cæteris munitior eſſe videretur, effracturum maioribus tormentis, et protinus occupaturum, vt poté qui ſitum vrbis interioresq; munitiones apprimè noſſet: ſuperiore ſiquidem anno in eum ipſum Sphragiæ portum cum aliquot triremibus è Melita inſula noctu illatus, præmiſſo ignobili nauigio per ſimulationẽ exponendi mercimonij, in cuius carina armati conditierant, felici dolo vrbem occuparat; Iano Mario, viro Græco ſummæ virtutis id facinus ingenti animo patrante: ſed occiſis cuſtodibus, occupataq; porta, & iam capta vrbe, noſtri milites aliquanto prædę, quàm decoris auidiores, quũ ad diripiendas domos ſolutis ordinibus diſcurrerent, facilè à Turcis, qui animos receperãt, turpiter cæſi expulſiq; nobilis victorię initium fœdo exitu corruperunt. ob id Auria ex priore periculo intentiorem firmioremq; cuſtodiã adaucto Turcarum numero futuram ratus, Coronem oppugnare conſtituit. Diſtat ea vrbs à Methone duodecim fermè paſſuũ millibus ſi terreſtri itinere petatur, mari verò paulò minùs viginti. nam Acritæ promõtorium medio ferè ineruallo in mare procurrit, & in læuo promontorij latere ſenſim litora curuantur. In hoc ſinu ſita eſt Corone, adeo porrecta in palagus, vt magna ex parte maris fluctibus alluatur: altera pars cuneata in latam cuſpidem, tranſuerſo muro, eoque ſenis turribus inſigni & ferrata porta, proximam

litori,

litori, quam Inſulam vocant, penitus excludit, & ita à mari recedens ſenſim attollitur, vt perpetuo ſaxo mœnia impoſita ad trianguli formam oppidum efficiunt In oppido, vt firmiore nobilioreq;, Turcæ domos habent, Græci inſulam inhabitant, ad extremum verò oppidi angulum præalta in rupe arcem Veneti quondam fecere, quæ mediterranea deſpicit & ſuburbana tecta; hæc viam militarem excipiunt, quæ in ſeptentrionem perpetuo accliui collis dorſo in campos extenditur; ſed ea ſuburbana quum ad ſagittæ iactum à porta oppidi proceſſeris, alio intermedio muro portaq; diuiduntur: porro ad mare ab vtraq; vrbis parte duæ ſunt percommodæ ſtationes: nam quũ Euri Vulturniq; vel è diuerſo Fauonius & Corus ſæuius perflauerint, ex hac in alteram nauigia repente confugiunt. In læua ſtatione ex vetuſti operis mole portus efficitur, verum adeo anguſtus, vt vix ſeptenas triremes tutò recipiat. Auria terra mariq; explorato vrbis ſitu, cohortantibus maximè Græcis, qui ad noſtros è ſuburbanis ędificijs cupidiſſimè tranſierãt, aggreſſurus vrbem, in hunc modum ad oppugnandum loca muniaque diſtribuit; Circunductæ primò ſunt in ampliſſimam coronam naues onerariæ, & ante eas triremes, vt totam eam conuexi muri partem, quæ inſulam à mari præcingit, contractiore ambitu complecterentur, proiectis in litus ſub muro anchoris, vt inde per ductarios funes ergatarum beneficio attracta nauigia, quantum maris vadum pateretur, ad mœnia promouerent. Scaphis autem magnarum nauium pluteis ac aſſeribus protectis, anchoras prouehi & in litus ad ſcopulos inter tela Turcarum ab alto incidentia collocari iubebat. ex nauium proris nouo quodam artificio pontes paribus extantibus antennis impoſiti tabulisq; conſtrati, à fronte prominebant, ita vt ſummitati mœnium æquarentur, atque inde clypeatæ armatęque cohortes procurſuræ & irrupturæ in oppidum viderentur. In duarum verò longè maximarum nauium Grimaldiæ ſcilicet & Rhodiæ ſummis carcheſijs ab excelſiſſima ſcilicet mali ſummitate, ſacri, falconesq; bini conſtituti erant, vt inde non propugnatores modò qui in muro conſiſterent, ſed interiora inſulæ certis ictibus peterentur. Terreſtres verò copias ita diuiſit, vt Hieronymus Tutauillas Sarnenſis comes duceret Italicas cohortes, & à læua parte ſupra molem latum propugnaculum ſeptem tormentis quateret. Hieronymus verò Mendocius cum Hiſpanis à dextra, paulo à mari longius, non inſulæ tantum, ſed & oppidi murum totidem tormentis & ſcalis aggrederetur. Ipſe Andreas locum ſibi delegerat apud molem, Sarnenſi maximè propinquum. Pontificiæ autem triremus contraria in parte Antonio Auria depoſcente, dextrũ cornu tenuere. Saluiatus in medio Rhodias mœnibus admouit. Nunquam ab vlla memoria, tantum tormentorum ad vnam oppugnationem collatum fuit: nam à terra quatuordecim, à mari verò centum & quinquaginta muralibus tormentis vno vndique tempore murus eſt vehementiſſimè verberatus: minorum verò tanta vis fuit, vt neq; proſpici quicquam, neq; exaudiri facilè poſſet, fumo ſcilicet in craſſiſſimæ nebulæ morem latè diffuſo, & crepitu reboatuq; tormentorum cuncta quatiente. Apud Sarnenſem Itali magno animo, ſed irrito incœpto ad proruptum murum ſcalas apponere, & ſcandere cõnantes, ter à Turcis acerrimè propugnantibus inſigni detrimento accepto ſunt repulſi. Neq; enim tantum muri dirutum fuerat, vt attingere ſcalæ poſſent, et vndiq; ab latere minoribus tormentis ſternebantur, nec Turcæ è muro ſaxa, ignes, ſeruentem arenã, calcemque & picẽ lequefactam prouoluere

ac infundere ſubeuntibus ceſſabant. Sarnenſis in his periculis fortiter æque atque feliciter verſabatur, nec reuocandi milites locus erat: nam implicati inter ſe haſtis et in caſarum anguſtias, quæ muro ſuberant, metu retruſi quanto magis á muro recedebãt, tãto apertiús ac certius vulnerabãtur. Periere in eo conatu receptuque Theodorus Boſchites Græcus, qui in Italia alæ equitum cum laude præfuerat: atque item Franciſcus Carnaus é Neapoli, & Iacobus á Capua, ſtrenui centuriones, & cum his trecenti ferè milites, & ſupra mille vulnerati debilitatique, in queis fuit Alfonſus Capanius ſignifer, cui ſclopetti pila ab alto demiſſa, perfoſſo oculo linguam abripuit. Ex altera parte Mendocius nequicquam quaſſato muro, quum omnia ardua ad aſcenſum forent, cauto conſilio prælij fortunam non ſubijt. At nauales ſocij feliciús, quum Auria ſubeundi & ſcalas afferendi vti anteà edixerat, tuba ſignum dediſſet, in inſulam peruaſerunt, cedentibus muro Turcis metu pontium, quos ſuperſtantibus armatis appropinquantes continuò apprehenſuros murum omnino crediderant. Primus ex naue Grimaldia imberbis Ligur genere humilis, ſed eo ſaltu ſatis clarus, vexillum in hoſtili muro defixit, proximi ei ſucceſſere Hidrontinus è Galeone miles, ac demum Lamba Genuenſes; atq; ita multis interfectis inſula capta direptaq; eſt, refugientibus infra oppidum per ferratam portam Turcis, qui ex eo quem diximus turrito muro, noſtros præda occupatos vagantesq; ſclopettis et ſagittis vulnerabant. At primis tenebris Sarnenſis ſuos, qui ſub muro conditi protectiq; multis horis ſubſtiterant, incolumes ad ſe recepit, & tota nocte laboratum eſt in erigendis munitionibus, quibus in oppugnando oppido ipſi milites tormentaq; ab hoſtiũ ictibus tegerentur. Sequenti die plures Turcarum equitum manus, vt Coroneis opem ferrent, in conſpectum ſe dederunt: namq; ſingulos ferè proximorum oppidorum præfectos, et fama Aurianæ claſſis, & auditus tota Peloponneſo tantus tormentorum ſtrepitus, exciuerant. aderat á Lacedemone, quam Miſitram vocant Zadares, cui Tridigito cognomen. is á Londario Charitena Meſſeneq; expeditos equites circiter ſeptingentos adducens, ſecundum litus iter facere cœperat, vt à dextro latere in vrbem irrumperet. erat inter ſuburbana tecta, ei portæ quam diximus, in ſtatione collocatus cum cohorte Theodorus Spinula, iuſſuq; Sarnenſis milites intra ſagittę iactũ intercisa militari via tranſuerſam foſſam oportunè duxerant. Itaq; Zadares quum ab Eraſmo Auria qui in id litus triremen obuerterat, tormentis peteretur, à litore diſcedens trium amplius milium capto circuitu ad læuam peruenit, ſinuoſoq; itinere intra ſuburbana tecta ſe intulit, magno impetu ad portã prouectus, adeo vt Theodorus irruentium vim ægrè ſuſtineret, eratq; res adducta in maximum diſcrimen, niſi Sarnenſis Theodoro cum paucis repugnãti peropportunè opem tuliſſet, ſubmiſſo Petro Tolſio cum trecentis ſclopettarijs: ij poſtremam partem Turcarum agminis retro auertere, ingreſſiq; ſuburbana, ita reliquos in fugam deſperato ingreſſu vrbis compulere, vt quum Turcæ concitatis equis effugere conarentur, in foſſam inciderent. Ibi Zadares labente equo præceps datus interficitur, nec vlli ex Turcis omnino parcitur. eo modo multis occiſis, capita ad munitiones deferuntur: quibus conſpectis Turcæ qui oppido arciq; præerant, ſiue metu ſiue commeatus & tormentarij pulueris inopia adducti, ea condicione vrbem atq; arcem dediderunt, vt cum rebus ſuis armiſq; in pacata loca diſcedere liceret. Corone capta, atque ibi præſidio Hiſpanorum conſtituto, & rece-

ptio

ptis in fidem Græcis, diſputatur in conſilio, an in longo portu, qui parum à Corone diſtat, vt certus tutusq; in ea ora Chriſtianis claſsibus ſit receptus, caſtellum ædificare expediat, aut Iuncum oppugnare. Id hodie Nauarinum, Pylium antiquitus fuit, ſubiecto portu inſigne, ignauia cuſtodis Veneti, qui poſtea capite pœnas dedit, Baiazeti in Methonenſi victoria traditum. Cæterũ Auria multis de cauſis, & quod nũquam defuturos portus noſtris claſsibus ſperaret, ea conſilia abiecit, & ad oppugnandas Patras iterum adita Zacyntho cũ claſſe deſcendit. Deſeruerant adapertam vrbẽ incolæ Turcæq;, & in retractiorem locum ſub arce præalta foſſa muroq; munitum milites cum magna puerorum & fœminarum multitudine ſe receperant. Expoſitis copijs ſubuectisque tormentis octo muralibus Sarnenſis ad mille ſclopettarios ſecernit, qui defenſoribus murum nudent, cæteros virgultorum ſingulos faſces adferre iubet, vt æquata foſſa ad murum ſcalæ deferantur. Non diu tormentis reſtitit murus, Coroneo vetuſtate debilior. Primus omnium Ioannes, Traiani Cabanilliæ filius, caſtrorum præfectus in foſſam deſilijt, ſubſequente ipſo Sarnenſi cũ tribus ſigniferis & integris demum cohortibus, ſcandiq; murus certatim eſt cœptus, ſed defenſores Coroneis virtute conſtantiaque disſimiles, impetum noſtrorum fuga in arcem facta, diutius non tulerunt. Ita vrbe paruo labore, & penè ſine militum noſtrorum vulnere celeriter capta direptaq;, ad arcem in ædito ſitam tormenta ſubuexere. Erat oppugnatio futura difficilis, ſi eam militari more Turcæ defendendam ſuſcepiſſent, ſed exemplo Coronenſium, atq; item eius imbellis turbæ miſericordia adducti, quum tantam multitudinem diu alere, vel in tanto ſeruitutis ac vitæ diſcrimine tueri poſſe deſperarent, emiſsis ad Auriam oratoribus ea conditione deditionem fecerunt, vt recepti in fidem inuiolatiq;, ſaluo imprimis fœminarum pudore, cum ſingulis veſtimentis in Etoliam traĩcerent. id egregiè Andreas præſtitit, adeò vt inter alas militum vtrinq; extenſas exeunte trium ferè milium capitum multitudine, cũ nonnulli petulantius fœminas attrectare, atq; his ornamenta detrahere inciperent corripi, extemploq; ſuſpendi, aut iugulari iuſſerit. horum ſupplicio cæteris ab omni licentia deterritis, eo ordine Turcæ ad naues ſunt deducti, vt Sarnenſis & Saluiatus antecederent, ipſe poſtremum agmen cogeret vultu ſeuero imperioſoq;, & ad ſumenda ſupplicia, ſi qui paulo licentius iuſſa contemnerent, maximè parato. Quærebat enim iuſtitiæ & præclaræ fidei famam apud ipſos præſertim Turcas, vt eæ gentes religione ac ingenij captu nobis disſimiles, facto periculo manifeſtè perſpicerent, in Chriſtianis ad militare decus non deeſſe fidem ac humanitatem, qui adeo moderatè victoria virtute parta vterentur. Exercitu ad Patras relicto, & terreſtri itinere ſubſequi iuſſo, Auria ad Naupactei ſinus anguſtias triremibus eſt deuectus; ibi fauces adeo coarctant eum influentis Ionij maris ſinum, vt vno minus ſtadio, à Peloponneſo Aetolia diſtet, qua ad Helleſpontum interfluo mari Europa atque Aſia dirimantur. His anguſtijs gemina antiqui operis caſtella imminent, quæ Dardanellos appellant. Fuere olim in Achaia Rhium, et in Aetolia Molycreum, ſed Aetolicum Achaico Baiazetes, ſuperaddita turre ingenti, et duplici muro adiecto, multo validius atq; munitius reddiderat. In his tormenta inuſitatæ magnitudinis, multiplici feneſtrarum ordine ad libellam aquæ ita conſtituta & collibrata erant, vt vel exiguis & humilioribus nauigijs ingreſſus, & exitus prę cluderetur. nam vtrinque ad aduerſam regionem emiſſæ bipedalis diametri

ſaxeæ pilæ facilè perueniebant, vti eadem ratione ad Helleſpontum hodie fieri videmus. Auria citerioris caſtelli præfecto per Græcos homines extrema ſupplicia comminatus, ſi expectandam tormentorum vim putaret, facilè pepigit, vt Turcæ incolumes caſtello excederent: quibus nequaquam cunctanter eductis, quicquid vel annonæ, vel bellici apparatus in caſtello erat, diripiendum militi conceſsit. Reperti ſunt thoraces, baliſtæque veteres, itemque loricæ & peltæ more gentis, cum militari & minimè pretioſa ſupellectile. Ea ſpolia quum Aurianarum triremium milites nautæq; efferrent, cæteriſque aduentantibus oſtentarent, adeo appropinquantium cohortium animos dolore ac inuidia exagitarunt, vt quum opimiorem fuiſſe prædam crederent, & tardius veniſſent, ob idq; præda penitus excluderentur, continuò ſeditionem miſcerent, ipſi Auriæ vehementer irati, quo primò ad Coronem, & inde ad Patras, & tum etiam ad Rhium, quaſi Turcarum ſanguini paſsim parcendum putaret, eas res ciuili pactione, quàm ferro & bellica vi conficere maluiſſet, ita præmia laborum & vulnerum ſolatia militibus eripi, atq; interuerti prædam, vt ipſe inde apud hoſtes intempeſtiuam humanitatis & clementiæ laudem priuato nomine ferat, & ſoli propè nautæ Ligures ditentur; ipſis verò armatis militibus terræ & maris incommoda perpeſsis, nec locus ad perfectam laudem, nec ſpes ad certa probatæ virtutis præmia relinquantur, & quod fortibus viris minimè ſit ferendum, omnium ceruicibus & iugulis laquei & pugiones, vel in minimo delicto, & ſublata quidem ſpe dicendæ cauſæ proponantur. Hæc quum multiplicatis per coronas militum ſermonibus dicerentur, & iam planè conſternatæ eſſent aliquot cohortes, Neapolitanus ſignifer, quem ſtrangulati ad Patras amici militis dolor incitabat, vexillum ſuſtulit, alta voce commilitones inuitans, vt ſe ad opulenta caſtella euntem extemplò ſequerentur, ibi non viſuros crudelem ducem, & ingentem prædam virtute quæſituros. Nec mora, illum quinque aliæ cohortes Italorum ſunt ſecutæ, hiſque vexillum Hiſpanorum acceſsit. iere citato agmine non tam iratis quàm auidis animis in propinquos Græcorum pagos & villas, execrante eos Auria potius quàm reuocante. Iam Sarnenſis cum valida manu expeditorum militum traiecerat in aduerſum Aetoliæ continentem vt exploraret caſtelli ſitum, & ponendis caſtris munitionem inciperet, quum Turcæ in noſtros faciendo operi intentos protinus erumpunt: ſed egregiè Sarnenſis per ſclopettarios eorum impetum ſuſtinet, multiſque vulneratis intra portam compellit, interim nondum perfecta caſtrorum munitione, equites Naupacto egreſsi in conſpectum ſe dedere, vt caſtellanis opem ferrent. noſtri quanquam pauci pro caſtrorum ſpatio, quod erat amplisſimũ, vti ad continendas omnes copias vſitata ratione dimenſum alacri tamen animo in munitionibus conſtitere, in aduerſos ſclopettis rem gerentes, & nonnunquam erumpentes, vbi audaciùs prouectos hoſtes conſpexiſſent. Cæterũ Turcæ multis in gyros decurſionibus ad caſtra factis, latè omnia ſpeculati, quum ſe ſe prouehere audacius, & cominus pugnare nollent, Naupactum redierunt, intromiſſo equite ad caſtellanos, vt eorum animos ſpe celeris auxilij confirmarẽt. At Sarnenſis, qui ea ſpe traiecerat vt copias omnes confeſtim ſubſecuturas crederet, vbi de conſternatione diſceſſuq; militum certior eſt factus, intermiſſo caſtrorum opere ad Peloponneſi litus, vbi Auria conſtiterat confeſtim rediјt, et ad eos pagos eſt profectus, in quos deſertores milites diuertiſſe dicebantur, ducibus præſertim Græcis, qui

ſuas

ſuas iniurias cum lachrymis deferentes, è proximis vicis ad caſtra decurrerant. Eos Sarnenſis nequaquam ſeuerè, ſed comiter reprehenſos, quòd adeo leuiter inſanire cœpiſſent, haud magno cum labore ad officium reduxit. iam enim eos admiſſi facinoris pœnitebat, & ſatis verecundè ſigna & centuriones agnoſcebant, quum villas & paſtorales caſas omnibus eſculentis raptim conſumptis, & ignobili etiam collecta præda vacuas feciſſent, ſed reis & ex conſcientia pœnam meritis Auriæ ſeueritas tantum pauorem adferebat, vt nõnulli metu ſupplicij preſtare dicerent cum Turcis paciſci, & apud eos ſtipendia facere, quàm ad ſæuum ac inexorabilem ducem reuerti. Sed Auria regionis & temporis rationem habendam exiſtimans cunctis pepercit, ita tamen vt ſeueritatem ac iracundiã vultu ſermonéq; retineret, nec veniam deprecantes recipere vellet, niſi vti cohortes decumaturus ad arbitrium militaris imperij ſe dederent. is pauor omnium animis incuſſus, pro pœna ad retinendam imperij exiſtimationem Auriæ ſatis fecit. Nec mora, ad delendam ſeceſſionis infamiam parati animis in Aetoliam ſunt traducti, ſimulq; expoſita in litus tormenta duobus circiter millibus paſſuum ſupra caſtellum, vt tutiore itinere conuehi poſſent: nam è caſtello Turcæ ea litora tormentis infeſtabant. Ea Chriſtophorus Auria vir impiger negotio præpoſitus attracta funibus & impulſa militum humeris per centurias labore diſtributo, in caſtra conuexit. eodemq; tempore Cabanilia cum trecentis ſclopettarijs antecedens, opportuno & ante, vt diximus, explorato loco caſtrametatus eſt. Dum hæc adminiſtrãtur, Turcæ Naupacto magnas peditum et equitũ copias educunt, & in noſtros pleno paſſu deferuntur. iam enim & à Corintho, & ab oppidis quæ ſunt ad Acheloum amnem, totaq; Peloponneſo & Aetolia, præfecti equitũ raptis quas poterant turmis, Naupactum conuolarant. nec Sarnenſis, haud quaquam ea multitudine territus, ſibi deeſt; ad quatuor milia peditum in vnum agmen cogit, & quadrata acie contra hoſtes progreditur, extra ordines verò delectam ſclopettariorum manum remigerere iubet: in tergo caſtellum relinquebatur, & in noſtris munitionibus præſidium erat relictum, quo eruptiones cohiberi poſſent, & in ipſam caſtelli portam tormẽta peritè atq; oppurtunè directa fuerãt: inſultantibus vndiq; & procurſantibus Turcis, nec pedeſtres copias in aciem producentibus. Sarnenſis ſe recipere, & in caſtra ſe conferre cœpit, in tergo extraordinarij ad angulum dextrũ quadrati agminis conſtituti, ſine periculo inſequentes Turcas repellebãt: circumueniri enim non poterant, & cum aliquantum in aduerſos procurrerẽt diſploſis ſclopettis tutiſsimus ad agmen erat receptus. Prælio ad occaſum Solis protracto, Turcæ nulla re memorabili geſta Naupactum ſunt reuerſi. Sarnenſis in caſtra copias reduxit, totaq; ea nocte quæ ſecuta eſt ad aggeres foſſasque perducendas milites in opere fuerunt, conſtitutaq; ſuis locis tormenta muralia quæ exterioribus ædificijs protegabantur, oriente ſole turres quæ prominebant magna vi quaſſari cœptæ. Nec Turcæ conſtantiſsimè & acerrimè propugnando vlla in parte timoris ſignũ dabant: erant enim in his pleriq; veterani Ianizeri in cuſtodia oppidorum atq; arcium relicti. ad extremũ is exitus oppugnationis fuit, vt perfracto muro multisq; intro varijs caſibus interfectis, noſtri in caſtellum irrumperent, trecenti fermè Turcæ, nemine capto, trucidati; nonnulli inſigni animorũ contumacia media incluſi turre, ſe ipſos & turrim totumq; pene caſtellum, non ſine noſtrorum clade, ſuccenſo tormentorio puluere cõcremarunt, tanto ruentiũ murorum crepitu, vt litora veluti terræmotu.

pertremerent, & triremes, quæ ſuberant ad ſagittæ iactum, lapidum fragmentis penè obruerentur. Andreas è prora prætoriæ triremis prælium ſpectauit, donauitque Sarnenſem & Saluiatum ſingulis ingentibus tormentis: tanta enim vis æneorum tormentorum in caſtello reperta eſt, vt ſeptuaginta milium aureorum pretium excedere diceretur. Ea demum tormenta ſtupendæ magnitudinis Arabicis inſcripta literis, ad victoriæ monumentum Genuam delata, in portus mole conſtituit, vbi de piratis ad Planaſiã inſulam ſuperatis, ſacellum Deiparæ virgini ex manubijs antea conſecrarat. His confectis rebus poſito ad Coronem Hiſpanorum præſidio, atque vrbe tormentis, & multorum menſiũ commeatu diligentiſsimè permunita, Mendocium ita animo confirmauit, vt fidem daret, & prolixè polliceretur ſe, vel priuato ſumptu, ſi id Cæſar facere differret, in eius auxilium claſſem eſſe tranſmiſſurum. Interim Saluiatus ſuis triremibus in intimum ſinum prouectus, ad Lecheum vſque portum, hodie diui Demetrij vocatum, ſub ipſa Corintho pauorem circumtulit, & veteris Sycionis, quam hodie Baſilicam appellant, & quæ in aduerſa parte eſt, Creuſæ litora ſuccenſis hortorum ædificijs latè vaſtauit. Nec multo poſt Andreas appetente hyeme, & acceptis à Cæſare literis, quibus diſceſſum à Pannonia Solymani, & ſuum in Italiam aduentum ſignificabat, fœlici vſus nauigatione, Neapolim, atque inde Genuam eſt reuerſus. Interea Clemens per Tiphernates iter habens, aſperis inuſitatiſque itineribus ſuperato Apœnino, ne ingratæ patriæ mœnia conſpiceret, per Aemiliam Bononiam venit, excœpitq; Cæſarem Mantua profectum; nec quicquam ea hyeme memorabile vel cottidianis congreſsibus eſt actum, quàm vt lis de repudio Henrici Brittanniæ regis toties agitata pronunciante Pontifice finiretur. Exardebat enim iam tres annos rex ille, alioqui multarum virtutum laude inſignis, ſæuo ac impotenti amore Annæ Bolaniæ, quæ in aula reginæ liberius educata, eò inſaniæ amatorem regem propulerat, vt Catharinam Ferdinandi regis filiam, ipſiuſq; Caroli Cæſaris materteram, præſtantia, pudicitia, & ſingulari humanitate modeſtiaq; reginam, exturbandam domo repudiandamq; decerneret, ſcilicet vt ipſa in vacuum thorum ex pellicatu in ſpem maſculæ atque legitimæ prolis reciperetur. Neq; enim Henricus aliam prolem ex Catharina ſuſceperat, quàm puellam iam propè nubilem, quæ ſuauitate formæ, & morum elegantia plurimum excellebat. Huius impuri inſaniq; conſilij fautor extiterat Thomas Eboracenſis Cardinalis, perpetuis adulationibus ſummum potentiæ locum apud regem conſecutus. Is docebat, Catharinam vxorem legitimam eſſe nequiuiſſe, quoniam Arcturo fratri antea denupſiſſet, vetari id ſacroſanctis noui ac veteris inſtrumenti legibus, neque Iulium Pontificem, quæ diuino iure eſſent conſtituta, vel accepto multo auro, reſcindere potuiſſe. proinde repudiandam eſſe, ne in ceſtus crimine perpetuo pollutus, poſt mortem ſempiternis inferorum ignibus damnaretur: neq; idcirco filiam videri ſpuriam debere, quoniam optima fide eam factis rite nuptijs genuiſſet: ſi verò legitimam ex totos inſulæ delectu vxorem duceret, ipſum & ſibi, & regno ad certam ſucceſsionem ſuſcepta virili prole conſulturum. Addebat Thomas, non deeſſe ex Pariſiorũ gymnaſio ſacrarum literarum profeſſores, qui ſecundas nuptias ritè fieri poſſe, damnato priore coniugio, validiſsimis rationibus comprobarent. Hic Thomas magno Fortunæ ludibrio, quum ſummũ dignitatis, atq; potentiæ faſtigium teneret, & ſeipſum auaritia, ambitione, ſuperbiaq; tumentem capere nequiret,

quiret, præceps datus improbæ adulationis pœnas fœda morte perſolvit. Ferunt eum Franciſco regi occulta fide & egregia in diverſum ſimulatione coniunctum, utpote qui Gallico auro, regiiſque muneribus maximè gaudebat, magnis artibus repudio faviſſe, ut Henricus à Cæſaris amicitia ex ea longè graviſsima contumelia penitus divelleretur, & ſubinde Gallico nomini abſq; ulla ſpe receptus, arcto & neceſſario quidem fœdere iungeretur. Cæterùm Clemens, qui ut eam controverſiam aliquandiu aleret, continendis in officio regum animis tanquam ambigui iuris ad duodecim virale iudicium reiecerat, ubi videt diverſa petentes integra authoritate diutius non poſſe diſtineri, ius & æquum ita Britanni regis amicitiæ prætulit, ut Henricum omnino moneret, ſe ei intra certũ tempus aqua & igni, & Chriſtianis ſacris interdicturum, niſi repulſa Anna Catharinam in priſtinum coniugii locum recepiſſet. Ea inanis intempeſtivæq; ſeveritatis comminatio inexpiabili malo ſummoq; detrimento reipublicæ poſtea ceſsit: quando rex ille non multo poſt ab authoritate Romani Pontificis, ſuaque priſtina pietate diſceſſerit. Actum ſubinde eſt de tuenda pace, quam tanto ſumptu, tantiſque periculis quæſiviſſent: nam in eam pacem, quę publico fœdere biennio antè Bononiæ fuerat conſtituta, Genuenſes nequaquam adſcripti fuerant, queis tum maximè infenſus erat Franciſcus. Genuæ ſiquidem imperium, uti antiqui Gallorum regum iuris, nec incluſum recentis fœderis legibus repetebat, adeo ut negociatores Ligures Lugdunenſi emporio pellerentur, nec alicui importare eorum merces fas eſſet, & à Maſsilienſibus trierarchis infeſto ubiq; mari, Genuenſium navigia magno civitatis detrimento caperentur. Minabatur quoq; Franciſcus ſe in ſubalpinis Salaſſorum oppidis equitum & peditum copias hybernorum ſpecie tranſmiſſurum, ut clientibus ſuis præſidio eſſent: nam Franciſcus Salaſſus regulus pulſo fratre, & matre cuſtodiæ tradita, qui partium Cæſaris erant, in Galliam ad Franciſcum ſe contulerat. Venerant quoq; Bononiam ſummę authoritatis viri Acromontius atq; Tornonius Cardinales, qui à Pontifice poſtulabant, ut Hiſpani, uti confectis bellis & pace parta, tandem Italia deducerentur, ſi id fieret, Franciſcum regem omnes ſuperiorum temporum iniurias ſatis æquo animo eſſe laturum, quòd ſi inveterari aliq; in Italia Cæſaris copias ad augendam eius potentiam conſpiceret, ſe libertati dignitatiq; amicorum & veterum clientium ſuorum, qui ſibi in Italia non deeſſent æquiſsimo iure conſultutũ. Veneti quoq; ullo alio, quàm veteri fœdere illigari nolebant, ſeq; omnino pręſtaturos profitebantur, quod diſertè in fœderum tabulis eſſent polliciti, maturamq; opem Franciſco Sfortiæ protinus allaturos, ſi alicunde bellum eius finibus inferretur: neque enim ex dignitate Veneti ſenatus fore, ſi veluti tributi nomine annuam pecuniam tuendæ paci penderent. Ipſos enim nequaquam vereri novum armorum motum, nec ſi bellum fortè ingrueret, ut ſemel partã pacem tuerentur, vel magnis ſumptibus eſſe parſuros: ſed Veneti nequaquam permoti ſumptu, qui erat exiguus, dum ſeſe novo fœdere excluderent, duas res opportunè conſequebantur, in quibus tuendę exiſtimationis ac libertatis maximum inerat momentum. Nolebant enim Franciſcum regem veluti deſperata in reliquum tempus ipſorum ſocietate, ab ſe penitus alienare, atq; illũ eò prorſus adigere, ut cõmutato animi decreto, novam ſibi amicitiam, novámque fortunã quęrendam putaret, è qua demum diſsimulata in præſens graviore iniuria minores principes uti ingratos & averſos ulciſceretur. Nec Cæſarem

omni ſuſpicione metuq; vacuum omnino ſinere, vel ſapientis conſilij fore arbitrabantur, ne ille Gallos penitus contemnendos eſſe putaret, ſi tota in ipſius nomen ac amplitudinem conſentiente Italia undiq; tutus & principũ longè maximus redderetur: exæquari enim tantorum regum potentiam ac vires incolumi Cæſaris amicitia cupiebant. Propterea nõ obſcura fama ferebatur, admonitum fuiſſe in Pannonia Solymanũ, ne univerſo prælio decertaret: quoniam copiæ Cęſaris, & numero, & animis, & diſciplina inſuperabiles viderentur, ſcilicet ne ex unius pugnæ eventu in alterutra victoria, aut Cæſari, quo nihil gravius, aut ipſi Solymano, quo nihil miſerius accidere poſſet, omnibus foret ſerviendum. In Clementis quoq; pectus altè deſcenderat iniuria ex iudicio Cæſaris graviſsimè concepta, quum Cæſar diſceptator & arbiter Rhegij & Mutinæ principatũ Aceſtino Alfonſo, prædamnatis põtificij imperij iuribus, adiudicaſſet. Optarat Clemens, ut ſi aliqua de cauſa vel ambigui vel parum æqui iuris ſecundũ ſe litem dare nollet, iudicialis arbitrij præfixum tempus elabi pateretur. in ea enim dilatione neq; præiudicari Alfonſo, neq; ſibi & Pontificio nomini multũ noceri: ſed iureconſulti Cæſaris aliquãdiu Pontificis legatum in ſpem ſecundiſsimi litis eventus malignè ludificati, accepta pecunia, uti tradidit Clemens, ut ſententiam ferret, Cęſarẽ propulerãt. Eius rei geſtæ nuncius eo ipſo forte die Nonarum Maij è Belgio in Vrbem venerat, qui, uti erat Vrbis excidio maximè luctuoſus ex acerbiſsimę cladis memoria, Clementis animum magnopere perturbavit. Itaq; excludentibus ſeſe Venetis, atq; id diſſimulanter probante Pontifice, fœdus eſt renovatũ in ſeſquiannum. Eæ fuère leges, Vt communibus copijs atq; pecunijs, ſi bellũ inferretur, id ad tuendam pacem propulſarent. Dum pax eſſet, xxv milia aureorum nummûm ex vetere cenſu Pontifex, Cęſar, Franciſcus Sfortia, & Alfonſus Aceſtinus, itemq; liberę civitates, Florentini ſcilicet, Genuenſes, Senenſes, Lucenſes conferrẽt, quæ ad alendos centuriones prǫfectoſq; equitum Antonio Levæ diſpenſanda traderentur. eum enim bello ducem deſignarãt, cuſtodemq; pacis & ocij apud Mediolanũ eſſe voluerant. His rebus conſtitutis, quæ præcipua in omni eius vita Clementis laus fuit, Hiſpani ita dimiſsi deductiq; ſunt, ut ad Coronẽ in Peloponneſum multò maxima pars: alij ad Sicularũ urbium prǫſidia: alij in Salentinis & Calabris ad tuendas arces mitterentur: nonnulli ultrò in Hiſpaniam redirent. ob id factum ſapienter atq; feliciter populi totius ferè Italiæ, Galliæq; præſertim Ciſalpinę Pontificis prudentiam, Cæſaris æquitatẽ, Venetiq; ſenatus iudicium atq; operã eximijs laudibus celebrabant, quòd eorum incomparabili beneficio à rapaciſsimis ſæviſsimiſq; militibus liberati, de libertate, de vita, & de reliquis fortunis tum primum benè ſperare inciperent. At legati Cardinales Acromõtius atq; Tornonius, qui ab initio inſtrepere, reclamareq; & libero ore conqueri cœperãt, quòd ea principum coniuratione non iniqui fœderis prætextu graviſsimam & minimè ferendam Gallis omnibus contumeliam inferrent, poſtquam eos Clemens ſubtiliter admonuit, ut pacati conquieſcerent, facilè intellexerunt, quantũ in dimittendo diſſolvendoq; Cæſaris exercitu momenti verteretur. quid enim vel optatius, vel ad omnem belli occaſionem commodius Gallis accidere poſſe, quàm ut Hiſpani veterani, à quibus tot clades acceperint, paucorum menſium fœdere percuſſo, Italia, ipſaque Alpiũ cuſtodia detraherentur? Quando enim Cæſarẽ illos, qui in diverſiſsimas regiones diſtributi diſperſiq; eſſent, in eum numerũ, eamq; diſciplinam, vel in

magna

magna belli neceſsitate coacturum: propterea deſinerent repentini atq; adaperti eſſe, præſentia diſsimulare, futura proſpicere, & præteritorū memoriam retinere inciperent, patientia ac tolerantia omnium rerum neceſsitas ſæpiſsimè ſuperari: hac via eſſe Cæſarem, illa Gallos, atq; ita non immeritò, & ipſos ingentia incommoda ab æquitate Fortunæ, & illum ampliſsima beneficia retuliſſe. Per eos dies, in gratiam Cæſaris, in numerum Cardinalium aſcitus eſt Gabriel Merinus è Betica, ex infimo hominum ordine quondam ab Aſcanio Sfortia, ac demum à Leone in lucem Pontificię aulę provectus. Erat is ingenio ad omnia obſequia, obeundaq; maximarum rerum munera, valde acuto paratoq;, ſed literarum penitùs experte, ita ut Clemens nō obſcurè reprehendi poſſe videretur, quòd nonnullos tum virtutis eximiæ prærogativa candidatos, quū hunc efferret, eodem galero cohoneſtare minimè voluiſſet. Cæſar primo Vere Bononia profectus, Ticinum venit, ut campos & ſua victoria, & Gallorum clade percelebres, & manētia adhuc caſtra et munitiones inſpiceret, monſtrante ſingula loca Vaſtio, ac eius pręlij eventus enarrante. iuvabat enim Cęſarem tum maximè lætum, & curioſè divagantem ipſis in locis veſtigia figere, quibus inſigne aliquod facinus editum conſtabat. Nec Vaſtius honeſtiſsimo officio deerat, quum de ſe ipſo parciſsimè loqueretur, & nomina meritaq; fortium virorum Cęſari cumulata cum laude commendaret. Mediolani demum, ſummo omnium, & Franciſci præſertim principis ſtudio ſuſceptus eſt. Is in privatam domū digreſſus, arcem ipſam Cæſari tradidit, ædificij laxitate atq; elegantia, itemq; bellicorū inſtrumentorum apparatu, toto terrarum orbe memorabilem. Inde paucos poſt dies ſuperato Ticino amne, ad Viglebanum venationibus intentus aliquandiu deſedit, donec paratā eſſe claſſem, & idoneas ad navigandum tempeſtates eſſe ex literis Auriæ didicit, atq; ita Genuam eſt profectus. Excepit eum hoſpitio Andreas in ſuburbanis hortis, quos regio apparatu ita inſtruxerat, ut diſcedenti Cæſari ea ornamenta dono daret. Erant enim aulæa ſerica, & intertexti auro & purpura lecti, itemque exquiſitæ artis ſigna & tabulæ, quæ omnia eo nomine ſuſcepit, ut ea hiſdem in cubiculis & conclavibus ſibi reverſuro in Italiam aſſervari verecundè & comiter iuberet, nec multò pòſt oram ſolvit, provectuſq; ad Stœchades inſulas, quarū primæ Maſsiliæ portū efficiunt, biduo ibi conſtitit. Attulêre ei dona tenerrimi commeatus Tendanus Comes Gallicæ claſsis præfectus, atq; item trierarchi. ſuborto demū ſecundo vento in altū vela dedit, & paucis diebus in Hiſpaniam pervenit. Eodem quoq; tempore Clemens via Flaminia Anconam eſt profectus. Eam urbem paulò antè per ſimulationem Turcici belli præſidio occupatam, Pontificiæ ditionis fecerat, redactis in ordinem decurionibus, qui arrogantius quàm deceret libertatis nomen præferentes, Pontificum imperia contemnebant: ea de cauſa ſuſpectos cives relegandos curaverat, donec arcem loco opportuno conderet, ut ordinata demum Republ. nobiliſsimo emporio, ſua libertas non ſoluta ad arbitrium multitudinis, ſed aſtricta æquiſsimis legibus redderetur. Inde Pontifex Deiparæ virginis Lauretanæ templum adivit, & ad aram maximam miraculo et vetuſtate memorabilem ſacra confecit, modicisq; demum itineribus per Recinates, et Septempedanos, qui Sanſeverinates hodie dicuntur, & Camertes, in Vrbem eſt reverſus. Ineunte æſtate eiuſdem anni crebris nuntijs allatum eſt, Turcarum claſſem Gallipoli eductam, in Peloponneſum curſum tenere. Nec multò pòſt Mendocius, qui Corone in

præſidio erat, Petro Toletano proregi Neapoli literis ſignificavit, ſe terra mariq; vehementer obſideri, ſed egregiè defenſurum urbem, dum alimenta ſuppeterent. Verùm capitum omnium inita ratione nequaquam tantū frumenti & reliqui commeatus omnino reperiri, ut id tota æſtate ſuffecturum exiſtimaret. Proinde Cæſarem etiam atque etiam monebat, ut ante omnia Græcorum ſtudio & voluntati, quæ eſſet mirifica, deeſſe nollet, ſi Coronem defendi vellet, & ad id maiores copias ſubmitteret, facilè ſperari, ut Turcæ rebellantibus Græcis tota Peloponneſo paucis exceptis arcibus pellerentur. Sed ab Auria præſertim maturam opem implorabat, adeo ut quum hoſtilis claſsis apparatum elevaret verbis, ut certa ſpes parandæ victoriæ inijceretur, etiam eum moneret, ut datæ ſibi fidei memoriam retinere vellet. Iis rebus cognitis Cæſar Auriæ præcipit, ut claſſem inſtruat, ad id pecuniam curari iubet, & duodecim triremes, quas Alvarus Bazanius in Hiſpania ædificarat, ſe continuò tranſmiſſurum pollicetur. Igitur coactis circiter triginta onerarijs navibus, & vigintiſeptem triremibus Auria Neapolim venit. ibi veterani Hiſpani, qui efflagitatis ſtipendijs ab authoritate Vaſtij, proregisque diſceſſerant, occupataque Averſa urbe, & fœdè direpta, magna detrimenta circumiectis Campaniæ oppidis intulerant, perſoluto ſtipendio navibus ſunt impoſiti Roderico Macicao duce, qui erat caſtrorum præfectus. Conſcendit & triremes cum manu nobilium militum Federicus Toletanus ipſius proregis filius adoleſcens, ut eo ſacro bello prima militiæ rudimenta deponeret. Vaſtius ipſe, qui ſe iturum dixerat, ſuborto ventris profluvio Neapoli ſubſtitit, fuère qui crederent dolore contumeliæ adductum potius quàm occupatum morbo, ea expeditione maritima operam præſtare noluiſſe: quoniam nuper Bononiæ dum fœdus iniretur, ſibi prælatus eſſet Antonius Leva, articulari etiam impeditus morbo, qui in Italia, ſi bellum ingrueret, fœderatorum omnium eſſet imperator. Dum hæc parantur, Andreas ut Coroneorum animos confirmaret, ne deſperatis auxilijs durius ſibi conſulerent, Chriſtophorum Pallavicinum in familiam Auriam adoptatum expediti & maximè pugnacis ingenij iuvenē cum velociſsima trireme Coronem miſit. is interdiu per mediam Turcarum claſſem directa prora in portum invectus, obſeſſos ingenti alacritate complevit, nec multo poſt inſpectis & diligenter exploratis rebus omnibus, ut de hoſtium conſilijs ac viribus certiora ad Auriam deferret, meridiano ferè tempore improviſus erupit, felici audacia inter medias hoſtium ſtationes elapſus, adeo ut ſpectaculum miraculo proximum cunctis præberet, & perſequentes velis & remis, extento maximè curſu fruſtrarētur. At Auria è Neapoli Meſſanam provectus, ubi de maritimis terreſtribusque hoſtium copijs, & de apparatu numeroque triremium certius didicit, omnem ſpem & rationem inferendi præſidij in celeritate poſitam ratus, nequaquam expectato ab Hiſpania Bazanio in Græcia curſum intendit. Audiebat enim prædonum acceſsione quotidie adaugeri hoſtium claſſem, Morumque præſertim archipiratam Alexandrinum expectari: cuius conſilio ac diſciplina præfecti Turcæ in omni eius belli adminiſtratione uterentur. Quum verò Zacynthum veniſſet, docentibus Venetis aliquanto ampliorem & inſtructiorem quā putarat claſſem hoſtium ad Coronem ſtare comperit. Nam Luphtibeium Gallipolis Sanzacum, cuius præfecturæ maris imperium eſſe conſuevit, & Solymanum Acarnanem, Morumq; ipſum circiter octoginta triremes coegiſſe, magnumq; numerum pro-

pugnatorum ex Ianizerorum ordine in triremes diſtributum eſſe referebant, adeo ut noſtros niſi pleniore vento uterentur, Ottomannicę claſsi impares futuros eſſe iudicarent, & nonnulli propterea triremes Hiſpanicas omnino expectandas atq; evocandas arbitrarentur. Cęterùm Andreas, ut de claſſe ſtationeq; hoſtium certius exploraret, Chriſtophorum Auriam cum inſigni ſui trireme ſpeculatum miſit. is quum Acritem promontorium ſuperaſſet in proximo ſinu univerſam claſſem conſpexit iuxta litus obverſis ad terram puppibus longo ordine collocatam, confeſtimq; inde perſequẽtibus Turcis ad Auriam reverſus retulit, duplo ampliore triremium numero quàm anteà ad Coronem vidiſſet hoſtes adauctos, eoſq; ſibi videri non alio conſilio ſub Acrite in ſtatione conſiſtere, quàm ut confligerent, quum noſtri ſuperato promontorio ad Coronem proveherentur. At Auria qui neq; Bazanium expectabat, neq; multum ea hoſtilis claſsis amplitudine terrebatur, nihil cunctari, & inſtituti itineris curſum tenere conſtituit. Itaque ſuborientibus Eteſijs, qui venti æſtate pomeridianis horis ab occidente perflare conſueverunt, noſtri hoc ordine acie inſtructa Acritem ſuperant, & recto curſu ad Coronem deferuntur. antecedebant duo maximi galeones, quorum navigiorum formam alio loco deſcripſimus: alterum ipſe Auria magno ſumptu ædificarat: alterum pari magnitudine adduxerat Belhomius Siculus. his erat iniunctum, ut in lęvam vela converterent, & quum hoſtium claſsis à litore proveheretur, deiectis anchoris medio inter utranq; claſſem loco conſiſterent, ut quum opus foret, tormenta quæ erant eximiæ magnitudinis in adverſam diſploderent. hos onerariæ naves plenis velis ſequebantur: in tergo fuêre triremes omnes latiſsima fronte onerariarum agmen cogentes: dextrum cornu Pontificiæ Rhodiæq; triremes, quibus præerat Salviatus: lævum Antonianæ hoſti proximum obtinebant: mediam verò aciem ipſe Auria tenebat. Turcæ ad primum conſpectum à litore non diſcedentes procul tormenta emittere, & demum provehi cœperunt, ut ex propinquo rem gererent, cohortante alios Moro, qui audenter in noſtrorum latera, et deniq; in terga vertebatur. Nam noſtri quum propoſitum ſuum tenerent, & nihil in lævam converſis proris rectà ad Coronem contenderent, fugæ ſpeciem præbebant, eò præſertim quòd triremes à dextro cornu, metu tormentorum adductæ in altum magno capto circuitu ferebantur, & pleræq; aliæ ex media, Antonianaq; acie onerarias conſecutæ confuſius quàm deceret inter eas ſeſe inſinuabant, quanquam nullum prope detrimentum ab hoſtium tormentis acciperent: nec galeones curſum intermiſerant, quum conſiſtere debuiſſent. In ea perturbatione noſtræ claſsis Morus Luphribeium eſt cohortatus, ut pulcherrimę occaſioni non deeſſet, ſed illo cunctantius & conſideratius provehente ſeſe, Auria ab onerarijs triremes explicavit, & ad Coronem ſecundo vento eſt devectus: duæ onerariæ implicatis inter ſe antennis, quum cæterarum curſum ęquare nõ poſſent, in tergo hæſerunt. ad has opprimendas exemplò univerſa hoſtium claſsis advolavit. Tum verò Hiſpani nequaquã pro ſua virtute, uti deſerti & negotij navalis rudes inſano pavore conterriti, in ſcaphas deſilire cœperunt, ut noſtros cõſequerentur, in ſuam Hermoſilla ipſius ſcortum cum magno auri pondere demiſerat, in alterã Petri Sarmenti ſignifer deſilierat, nonnulli, mirum dictu, quanquam natare neſcirent, quòd eos ſcaphæ non caperent, in mare præcipites ſe dabant, ut ad noſtros enatando perfugerent. Andreas cõverſa prętoria à ſcaphis funium oram ſibi porrigi magna

voce petebat, ut onerarias remulco attraheret, ſed illi nequaquam funis caput attulerant, ut qui erepto conſilio tantū de fuga occupati metu cogitaſſent. Itaque Turcæ ſcaphas opprimunt, & circumiecta triremium corona, onerarias adoriuntur, in minorem navem erepentes, Hiſpanis quod nunquam alias acciderat, animos deſpondentibus eam capiunt. ex hac multis interfectis in excelſiorem tranſcendunt, in ea cruentum editur prælium: nam amiſſa prora & medio ponte Hermoſilla ad puppis caſtellū ſe receperat, & ab ima carina ferreo tormēto ſaxea pila ingens emiſſa triremes duas, interfectis ad triginta Turcis vehementer afflixerat. At Auria perturbato, ſed ingenti animo, ignominia loco ducens, ſi in oculis noſtrorum naves circumventæ atque expugnatæ caperentur, cohortatus trierarchos ut proras converterent, & remis contenderent ad opem ferendam, in hoſtes curſum intendit. Id conſpicati Morus, & Luphtibeius & Solymanus, quod iam pleniore Favonio ad Coronem ſenſim detruderentur, & ab ingenti colubrina, quæ in turre erat conſtituta, emiſſæ pilę ad ipſorum triremes vel in trium milium ſpatio perveniebant, magno tumultu explicare remos, & deſertis navibus ſe recipere cœperunt: in eos Auria ad lx pilas ferreas contorſit, & in multo ſpatio continenter diverberatis eorum puppibus eſt perſecutus: iam Antonio Auria ad oppugnandas onerarias converſo. Ibi Hiſpani qui egerrimè pugnam ſuſtinebant, quum Turcis, uti paulò antè ipſis acciderat, commutata fortuna animus concidiſſet, in medio navis ponte repugnare audacius cœperant, & Antoniani mirabili celeritate vndiq; ſcandentes in ſumma caſtella evaſēre. in ea contentione trecenti fermè Ianizeri, qui ſingulari virtute naves occuparant, à ſuiſq; deſerti fuerant, interfecti aut capti ſunt. In his fuit Iuſuphius ſenex mille Ianizeris præpoſitus, quem Auria ſericeis veſtibus, atque aurea torque donatum, ut ad ſimilem quoque liberalitatem hoſtes provocaret, ad Methonem ſine pretio dimiſit. At præfecti claſſis, uti poſtea cognitum eſt, ad graviſsimas verborum contentiones deſcenderunt, quum Luphtibeius à Moro, Solymanoque Acarnane: & deniq; ab omnibus increparetur, quòd cupientibus militibus, & ſingulis obteſtantibus trierarchis æquiſsima conditione dimicare noluiſſet: ſed ille ſecretiora mandata à Solymano imperatore ſibi data dicebat, ut omnino ſervaret claſſem, atq; omnem pugnę aleam ſedulò devitaret. Interea dum ad onerarias naves pugnaretur, Mendocius in deſerta hoſtium caſtra erupit: nam conſpecta noſtrorum claſſe, atq; inde magno timore concepto, terreſtris exercitus, nequaquam planè collectis vaſis effugit: in his caſtris non exigua copia commeatus & caſtrenſis ſupellectilis eſt reperta. Itaq; Andreas re feliciter geſta, frumentum, vinum, & reliqui commeatus magnam copiam, tormentariiq; pulveris cados plures exponit, Macicao, cohortibusq; eius urbem cuſtodiendam tradit, Græcos conſolatur, hortaturq; ut ea obſidionis & belli incommoda patienter ferant: Cæſarem enim in ea præcipuè cogitatione verſari, ut ineunte Vere, terra, mariq; in Peloponneſo cum Turcis bellum gerat, eumq; nihil ducere honeſtius, aut ad gloriam ſplendidius, quàm benemeritam de ſe Chriſtianoq; nomine Græcorum gentem ex diuturna ſervitute in lætiſsimā reſtituere libertatem. Fuēre qui exiſtimarent, Turcas univerſa claſſe exui ea die facile potuiſſe, ſi Auria Bazanianas triremes expectare, quàm infirmis viribus à Meſſana feſtinare maluiſſet, ſed alij eas graviore tectioreq; conſilio in freto Siciliæ opportunè ſubſtitiſſe dicebant, ne Italiæ litora penitùs omni navali præſidio nudarentur. Neq; enim

enim univerſas triremes in unius pugnæ periculum devocari Cæſar volebat, utpote qui nequaquam præclarè exploratam haberet Gallorum voluntatem, qui augendæ atque adornandæ claſsi ad Maſsiliam toto eo anno magnopere ſtuduiſſent. At Auria vetere exercitu in naves impoſito, à Corone diſcedens ad inſulam Ticanuſſam, quam Veneticam hodie vocant, ſupra Acritem conſtitit, ratus Methonenſi portu egreſſuros hoſtes, ut prælio contenderent. Sed quum nullis artibus elici, neq; tuto oppugnari poſſent, uti erant mole ipſa, turribusq; protecti, Corcyram venit, atq; inde Meſſanam eſt reverſus. Nec multis inde diebus Morus, quum Venetis onerarijs navibus, quæ mercaturæ cauſa Syriam petebant, inſidiaretur, cum Hieronymo Canali apud Cretam nocturno prælio conflixit. ex tredecim Mori triremibus, quatuor perfractæ demerſæq; ſunt, tres captæ, reliquæ magna ex parte remigibus nudatæ Alexandriam ex fuga petiverunt. in his treccenti ferè Ianizeri, qui Memphim deportabantur, itemq; ad mille Turcæ ex navali turba interfecti. neq; enim Veneti prædonibus parcunt, quod cathenatis ſervis ad remum minimè utantur, unus ferè omnium Morus, quum nomen profiteretur, iam gravi vulnere tranſverſa fronte ſuſcepto ſervatus eſt, & cura ingens adhibita accitis medicis, ut ſanaretur. ambo enim mutui erroris veniam deprecantes, egregia ſimulatione teſtabantur, ſe ſimilitudine triremium, & falſa de hoſte coniectura deceptos: nam Morus pro Aurianis Venetas ſe adortum fuiſſe prædicabat. Canales vero pro Moro Barbaruſſam credidiſſe, qui tres Venetas triremes ſuperioribus annis intercepiſſet. Nec Solymanus eam iniuriam iniquo animo tulit, Venetoq; legato ad Byzantium, demiſſa, & in erroris excuſationem compoſita oratione ſatisfacere contendenti, Canalem rectè militariterque feciſſe reſpondit, qui vim illatam fortiſsimè repuliſſet. Ex Cæſarianis vero tres triremes Adurnio duce, quæ omnium poſtremæ in ora Brutiorum vecturæ & mercimonij cauſa aliquãdiu hæſerant, ad Palinurum a Sina prędone, cui Iudęo cognomen fuit, circumventę captæq; ſunt. Sub id tempus Clemens Pontifex Catharinam iuniore Laurentio Medice genitam Henrico Franciſci regis filio deſpondit, appetenteq; colloquium rege Maſsiliam, ut ibi nuptias inſigni conventu habito celebrarent, navigare conſtituit. maxime decorum enim ſibi futurum rebatur, ſi qui Cęſaris filiam domi ſuæ tanquã nurum erat habiturus, regię quoq; & longè nobiliſsimæ ſtirpi ſuum ſanguinẽ inſeruiſſet. ea affinitas uti ambitioſius expetita, atq; id maximè colloquium importuno tempore quæſitum vehementer Cæſaris animũ commovit adeo, ut minores quoq; principes, & Italiæ totius populi magnopere terrerẽtur, quaſi Pontifex qui dudum tanta prudentiæ cum laude, afflictæ evaſtatæq; Italiæ pacem atq; ocium peperiſſet, depravato demum animo & commutata voluntate renovandi belli cauſam eſſet præbiturus. Conſtabat enim Cæſarem urbe Mutina Alfonſo Ateſtino adiudicata adeo Clementis animum perturbaſſe, ut pleriq; eam iniurię moleſtiam, quã nec ille ſimulanter devoraſſet, alienato planè ſtomacho percoqui minimè poſſe exiſtimarent. Sed Clemens, qui conſilia ſua aſsiduis cogitationibus evigilata terminarat, magno ſibi artificio & temperamento Cæſaris pariter, & Franciſci regis amicitiam tuendã eſſe arbitrabatur. periculoſum enim eſſe prędicabat unam tantũ amicitiam colere, quę cũ alias excluderet, duriſsimæ ſervituti proxima videretur: Pontificiæ ſiquidem dignitatis & æquitatis eſſe, communem ſe omnibus parentẽ atq; benevolum profiteri, neq; adeo Gallorũ re-

gem tanti nominis,& qui Chriſtianæ religionis ſæpius defenſæ propagatæq; titulos præferret, contemnendum exiſtimare, ut colloquium cupienti pieque petenti, quum id ipſe bis Cæſari dederit omnino denegetur. Anne aliter exſcindi, aboleriq; poſſe Lutheranæ hæreſis malum, quàm ſi Franciſcus concilio faveat, authoritate & viribus adſit, & in eam præſertim cauſam, ſenſus,& conſilia Galliæ plena pietatis cum Cæſare coniungat? ſe profectò ea mente in Galliam proficiſci, ut pacem atq; otium confirmaret. quid enim alienius à natura ſua, & quid deniq; ſtultius, quàm pacem evertere, qua ipſe ante alios tantopere gauderet, & ut ea diu frueretur cum acerbiſsima rerum omnium conturbatione, ſumma vitæ & dignitatis pericula ſubijſſet? Proinde timere & maligne ſuſpicari deſinerent, qui ſua in rempub. merita minimè noſſent, aut quid ſuperioribus temporibus eſſent perpeſsi obtuſo vel ingrato ingenio minimè meminiſſent. Igitur inclinante æſtate Ioannes Stuardus Albaniæ regulus cum viginti triremibus è Maſsilia ad portum Veneris venit: eius uxor Catharinæ ſponſæ matertera erat, ipſeq; iungendæ affinitatis author, & ſponſalium præcipuus interpres extiterat. Itaq; Albanius ſponſa ad Niceam Provinciæ mari devecta, ut inde terreſtri itinere Maſsiliam perveniret, converſis inde velis, Liburnum eſt profectus. Iam Clemens per Etruriam Piſas venerat, expectataq; idonea tempeſtate quum ad mare deſcendiſſet triremes Gallicas conſcendit. affuêre ex compoſito à Meſſana redeuntes cum ſua quiſq; claſſe Auria, Alvaresq; Bazanius & Salviatus, qui ante portum decurrẽtibus cum inſigni orornatu vexillorum triremibus, diſploſiſq; omnibus tormentis, Pontificem conſalutarunt. eo die qui ipſi omnium lætiſsimus fuit, Clemens ad Herculis Monœci portum, qui Villafrancha dicitur, perflãtibus Euris, atq; inde biduo poſt Maſsiliam pervenit. Exceptus eſt ab Anneo Memorantio regiæ familiæ magiſtro, incredibili apparatu ſumptuq;. poſtridie rex ipſe cum Eleonara regina, tribusq; liberis affuit, totius Galliæ nobilitatem trahens. Nec multò poſt in ſolenni Cardinalium epiſcoporumq; conſeſſu medius inter liberos ingenua procumbens, hilari oſculo exceptus, allevatusq; eſt. Oravit tum Latine & luculenter Ioannes Bellaius epiſcopus Pariſienſis, quũ eum congreſſum ſummæ felicitatis maturum iam publicæ pacis fructum, feſsibus Chriſtianorum rebus allaturũ ominaretur. Graviſsimis inde cõſultationibus extracti aliquot dies, tanto conſiliorum ſilentio, ut ne arbitrum quidem, qui lumen proferret, nocturnis colloquijs admitterent: ipſorum enim cubicula paries tantũ cum ſecretis foribus dirimebat. Fama erat, utrunq; mutuis cum lachrymis recentes calamitates defleviſſe, repetiſſeq; origines antiquorum cõſiliorum veluti uno ordine connexis erroribus, quibus demum in tantas carceris miſerias decidiſſent. Nec deerant curioſi abditarum rerum interpretes, qui ſubtiliter excepta auribus, aut ingenij libidine conficta enumerando, Clementi gravẽ invidiam apud Cæſarem conflarent, quaſi ille iam regi certiſsimo fœdere iungeretur, ut quum per occaſionem cõmovere virium lacertos poſſent, in Italia bellum renovarent, quo ſimul & hic Mediolanum repeteret, & ille Rhegio & Mutina potiretur. Augebant ſuſpicionem maturatæ nuptiæ, quæ impares regio ſanguini viderentur. Siquidem nobiliſsimus adoleſcens Henricus quanquã ætate tenerior, Catharinã celebratis inſigni cerimonia nuptijs ex virgine mulierẽ prima nocte reddiderat, cui quanquã materna oppida in Arvernis atq; item centũ milia aureorum nummũm cum unionibus multiſq; gemmis et precioſa

thori

thori ſupellectile coniugalis mundi nomine affluenter acceſsiſſent: nihil tamen exæquari videbatur: nonnullis dotem ſimul & novæ nuptæ natales obliquo ſermone elevantibus, qui Pontificem maximè ſuſpectum Cæſarianis reddere contendebant. Vnde & illud falsè dictum Philippi Strozzæ legati apud regem in vulgus emanarat. Regijs enim quæſtoribus, quum illis repræſentata dotis pecunia ſolveretur, admodũ exiguam eam dotem eſſe pro regiæ domus fortuna dictitantibus reſponderat, ſe plurimum mirari, quòd ea dignitate homines nequaquam arcani regij participes viderentur, poſtquã neſcirent Pontificem inſigni chirographo tres inæſtimabilis pretij gemmas, quarum inſana cupiditate maximi reges deflagrarent, in ſupplementa dotalia promiſiſſe: illis verò læto vultu quænam eſſent requirentibus, quòd è ſacra tiara detractas iri putarẽt, arridens ſubiunxerat, apud peritos rerum eas forè Genuã, Mediolanum atq; Neapolim. Quę res ſicuti riſum movere potuit, ita & mox apud Cæſarianos ſubamaræ ſuſpicionis aculeos reliquiſſe videbatur. Nobis certè cõſtabat Clementem alienato maximè ingenio, eam Cæſaris ſententiam pertuliſſe, qua ille Alfonſo Aceſtino Rhegium & Mutinam adiudicarat, adeo ut iniuriam libero ore conqueſtus contra morẽ, barbam alternante manu demulceret, & alias irati animi decretũ in colloquijs non nimia diſsimulatione fateretur. Cæterùm Maſsiliæ cõvivijs, ſaltationibusq; triginta quatuor dies inſumpti tanta principum minorumq; ordinum contentione & cura implendis totius munificentiæ ac humanitatis officijs, ut is conventus, eæq; nuptiæ, neque iocundiore comitate, neq; effuſiore ſumptu, neq; liberiore lætitia celebrari potuerint. Aderant tres regis filij, in quos ora hominum vertebãtur. In Franciſco Delphino eminebat ingenium grave, multa reconditarum rerum cognitione defixum. Henricus autem iucunditate animi, corporis & cultus militari habitu, ſermonis alacritate, Gallorum naturæ ſimilior ſtudia faventis populi promerebatur. In Carolo autem puero id erat decus oris, ea eruditi & admirabilis ingenij ſuavitas, ut nemo eo rege, prole felicior haberetur. Honeſtavit nuptias Heleonora regina, ſerenitate, modeſtia, munditijs tanto rege digniſsima. Nec indigna erat nova nupta regio faſtigio, quum haud dubiè Leonis decimi maioris patrui indolem à magnitudine excelſi liberalisque animi, honeſtiſsimisque moribus referret. Ipſe autem Franciſcus ſua peculiari liberalitatis laude ſupra cæteros principes maximè inſignis ſeipſo ſplendidior apparuit: ſingulis enim Cardinalibus opulẽtæ ex Galliæ ſacerdotijs penſiones dono datæ, honeſtatiq; ſunt ampliſsimis muneribus, qui vel ſtudio partium, vel Pontificis gratia pollebant, & ij ante omnes præcipua benignitate, qui optimarum literarum, & præſtantis ingenij fama noſcebantur. Hos rex ipſe omnis elegantiæ arbiter, & nobiliſsimarum artium peracutus æſtimator, in ſummam familiaritatem erudito ſermone pertrahebat. Neque paſſus eſt ſe donis à Pontifice ſuperari: nam quum Pontifex monocerotis bicubitale cornu aureæ cælatæ baſi incluſum, ad depellenda epulis venena dono dediſſet, id latiſsimo aulæo rependit, in quo Belgarum arte ſuprema Chriſti cœna cum diſcipulis ſerico atque auro intexta viſebatur. Dedit & cupiditati Hippolyti Medicis Cardinalis, quum ingenuo pudore maiora dona repudiaſſet, manſuefactum leonem eximiæ proceritatis, quem è Mauritania Hariadenus Barbaruſſa cum legatis tranſmiſerat. Diſceſſurus autem Pontifex, quatuor viros Gallos legit in ſenatum, commendatione atque iudicio Regis delectos. Ii fuêre

Odettus Caſtellio, cùi Anneus Memorantius aulæ magiſter erat avunculus, & Philippus Bolonius Albani frater, & Claudius Gibrius Philippi Sciabotti amirantis avunculus, & Ioannes Venurius ab innocentia comitateq; ingenij regi carus, & cæteris ætate ſuperior. His rebus confectis concluſo iam propè hybernis tempeſtatibus mari circiter Idus Novẽbres è Maſsilia ſolvit, tenuitque portum ad vada Sabatia: inde conſcenſis Aurianis triremibus, quũ Gallicas remiſiſſet, Centumcellas pervenit, terreſtriq́; demum itinere in Vrbem eſt revectus: ita ut adveniens alterutra ſui fama frueretur. aliqui enim, ut in libera urbe impunè accidit, eum ſapientiſsimũ appellabant, quòd neptem ſuam maximi regis nurum, & in domo ſua Auguſti Cæſaris filiam rara felicitate cõſpiceret: & contrà alij criminosè admodum id factum vituperarent, quaſi depoſita ſacroſancti Pontificis perſona privatis familiæ commodis, quàm publicæ quieti conſulere maluiſſet.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXII.

VIX dum exacta hyeme Cæſar frequentibus amicorum ſociorumq́ue literis admonebatur, ut etiam atque etiam proſpiceret, caveretq; maximè à Franciſco rege, qui conquieſcere & pacem pati minimè poſſe videretur. Agitare enim illum animo nequaquam pacato ingẽs bellum, confiſumq; recenti Clemẽtis amicitię id unum opperiri, ut alicunde bellum erumperet. Propterea perpetuis Gallorũ legationibus ſolicitari aliquos Germaniæ regulos, qui Auſtriæ domui veteres hoſtes fuiſſent, & Vlderico Virtembergenſi propinquitate ac amicitia coniuncto auxilia prębituri dicerentur. Inter quos eminebat Philippus Lantgravius Catthorũ princeps, ingenio ferox, armis & clientelis potens, & ſuper hæc Cæſari vehementer infenſus. Hunc enim in diſceptatione hæreditatis cum Henrico Nauſao litigantem ab ſe Cæſar penitùs alienarat, quũ ipſius iudicio ſecundum litis eventum tuliſſet Henricus: unde ille è Ratiſpona, nondum peracto concilio, perturbatus iratusq́; diſceſſerat, adeo ut ab eo iudicio ad Martem appellaret, & ſe ſuo iure iniquiſsimè fraudatũ ſuperbo ore quereretur. Itaq; non obſcurè parabat bellum, auro Gallico, ut plerique exiſtimabant opportunè ſubnixus, profitebaturq; ſe Vldericum in paternam ditionem, vel repugnante Cæſare, armis eſſe reducturũ. Errabat exul iam multos annos Vldericus domo pulſus à Suevis, quum illi Reitlingẽſium iniurias vindicaſſent. Maximiliano ſiquidẽ vita functo Vldericus inſano conſilio Reitlingum admotis caſtris oppugnarat & cœperat. Id non tulère Suevorum fœderatæ civitates, quarum in fide erant Reitlingenſes. Itaq; decreto publico

blico Vldericum bello perſecutæ, eo impetu intulére arma, ut recepta urbe univerſa etiam Virtembergenſis ditionis oppida in poteſtatem redegerint. Id Vlderici patrimonium Carolus Cæſar uti optimo belli iure captum, coemit à Suevis, qui bellicos ſumptus ea pecunia reſarcire maximè cupiebant, Ferdinandoque fratri & domui Auſtriæ adiecit. Vlderico demũ opem implorantí à Gallis & Helvetijs, & oppida ſępius repetenti, cuncta irrita adverſaq; obvenerant, iacuitque in obſcuro provincialibus inviſus, quòd eſſet ingenio turbido, crudeli, furioſo, adeo ut uxorem clariſsimis natalibus ortam, quæ Vilermi & Arioviſti Baioriæ principum germana erat, vecordi impetu diverberaret, agitaretq; calcaribus, quum proſtratæ iumenti more temulentus & inſanus inſideret. Cęterum ex ea ſuſceperat Chriſtophorum, militari indole iuvenem: in hunc repudiato patre Baioarij avunculi, atque item Philippus Lantgravius benevolentiam & ſtudia ſua cõtulerant, et in eum apud Virtembergenſes mirus amor populari quadam charitate reſederat, quum illum ab arrogantia veſani patris immeritas exilij luentem pœnas cum dolore conſpicerent, adeo ut eum deſiderio veterum principum ſuorum paratis ad defectionem animis requirere viderentur. Poſtularat Chriſtophorus aliquandiu Auguſtæ in aula verſatus, ut certis paterni imperij oppidis, quæ maternæ dotis erant æquitate ac indulgentia Cæſaris donaretur: ſed in eam liberalitatem Cæſar adduci non potuit, utpote qui iuvenem ingeniò patri diſsimilem, nec obſcuro provincialium ſtudio in ſpem repetendi imperij erectum, provinciæ paulo ante ſuę caſtellis minimè inſinuandũ iudicabat. Ab hac repulſa Chriſtophorus ad Franciſcum Galliæ regem confugerat, qui ea tempeſtate inſigni largitione alacritateque Germanorum procerum amicitiam expetere, itemq; miſerorum & exulum cauſam tueri erat ſolitus. Nec multò pòſt ipſe & Vldericus pater regi bellicæ arcis Montem, quod hodie Pellicardum vocãt, præſenti pecunia vendiderunt. Id eſt in finibus Helvetiorum, ad Rauracam Baſileam, inter Rhenũ & Voſegum montem quà iter eſt in Tulingos, maximamq; inde Gallis præbet opportunitatem ad conducendas ex Germania copias. Qua coemptione Franciſcus iam pridem Ferdinando, Caroloq; Cæſari non obſcuram ſuſpicionem novandarum rerum iniecerat. Sed tum quietis rebus in fama erat Lantgravius, quem vulgò ferebant, ubi Chriſtophorum in paterni imperij ditionem reduxiſſet, continuò in Italiam turbandis Ciſalpinæ Galliæ rebus cum ingẽtibus Lutheranorũ copijs pervaſurũ. Is enim à maiorũ ſacris religioneq; contumaci, atq; inſana quadam ambitione diſceſſerat, ut novæ eius ſuperſtitionis profeſsione & patrocinio ſupra opes ſuas clarior atq; validior haberetur. His de cauſis Cæſar gravi conſilio dabat operam ut pacem in Italia tueretur. Iàm enim totum id tempus effluxerat, quod in fœdere præſcriptum Bononiæ fuiſſe meminimus. Itaq; Chriſtiernæ & Franciſci Sfortiæ nuptias omnino maturandas exiſtimavit, ut ſolicitum & dubia ſpe nutantem principem in fide confirmaret, liberaretq; omni cura Venetos, & Inſubres, ipſumq; Pontificem, qui Franciſcũ procreandis liberis operam dare, propagareq; Sfortianum nomen inſigni ſobole cupiebant, ne Cæſar cœlibis & languentis principis hęres, Mediolanenſi imperio potiretur, de cuius poſſeſsione ad exitum totius Italiæ funeſto eventu paucis antè annis eſſet dimicatum. Magna igitur omnium lætitia & gratulatione, adducta è Belgio puella: nuptię Mediolani celebratæ ſunt regio ſumptu, & ob id populis admodum graves: ſed toleratæ

tamen alacribus animis: quoniam nudata Cæſaris voluntate ampliſsimã ſpem diuturç pacis attuliſſe videbantur. Feltrium demum Vrbinatium principem, qui Veneti exercitus erat Imperator, reſtituta ei Sora urbe incredibili beneficio ſibi devinxit. Abſtulerat ei Soram, ut ſuo loco diximus, multis antè annis Ferdinandus Hiſpaniç Rex: eam verò Carolus Cæſar Ceurio nutritio ſuo, qui tum incomparabili authoritate pollebat, dono dederat, ceſſeratque demum eius hæredibus, adeo ut Cęſar qui liberalitatem ſuam erga nutritij poſteros perpetuam volebat, pecunia ingenti Soram coemere cogeretur, quo munificentiæ genere eximium eius ſtudium eò præclarius apparuit, quòd in promerenda hominis voluntate eam urbem dono daret, quam anteà penè promiſſam in præmium partæ de Gallo rege victoriæ, petenti Piſcario concedere noluiſſet. Feltrium enim Mediceo nomini, Clementique præſertim valde infenſum & maximè idoneum diſturbandis illius conſilijs exiſtimabat, quum ab Vmbriç Picenique finibus molientem res novas Pontificem expeditis armis urgere facilè poſſe videretur. Quin & Columniç familiæ proceres, tanquam peculiares Pontificum hoſtes, Cæſarianarumque partium defenſores, novis muneribus proſecutus eſt, qui è propinquo urbi Romç imminerent, explorarent conſilia motusque ſuſpecti Pontificis, atq; eum in obſequio fœderis occulto quodam metu continerentur. Quanquã Pontifex prolixè teſtaretur, ſe nunquam eius fœderis & amicitiæ iura violaturum. Quid enim ſibi vel ad familiæ felicitatem optatius, quã Cęſaris filiam in domo ſua nurum cõſpicere? Quid deniq; ad perſonæ dignitatem atq; amplitudinem maius atq; præſtantius quàm parta pace uti, perfruiq; illa digna pio Pontifice Chriſtiana tranquillitate? unde et afflictis urbanis rebus diuturnã ſecuritatem parare, et indicto concilio perturbatæ religionis cerimonias ad veteris cultus cenſurã revocare confideret? Sed eum tunc Pontifex ſuç antiquæ ſimulationis fructum ferebat, ut quum vera diceret, ancipiti eius ingenio nulla fides haberetur. Honeſtavit itẽ Cæſar Melphitano principatu Andream Auriam, ac eius propinquos & trierarchos uberioribus ſtipendijs ſibi obſtrinxit: in eius enim viri conſilio virtuteq; totius Liguriç opes & claſſes, copiæq; navales ſitæ erant. Ita Cæſar undiq; rectiſsimè proviſum iudicabat, quum nulla omnino defectio ab his foret timenda, quos magnis prçoccupatos beneficijs in fide, vetereque obſequio confirmaſſet. Veneti ſiquidem, uti anteà pepigiſſent, ſe Franciſcum Sfortiam defenſuros pollicebantur, & Alfonſus Aeſtinus recepta Mutina ſe totum ad Cęſarem contulerat. Nec deerat ſtudium Mantuano, qui Montisferrati principatum ſibi adiudicari æquitate Cæſaris expectabat, quum Bonifacius uxoris frater, currente equo lapſus, ſine prole deceſsiſſet. Interea ad Coronem Hiſpani Græcique quanquam aliquot navigia, plena commeatu hybernis tempeſtatibus eò ab Sicilia felici curſu perveniſſent, multarũ rerum inopia laborare cœperũt: ante alia ſumma erat penuria vini & pecoris, panis furfuraceo ſimilis erat: nam ad terendum triticum molis quotidiano labore manu ductis utebantur. Ciſternæ quoque ab aſsiduo tormentorum ſtrepitu, commotis ſcilicet ab imo parietibus, adeo crebras & inſanabiles rimas contraxerant, ut vel hiemales aquæ à copioſis imbribus minimè in æſtatem ſuffecturæ crederentur. Nullos enim egreſſus tutos Turcarum ſtationes, incurſionesque relinquebant: nam expediti equites ex inſidijs undiq; prodibant, magnum numerum mulionum, armigerorumque puerorum & lixarum, quum ij paulò longius ad colligendas o-

ſivas progrederentur, inſidioſis incurſibus interceperant, nonnullos milites ante portam repentina invaſione oppreſſerant: ita enim evagabantur, ut nullo in loco diu permanerent, & omnibus ex partibus improviſi adeſſent, utpote qui rectiſsimo & minimè barbaro conſilio, remotam à mœnibus & maximè longam obſidionē inſtituebant, ut noſtrorum vim atq; impetum fruſtrarentur, nunquam ſeſe ad iuſtum prælium offerrent, & nuſquam ex propinquo ad pugnæ caſum expoſiti conſiſtere vellent: editis in collium iugis ſpeculæ erant, in queis die noctuque vigiles excubabant, ut cuncta quæ vidiſſent, in caſtris nunciarentur. Ea erant ad Andruſſam oppidum Meſſenij agri, quod à mari ipſaq; Meſſene urbe quondam nobili, quæ hodie Petalidia dicitur, introrſus ſeptē milibus paſſuum diſtat, & à Corone triginta quinq; ad Tiffoum amnem, qui Panyſus olim fuit. Exiſtimabant enim Turcæ ex tanto intervallo noſtros nullam unquā expeditionem eſſe deſumpturos, quæ vix quatuor dierum itinere ab armatis hominibus militari paſſu confici poſſe videretur. Cæterùm milites Hiſpani brumalibus fermè diebus cum tædio tam lentæ & diuturnæ obſidionis, tum multarum, ut diximus, rerū inopia adducti, à Macicao duce petere cœperunt, ut contra hoſtes ad inſigne aliquod edendum facinus educerētur, quando iam planè cuncta deficerent, & longinqua ſpes eſſet expectandæ claſsis, quæ vaſto & ſævo mari nequaquā ante Calendas Apriles, niſi inſano auſu committi poſſe videretur: inutili enim æquè ac ignobili otio tempus teri, abſumiq; interea ſenſim cuncta famis ſubſidia, & cōtabeſcere concepta valetudine militum vires, & timeri debere peſtilentiam, quæ concluſis & inuſitato cibariorum genere veſcentibus, cùm ſeſe aperiret annus, minimè defutura crederetur. Poſtremò pręſtare in acie mori & non inultos quidē, quàm deſperatione ac inedia cōfectos tanquam fœminas in ſuprema neceſsitate immanibus hoſtibus dedi, quòd ſi quid audacius tentent, & virtutis innatæ toties q; ſpectatæ periculum faciant, facilè poſſe incautos, & nihil tale ſuſpectantes Turcas opprimi atq; deleri: nunquā enim Fortunam concluſis, & miſero ac infami otio deſidibus adfuturam, uterentur iniquæ ſortis beneficio, & rationem & diſciplinā non ad cautæ prudentiæ nomen, ſed ad unam tantū invicti animi magnitudinem revocarent, futurū profectò ut ipſa præſentium rerū neceſsitas expeditam viam nobilioribus factis aperiret. At Macicaus, qui muneris impoſiti, ac officij deniq; ſui probè meminerat, compeſcere has voces, & docere quantum flagitij admitteretur, ſi pręſidio temerè excedendū putarent, ipſos nequaquam eo conſilio veniſſe, ut in mediterraneis Peloponneſi hoſtes quærendos arbitrarentur, quos à mœnibus primo adventu, deſertis caſtris effugere coegiſſent, parſimonia & tolerantia, uti ſæpe anteà feciſſent, eas difficultates poſſe ſuperari: neq; ſe dubitare, quin ad prima veris ſigna claſſem Cæſaris, & nova auxilia ſint viſuri. Proinde eius inſani conſilij penitus obliviſcerentur: quid enim levius & deniq; ſtultius eſſe, quā paucos ſine equitibus in aliena & incognita regione cum iuſto prope exercitu, valido imprimis equitatu: & multis prætorianis cohortibus longè firmiſsimo dimicare? & quod aures vix ferre poſsint, relinquere deſertam urbem per aliquot dies in poteſtate Græcorum, quos vel fideliſsimos, neq; pro natura gentis leviſsimos ipſa fames & futuri ſupplicij metus inducere poſsint ut facilè fidē fallant, & protinus ad veteres dominos rebellent. Proinde ſibi in animo ſitū eſſe pro diſciplina tueri urbē, eamq; Cæſari ſervare, & omnia aſpera prius perpeti, quàm deſertę urbis,

& proditi exercitus infamiam ſubire. Quid enim acerbius fore, quàm in ipſa fœlici temeritate, ſi etiam Fortuna votis annuat, nullam omnino laudem ferre & contra etiam militari iudicio pœnam promereri? porro quid calamitoſius, quàm in aduerſo euentu cum ignomina leuitatis atq; ſtultitiæ in veſtigio pœnitere ſimul & perire? mollitiem eam eſſe animorum non magnitudinem, vti falſo nomine appellarent: non enim eos eſſe viros fortes, qui dolore fatiſcerēt, & famis metu frangerentur, adeo vt ſalutem proijcere, indecoroq; vitæ exitu miſerijs finem afferre, quàm ſtatutum cœlo fatum expectare malint. Erat Macicaus, vti ab obſcuro Cantabriæ oppido non natalibus, ſed inſigni virtute clarus fortibus factis, & multa corporis ac ingenij patientia, ab infimo peditū ordine, vti antea Nauarro, Ioanniq; Dorbino cōtigiſſe conſtat, ad præfecturam caſtrorum prouectus: ob id maiore lenitate comitateq; imperij vim exercebat, adeo vt non elato, ſed temperato ingenio in conſilijs vteretur, & ad declinandam inuidiam nunquam vſurpata ducis appellatione ſeſe cæteris centurionibus coæquaret, inter quos eminebat ſpectatæ nobilitatis Didacus Touarres, eius ſententiæ facilè princeps, & vſq; adeo vehemens, vt quum alios penè omnes ſecum traheret, vix illi a Macicao reſiſteretur. Cæterum re in præſens dilata, & continuo demum triduo magnis diſputationibus in vtramq; partem habitis vehementer agitata, Touarres, & Hermoſilla Macicaum expugnant: ille victus precibus atq; iudicio militū dat manus, eundúmque eſſe decerint, teſtatur tamen ſe inuitū trahi, & nimia eorū cupiditate ac intempeſtiua deſperatione, totius belli ſummam, & ſalutem omnium in id diſcrimen adduci, in quo nulla propè ſpes ſecundi euentus, aut omnino tuti receptus emineret. ad id quoque fortiter audendum magnopere cogebatur à Grȩcis de ſua ſalute libertateq; ſollicitis, inter quos rei bellicæ peritia, & Turcarum ſtipendijs clari plurimū eminebant Lazarus citeriore Macedonia oriundus, & Buſeus dignitate equeſtri, & ipſe ante alios Barbatius Græcorū longè fortiſsimus. is Turcicæ peritus linguæ, ſingularem totius regionis ac itinerū omnium notitiā tenebat, hortabaturq; vt ſe duce & anteſignano ad eam expeditonem vterentur: ſe enim daturum operam, vt occulto itinere ad hoſtes conſopitos, aut nihil tale verentes maturè atq; opportunè peruenirent. Macicaus, qui alienā temeritatē ſuā prudentia & diligentia maximè ſarcire cupiebat, ante omnia integro triduo cauit nequis omnino Græcorum vrbe egrederetur, ac demū Liſcanio atq; Mendeſio centurionibus vrbe commendata cū ægris ac ætatē grauibus in cuſtodia relinquebantur, hisq; iniunctum eſt, vt portas cuntinuò obſeruarent, ne profectionis fama ad hoſtes deferretur. De ſecunda vigilia educto agmine ad Andruſſam Barbatio duce contendit, ſinuoſis & inuſitatis itineribus, vt culta ac frequētia loca, et Turcarū cuſtodias deuitaret. ea nocte dimidia ferè itineris parte confecta (nam á brumali ſolſtitio longiſsimæ noctes erant) & exorto ſole in caua et nemeroſa valle copias condidit, atq; eo inclinãte in veſperā, curatis quietē ciboq; corporibus, eo gradu ad Andruſſam perrexit, vt paulo antè auroram hoſtibus appropinquaret. Erat in oppido Caranus è præfectis prȩtorianorū cohortium virtute inſignis, & cum eo circiter tria milia peditum, in queis fuere ſclopettarij è Ianizerorum ordine mille & quingenti, cæteri è genere Aſaporum partim ſagittarij, partim haſtati erant: extra oppidum verò Acomates, cui à prȩſtanti forma Iuſello cognomen fuit, in ſuburbanis tectis ad mille delectos equites continebat. Summa omnium, & Macicai, Barbatijque in primis ſententia

erat,

erat, nullo cum ſtrepitu, & ſuſpenſis quidem paſsibus ſtabula & caſtra equitum pertranſire, adoririq; extemplò oppidum: murus enim uti non uno in loco confectus ex cratibus argillaq; ad lateritij parietis craſsitudinem, & partim vetuſtate, partim incolarum negligentia perruptus, non omnino difficilem ſcanſuris, & ſublevatis aliorum humeris militibus aditum præbebat: ita diviſis inter ſe muneribus & copijs Macicaus ad oppidum progreditur, Hermoſilla contra hoſtium equites quietus conſiſtit, ſed tanto ſilentio negotium patrari non potuit, quin nonulli agaſones & ſtabularij Turcæ caſu excitati noſtros ſentirent, & in dubia luce collucentibus ſclopettorum funiculis proſpicerent, ij primi omnium vigiles, quorum nulla propè erat diligentia, et demum equites ſopitos ſomno clamoribus editis excitarunt. Nec cunctatur Hermoſilla, experrectos, & adhuc imparatos, prius quàm coeant, atq; equos aſcendant, magno impetu invadit. Turcæ eo caſu perturbati ædificiorum ianuis ſeſe tutantur noſtri ſtabula perrumpunt, multos trucidant, ignemq; ſtramentis inijciunt, ut equi, viri, arma atq; ædificia eodem igne concremẽtur. Tum verò cuncta tumultu clamoreq; miſceri: ſed valde terribilis erat equorum hinnientium fremitus, qui dum vincla abrumpunt, & ambuſti terrefactiq; ardentibus caudis & crinibus undiq; deferrentur, inuſitati tumultus ſtrepitum reddebãt. Eo modo res ad improviſum caſum importunè deducta, excitatisque in oppido Turcis, noſtrorũ ſpem fregit, atq; animos imminuit: datũ enim eſt ſpatium Carano ad capienda arma, & iam Turcę ad muri perrupti aditus portasq; adcurrerãt, animadverſaq; paucitate noſtrorũ denſatis ordinibus, ubi periculũ poſceret, intrepidè prçliabantur. Hermoſilla delendis equitibus intento, et ſerius quàm oporteret auxiliũ ferre conante, Macicaus dum portulę, quæ erat in latere, valvas revellit, ſclopetti glande per frontẽ traiectus cadit. Interficitur & Didacus Tovarres, eandemq; fortunã milites muro portęq; proximi ſubeunt: auctiq; animis Turcę, in deprehenſos clara iam in luce, & diſiunctos facta eruptione deferũtur. Noſtri ab acclivi acceſſu in æquum locũ retrogreſsi, recepto & cõiuncto ſibi ſecundo agmine, & cõverſa in hoſtes fronte ſe recipere cœperunt. Hermoſilla per ſclopettarios latè inſequẽtes ſummovebat, terga agminis tuebatur, atq; expeditos ad latera diſponebat adeo peritè & conſtanter, ut undiq; Turcæ audacius proruentes certis propè ictibus ſternerẽtur. Iam equites qui ab incendijs evaſerãt, et qui in remotis mappalibus tendebãt eò frequentes adcurrerant. Acomates criſtis cõſpicuus in acie circumfuſis alis verſabatur, ſed noſtri ea animorũ conſtantia gradum referebãt, ut orbatis duce ac itinere planè fatigatis, quũ fortuna deeſſet, egregia virtus ad ſuſtinendũ redintegrandũq; prælium ſupereſſe videretur. Turcæ magno ad ſtabula detrimẽto accepto, & pluribus ex Acomatis militibus deſideratis, quòd oppreſsi deletiq; penitùs nõ fuiſſent, pro victoria ducebãt, atq; ita lentius urgere abeuntes, & in frequenti peditũ agmine perſequi cœperant. ſed Acomates, rapiente fato, quũ occaſioni deeſſe nollet, traditos à Carano ſclopettarios circiter ducẽtos ab totidẽ equitibus in clunes equorũ conſeſſores recipi iubet, et noſtros perſequitur, alios equites ſagittarios ac haſtatos advocat, & à poſtremo noſtrorũ agmine nõ diſcedit: ſed dũ multa paſſuũ milia provectus, audacius in noſtros equũ adigit, ſclopetti glande per lunatã peltam traijcitur. eo cadente noſtri purpureã mitram multo auro intertextam cũ criſtis, atq; item clypeum rapiunt: Turcæ corpore potiuntur. Eo modo duce amiſſo, multisq; illatis et acceptis vulnerib. perſequen-

di finem fecere, indeque noſtri quietiore agmine Coronem ſunt reuerſi: nec diu ad Andruſſam Turcę morã traxere, nã auribus ac naribus noſtrorũ deciſis, atq; his ad oſtentationẽ æquatę cladis Byzantium tranſmiſsis ad Londarium, quod Megalopolis olim fuit, reliquum hyemis egerunt. Turcis verò diſcedentibus à Corone, iterũ Andruſſa à noſtris eſt repetita, vt tot fortium virorũ cadauera relicta feris atq; volucribus humarentur, & in his ſepeliendis vicini Græci ab oppido Callamata, quod olim Pharæ dicebatur, ſingulare Chriſtianæ pietatis officiũ præſtiterunt, & à noſtris Macicai caput, quod hoſtes in prælonga haſta præfixerant, planè agnitũ, cũ honore Coronem eſt relatũ. nec multo poſt ſuborta peſtilentia, multiplicatis funerib. vaſtare Coronem cœpit, eo grauior, quòd ſupra cæteras difficultates acceſſerat. Quibus de cauſis Hiſpani, vt in ſumma rerũ deſperatione accidit, nacti nauigia, quæ frumentũ à Sicilia detulerant, ſuſceptis Græcis cum eorum ſupellectile, ablatisq; tormẽtis oppidum vacuum reliquerunt. Fuere qui dicerent Hiſpanos non metu aut iudicio ſuo, ſed iuſſu Cæſaris Coronẽ reliquiſſe: neq; enim crediderim tantum momẽti in vnius vrbis poſſesſione fuiſſe reponendum, vt in nullum propè exitum Cæſar grauiſsimis ſumptibus id bellum alere voluerit; quum conſtet eũ Venetis, & Pontifici, ac ipſis deniq; Rhodijs, qui in Melita erant, eam vrbem tuendam poſsidendamq; obtuliſſe, poſtquã in eos ſumptus pecuniam conferre grauarentur. Cupiebat Clemens prudenti ſanè conſilio, in multos annos Turcarũ metu liberari, egeratque Byzantij cum Aloyſio Gritto, per Gerardũ Florentinis mercatoribus iuri dicundò præpoſitũ, vt reddita Corone in decem annos inducię eſſent Solymano cũ omnibus Chriſtanis, quod maximè vt fieret Habraimus appetebat. nam excitato iam penè Perſico bello, in orientem animi omnium atq; arma vertebantur. Pacis ſiquidem & belli iura, vti alio loco diximus, in eius viri iudicio atq; authoritate poſita erant: neq; enim Chriſtiano nomini erat infenſus, vt credi par eſt, & paternæ religionis momoria, ſecus ac cæteri Turcæ & Schyticæ præſertim ſtirpis, qui inexorabili odio noſtros homines perſequuntur. Induciæ quoq; & ipſi Gritto magnopere placebant, quum in Pannoniam ad eas res componendas eſſet profecturus: ſed dum Cæſar, vti planè interclusus hinc dedecoris metu, & illinc præclara commoditate, animi conſilium tardius explicaret, tranſigendi negotij tempus effluxit, ita vt Cæſar quum Ferdinando fratri aſsiduis attrito bellis, quietẽ atq; otium parare, & grauisſimis ſubinde eius belli ſumptibus parcere reſtituta Corone commodè poſſe videretur, ab ea cunctatione ſummæ vtilitatis occaſionem amiſerit. Sub id quoque tempus Philippus Lantgrauius Cattorum princeps, Ferdinando regi bellum intulit: Aderat Vldericus, vti memorauimus, belli cauſam ad æquitatis ſpeciem præbens, & ob id ab omni nobilitate liberaliter adiutus. Nam Germaniæ reguli, vetuſto more gentis implorantibus mutuam opem, non adeſſe nefas eſſe putant. Hoc ſanctisſimo liberalis amicitiæ iure, humiles et infirmi ſe ipſos ab iniuria & ſuperbia potentiorum facilè defendunt. Igitur quum inſigni ſtudio vndiq; auxilia gratuitò præberentur, Vldericus paucis diebus ad quinque millia galeatorum equitum coegit. Adductæ item ſupra triginta peditum cohortes, à Villermo Fuſtenbergo ſummæ nobilitatis iuuene. Argentinenſes quoque et Vlmenſes tormenta bellica contulerũt. nam liberæ Sueuorum ciuitates quę iampridem ſocietate conſenſerant, diſſuluto demum fœdere ſeparatim rebus ſuis ita conſulebant, vt tum Vldericus earum ciuitatum amicitia & viribus

oppor-

opportunè atq; feliciter uteretur, quibus anteà dum id fœdus vigeret, ditione ſua & domo fuiſſet expulſus. At Ferdinandus ſuo more per legatos bella gerere ſolitus, quũ ad paranda auxilia per Vindeliciam, Noricum atq; Bohemiam diſcurreret, copias ſuas Philippo Palatino commiſerat. Huic regio genere orto, & defenſæ ab ſe Viennæ gloria illuſtri, peritiſsimi duces parebant, Conradus Heſsius, qui in evaſtanda urbe Roma Germanorum princeps extiterat, & Maximilianus Heberſtenius in Italia clarus. Hi tres legiones externorum peditum ductabant, accceſſerantque ſubitarij delectus ex ea regione cohortes cum iuſto tormentorum apparatu, & ad has duo milia armatorum equitum. Interim à Cæſare ſuſtinendo, extrahendoque bello per menſarios pecunia parabatur: ſed id aliquanto minore diligentia fiebat, quàm gravis & repentinus hoſtium adventus poſtularet. Lantgravius enim Necharo amne ſuperato, trinis caſtris in Virtembergenſium fines exercitum induxit, adeo celeri ac improviſa irruptione provectus, ut regij nullis ſpeculatoribus uſi, non prius de adventu hoſtium certiores ſint facti, quàm armatæ acies in propinquo colle conſpicerentur. Ea re cognita Palatinus, qui ad vicum Louffen in valle cõſtiterat, equitatum repentè educit, ad explorandum levis armatura præmittitur. Lantgraviani ſigna promovent, tormenta diſplodunt: prælium equeſtre committitur: admiſcentur utrinque expediti pedites. Quum diu eſſet dimicatum, & regij multitudine hoſtium premerentur, Palatini equus tormento ictus cadit, ipſe vehementer in talo eadem pila vulneratur. Duce eo modo pugna excedente, & urgente hoſtium equitatu fit magna perturbatio regijs in caſtris. Non deeſt occaſioni Lantgravius, & productis legionibus incumbit. Quum verò ab equitibus quæreret, quonã in loco eſſent hoſtes, & eos in Louffen eſſe, qui exploratum excurrerant, reſponderent: Victoriæ, inquit, milites omen accipio, poſtquam hoſtes in fuga eſſe nunciantur: id enim nomen Germanicè fugam ſignificat. Neque inane eius nominis augurium fuit. Nam regiæ copiæ omnes nec tentato quidem certamine in longè turpiſsimam fugam coniectæ terga verterunt, gravi admodum Maximiliani Heſsijque periculo, qui retentare, conglobareque ſuorum aciem, & converſa fronte ſe recipere conabantur. Ab ea victoria Vldericus, & Stocardiæ, & omnibus ferè veteris imperij ſui oppidis incredibili populorum alacritate eſt receptus. Aſperga, in quam Palatinus ex vulnere confugerat, biduo tormentis oppugnata deditionem fecit. Auracum poſtremò & ipſum altercatione militum, qui in præſidio erant, ſine vulnere in poteſtatem cõceſsit. Nec multò poſt quum Lantgravius Auſtrianæ ditionis fines ingreſſurus, atque inde demum impellentibus Gallis in Italiam pervaſurus eſſe diceretur, Ferdinando regi pax data, deprecantibus Germaniæ regulis, ea conditione, ut Vldericus beneficiario iure ab Auſtriana familia ducto, ditione ſua potiretur. Invidebant quidem Auſtriæ domus felicitati, ſed eam exæquatis viribus incolumen volebant. Cæterùm Lantgravius apud Gallos occultè invidia deflagrabat, quòd eorum auro inſtructus ſecus quam magnis pollicitationibus ſe facturum oſtenderat, in tanta occaſione gerendarum rerum, repreſſo impetu ſummæ ſpei victoriam omiſiſſe videretur: ſic ut præclarè conſtet, Ferdinandum una maximè pecuniæ inopia id vulnus accepiſſe, quum multis diebus ab Hiſpania necquicquam opem expectaſſet. Curarat enim Cæſar per menſarios certum auri pondus in ſtipendia militum, ſed id aliquanto cunctantius quàm circumvento fratri in ea celeri-

tare hoſtium expediret, adeo vt victus exutusq; prouincia, pacem petere cogeretur: hoſtes tamen vt aliquid ſpecie honoris Cæſaris nomini tribuere viderentur, tormenta bello capta remiſerunt, & Virtembergenſis iunior prouincialium ſtudio inſignis, ad declarandum ſtudium ſuum in reliquum tempus, tributo tenui ſibi impoſito, nunquam ſe illaturum arma Auſtrianis principibus repromiſit. Interea Clemens diuturno ſtomachi vitio tabefactus, ſexto calẽdas Octobres moritur, anno Pontificatus vndecimo, ætatis verò quinquageſimo ſeptimo. Inerat ei ab ſeuero ore geſtuq; & ſermone ipſo grauitas naturalis, exculta, vti vidimus, per omnem ætatem ciuili æquitate, moderatione, & patientia inſigni. Sed deerat in eo, qui fortaſſe in Leone fratre ſuperfuit, generoſi & liberalis animi vigor, dignus principe, et vti volebat exiſtimari, Medicea ſtirpe progenito. Ea ſiquidem erat natura eius ingenij parſimonia & diſſimulatione gaudentis, vt illiberalis & durus potius quã ſæuus atq; maleficus eſſe cenſeretur. Neminem enim plane oderat, quum neminem adamaret, præterquam ab occultiore cauſa conciliatos. his certè vnis adeo intemperanter fauit, vt ad ſummos honores, aut ad ſummum authoritatis locũ, ſtabilesq; diuitias nullo pudore proueheret: multorum verò conſtanter obliuiſceretur, qui ab optimis literarũ ſtudijs, vetereq; obſequio commendationẽ & pręmia meruiſſent. Hos quidem perblandè appellabat, vt imagine gratiæ detineret, ſed occultè oderat tãquam creditores. Et hercle niſi Gibertus literarum & virtutis amore incenſus, vti erat in adminiſtratione Reipublicæ, optima eius ſæculi ſorte Clemẽti intimus, negantem cuncta prædurumq; principem molliendo fallendoq; ad beneficentiæ decus reuocaſſet; pręclara profectò aliquot, fœcundaq; ingenia dolore ſimul & pertinaci ſterilitate perijſſent. Dedit tamen omnia vel ſemper nolens, quæ ſuis parum benigna facie denegarat, et inimicis quidem ſæpius & indignis: qua in re aliquando ſuſpirans ſe miſerum eſſe confeſſus eſt, quũ animus aut præſenti vtilitate inductus, aut ignobili compulſus metu, ad id inexplicabili neceſsitate, vel reluctante iudicio raperetur. Ex vno enim & triginta Cardinalibus, quos legerat in ſenatum, vix vnum atq; alterum probabat, quòd eos præteritis honeſtioribus, nequaquam exquiſito decoroq; delectu, vti deſideraſſe videri cupiebat, ſed vi ſubita inter impotẽtes regum preces, armorumq; ſtripitum circumuentus & coactus edidiſſet. Cæterùm qui occultare naturæ vitia, & ſtudia hominum promereri expedita liberalitate neſciebat: eximiam certè laudem adſequebatur facilitate aditus, perurbana comitate, & populari quadam moleſtiſsimarũ rerum tolerantia: nunquam enim infimorum etiam hominũ vel preces, vel ſpes ipſas iratus, aut faſtiditus abrupit. In eo quoq; enitebat, quod certè familiæ proprium fuit, rerũ prope omnium, præcellentiumq; artiũ notitia atq; cenſura ſingularis, eo admirabilior quòd nullis propè literis inniteretur, verum ingenio ad infimas artes ſumptuariasque rationes adeo demiſſo hęrentiq;, vt opificum arcana ſubtilitatesq; operum nimia & propè turpi ſolertia ſcrutaretur. Et certè is fuit, quem nemo vnquam in paruis rebus fefellerit, vt obiter non ſit mirum, ſi in magnis demum, quæ publicam ſalutem reſpicerent, ſæpiſsimè fuerit deceptus. In grauiore etenim conſilio omnem vim ſummæ eius prudentiæ fatalis auaritia penitus elidebat, vt pote qui in proferenda pecunia, quum opus foret, adeo ſuſpenſus & anceps triſti cunctatione torqueretur, vt in perleui momẽto gerendarum rerum occaſio facilè deperiret. Hic vir profectò alioqui peregregiè cautus, et maxi-

marum

marum rerum experiens, nequaquam vllo planè illuſtri vel expedito ſpiritu, vltima animi decreta promere, & conſilia terminare didicerat: vti tum maximè publicæ ſalutis interfuit, quum ipſo conſultante non omnino improuiſa clade obruti fœdè perijmus. Sed excuſare eum hoc loco lubet, et profectò iuuat, tanquam non minore ignauia ſuorum ducum, quàm hoſtium perfidia in eas miſerias præcipitatum, poſtquam excellenti demum conſilio, ab inſigni Cæſaris æquitate feliciter ducto, pacem pepererit, magnamque Italiæ partem luctuoſa Hiſpanorum militum acerbitate liberarit: hoc certè honeſtiſſimo facto, in ipſa ſaltem morte, qua omnis inuidia facilè extinguitur, præclaram virtutis laudem meritus; niſi vti poſthumus, patre crudeliter interfecto priuſquàm ab vtero matris in hanc lucem ederetur, planè infœlix malè auſpicatam & verè lugubrem Pontificatus ſui memoriam reliquiſſet. Sæuum enim id bellum, & quo Roma funeſtius a multis ſeculis non ſenſit, peſtilentia propè ineuitabilis, dira fames; & prodigioſus Tyberis auctus accumulatis cladibus excepere, adeo vt omnis ordo & denique populus vniuerſus, diu expectata & demum audita eius morte, magnopere lætaretur, iocatique ſumma libertate nonnulli gratias agerent Curtio medico, qui firma vtentem valetudine, innatoque membrorum robore præualidum, in multa ſpe longioris vitæ: nouis præceptis & commutata vitæ ratione, dubio procul occidiſſe credebatur. Laudauit eum in funere Laurentius Granius Signinus antiſtes Romana facundia, ita relatis in fatalem iniuriam cladium acceptarum cauſis, enumeratisque virtutibus, vt Cardinales Reipub. probè atq; opportunè conſulturos diceret, ſi proximis comitijs Pontificem pari animi virtute, ſed ea aliquanto fœliciore creauiſſent. Peractis in funere nouendialibus ſacris Cardinales trigintaquinq; conclaue ſunt ingreſſi. nam pleriq; è prouincijs in vrbem ad comitia conuolarant. Eminebat inter omnes in toga candida Alexander Farneſius ſenatus princeps, quem per quadraginta annos ſenatorem, atq; omnes ætatis honore ſuperantem Roma patria, præclaræ maiorum imagines, eximia atq; inueterata virtus, & præcellentes literæ magnopere cõmendabant, adeo vt Clemens, quum toties repreſſo, & rurſus erumpente morbo, omnem vitæ ſpem conſtanter abieciſſet, eum ſibi ſucceſſorem teſtamento ſcripturum affirmaret, ſi Pontificatus hæreditate pararetur. Propterea Hippolytum Medicem etiam atq; etiã fuerit adhortatus, vt vnum omnino Farneſium collatis amicorum ſtudijs, attolendũ ornandumq; ſuſciperet, quãdo nemo in adminiſtranda Republica, & tuenda dignitate ſacroſanctę maieſtatis eo potior eſſe videretur. Subinde aſſeuerans eius ſummi beneficij memoriam, vt in homine pernobili ſanguine progenito, nequaquam eſſe perituram. Itaq; Medices & ſua ſponte, & ſuorum omnium hortatu, & amicorum Cardinalium propenſione adductus, cũ Ioanne Lothoringo, quem propter morum ſimilitudinem vehementer adamabat, adapertis ſenſibus arctè coniungitur. Hi duo longè nobiliſſimi totius ordinis, quum ſupra viginti ſenatores in ſuffragium adducerent, Pontificatum vti vellent & dare, & eripere poterant. Igitur vix paucis communicato conſilio ad Franeſium pergunt, eumq; primos comitiorum æſtus pacato animo in cella expectantem aduoluti pedibus Pontificem ſalutãt. Conſequuntur ſtatim amici Cardinales. idem faciunt dubij; nec ipſi demum competitores & aduerſarij diu cunctantur quin accedant, atq; eum veluti ſubita tacti religione protinus adorent. Nulla vnquam comitia à multis ſeculis maiore ſimplicita-

te, concordia, religione, inita peractaq; ſunt, vtpotè quæ ipſi Chriſtiani nominis diui tutelares & principes, nullo liuore extracta fœdataue, nullo corrupta ambitu, nulloque metu præcipitata haud dubiè rexerint, atque finierint. Paucis enim horis & ciuem optimum, & virtutis opinione lectiſsimum, vti optarat potius quàm ſperarat, populus Romanus Pontificem accepit: & eo quidem vberiore lætitia & gratulatione, quod ipſum cœleſte munus Dij immortales ad compeſcendam latronum & ſicariorum audaciam, quæ in prouincijs & in Vrbe per interregnum eruperat, mira prorſus ac inuſitata celeritate cumulaſſent. Non enim ſyngraphis ſuffragiorum obſignatis, & de more in ſacratam vrnam coniectis, ſed publico conſenſu, et præclara voce totius ſenatus Pontifex eſt renunciatus, coronatusq; demum triplici chiara deſumpto Pauli tertij nomine, ſecundo Nonas Nouembres; qua die ab eo fœlici auſpicio publica hilaritate percelebri in eius honorem nobilisſimi Romanæ iuuentutis per Vaticanam áream ſimulachro equeſtris pugnæ edito iucundisſimè decurrerunt. Hiſdem fermè diebus quibus defuncto Pontifici nouendialibus ſacris de more parentabatur, Aloyſius Grittus Andreæ clarisſimi Venetorum principis filius, in Tranſyluania vehementi multarum gentium coniuratione obſeſſus, interfectusque eſt. Venerat is é Byzantio miſſus á Solymano cũ ampliſſimis mandatis ad Ioannẽ Pannoniæ regẽ, vt Budæ conſideret, tueretur in his regionibus Ottomannicũ nomen, conſilijsq; omnibus belli et pacis intereſſet. Nolebat enim Solymanus contra Perſas ad longinquũ bellũ profecturus quicquam in ea prouincia commoueri. Nam fama erat, Ioannẽ prouincialium cohortationibus inductum pacem appetere, & id demum agitare, vt quietem atq; otium à Germanis atq; Bohemis impetraret, ea condicione, vt dum vita ſupereſſet trãquillè regno potiretur, ab exceſſu vitæ autem, iura omnia Pannonici regni ad Ferdinandi liberos tranſirent. Itaq; hiſdem fermè diebus quibus Solymanus in Armeniam cõtendit, et Hariadenus cum valida claſſe in Italiam, atq; inde in Africam adnauigabat, Grittus Byzantio profectus in Valachiam ſuperato Hiſtro peruenit. Ducebat ſecum præſidij cauſa aliquot Turcarum equitum alas, atq; item eximiam peditum manum, in qua erant pleriq; Ianizeri ex numero prætorianorum: præterea multi ſerui liberaliter inſtructi, amiciq; & familiares Italici generis, & antè alios Hungari duo duces cum ſingulis turmis Vrbanus Batianus, & Ianus Docia: quorum numerus ſeptem millium ſummam facilè implebat. nam & ingens lixarum turba cum inſigni apparatu caſtrenſi, miltisq; camelis & impedimentis ſequebatur. Valachia olim Myſia ſuperior fuit, finitima Baſtarnis & Getis, nunc ea in duas partes diuiſa eſt, altera propinquior Hiſtro Moldauia, altera verò quæ ad Pontum atque Boriſtenem vergit, Tranſalpina vocatur. In Moldauia imperabat Petrus, iam pridem certo fœdere ab Ottomannis in amicitiam receptus. Ab hoc Moldauo Grittus explicato Solymani diplomate prolatisque eximijs muneribus poſtulabat, vt ſibi in Pannoniam contendenti, conſilio opibusque adeſſe vellet. habere enim ſe mandata á Solymano ad Ioannem regem, vt de pace cum Germanis ageret, ſtatumque eius regni maximè perturbatum componeret. Accepit dona barbarus, amicitiæ dextram iunxit, deditque fidem ſe vbi opus foret, neque Solymani cauſæ, neq; iure hoſpitij initæ amicitiæ defuturum. Nec multo poſt Grittus hac noua Moldaui ſocietate auctior et elatior factus in Tranſiluaniam deflexit, edicta pasſim proponens, vt ad ſe proceres, ciuitatumque legati

conue-

conuenirent, tanquam ad rerum omnium deſceptatorem & arbitrum, legatumque Solymani, qui cum ampliſsimo munere regiæ poteſtatis ſingulas Hungarici regni controuerſias eſſet cogniturus. Tantum enim ſibi gratiæ apud Habraimum, Solymanumque parauerat, vt inuſitata liberalitate fiduciaque cuncta magna atque ardua eius induſtriæ, & virtuti committere minimè dubitarent. Erant in Gritto Byzantij nato, educatoq; inter Turcas, exquiſitæ artes conciliandis barbarorum animis. nam eximio ſplendore vitæ, multa largitione, frequentibus epulis, cultu demum inceſſuque, & illuſtri præſertim eloquentia aulæ proceres cœperat, ipſumq; præcipuè Habraimum, ſumma Solymani gratia conſpicuum, nec obſcurè Chriſtiano nomini fauentem, adeo fœlici familiaritate ſibi adiunxerat, vt ex multis mercaturæ monopolijs publicanus effectus, ſe ingentium vectigalium redemptorem profiteretur. Sed Andrea patre Venetijs ad principatum euecto, mirum in modũ authoritate atq; opibus creuerat, vnde profuſiore indies ſumptu, ſeſe vti ampliori Fortuna dignum oſtentabat, vſque eò largitione progreſſus, vt ſuburbanam villam in morem noſtrum luculenter ædificatam, cum multa hortorum amœnitate, Habraimo ad voluptarios ſeceſſus dono daret, in quam & ipſe Solymanus, cum Habraimo oblectationis cauſa, priuato deſumpto habitu tranſibat. hinc ei à Turcis Beogli pernobile cognomen inditũ, quod principis filium ſonat. Nam domus eius adaperta omnibus à legatis multarum gentium, maximorumq; regum ſpeculatoribus frequentabatur. Erant ij ſpecie, aut quęſtu mercatores, qui venales gemmas, reſq; ingentis pretij Solymano dignas afferebant, eoq; vno interprete & arbitro vtebantur: quoniam in indicatura cognitioneque gemmarum, quarum ſtudioſiſsimus erat Solymanus, acre iudicium adferebat. Secutus demum Habraimi caſtra, & ab eo in Pannonia relictus, non modo procuratoris diligentiſsimi, ſed & optimi ducis decus promeruit, quum Ferdinandi regis exercitu fortiter repulſo, Budam cum magna gloria defendiſſet. Hinc eum Ioannes rex quæſtorem regni fecit, ornauitq; Antonium eius filium ſacerdotio Agrienſi maximè opulento. Quo rerum prouentu elatior factus, ſpes ſuas ad immoderata atq; ardua exitiabili ambitione prouehere cœpit. Nam Byzantium reuerſus, producente laudenteque Habraimo, in colloquium de grauiſsimis rebus, quod nemini noſtrorum hominum anteà licuit, cum Solymano deuenerat. Nec deerant qui eum crederent magnis pollicitationibus inductum, aliquando abiurata religione Chriſtiana, ad Mahometis ſacra defecturum, vt inter purpuratos, qui Veſirij Baſſæ dicuntur, adſcriberetur. quod nequaquam veriſimile nobis videtur. Quis enim arbitrabitur eum virum, qui in omni vitæ decreto pius & generoſus extiterit, immani flagitio nomen ſuum fœdare, & patrem grandeuum ſenem, ſua gloria & merita fœlicitate perfruentem, inflicto tanto vulnere ad mortem adigere voluiſſe? Quando etiam præclarè conſtet, aſportatis theſauris, vt à periculoſa barbarorum tyrannide ſeſe incolumi exiſtimatione ſubduceret, fortunas ſuas in Pannonia collocare cupiuiſſe, vbi inter Chriſtianos ſingulari cum dignitate ſummaque ſecuritate degeret, ſubindeq; ſe totius Pannoniæ præfectura potiri poſſe ſperaret, ſi rex aliquo fatali caſu eſſet interceptus, quum haud dubiè beneficiario rege extincto Solymanus maiorum exemplo regnum in prouinciam eſſet redacturus. Hac inuſitata cupiditate imperiũ militare & magnas opes affectantem Hungari, in primis quos diximus Batianus & Docia adulando cohortandoq; magis

& magis incitabant. Hi iampridem malignitate eorum ingenij à regis amicitia diſceſſerant, ſequebanturq́; Grittum Solymani fauore ſubnixum, vt eo authore et regis ęmulo nouam ſibi apud ſuos dignitatem pararent. Regiæ ſiquidem maieſtatis nomen, veluti collega impoſito, vehementer imminui, conuelliq́ue maximè cupiebant. Erat Docia præfecto Tranſyluaniæ admodum infenſus, quòd ſibi in quadam altercatione vociferanti genam pugno contudiſſet. Is erat Americus Cibachus epiſcopus Varadinenſis, vir ſingulari nobilitate, ſumma potentia, præcellentiq́; virtute, cui Ioannes ſecundum regiam dignitatem, primum honorem detulerat. nam & rex ipſe ſub Ludouico Tranſyluaniæ præfectus, quem Vaiuodam vocant, multis annis extiterat, ita vt in vnius Americi fide virtuteq́; opes ſuas collocaſſe videretur. Igitur Americus Gritto prouinciam intrante, quum tardiùs & cunctantiùs iter facere, & parum eius aduentu commoueri, veluti deſpecto Solymani imperio diceretur, Gritti animum vehementer offendit, qui præclaro initio exiſtimationem ſuam egregia prouincialium voluntate, præfectiq́; obſequio excitari, confirmariq́; volebat. Etiam fama erat Americũ, Chriſtiano animo ab amicitia Turcarũ plurimum abhorrere, neq́; pati vt Turcæ prouinciæ finibus inſueſcerent, vt poté qui vigilanter & ſtrenuè cauendũ arbitraretur, ne prouincia viris & equis abundans, rerumq́; omniũ & auri præſertim, fruticis modo paſsim naſcentis, maximè opulenta, in poteſtatem Mahometanorum hominum deueniret. Conſederat ad oppidũ Braxouiũ Grittus, quũ pluribus nuncijs affertur, Amiricum aduentare, caſtrametatumq́; inde decem millibus paſſum apparare ſeſe, vt cum ornatiſsimo comitatu in colloquium deueniret: habebat enim ſecum multas equitum turmas militariter inſtructas. Nam Hungari ciuitatum antiſtites, ex ſacris reditibus valde opulenti, vetere inſtituto alere equites, ductareq́; eos in aciem aduerſus Turcas ſolebant, quum valde decorum putarent religionis cauſam à ſacratis maximè ducibus defendi. Sed tum præcipuè finitimi quiq́; proceres liberaliter adornati ad Americum concurrerant, vt antiſtiti ſummæ dignitatis, & præfecto, cuius imperio parêrent, officij cauſa frequentes adeſſent, adeo vt is comitatus iuſti prope exercitus ſpeciem præberet. Ea res Gritti ingenium vehementer commouit, quaſi apertis in campis, veluti cum hoſte, ſpectantibus copijs eſſet colloquendum. Enata enim erat inuidia, lethale malum, dira alieni honoris obtrectatione, quum hic ſingulari & planè Turcico faſtu parem pati nollet, & ille contumaci libertate, nobiliq́; propoſito ſuperiorem in prouincia ſua minimè paſſurus eſſe videretur. Quum è conuiuio diſcedens Grittus concepta ira fremeret, & his non obſcurè minaretur, qui imperijs ſuis minimè paruiſſent, tegumentum capiti detraxit, quod erat Turcarum more oblongum ex pretioſis Scythicarum Sibellinarum pellibus, manibusq́; dilatans, hoc inquit, duo capita non capit, neceſſe ergo eſt vt vni tantùm coaptetur, idq́; rurſus capiti impoſuit. Eum ſermonem Ianus Docia ad vindictæ ſuæ occaſionem excipiens, rectè, inquit, aſsimilas Gritte, nam & hæc quoq́; prouincia duos ex æquo præfectos & dominos capere non poteſt, nec tu herclè iure tuo poteſtatis ac imperij vnquam potiere, niſi hodie expedito viriliq́ue decreto, & tuam & Solymani cauſam defendis: Americum profectò, illam inquam immani ſuperbia belluam non noſti, cuius ego feritatem ac inſolentiã ſi iuſſeris celerrimè frangam. Solymanum enim odit, nec regi paret, & nomẽ tuum contemnit, vt pote qui nõ obſcurè ad regnũ aſpiret, & decere ait, vt Tranſyluanię pręfectus in

regium

regium nomen adoptetur. Quoniam in his terris Decebalus Dacus aliquando regnauerit, quem Romanæ vires, & Traiani virtus ægrè ſubegerint. Puta hoc homine neminem inflatius & arrogantius de ſe prædicare, neminem aſtutius & ſimulantius àmicitiæ colore. Dona quidem afferet ad beneuolentiæ ſpeciem, atque etiam dextram perfidia potius quàm fide præſtantem iunget, vt quum prætergreſſus fueris edictis ac imperijs tuis illudat. Dignitati profecto, fœlicitatique tuæ hoſtiliter inuidet, quòd in Pannonia belli & pacis leges ſis daturus, & quum regnum præclarè affectet, te vnum maximè timendum arbitratur, ne eius conſilia perturbes, authoritatem frangas, & denique temeritatem atq; audaciam caſtiges. Non ferendus hercle tibi eſt hic æmulus & contemptor, atque etiam iure optimo tollendus, vt nominis tui dignitatem in limine operum tuorum, petendæque gloriæ aditu tueare. Nihil enim obtrectatore ſocio & occulto hoſte periculoſius, quem præſertim in tergo ſis habiturus. Nam quum ex occaſione animi libidinem nudauerit, inſidioſius demum atq; lethalius nocebit. At Grittus vbi hæc ad animum admiſit, iam planè turbidior factus, maturandum, vtendumq; imperij viribus cenſet: Dociam collaudat, gratiamque egregij ſtudij erga ſe breui relaturum pollicetur, ſi aliquo inſigni facinore edito, Americi ſuperbia contundatur. Ferunt Grittum nihil omnino durius ſtatuiſſe, quàm vt Americum quoquomodo comprehenderet, vt demum Turcico more cathenis vinctus, ſub cuſtodia Byzantium mitteretur: prouinciam autem regendam traderet Hieronymo Laſcho Polono, qui maximarum legationum honoribus functus, Byzantij, & in Gallia egregiam fidelemq; operam Ioanni regi præſtiterat, in eam ſpem tot aditis aſperrimorum itinerum periculis, vt ſicuti ſibi promiſſum ferebat, Tranſyluaniæ præficeretur. Sed Ioannes quum ſe pro Hungaro Polonum hominem peregrinum, nec Hungaricè ſatis loquentē, niſi periculoſè vel incōmodè ferociſſimis gentibus præficere poſſe iudicaret, neceſſitate quadā Americum prætulit, adeo vt Laſchus, qui ingenio multarū rerum vſu, & exquiſitis literis inſtructo, præaltos ſpiritus gerebat, in ea repulſa nullā vel honeſtorum verborum excuſationē reciperet, & ſe deceptum et eluſum ab rege grauiſſimè quereretur. manebat tamē in officio, & quorundā oppidorum quæ rex dono dederat, in Sarmatię finibus poſſeſſione potiebatur, ſed non obſcurè alienatus interea ſeſe Gritto in familiaritatē clientelamq; dederat, vt Solymani auſpicijs alteram Fortunam experiretur, & regi iterum minus familiariter induſtriam ſuam, & virtutis dignitatem oſtentaret. Cæterum Dociæ ſeparatim ab Vrbano Batiano, iuſſu Gritti validiſſima Turcarū ala, & in primis Hungarorū turmæ traduntur. Is noctu à Braxouio maximè occultus diſcedit, & ad caſtra Americi repentinus aduolat. Quū paulo antè per Hungaros ſpeculatores didiciſſet, eū patentibus in campis vitādi ęſtus cauſa iuxta pagum tentoria collocaſſe, & vt in nullo metu, ſine vigile, & ſine cuſtodia militari, cum pueris & familaribus in tabernaculo pernoctare, comitatum verò eius vndique diuerſos in pagos eſſe diſparititum, ita vt tot equites non facilè coire poſſent, quum etiam edicto in craſtinum diem profectioni ſeſe compararent. Ita Americus ignarus ſuæ ſortis, quum inimicos contemneret potius quàm timeret, à Docianis ſatellitibus opprimitur. Iacenti & vixdum à cubicularijs experrecto, quum latè inuadentium equitum fremitus & clamor audiretur, ipſe Docia caput detruncat, caſtra omnibus in locis trepidatione luctu & fuga complentur: Turcę equos ornamentaq; diripiunt, exci-

tantur proximiores, cunctiq; demum Turcis agnitis, inermes diſcinctique in multa rerum omnium conturbatione profugiunt. At Docia tanto patrato facinore Braxouium reuerſus, Americi caput ab auricula manu ſuſpenſum Gritto ſpectandum defert. Aderat Laſchus eius conſilij & cædis prorſus ignarus, qui quum in re atroci & ſubita, vt ſæpe fit, omnem ſimultatis memoriam naturalis miſericordia ſuperaret, & ob id indigna inimici morte minimè lætaretur, conuerſus ad eum Grittus, an tu, inquit, Laſche non agnoſcis hoc deraſum caput? magni quidem viri eſt, ſed ambitioſi, contumacis, & maximè ſuperbi. Ad id Laſchus, qui contracto & triſti vultu inhorruerat, tale mihi, reſpondit, non eſt viſum, quum ſuis in humeris conſpiceretur; veluti qui planè id crudele factum non probaret. Tum verò omnis in Gritto verborum ac animi ſæuitia refrixit, adeo vt non ſine quodam pudore iam pœnitere videretur, ſtatimq; ſubiungeret, Americum quidem iure cæſum eſſe, ſed eum capi potius quàm interfici cupiuiſſe. Nec mora pleriq; Hungari Turcæq; diſcedunt ad occupãdos Americi theſauros, qui in remoto inde oppido ſeruabãtur. Cæterũ vbi de eius cæde fama percrebuit, propinqui prouincialesq; fermè omnes incredibili dolore cõcepto aduerſus Grittũ coniurant, vindicandam armis ſacroſancti atq; optimi antiſtitis mortem decernũt, ipſique publico decreto Siculi, et Saxones per Colonias Tranſyluaniæ antiquitùs inſerti, & Podolij Semiſarmatæ ad ferendam opem euocantur. Nunquam vllæ gentes pro ſalute ſua & publica dignitate ad propulſandam iniuriam, vel intentiore ſtudio, vel grauiore impetu, vel maiore celeritate ad arma concurrerunt. Paucis enim diebus ſupra quadraginta milia peditum & equitum coiuere, adducente Gothardo Saxonicæ ſtirpis, in ea prouincia claro, Stephanoq; præcipuè Mailato duce electo, qui vnus maximè Americum percolebat, & in luctu publico princeps, nefariæ crudelitatis authores latronum more perſequendos puniendosq; cenſuerat. Porrò Grittus, quum tantus iratæ multitudinis tumultus cum ingenti armorum ſtrepitu, vel ex remotis regionibus fama atq; auribus ſentiretur, incertus quid faceret, ad oppidum Mages expeditis itineribus ſe recepit. Oppidani quum Turcas ab edito conſpexiſſent, nullo modo adduci poterant, vt portas aperirent, tamen Dociæ et Batiani cohortationibus id impetratum eſt, ut in inferiorem oppidi partem copiæ omnes reciperentur, ipſi verò in æditiora ſeſe resque ſuas ſubducerent. In colle enim erat templum cũ ſacratis ædificijs peramplum & excelſum, quod arcis ſpeciem ſpectãtibus prębebat. Gritto id erat conſilium, vt refecto muro adiectisq; nouis munitionibus, & comparato commeatu tantiſper ſe teneret, donec auxilia conuenirent, quibus in condita hoſtium multitudo, acri et repentina eruptione pelleretur, atq; inde ipſe vel amiſsis impedimentis ſuperato Tiſſa amne, qui olim Tybiſcus fuit, in Pannoniam euaderet. Erat ferè vndiq; cinctus, hinc Danubio & Tybiſco magnis fluminibus, inde Hercynia ſylua, quæ non facilè penetrari poterat, ita vt nullum niſi redeundo ad Moldauiam effugiũ patere videretur: ſed eum receptum vti fugæ perſimilem, nequaquam pro dignitate ſui nominis eſſe ſtatuebat, quando mori preſtaret quàm indecoro deformique reditu demandatum legationis munus deſerere, conuertereque id iter ignobili metu, quod tanta hominũ opinione ſuſcepiſſet. Itaque dum impigrè ad munitiones materiam comportari iubet, aggerem extruit, ad laborem ſuos adhortatur, nunciosque ſimul plures et tabellarios ad impetrandam opem in amicas regiones dimittit, ſuperueniunt hoſtes terribili

cla-

ore edito munitiones adoriuntur, temeritate tamen ac audacia potius
n ordine & bellica ratione. Propterea non terretur Grittus per ſagittas
Turcas, ſclopettarioſque maximè Ianizeros rem gerit, multos vulnerat
erficit: ita hoſtes qui ſine apparatu tormentorum acceſſerant, ad murum
is confixi, & glandibus traiecti repelluntur. Eo accepto detrimento
atus belli rationem commutat, obſidionem inſtituit. Docet ſi leviter tan-
aceſſant, brevi hoſtes ſine ullo ipſorum vulnere in poteſtatem cogente
deventuros. Ita diſtributis per intervalla copiis, latè oppidum corona
ngitur. Interim in tanta auxiliorum expectatione verſantem Grittum,
nia obſidionis incommoda forti animo ſuſtinentem invaſit morbus,
vior: quoniam nihil omnino de auxiliis afferebatur. Nam Ioannes qui
incommodo atque periculo non obſcurè lætabatur, quum tot genti-
quiſsimo iure ad arma conſternatis, niſi ſumma cum invidia & periculo
re poſſe iudicaret, alam tantum equitum ab æſtivis evocarat, quæ len-
eribus in Tranſylvaniam mitteretur. Balibeius etiam & Halis, Belgra-
andriæque præfecti, malignitate ſimul & ignavia, neque provincia ex-
neque Danubium tranſire iniuſſu Bellerbeci magiſtri equitum ſibili-
ſcribebant. Ipſe quoque Laſchus ex ſocio alieni periculi ſpectator fa-
um paulo antè diſceſsiſſet, ut equites cogere adducereq; maturaret, ſtu-
um extenuata fide remiſerat, & Megelani qui aliquandiu pacati con-
t, perſeverantia ſuorum obſidentium, & Turcarum incommodis in-
ſuperiore loco præliabantur, & iam alimenta deſecerant. His tantis
rentus malis Grittus per Hungaros dabat operam profuſè largiendo,
ſylvanis magno auri pondere diſtributo, in Pannoniam abire permit
ed omnem avaritiam in efferatis dolore animis vindictæ libido ſupe-
it demum ſeparatim cum Muldavo, ad quem hoſpitalis amicitiæ iure
er opem implorans gemmas & uniones dono miſerat, ut loci cuſto-
is laxari iuberet, & ſe cum liberis ex compoſito erumpentem, in pa-
duceret. Paulò antè etiam a Batiano erat deſertus, qui in eo metu è
ſtium ſignificantibus & eripientibus quibuſdam veteribus amicis
onſuluerat. Itaque dubia ſpe, & urgente fatali neceſsitate, ad condi-
m ab ea porta, quæ ad Moldavos ducebat, erupit, dextra Solymani
a prætendens: ſed barbarorum fraude nequaquam inventis Molda-
nciſcum Scendenum incidit Americi propinquum, & Mailati ma-
liarem. Hic primus omnium contumelioſo ululatu tegumentum
is è Sibellina pelle pretioſum rapaci manu inſolenter invaſit, eumq;
validum & nihil reſiſtentem immiſsis equitibus comprehendit.
à Tranſylvanis horribili clamore ſublato, eius comites copiæque
præſertim cæduntur, atq; ita undiq; vertuntur in fugam, ut cuncti
umultu admodum cruento, quum indagine ingentium copiarum
ur, interfecti captiq; ſint. Servavêre tamen Turcas quantum licuit
ſed eos demum infeſta latronibus itinera equis & armis exutos ex-
At Grittus quum ante prætorium armatorum corona circumſeptus
tur, cur Americum iuſsiſſet interfici, nihil ſe tale unquam imperaſ-
animo, & gravi fronte teſtatus eſt. Conclamantibus verò cunctis
Americi manibus mactaretur, Mailatus cum Franciſco ad ſuppli-
it, atq; ita caput ei ingenti machera detruncatum eſt. in eius cruore

xx

proceres, & propinqui penulas militares ſolenni cerimonia more gentis intinxerunt, ut diu ſecum exactæ vindictæ memoriam deferrent. Sed Ianus Docia maiore ira, & graviore ſupplicio affectus, diſcerptusque eſt. Gritti liberos nemo noſtrorum hominum amplius vidit, ſed non deſunt qui eos adhuc vivere apud Moldavum dicant, veluti grandi pecunia ab avo principe redimendos. Quum Gritti truncus a carnifice nudaretur, loculus in femorali cum gemmis immenſi precij repertus eſt, adeo ut ea omnis præda aureorum nummûm quadraginta miriadas ſuperaſſe dicatur ab his, qui domeſticum Gritti apparatum in rationes vera æſtimatione contulerunt. Nec multo poſt & ipſe Laſchus à rege Budam evocatus, non mediocre vitæ periculum adijt, quũ in quęſtione ſub tormentis Gritti conſilia explicare cogeretur. Sed is demum deprecante pro eius ſalute Sigiſmundo Sarmatiæ rege, cuſtodia eductus, é regia aula in Poloniam profugit.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXIII.

EADEM æſtate Solymanus Turcarum imperator, effuſis ultra Euphratem ingẽtibus copijs adverſus Tammaſum, magni Hiſmaelis filium, bellum ſuſcepit, validaque ſimul inſtructa claſſe invaſit Africam, occupandæ Siciliæ atq; Italiæ maxime opportunam. Conceperat enim ingenti ſpiritu totius orbis imperium, facile Alexandri magni potentiam æquaturus, uti ab Europa metu liber, atq; omni ſolutus cura, poſtquã in eo diro inſanoq; Chriſtianorum regum diſſidio, conſilia noſtra nequaquam recta & illuſtri ratione ad pietatis gloriam, & publicæ ſalutis nomen, ſed impio quodam livore ad inteſtinam perniciem vertebãtur. Franciſcus enim eo animo pacem ferebat, quo bellum geſſerat, indomito, contumaci, & planè invicto, haud dubie ad repetendam Italiam iterũ vividæ virtutis, & totius Gallię virium periculum facturus, ſi Carolo Cæſari diſtrahendis eius opibus, alicunde gravis hoſtis incumberet. Idem quoq; Britannus ſpectabat, quum iam pridem Cæſaris cognatione atq; amicitia, uxoris repudio fœdiſsime violata, à Romani Pontificis authoritate diſceſsiſſet. Ioannes item in Pannonia Turcarũ præſidio tutus erat adverſus Ferdinandũ in eo Germaniæ motu ægre Lantgraviana arma ſuſtinentem, & rex Polonus cum Moſcovitis & Tartaris bello cõtinenter occupatus, his quę ſibi cum Solymano manebant inducijs fruebatur. Tuebantur & Veneti veterem pacem, adeo ut Solymani amicitiam religioſe admodum colere viderẽtur. Neq; in ipſo Clemente Pontifice tantũ inerat pręclaræ authoritatis, ut eum reſtinguere odia, & diſsidentes componere facile poſſe ſperandũ foret: nam

nam Maſsiliæ apud Franciſcum nudatis ęgri animi ſenſibus, commemorando & deflendo communes miſerias: ita cogitationes ſuas protulerat, ut vindicandis iniurijs occultè conſilia à quiete penitùs aliena cum rege miſcuiſſe crederetur. Cæterum Perſici belli cauſas ab ipſis uſq; avorum odijs repetitas, & eventus mutuis cladibus memorabiles, ſuo loco narrabimus. Invadendæ verò Africæ author & cõcitator extitit Hariadenus Mithylenæus vetere Horucij fratris cognomẽto Barbaruſſa à noſtris appellatus. is in Numidia proxima Mauritaniæ Algerij regnum à fratre anteà partum adeo frequentibus victorijs amplum clarumq; reddiderat, ut noſtri æquè ac finitimi Pœnorum reguli, & vagi Numidę, eius opes atq; audaciam magnopere timerẽt, et Solymanus ad fortiſsimi viri famam iam publica virtutis cõmendatione illuſtrem frequẽter excitaretur. Non alienum erit ab inſtituto opere breviter recenſere, quibus artibus Mithylenæi fratres ab una tantũ prædatoria bireme ad regium faſtigium irrepſerint, ut hinc quoq; in hac rerum humanarum varietate colludentis Fortunæ oſtenta poſteri mirentur. Igitur patre Græco, atque eo Mahometis ſacra ſecuto, in inſula Lesbo geniti, quum inopiam domi ferre non poſſent, arrepta bireme ſpes ſuas omnes mari commiſerunt, ſeſe Camali archipiratæ in diſciplinam tradentes. Sub hoc Camale Horucius, qui uti natu maior ad ſe ducis nomen trahebat, cum Hariadeno multa præda, multisq; ſervis atq; navigijs adauctus: ac demum aſcitis in ſocietatem minoribus piratis prædabundus in Mauritaniam pervenit. Eo tempore Algerij regulus cum fratre armis de imperio contendebat: hic quum Numidas equites, qui hodie Arabes appellantur, pretio ſibi in auxiliũ aſciviſſet: alter opportuno novæ gentis adventu magnoperè lætatus, pecunia cum Horucio tranſegit, ut ſe defendendum ſuſciperet, paucisq; diebus Horucius cum valida manu ſclopettariorum, quibus pręcipuè Numidæ terrentur, eo impetu geſsit atq; confecit bellum, ut Turcarum nomen cum Numidis, tum Mauris omnibus terribile eſſet. His rebus geſtis, uti erat ingenio validus, viribus pollens, & regni maximè cupidus, quũ eo bello comperiſſet Mauros per ſe inermes, ignarosq; militiæ, ac ingenio mobiles, nullaq; inter ſe ſtabili cõcordia nixos, facilè per partes opprimi & ſubigi poſſe: Numidas verò vagos, et inter ſe diſsidentes, vel in amicitiã trahi, vel ſi abnuant nullo propè negotio ſuſtineri, improviſò fidem abrupit, repenteq; hoſtis factus, quos cœptis ſuis adverſari poſſe putarat facilè ſuſtulit, breviq; pòſt ſævitiam liberalitatẽ exercendo Algerij regno potitus eſt. Nec multo poſt finitimũ quoq; regulum Circello imperantem vi dolisq; aggreſſus expulit. diſtat Circellum, antiquis Carcenna colonia vocatum, ab Algerio, quod Iulia Cæſarea fuiſſe dicitur, ad occaſum ſexaginta paſſuum milibus, antiqua ad portũ mole, & operoſo aquæductu, multisq; Romanę magnificentiæ veſtigijs adhuc inſignis. Inde & ab Algerio mare undiq; infeſtum reddebat, & in mediterraneis cum expeditis cohortibus evagabatur: ita militiæ munera cum fratre alterna ſorte partitus, ut nihil terra, marive pacatum relinqueretur. Ab eo rerum ſucceſſu, ut regni fines aliquãto latius proferrentur, Bugeam magno apparatu invaſit. Hiſpanis, qui in præſidio erant, ad ſummas rerum difficultates redactis, nec prius abſtitit tam forti incepto, quàm ei dextra manus tormenti ictu ab repta eſt: inde ferream ſibi fecit, qua ad cubitũ religata multis in pręlijs poſtea feliciter eſt uſus. Nam Algerij non contemnendum Hiſpanorũ exercitum Didaco Vera duce circumventum fuſumq; delevit, & aliquanto poſt Vgonem

Moncatam, qui veteranos Hiſpanos ab Italia tranſportarat, egreſſum in litus, iniquo noſtri loco cõmiſſa pugna compulit in naves, ſubortaq; tempeſtate copias ferè omnes luctuoſo naufragio fluctibus eiectas crudeliſsimè trucidavit, aut ad remum trierarchis diſtribuit. Ad extremum immodicæ ſpei plenus, & rerum proventu factus audacior, quum Tremiſenij regem, amicum, ſociumq; à Carolo appellatũ, regno expuliſſet, immineretq; Orano, Portuiq; magno, quæ Hiſpanorum præſidijs tenebantur, Punica ſimul & Chriſtiana arma, adverſum ſe concitavit eo bello, uti ſuo loco memoravimus, ſuperatum, & fuga in ſolitudines evadentem Hiſpani, Mauriq; equites conſecuti cum paucis ex familiaribus interfecerunt. Horucij caput in Hiſpaniam tranſmiſſum circumlatumq; in lancea, populis præſertimq; maritimis inſignem attulit lætitiam, quòd ſublato prædonum rege diu exoptata ſecuritas litoribus reddita videretur. Sed Hariadenus neq; ſpiritu, neq; bellica laude Horucio inferior, acclamantibus militibus imperium ſuſcepit. Is non modò regni, ſed virtutis, & deniq; artium cogitationumq; omnium, quæ in fratre eximiæ fuerant, hæres factus, adoptatusq; etiam in fratris cognomen, ad imperium totius Africæ aſpirare cœpit: ratus ea, quæ parta eſſent, animo ſuo minora anguſtioraq;. Itaq; arma proferre, Mauris & Numidis terrori eſſe, modò cum his pace ac inducijs uti, modò bellum gerere. porrò aucta claſſe Hiſpaniæ, Sardiniæ, ac Balearium oram prædari, aſciſcere ſibi novos piratas, clarus æquè ac formidoloſus finitimis eſſe. Hęc audentem & molientem nuſquam Fortuna deſtituit. Nam Hametem Numidam magni agminis ducem ſibi infeſtum, per inſidias interfecerat, & ad Cocum oppidum Benchades inter regulos Numidas longè clariſsimus multis prælijs ſuperatus, in ſolitudines abſceſſerat, Amidamq; in finibus Tremiſenij regni adeo frequentibus detrimentis attriverat, ut ſedes mutare, ac in interiora profugere cogeretur. Mari quoq; ea Fortuna res geſsit, ut Vgo Moncata ſupra Sardiniam nocturno prælio victus, graviterq; vulneratus, amiſsis aliquot triremibus vix effugerit, & Portundus Hiſpanicæ claſsis præfectus, amiſſa fœdè claſſe cum filio impigro iuvene fuerit interfectus. His captis triremibus, quum aliquot etiam, quum Siculæ, Neapolitanęq;, tum Venetæ roſtratæ, varijs interceptæ caſibus acceſsiſſent, maximè validus atque terribilis eſſe cœpit, auxitque ſibi virium atq; animi famam ipſo Andrea Auria ad Circellum repulſo, quum ille oppido tam fortiter expugnato, quàm fœdè amiſſo, ad quingentos milites diſciplinæ oblitos, nec Turcarum eruptionem ſuſtinentes amiſiſſet, duæq; tum onerariæ Liguſticæ, dum ad Circellum curſum haberent, onuſtę armis, milite, commeatu ſupra Populoniam, quòd ingentem Genuæ luctum peperit, expugnatæ atq; demerſæ. Poſtremò arcem ſcopulo impoſitam, Algerio urbi imminentem, defenſamq; per aliquot annos ab Hiſpanis, ſumma vi adortus cœpit atq; delevit, ruinis profundo merſis, & iacta mole, ut percommodus regiæ urbi portus adderetur. Quum hac rerum geſtarum fama floreret, Solymanus è Pannonia reverſus, ad eum legatos miſit, qui evocarent, ſummosq; honores & maris præfecturam Byzantium venienti pollicerentur. non ſuſtinebat enim animo Solymanus ignominiam in Peloponnẽſo acceptam, quum præfectus claſsis Himerales adeo fœdè profugiens, Coronem & Patras, caſtellaq; item Naupactei ſinus Aurianæ claſsi expugnanda reliquiſſet. Ipſi quoq; purpurati Baſsæ, & eorum princeps Habraymus in conſilio & valida claſſe & perito ſtrenuoque duce opus eſſe diſſerebant, non mo-

dò ad

do ad recipiendam Coronem, quæ tum terra marique ſegniter obſidebatur, ſed etiam ad tuendam veterem exiſtimationem, quando Baiazetes ad Methonem victor navali apparatu Chriſtianorum ferè omnium claſſes anteiſſet, & tum fama erat Auriam, qui obſeſſis opem ferret, cum ampliſsima claſſe in Græciam è Sicilia traiecturum. Et certè unus ipſe Hariadenus inter omnes eminebat, quem ætate & maritimarum rerum uſu, vigoreque animi, & parti propagatiq; regni gloria, Auriæ parem dicerent, cenſerentque unum omnino eum Chriſtianis claſsibus opponendum. Ita Sinas unus ex intimis ianitoribus ad eum legatus mittitur, advehitque eum celeri trireme Mangalis pirata Rhodi præfectus. Is ubi in Mauritaniam pervenit, ab Hariadeno ſummo cum honore ſuſceptus eſt. audita legatione Hariadenus incredibili lętitia afficitur: inde haud inani ſpe concepta potiundæ totius Africæ, ſi colloquendi cum Solymano poteſtas fieret, ut quinam in Africa rerum ſtatus, & quantæ Chriſtianorum claſſes, quive animi & diſſenſiones eorum eſſent, appoſitè atque ordine doceretur. Itaq; Agim virum fortem, & Ramadã Celebim patruelem ſuum Algerio præficit. his Aſanem filium duodeviginti annos natum commendat, claſſeque circiter quadraginta triremium biremiumque inſtructa proficiſcitur: circa verò Tyrrheni maris oram adeptus aliquot Liguſticas naves, quæ ad coemendum frumentum in Siciliam curſum habebant, difficili & maximè cruento prælio eas expugnat & incendit. qua in pugna Deliſuſum piratam opulentum ipſius Hariadeni dolo interfectum ferunt, ut eius trireme de Venetis capta, quæ erat eximiæ celeritatis, itemque ſervis atque pecunia potiretur. Inde converſus ad Iluam inſulam, Rium in ea oppidum nocturno prælio capit, atque omnibus Rienſibus in ſervitutem abductis, ingenti onuſtus præda Byzantium pervenit. Deductus eſt à principibus aulæ ad Solymanum, ab eóque lętiſsimo vultu eſt ſuſceptus, vel ob id quòd dono dabat, quos inſigni cultu produxerat, aliquot pueros decora facie, itemq; lectiſsimas virgines, eunuchosq;, & Libycas feras, leones & pardos. Porro reliquis diebus quum de gerendo bello, & de tota ratione Punicarum Chriſtianarumq; rerum diſſereret, aliquanto quàm ſolebat rarius & difficilius admittebatur. Suborta enim erat invidia creſcentis dignitatis ſemper comes, ita ut pleriq; dicerent, non eſſe Ottomannici moris homines è piratarum ordine latrocinijs infames, regiæ claſsi præficere: non defuiſſe unquam, nec defuturos ex principis aula, qui virtute, magnitudineq; animi, & deniq; optimis artibus valerent, & ad proferendum Turcicum nomen terra mariq; fortiter atque feliciter operam præſtarent: occupaſſe illum in Africa contra fas & æquum, hoc eſt dolis ac inſidijs aliena regna, impijsq; armis ſemper eſſe perſecutum regulos, & gentes quæ Mahometem colerent: nullo profectò ei certos deos eſſe, nullam fidem, utpote qui vaniſsimo, atque eo quidem paternæ religionis deſertore, patre Græco genitus, ab ineunte ætate prædo immanis, & publicus humani generis hoſtis extiterit. Quum hæc efferentur Hariadenus facilè intellexit quàm importunè abeſſet Habraimus, cuius amicitiam exquiſitis officijs, annuisque muneribus colere erat ſolitus. Is eo tempore ad Perſicum bellum profectus in Comagena ad Alepum hyemabat, Euphratem ad prima Veris ſigna traiecturus. Solymanus tamen per Aiacem & Caſsimum Baſſas reſpõdit, eius ſuſcipiendi negotij ſummam ad Habraimi iudicium deferendam videri, quòd eius præcipuè hortatu ſuaſuque e Mauritania eſſet evocatus. Proinde ſi quid impetratum vellet, ad

cum in Syriam proficiſceretur, ut ex eius authoritate atq; ſententia, quæ in rem forent decerni atq; apparari poſſent. Eo modo in Syriam reiectus, quanquam non obſcuro repulſæ nomine exiſtimationis ſuæ iacturam facere videretur, id tamen diſsimulanter tulit, atque eò terreſtri itinere omnino pervolandum eſſe iudicavit. vir enim novi belli noviq; imperij maximè avidus, neque ætati neq; labori parcendum putabat, quominus Amani montis iuga, vel tum obſeſſa nivibus, tranſiret. Erat tum Alepi Habraimus: is ſingulari cum honore ſuſceptum, & in colloquijs de genere atque ordine gerendi belli occupandaq; Africa diſſerentem, ita admiratus eſt, ut neminem eo peritius atque felicius mari geſturum bellum arbitraretur, Solymanoq; demum reſcriberet, in Hariadeno ingenium vigere omni bellicę virtutis laude cumulatum. Propterea ipſum rectè facturum, ſi in graviſsimis conſilijs ei viro fidem adhibeat, honoris cauſa inter Baſſas annumeret, atque ei univerſæ claſsis imperium tradat. Eo modo Hariadenus Habraimi mirifica voluntate Solymano commendatus Byzantium redit, ſuſcipiturque propenſiſsimis animis: nam tanta erat authoritas & gratia vel abſentis Habraimi, ut omnium planè voluntates ſermonesq; adulatione vel metu ad nutus eius tanquam ad ſumma imperia verterentur. Advexerat ſecum Algerio Hariadenus Roſcetem Pœnum, Muleaſsis, qui Tuneti imperabat, regis fratrem, pulſum domo aliquot ante annis, & ex calamitate ad ſe profugum, uti mox dicemus. huic facilè perſuaſerat, ut unà Byzantium veniret: fore enim ut ſe authore duceq; à Solymano in paternũ regnum reduceretur. Itaq; hoc Roſcete in occaſionem Africani belli purpuratis oſtentato, multisq; de ſuſcipiendo bello diſputationibus habitis, ad Solymanum introductus, in hanc ſententiam verba fecit: Quod Ottomannis Cæſaribus ad ſupplicandum ingredientibus templum, præclara voce precari ſacerdos ſolet, id unum & ego tibi precor, Solymane, ſcilicet ut memineris, progenitores tuos hoc tibi imperium, quo nemini maius atque opulentius dij dederunt, iuſtitia & pietate peperiſſe. hac enim via euntes nuſquam feſellit Fortuna, & tu hactenus ita inſtitiſti veſtigijs, ut facilè ſupra eorum nomen & gloriam ſis provectus, quum inter tuos iuſtitiam coleres, & quod veræ pietatis eſt munus, adverſus religionis noſtræ hoſtes bella continenter gerenda, æternæ ſpe laudis incenſus arbitrareris. Itaque captum eſt Taurunum, expugnata Rhodos, trucidatus in acie rex Hungarus, bis evaſtata incenſaq; Germania, adeo ut Carolus, quem tibi Chriſtiani imperio & virtute parem volunt, quum ingentibus nationum ferè omnium auxilijs niteretur, armorum tuorum ſtrepitu terrefactus pugnam detractarit. Sed quoniam ulla imperia quantumvis ampla, aut ullæ vel perilluſtres victoriæ, nec excelſi animi magnitudinẽ implent, nec gloriæ ſatietatem adferre poſſunt, idcirco adverſus Parthos, Perſasque victricia ſigna præmiſiſti, ut eæ gentes, quæ à divinis legibus impiè defecêre, expiatæ veluti ſacris armis, & deniq; victorijs tuis luſtratæ, ad antiquos religionis ritus revocentur. Sed ſit hoc tibi vel incœpto, vel exitu maximè decorum atque magnificum, modò mihi liceat in armis atq; periculis ſeni facto, ea commemorare quę expediant, & deniq; ea quæ longo uſu didici ad ampliorem auguſtioremq; tui nominis gloriam aperire, neq; à me hoc ambitioſius dici, fortaſſe interpretere. ſatis enim ſuperq; Fortuna rebus meis favit, quæ me domi inopia preſſum, et ancipiti cum ſpe eius flatibus vela dantem, ad multas victorias amplasque opes, & denique ad regium nomen evexerit. Verùm ſuper hæc nihil

mihi

mihi melius dare Dij potuerunt, quàm ut ad te venirem, & de graviſsimis rebus diſſerendo in conſilium adſciſcerer. Nam id quo nihil in rebus humanis bellicisque præſertim utilius atque præſtantius dari poteſt, conſilium fide & rerum experientia pleniſsimum dabo. & quanquam ſenes nihil ultra adferre poſſe videantur, tamen in vegeto corpore rubuſtæ vires adhuc ſuperſunt, ut fortem operam in omne maris terræque diſcrimen æquè præſtare ac polliceri queam. Huic autem uni curæ ab adoleſcentia dies noctesq; invigilavi, Horúcij fratris viri fortiſsimi conſilijs ac ſenſibus inhærens, ut noſtræ religionis terminos proferrem, Chriſtianos terra mariq; perſequerer, & nihil maius optarem, quàm ut tuæ claſſes copiæq; ſtudij atq; opibus meis adderentur: & deniq; dux aut certè ſignifer, quando melioribus parere non piget, auſpicijs tuis efficerer. Cuius voti ſi me Dij compotem fecerint, brevi tota Africa Hiſpani depellentur: Mauros ad Beticæ vetus imperium in Hiſpaniam traiecisse audies: Pœni & Numidę tibi parebunt, et ut Sardiniam Corſicamq; omittam, Sicilia noſtra erit. ea occupata, Italiam fame enecabimus, & undiq; claſsibus aggrediemur diſcordia principum laborãtem, infirmam diſiunctis viribus, & quantum ad eius partem Sicilię & Macedoniæ proximam attinet, qualibet conditione ſervituram, modò Hiſpanorum iugum excutiat. Noli enim exiſtimare, eas opes, eumq; in Italia eſſe conſenſum quæ fuerunt, quum Hydrunte capta, non Italis modò, ſed cæteris etiam populis maximum terrorem intulit proavus Mahometes. Is enim ſucceſſu eius belli, ad quod ſuſtinendum vix univerſi Chriſtiani principes ſuffecerunt, haud dubiè urbe Roma potitus foret, ut occidentis ac orientis imperia ſecundum ius & ęquum vetere ſua auguſta ſede iungerentur. Sed ille ab humanis repentè diſceſsit in cœlum raptus, ſcilicet ut hoc tibi, ſicuti fata ſyderaque promittunt, conſummatę virtutis opus relinqueret. Nec te hac iniecta ſpe ſummi inuſitatique triumphi vel interpello vel demoror, quominus in orientem contendas veteres impiosque hoſtes, & ultima ſupplicia meritos armis perſequare. claſsis enim mihi erit ſatis, qua tibi minimè eſt opus in mediterraneis regionibus bellũ gerenti, ut dum tu Aſiam ſubigis, ab alia parte ipſa Africa, quæ eſt tertia pars orbis, in poteſtatem redigatur. Ante omnia autem pellendus eſt Tuneto Muleaſſes inexplebili avaritia, fœda impotentiq; libidine, immaniq; ſævitia, dijs atq; hominibus inviſus, qui duodeviginti fratribus per inſidias interſectis, aut quòd ipſa morte acerbius videtur, præuſto oculo crudeliter occæcatis, ita regnat ſolus, ut neminem ſibi vel conſanguineum vel amicum reliquerit: nam animo tam ingrato quàm perfido paternos etiam amicos, qui ipſum inſigni ſtudio ad regnum extulerunt, ut gratiæ merita celeriter exolueret, ad unum omnes iugulavit. cum hac bellua nobis res erit, quam quum nemo amet, facilè omnes oderunt: Numidæ quotidianis incurſionibus exagitant, quorum iniurias ita ſuſtinet, dedecore, ignavia, et metu infamis, ut eas ferre quàm ulciſci malit: & hic ſemivir Turcas viros fortes in cathenis detinet, nec auguſtũ nomen tuum, à quo humana divinaq; iura undiq; petuntur, planè agnoſcit: & quod minimè eſt ferendum, Hiſpanis ad Tripolim favet, ut Agis & Moſes ſtrenui duces Turcæ Taiorea urbe depellantur. Hanc feram uti unguibus ac dentibus exarmatam, vel ob id facilè conficiemus: quoniam apud nos eſt Roſcetes eius frater, Pœnorũ omnium votis ac precibus expetitus. huius perſona vel in ſpeciem nobis erit utendum, ut res, quum copias ad Tuneti portas oſtẽtabimus ſine ullo omnino vulnere patrari poſsit,

Tui demum erit arbitrij ſtatuere, quem Punicis rebus præeſſe velis, mihi certè ſatis imperij & gloriæ quæſitum erit, quum tibi debellatis hoſtibus è Perſide redeunti maxima pars Africæ devicta pacataq; tradetur. Ex itinere verò quod privati muneris nomine me polliceri iuvat, enixè dabo operam, ut ſuas quoq; clade lugeant Chriſtiani, atque Auria ſi occurrat, ſuis maleficijs non diu exultet: hunc enim unum uti verum propriumq; hoſtem, vel à cladium acceptarũ memoria, vel æmulatione gloriæ perſequendum mihi deſumo. eo autem oppreſſo tibi uni maria patebunt, & mihi crede, qui victor mari evadet: facile etiam terrarum imperia tenebit. At Solymanus qui excellentum principum more, gravi aure excepta ad animum tranſmittere, perpendereque cuncta, ac ingenti demum iudicio conſilia terminare erat ſolitus, collaudato Hariadeni ſtudio, conſilium dimiſit. Nec multo poſt in ſententiam Habraimi decretum eſt factũ, ut Hariadenus tribus Baſsis, qui eſt ſupremæ dignitatis honor, quartus adderetur, eſſetque ei ſummum maris imperium, ita ut inſulæ, portus, urbes, populique maritimi ei parerent, ius ei faſque eſſet quos vellet, ubique vellet, remiges, nautas, milites conſcribere, & in naves compellere. His promulgatis Solymanus poſtridie Idus Maias ei vexillum, ſceptrum, gladiumque de manu tradit, monet ut promiſsis inſigni facinore edito fidem præſtet, eumq; regia egreſſum Aiax & Caſsimus Baſſæ, ipſeque prætorij præfectus celebri pompa prælatis novi honoris inſignibus ad navalia deducunt, octieſque ei centena milia aureorum nummûm in bellicos ſumptus ex ærario depromuntur: attribuunturque ei ex ordine prætorianorum Iannizeri circiter octingenti, nec multos Byzantij moratur dies, claſſeque octoginta triremium atque aliquot biremium armis, viris, & commeatu abundè inſtructa, Helleſponto egreſſus in Italiam curſum intendit, relicto cũ duodecim triremibus Amurate trierarcho, qui Solymanum eiuſq; exercitum ad Perſicum contendentem bellum ab Europa in Aſiam tranſportaret. iſq; demum omnibus tranſvectis, Hariadenum ad Methonem eſt conſecutus. Quum improviſo adventu Meſſanæ fretum tranſiret, Mamertini ad arma conclamantes urbi portuique magnopere timuerunt, ſed prætervectus Hipponiatem ſinum in Brutiorum ora ſancti Lucidij oppidum invaſit, id olim Tempſa dicebatur, impoſitum rupi, qua mare deſpectat, & muro haud temerè munitum, ſed is à terra ſubeuntium Turcarũ impetus fuit, ut deiectis propugnatoribus diu defendi nequiverit, eo maiore incolarum calamitate, quòd nemo fuga eſt elapſus, quum prætor in ea trepidatione averſam ab hoſtibus portam diligentius reconditis clavibus obſeraſſet. Inde ingenti omnis generis rerum ac hominum potitus præda, ad Citrariũ contendit, ubi claſſem ædificari à captivis didicerat, id uti vacuum incolarum fuga ſtatim eſt incenſum, atq; eodem igne ſeptem triremes, imperfectis adhuc puppibus & foris concrematæ. ubi verò à Capreis ſupra Neapolim univerſa claſsis in conſpectum eſt data, adeo terribili ſpectaculo totam eam oram conterruit, ut pleriq; affirmarent, ſi hoſtis expoſitis copijs ad mœnia repentè ſucceſsiſſet, Neapolitanos in ſubito metu ægrè urbem fuiſſe defenſuros. Eo curſu ad Prochitam provectus oppidum cœpit, arciſq; exiguæ cuſtodibus ſub fide ſe dedentibus libertatem reliquit, & quum in Caietæ portum noctu veheretur, ita ad Speluncam ſuperato promontorio curſum deflexit, ut occupandæ Caietæ occaſionem parum naviter prætermiſiſſe crederetur: nam & præſidium urbi arciq; exiguum erat, præſertim repentino nocturnoq; in metu, & Caieta-

na iuven-

na iuventus aſſueta maritimis quæſtibus, & in prædijs occupata ab urbe per eos dies aberat. Spelunca oppidum extremis Fundanis montibus adiacet, qua deſinentes rupes plagæ maris planiciem excipiunt, ex ruina quondam antri Tiberij Cæſaris inſigni periculo in hiſtorijs Cornelij Taciti celebratum. Speluncani inexpectato appulſu tantę claſsis territi vix tentata defenſione animos deſponderunt, ingreſſusq; hoſtis circiter mille & ducentos imbellis maximè ſexus & ætatis cœpit. Refugerat in arcem Pelegrinus, qui inter Speluncanos divitijs eminebat. Hunc Hariadenus monuit, ut ſeſe dederet, nec vim experiretur, id ſi extemplò faceret, integra fide liberum futurum: ſi conaretur ſeſe atque arcem tueri, brevi ſtultæ pertinacię pœnas crudeli ſupplicio atq; incendio oppidi protinus daturum. nec ille metu exanguis diu cunctatur, quin ſpem vitæ vel in barbara fide certi propè exitij periculo potiorem ducat: ita egreſſo in litus, & ad genua procumbenti conceſſa libertas, & quod fuit humanitatis, uxor, filius et neptis inter lachrymas præ gaudio utrinque manantes reſtituti. Eadem quoq; nocte ad duo millia e Turcarum claſſe per aſperos vepribusq; impeditos colles ad urbem Fundos, decem inde milibus paſſuum pervenerunt: uti creditur ducibus indigenis ex eorum numero, qui ſuperioribus annis mari capti, tædio prædurę ſervitutis ad Mahometis ſacra defeciſſent. Ea verò advolantium & refringentium portam celeritas fuit, ut Iulia Gonzaga Proſperi Columnæ quondam nurus vix ſpacium ſit nacta, quo ſeminuda iumento imponeretur, atque inde iam conſpectis hoſtibus ad montes ſe proriperet. Ferunt Barbaruſſam, uti ipſe poſtea minimè diffiteri eſt viſus, eam cum admirabilis formæ tum virtutis fama florentem capere cupiviſſe, ut Solymano dono daret. Cæterùm Fundani cæduntur, atque omnes ferè capiuntur. facit & deditionem Stecatius prætor imbellis, qui cum turba mulierum in turrem confugerat, quum ſuccenſis iam foribus & barbarorum clamore, & fœminarum eiulatu terreretur. Turre in poteſtatem redacta Turcæ ad ſpoliandum fanum converſi, ſepulchris Columniorum procerum ornamenta detrahunt, vexillaq; item militaria picta auro dilacerant, onuſtiq; pręda ad claſſem revertuntur. Alia quoque triremium manus Tarracinam divertit, ibi quoque populo ad montes fuga elapſo, in templa ſævitum, invalidique ſenes, & ægri aliquot in lectulis trucidati. Is terror à Privernatibus properè Romam delatus, ita conſternavit omnium animos, ut ſi hoſtis eo impetu ad Oſtiam eſſet provectus, tota civitas ſeſe in Sabinũ, Etruſcumq; agrum effuſura crederetur: nam neque Clemens tum graviſsimo conflictatus morbo, conſuli poterat, neque amplius omnino quàm centum viginti ſpiculatorum Germanorum, & quadraginta ſeptem levis armaturę equitum pręſidio, quo tum principis atq; prætorij cuſtodia ſtetit, publica ſalus nitebatur, nec ullus erat cum peregrinis & inquilinis Romanorum conſenſus, quum quiſq; privatis potius quam publicis rebus ſtuderet. Coivère tamen in eo periculo Cardinales, & effractis ærarij repagulis ex authoritate ſenatus Hippolyto Medici Cardinali pecuniam deprompsère, ut tuendæ oræ maritimæ curam ſuſciperet. is alacriter cohortes conſcripſit, ſed eas, uti in ſubitario delectu accidere ſolet, ex peſsimo & incondito hominum genere, adeo ut per ſummam iniuriam Privernatibus ex itinere cæſis atque direptis, oraque Pyrgenſi & Tarquinienſi fœdè vexata, nullo pudore in hoſtilem rabiem animos vertiſſe viderentur. Porro Barbaruſſa vetere conſilio ſuo innixus, quum ſtatim in Pontias aquandi cauſa diver-

tiſſet, in Africam traiecit, tanta uſus celeritate, ut prius eò pervenerit, quàm ab noſtra ora diſceſsiſſe crederetur: voluit enim ea diverſa navigatione fallere Muleaſſem, ut imparatum opprimeret, & ipſe anteà famam ſimulanter ediderat evaſtandæ Italiæ, Liguriæque præſertim & Hiſpaniæ, vindicandis ſcilicet iniurijs, quas Auria Coroneis atque Patrenſibus intuliſſet, ita ut non omnino inani coniectura, poſtquam Meſſanæ freto ſuperato Italiæ litora legere, & cuncta urere cœpiſſet, Liguriam, ac demum Hiſpaniam invaſurus eſſe putaretur. Et Veneti quoq; Muleaſsi & Pœnis aliqua ex parte timorem minuebant, quum validam claſſem inſtruxiſſent, quinis decumis ex ſacris redditibus ſacerdotum ordini, vel id ægreferente Pontifice, impoſitis, ut ex ea pecunia remigibus ſtipendia præberentur. Quid enim petente Africam Hariadeno, Venetis opus eſſe tanta claſſe? præſertim quæ tanto ſumptu & tanta cum invidia pararetur? profectò ſummę prudentiæ homines, qui Turcarum conſilia Byzantij diligenter explorare & excipere eſſent ſoliti, pro certo cognoviſſe tot triremes adverſum Auriam comparari, ut pares & duplicatæ clades Chriſtianis redderentur. Ad hæc quoque Muleaſſes per ſpeculatores didicerat Roſcetem fratrem, quem maximè metuebat, Byzantij in libera cuſtodia eſſe relictum, veluti aliena tum ab Africæ rebus expeditione ſuſcepta. Neque enim ullis armis validius ſe peti atque invadi poſſe exiſtimabat, quàm producto regni æmulo, in quem ex conſcientia ſcelerum ſuorum omnes propè Pœnorum ordines & Numidas inclinaturos appareret. Sed quoniam ad hunc locum eſt deventum, operępretium erit paucis enarrare, quæ de Muleaſsis imperio, moribusque Pœnorum didicimus: nam multa digna cognitu, quæ diu ſolis mercatoribus comperta fuêre, nobis ſcribentibus victoria Cæſaris aperuit. Africam Romani everſa Carthagine, ſublatiſque regibus propter agrorum ubertatem multis eò deductis colonijs excolendam atque illuſtrandam ſuſcepêre, tenuereq; eam proconſulari imperio uſque ad Vandalorum adventum, quos in contumeliam Romani nominis immani rabie ſævientes Beliſarius devicit atque delevit. Inde facta eſt provincia Græcorum imperatorum, à quibus in eam quotannis duces & præſides mittebantur. Poſtremò eam invaleſcente Mahometis ſecta, Saraceni è Syria, Ægypto, Arabiaq; inducti religionibus tanta vi invaſerunt, ut pulſis Chriſtianis, invectaq; & latè propagata ſuperſtitione in Hiſpaniam uſq; victores tranſcenderint, & quum Afri, Numidę, Mauri, & deniq; omnes Pœnorum gentes nova ſacra facilè ſuſcepiſſent, in Illiberi Beticæ regia urbe, quam Granatam noſtri vocant, poſita eſt Maurorum ſedes, & Cordubæ gymnaſium cum celebri bibliotheca conſtitutum, ubi Arabicarum literarũ profeſſores, iuventutem docendo, excipiendoq; intermorientes apud Græcos optimarum ſcientiarum atq; artium diſciplinas cum inſigni ingeniorum gloria floruerunt. Nihilo ſecius & in his militare ſtudium enituit, adeo ut quum diu cum Oretanis Celtiberis, & Carpentanis eſſet dimicatum, à Miramolino irrumpente penè omnis Hiſpania Punicis armis ceſſerit. Sed poſt ſexcentos demum annos, ætate noſtra Ferdinandi regis virtute obſeſſa, captaque Illiberi, omne Punicum nomen ab Hiſpania pulſum. Hac tempeſtate in Africa opibus ac amplitudine imperij cæteris præſtant Tunetani & Feſſani reges: ſed Tunetanis ab longa imperij vetuſtate, eximiaque ſtirpis claritudine authoritas maior & auguſtior: nam ab his ſacra & iura omnia petebantur. ſupra Tuneta enim itinera trium dierum urbs eſt Carvenna, perantiqui templi reli-

religione, & ſanctiſsimorum ſacerdotum collegio maximè venerabilis, & ob id libera & immunis, in qua functi fato Maurorum & Numidarum proceres vel è longiſsimo terrarum tractu tumulantur. Quoniam perſuaſum habent eorum animas, quorũ oſſa ſacroſancto eo in loco ſita ſint, uti purius expiatas, ad impetrandã cœleſtis vitæ felicitatem illorum ſacerdotum accuratiore ceri- monia ſuperis efficaciſsimè commendari. Imperium Tunetanum octingen- tis ferè milibus paſſuum in ora ab occaſu ad Orientem extendebatur: nam Bu- gea, & Tripolis emporio & gymnaſio claræ urbes, quas Navarrus in diverſis regni finibus bello cœpit, Tunetanæ ditionis erant, quum & ea introrſus ad Æthiopum harenas uſque pertineat. Porrò Feſſani in Tingitana Mauritania impoſiti Salæ amni, qui in Oceanum magnarum navium capax evolvitur, bellico apparatu & militaribus copijs antecellunt, egregie enim ſuſtinent Lu- ſitanos, cum quibus continenter bello exercentur, adeo ut triginta equitum milia in aciem educant, paratiſsimisque animis ac viribus litora tueantur: re- liquas regiones urbesque reguli, quos Sceros appellant, circa oram præſertim poſsident. At in mediterraneis Numidæ uno nomine dicti Arabes vagantur, cum Afris bella gerunt, venalemque pacem habent. his mos eſt belli cauſas ex- citare, alere controverſias, ſemper armis exerceri, pecuariæ, colendique agri miniſteria per ſervos obire, præſertim Æthiopes, quum ſe omnium gentium nobiliſsimos iactent, quòd impermixti ſanguinis ab antiqua Pœnorum origi- ne progeniem ducant. Diviſi in multa agmina à Nilo amne introrſus ad At- lanticum Oceanum extenduntur, & quum incertas ſedes habeant, certis ta- men pagorum finibus imperia præſcribunt. Hyeme longius à mari ad Æthio- pum fines recedere ſolent, tepore ſoli & clementia aeris invitati. Æſtate verò ad vix dum maturas ſegetes revertuntur, ut alieni laboris fructũ intercipiant. Nemo apud eos præter paucos ſacerdotes literas addiſcit. neque enim adeo accuratè, uti Mauri, ſed ſimplici atque expedito cultu religionibus ſtudent: his haud dubiè fide, integritate, virtuteque animi, et denique bello & pace me- liores. Incredibile dictu eſt quam tenui convictu, & vires & valetudinem tue- antur: nam ficu ſicca, dactylis, pulticula, atque acido lacte convivia finiunt, tum verò epulantur, quum è venatione falconumque aucupijs, quibus maxi- mè gaudent, prædam retulerint. Totius patrimonij eorum cenſus eſt in equo pernici, quem ſeminudi egentiſsimique homines immenſo parant pretio: nec mirum, quando vita & vigilia eorum omnis, ſi bellum deſit, in latrocinijs ve- nationibusque conſiſtat. Vxores adeo humiliter viris ancillantur, ut equos curent & inſternant. Æſtate pariter atque hyeme equites pellicea talari tuni- ca utuntur, quòd ea peregregiè ſuſtineat ventos, & in magnis fervoribus ſo- les non admittat, capiti linteum intortis à mento ſpiris nõ indecens tegumen- tum, deſilientes ab equis in clunes conſidunt, parcuntque pedibus, ut vix exi- guis ſpacijs obambulent. Plicatione verò aſsidua, contentioneque artuum, i- temque frictionibus calorem excitant. Hac exercitatione procul à morborum cruciatu, medicinæque periculo ad ſummam perveniunt ſenectam: adeo ut fatalem horam minimè præſentiant, & læti evaneſcente potius quàm inter- cepto ſpiritu, inter colloquia liberorum leniter expirent. Ex hac gente fuit Lentigeſia Muleaſsis mater, virilis animi mulier, Doracis reguli ſoror, cuius ingenio virtuteque Maleaſſes adiutus & impulſus regnum arripuit. Nam Mahometes, qui multo luxu, & multa cum gloria triginta duobus annis

regnaverat, quum ſibi vitæ finem adeſſe cerneret, Maimonem inter duos & viginti filios natu maximũ legitimo iure regni hæredem ſcripturus eſſe videbatur, niſi Lentigeſia corruptis pretio regijs ſatellitibus, maritum in ſupremis vitæ anguſtijs fatigatum precibus, dolisque deceptum prævertiſſet, ut in filium regij nominis Fortuna transferretur. Itaque Maimo qui paulo antè affectati regni ſuſpicione ob præclaram bellicæ virtutis indolem à patre in carcerem fuerat coniectus, eo expirante dum è cuſtodia ad imperium ſe proripere ſperat, iuſſu Muleaſsis interficitur. Roſcetes natu ſecundus, qui extra arcem cum uxoribus habitabat, comprehendi non potuit: cæteri fratres graſſante Muleaſſe in ſuum ſanguinem, barbarico more partim iugulantur, partim candenti ferro oculis admoto lumine privantur. In his fuère Barcha & Belethes atque Sactis ſtata ætate, & in ſpem imperij una matrum nobilitate procreati, qui quum Tunetum in ipſa Cæſaris victoria caperetur, ob eam calamitatem cum gravi probro atque invidia reducti Regis, apud noſtros homines Punicæ ſævitiæ fidem fecerunt. Ex fuga quoque biduo poſt Laſelles & Habramus, & cum his fratres quatuor vix dum puberes, in Bagrada amne tum forte hiemalibus aquis latè inflato, trepidè vadum quærentes, Solax Numidarum dux intercepit, acceptoque pretio vir æquè venalis & ſævus Muleaſsi ad ſupplicium tradidit. Porrò cæteri omnium reliqui Roſcetes & Abdemelech, dum ſupra Hadrumentum profugerent eodem penè caſu, ſed non iniqua ſorte in Morhabitum inciderunt, à quo advoluti pedibus, & ſalutem ſuam regiæque ſtirpis ſanguinem commendantes, ita ſervati ſunt, ut quum in Numida opulento generoſi animi laus quæreretur, ſævitiæ tamen arbitrium Muleaſsi venditaret. accepta enim eſt traditionis merces, & interim illi uti deceptis cuſtodibus ad Bentieſem amicum ſuum, ulteriorem Numidarum ducem opportune emiſsi. Verùm & apud hunc proditores paſsim grandi pecunia ſubornante Muleaſſe, alijs atque alijs petiti inſidijs ad Biſcarim urbem maximè mediterraneam receſsère: ibi Abdemelech tædio tam ancipitis Fortunæ omni ſpe regni prorſus abdicata, ſacrato in otio religionibus ſe devovit. Roſcetes verò apud Abdalam urbis principem, & mox ſocerum adeo ſolicitè atq; accuratè ab omnibus Muleaſsis dolis eſt cuſtoditus, ut etiam veneni metu, non alia temerè in convictu, quàm ſemeſa ab ſe uxoreq; eſculenta genero præberentur. Eo modo Muleaſſes paterno potitus regno, quum nemini ex regia ſobole parcendum eſſe ſtatueret, aliquot etiam pueros fratrum filios enecavit, paternosq; amicos Maniſetem & Meſuarem in primis ſummæ authoritatis, quorũ ſtudio atq; ope Maimonem præoccuparat, varijs cruciatibus diu tortos & laceratos interfecit, quòd præclari beneficij gratiã exoluere nollet, atq; eos idem aliquando contra ſe tanquã ingratum facilè molituros arbitraretur. Deſævijt & in aliquot novercas, impellente Lentigeſia, atq; etiam cõcubinas patris nefaria crudelitate, quum ipſe præpoſterus, & in mares proclivior in Mahometem patrem palam inveheretur tanquam mulieroſum ac effœminatum, qui exhauſto ærario ingentes feciſſet ſumptus, ut ducentę ſimul ad libidinem fœminæ regijs in hortis alerentur, è quibus tot ſuſcepiſſet liberos, qui in imperio æmuli forent, ob idque ſibi in his occidendis pergrave & plenum invidiæ negotium reliquiſſet. & fuère qui exiſtimarent patrem in ſupremo morbo, quũ ex ſubita animi defectione ad ſpem vitæ ſublevaretur, medicata potione à parricida filio fuiſſe necatum. Nec multo poſt Dorax, qui favente ſorore delectus

erat

erat Imperator adverſus Meſchinem regulũ Numidam peculiari nomine bellum ſuſcepit: ab eo enim aliquot antè annis, vivo Mahomete, cuius gratia plurimũ valebat, graves acceperat iniurias, et parte agri fuerat expulſus. Sed Meſchines præpotenti hoſti facilè ceſsit, uti imparatus & invalidus, ſcilicet ut coactis auxilijs ad propulſandã iniuriam dum hoſtis recederet, opportunè reverteretur. Ea contentio utrinque vario belli eventu ſæpius agitata, ad extremum regem ipſum in id bellum traxit, è dignitate ſua exiſtimantem, cępto ſemel bello non deeſſe, ac avunculi eiuſdemque Imperatoris ſui partes egregiè tueri, affirmante Lentigeſia id totum Regio nomini ademptum videri, quod Dorax ſegniter aut cunctanter adiutus amitteret. Itaque Muleaſſe in Doracis caſtra cum magno equitatu & Turcarum mercenarijs peditibus profecto res eum habuit eventum, ut Meſchines profligaretur, & rex ardentius oſtentato erga avunculum ſtudio ſuo iam planè maturas ſegetes incenderet. Ea inuſitatæ ac immanis iniurię acerbitas quum frangere Meſchinis animum nequaquam poſſet, adeo vehementer permovit, ut eo adeunte, & tota penè Africa concitante ſingulos Numidarum duces, ingens & maximè periculoſum Muleaſsi bellum ſit conflatum, Roſcetesq; à Biſcari in ſpem regni ſit evocatus, non uno tantum, ſed proximo quoque regulo Numida, equites, arma, opes inſigni ſtudio adverſus Muleaſſem conferente, quum quiſque niſi omnes in unum icto fœdere conſentirent, Meſchinis exemplo rebus ſuis timere cogeretur. Contulère cum Meſchine conſilia, copias & opes, Vlethes Iacob, atque Morhabitus clariſsimi Numidarum duces, Roſcetequе à Biſcari educto, & regijs inſignibus adornato, caſtra facere non longè à Bechia urbe, quæ itinere unius diei à Tuneto diſtat. Ea adventantium hoſtium fama Muleaſſem quanquam ſuopte ingenio pugnacem, ſed tum ſolito timidiorem factum, & ex ſcelerum conſcientia ſibi diffidentẽ magnopere conterruit. verùm is non minus aſtu quàm ſævitia inſignis adeo egregiè metum diſsimulabat, ut compreſsis diligenti portarum cuſtodia de Roſcete rumoribus, feſta hilaritate nuptias Amidæ filij celebraret, univerſoque populo ſolenne epulum præberet, & ſingulis tribubus præter id novum munificentiæ genus, eſculenta omnis generis congiarij nomine largiretur. Numidas verò propinquos, & Pœnorum optimates varijs artibus & donis ſibi conciliarat. At ubi Roſcetis adventus diutius occultari non potuit, vexilla, arma, tormenta ex arce proferre per Doracem, Numidas quos poterat mercede conducere, ex Afris equites & pedites conſcribere, obſecrare prædones Turcas, ut accepto ſtipendio pro ſe militarent. erat enim ea tempeſtate ad Tunetum tantus piratarum concurſus, quum ibi cunctis huiuſmodi generis hominibus tutiſsimus eſſet receptus, ut ea urbs Turcarum colonia videretur. Cum his anteà Muleaſſes certo fœdere pepigerat, ut captivorum prædæque omnis pars quinta in fiſcum referretur, magno quidem ſuo quæſtu, & Tunetanorum emolumento, adeo ut ſibi nullum omnino ex tot urbibus vectigal atque portorium vel uberius vel certius eſſe cenſeretur: ſed his proventus, uti ab hoſtibus humani generis iniuſtè atque impiè quæſitus, non multo poſt Tunetanis, uti mox dicetur, dignam ſæva atque avariſsima gente peperit calamitatem. Quum Roſcetes appropinquaret, qui ſuperato Bagrada amne in profluentis ripa cum Vlethis filia epulante exercitu nuptias celebraret, Dorax ante portam urbis, quæ ad Bardeos defert hortos, in acie conſtitit, Muleaſſe degeneri animo arcis mœnibus ſe tenente. cum eo erant

Solax, & duo fratres reguli cognomine Benaones, cum ſeptem ferè milibus equitum Numidarum, magnaque Afrorum peditum multitudo, & in quo ab virtute, & diſciplina, genereque armorũ firmiſsimum erat præſidium Caradinus Turca, cum delecta cohorte ſclopettariorum, & ſeptem curulibus tormentis; his acceſſerat ala prætoriana Chriſtianorum equitum, qui ex reliquijs veterum expeditionum in Africa remenſerant, et ob virtutem in honore habiti vxores duxerant, & nihil intereunte ſobole & diſciplina, extra meridianam portam in oppidulo Rebatto, à quo ipſi Rebatini dicti, templa, & domos, & familias habebant; quum Tunetani reges vetere inſtituto ſalutem ſuam externis & Chriſtianis tutiùs quàm Mahometanis & Pœnis committendã exiſtimarent. Prouolauit ante alios Meſchines, proprius Doracis hoſtis, cum quatuor milibus equitum: hunc Morhabitus cum ampliore agmine continenter eſt ſubſecutus: Vlethes ipſe poſtremam veluti ſubſidiariam progreſſis & pugnam ineuntibus cum Roſcete aciem tenuit. Reſtitere aliquandiu regij, Dorace primos impetus fortiter ſuſtinente, ſed Morhabiti vim, non tulere Benaones & Solax; quum vndiq; perturbati, & cũ multa cæde præcipites acti in fugã verterentur: defuit ſpatium Caradino ad dirigenda tormenta, nã repentini hoſtes obliquo alarum flexu non in frontẽ, ſed in tranſuerſos incurrerant, tantusq; eo tumultu excitatus erat puluis, vt in incertum tormenta emitterentur, nec planè dignoſci poſſet, vtrã in partem prælij Fortuna in eo maximè turbulento & confuſo certamine victoriam inclinaret. Conſtat ab ea pulueris nube occupandæ portæ, & ingrediendæ vrbis facultatem Meſchinianis fuiſſe ereptam, quũ rareſcente ſenſim deſidenteq; puluere, & patefacta regiorũ ſtrage, et fuga Rebatini primo equites, & demum Caradinus denſata cohorte, ſed amiſsis tormentis ad portam ſe recepiſſent, atq; eam ſimul atq; vrbem conglobato præſidio ſeruauiſſent. Roſcetes cruentiore quã pro more gentis potitus victoria, ſed vrbe excluſus, quum nemo ex Tunetanis ſe cõmoueret, nullusque omnino vel à timore, vel à ſeditione, vti futurũ putarat, in vrbe tumultus oriretur, ad proximam regionem quam Martiã vocant, deflexit: ea eſt circa magnæ Carthaginis ruinas omnium rerum copia & fertilitate, multisq; puteis & fontibus abundans, & pulcherrimis villis ac ædificijs frequens. Ibi circiter viginti moratus dies, quum fruſtra expectando vrbanos motus nihil proficeret, vel populantibus cuncta Numidis in oculis Tunetanorum, vt grauiore tandem periculo damnoq; eorum animos aduerſus Muleaſſem concitaret, totum id oliuetum immani crudelitate ſuccendit, quod ſumma pariter amœnitate atq; vbertate coniueſtitis collibus à ſumma arce Carthaginis ad Tuneti vſque mœnia protenditur. Ferunt nullum vnquam vel obſeſſæ, vel bellica clade afflictæ vrbi, eo acerbius ac luctuoſius ſpectaculum extitiſſe: exurebatur enim continenti incendio ſuburbanus ager, miſerias ſuas omni populo è muris magnis eiulatibus deplorante: Sed conturbatis ac incenſis indignitate tam immanis iniuriæ ciuibus rex aderat, conſolando ac adhortando, vt eam calamitatẽ ęquiſſimis animis ferrent; ſe enim ea detrimenta ſingulis præſenti pecunia liberaliter exoluturum, & daturũ operam vt comparatis maioribus auxilijs, Meſchinis, atq; Morhabiti. & Vlethis prædia ad eorum prædam effuſa populatione vaſtarentur. Nec multo poſt quũ Tunetani ſupra pręſtitæ fidei ſacramentum, & portas externo milite cuſtoditas, efferatos iniuria animos à Roſcetis ſtudio penitus auertiſſent, Numidę dilabi, quòd eis poſt confectum prælium minimè

probro datur, atq; Roſcetem ut longè ſecederet, ſervaretq; ſe felicioribus conſilijs monere cœperunt. At ipſe quum alij atq; alij ſuſpenſum & nutantem in diverſa diſtraherent, Numidarum perfidiam, & fraternas inſidias timens, eò animum inclinavit, non improbante Vlethe ſocero, ut Algerium ad Barbaruſſam confugeret, ſcilicet ut illic ulteriores ſpes ſuas ad invadendum paternũ regnum ſecurius atq; nobilius agitaret. Eo modo apud Turcam iam tum latè ſubactis finitimis regulis dominantem, aſpirantemq; ad imperium totius Africę, in cultu propè regio permanſit uſq; ad id tempus, quo Byzantium, uti diximus, eſt devectus. Is Punicarum rerum ſtatus erat, quum Hariadenus Pontia profectus perpetuo curſu ad Biſertam improviſus appulit claſſem. Biſertani & tædio Muleaſsis, & ſua mobilitate impulſi, audito ſtatim Roſcetis nomine Turcas oppido recipiunt, præfectumq; repugnantẽ oppido expellunt. deſcenderant enim Hariadeni iuſſu aliquot Afri familiares comitesq; Roſcetis, qui eum adeſſe, ſed prodire non poſſe nunciabant, fatigatum ſcilicet nauſea laceſſente atq; accedente febricula mentientes. Adiacet Biſerta piſcoſi ſtagni faucibus, per quas ſubiectum mare ſtatis ſuis æſtibus irrumpit, & inſuſum aquæ dulci ſenſim exorbetur & emittitur, efficitq; portum lato alveo, vel magnis navibus cõmodum, ab Vtica triginta ferè paſſuum milibus diſtantem, ab antiquis à circunfluente lacu, qui olim Tritonius fuit, Hippodiaritos appellata. Collaudatis Biſertanis Hariadenus, utpote qui cõſilij ſui ſummam in una maximè celeritate reponebat, claſſem celeriter eduxit, prætervectusq; Vticam & Carthaginis promontorium, eius turris atq; munitionis, quam Gulettam noſtri vocant, in conſpectum ſe dedit, ita ut eam diſploſis omnibus tormentis in lætitiæ atq; amicitiæ ſignum de more ſalutaret. Gulettani cuſtodes quũ ſalutem redderent, amicè et graviter reſponderunt, ſe in eius poteſtate ſtatim futuros, qui Tunetanæ urbis imperio potiretur. iam ab excelſa Tuneti arce cõſpecta claſsis, & à Biſerta totisq; littoribus frequẽtes nuncij ingentẽ in urbe tumultum excitarant. Erat enim civitas erecta in expectationem novi regis cũ ipſius Roſcetis amore, quòd mite & liberale ingenium præ ſe ferret, tum odio Muleaſsis, quẽ avarè & crudeliter imperantem aliquot iam annos in luctuoſa ſervitute pertuliſſent. Nec ipſe adeo famæ ſuæ erat ignarus, ut alienatos ab ſe civium animos nequaquã intelligeret, nec præſentiret, quàm parum ſpei in populi ſtudijs eſſet reponendum, quum principũ civitatis ora atq; oculos intuerẽtur. Erant enim Tunetani vel ob id ei vehemẽter irati, quòd uti Roſcetis bello ſolenni pronunciatione fuerat pollicitus, nequaquã eorum inopiam liberalitate ſublevaſſet, qui exuſtis atq; evaſtatis olivetis, & villis dum cõſtanter ei ſtuderent, miſerabilem cariſsimarũ rerum iacturam feciſſent. Itaq; egreſſum arce, & in foro concionantẽ deſeruerunt, quum ea prẽmia, ſi pro ſe arma caperent degeneri vultu polliceretur, quæ nec incolumis & victor præſtare poſſet. Monuère quoq; reſtitantem adhuc nonnulli, ſpecie amicitiæ, & in his Abdahar (Gerebat is tum magiſtratũ, qui Meſuar appellatur) ut cederet Fortunę, extemploq; profugeret, & tum fortè de adventu Turcarum rumor increbuerat, quæ res per ſe pavidũ, & ex meritò inſidias undiq; timentẽ, deſtitutumq; à civibus in fugam concitavit, adeo turbata mentis ratione, ut in arce aurũ & gemmas, et regia ornamenta relinqueret, occultata ſcilicet ſecretioribus latebris, ut his demum hoſtis potiretur. Primi omnium duo Hiſpani abrupta ſacramenti fide à Muleaſſe ad Hariadenum defecerunt, Abez ex Granata urbe. is erat in

magiſtratu qui dicitur Moniſetes,& Fetuches Tarraconẽſis,qui cuſtodię arcis erat præpoſitus,Hic Roſcetis vxorem liberosq; eius,qui á Muleaſſe in cuſtodia ſeruabantur, ſtatim eduxit,& regio cultu ornatos in ſolio Muleaſsis conſtituit: Moſesq́ item,et Caradinus,& Agis prædones Turcæ detractis cathenis exſolvũtur,vt cũ aduentante rege,Hariadenoq; his dono oblatis, eximiũ ſibi gratiæ locum pararent. Abezes autem phaleratum inſignem equũ Hariadeno miſit,quo in vrbem adueheretur;itemq; alios trierarchis & ducibus diſtribuẽdos, hortatusq; eſt vt maturaret:egregia etenim voluntate Tunetanos,vt eũ ſuſciperent,ſeſe obuiam adapertis portis effuſuros.Nec mora Heriadenus expoſitis in terram copijs,conſcenſoq; equo cum quinq; milibus Turcarum ad eã portam peruenit,quæ ſtagno atq; naualibus eſt coniuncta,ab ea ad aduerſam vrbis partem,vbi ampliſsima & edita arx in tumulũ exurgit,lata & oblonga regio pertinet, officinis rerum venaliũ frequens, & mercatorum porticu conuentuq; percelebris. At Tunetani quũ Hariadenũ per mediam vrbem ad regiam contẽdentem,magnis gratulationibus excepiſſent,& in perpetua Turcarũ acclamatione nihil pręter Solymani, aut ipſius Hariadeni nomen audiretur,cõmoueri vehementer perturbariq; cœpere,incenſis ſcilicet dolore animis,quòd Roſcetes nuſquam compareret,diu fruſtra oculis requiſitus expectatusque,vt ęger tãdem lectica aut nauigio ad vrbem ſubueheretur. Auxere tumultum Raſcetis familiares nequaquã ſponte Byzantio aduecti, qui nullo metu contineri poterant,quin mœſti oblatis veteribus amicis ſummiſsè dicerent,Roſcetem fruſtra expectari,qui Turcarũ & Hariadeni fraude in Aſiâ et in cathenis quidem eſſet relictus.Ii etenim natura Punico nomini fauere cogebantur, magnoque cum dolore perfidię ignominam animo ſuſtinebant, quũ ſpeculatorũ munera obire apud ſuæ nationis homines & ciues, ſeruireq; immanibus piratis metu mortis,& patriam prodere maximé turpe & flagitioſum putarent. Eo modo detecta fraude Tunetani frementes ira circa forum conglobantur, concitatis ducem ſe præbet Meſuar,quem anteà diximus,authoritate,ſpiritu,& eloquentia Pœnorum facilè princeps. Is dudum nobilioris gratiæ locum apud nouum regem quærens Muleaſſem repentino Turcarum aduẽtu perturbatum, & ab amicis opem,fidem, fortemque operam implorantem,non modò contempſerat, verùm difficultates atque pericula verbis adaugendo, hoſtili planè animo egerat,vt ille vrbe atq; arce protinus excedere properaret. Tum verò ſua ſpe deceptus, vti erat mobili ardentiq; ingenio,reuocare Muleaſſem, & Turcas in arce obſidere atq; oppugnare ſtatuebat. Itaq; ad populum ad arma conſternatũ ab altiore porticu conuerſus,magna voce, Nefaria,inquit, fraude decepti ſumus fortiſsimi ciues,Roſcetes enim quem pro legitimo rege expectatis,in cathenis Byzantij calamitatẽ ſuam luget, nos verò niſi pro libertate extemplò captis armis enitimur,externis prædonibus perpetuò ſeruiemus. expediti conſilij & feſtinatæ operæ occaſionem præſens negotium vobis oſtendit, proinde qui ſeruire& venũdari nolunt, correptis repente armis Turcas inuadant:dux ipſe vobis adero, vt publico conſilio fraudem vlciſci, & patriã & libertatem pro dignitate Punici nominis tueri videamur. Nec mora omnes ad arma conclamant,repentino impetu Turcas inuadunt, obuios ac nihil timentes obtruncant, attollitur vndique clamor, magno tumultu arma proferuntur, Muleaſſes reuocatur,qui cum Dorace ad Reſtabianos hortos ſubſtiterat, ciuium ingenijs diffidens,ſed tamen retentante matre euentum expectans. Ex-

rat Tunetanorum valde ingens, ſed incondita nequaquã militaribus inſtructa armis, quæ vix ſuſtineri poſſet, niſi vecordi impetu potius, & præcipiti temeritate, quàm periti ducis imperio, & diſciplina regeretur. Itaque concurſu undique facto ad arcem contendunt, advolantq; ad id propugnaculum, quod aſcenſu facilius eſſe videbatur, portamque habebat pertinentem ad oppidum ſuburbanum, Babaſvechum ab Tunetanis appellatum. In eo Turcæ vexillum præfixerant, ac inde fortiter ac intrepidè propugnabant: ſed ſcandentibus Afris atque omnis generis tela iaculantibus, ardentesq; faces concremandis foribus itidem ingerẽtibus ægrè ſuſtinere, & ſeſe in retractiorem munitioremq; locum recipere cœperant, quum Baetius Hiſpanus, quem abiurato religionis cultu Turcæ Ramadam vocabant, tormentum æneum in editiorem arcis ſpeculam, expedito conſilio, ingentique celeritate impulſum humeris militum atque eductum, in confertiſsimos hoſtes emiſit. eo ictu multorum ſtrages edita, & multo maximus cęteris illatus eſt pavor, quum ab tota etiam muri corona à ſagittarijs peterentur, & quod maximè terrebat, ſclopettorum glandibus ſternerentur. Deerat Hariadeno temporis ſpatium, quo cõſilium in re ſubita opportunè caperet, & quid fieri vellet, militibus imperaret: nam & hoſtiũ, quos pacatos putabat, repentinus incurſus, & ſitus arcis nondum planè oculis colluſtratus, & commeatus, qui vix triduo ſufficeret, ex penu atq; horreis renunciatus, etiam egregiè conſtanti, & in ſummis aſperrimarũ rerum periculis ſępe verſato perturbationem afferebant. Sed hunc timorem cum ſingularis furentium potius quam pugnantiũ hoſtium imperitia, tum ſuorũ militum ſpectata virtus magna ex parte minuebant, quũ & ij ſucceſſu ipſo, & protractione prælij, magis ſpe atq; animis confirmati propugnarent: illi verò quod primis auſibus fortuna defuiſſet, in periculoſo atq; irrito conatu conſpecta ſuorum ſtrage & vulnerum fœditate, iam planè concepto metu frangerentur. Verùm Dorax cum ala equitum Numidarũ, & ipſe Muleaſſes reverſi, provectiq; per Babaſvechum ſuburbanum uſq; ad portam, vel nomine ipſo & clamoribus oppugnationẽ iam bis intermiſſam atq; redintegratam adiuvabãt. In ea rerũ aſperitate Halis Levanus è Malacha Bæticę urbe, qui ad Mahometis ſacra defecerat, vir belli peritus, utpote qui in Navarri & Piſcarij caſtris in Italia aliquot annis militaſſet, cõverſus ad Hariadenum: Eruptione, inquit, nobis eſt dimicandũ, ſi arcem defendere, ac omnium ſalutem recentemq; nominis tui dignitatẽ tueri egregiè volumus. ſi cominus enim collato pede manus conſerantur, non ferent noſtrorum impetum, qui nunquam aciem verorum militum viderunt, inaniſque audaciæ protinus pœnas dabunt, quum nec in ſervitute nequiſsimi regis pacem pati, nec in ipſo quietis ac otij limine, authores acceptæ libertatis grato animo ferre voluerint. Quum Halis ſententiam ferè omnes laudarent, & in primis Moſes & Agis, viri fortes, quos cuſtodia eductos fuiſſe diximus, atq; item Haidinus Smyrneus, cui Cacciadiabolo cognomen fuit, inter piratas longè fortiſsimus, comprobante Hariadeno, et prælij ſignũ dante, duabus portis erumpunt, circumventos ab diverſo latere trucidant, inſignis tribus in locis editur pugna, magna vis inermium Pœnorum interficitur, et ipſe Meſuar glande traiectus cadit. Tum verò ab oppugnatione diſcedit unaquęq; tribus pulſa loco in ſuam regionem. Inſtante demũ præmenteq; Turca milite, in plateis & compitis cruento maximè prælio aliquot horis eſt decertatum. Ad extremum Tunetani ſuperati, atq; intra domos compulſi, quum non pro re-

ge, ſed pro vxoribus & liberis certaretur, inde Halis recepit ſuos, cæde, æſtu ſiti & multo labore defatigatos. Ferunt ea die ſupra tria milia Tunetanorum diſiderata, vulnerata verò ad triplum. In eo ſucceſſu Muleaſſes deſperatis rebus ingenti curſu ſe proripuit, comitante, protegenteque Doracis equitatu. nam perſequentibus Turcis, quum in tumultuoſiſſima fuga ægrè ſeſe inter hortorum macerias explicaſſet, parum abfuit quin in poteſtatem hoſtium deueniret. Dorax ſuperato Bagrada animi in pacata loca ſuæ ditionis eum perduxit, non longè à Conſtantina vrbe, aluitque eum liberaliter, & ſumma fide protexit, vſque ad Cæſaris aduentũ. Conſtantina, vt literæ ſaxis ad mœnia inciſæ manifeſtò indicant, Cyrtha Numidiæ regia olim fuit, diſtatq; à proximo maris litore vbi nunc tenue oppidum ſtationem habet nomine Collum, colonia Cullu antiquitùs appellatũ. Cæterùm ea nox, quæ prælium & regis fugam ſecuta eſt, Tunetanis pariter et Turcis inſomnis fuit. actæ nanq; ſumma cura vtrinque vigiliæ, diſpoſitis in muro pariter & ad arcis exitus armatorũ cohortibus, ſed dies pacem atq; otium vtriuſq; attulit. Nam Pœni inter tot funera ſuorum & vulnera, vtpote qui ſatis improſperè virium ſuarum periculum feciſſent, cæſo Meſuare, pacem quàm bellum malebant, præſertim quum rex ipſe pro cuius imperio ac dignitate certabatur, opibus atque animo fractus in ſolitudines effugiſſet. et id quoque Hariadenus impetrare cupiebat, non ignarus eam quam habebat militum multitudinem, pertenui copia commeatus vix triduo in arce poſſe ſuſtentari, ſummeq; rei ſpem partamq; victoriã deuocare in apertum diſcrimen, ſi Tunetanorum animi deſperatione veniæ, aut vindictæ rabie inducti, accitis vndique Numidis et Afris, ad obſidendam arcem verterentur. Itaq; impetratis inducijs Hariadenus, ſolenni ſacramento dat pacem & accipit, alloquitur vrbis primores, oſtendit eo conſilio ſe veniſſe, vt ciuitatem ſæuiſſima Muleaſſis tyrannide liberaret, liberatamque quantis maximè poſſet beneficijs atque muneribus augeret ſimul ac ornaret: qua benignitate Tunetanos ſub longè maximi atque optimi principis tutela, breui ſperandum foret diuites atque beatos ex egentiſſimis atq; miſerrimis euaſuros. Proinde id ſe vnum ab ipſis poſtulare, vt Solymano & ſibi eius præfecto fidem ſeruent, & in ea libertate conquieſcant, quam multo ſuo labore & ſumptu, Deorumque præſertim immortalium beneficio potius, quàm ipſorum merito ſuſceperint. Quòd ſi aliquando futurum eſſet, vt ipſius ac Turcarum imperij & amicitiæ Tunetanos pœniteret, & Roſcetem omnino deſiderarent, ſe minimè dubitare, quin Solymanus regna vel Chriſtianis dono dare ſolitus, ſi per legatos id peterent, eum in Africam conceſſo regno, & regalibus donis adauctum eſſet transmiſſurus: ſed etiam atque etiam cauerent ne eo conſilio exitialis belli potius quàm tranquillæ pacis materiam quærere viderentur. Ad ea Abilchirinus, qui poſtea Meſuar eſt effectus, reſpondit, non debere eum Tunetanis ſuccenſere, ſi vti ob omni annalium memoria regibus antiqua ſtirpe editis aſſueti eo eiecto qui tyrannidem per decem annos exercuerit, alterum qui æquitatis atque iuſtitiæ fama floreret, ſibi regem exoptarint, præſertim quum is ab ipſo claſſe aduectus & penè dono datus eſſe crederetur. Non mirum idcirco fuiſſe ſi in contumeliæ nomen commutata beneficij fama, ipſi vti fraude, aut certè opinione decepti, adeo inſanire ſint viſi, vt vinci armis quàm dolo ſubigi maluerint, quando ipſis atq; Muleaſſi multo ſatius fuiſſet occluſiſſe vrbis portas, quum externa claſsis Africæ litoribus appuliſſet, quàm incertis omnino rumo

ribus

ribus incautè credidiſſe. Proinde Tunetanos tanquam Fortunæ iudicio in deditionem acceptos, optimo iure paratos eſſe iurare in verba Solymani, atq; eo quidem æquiore animo, quòd pro egenti & in ſuis miſerijs iniqua ſorte iactato, longè ampliſſimum & fœliciſſimum terrarum orbis regem nequaquam voto, ſed præter ſpem arridente Fortuna, quod Punico nomini bene verteret, eſſent conſecuti. Compoſitis Tunetanis rebus, & creatis magiſtratibus Hariadenus antè omnia operam dedit, vt Numidarum principes ſibi fœdere ac beneuolentia iungerentur. quòd vbi largitione atq; muneribus apud homines egenos, & ad ineundam diſſoluendamq; amicitiam ab venali ingenio procliues, celeriter eſt conſecutus; Aſanagam eunuchum genere Sardum, cui maximè fidebat, atq; item Halim Leuarium, cum Ianizeris & tormentis aliquot curulibus ad recipiendas Africæ vrbes miſit. Paucisq; diebus nullo labore aperientibus cunctis portas, mediterraneæ pariter atq; maritimæ vrbes deditionem fecere: vna omnium vrbs Caruenna, quum ſe vetuſta ſacrorum religione, & ſacerdotum domicilio immunem ac liberam exiſtimaret, aliquandiu reſtitit, ſed victa excidij metu Turcarum armis facilè cedens præſidium accepit. Inde Hariadenus regiam nouis ædificijs exornare ſimul atq; munire orſus, ſeptum in Cauedio, in quo Turcarũ more pro tribunali ius diceret, inſtituit, conatusque eſt multis ſeruilibus operis aperire nouas fauces, ac immittere per eas id mare, quod à promontorio Carthaginis lunato flexu ad ſtagni munitiones extenditur. In eo litore geminæ ſunt turres ab aquæ ſalisque nomine à noſtris appellatæ, vbi olim ille inſignis Carthaginenſium portus viſebatur. Id opus ea ratione Hariadenus efficere contendebat, vt tuto, peramploq; & maximè expedito portu vteretur. nam vadoſę admodum erant anguſtiæ, quibus Guletana turris ab ortu aduerſæ continenti ligneo ponte committitur, ita vt triremes ægrè humeris ſeruorum, & tractorijs machinis in ſtagnum impellantur & educantur. Ad his faucibus Pœni leuibus tantum nauiculis, propter humilia vada, ad vrbem Tunetum adnauigant, videturque id ſtagnum centum ferè ſtadiorum diametro in orbem veluti circino circumductum, & id multo cœno multaq; vligine paſſim vadoſum. Cæterum id opus Aquilones facilè diſturbarunt, inuecta ſcilicet aggeſtaque continuis æſtibus ac fluctibus arena: adeo, vt quum priſcarum molium fundamenta reperiſſent, Hariadenus, ne veteris portus quanquam parum commodi iactura fieret, ſuadentibus piratis incœpto abſiſteret, quũ ſtagnum exiguo tempore expleri penitus atq; obſtrui poſſe videretur. His rebus quæ in Africa geſta ſunt explicatis. ad Perſas (vti promiſimus) ex ordine temporum reuertemur. Sophus Hyſmael, qui apud Perſas ab admirabili rerum geſtarum fœlicitate Magni cognomen promeruit, quum immaturo prorſus nondum quatuor & quadraginta natus annos fato conceſſiſet, quatuor reliquit filios, ex vnica legitimaque vxore ſuſceptos. Eorum natu maximus totius imperij hæres extitit, nomine Tammas, ea condicione vt reliquis fratribus regnorum præfecturas impartiretur. Hi fuerunt Helcas, Becramus, & Somirza, qui ſortiti eas inter ſe, vti ex teſtamento patris adſcribebatur, in prouincias ſuas conceſſerunt. Aſſyria, vrbsque ipſa Bagadat, quæ Babylon Semiramis fuit, Helcaſi cum Meſopotamia ceſſit, Becramo Media, Hiberis, & Albanis, Caſpioq; mari finitima. Somirzæ Parthia obuenit, vicina Hircanis: qui Coraxeni hodie ſunt, & ad Zagataios pertinent, qui fuere antiquitus Arij, Aracoſij, & Margiani. Hi ſunt Sogdianæ, Bactrianæq; regionum

populi. Ipſe Armenia, Perſide, & prouincijs Oceano Indico proximis contentus, idem quod pater Hyſmael odium aduerſus Ottomannos induerat, & tum ægerrimè ferebat Selymum, qui penetraſſet in Armeniam, & Calderanis in campis iuſta acie victor apparuiſſet, quanquam non omnino inultum, Perſarum inuictam antea vim, ſagittasque ipſas, & acinaces euaſiſſe. Perſico ſiquidem imperio ſubiectæ gentes, quæ hodie vno nomine Agiamij vocantur, vſqueadeo turgentibus dolore animis eius Selymianæ irruptionis detrimenta ſuſtinebant, vt aduerſæ eius pugnæ memoriam renouato bello, rediuiuaque virtute abolendam eſſe decernerent, quò antiquum Arſacidarum decus illuſtre ſemper anteà, vno eo accepto incommodo obtritum planeque obſcuratum arbitrarentur. Is animorum habitus apud Perſas viros militares, facile iuuenem regem, & per ſe paternos gerentem ſpiritus, magnopere excitabant, vt Solymanum ſibi hoſtem deſtinaret, optaretque nobiliſſimum bellum, quò ipſius virtus vindicatis paternis iniurijs eniteſcere poſſet. Sed Tammaſum nonum iam regnantem annũ nulla alia exercuerant arma, quam Hircanorum, Zagataiarumq; gentium quas diximus: nam penes hos ex profeſſo diuerſæ factionis, & vti inter finitimos, bellicoſosq; facile accidit, apud quos armorum cauſæ nunquam deſunt, ſemina ſimultatum relicta ab Hiſmaele adhuc vigebant, vel hoc vno cognomento, quòd hæ gentes Cacepas à viridi capitum integumento vocarentur, ſicuti Perſæ ab initio ciuilis diſcordiæ, propter nouæ ſuperſtitionis cauſam, Cuſelbaſæ, hoc eſt rubra capita, appellari conſueſſent. Verùm his bellis ex multa fatigatione virium vtrinq; enatæ induciæ finem attulerant, ſic vt pacis compos Tammas regnorum ſuorum tranquillitate frueretur, nec tamen à finibus vſquã Perſæ, Gordiq; præſertim pupuli, latrocinijs abſtinerent; & aliquando inſolentius prouecti ſuperato Euphrate è Meſopotamia in Comagenem irrumperent, vti antea Sulthanorum temporibus audere conſueuiſſent. Gordos eos eſſe arbitror, qui vetus nomen adhuc retinent, & Gordianam regionem Ptolemæo notam incolunt, communi omnium opinione latrocinijs infames, quòd prædabundi ex notis impeditisq; regionibus commeantibus illac mercatoribus crudeliter inſidiantur. Cæterùm Selymi præſides, qui Syriacis rebus præerant, ſæpius ſibi inferri iniurias fruſtra queſti, quam & ipſi tanquam violatis ab hoſte inducijs arma expedirent, tranſuectique nonnunquam Euphratem circa Byrtham incurſiones in Meſopotamiam repentinas facerent, ſenſim præludentes graui inchoando bello initia præbebant. Quibus rebus nunciatis Solymannus vehementer excitabatur, viriumque ſuarum conſcius, & paternæ fœlicitatis memor, elato animo Perſicum agitabat bellum, indignabaturq; ſe à Chriſtianis regnis quibus inhiaret, importunè reuocari, quando Chriſtiana arma laceſſenti, fortiterq; audẽti nunquam Fortuna defuiſſet. Pari nanque odio in noſtros, & Perſas inſenſus, vtrobiq; religionis cauſas expendebat. nam ſicuti Chriſtianos continentibus armis perſequi maximè pium rebatur, ita ſi Hyſmaelis progeniem, quę nouæ ſectę, peruerſæq; opinionis circa ſacras leges authoritatem tueretur, excindere atq; delere honeſtiſſimũ iudicabat. Eum itaq; pari ſtudio diuerſiſſima bella meditantem Habraymus, qui incomporabili adeoque ſumma pollebat gratia inter purpuratos principes, frequentibus alloquijs impellebat, vt in Orientem arma conuerteret. Sed quoniam præpotentis, & iniuſto immenſæ gratiæ ſub pondere perituri hominis fœdũ exitum poſteris tradere iuuat, Habraymi

condiciones & mores paucioribus quà potero verbis attingam. Is ignobili pago ſupra Pargam vicum Buthrociæ regionis in Epiro natus, more Turcarum præſidum Chriſtiani nominis puerorum delectus habentium adductus, Scanderbaſſæ à prima pueritia ſeruiuit. Hic ille eſt qui truculenta irruptione ſuperatis Natiſone, Liquentia, Soncioque, & Tiliauento altiſſimis fluminibus, per Euganeos fines in conſpectum vſque Venetiarum excurrit; tum fortè quum Venetus Senatus indignante Baiazete cum Gallis ad excidium Sfortiani imperij coniuraſſet. Apud hunc Scanderbaſſam Habraymus Mahometanis initiatus ſacris, ſtupenda celeritate, vti erat arguto ingenio, Arabicè legere, ſcribereq;, & cithara ſcitiſſimè perſonare didicit: et quod ad muliebres illecebras pertinebat, ingenio mirus, facetiſſimoq; ſermone periocundus, ita in gynecæo gratiam famamque promeruit, vt productus ab vxore ad virum Scanderbaſſam, viri militaris naturaque ſeueri animum, in omni munere tenerioris officij peracutus & dicax, ſemperque elegans oblectaret; ideoq; Solymano Selymi imperatoris filio tanquam feſtiuiſſimi moris ſeruus dono mitteretur, viuo adhuc Baiazete auo, atque eo etiam iocundas garruli pueri præcoces delitias admittente, ſic vt cum Solymano ætate ſibi æquali educaretur, & ad herigenium cunctis numeris elegantiæ reſponderet. Per hunc modum vnicè adamatus adoleuit, tantisq; arridentis Fortunæ ſuffragijs vſus, vſq; adeo enituit, vt eum cunctos aulæ gratia præteruectum inter purpuratos legeret, eique defuncti Scanderbaſſæ filiam opulentiſſimæ hæreditatis in matrimonio collocaret, Memphiticaque demum præfectura ornaret atq; ditaret. Exinde Habraymus Hungarico bello totius Europei equitatus magiſter Balerbeci nomen obtinuit, & ſingulari prudentia virtuteque militiæ munia implens, Veſiris inter purpuratos dignitatem, qua nulla maior dari poteſt, adeptus eſt, quum Solymanus honoribus adaucto, ei quoque regij ſcrinij ſigillum tribuiſſet, & nō modò conſilij arcani particeps eſſet, ſed voluptatum horarumq; omniū comes aulam circumageret, & toto ſummæ authoritatis honore potiretur, ac in immenſum creſcentis potentiæ nomine à cunctis aulæ ordinibus vſque adeo eminentur coleretur, vt nemo iam eſſet qui ei parendum eſſe non duceret, poſt quam eum tanquam conſortem imperij vel graui cum inuidia domi & foris ampliſſimi quique ſuſpicerent. Hac itaque præclara gratia dignitateque validus, quam ei peregregiæ virtutis animi, & cunctarum aulæ artium officia paratis ſemper in omnes obſequijs adſtruxerant, Solymanum ſecretis alloquijs hortabatur, vt poſtquam Pannonia eſſet potitus victoriæ ſuæ modum imponeret, quando Germani & gentes, quæ omnibus ſæculis armorum gloria floruiſſent, minimè laceſſendæ viderentur. Germanos ſiquidē amplitudine opum & virium, bellicęq; virtutis fama prępotentes, ſicuti lingua & moribus ab Hungaris differunt, ita perpetuis etiam odijs diſiungi, vt non magnopere curent de poſſeſſione Pannoniæ, ſatisq; pro dignitate ſui nominis eſſe ſtatuant, ſi Noricus ager, qui ipſorum gentis eſt, communibus Germaniæ armis defendatur. Carolum verò Cæſarem cuius longè maxima ſit apud Europęos omnes authoritas, minimè ſibi armis laceſſendum videri; quum è ſuis regnis pugnaciſſimarum gentium copias conſcribere atque educere queat: quandoquidem ad edictum Romani Pontificis honeſtiſſimo nomine, ſi ſacrum (vt aiunt) bellum ſuſcipiatur, immenſa propè pecunia à pijs hominibus vltrò contributa parari ſoleat. Quę robora autē peditū atq; equitū pro ſalute publica, vel tantū ab ipſis

duobus germanis fratribus cogi, produciq; in aciem poſſint, tum manifeſtè deprehendi potuiſſe, quum Viennam à nobis ſummis conatibus oppugnatã fortiſſimè defenderint: neq; poſtea Carolus ipſe, nuper ampliſſimis atq; lectiſſimis auctus copijs, vti apparuit & Chriſtiani omnes impensè iactant, vniuerſi certaminis aleã reformidarit. Sed quanquam illũ præclarè inuitatum, ſi ſe ad pugnæ caſum obtuliſſet, à te tanto imperatore, tantiſq; inſtructo copijs, quod eſt etiã tuę nõ dubiæ fœlicitatis ſuperari potuiſſe exiſtimẽ, non diffitebor tamẽ de his gentibus ſuo more vndiq; ferro permunitis victoriã niſi multo noſtrorũ ſanguine parari poſſe. Hęc vti reor, nõ ineptè te admonere poſſunt, vt Chriſtianos inteſtinis mutuiſq; bellis implicitos confici ſinas: nã attritis vſquequaque eorum viribus, paulo poſt nullo noſtro periculo certam in prædã nobis cedent, ſic vt Parthicum bellum Germanico anteferendum omnino iudicem, ob idq; præſertim quòd ſatis ſuperq; ad occidentem imperij fines protuleris, quos vſq; adeo id remotas regiones extendiſti, vt iam graue ſit tueri parta, atq; tutelæ tędio, & nobili quodam contemptu, quæ eſt generoſi animi tui immenſa liberalitas, alienigenis & ſemihoſtibus donanda cenſueris. Quanto itaque magnificentius fuerit, ſi ſummum gloriæ decus affectes, tuis coniuncta finibus, ideoq; facile imperio tuo adijcienda, iuſtis armis petiuiſſe, ſcilicet vt impię abominatæq; ſtirpis Hyſmaelitas, auito paternoq; exemplo perſequendos armis, atq; Aſia exturbandos cenſeas. Erit enim Ottomannico nomini maximè decorum, ſi religionis cauſam, vti ſoles, egregia pietate reſpicias, & ad famam quoque incomparabile facinus, ſi deteſtandæ ſuperſtitionis authores ex Aſia te vindice conuellantur. Sed quænam vlla inferendi belli cauſa iuſtior atq; nobilior videri poteſt, quàm ea qua te prophetæ Mahometis diuina dogmata aduerſus impios defenſurum profiteare? atque obiter maiorum tuorum perpetuos hoſtes, quod ſupremum Selymi patris votum fuit, vlciſcendos atque delendos decernas? An hos feres qui inſolenter imperitent, & quemque finitimum ſuum hoſtem, ſuamque eſſe prædam exiſtimant, & te quoque tuis contentum finibus occupatum in Europa & Aſia planè quieſcentem, furtiuis irruptionibus prædabundi prouocare atq; irritare audeant? Nimirum qui Vſſumcaſſanis proaui immani latrocino, legitimorum nobiliſſimorumq; antiqui ſanguinis regum in ſedem irrepſerint, & rapto etiam nunc viuant. Crede mihi imperator, ſi hanc totius Aſiæ labem peſtemque, tua inſigni pietate virtutèque tollendam eſſe conſtitutas, erigetur tibi proculdubio media in Perſide tropheum incomparabilis dignitatis & amplitudinis, quod Selymi gloriam et triumphum vel æquet, vel ſuperet. Mea namque ſententia aliquanto nobilius erit atque celebrius. Non enim tantundem eſt Mamuluchos conditione ſeruos, & Sultanos agreſtis ſuperbiæ Syriæ atque Aegypti regnatores iuſtis armis deleuiſſe, quàm ſubegiſſe Perſas fama rerum priſcis ſæculis bello geſtarum gloria inclytos, qui Alexandro Macedoni toties victi atque perdomiti Magni cognomentum attulerint. His frequentibus alloquijs in otio pariter atquę negotio excitatus Solymanus, vehementer impellebatur, vt ab Europa in Aſiam vertenda arma decerneret, ob idque Habraymus in arcano voti compos magnopere lætaretur. Is namq; iuſti & æqui natura tenax, quum vel Arabicis imbutus literis nunquam ex intimis animi ſenſibus à Chriſtana profeſſione diſceſſiſſet, tactus non dubia religione deo Chriſto vota faciebat, ipſam Mahometis diſciplinam vſque ad affectationem palam oſtentans, ſcilicet vt impotens

tyrann

tyrannus tantis ſubnixus opibus, à Chriſtianorum principum odio commutata voluntate in Perſas verteretur. Quod præclarè agnoſci poterat ex perpetuo atque mirifico in mercatores Chriſtianos patrocinio fauoreque, quo multa lucra atque emolumenta ex vectigalibus, vel inuitis & indignantibus Turcis parabantur. Propterea compoſitè egerat cum Solymano, vt conceſsis decem annorum inducijs Chriſtani nominis principes omni ſuſpicione Turcici belli, ſi Corone eſſet reddita, liberaret. Id maximè cupiebat Clemens, atque in eam rem ſedulò ſatagebat: vt pote qui poſtquam pacem in Italia peperiſſet, ſibi etiam ad laudem longè honeſtiſsimum fore exiſtimaret, ſi veræ diuturnæque tranquillitatis otium cunctis Europæ gentibus, ipſiq; in primis Italię largiretur. His autem impetrandis inducijs ſtudium ſuum & diligentiam intenderat Aloyſius Grittus, Andreæ Veneti principis filius, ipſi Habraymo ex quotidiana conſuetudine intimus, atque inde ſenſim Solymano mirificè commendatus. Hinc Clemens grauibus promiſsis ac adhortationibus accenderat per Aloyſium Gerardum Florentinum, Byzantij inter mercatores ciues ius dicentem, vt inducias impetrare niteretur. Promittebat autem Pontifex ſe Antonio ipſius Gritti filio, qui beneficio Ioannis Pannoniæ regis, Strigonienſis antiſtes eſſet deſignatus, id opulentum ſacerdotium liberali diplomate collaturum. Sed Cæſar eam de inducijs occaſionem, peculiaris ſpe commodi præteruectus eſt, quum ex authoritate Ferdinandi fratris Coronē redditurus eſſe videretur, vt illinc non ignobilis doni merito Panoniæ atq; Auſtriæ pacem pararet. Res ita cecidit vt priusquam hæc Byzantij à Ferdinando offerri & tranſigi poſſent, Hiſpani præſidiarij, ducis Macicai clade exterriti, Corone excedere cogerentur. Quo caſu nihil incommodius accidere potuiſſe Clemens diſſerebat, ita vt quæ poſtea inſequutæ ſunt à barbaris terra mariq; clades, obuenturas eſſe mihi hæc ſcribenti prænunciaret. Obtulerat prius Cæſar Coronem Chriſtianis principibus, ſed neq; Pontifex, neq; Venetus ſenatus, neq; Melitæ inſulę magiſter, qui eam in inſulam Cruciferos equites Rhodo pulſos tranſtuliſſet, neque ipſe Franciſcus rex præſidio tuendam, ſumptu periculoque deterriti, ſuſcipere voluerat. Cæterum Habraymus Mulearabem Damaſcenum ſacrarum literarum, abditiſsimarumq; artium, & magicæ etiam diuinationis opinione Byzantij clarum, in Solymani amicitiā inſinuarat, vt per eum tāquam vatem ſperatę victorię Solymanus magis & magis accenderetur, fruſtra eum contrarijs obteſtationibus dehortante matre, quę bella Orientis infauſta Ottomannis eſſe prædicabat, quandoquidē Perſæ ſuo more refugientes, abſumptas incendijs regiones fruſtra pugnam poſcentibus relinquere, atq; hoſtem acie congredi paratum intentiſsima fuga eludere conſueſſent, vt Turcæ qui manu ſuperari nequeant, difficultate rerum omnium, atq; inedia, ſicuti Selymo patri vel acie victori penè acciderit, conficiantur. Maternis quoq; conſilijs Roxolana vxor teneriores preces addiderat. Ambæ ſiquidem multis nominibus Habraymi potentiam peroſæ, vel ob id quòd imperatorem longius abducendo, ab ipſarum complexibus diuellere contenderet, eum ſæpius Pſeudoturcam, & ex animo Chriſtianum per contumeliam appellebant. Sed hæc muliebria impedimenta facilè reijciebat Solymanus; non obſcura cupiditate maximi triumphi incenſus, & prę inſita magnis regibus vanitate in appetenda gloria vaticinatione Mulearabis facilè inflatus, qua in re perſuadenda mirus & efficax magiſter extiterat Vlamanes Perſa, qui à Tammaſo ad dicen

dam cauſam citatus, quod eius milites apud Tauriſium auarè ſeditioſeque egiſſent, metu pœnę ad Solymanum paucis ante annis transfugiſſet. Hunc enim uirtute bellica illuſtrem, atq; inimicorum æmulatione et inuidia circumuentum, Habraymus fouendum, attollendumq; ſuſceperat, ſicut Vlamanes Perſico bello ſe fortem fidelemque operam præſtiturum profiteretur. Itaq; Solymanus bona ſpe perpetuæ fœlicitatis confirmato animo Habraymi conſilia complectitur, vtrumq; militiæ magiſtrum admonet, vt Sangiachos excitis atque inſtructis omnibus ipſorum copijs ad ſigna vocent, Europæiq; omnes in Aſiam traijciant, & ad Niceam inter ſe coniungantur. Luſtibeyum autem cum parte copiarum in Peloponneſo Coronem obſidere iubet, & ab ſe Aloyſium Grittum in Pannoniam dimittit, vt ibi in procuratione regni Ioanni regi adſiſtat, detq; operam vt rex in officio permaneat, Hungariq; proceres in fide contineantur, & quantum fieri poſſit in Germanię finibus pacem tueatur. Ipſe ex ſuæ ſuperſtitionis conſuetudine votis pro victoria nuncupatis, in templo ritè ſe ipſum luſtrat, & Vlamane Perſa itineris duce vſus in Lycaoniam ad Iconium, quod hodie nomen retinet, progreditur. Non enim eo quo ierat Selymus pater, in Perſas eundum cenſebat, quum ille ſiniſtrorſum per Ancyram, Sebaſtam, & Amaſiam, per Trapezuntios fines, ſuperato ad Arſengam Euphrate in Armeniam penetrarit; quoniam id iter multo longius & aſperius putabatur, quàm id quod ab Iconio per Cæſaream ad Malathiam, vbi Euphratis per Antitauri valles erumpentis celebris eſt traiectus, quam vrbem antiquitus Amalthã fuiſſe, vt ex dimenſione Ptolemæi conſtat, conijcimus. Hinc Meſopotamiæ Perſarum ditionis fines ſeſe aperiunt, quos Solymanus ſine maleficio præteruectus, pabulo, & venale commeatu, qui paſſim ab infirmis incolis præbebatur, contentus, quartis & quinquageſimis caſtris, ex quo è Nicea Bythiniæ diſceſſerat Coim peruenit (quod oppidum in Armenia maiore in ruinis Artaxatæ clariſſimæ quondam vrbis conditum fuiſſe alibi diximus) tanta Turcarum admiratione, quod nulla paulo validior Perſarum manus occurriſſet, vt Solymanus veritus inſidias ſubſiſtere, caſtraque munire cogeretur, quum nondum fidelibus nuncijs vbinam Tammas eſſet, & quid pararet, pro certo didiciſſet. Sed Vlamane cum Alcanzarum equitatu præeunte, & ex notitia locorum diligentius conſilia hoſtium explorante, reperiebat eam eſſe Tammaſi mentem, vt nullo in loco diu conſiſtere, verum vrbes deſerere, & ſeſe in montes ſubducere cogitaret, nulloq; modo iuſta acie confligendum arbitraretur, ratus expectanda Hiberorum & Albanorum auxilia, qui læuis armaturæ operam præſtare, & cataphractos Perſas antecedere conſueſſent, vt ex occaſione Turcas tanti itineris curſu fatigatos, & commeatibus indigentes, ac vti accidit, ſub alieno cœlo aduerſa valetudine tentatos adoriretur. His rebus exploratis Solymanus caſtra mouit, rectà profectus in eam regionem in qua Tammas copias cogere ferebatur, & quum eum deſerta vrbe regia Tauriſio vlteriorem montibus ſuppoſitam regionem petiuiſſe perſpiceret, ita Tauriſium nudatũ mœnibus intrauit, vt continuò oſtentatis tantum copijs, nihilque vexatis incolis egrederetur, & ad vrbem Sultaniam non multum inde diſtantem contenderet. Diximus alibi Sultaniam Perſarum olim regiam, quæ adhuc vetuſtæ ſuæ dignitatis templorum ornamenta retinet, à Tamerlane Scytharum duce clariſſimo fuiſſe deuaſtatam. quum ad eam vrbem per multos dies regionis vbertate fretus, Solymanus ſtatiua haberet caſtra, expecta-

bundus

bundus ut Tammas à montibus deſcenderet, atque in aciem prodiret, ut direptæ provinciæ iniurias vindicaret, & nominis ſui famam nihil reformidato hoſte tueretur. Eam regionem, quam Solymanus non procul ab urbe Sultania ampliſsimis occupabat caſtris, altiſsimi præcingunt montes, quorum iuga perpetuis obſeſſa nivibus è longinquo etiam ſpectantur. Hi montes antiquitus fuêre Nyphates, Caſpius, Coathras & Zagrus, orti proculdubio ab ipſo patre montium Caucaſo, coniuncti inter ſe longa & diverſa ſerie latiſsimas dirimunt provincias, & ad ortum Solis per Zagataios ita diffunduntur perpetua quadam cathena protracti, ut ad Indicum uſq; Oceanum, Malibarræq; regionis prominentem plagam ſe extendant. Hęc in Cumerum extremum Indiæ promontorium, non ſecus ac Italiam Apœninus diſſecat, contra Zeilam inſulam, florentiſsimum Indicis divitijs emporium deſinit. Cùm in ea loca campis utiq; ad edendam nobilem pugnam aptiſsimis, Tammas deſcenſurus putaretur (is namq; in Coraxenos penitùs abſceſſerat) turbidior & ſævior tempeſtas, quàm unquam anteà per id anni tempus Perſæ meminiſſent, ex illis montibus deſcendit, uſq; adeo inuſitata, quòd eſſet paulò antè æquinoctium æſtivum, ut pleniſsimis imbribus, atque his concreta ex nivibus glacie repentina hyems invecta videretur. Nam certantium inter ſe ventorum ea fuit rabies, ut tranſverſis flatibus nivoſa montium culmina verrerentur, præaltaque nix ſubiectis campis incideret: qua horribili procella Turcarum caſtra everſis tabernaculis ſternerentur, iumentaq; & ante alia magnus camelorum numerus interiret, & ingens lixarum, & ægrorum militũ multitudo oppreſſa protinus extinguerĕtur: non parvo etiam ipſius imperatoris periculo, quum circa eum pleraq; tentoria, eadẽ procella diſijciente cõcidiſſent. Cuius mali remedia intempeſtæ noctis tenebræ, & extincti paſsim ignes, ita præpediebãt, ut Turcæ eo averſiſsimo omine magnopere terrerentur, donec orta luce Sol utique preclarus ſalutaribus radijs multos properigẽtes & attonitos refovit, & quod ad reliquam vitæ ſecuritatem opportunè pertinebat, campos hoſte vacuos detexit. Nam ſupra totum uſque adeo tantæ procellæ detrimentum improviſi hoſtis adventus & incurſus maximè timebatur: nec deerant qui affirmarent, eum intempeſtivæ vehementiſsimæque procellæ turbinem à Perſarum hoſtium magis diro carmine, & notis genti cantaminibus cœlo evocatũ ad Turcarum exitium. Quo gravi incommodo, & quod maximè efficax videri poterat, non levi oſtento permotus Solymanus, recreato tantiſper exercitu, & collectis vaſis caſtra ſiniſtrorſum movit, capto itinere in Aſſyriam, multis de cauſis id ſvadente Vlamane, qui Solymano non dubiam ſpem occupandæ Babyloniæ iniecerat. Eam urbem cum totius provinciæ præfecturæ tribuerat Tammas poſt Becrami fratris mortem, Mahometi ſatrapæ, cui Cani cognomen fuit. Hunc Vlamanes vetuſtæ amicitiæ nomine ſæpius anteà ſolicitarat, magnis oblatis muneribus, ut ad Solymanum deficeret. Id enim ſi faceret, ipſum pro annui, & circumſcripti honoris præfectura perpetui atque opulentidominatus ſatrapiam eſſe conſequuturum à Solymano, qui neq; rationem à pręfectis exigere, neque eos vel mediocriter ditatos expilare conſueſſet, contraria ratione ac Perſarum reges, qui nobiliſsimis provincialibus perpetua non obſcuræ ſeveritatis officia tenuiſsimo ſtipendij munere obiecto imponere eſſent ſoliti. Sed Mahometes his Vlamanis muneribus atque promiſsis incorruptus, nunquam adduci potuit, ut fidem falleret: ſicut Vlamanes homi-

nem obſtinatum admotis armis terrendum, & ad defectionem cogendum arbitraretur: quoniam eum nequaquam firmis militum præſidijs munitum eſſe didicerat: propterea quòd paulo antè ad primos rumores traijcientis in Aſiam Solymani magnam partem ſui equitatus, & defloratis quidem omnibus reliquis alis, ad regem id poſtulantem miſiſſet: neq; eum egregia Babyloniorum voluntate uti conſtaret, propterea quòd nonnullos cives, quorum nomina non omnino certis criminum indicijs delata fuerant, ſeverius in quæſtionibus diſtortos, præcipitique demum iudicio damnatos, ut bona in fiſcum redigeret, ultimis affeciſſet ſupplicijs. Ob eas res Vlamanes maiore animi fiducia Solymano confirmabat, ſi recta Babyloniam ire pergeret, inexpectato improviſoq; adventu Mahometem facilè oppreſſurum, ceſſuramq; ſibi Babyloniam nullo obſiſtente externo milite, & a Babylonijs alienatis iam pridem animis nullum moræ ſpatium facturis, quin venientem adapertis portis exciperent. Non defuit Fortuna Vlamani, ſingula ut accidit probè divinanti: nam quum magnis antecedens itineribus per compendia viarum raptato Alcanzarum equitatu, nihil eum morantibus fluvijs, ubi non procul à Babylone abeſſe renunciaretur, Mahometes qui nunquam ad ſe venturos Turcas putarat, rebus omnibus imparatus atque deprehenſus animum deſpondit, & ſe per Meſopotamiam ad Bethlim deſerta urbe regia profugit, tanto Fortunæ arridentis ſucceſſu, ut Solymanus non multo poſt a Babylonijs avidiſsimè propter odium in Mahometem ſuſciperetur. Ea in urbe clariſsima Caliphæ ſacrorũ principis ſedes eſt, qui à cunctis Mahometani nominis regibus excolitur, veteremque obtinet prærogativam adoptandi, & ex certa coemptionis cerimonia confirmandi Aſſyriæ regis: ſicuti Sultanos etiam Memphiticos recenti adhuc memoria à Saracone Comanorum duce repetita, qui Ægyptijs ante trecentos annos principatum eripuit, ut ibi Mamalucorũ ſervorum imperium conderet. Ab hoc Calipha Solymanus veteris ſuperſtitionis inſtituta ſequutus inſignia atq; ornamenta ſuſcepit: multaq; largitione propitiatis ſibi Babyloniorũ primoribus, & populis item liberali congiario delinitis, ea in urbe antiquiſſima propter Semiramis, penſiliumq; eius hortorũ memoriam hyemare conſtituit. Ampliſsima namq; eſt omnium urbium cogniti orbis, ſi priſcæ ſtructuræ mœnium ambitus rectis dimenſionibus æſtimetur: nam urbis Romæ magnitudinem exuperat. Sed in tanta vaſtitate videre eſt præter cultiſsima rura, & innumerabiles hortos ædificijs coniunctos: atq; item peramœna viridaria pomiferis, et odoratis cõſita arboribus, viſuntur etiam latiſsima arva, quæ ad ſegetem aratris proſcinduntur, nec in ea ſylvæ nemoraq; deſunt, captivis & incluſis feris dicata, ut ad voluptatem præfectorũ atq; primatum iocunda atq; expedita venatio ſuppeditetur. Mediam urbẽ interfluit Euphrates, lapideo ſumptuoſi operis ponte iunctus. Is à confluente Tigri amne ita ſuis atq; alienis creſcit undis, ut maioribus etiam navigijs uſq; ad Oceanum Perſicum tutiſsimè pernavigetur: nam apud Balzaram emporium, quod eſt in inſula Teredonis nomine antiquitus vocata, quam bicornis amnis efficit, mercimonia et cõmeatus omnis generis excipiuntur, quotidianaq; navigatione ad Ormuciũ freti Perſici urbem & inſulam devehuntur. Vtramq; autem ripam profluentis, frugiferis arboribus atq; vinetis eſſe conſitã conſtat, caſtigato nõ ſecus alveo, ac Rheni per Germaniam deſcendentis miro paſsim cultiſsimorũ litorum ornatu conſpicimus. Babylonij in univerſum quanquã Syris & Arabibus ſanguine per-

mixti eundem ferè colorem, ſtaturæque habitum, & civilium morum conſuetudinem, ac noſtri homines præferunt, quod eodem quo nos fruantur cœlo, & ſeſe excolant literis, & à reliquis barbaris captu ingenij, atque humanitate plurimum diſtent, mercaturam ſolertiſsimè exercent, varijs præſertim ſericæ telæ textrinis. Verùm nobilitas equeſtris militię ſtudio tenetur, ſagittisq; maximè gaudet. Ac fuit aliquando tempus, quo è Babylonia accepta ab Indis aromata Aſiæ mercatoribus divenderentur, quæ ætate noſtra per Arabicum ſinum Alexandriam devehi videmus: quanquam multò maxima pars Luſitanis claſsibus ab India per incognitum paulò anteà Oceanum Æthiopici litoris in occidentem deferatur. Cæterùm quæ ab antiquis ſcriptoribus de Babylonijs penſilibus hortis, regiaq; admirabilis ſtructurę, craſsitudineq; mœnium referuntur, nequaquã ſunt extra fidem: nam horum ingentium operum præclara monumenta adhuc extant. Exurgit ſiquidem prætorium regalis amplitudinis inſtar arcis editiore urbis parte, quæ orientis Solis radios excipit, & præterfluentem deſpectat Euphratem: mœnia quoq; partim lapide, coctiliq; laterculo conſtructa, vel laceſſente atque abſumente vetuſtate, priſcæ opulentiſsimorum regum magnificẽtiæ teſtimonia relinquunt. Tanta verò propenſione Meſopotamiæ, Aſſyriæq; urbes Solymano deditionem faciebant, ut ad eum qui ſine vulnere tanta potitus eſſet victoria uſq; à Balſera emporio, quod eſt ad oſtium Euphratis in Perſicum ſinum erumpentis, legationes venirent, & Meſopotamiæ ad unam ferè inſignes urbes Caramida, Meredinum, Orfa & Aſanceva, Turcarum præſidia acciperent, & per totius Babyloniæ provinciæ oppida Turcæ milites in hybernis conſtituerentur. Nam præter copias ex Europa atque Aſia minore in eius belli expeditionem perductas, etiam tetrarchæ cum Memphitico Baſſa, qui ſunt eius Sanzachi Alexandrię, Iudæę, utriuſque Syriæ & Comagenæ ad Imperatorem pervenerãt. Per totam autem hyemem magnæ celebritatis ſpectacula edita ſunt, acciditq; ut hiſdem ferè inchoati iam anni Saturnalitijs feſtis, diverſo ritu Carolus Cæſar ex Africa victor, Neapoli equeſtres ludos ederet, & à Solymano Aſſyriæ & Meſopotamiæ regnis potito, apud Babyloniam feſtæ hylaritatis, diverſique apparatus ſpectacula celebrarentur. Cæterùm Solymanus recreatis per hyemem copijs nunquam inſtaurandi atque exornandi exercitus, Perſicique belli curam remiſerat, utpote qui Tammaſum redintegrato impetu invadendum decerneret, Habraymo atque Vlamane identidem, ut Fortuna uteretur ſuadentibus, adauctus quippe Ægyptiacis & Syriacis copijs in ſpem veniebat, Tammaſum ex Hyrcaniæ montibus ad pugnam conſerendam in patentes campos poſſe elici: & ſi id metu occupatus abnueret, ad graviſsimam Perſici nominis contumeliam veluti exprobata ignavia, Tauriſium regiam ipſius urbem in oculis occupari atque vaſtari. Igitur adulto iam Vere è Babylonia profectus, ductante Vlamane per idoneas regiones ad Tauriſium iter intendit. At Tammas qui Solymano apud Babyloniam hyemante Tauriſium redierat, ut qui hoſtem reverſurum minimè crediſſet, cognito eius adventu, uti imparatus, & vetere ſuo innixus conſilio, ne uſquam acie confligeret, in Coraxenos iterum ſe recipere inſtituit, certas tantùm ſuorum manus paſsim relinquens, quæ ſeſe perſequentibus hoſtibus oſtenderent, & montium valliumq; notas anguſtias tuerentur, obſervarentq; eorum itinera: nec niſi ex inſidijs et carptim inſequẽtium hoſtium agmina abruptis & iniquis locis laceſſerent. Eo modo recedentem, et

aliquot dierum itinere provectum Vlamanes fruſtra perſequutus, & per captivos incolas exploratis Tammaſi cõſilijs, ita iuſſus erat, ad Solymanũ rediit, ſuaſitq; ei, ut Tauriſium deflecteret, & cõfeſsione hoſtis retro per aſperos montes fuga elabentis ſeſe victorem oſtenderet, ex uſuq; victoriæ eius regia potiretur. Itaq; Solymanus indignante animo, eoq; ad quandam ſuperbi contemptus iracundiam concitato, quod nuſquã Perſæ, uti maxime cupiebat, ad iuſti prælij occaſionem ſe offerrent, Tammaſumque ipſum in aſperas maximeque ſteriles, & frequentibus rupibus impeditas regiones abſcedentem conſequi poſſe deſperaret, ſecus ac ſuperiore anno fecerat: Tarviſium, quod nullo percinctum eſſet muro, hoſtili irruptione invectus eſt, miſeros incolas magnis affecit detrimẽtis, quanquam inermes eſſent: ideoq; victoris imperium ſe paratos ſubire demiſſe profiterentur: nam milites cõtineri non poterant, tametſi à cædibus temperarent, quin ſingulas domos invaderẽt, et ubi lubebat cunctam libidinis atq; rapinæ licentiam exercerẽt. Ante omnia autem Solymanus Vſſumcaſſanis atq; Hyſmaelis ornamenta ex regia, quam anteà Selymus properanter deformarat, tolli iuſsit: ſic ut nec picturis quidẽ, & auratis laquearibus parceretur, & integras quaſdam familias telæ ſericæ opificijs celebres abducendas iuberet, magnumq; ſervorum numerũ, & delectæ iuventutis ætatis & formæ, omnisq; ſexus diſceſſurus cõprehendi & abduci ſineret. Neq; enim ſe tutò in ampliſsima urbe occupatis, & diſperſis ad prædam atq; libidinem omnibus ferè copijs diu cõſiſtere poſſe iudicabat, quod Tammaſum Hiberorum & Albanorum auxilia acceſſiviſſe, cataphractorumq; validiſsimas turmas è Parthis Medisq; & Armenijs coegiſſe nunciaretur. Quamobrem Solymanus hac illuſtri occupatæ atq; direptæ Perſarum regiæ ad nominis famam laude contentus, circa æquinoctiũ motis caſtris in Meſopotamiam eſt reverſus, vixq; Coim & Calderanos campos paterna victoria claros prætererat, quum inexpectata Perſarum agmina abeuntes hoſtes in tergo laceſſere, impedimenta diripere, fatigatos & ægros trucidare nunciatum eſt. Crebri quoque rumores totis caſtris permanarant, ipſum Tammaſum auxiliaribus confirmatum copijs brevi affore, qui hiſdem veſtigijs Armeniæ provincia decedentes hoſtes perſequeretur. Quod à Turcis ideo facilè credi poterat, quod iam ex opportunis vallibus frequentes Hiberorũ alæ prædandi atq; inſidiandi cauſa ab incertis locorum & temporum intervallis ſeſe oſtentarent, notisq; evadentes ſaltibus tanquã confiſi impeditis regionibus audacter pugnaturi viderẽtur. Qua hoſtium audacia permotus Solymanus, eo ordine profectioni intentus ſingula agmina expeditis præſidijs confirmanda ſtatuebat, ut è duobus Ægypti, Syriæque præfectis, quos Baſſas honoris cauſa vocabant: alterũ in noviſsimo agmine conſtitueret: alterum verò ad ipſa medij agminis latera, partitis utrinq; copijs applicaret. Vlumanes porrò uti locorum & hoſtium peritus, ſicuti eorum curſus depoſceret, providendo atque adhortando omnibus in locis verſaretur. Ad hanc præſtandam operam quum amplius quadraginta equitum milia eſſent conſtituta, circiter duo etiam milia ſclopettariorũ ex numero prætorianorum, qui univerſos incedentium agminũ ordines corona quadã circumſeptos tuerentur, erant inſtituta, qui maioris etiam præſidij cauſa currules parvos aliquot falcones convehebant, ut è longinquo in perſultantes & provectos hoſtes diſploderentur. Quibus præſidijs aptè conſtitutis facilè fiebat, ut Perſæ minus audacter erumperent, rarius ſe darent in cõſpectum & remiſsiorem quàm antea im-

teà impetum facerent, utpote qui falconum globulis, & ſclopettorum glandibus magnopere terrerentur, ſæpeque pugnam ciere auſi cum detrimento, equorumque præſertim, repellerentur. Per hunc modum tripertito exercitu rectà ire pergens Solymanus nuſquã conſpecto hoſte, ita iter intendit, ut emenſis camporum ſpatijs cum primo agmine antecederet, & nondum exacto autumno Amidæ conſiſtere, atque ibi reliqua ſuorum agmina operiri ſtatueret. Amidam hodie frequentiſsimam Meſopotamiæ urbem Caramidam incolæ vocant, hoc eſt cognomento Nigram: quòd pingui & ſubatro ſolo ad fertilitatem ſegetis aptiſsimo, arva nigerrima paſsim oſtendat. In ea urbe Chriſtianorum templa viſuntur, & ſacræ turres a Baldovino Hieroſolymitani regis fatre conditæ, qui eam urbem peculiari virtute captam ſuæ ditionis fecerat, quum Gothifredus frater Hieroſolymis imperaret. Interea Tammas iuſtis comparatis copijs è Coraxenorum montibus erumpẽs Tauriſium repetit: ratus hoſtem Turcam urbanis delitijs hærentem repentina irruptione oppreſſum iri. Sed eo elapſo, & inſpectis eius civitatis incommodis, ad iniuriam deformatæ regiæ vehementer indignatus, ſtatuit eum omnino quocunq; iret perſequendum, & ad Coim uſq; progreſſus eſt. Ibi verò mutavit conſilium, quòd multo ſpatio Solymanus anteceſsiſſe nunciaretur, & nobilitas omnibus gravibus protecta armis, niſi certo cum equorum detrimento fugientes perſequi non poſſe confirmaret, & ſe in uſum conferendæ tantùm pugnæ, non ad longinquos curſus, inſtitutos & paratos eſſe dicerent: Tammasq; ipſe, remiſſa utiq; iracundia ad diſciplinæ rationem reverſus idem fateretur. Tum verò pollicente præcipuo atque fortiſsimo ſatraparum Delimenthe, ſe noviſsimum agmen adepturum, ſi ſibi expeditorum & delectorum ab ſe equitum tertia pars tribueretur, præferocem reſumpſit animum. Erat Delimenthes è Caramania oriundus, qui inter pugnaciſsimos tantam virium et animi magnitudinem in prælijs oſtendere erat ſolitus, ut non temerè inſanus ab inuſita temeritate Delis vocaretur, quod nomen hodie apud Turcas ſtrenuiſsimis, & vitæ contemptoribus imponitur. Ab ea pollicitatione Tammas Delimenthem multa cum laude commendatum, oneratumq; ampliſsimis promiſsis bene auſpicato dimiſit: tenuitque ille confeſtim nota indigenis viarum compendia, ea feſtinandi celeritate adhibita, ut hoſtes poſtremi agminis non magno itineris antecedentes ſpatio apud Tauri montis radices (uti evenit) ad Bethlim ſe aſſequuturum confideret. Bethlis oppidum eſt ſatis clarum in finibus Perſici imperij, quibus Meſopotamiam attingit, poſitum in valle non iniocunda, quã exiguus amnis ex Antitauri iugis delapſus alluit, habetq; arcem Perſarum præſidio cuſtoditam. Ad id duo, quos diximus, Turcarum præfecti cum poſtremo agmine ductante Vlamane pervenerant, ratiq; cuncta ſe evaſiſſe pericula, quæ paulo antè à vi crebriſque hoſtium incurſionibus timuiſſent, idoneo in loco conſederant, recreandis iam tandem copijs, poſtquam Solymanum, atq; item ſecundum agmen Amidam perveniſſe fama conſtaret, neq; ideo inſequuturos Perſas ſuſpicarentur. At Delimenthes fidelibus & diligentiſsimis incolarum exploratoribus uſus, quum non plus unius diei itinere ab hoſtibus abeſſet, certior factus, Turcas ad Bethlim feſſos itinere timoreq; omni vacuos nulla propè cura vigiliarum & ſtationum ſeptos conſidere, delegit obſcuriſsimam noctem, multaq; etiam pluvia impeditam, & hoſtes adoriri conſtituit. certiorem facit cuſtodem Bithlinæ arcis de cõſilio quod agitabat, ut & ille ſigno accepto

ab arce deſcendens, diverſum in hoſtium caſtra impetum faceret. Tanta autem fuit atq; adeo felix temeritas Delimenthis, ut ipſo ingruente, conſopiti & nihil tale timentes Turcæ undiq; opprimerentur, ingensq; eorum cædes fieret, & ipſis penè Baſsis ad inſternendos & conſcendendos equos ſpatium eriperetur, nec in tenebris ſummiq; periculi tumultu prætoriani pedites, ſclopettos expedirent, & currulia tormenta caperentur. Perſis autem ſeſe aggregarant montani agreſtes, qui ſuperioribus temporibus Aladolo regi paruerant, eoq; debellato ſumma à victoribus Turcis fortunarum detrimenta acceperant. His caſtrenſis apparatus omnis & ſarcinæ camelorum in prædam ceſſerunt. Delimenthe verò uſq; quaqua concidente Turcas aliquot Sangiachi reſiſtere auſi obtruncati ſunt: nonnulli deditionem fecerunt, & prætoriani iam Baſsis ambobus cum Vlamane è media clade elapſis circiter octingenti, cohortante eos Delimenthe, ut ſe ſub fide dederent, exuti ſclopettis & reliquis armis in poteſtatem conceſſerũt. Ferunt nuſquam Turcis maius incommodum, vel cruentiſsima acie fuiſſe illatum: quandoquidem amiſsis tormentis atque tentorijs, omnibusque ſpoliatis caſtrenſibus vaſis & impedimentis ſuprà dimidiam partem equorũ amiſerint. Incidit ea clades Turcis ad tertium Idus Octobris, qui dies ingenti Perſarum omnium lætitia poſtea celebratus eſt, quum Delimenthes onuſtus ſpolijs & cruentam clavam, qua ea nocte mactandis hoſtibus plurimùm uſus fuerat, elata dextra oſtentãs, ad Tammaſum redijſſet. Ea verò clades tanquam è naufragio evadentibus præfectis Solymano renunciata, uſque adeo eius animum concuſsit, ut omnem renovandi contra Perſas belli cogitationem abijceret, quod id acerbiſsimum vulnus, ſicuti prædixerat mater ipſo Mulearabe certior vates, nequaquam virtute hoſtium, ſed dolis veluti ſuperis eorum inſidijs non obſcurè faventibus, inflictum accepiſſet, atque obiter profundè & diſsimulanter iratus Habraymo Byzantium redeundum eſſe decerneret. Redeunti Solymano ad Iconium obvij fuerunt Hariadenus Barbaruſſa, & Sinas cognomento Iudæus, qui nuper ab Algerio cum reliqua, quæ ſupererat claſſe, Byzantium pervenerant, terreſtreq; iter ſuſceperãt, ut de parta Meſopotamia Aſſyriaq; Imperatori coràm gratularentur, & ut (quod eorum exiſtimationis intereſſet) quo eventu tantam Chriſtiani belli molem, & ipſius Caroli præſentis impetum ſuſtinere conati, ex ſumma rerum iniquitate elapſi fuiſſent, certius enarrarent: facilè demonſtrantes, neque Turcis virtutem, neque ſibi ducibus induſtriam, ſed unam omnino, quæ humanis conſilijs bellicisque præſertim impotenter dominaretur, fortunam defuiſſe. Clementi vultu eos accepit Solymanus, atque ita ad pedes proiectos erexit, ut teſtaretur aliquanto eſſe præclarius ab infracti animi conſtantia, quàm à felici victoriæ ſucceſſu laudem tuliſſe, quòd innatę fortitudinis, invictique animi munus peculiaris virtutis ſpecimen extitiſſet: nec multum referre ſi vel bene conſulta uti multis ſubiecta caſibus fortuna prævertiſſet. Proinde eodem animo quo tuliſſent adverſa eiuſdem fortunæ indignationes expectarent. ipſum enim innixum potentia felicitateq; perpetua ſuarum actionũ maturè daturum operam, ut ſarciendi incommodi, ſpectatæque iam ipſorum virtutis latius extendendæ locus daretur. Applicantem verò confectis itineribus ad Boſphorum, ut Byzantium traijceret, Habraymus qui anteceſſerat, litus ei honoris cauſa triumphali ſerico ſtravit: atque ita bireme peculiariter adornata ſublatus in oppoſitos ſeptæ regiæ hortos ſe intulit. Tum verò multis de cauſis in Habraymum atrox

atrox invidia ſenſim erupit, immodicæ eius potentiæ ſæva comes: ſicut in arcano apud principẽ tota eius gratia convelleretur, ingenti conſpiratione multorum procerum, qui vel æqualem vel inferiorem rebus omnibus unum ante omnes gratia eminentem ferre non poterant. Et fatalis odij ſemina à fœminis, matre ſcilicet atque uxore iacta fuiſſe conſtat, quæ Imperatorem ad nutus Habraymi circumagi flectique pro libidine tam impotentis ſervi indignum eſſe dictitabant: mater quidem quòd filius adverſus auguria Perſici belli periculis obijceretur, cuius provinciæ bella maioribus abominata ſemper fuiſſent, uſque à ſuperioris Baiazetis memoria, in quem à Tamerlane clades diræ calamitatis incidiſſet, & recentibus etiam Vſſumcaſſanis & Hyſmaelis exemplis: quorum prælia nunquam niſi detrimentoſa vel victoribus Ottomannis fuiſſent experti. Roxolana verò quæ coniugem delinimentis quibuſdam, atque adeo etiam philtris uxorium feciſſet, vel ob id Habraymum oderat, quòd Muſtapham privignum, uti ex liberis natu maximum impenſiſsimè coleret, atque ei imperatorios honores adaperto ſtudio intempeſtive deferret. Id enim Roxolana muliebri libidine accenſa, Baiazetem filium nefaria prævaricatione Muſtaphæ anteponere contendebat, ut certus imperij hæres & ſucceſſor, ſi fata Solymano vitam abrumperent, Ottomannicæ domui pararetur. Propterea privignum longè ablegandum in Cappodociam curarat, ne ad invadendam paternam ſedem, ſi pater vita excederet, è proxima Magneſiæ præfectura celeriter adeſſe poſſet. In id conſilium occulta largitione ſolicitabat prætorianorum principes, quos ad id audendum facinus idoneos rebatur, exemplo Selymi, qui poſtremus regiæ prolis favore prætorianorum maioribus natu fratribus regnum præripuiſſet. Verùm ambitioſæ mulieris perverſæ artes una Habraymi diligentia atque authoritate turbabantur. Is nanque quod rectum eſſet, naturæque muneris atque inveteratæ conſuetudinis, Solymano erga filios æquiſsimo patri probari intelligebat, tametſi uxoris molliores preces nonnunquam illum inflecterent, ut eadem quæ ipſa cuperet. quanquam abſurdi iuris quam quicquam aliud æquius & iuſtius malle videretur. Cæterum totam Habraymi exiſtimationem non obſcura fama magnopere prægravabat, odioſa Turcis, quòd Chriſtianos adaperto ſtudio complecti fovereq; diceretur. nonnulla ſiquidem extabãt indicia corrupti eius animi, quòd Venetis largitionibus parata in eos, & Auſtrianos fratres arma ad orientem converteret, gratificareturque ea in re Carolo Cæſari, cui dudum Venetus ſenatus icto novo fœdere ſeſe coniunxiſſet, ſcilicet ut maritimis opibus potentia Cæſaris augeretur ſingulari damno atque periculo Ottomannici nominis. Habraymus quoque per eos dies Marcum Nicolai Venetum ignobilem mercatorem, qui ab Italia mutatis ad celeritatem iumentis ad eum Babyloniæ agentem cum ſecretis mandatis ac literis percurriſſet, redijſſetq; enatis nõ temere paulò poſt his de ipſius perfidia ſuſpicionibus, Byzantij pro ſpeculatore comprehendi, noctuque iugulari, et in mare projici iuſſerat, ſcilicet ut detegendo crimini certius indicium tolleretur, nec inde totius inſtitutæ atque obitæ legationis cauſa iudicio noſceretur. Paulò antè ſiquidem Turcæ ſolitos ſuſpicaciores facti, Andream Quirinum patritium Venetum apud Alepum in Comagene clarum mercatorem teterrimo ſupplicio affecerant, quòd Caroli Cæſaris legatum, nomine Robertum, natione Britannum, in Perſidem ad Tammaſum penetrantem iumentis, ducibus, atq; pecunia iuviſſet. Deſtinabatur enim Cæſar

Solymano poſt Tamaſum debellatum uſque adeo procul præcipuus hoſtis, qui cum Perſis amicitiam & fœdus agitaret, ut per eum Tammas maiore tormentorum apparatu iuvaretur, ſuppeditātibus è finitima India Luſitanis, qui ſe propter odium Turcici nominis, Perſarum amicos & ſocios, quum expediret, fore profitebantur. His tantis circumventus inſidijs Habraymus, & conceptæ perfidiæ reus factus, menſe Martio circiter Idus, ſuperiore conſuetudine quum admitteretur in regiam, nuſquam poſtea comparuit. Ferunt eum ſeveriſsimè obiurgatum fuiſſe à Solymano, quòd ſummis honoribus auctus, et dignitate ſibi ferè æquatus, ingratiſsimo animo ſummæ amplitudinis beneficia nefario ſcelere corrupiſſet, & meritam vitæ exitus pœnam deprehenſus inveniret: neque Solymanum ullis iacentis ad pedes lachrymis ad miſericordiam flecti potuiſſe, quum interceptas quaſdam eius literas immiti vultu oſtēderet, & an ſignum agnoſceret ferocibus verbis identidem interrogaret. Eadem autem quæ ſequuta eſt nocte, in cubiculo per eunuchum carnificis munus obire ſolitum, in pulvino dormitans, cultro adunco, quod de manu Imperator tradiderat, iugulatus eſt. Ferunt Habraymum, quum ſumma Solymani gratia potiretur, familiari ſermone aliquando poſtulaſſe, ne ſe tantis honoribus onerare contenderet, ne demum amplitudine odioſa ſupra æquum florentem, è gradu tanquam è faſtigio ſummæ fortunæ præcipitem dare atq; occidere neceſſe haberet: fidem verò in ea verba ita principem dediſſe, ut nunquam ei vivo vitam erepturum polliceretur, ſic ut ea inanis iuramenti religione obſtrictum, ne datam falleret fidem, non aliter quàm altè ſtertenti necem intuliſſe: quoniam Taliſmanes ſacerdos divini interpres iuris, dormientem nequaquā cenſeri inter vivos, quum una vigilia totius vitæ actus conſtaret, aſſeveraſſet. Occiſum an ſpectarit, dirisq; perſequutū execrationibus cadaver multo pondere appenſo mari mergi iuſſerit, ut nonnulli diſertè commemorant, nihil ad hiſtoriam pertinet. Oborto certè Sole, quæſtores ſuppellectilem atque pecuniam eius omnem in fiſcum retuliſſe conſtat, ita conturbatè, raptim & diligenter, ut nihil ferè præter dotem miſerrimæ uxori relinquerent, & evulgata Habraymi nece, extemplò tanquam iure damnati nomen populus probroſis carminibus, & vocibus laceravit, factoq; impetu ſtatuas, quas ille ex Hungarica victoria trophæi inſtar ante domum ſuam in hippodromo collocarat, coniectis lapidibus ita deformavit, ut etiam veluti priſcarum gentium, & numinū inania ſimulachra turpiſsimo cœno defœdaret. Hunc vitæ potentiæq; ſuæ exitum tulit Habraymus, quo nemo eorum unquā anteà, qui maximorum regum gratia potentes evaſerint, ad exemplum illudentis fortunæ ante obitum fortunatior atq; felicior fuit. In eius locum Veſir cooptatus eſt Aiax, & Barbaruſſa propter rei navalis peritiam Amiras declaratus, purpuratorumq; collegio additus: Foreſtius autem Galliæ regis legatus, qui paulo anteà Habraymi opera fuerat dimiſſus, ne diſcederet admonitus eſt Imperatoris iuſſu, quòd poſtquam Habraymus notæ perfidiæ reus pœnas dediſſet, ad veterem diuq; antea inſtitutam Europæi belli cogitationem, uti evenit, opportunè reverteretur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXIIII.

ANNVS longè omnium ætatis noſtræ ſecura domi pace, mira cœli clementia, lætaq; paſsim agrorum ubertate, & Punica victoria inſignis, Pauli tertij Pontificatus initia nobilitavit. Nam Leone decimo ad iniuriam humani generis immatura morte ſurrepto, qui luctuoſa demũ Hadriani, Clementisq; tempora evaſerant, ſe tum primùm natos credere, ſalutem fortunasq; ſuas in tuto poſitas arbitrari, exiſtimareq; expiatis tot cladibus invectam eſſe aurei ſeculi felicitatem. Ipſe Paulus in adminiſtranda republica illuſtri quodam in ſpeciem diverſarum virtutum temperamento, ita Pontificis ſimul & principis nomen tuebatur, ut in omni conſilio ſingularis pietas emineret, nec tamen obſcura eſſet amplificandæ ſuorum potentiæ voluntas. Nam ante omnia, quod in rem magnopere expediebat, ſe neq; harum neq; illarum partium, ſed communem omnium parentem futurum profitebatur. Propterea nequaquam adduci potuerat, ut id fœdus renovaret, quod Bononiæ Clemente, Cæſareque authoribus pro tuenda Italiæ pace haud obſcurè ad arcendos Gallos percuſſum fuerat, quum ab utroque aliquod fortuna ſua dignum munus expectaret. Quin & concilium toties à Germanis veræ pietatis deſertoribus ad terrendos Romanos Põtifices afflagitatũ, à quo graviſsimis de cauſis Clemens diffugiſſe videbatur, ultrò ſe appetere, & ad id locũ, tempusq; decernere paratum eſſe prædicabat, ut uno nobili ſalutariq; decreto ea vetus controverſia finiretur, quæ in immẽſum & placita Chriſtianæ religionis, & ſummorum Pontificum authoritatem inſano quodam errore laceraſſet. Miſsis quoque pro tuenda ſacroſancti nominis dignitate, quia privatæ ſpes tegerentur, in Galliam & Hiſpaniam legatis aſsiduè dabat operam, ut Franciſcus uno conſenſu ad oppugnandos Turcas cum Carolo Cæſare iungeretur. Cœperat enim eſſe formidoloſus tum ipſi Sicilię atq; Sardiniæ, tum etiam Italiæ, Hiſpaniæq; litoribus Hariadenus Barbaruſſa opulentiſsimo Africæ potitus regno, immenſisq; Solymani opibus ac ingenti eius claſſe ſubnixus. Sed quanquam eximia eſſet Pontificis authoritas apud Gallos, nihil tamen quod ad conferenda auxilia pertineret, impetrari potuit. Franciſcus enim, ut erat animo excelſo, apertoq;, amplitudinem & felicitatem Cæſaris ferre non poterat, utpote qui adeò acerbè mulctatus, ac Italia pulſus, donec amiſſum Gallię decus recuperaret, nequaquam in ea, veluti parum honeſta, vel indecora pace quieturus eſſe videretur. Quicquid enim tot caſibus adverſa Fortuna rapuiſſet, id totum iniquo iure, & ſæva rerum conditione ſibi ademptum eſſe exiſtimabat, & eo quidem animo, ut non obſcurè Mediolanum, Genuamque repeteret. Id ſi Cæſaris æquitate, & Pauli intercedentis ſtudio conſequeretur, non mo-

do navales terreſtreſq; copias Cæſaris opibus adiunctum, ſed ipſum quoq; ad Turcicum bellum alacriter uti legatum adiutoremq; Cæſari, quò iuberet eſſe profecturum. At Carolus qui antiquiſsimo ſuperiorum Auguſtorum iure per manus tradito, ſingulos ferè totius Italiæ principatus ad ſe pertinere arbitrabatur, & Marte iudice ad arbitrium regulis, & liberis civitatibus leges dederat, indignabatur ea à Gallis per obliquas querimonias repeti, quibus diſertiſsimè ex fœderum tabulis exceſsiſſent, præſertim quũ ipſe dudum in gratiam Clementis, Venetique ſenatus imperijs urbium antiquis poſſeſſoribus liberaliter adiudicatis, & inſigni pace conſtituta, non ſine præclara æquitatis & abſtinentiæ, moderationisque animi laude exercitus deduxiſſet, qua in re etiam plurimum Gallis eſſet gratificatus, qui nihil magis cupere, poſtulareque eſſent ſoliti, quàm ut veteres Hiſpani, Germaniq; milites Italiæ aſſueti dimitterentur, quorum præſidio ipſius potentiam & exiſtimationem magis ac magis confirmari ac amplificari maximè iudicaſſent. Is erat animorum habitus in duobus longè maximis Europæ regibus, nequaquam adeo obſcura contentione diſsidentibus, ut amicitia, quæ inter eos publicis tantùm fœderibus, legationumq; officijs, & quadam affinitatis imagine ſuſtentabatur, aliquando in aperta odia, & funeſtum bellum evaſura crederetur. Meminerat Cæſar ſuperiore anno Germanos adverſus Ferdinandum fratrem Gallica pecunia fuiſſe concitatos, qui duce Lantgravio Virtembergenſem regulum tunc exulantem pulſis Auſtriacis copijs in Stocardiam paternę ditionis oppidum reduxiſſent. Tum vero certis rumoribus afferebatur, evocari in continentem ipſum Britanniæ regem, qui inſano nefarioq; ſcelere, Catharina uxore legitima thoro & penatibus expulſa, pellicem in matrimonium duxerat, & reginam appellari iuſſerat, ut colloquio habito, & ſubinde cõſociato ſibi Carolo Gheldrio Menapiorum & Sicambrorũ principe, Belgicas urbes invaderet. Erat quoq; fama, Henricum Navarræ regem, cui Franciſci regis ſoror anteà nupſerat, paratis copijs, ſi bellum alicundè erumperet, veluti occupato Cæſare in Cantabriam pervaſurum. Conſtabat etiam quæſtores Gallos in proximis Helvetiorũ conventibus magnas feciſſe largitiones publicè & privatim ſingulis pagis, & notis centurionibus. Nec Maſsiliæ navalis apparatus intermittebatur, atq; item ad Oceanũ Armoricum, ubi magno ſumptu ſtupẽdæ magnitudinis onerariam navem, & pleraq; alia in bellicos uſus fabrefacta navigia ædificarat. Ad hæc Franciſcus novo, aut certè à maioribus intermiſſo & eo quidẽ nobili conſilio, ſeptẽ legiones Romana diſciplina inſtituebat, ne ſibi ſemper vel in repentinis belli caſibus, peditatus ab externis gentibus mercede foret cõducendus. Nam Galli perantiqua conſuetudine in uno præcipuè equitatu ſtudium, ſpemq; omnem, & nominis gloriam reponere erant ſoliti. Sed ubi per frequẽtes ſclopettarios, Romanoq; more per pedites bella geri cœpta ſunt, in prælijs nulli propè uſui equites eſſe compertum eſt, propter equorum graviora vulnera & denſatas haſtatorum phalanges, quas nulla vis equitum vel æquato ferè numero facilè perrumpat. Eæ legiones ex delectu exquiſito ſeptem Galliæ provinciarum ſcribebantur, & undique certa parataque eſſent præſidia ad ſuſtinendum pariter atque inferendum bellum. Nam ad hæc etiam luſtrato vetere equitatu, atque per ſupplementa refectis & ſtipendio perſoluto, quatuor milia cataphractorum, & his totidem levis armaturæ equitum cenſebantur. Quæ omnia, tametſi in præſens extra belli cogitationem, ac veluti ad exterrendum

ingratam

ingratæ pacis otium, edendaq; ſpectacula ordinari atque apparari pleriſq; videri poterant, proximi tamen periculo in magnas erupturi ex improviſo belli ſuſpiciones adducebantur, præſertim Genuenſes, qui ob id Andrea Auria naviter excubante adverſus Gallorum motus, terra mariq; vigilabant: & Franciſcus Sfortia Alexandrię & Comi, Ticinique & Abiatæ mœnibus novas addebat munitiones. Alexander quoque Medices validiſsimam arcem, quam Clemente vivo Florentiæ incœperat, cõductis innumerabilibus operis perficere maturabat, eò accuratius ac intentius, quòd fama erat ab exulibus Florentinis, natura Gallico nomini addictis, Hippolytum Cardinalem maiorem patruelem ſuum ab ſe diduci, excitariq; ad ſpem potiundi in urbe Florentia principatus, quẽ ille æmulatione inductus, ſibi deberi legitima hæreditate ab avo Laurentio, Iulianoq; patre ducta prædicabat: ea in re deteſtatus Clementis patrui iudicium, qui iniqua prævaricatione Alexandrum ſibi ætate, multiſq; rebus inferiorem prętuliſſet, ut ipſe veluti emancipatus intra ſepta religionis opes omnes Mediceæ domus, Etruſcique regni faſtigium, & nuptias demum filiæ Cæſaris apud fratrem tanta Fortuna ipſius collatione indignum conſpiceret. Nec deerant qui in fervido iuvene, galeri dignitati militiæ honores facilè præferente, eos ſpiritus laudarent, tanquam honeſtæ ambitionis, ſuaderentque ut ad pellendum fratrẽ, uti Cæſaris beneficiarium, deſignatumq; generũ auxilia à Franciſco rege peterentur. His de cauſis Cęſar, uti erat cauto graviq; ingenio, & eo quidem quum decoris cura, rerumq; neceſsitas accederent, flagranti atque expedito, omnium conſilijs avertendum ratus, arma parare conſtituit, ut qui res novas occultè moliendo pacem turbare cogitabant, ſe parato inſtructoque rebus ſuis timere inciperent. Summa conſilij in eo vertebatur, ut Barbaruſſam ad Tunetum præoccuparet. fama enim erat, eum validiſsimis prædonum omnium coactis claſsibus, non modò uti ſuperiore anno feciſſet, Italiæ litora prædaturum, ſed etiam proxima æſtatę traiecturum in Siciliam cum ingenti Turcarum, Afrorumq; multitudine, ut ad reliquas ſpes proferendas, quibus barbarè atque arroganter Neapolitanum imperium concepiſſet, Italię horreo potiretur. Erat eius belli ratio plena pietatis & gloriæ, utpotè, quæ publicum Chriſtiani nominis decus, publicamq; omnium, & maritimarum prę ſertim gentium ſalutem reſpiceret. Extinguebat etiam Cęſar hoc honeſtiſsimo auſu omnem invidiam, quam tot parti de Chriſtiano hoſte victorijs antea vitare nequiviſſet: ſic ut illã in eos reiecturus eſſe videretur, qui Punici belli ſpectatores, quàm ſocij atque adiutores eſſe mallent. Porro Pontifex cum magno honore verborum collaudato Cæſare, ei ſtatim in bellicos ſumptus ſacerdotiorum totius Hiſpaniæ decumas concedit, ipſeq; pecunia ſua novem triremes Genuę exornari iubet. Has ad veteres tres, quæ in cuſtodia Romani litoris eſſe conſueſſent, adiungit: omnibus pręficit Virginium Vrſinum navandæ operę cupidum, ut ea generis claritas præfecturæ maiorem authoritatem adſtrueret, eique attribuit Paulum Iuſtinianum Venetum, cuius conſilio uteretur, navali peritia inſignem. Eaſdem quoque decumas exęquata liberalitate Franciſco regi concedit, quo ille munere accepto ſi uſus poſceret ad tuendam Etruſci maris, Pontificiæque ditionis oram, Maſsilienſes viginti triremes ſe miſſurum pollicetur, quanquã pari conceſsione Pontifex Cæſarianos offendere crederetur, quod ea ſacra pecunia Galli minime iuvandi viderentur, utpotè quos religionis cauſa nullam omnino operam ea æſtate mari præſtaturos appare-

ret, occupatis ſcilicet proprio bello ad Tunetum prædonibus. Excitata ad pium bellum univerſa Hiſpania, conventibusque peractis Cæſar è Carpentanis Barchinonem venit. Eius adventus omnium opinione celerior, tantusque navalium & terreſtrium copiarũ apparatus haud dubiè inimicorum animos in pace continuit, adeo ut rumores qui de Gallis, Britannoque rege, et de Helvetijs allati erant, penitus extinguerentur, reguliqué Italię, uti cæco metu liberati cupidius atque liberius in id bellum officia præſtarent. Soli Veneti in amicitia Solymani perſeverantes ex fœdere, quod ante triginta annos cum Baiazete eius avo percuſsiſſent, neutri parti ferenda auxilia cenſuerunt. Interim Andreas Auria, quem Cæſar toti maritimo negotio præfecerat, cuiq; uni propter ſpectatam fidem rerumque peritiam profectionis ſuæ atque ſupremi conſilij decreta cõmunicarat, incredibili adhibita celeritate ac diligentia multarũ ingentium navium, ac triginta roſtratarũ claſſem inſtruxit, in queis erat quadriremus una, quæ prætoriæ loco Cęſarem veheret. Ea erat laqueari aurato, & cælata pictaque introrſus puppe, contecta item umbraculo ex auro purpuraq; intertexto, remigibus ſerica tunica, & epibatis omnibus veſtitus ac armaturæ cultu plurimũ exornatis. Præterea vim ingentem nautici commeatus, inſtrumenta navalia novi artificij, tormentorumque omnis generis ac telorum copiam vel maximo ſuffecturam bello in naves diſtribuerat, quibus totius Liguriæ iuventutem, & ex nobilitate fortiſsimum quemq; certatim cunctis nomina dantibus impoſuerat. Ad eum hæc ipſa ingenti cura famaque adminiſtrantem, ut præclarę virtuti ſuus honos haberetur, Paulus Põtifex gladium de more ſolemnibus cerimonijs conſecratum dono miſit. is erat gemmato capulo, cęlataque vagina cum baltheo aureis bullis & fibulis valde conſpicuo, & præter eum etiam villoſo è ſerico pileum margaritis Phrygio opere depictũ. Ea ſunt eximij pijq; ducis adverſus Chriſtianę religionis hoſtes depugnantis inſignia magnis regibus dono dari ſolita, ſic ut non immerito ſtrenuus ſenex quanquã multa iam navali gloria plenus, ad petendam novi decoris laudem accenderetur. Dum hæc Genuæ ingenti Auriæ, atq; Ligurum omnium ſtudio parantur, Alfonſus Vaſtius bellica laude illuſtris, ab Ænaria literis Cæſaris evocatus, ad Andream Auriam pervenit, atque inde tranſgreſſus Apenninũ in urbe Viglebario Franciſcum Sfortiam, & Antonium Levam convenit. Iubebat enim Cæſar ut Vaſtius ſuo antiquo pedeſtris militiæ imperio fungeretur, legionesq; Germanorum ac Italorum in Africam tranſportaret: Antonius verò Leva in Galliæ Ciſalpinæ præſidio permaneret. Huic enim Cæſar, quanquã ducem animi virtute inſignem ſecum adducere cuperet, omnino parcendum putabat: quoniam eſſet ſæviſsimis articulorum doloribus conflictatus, ob idq; ad perferenda navigationis incommoda imbecillo admodum corpore videretur: & in Italia quidem opus erat conſtanti & impigro duce, qui in utrumq; belli caſum intentiſsimè vigilaret. Huic autem præcipuè eſt iniunctum, ut ſevero edicto prohiberet, ne quis è numero veteranorũ Hiſpanorum novi belli cupiditate ad mare dilaberetur. Nolebat enim ſolitis ſtationibus provinciam nudari, adeo propinquã Gallis, Helvetijsq; finitimã, quorum incertę fidei nihil omnino præſidio vacuũ foret relinquendũ. Deliguntur itaq; Itali tres pręfecti, qui circiter vigintiquatuor cohortes cõſcribant. Is numerus quinq; miliũ hominum ſummam efficiebat. Hi fuêre Hieronymus Turavilla Sarnenſis comes, qui ſuperioribus annis in Peloponneſo egregiam fortemq; operã pręſtiterat,

terat,

terat, & Federicus Carectus in Epautheris Liguribus, & in ora Ingauniorum ad Finarium oppidum clientelis atque opibus potens, cui Auria vitricus erat: itemque Auguſtinus Spinula bello clarus. Hi ſtatim hinc atque inde digreſsi celeriter ex optimo genere militum cohortes implent, tanto veterum novorumque militum concurſu, ut conſcriptis plerique voluntarij ſine ſtipendio miſcerentur. Interim Maximilianus Eberſteinius dux vetus per Tridentinas alpes octo milia Germanorum in Lucenſem agrum perduxit, in queis fuêre pleriq; nobiles è ſtirpe regulorum ſine mercede Punici belli famam ſequuti. Hos humaniter liberaliterq; ſuſceptos, ſimul et Italos pulcherimis armis Mediolano advectis inſtructos, advocata concione cohortatus eſt, ut patientiſsimè dum navigarent maris tædia perferre, ac ubi terram Africam attigiſſent, optimè de victoria ſperare vellent. Pugnaturos enim ipſos pro dijs immortalibus & pro Cæſare, qui nunquã pijs & fortibus defuiſſent. Ita ſumma omnium alacritate conſcenſæ ſunt onerariæ naves trigintaocto, quarũ præſidio Antonius Auria magnitudine animi & navali virtute uni magno Auriæ ſecundus duas & viginti roſtratas adducebat. Nec multo poſt Vaſtius è portu Veneris ſolvit, ita ut triremibus oram legeret: onerariæ verò ad conſpectum in alto velis uterentur. Sed alternantibus ſępe ventis, & inflato nonnunquam mari, tardius quàm ſperarat in Traiani portũ ad centumcellas pervenit, quo iam Pontifex ab Vrbe decurrerat, ut ſacris precationibus Deum optimum maximum, divosque Chriſtiani imperij tutelares ad victoriam de hoſte parandam navigantibus propitiaret. Ita ipſo Pontifice præeunte verba, & hymnos ſacerdotum choro decantante, triremes navesque onerariæ, quæ mira felicitate adæquato curſu ab alto in conſpectum ſe dederant, ab excelſa ſpecula expiatæ luſtratæque ſunt. Datum eſt item vexillum & ſceptrum Chriſtianæ religionis in templo de manu Pontificis Virginio Vrſino: poſtridieq; Vaſtius cum eo nactus idoneam tempeſtatem, Neapolim curſum direxit. Ibi Petrus Toletanus prorex, reguliq; peculiari ſtudio impenſaq; ſingulas triremes ædificarant. In his fuêre duo Sanſeverini Salernitanus & Beſennianus, itemq; Spinellus & Caraffa, Hiſpanusq; Alarco Neapolitanæ arcis præfectus. Ad has ſeptem aliæ acceſſerant, quas ipſe Toletanus publica pecunia cõfectas deduxerat, & noxijs nefarijsq; hominibus ad remũ damnatis impleverat. Dum cuncti in eo apparatu eſſent occupati, Vaſtius in quoſdam more militiæ animadvertit, qui pertæſi nauſeam maris, & longinquæ navigationis incommoda reformidantes, conceptas de victoria ſpes malignè extenuare, ſtipendij tenuitatem deteſtari, conſternareq; multitudinẽ, ut ſigna deſererent, ſeditioſis ſermonibus cœperãt. Ad authores tantũ pœna pertinuit, adeo ut involuti ſaccis profundo mari ſpectante claſſe mergerentur. In his fuêre Michael Tarraconenſis, & Molina qui apud Caveanum oppidum excitandæ ſeditionis initia præbuerant. Parato, & in naves omnis generis cõmeatu abundè congeſto, impoſitisq; militibus, Hiſpanisq; præſertim veteranis, qui à Corone redierant, oram ſolvit. Eum ſecuta eſt univerſa propè totius Campaniæ iuventus, arreptis undiq; navigijs, tanta omniũ cupiditate, ut nemo Neapoli relictus eſſe videretur. Invitarat enim comitate inſigni, quosq; opibus ætateq; florentes, ac notos ſibi militię veteranos, quòd illis pulchrũ eſſet, vel emerita ſtipendia, vel tirocinij præclarã indolem memorabili victoria nobilitare. Profectus eſt & unà Federicus proregis filius, ingenio bellici decoris avido iuvenis, paucisq; diebus Panhormũ in Siciliam

eſt peruentum. Hiſdem quoq; diebus & ipſe Andreas Auria diuerſa nauigatione in Hiſpaniã ad Cęſarem peruenit, cum vetere ſua ſedecim triremiũ claſſe, tribusq; celocibus quos galeones vocant. Ea ſunt nauigia ſtructura militari, formaq; ad omnẽ vel tormẽtorum vel tempeſtatis contumeliã egregie ſuſtinendã idonea, paulo minora onerariis, humilioraq; inſtructa quadratis velis atq; etiam aliquot remis, vt è portubus in apertũ mare ad captandos ventos facile ſit ſeſe prouehere, & promontoria ſuperare. His ferme vtuntur, qui piraticam exercent, quoniam innumerabilem tormentorum copiam ferant, quibus vel plurimas triremes in multa malacia ad ſe oppugnandum appropinquantes perſtringere maioribus tormentis atq; demergere facilè poſſint, quũ directis ad libellã ſummæ aquæ per feneſtellas validiſſimis colubrinis in orbem vndiq; ferreæ pilæ ad multum maris ſpatium emittantur: perflantibus verò ventis reliquorũ nauigiorũ curſum antecedant. Cæſar delectibus habitis circiter octo milia peditum magna ex parte tironum conſcripſerat, et ſeptingentos equites vlterioris Hiſpaniç regulis imperarat, ex vetere eius regni conſuetudine legeq;. Nam ſuperioribus bellis, quibus cum Mauris de Bæticæ imperio dimicatum eſt, nemo procerũ fuit, qui non certã equitum manum cõferret, & contra hoſtes in caſtra perduceret, cuius impoſiti oneris cauſa magnas tulerant immunitates. Ii leuis armaturæ equites dicebantur, quòd nihil præter apertam galeam & thoracẽ ferreis laminis ſquamoſo opere conſertam; leueq; item ex præduro corio ſcutum Maurorum more, & lanceã latæ cuſpidis, gladiumq; habilẽ geſtarent. His omnibus copiis prçerat Mendocius Tendilli filius, cognomẽto Montegius. Sed pleriq; illuſtres reguli, & ex toto nobilitatis ordine frequentes euocati, ad Cæſaris aulam conuenerant, qui grauiorib. protecti armis, ac inſtructi generoſis equis pro cenſu & amplitudine ditionis aliquot clientes liberaliter armatos trahebant, vt loco ſtipendii gratiam Cęſaris, & ex alacri pioq; ſtudio ad nauandã operam certę laudis decus promererent. Inter hos authoritate nominis eminebat Ferdinandus Toletanus Albę regulus, non dubiã magni futuri ducis ſpem præbens, quũ publico pietatis nomine & priuato voto vehementer incitatus, in Barbaros deferretur, vt Garziæ patris cædẽ vindicaret, quem ab Afris ad Girapolim Mœnice in inſula cæſum fuiſſe docuimus. Venerat etiam ab Oceano portuq; Gallico Ludouicus Luſitaniæ regis germanus frater, cuius ſoror in matrimonio Cæſaris ſpectabatur, cum claſſe vigintiquinq; nauiũ eius generis quas carauellas vocant, Indicis nauigationibus aſſuetas, magnaq; rerũ omniũ & tormentorũ onera & quantamlibet irati maris iniuriã facile perferentes. In his videre erat excelſum galeonem incomparabili tormentorum apparatu permunitum. Ea in claſſe duo milia peditum deſcriptorum præter nautas recenſebantur. Applicarant etiã è Belgico Oceano per Gaditanũ fretum ſupra ſexaginta onerariæ naues, quæ copias paſſim paratas, & cõmeatus ſingulis mediterranei maris portubus ſuſciperent. His aduectus fuerat magnus damnatorum numerus, quibus per Belgicas vrbes vita ex decreto Cæſaris idcirco fuerat concesſa, vt in ſupplementum remigum in triremibus operam pręſtarẽt. Nam eius generis hominum ærumnoſo in labore facile deficientium inopia momẽti minimè leuis futura credebatur. Itaq; Cæſar copiis & commeatibus in naues diſtributis, totoque ad edictum exercitu diſignata nauigia ea lege conſcendere iuſſo, vt nemo ſcortum aut puerum niſi ætate militari ſecum adduceret, è Barchinone orã ſoluit, tenuitq; curſum in Magonis portũ minoris inſulę Balearis,

atque

atque inde turbulenta navigatione in Sardiniam Caralim pervenit, quo nuper Alfonſus Vaſtius ex Sicilia cum ſua claſſe applicuerat. Nec multo poſt Cęſar ipſo Auria reliqui conficiendi curſus rationes explicante, atque adhortante ut omnis moræ cauſa præcideretur (nam Hiſpanica claſsis iam penè tota convenerat) in Africam traiecit, & in Vticæ portum, quem Farinam nautæ vocant, leni Coro remigum laborem ſublevante univerſam claſſem intulit. Magno autem caſu una omnium prætoria quadriremis, qua Cæſar ipſe vehebatur, dū intraret, ſabuloſo in vado hæſit. Quo animadverſo periculo Auria expedito conſilio dimidiam partem vectorū & remigum in adverſam ſpondam declinare iuſsit, tanta agilitate, ut ad imperium canentis fiſtulę quadriremis utrique pondere ſublevata impulſaq; demū dextro remigio eum arenæ tumulum evaderet, & incolumis cum plauſu univerſæ claſsi redderetur, nequaquam leviter cōmoto Cæſare, qui ſimile vitæ diſcrimen Philippū patrem ſubiiſſe memorabat: quum ille in Oceano tranſverſa abreptus tempeſtate in arenę cumulos periturus incidiſſet, niſi ingentis fluctus beneficio elata navis atq; ultra extantē ſabuli cumulum tranſportata, magno miraculo Britannię litus evaſiſſet. Ab Vtica mox diſcedēs claſsis circumvecta promontoriū Carthaginis, totumque eius regionis litus, quā Martiam vocant, excîſæ quondam ſuperbæ urbis ruinis, & nova regiorū hortorum amœnitate celebratum, appulit contra turrem, quā de ſubiecto fonte Aquariam vocant. Hæc eſt in ea plaga, ubi ſtabula elephantorum florēte Carthagine fuiſſe putamus. Nam & Cotum inſulā & totius antiqui portus formā, navaliaq; quibus Romani victores inviderint, tanti ævi vetuſtas mutare & abolere facilè potuit. Barbari qui ab imminentibus Vticæ collibus, aliiſq; paſsim ſpeculis, & ab excelſa arce antiquæ Carthaginis, quam Byrſam fuiſſe memorant, adventum & curſum explicatæ claſsis cōſpexerant, Hariadeno Barbaruſſę renunciarunt, hoſtilem claſſem innumerabilibus omnis generis navigiis cōſtare. Erant enim ſeptingentæ fermè naves, in queis duæ & octoginta roſtratæ triremes frequentibus exornatæ vexillis conſpiciebantur, quæ ſpeciem æquo maiorē & terribiliorem hoſtium oculis præbebāt. Verum id Barbaruſſæ animū magnopere perturbavit, quod alii atq; alii præcurrentes nunciabant, in claſſe pro certo eſſe Cæſarem ipſum Chriſtianorum maximum Imperatorem, tantasq; equitum & peditū copias ampliſsimæ claſſi fuiſſe impoſitas, ut nemo qui arma ferre poſſet, in Hiſpania atq; Italia relictus eſſe videatur. Hoc affirmari à quibuſdā ſervis Mahometani nominis, qui præterita nocte exutis cōpedibus ex hoſtili triremè in proximi litoris dumeta feliciter enataſſent. Non putarat enim inſolēs Barbarus, noſtrarumq; virium contemptor, Cęſarē periculoſis inexplorati maris caſibus in ignota præſertim, ſterili, ac æſtuoſa terra, dubio bello ſe cōmiſſurum: ſed quod captivi à piratis Tunetum perducti dicere ſolerent, per legatos, ipſumq; præſertim Auriam non Tunetū quidem ipſum, verū ignobilia tantùm eius orę oppida tentaturū. Cuius confirmandæ opinionis ante alios author fuerat Aloyſius Præſenda honeſto loco Genuæ natus, qui in itinere ſupra Adrumentū captus, in libera propè cuſtodia Tuneti habebatur. Ab hoc Barbaruſſa crebris percunctationib. multa de Italicarum rerū ſtatu moribusq; noſtris tanquā à perito diſertoq; homine ſpem præbens maturæ libertatis, ſibi opportuna didicerat. Hunc itaq; ira percitus, quod falſa pro veris de Cæſare aſtutè perfidioſeq; narraſſe crederetur, ad ſe perductum, oneratumq; malignitatis contumelia in veſtigio interfici iuſsit.

PUA

Hac immiti inſontis hominis cæde, tanquam vaniſſimæ ſuæ crudelitatis expiato dolore, Barbaruſſa ad gerendi belli cogitationes ſe conuerit: primumque omnium aduocatis in conſilium trierarchis, quibus propter ſpectatam virtutem maximè fidebat, docuit viris fortibus nihil omnino de victoria dubitandum: quandò eam ipſe hiſdem de cauſis iam pro certa atque explorata perciperet, quibus Cæſarem id difficile atque anceps bellum (ſi non omnino inſanus foret) minime ſuſcepturum credidiſſet. Quis enim inquit, regionis non ignarus (vt hic vires noſtras non extollam) hoſtem non iudicet ambitioſæ cupiditatis inconſultæq; audaciæ pœnas daturum? qui iniquiſſimo anni tempore ſolſtitialibus diebus in loca æſtu torrida, & aquæ prorſus indiga, minutiſſimisque obſita arenis, quas ventus in ora atque oculos incedentium verſet, certaturus aduenerit? An hoſtium milites, quos audio magna ex parte eſſe tirones, grauibus onuſtos armis facilè progredi regrediue, aut in veſtigio, vt varius improuiſæ pugnæ caſus depoſcat, fortiter conſiſtere poſſe arbitrabimur? Quum præalta & facilè cedens arena, ad ſuras vſque pedes deuoret, nec ordines rectè conſtitui ſinat. Qua porro bellandi arte, & peditum Turcarum vim, & Numidarum equitum perpetuò laceſſentium repentinos impetus ſuſtinebunt, aut eludent? Si verò tot ſunt, quot iſti aſſerunt, quinam commeatus, ſi bellum trahatur, tantam hominum colluuiem paſcent? Hoc profectò bello, viri fortes, nouũ & incomparabile trophæum in terra Africa defigemus, quod Carolus ſummæ opulentiæ & dignitatis hoſtium imperator aut trucidatus concidet, aut optimæ futurus prædæ in noſtrã veniet poteſtatem. Quod ad me attinet enixè dabo operam, vt nihil vel armorum, vel commeatus, vel auxiliorum adminiſtrando atque gerendo bello vobis deſit. Vetera enim armamentaria pandam, aperiam horrea, reſerabo ærarium, & ad Numidas quos iam amicitia conciliatos habemus pecuniam in ſtipendium, exoptataq; genti munera confeſtim mittam. Tunetanos verò in ſpem præmiorum exigua mercede in officio contineri, & hoſtibus obijci facilè poſſe ſcitis. Hoc autem vnum militiæ munus á veſtra virtute vehementer expoſtulo, vt Guletam quæ non vrbis modò, ſed totius imperij, & ſubductæ præſertim claſſis certiſſimum eſt propugnaculum, acerrimè & conſtantiſſimè defendatis: in eam enim hoſtis primo impetu deferetur. Vos itaque eam mihi & Solymano imperatori inuictis animis ſeruatote, vt irrito inccepto tentata, & á vobis fortiter defenſa, hoſtis Cæſar deceptus ſua inani opinione, & tota exiſtimatione ſui nominis ſpoliatus, non iam de expugnanda vrbe Tuneto, ſed de reditu, ſaluteq; deſperet. Hæc quum dixiſſet, trierarchi vno conſenſu reſponderunt, ſe paratiſſimis animis cuncta facturos quæ imperaret, nec commiſſuros, vt dedecus priſtina ſua virtute indignum admitteretur, & id iureiurãdo ſinguli confirmarunt. Hos omnes Sinas Smyrnæus dextro captus oculo, quem Turcæ Cæfutem (hoc eſt Iudæum) vocabant, cum ætatis honore tum militaris prudentiæ authoritate facilè anteibat. Huic proximi accedebant Haidinus Cilix, cui propter terribilem impetum Cacciadiabolo cognomen erat, & ſecundum hos Salecus ab Ionia, & Tabacches pirata Laodicenus, & ex ordine Ianizerorum Giaffer centurio, virtute animi & corporis viribus inſignis. Is Guletæ ſitus eſt, ut lateritia turris cum adiecta munitione his faucibus immineat, per quas Carthaginenſis ſinus mare ad auſtrale litus allidens, ſenſim in ſtagnum ſeſe inſinuat, quo paruis nauigijs ad vrbem Tunetum aditus patet. Neq; enim hæc palus longior eſt,

aut latior duodecim miliaribus, ſed utrinq; ita humilia ſunt vada, ut niſi medio eoque profundiore alveo pernavigari queat. Ingreſſum à mari turris prohibet, quam circumadiectæ munitiones augent, ea amplitudine, ut iuſtæ manus præſidium facilè capiat. Hanc Barbaruſſa multis tormentis inſtruxerat, ut ſuam claſſem, quam intra ſtagnum propulerat, ab hoſtili iniuria tueretur. Carthaginenſis autem ſinus ea forma eſt, ut eius ingreſſus ab alto adnavigantibus abſcōdatur: quoniam Clupeæ promontorium antiquis Mercurij & Pulchri vocatum, multum in occidentē Solem ſeſe extendit, & introrſus demum ſe reflectens, alterum efficit promōtorium, olim Apollinis, hodie Zafranium à nautis appellatum. Inde vero lunato ambitu ad Guletæ fauces recurvatur, & ad lævam Radæ urbis calidarum aquarum ſalubritate celebris, regionem reliquit. Ex adverſo autem collapſæ Carthaginis ſitum ſpectat, atq; item colles olivetaque & litus ipſum Aquariæ turris, qua noſtra claſsis appulerat. Cæterùm Guletæ fauces pons ligneus cum adverſa orientali parte coniungit, quo tranſirent qui ab Tuneto terreſtri itinere commeabant. Huc enim atque illuc Turcæ iter habentes ſeſe diviſis per vices excubijs permutare erant ſoliti. Nam rerum omnium copię in quotidianos uſus per ſtagnum levioribus lembis advehebantur. At Cæſar tota claſſe ad anchoras conſtituta, pronunciari iuſsit, ut milites expediti in triremium magnarumq; navium ſcaphas deſilirent, & toto litore deſcenſiones facerent, quod uſque adeo compoſitè adminiſtratum eſt, ut tota undiq; litora Barbarorum agminibus nudarentur. Neq; enim noſtrorum clamorem & ſclopettorum ſtrepitum ferre potuerunt, quin in fugam nullo contracto certamine protinus ſe darent. Veteranos Hiſpanos Itali, & hos demum Germani ſubſecuti ſunt, cunctosque munitis caſtris Vaſtius conſiſtere, nec temerè vagari iuſsit, donec equites, & reliquę omnes copię, totusq; tormentorum apparatus in terram exponeretur. Deſcendit & Cæſar ipſe bonæ ſpei & certæ alacritatis plenus, qui alas hoſtium occupantes litora, & deſcenſum noſtrorū prohibere conantes in fugam verſas cōſpexeras. Erexit autē prętorium idoneo in loco inter duas turres, quarum alteram vocari Aquariam diximus: alterā Barbari Salinariam appellant. Interim variæ militum manus emiſſæ ſunt, quæ proxima explorarēt loca, & ciſternas puteosq; quæritarēt, hoſtiumq; ſimul caſas, & vicos mapalibus ſimiles occuparent uſq; ad ſummos colles, ubi vetuſti templi ædificia viſebantur: quo in vertice duarū cohortium Italicarum vexilla pręſidij cauſa cōſtituta ſunt iuxta antiqui operis aquæ ductum, quo olim magna perennis aquæ vis in urbem Carthaginē perducebatur. Afri pedites, equitesq; præſertim Numidę velox, inſidioſum, & ſummi laboris militū genus omnibus horis locisq; repentini ac infeſti noſtris occurrebāt, locorumq; notitia cōfiſi, uti erant inermes & agiles noſtros ſæpe incautos ac impeditos armis circumſiſtebant, ſagittis, iaculis atq; lapidibus rem gerentes tanta feritate, ut nemini vel dedito parcerent. In quibus fuit Hieronymus Spinula Ligur centurio, cui Numida eques ictu inverſæ lanceę proſtrato ab equo deſiliens, priuſquā ſubveniri poſſet, caput præcidit, & cōſcenſo rurſus equo celeriter aſportavit. Eadem quoq; mala ſors incidit Federico Carecto regulo: is quū à Vaſtio exploratū duceretur, eius lateri hærens ſclopetti glande traiectus eſt. Sed ea hoſtium agilitas ferociaq; Cæſarem minimè retardabat, quin ipſe cum paucis exploratum iret, et in conſpectu volitantium undiq; Numidarū cuncta oculis perluſtraret; ea quidem animi conſtantia, ut ab amicis gravioribus ſru-

ſtra admoneretur, ne minorum ducum munia tanto ſuo publicæq; ſalutis periculo vſurpare vellet. Iam Vaſtius non longè à Guleta legiones promouerat, crebris paſſim obliquis foſſis ſinuosè perductis, & conſtitutis munitionibus, vt tutò milites cõmeare, in opereq; verſari poſſent, & continuos tormentorũ hoſtilium ictus paueſcere deſinerent. Faciebãt autem opus non ſerui modo remiges, ſed milites ipſi omnium ordinum magno quidem cum labore, verùm alacritate ſingulari, vt pote quibus Cęſar pręſens ac indefeſſus eſſet adhortator, & pleriq; duces certatim ligonibus & batilis prõptas manus admouerent. Erat enim extenſæ munitionis ingens ſpatium. nam Cæſar nequaquã properè, ſed paulatim proferenda opera cenſuerat, vt tutò produci milites & tormenta muralia opportunè ſubuehi, atq; inde inuadi hoſtes poſſent, qui nihil omnino apud noſtros remiſſum, aut paulo negligentius munitum eſſe patiebantur. Tantos ſiquidem ſpiritus barbari prædones ſibi deſumpſerant, vt vltro erumpere, et noſtros ad conſerendas manus prouocare, accedereq; propius ad munitiones, atq; eas ſubire auderent. In prima erecti aggeris fronte, pręcipuum ſibi locum depopoſcerat Sarnenſis regulus, elatus ſpectatæ virtutis fama, quam Peloponneſiaco (vt diximus) bello fuerat adeptus. Is rotundi ambitus aggerẽ, muralis inſtar propugnaculi, ſed paulò quàm ex diſciplina oporteret anguſtiorem erexerat: nam in medio tabernaculum ſplendidè extenſum, fermè totum loci ſpatium occupabat. Intra hunc aggerem quanquam arctè, cohortes ſuas contulerat. Sed vir æquo acrior, & parandę laudis auidior, quum fortè hoſtes in conſpectum ſe dediſſent, quin in eos confeſtim erumperet, contineri non potuit. Salecus enim auſu aſtuq; piratico inſignis, cum delecta ſuorum manu, ad eius munitionem excelſo tabernaculo conſpicuam aduolarat, magnumque & repentinum tumultum apud noſtros excitarat, ſic tamen vt ſclopettorum glandibus repulſus, coactusq; ſe recipere videretur. Tum verò Sarnenſis quibuſdam præfectorum ſuorum contumelioſè appellatis, quòd eos timidius & cunctantius egreſſuros & ſubſecuturos appareret, in hoſtem callidè terga vertentem, ira feruidus erupit, obuios acriter vulnerans atq; proſternens ſcilicet vt fato ſuo non inhoneſtam viam aperiret. Ita Salecus noſtros ſatis magno interuallo a cæteris diſiunctos, edendæq; cædi opportunos videns, ad ſuos conuerſus, milites, inquit, quam exoptaſtis de hoſte prædam indagine clauſam tenetis, proinde conuertite ferrum fortiterq; pugnate, vt nemo ex his audaculis tironibus viuus aut integer euadat. Nec mora conglobantium ſeſe ea fuit impreſſio, atque is in hoſtem impetus, vt noſtri pauciores aduerſus multos non diu reſiſterent, ſed tumultuoſiſſimè terga darent. Sarnenſis ipſe antè alios acerrimè depugnans cum Belingerio affine ſuo cohortis præfecto trucidatur: reliqui eandem in fuga oppreſſi Fortunam ſubeunt. Cæteros intra munitionem confugientes irretitosq; tabernaculi funibus, quo minus expedita fuga ſe reciperent, Turcæ audacter intrantes contrucidant, à quibus argentea ſupellex ipſius Sarnenſis properè direpta eſt. neq; fuit quiſquam ex proxima Hiſpanorum ſtatione qui ſatis maturè ſocijs perturbatis & profligatis opem tulerit. Ferunt enim Hiſpanos ſociorum Italorum cladem non omnino triſtibus ſpectaſſe oculis, tanquam bono iure indignantes, quód propinquæ hoſti, ideoque periculoſi cuſtodię locum arrogantia quadã Sernenſis deſumpſiſſet, qui nouus propè miles, quanquã apprimè nobilis et valde pugnax, id ambitioſiùs quàm deceret primi honoris cauſâ à Vaſtio impetraſſe diceretur, caput eius

cum

tum dextra ad Barbaruſſam delatum eſt. At noſtri, barbaris ex ſucceſſu eius diei lætitiam crebris tormentorum bombis celebrantibus, magnopere triſtes, vix animis accepti incommodi ignominiam ſuſtinebant, querebanturque itidem ab Hiſpanis nequaquam alacriter fuiſſe adiutos. Sed Vaſtius, qui multum valebat, molli oratione afflictos eſt conſolatus, ſic vt eos non virtute hoſtiũ, ſed ipſorum & præproperi ducis temeritate contractũ fuiſſe detrimentum, oſtenderet. Verùm id totum, quod malè auſpicatum accidiſſet, probè expiatum videri ipſa ducis cæde, qui totius accepti incommodi author extitiſſet. Proinde confirmarent animos, et quicquid dedecoris eſſet admiſſum noua virtute ſarciendum exiſtimarent. Hiſpanos autem ſeueris caſtigauit verbis tanquam parum miſericordes, quod nequaquam amicę erga ſocios voluntatis ſuſpicionem parandi odij plenam, leui de cauſa præbuiſſent. Sed Fortuna non iniqua plerunq; libidine, bona pariter & mala inter mortales diſpenſare ſolita id Hiſpanis non indulſit, ut ab heſterno inflicto vulnere diu ſocios contemnerent: par enim eis dedecus Tabacches attulit. Sub auroram nanque erumpens tecto & feſtinato procurſu Hiſpanorum munitiones adortus, vſq; adeo vehementer ſtationem perturbauit, vt conſcenſo aggere aliquot deſides & operis labore feſſos, alios repoſita repetentes arma, in foſſa oppreſſerit, clamoreq; edito reliquam cuſtodiæ manum valde perterritam terga dare coegerit. Atq; ita Barbari momento temporis foſſorũs potiti ferramentis, & rapto Franciſci Sarmenti vexillo, quod erat in ſummo aggere defixum, interfectoque in foſſa Mendeſio cohortis præfecto, qui ab multo abdomine grauis, fugam capeſſere nequiuerat, multis improuiſò cæſis & vulneratis, prius ſe receperunt, quàm auxilia adcurrentium cohortium ſuperuenirent. Adcurrit & ipſe Cæſar armatus ad tumultum totis caſtris excitatum, ſeuerè increpitis, qui commiſſum ſtationis locum trepidè deſeruiſſent, & vſque adeo ſegniter et ſupinè cuſtodiam obiſſent, aduerſus eum hoſtem qui ſuo aſtu, velocitate, atque audacia repentinus, & inſolens, & ferox, à peritis ipſisq; præſertim veteranis, niſi temere contemnendus videretur. Id inſigne editum facinus pudorem Italis abunde deterſit, quum dedecus Hiſpanis opportunè communicatũ viderent, & eo quidem acerbiore aduerſi euentus ſorte, quòd veterani diſciplinæ parum memores aliquanto inuſitatiùs & turpius deprehenſi cæſiq; fuiſſent, quàm Itali tyrones, qui committendę pugnę ſtudio temere progreſſi & elici, et conſerto certamine à multis trucidari facilè potuerint. Sedato tumultu Vaſtius veteres præfectos, primorumque ordinum centuriones in tabernaculum vocauit, conuerſusq; ad eos, viri, inquit, alioqui ſemper fortes, qui multas incõparabilesq; victorias mecum Cæſari inuicta virtute veſtra peperiſtis, paucis omnino verbis cohortandi videmini, vt priſtinum ſpectatumq; ſemper bellicum vigorẽ ad animos reuocetis. In vobis enim (vt vidio) quod piget, puderque, antiquæ partę laudis memoria penitus refrixit, te inſolito metu obtorpuerunt manus, & noua pigritia corpora alanguerunt, vt non horum inermium prædonum inſolentiam veſtro forti auſu frenandam vindicandamq; putetis. Irriſiſtis, vt nonnulli obijcctant heri ſociorum inauſpicatæ promptitudinis coniunctã cum pœna temeritatem: at illi hodie veſtram incuriam degeneremque ſegnitiem iure optimo rident, ſic vt hoc commune dedecus veſtro præſertim aliquo celebre & pulcherrimo facto abolendum eſſe fateamur. Cenſeo itaque & ſeuerè iubeo vt ad nouam parandam laudem arma atq; animos quamprimum præparetis.

& hoſtes ſi rurſus laceſſant, & munitiones tentent, eruptione facta fodiendo, eorum inermia pectora, & terga cædendo, malè mulctatos intra Guletæ portum compellatis. Strenuè inſtantibus atque prementibus fortaſſe aderit Fortuna, vt immixti perturbato agmini, munitiones intretis ſimul & occupetis, in quibus ipſorum ſpem omnem repoſitam videmus. Quòd ſi hoc ſecus acciderit quàm ſperandum ſit, ſaltem cum Cæſari, tum mihi decorique veſtro, vel hoc vno inſigni conatu abunde erit ſatisfactum. Ad ea continuò Aluares Gradeus, Ciſnerius, Rodericusque Ripalta, & cum his Sarmentus, Didacus Abyla, Franciſcusq; Ruitius, reſponderunt ſe vſq; adeo præſtantem operam nauaturos, vt in ipſis neque vim, neq; omnis periculi contemptũ, aut expectatæ quærendæ laudis ardorem, viris fortibus impigrè pugnare ſolitis dignum deſideraret. Nec Barbari aduerſo noſtrorum ſucceſſu elati, quin eadem conſuetudine audacter erumperent, plus tridui mora conquierunt, meridianoq; tempore Giaffer, cui id munus fortè contigerat, cum Ianizeris, Afrorumq; iaculatorum manu ſuperiores munitiones inuaſit, ratus ſe ea hora noſtros, cum labore operis, tum Solis feruore confectos, in ſtatione ſegnes & imparatos aggreſſurum. Iam Barbari inopinantibus noſtris, vti remiſſa paſſim eius feruentiſſimæ horæ cuſtodia, aggerem conſcenderant, & certatim in ſubiectos vndique glandes, ſagittas, & lapides conijciebant, quum extemplo ad leuem tympanorum ſonitum ſclopettarij noſtri ſicuti fuerat imperatum, duobus ſimul locis eruperunt. His Vaſtius ſubſidiariam manum ex galeatis thoracatisq; militibus, qui alabardis, breuioribus haſtis, aut parteſanis lato ferro Italorum conſuetudine rem gererent, opportunè ſubmiſit. Phalanges autem ſuo ordine compoſitas intra munitiones conſtituit, vt ſi quid leui armaturæ durius accideret, eam pedem referentẽ pedites reciperent, & ad pugnam parati ſimul caſtra tuerentur, cœptique certaminis euentum expectarent. Pugnatum eſt vtrinque ſumma contentione: nam Ianizeri quanquam graui noſtrorum impetu repellerentur, vti milites pro dignitate prætoriani ſui ordinis nuſquam terga dare ſoliti, non multum conſtantia aut virtute animi noſtris cedebant. Sed Giaffere ipſo, qui ante alios ardentius dimicabat, duobus ſimul glandibus traiecto, cadenteque, ora conuertere fugamq; reſpicere cœperunt, & mox expirantem ducem erigere atq; referre conantes, redintegrata ob id acriore pugna, quum alij ſupra exanimem vtrinq; cecidiſſent, effuse in fugam ſe dare coacti ſunt, noſtris tanto ardore perſequentibus, vt Guletani receptis primis periculum veriti quartam ferè ſuorum partem obſeratis repentè portæ valuis excluſerint. Verùm hi deflectentes verſus ſtagnum, poſtico ferè aditu, qui noſtris erat inexploratus, intra munitionem ſe receperunt. In eo tumultu, quòd Sinas totam munitionis coronam propugnatoribus egregiè muniuiſſet, periculoſus atque difficilis noſtris receptus eſt datus, Didacusq; Abyla nouellariæ cohortis ſignifer, in hoſtili aggere vexillum defigere auſus, multis ſimul glandibus petitus, & ſagittis confixus occubuit. Neq; tamen vixillo potitus eſt hoſtis, quum illud proximus miles ex occupantium manibus intrepidè rapuiſſet. Rodericus quoque Ripalta craſſioris ſclopetti glande colliſa vehementer galea graue vulnus accepit, multoq; plures è noſtris in receptu quàm in pugna diſiderati ſunt: quoniam e tota munitione Barbari omnis generis tela & tormenta (quod extra ſuorum periculum antea tanquam in permixtos fieri nequiuerat) certatim contorquebant. Eo tamen die Barbarorum audacia egregiè repreſſa eſt,

& ſpes

& ſpes expugnandę munitionis noſtris non obſcurè præbita, quòd ex propinquo munitionis natura conſideratius explorata certam victoriam aggreſſuris promittere videretur. Nam ea inter omnes enata erat opinio aliquanto infirmiorem eſſe, quàm crederent Guletæ munitionem, perſuaſumq; habebant eo aditu, quem diximus, poſtico & noſtris incognito per ſtagni marginem irrumpi potuiſſe. Qua de cauſa Sinas animaduerſo aggeris vitio, quòd non eſſet perpetuus nec lateritio ædificio coniunctus, nouum & ſubitarium ex remis munimentum erexit. His enim longa ſerie humi defixis, & ſunium loriculas transuerſoq; leuiorum aſſerum munimine confibulatis, ingreſſum præſepſit, ne aut intrare hoſtis, aut ſuos ex obliquo intercedente paludis parte conſpectos, certis ſclopettorũ ictibus petere poſſet. At Cæſar paucis diebus in ipſo rerum apparatu deliberationeq; conſumptis, ſtatuit non eſſe terendum tempus, quin protinus Guletanis vim omnem, et verum terrorem admoueret: multæ enim, cum res ad expedienda conſilia vehemẽter hortabantur, ſuorũ in primis animi abunde reſtituti, hoſtium verò non vano planè metu perculſi, quos nouo præſidio erigi in ſpem, cõfirmariq; nolebat. Didicerat enim varia Numidarum agmina mercede conducta ad Tunetũ appropinquare, contrà ſuos aduerſa tẽtari valetudine, vt pote qui interdiu immoderato Solis feruore torrerentur, noctu verò largiſſimo cœli rore madefacti, aſtrictis, & propè gelatis artubus rigerent, nec aqua dulci aut planè ſuaui leuendæ ſitis deſideriũ explerent, nec exoptata ægris recentis obſonij ſubſidia claſſis præberet: militari namque induſtria effoſſi toto litore putei, et Aquarię item turris latices inſucunda ſalſugine redundabant, ſic vt ægri pariter & incolumes compreſſa acrioribus pomis ſiti facilè contabeſcerent, quanquam his malis Cæſar inſigni pietatis cura liberaliter obuiã iret, & Ferdinandus Gonzaga Siciliæ præfectus, rerum propè omniũ aduerſus inediam & ſitim, imminentesq; morbos oppurtuna præſidia, onuſtis pluribus nauigijs, in caſtra illico ſubſecuturus tranſmiſiſſet: & Alarco Neapolitanę arcis cuſtos, completa ingenti naue, pari ſtudio ad Cęſarem eſſet profectus. Iam enim Aurianæ claſſis, Hiſpanicæq; præſertim nauticus panis mucorem & cariem ſentire cœperat. Itaq; ad Idus Iulias promotæ ſunt munitiones in conſpectum hoſtium, prolatusquę omnis tormentorum apparatus. Hæc omnia protegabat oblonga munitio ex vimineis corbibus vſitata ratione confectis, & ligneis item vinarijs dolijs quæ arena ſola complebantur, quòd Africæ ſolũ his in locis neq; glabam neque ceſpitem ad opus faciendum præberet. Auria ſuo vſus munere à mari oppugnandæ Guletæ negotium ſuſcepit, ita totius claſſis diuiſis ordinibus, vt roſtratæ naues ſibi per vices tripartitò ſuccederent, diſploſiſque tormentis cædendo, ſequentibus locum darent, maiores verò onerariæque naues idoneis in locis ad ancoras conſtitutæ, ex caſtellis prorarum & puppiũ, & ab excelſis ſummi mali carcheſijs iugiter operam nauarent. A terra autem tribus in locis tripertitò pariter ſingula munera diuiſis inter ſe per nationes copijs Vaſtius partiebatur, vt ſingulæ acies ex æquo attributi laboris onus, et ſperatæ laudis fructum ſentirent. Nunquam ab vlla hominum memoria, poſtquam tormenta ad excidium humani generis reperta ſunt, vel acriore vi, vel maiore apparatu, exactioreque diligentia munitus vſquam locus eſt oppugnatus. Tanto enim crepitu, adeoq; horribili reboatu fragor ingentis terræ motus inſtar eſt editus, vt non quati modò & grauiſſimè concuti, verum tota paſſim terra hiſcere, & iam iam mortales abſor-

bere videretur. Mare autem quod modo tranquillitatem pacati æquoris oſtenderat, fluctuoſius concitari in orbes, remotaq; etiam pelagi ſpatia, repente excitata flauenti ſpuma cõturbari, lateq; feruere ſpectarentur, quũ cœlum ſuperfuſa tot excitatis ignibus fumea caligne, omniũ oculis eſſet ereptum. Ab aurora ad meridinem maioribus colubrinis nuſquam eſt ceſſatum. Itaq; turris cum adiecto ſuo antemurali terebrata vndiq;, & penitus diffracta ſic concidit, vt tormenta ſuis appoſita feneſtellis, horumq; libratores, corruentium parietum, & proſciſſæ teſtitudinis ruina contegeret, munitionesq; circum omnes, nudatæ propugnaculis late paſſim perfoſſæ atq; deſiectæ, non omnino difficilem noſtris aſcenſum præberẽt. His ad accendendos animos cucullatus ſacerdos crucifixi Chriſti ſeruatoris ligneam imaginem præferebat. Nec mora cohortes quibus ſingulis ſenæ ſcalæ erant attributæ, eo ordine vt tum hoſtilem munitionẽ inuaderent, quum ſignum tubarũ cantu eſſet datum, noſtrorumque tormenta ceſſaſſent, cohortante iubenteque Cæſare procurrerunt. Neq; diu Barbari quanquã in ſubeuntes tela omnis generis, naualiq; artificio miſſilem ignem tenaci flãma armis adhærentem conijcerẽt, vim noſtrorum tanquam terrefacti, magnaq; introrſus obruti clade ſuſtinere potuerunt, ſed occupatã a ſcandentibus munitionem, amiſſa ſpe defenſionis deſerere, præcipitesq; ſe in fugam dare coacti ſunt. Sinas ipſe cum ducibus ponte ligneo ſe eiecit in aduerſam continentem, læuoq; litore intẽto curſu Tunetum profugit, quo itinere multo maxima pars ſuorum ſeſe proripiebat. Alij cæſi pulſiq; in ſtagnũ detrudebantur, quos enatare conantes, & dextri litoris appetentes marginem Hiſpani equites & ſclopettarij præſertim venatoria conſuetudine paſſim opprimebant, tanta conſectandi voluptate, vt tota paulus Barbarorum cadaueribus conſtrata videretur. Noſtri paucis amiſsis, omni tormentorum apparatu, totaque iampridem ſubducta (vt diximus) hoſtium claſſe ſunt potiti, quo nihil iucundius Cæſari Hariadeno verò acerbius accidere potuit gementibus piratis, qui maris & totius nauigationis facultatem, qua vna maximè valerent, amiſiſſe querebantur. Conſtabat enim Barbaruſſam in ancipiti deliberatione aliquandiu ſtetiſſe ambiguum, tuereturne regnũ terreſtri manu, an ipſam potius maris poſſesſionem retineret, qua ipſe ab ineunte ætate facto ſæpius Fortunæ ſuæ periculo, duo opulenta regna, & longè clarisſimam peritiæ naualis exiſtimationem eſſet conſecutus. Sed in ſuperbo ambitioſoque homine vel improbantibus trierarchis præualuiſſe confirmandi regni cupiditatem, tum maximè ſibi aduerſo Pœnorum ſtudio, qui alienigenã, & multa cruentũ cæde prædonem ſibi regem impoſitum abominati, rediturum Muleaſſem expectabant, quem veteres amici ex Tunetanis expeterent, & præcipuus inter Numidas auunculus Dorax ſere ducturum polliceretur. Verùm ego poſtea ab ipſo Auria accepi, Barbaruſſæ nihil famæ de aduentu Cæſaris credenti, tempus omnino defuiſſe, quo claſſem deducere atque inſtruere poſſet: nam quæ intra Guletæ fauces reducta, in ipſa paludis tuta ſtatione ſeruabatur, niſi magno ergatarum & funium molimine, longoque militum & ſeruorũ remigum labore extrahi, appararique non poterat. Neque enim Barbarus vir acutus, ac vtriuſque militiæ peritisſimus, vtrobique ſi copias diuideret, rem iuſtis viribus, & bona ſpe geri poſſe iudicabat. Qua de cauſa, ſicuti ſuperiore libro demonſtrauimus, nouũ intra paludẽ portũ efficere, mareque apertũ nouis faucibus ad occaſum excauatis immittere cogitarat, & iam magna ex parte perfecerat, vt expeditã inſtructamque ſuis armamen

tis claſſem ſecuro in loco, & vndique tormentis permunito continerent. Sed cum pertinaciſſimé vacantem operi, & paſſim veteribus Carthaginenſis molis reliquijs occurrentem aquileges deterruerunt, affirmantes exiguo tempore futurum, vt Guletæ munitio á continente abſciſſa, & redacta in inſulæ formam, nouo terreſtri præſidio (ſi vſus poſceret) confirmari atq; defendi non poſſet, & allidentis maris fluctus perflante Aquilone ſtagnum inuectis arenis oblimarent, exaggeratiſq; vadis ſummæ vtilitatis Tunetana nauigatio tolleretur. Cæterū Barbaruſſa tāto accepto incommodo perturbatus & exterritus, venientem ad ſe cum reliquis Iudæum ita turbido infeſtoq; ſupercilio excepit, vt ignauiam cunctis, fœdumq; terrorem nimis propere conceptum exprobraret, grauiq; admiſſi dedecoris contumelia proſequeretur. Ad ea tamen Sinas pro omnibus reſpondens, Hariadene, inquit, quamdiu cum hominibus armatis certandum nobis fuit, vti plane ſcis nec hoſtes diffitentur, operam exiſtimatione noſtra, & tuis auſpicijs dignam edidimus, vbi veró nobis cum diro Sathana, furijſque eius infernalibus, qui in nos horribili cum incendio terræ motum extremi terroris atq; periculi excitarunt, repugnare neceſſe fuit, tibi mirum videri non debet, ſi immortalium humani generis hoſtium inuſitatam vim effugimus, vt tibi meliore Fortuna de imperij vrbiſq; tutela certaturo integri ſeruaremur. Neq; nos diſpudet, tanquam iterum pugnaturos, eo periculo ereptos videri, é quo tu ſi interfuiſſes ſummæ conſtantiæ vetus dux, & miles, non turpe modó, ſed plané honeſtum (ſi libero ore tecum loqui licet) incolumen emerſiſſe arbitrarere. Hæc in primo congreſſu dicta fuiſſe ab his qui ſermoni interfuerunt didicimus. Hariadenus compreſſo animi dolore, verborum contentioni finem imponens, leniore oratione ſingulos vehementer eſt cohortatus, vt ſecum pro republica ſaluteque omnium aduerſus hoſtes bellum ſuſtinere, intentiſſimaq; cura gerere vellent. Seperare enim ſe poſtquā ampliora iam Afrorum peditum auxilia, & ingentes Numidici equitatus turmæ appropinquarent, hoſtes non diu Guleta capta lætaturos, indeque mox ad paranda quæ opus erant omnem induſtriam ſtudiumq; conuertit, prolata ſtatim ex ærario ampliore pecunia, diſpenſataq; liberaliter inter Afros & Numidas, vt propenſiorum confirmaret amicitiam, & nouo benificio dubios obſtringeret. Interea rex Muleaſſes ex vlteriore Numidia cum modico propinquorum & clientium comitatu ad Cæſarem in caſtra peruenit. Conſederat in ſella regia Cæſar medio in pretorio, in quod admiſſus eſt Muleaſſes ſuo cultu mitratus, cui lintea faſcia á mento demiſſa guttur protegebat, & tibias talaris adornabat veſtis é ſerico viridi & cyaneo diſcolor. Erat is procera ſtatura, ſuffuſco vultu, planeque virili, ſed oculorum lumine ita peruerſo, vt ſpectantes maligné contueri videretur. Poſtquam veró exoſculatus eſt Cæſaris dextram, tapete ſubſtrato, humi collectis cruribus more patrio ſedens, per interpretem in hanc ſententiam eſt locutus: Nullo meo, ter maxime imperator, inſigni officio prouocatus, quod ita religiones quibus diſſentimus tulerunt, in hanc terrā armatus, & iam plané victor aduenisti, nō ſine, vti reor, præclaro inſtinctu magni numinis, quod & nos pari pietate colimus, ſcilicet vlturus ſummæ perfidię & crudelitatis tyrannū & prędonem, humani generis hoſtē atrociſſimū, de quo propé iam partā expugnata Guleta, & capta claſſe victoriā ita prouideo, vt propediem cū maleficiorū omniū te vindice pœnas daturū ſperem, et eo quidē meo vberiore gaudio, quód fœlicitatis atq; victorię tuę fructus

ad me ſit rediturus, me quidem in paternum & auitum regnum reſtitues, quod à ſumma tua equitate atque virtute ſupplex & exul ſperauerim. Erit enim tibi in primis vtile planeque decorum, ſi me, regem antiquiſsima ſtirpe progenitum, & magnis Numidarum & Pœnorũ propinquitatibus clientelisque validum, complectare. Nec recuſo vel tributum pendere, vel me beneficiarij iuris nomine Chriſtiani imperatoris clientem profiteri. Fidei verò meę nullus erit locupletior vades, quàm accepti benificij memoria, quę apud me liberosq; meos erit indelebilis, vel ob id præſertim quòd ingrati nomen abominer, & exhorream, perenniq; amicitia veſtra adeò propinquis è Sicila Sardiniaq; præſidijs confirmari mihi opes, & Punicę gentis ſtudia conciliari nõ ignarus rerum intelligam. Cæſar ad ea reſpondit, ſe eo animi decreto in Africam traieciſſe, vt multorum temporũ iniurias, quas Barbaruſſa cunctis regnorum ſuorũ litoribus intuliſſet, armis vindicaret, maleficentiſsimumq; hominum genus piratas excinderet. Huic voto ſuo piè cõcepto Chriſti Dei numen ſecundũ belli ſucceſſum dare, aſpiraturumq; iam procul dubio, vt Tuneto capto ſumma victoria potiretur. Tum verò ſe cuncta ei quæ ex vſu rerum fructuq; victoriæ forent, benignè conceſſurum, modò fidem non falleret, quæ ſibi ſuſpecta tanquam Punica videri poſſet, niſi eam beneficij memoria regio in animo gratiſsimè confirmaret, aut armorũ metus abundè tueretur, quãdo hiſdem viribus & regna benemeritis dari, & rebellibus adimi facilè poſſent. Muleaſſes maximè grauem ſe præbuit, tanquam priſtinæ Fortunæ ſuæ nihil oblitus, quũ eum Cæſar porrecta manu humaniter complecteretur. Ita verò comem ducibus ſeſe oſtendit, vt ad ſpectaculum in quo conſpici vellet, quum haſta lõga peritiſſimè quaſſata, & cõuoluta in auerſos & aduerſos ictus, admirabiliter ſe exerceret, et ſeriò præliantibus noſtris admiſceri cupere videretur: per otium autem cum philoſophis de natura vniuerſi, & de motu cœli, poteſtateq; ſyderum exactiſsimè ex Auerrois diſciplina diſputaret. Ei Cęſar tabernaculum tendi et hoſpitalis munificentiæ munera in quotidianos vſus præberi iuſsit. Vaſtius & Albanus, & ſecundum hos reliqui proceres omni honore adhibito ſuſceperunt. Cupientem verò caſtra conſpicere, ſpectatum comiter deduxerunt, vt quas aggerum moles noſtri celeriter extruxiſſent, quantus tormentorum eſſet apparatus, quæ cuſtodiæ armatorum in ſtatione pro caſtris excubarent, & quantam vim peritiæ militaris, tot legiones non lingua modò, ſed ipſo oris habitu, & cultu armorum maximè diuerſæ præferrent, præſens agnoſceret, intuereturq; oculis an tot lectiſsimarum copiarum præſidia, quæ Cæſar inuictus imperator, ipſius qui iam reduceretur inſigni benificio in Africam adduxiſſet, ad debellandos hoſtes ſatis forent. Muleaſſes ante omnia numerũ atq; ordinem tormentorum, & incredibilem in foro rerum venalium omnis generis copiam, miramq; præſertim coementium paſsim militum tranquillitatem, vehementer eſt admiratus. Nec multò poſt duces conſertis in arcano ſermonibus diligenti percunctatione multa ab regè ad gerendũ bellũ oppurtuna didicere: de Tunetanorum in primis ſtudio & viribus, de ſitu item vrbis naturaq; mœnium, & munitione arcis, de ſuburbanis puteis & ciſternis, & quam longè lateq; proxima olíueta, quæ denſiſsimi nemoris ſpeciem præberent, ad ortum Solis protenderentur: quales porrò Afrorum & Numidarum eſſent copiæ, quæ mercede conductæ tirãno operam nauarent. Id poſtremò non inani coniectura, tanquam mox euentu minimè cariturum, conſtanti ore protulit,

Barba-

Barbaruſſam nequaquam mœnibus, quæ tot noſtrorum tormentis non magno labore proſterni poſſent, eſſe confiſurum, ſed omnes ſub ſignis ad oſtentationem educturum copias, ut inconditę multitudinis conſpectu procurſuq; terrere noſtros, & immiſſo Numidarum equitatu, magnisque de more gentis ſublatis clamoribus perturbare niteretur. Nec tamen Turcas pedites, quibus unis maximè fideret, & parcere vellet, in aciem eſſe producturum: verùm reliquam Afrorum turbam obiecturum armato hoſti, ut quid efficere poſſet, extra ſuorum periculum, Punico tantùm ſanguine vir aſtutus & callidus experiretur. Nihil enim eum ſuis nationibus magis alienum, magisq; miſerum arbitrari, quàm ſi collatis ſignis collatoq; pede confligeret cum eo hoſte, qui phalanges ſplendenti protectas ferro, & prælongis horrentes haſtis ſtabili gradu promovens, nudos iaculatores & ſagittarios, carpentesque incedentia agmina inermes Numidas irriſurus eſſet, & nullo negotio proſtraturus. Noſtros autem nihil omnino perpeſſuros aut ſenſuros infeſtius quàm ardorem Solis & obortam inde ſitim, cui tamen malo facilè occurri poſſet crebris aquæ ſubvectionibus. Eam namque è propinqua claſſe utribus, & cupis ligneis per ſervos & frequentibus naviculis per ſtagnum abunde poſſe comportari, diſpenſarique per acies, quanquam in proximo non longè à mœnibus veteres ciſternæ ſatis magnam vim aquæ dulcis ſitientibus præbituræ crederentur, niſi eas malignus atque atrox hoſtis communi incommodo venenis inficeret. Hæc ſuo ordine ad Cæſarem perlata, eum in ſua ſpe non dubiæ victoriæ confirmarunt, isque totus in eam cogitationem generoſo conſilio incubuit, ut nihil militaris ſtudij curæque remittens quàm primùm univerſas copias Guletæ & Tuneto admovendas decerneret. Cæterùm parandis his rebus inſtruendisq; militibus, & noſcendis hoſtium conſilijs, quum impensè vacaret Cæſar, varia noſtri quotidie cum Numidis prælia ſerebant, ſic ut ſemel iuſta prope pugna cum barbaris certaretur, quæ initium hoc modo habuit: Barbari æneis aliquot tormentis inter oliveta diſpoſitis, pilas continenter in caſtra iaculabantur. Ea re cognita Cæſar omnibus Italis & veteranis compluribus Germanorum Hiſpanorumque cohortibus aggeri & caſtris præſidio conſtitutis reliquas copias & equitatum educit, quum paulò anteà Montegium equitatui Hiſpanico præfectum contra hoſtes præmiſiſſet. Cum Barbaris aliquandiu vario eventu certabatur: nam tametſi per aliquot ſclopettarios pedites ſatis proſperè contra hoſtes noſtri rem gerebant: Hiſpani tamen equites, uti ex clientibus procerum parum armorũ uſu peritis conſcripti, Numidarum & Turcarum equitum vim ferre non poterant: ſic ut inſpectante Cæſare perturbati & terga dantes, ad gravis armaturæ vexilla confugerent, & ipſe dux Montegius vel acerrimè pugnans ſolido thorace Numidica cuſpide perforato graviter ſauciaretur, atque ægrè ſervaretur: & idem vitæ periculum vulnere accepto adiret Garzias Laſsius nõ genere modò, verùm poetica lauro perilluſtris. Hunc ſauciatũ & circumventum Federicus Caraffa nobilis Neapolitanus ſuo hoſtilique ſanguine perfuſus ſervavit. Id autem pugnæ genus eiuſmodi erat, ut magno impetu primo procurrerent: deinde quum premerentur, conſultò terga darent, & hoſtium impetum cedendo refringerent: rurſus converſi infeſtis ſignis irruerent in hoſtem. Sed aliquanto iniquius Hiſpani: nam tametſi optimi generis equos adduxerant, minimè tamen eos huiuſmodi prælijs inſuefactos habebant. Quoniam equeſtris exercitatio poſt depulſos Bætico im-

perio Mauros iampridem exoleviſſet, præterquam quòd haſtarum longitudine etiam Barbaris erant impares, ideoque pauci adverſus multos ingruentes conſiſtere non auderent. Cæſar ubi ſuos à Barbaris acrius premi, ac cedere paulò longius vidit, celeriter cum gravioris armaturæ equitibus advolat: cuius adventu & acri impreſsione Barbari tormentis currulibus amiſsis, præcipites ſeſe fugæ mandarunt. In eo concurſu Cæſar ipſe, uti ante agmen armatus conſtiterat, divum Iacobum, quod eſt Hiſpanorum equitum tutelare numen, pro teſſera clariore voce invocavit, & in Barbaros ita invectus eſt, ut non ducis modò intrepidi, ſed pugnaciſsimi etiam militis officium præſtaret, coronæq; civicæ honorem promereretur, quum Andream Pontium equitem è Bætica nobilem equo perfoſſo deiectum, & graviter in facie vulneratum, ideoq; circumventum ab hoſtibus ſuo interventu ſervaviſſet. Vni eo die è noſtris pauciſsimi equites Græci, duce Lazaro Coroneo, Barbaros uſque adeo mirabili feriendi atque eludendi arte, præſentique audacia repellebant, ut ſæpe dare terga cogerent. Sed Græcorum & Lazari inuſitata ferocia temeritateque fiebat, ut quum abeuntium agmina laceſſendo inſtandoque intemperanter perſequerentur, oborto pudore Barbari indignanter in id procax & pileatum hoſtium genus ora & ſigna cõverterent, redintegrataque pugna refugientes effuſè conſectarentur uſq; ad cataphractorum alas, quas Gręcorum periculo commoveri laxarique neceſſe foret: id graviter ferente Cæſare, qui abeuntium terga potius à noſtris eo tempore quàm ora pugnantium ſpectãda iudicabat, tanquam equitatui ſuo valde perterrito diffiſus: ſic ut Lazarum ſæpe revocatum, nec dicto audientem diſtricto gladio perſequens, niſi laxatis fortè ephippij cingulis ex equo in arenam prope decidiſſet, percuſſurus eſſe crederetur. Per eos quoq; dies accidit, ut barbarorum circiter triginta milia ad occupandam turrim, in editiore antiquæ Carthaginis tumulo ſitam, magno ſtudio & velocitate contenderent. In ea turre Cæſar, quòd caſtris immineret, paulò ante præſidium paucorum militum reliquerat. Barbarorum agmen magus quidam ſacerdos Numida ſuperſtitioſo ululatu edito præibat, ſpargens circumquaque quaſdam ſyngraphas, quibus Chriſtiani nominis militibus dirum exitium imprecabatur, iamq; noſtros incluſos turri, atq; igne & fumo circũventos vehementer premebant, quum Cæſar ipſe protinus promotis equitum & peditum aliquot ordinibus, Barbaros invaſit, atque omnes celeriter mago ſacerdote ante alios interfecto, terrore perculſos in fugam coniecit. Audivi ego poſtea à Cæſare, quum apud Neapolim mihi ſcripturo totius partæ victoriæ ſeriem enarraret, ſe baliſtariorum equitum alam magno proculdubiò uſui contra inermes hoſtes futuram, eo die plurimum deſideraſſe, ut Numidæ & equi eorum præſertim, quos magno parant pretio, ideoque ſecundum vitam longè habent cariſsimos, verutis configerentur, inſtauraturumque propterea eius ſcorpionarij ordinis dudum intermiſsi, & ſenſim exoleſcentis peculiarem alam, qua ſi opus foret adverſus Barbaros uteretur, ſicuti ipſe paulò antè inter prætorianos cuſtodiæ corporis equites habere conſueviſſet. Per hunc modum Hiſpanico equitatu perculſo, plerique putaverunt noſtros equites, ſi univerſo prælio certaretur, neque numero neque genere armorum Numidæ hoſti pares futuros: exploratam tamen per ſclopettarios, & cęteros pedites victoriam exiſtimari, qui audacter effuſos adoriri, & ſeſe in oliveta inſinuare, conderéque ad occaſionem invadendi hoſtis ſolerent, & multa illis ex occulto detrimenta

menta inferrent, ut tum accidit, ſicuti ſupra demonſtratum eſt, quum conglobatam in proximo tumulo Afrorum manum, conſtitutaque ibi duo currulia tormenta in noſtros ſæpe diſplodentem, facto impetu depulerunt, potitique tormentis, aliquot eorum in capeſſenda fuga pertinacius hærentes contrucidarent. His de cauſis quæ ſuprà commemoratæ ſunt, nonnulli graves togatique homines bello minimè imponendum finem, ſed maturè recedẽdum ex Africa dictitabant, quòd ſatis profeciſſe Cęſar videretur, vel ad laudem, quam iam non mediocrem Guleta capta, occupataque hoſtium claſſe eſſet conſecutus, vel ad utilitatem, totis ſcilicet Europæ litoribus prædonum metu liberatis, & tum maximè quum vulgò milites fœdis atque mortiferis alvi profluvijs laborarent, ægrorumq; numerus in dies augeretur: ex adverſo autem præpotentes Numidarum reguli veteres Muleaſsis inimici ad Barbaruſſam perveniſſe nunciarentur. Horum intempeſtivas voces Cęſar opportunè compeſcendas ratus, contra eos gravi oratione diſſeruit, tanquam ineptius atque timidius, quàm homines conſtantiæ & virtutis opinione ab ſe in conſilium receptos deceret de rerum ſucceſſu, futuraque victoria anguſtiſsimis uſque adeo animis dubitarẽt. Eam enim ſe ab ipſis tanquam inutilem & prorſus infamem ſtudij operam non requirere, ut de ſalute ſua potius quàm de dignitate ſoliciti eſſe velint. Ea ſiquidem ante ſuſceptum & bono eventu ſemiconfectum bellum, priusquàm in Africam trajceretur, commemorari debuiſſe: nam tutò ſe in Hiſpania bello vacuum conquieſcere, atq; omnes maritimæ oræ iniurias & miſerorum querelas contemnere facilè potuiſſe. Cæterùm graviſsimis (uti ipſi ſcirent) de cauſis eò eſſe perventum, ubi ad retinendam cum publicæ dignitatis, tum privati nominis exiſtimationem, aut opima parta victoria, aut ſi id ſuperi nollent, honeſta ſaltem morte famæ ſatisfaciendum eſſe cenſeret, quando ipſe omnem vitandi dedecoris, & parandæ laudis rationem ipſa vita cariorem ſemper habuerit. Proinde ſibi ſatis impavido, vel adulari, vel fortibus inauſpicatum terrorem incutere deſinerent, & quicquid ad belli exitum fortuna adveheret, ſe duce conſtantibus animis in craſtinum diem expectarent. Conflicturum enim ſe iuſto prælio, aut ſi hoſtis abnueret, admotis tormentis Tuneti mœnia quaſſaturum, ea mente, ut Deum divosque omnes, quos ſuſceptis ritè votis propitiaſſet, ſibi pro pietate & ſummæ equitatis cauſa bellum gerenti proculdubiò affuturos crederet. Cæſar præſidio Guletæ impoſito, dirutæ munitionis aggerem inſtaurari, captaque tormenta more noſtro ſubditis rotis reconcinnari iuſsit, quæ magnis inſerta trabibus, & navali rudique artificiò armillis præcincta ferreis, neque verti commodè, neque aptè dirigi facilè poterant. Indeque latè explorata regione, quæ inter oliveta & dextros ſtagni margines nudum & expeditum iter ad urbem oſtendebat, caſtra promovit, ita compoſito agminum ordine, ut parati ad pugnam inſtructa acie adverſus omnes inſidias, incurſusque Barbarorum iter facerent. Ad lævam Itali ſtagno proximi, Hiſpani ad dextram oliveta ſpectantes, mediam Germanorum phalangem ſuo incedentem paſſu utrinque tuebantur. Iuxta hanc erant tormenta, & ſecundum hæc impedimenta totius exercitus. In principijs Vaſtius, penes quem conceſſu Cæſaris eo bello, eoque præſertim die militaris imperij poteſtas erat, ſpeculabundus & hortabundus verſabatur. Albanus valido equitatu delectisque cohortibus confirmatus, in poſtremo agmine curabat. Cæſari in medio apud vexilla locus fuerat attributus, cuius lateri cohærebat Ludovicus

Luſitaniæ regis frater. Italis peculiaris erat adhortator princeps Salernitanus, Hiſpanis Alarco dux vetus, et Germanis Maximilianus Eberſteinius, ſed cunctis ordinibus adequitans armatus Cæſar aderat, alacri vultu & fiduciæ pleno, commemoratis ſuperiorum temporum victorijs, quas ſibi invicta virtute peperiſſent. Eo autem die ab ipſis operam longè glorioſiſsimam expectare, poſtquam adverſus Chriſtiani nominis hoſtes, qui eſſent inermes, dimicandũ foret. Itaq; fortibus animis armorum pondera, cedentis arenæ moleſtias, pulveris & Solis æſtum, & ipſam denique ſitim tantiſper ferrent, dum conſpecto hoſte conſeri manus poſſent. Victoriam profecto Deum divoſq; omnes, pro quibus pugnarent, haud dubiè præbituros. Ipſos autem manere opulentæ prædæ præmia, quæ ex direptione ditiſsimæ urbis expectari poſſent. Succlamatum eſt à cunctis agminibus, ne his quas commemoraſſet difficultatibus angeretur, ſed ſperaret ſuos milites cuncta incommoda æquiſsimis animis toleraturos, ut egregiè pugnando veterem ſpectatæ virtutis opinionem non fallerent, & ipſum non in Africa modò, ſed Hieroſolymis recepto Chriſti ſepulchro ſupremum ſummæ gloriæ Imperatorem conſtituerent. Subduxerat Vaſtius è dextra Hiſpanorum acie, quæ oliveto erat coniuncta, duas ſclopettariorum manus, quas manicas vocabant, quòd cornuum inſtar diverſo Italorum agmini eo modo erant coniunctæ, ut admixtis eorum ſclopettarijs ad oliveta uſq; longo tractu ſeſe extenderent, & cum Barbaris diſperſim extraordinario pugnæ genere prçliarentur, Barbariq́ue ad poſtremum uſq; agmen carpendo ſigna verterent. Verùm eos Albanus pari ordine per ſclopettarios & inſtitutas ad id equitum turmas egregiè reprimebat. Iam ad ciſternas, quas Muleaſſes, & plerique alij periti regionis indicarant, erat perventum, hiſq́ue procul conſpectis, noſtri ſub ardentiſsimo ſole pondereq́ue armorum, laceſſente immodica ſiti fatiſcentes, potandi deſiderio abruptim ordines deſerere, & ad eas citato curſu deferri cœperunt, fruſtrà vetante, comminanteq; Vaſtio, qui magno incommodo diſſolvi aciem, & propinquos hoſtes ultrò ad rem benè gerendam accerſiri noſtrorum impatientia providebat. Quum ille retentando verberandoq; nihil proficeret, eò decurrit Cæſar ut præſenti authoritate ægrè parentes in ordine atq; acie contineret. Verùm ubi valida atq; intoleranda ſitis ſudantia corpora perurgeret, neq; cõſpectus Cæſaris, neq; vis imperij quicquam valebat, quòd multi tum prope exanimes in arena procumberent, ita ut Cæſar quoſdam properantius ſe demergentes ut potarent, haſta tragulæ percuteret. Tum quoq; Arpinas inſignis Centurio, qui Tullij Ciceronis nomen ferebat, & ſub Clemente Pontifice Vrbis prætori Magaloto dextram detruncarat, avidè potabundus in ciſterna perijt. Per hunc modũ temeritate caſtigata celeriter ordines ſunt reſtituti. Hoc autem meritò illis accidiſſe videbatur: quoniam Vaſtius pridie totis caſtris pronunciari iuſſerat, ut quiſq; miles utriculum aquæ, aut vini lagunculam ſibi ad zonam ſubligaret, quanquam publica diligentia per acies opportuna adverſus ſitim remedia plenioribus vaſis circumferrentur, qua in re Germanis largius indulgendum fuit. Nec defuère qui propemodum exanimati à proximo commilitone aquæ ſemihauſtum binis aureis ægrè impetrarent. Compoſita igitur acie ſigna adverſus hoſtes promota ſunt: Barbaruſſa enim magnis peditum & equitum explicatis agminibus, in quibus Barbarorum conſuetudine multa ad terrorem inanemq́ue ſpeciem vexilla ſpectabantur, ad tertium ab urbe lapidem pervenerat, productiſq́ue

aliquot

aliquot curribus tormentis noſtrorum aciem, uti prædixerat Muleaſſes, perturbare conabatur. Vaſtius crebrò diſplodente Barbaruſſa, nec ullum tamen detrimentum Chriſtianis ordinibus afferente, tormenta proferri in primam aciei frontem iuſsit, ut his adverſi hoſtes impeterentur. Ea verò quum ægrè tardeque adduci animadverteret, quòd iugatis ſervis & funibus traherentur, currumque rotas arena devoraret, & pilæ ferreæ, ſulphureique pulveris cadi, remigum & nautarum humeris ſegniter comportarentur, conſilium repentè mutat. Cæſarem edocet, ſibi nequaquam videri contendendum eſſe tormentis in ea occaſione, qua milites pugnæ deſiderio incitati ſumma omnium alacritate ſignum ſibi dari vehementer expeterent, rem omnino fortiſsimis militum dextris, fortunæque ipſius bono eventui ſemper aſpirantis audacter eſſe committendam: Ne dum (inquit) tormenta non ſemper magno uſui repentinis in prælijs futura, ſerò expectantur, inutili mora augeatur Barbaris animus, & totus hic non dubiæ victoriæ prænuncius militum animis conceptus ardor importuna cunctatione refrigeſcat. Ad ea Cæſar ab erecto in ſpem invictoque animo pugnæ avidus: Davale, inquit, ſi tibi hoc probatur, quòd diſciplinæ ratio mihi pariter oſtendit, ſigna canere iubeto. Hoc ille extemplò factum reſpondit, ſubiungens æquum eſſe, ut qui toti propè terrarum orbi imperaret, ei parere condiſceret, quem gravi cum onere pudoreque eo die tanti exercitus ducem, abdicato Imperatoris nomine eſſe voluiſſet. Itaque iure meo, inquit Davalus, iam utor, iubeoque, ut hinc abſcedas ad mediam aciem ubi ſunt vexilla, ne fortuito incidentis pilæ caſu, univerſa communis Fortunæ ſalus unius hominis periculo, inexpiabile ſubeat diſcrimen. Ad id ſubridens Cæſar, & ne id timeret ſubdens, quando Auguſtorum Cæſarum nemo unquam tormenti violentia concidiſſet, confeſtim ad ſigna ſe contulit. Itaque pugnæ ſigno multo tympanorum crepitu, & tubarum clangore edito, in hoſtes eſt procurſum, aliquanto pleniore ordinum gradu impetuque præſertim levis armaturæ, quàm Sol cuncta exurens depoſceret, ut emiſſas ab hoſte pilas periculi ſpatium emenſi celeriter evitarent. Erat in prima procurrentium fronte Ferdinandus Gonzaga, cuius eo die extraordinaria opera utebatur Cæſar, quòd nullum ei eſſet certum in exercitu militaris imperij munus. Is concitato equo primus omnium inſignem Afrorum ducem haſta transfixit, diſtrictoque gladio & repetitis ictibus ita proximos perturbavit, ut conſequentibus noſtris hoſtilem aciem facilè perrumpendam fundendamque præbuerit. Tanta autem extitit glandium procella, ut ante congreſſum trecenti amplius ex Barbaris ſternerentur: ex reliquis peditibus conſiſteret nemo, ſed agminatim deſertis tormentis ad Barbaruſſæ aciem confugerent. Is incumbentium noſtrorum neque vim, neque conſpectum diu tulit, ſed præ dolore atque ira dentibus infrendens equum convertit, in urbemque cum Turcis eſt revectus, poſtquam ſuſcepti conſilij initia adverſo conatu minimè proceſſerant, nequaquam univerſo prælio decertandum rebatur, ut qui Cæſaris copias intolerandi æſtus incommoda, multarumque rerum, & quæ præſertim inopiam non diu perferre poſſe crederet, ſperaretque ab his hoſtium difficultatibus præberi ſibi poſſe occaſionem rei benè gerendæ, ſi tantiſper defenſis urbis mœnibus cunctaretur. Numidarum autem & Afrorum agmina, quæ noſtris undique circumfuſa nihil memorabile geſſerant, ad Babaſuecham atque Reſtabiam ſuburbana tecta diverterunt. Alij ad Bardeos uſque hor-

tos ſeſe extendere: reliqui in Rabatinorum ædificia urbi coniuncta recepti ſunt. Cæſar ea hoſtium fuga, quorum centum millium numerus eſſe ferebatur, magnopere lætatus, eodem in loco ubi hoſtis conſtiterat, caſtrametatus eſt, inito ſtatim ſuſceptoque conſilio, ut ſequenti die omnem tormentorum apparatum Tunetanis mœnibus admoveret. Interim Barbaruſſa non obſcuro perculſus metu, multiſque ſimul diſtractus curis, ſe ipſo factus atrocior, inuſitatæ crudelitatis conſilium cœpit, occidendi ſcilicet ſervos Chriſtiani nominis, ita circumpoſito & incenſo tormentario pulvere, ut ad unum omnes in ergaſtulis concremaret, certus id exequi, niſi Iudæus Sinas execrabile facinus diſſuaſiſſet, teſtatus huiuſmodi conſilium viro forti tot victorijs inclyto, regijſque diadematis honorem præferenti indignum exiſtimari, quando non multò pòſt eſſet futurum, ut patrati tanti ſceleris ipſum maximè pœniteret. Quid enim eſſe quàm concepti ſummi timoris & ſupremæ deſperationis indicium? quæ duæ res aſperum ſuſtinenti bellum graviſsimè nocerent, & anteactæ vitæ decora deturparent. Caveret proinde ne ex atrociſsimi facti fama Solymani Imperatoris inexpiabile odium adverſus ſe concitaret, qui omnis inhumanæ feritatis expers, immania ſcelera deteſtari & vindicare conſueſſet. Vivere igitur ſineret Chriſtianos fatalibus ſuis vinctos cathenis, quàm diu ſors ferret, qui diligentiſsimè cuſtoditi atque inermes, non multo pòſt uſui eſſe, nec ſine certa pernicie ſeſe commovere poſſent, ſi inauſpicata libertatis cupiditate tenerentur. Ab his profectò nec dari hoſti, nec ſibi eripi, vel denique morari ſperatam victoriam poſſe. Erubuit ad hæc tyrannus, conceſſaque miſeris vita arce eſt egreſſus, & in longè maximum Vrbis templum concionaturus ſe contulit. illuc enim principes Tunetanorum evocarat, ut quæ ad defenſionem urbis paranda eſſent perdoceret. eorum verò animos adhortatione confirmaret, quibus iam pridem arma tanquam ſuſpectis ademiſſet. Hæc agente Barbaruſſa maximè lætus & felix miſerrimis ſervis dies illuxit, mox ater converſa Fortuna valdeque funeſtus Barbaris rediturus. Id namque diri tyranni votum non diu tegi celarique potuerat: certus ſiquidem barbaræ crudelitatis, imminentiſque adeo atrocis periculi rumor per totam arcem uſque ad ergaſtula permanarat, miſericordia quorundam libertorum, qui domini truculentiam abominati, tactique religione animos ad veterem, veramque pietatem revocarant, primates ſervorum ſibi notos per ſecreta colloquia ad libertatem excitantes. In his fuère Franciſcus è Medelino Hiſpaniæ oppido, & Vincentius Catareus Dalmata, defectæ virilitatis eunuchus. Hic Giafferagas vocabatur: Illum à pueritia educatum, & Arabicas edoctum literas, Hariadenus in delitijs habuerat, & Memim appellabat. Hi duo memorabile, maximeque pium facinus auſi, patefacto carceris aditu, erectis in occaſionem, & audacter conſurgentibus, ad abrumpendas cathenas inſtrumenta præbuerunt, atque ita præclaro magni Dei miraculo circiter ſex millia nudorum hominum, varijs rebus, ſaxiſque præſertim dextras armantium, in Turcas erupere. Iam Ramadas è Baetia Hiſpaniæ oppido, præfectus arcis, inexpectato atque horribili tot cathenas effringentium ſtrepitu excitatus cum armatis, quos repentè cogere potuit, ad arcis portam decurrerat, in cuius limine Siculus iuvenis ingenio manuque promptiſsimus, arrepta repaguli trabe, unum atque alterum cuſtodem proſtraverat, obſeratiſque ferreo vecte poſtibus porta fuerat potitus. Sed Ramada impetum

tum faciente, Siculus uti erat inermis conficitur, & reliqui portæ aditu depelluntur. Ipſe reſerata porta ſibi ac ſuis egreſſum parat, & cum aliquot generoſis equis & ſarcinarijs iumentis, quibus carioris ſupellectilis partem raptim impoſuerat, ad Barbaruſſam acerbiſsimi caſus nuncium ferens contendit. At Chriſtiani exutis compedibus tumultuariæque interfectis aliquot Turcis, totam occupant arcem, armamentarium refringunt, atque omni regia gaza, commeatu, armisque potiti, ab excelſa parte arcis de ſua victoria Cæſarianis ſignificant, partim fumo, partim flammis ab incenſo ſulphureo pulvere excitatis, expanſoque demum vexillo, quod Sarmentinæ cohorti apud aggeres ademptum fuiſſe docuimus. Hæc tametſi dubiæ ſignificationis argumenta, noſtri in multo ſpacio nequaquam præclarè perſpicerent: crebris tamen Tunetanorum ad Cæſarem, Muleaſſemque transfugijs adducebantur, ut gravem omnino apud hoſtes exortum eſſe tumultum crederent, & Cæſar cum expedita manu Giahenum & Buccanigram, qui ſervis opportunè rebellantibus opem ferrent, ad explorandum urbi atque arci appropinquare iuberet. Interea Hariadenus Iudæo in primis, qui importunè obſiſtendo expeditum, & ſalubre conſilium evertiſſet, falſisque item Dijs ſuis crebrò maledicens, ad arcem revertitur. Obſerata ianua ſupplex & propè lachrymans ſervos orat, mœnia portamque tenentes, ut ſe cunctis parcere integra fide paratum extemplò recipiant. At illi veteris novæque Fortunæ ſuæ memores, iuſtoque exacerbati odio, in eum certatim lapides conijciunt, adiectisque contumelioſis vocibus ſummovent: ſic ut ille ira & dolore præpeditus & furens, in conſpectos ſua manu ſagittas dirigeret, & rebus planè perditis & conclamatis, deformem in fugam verteretur. Secuta ſunt fugientem Turcarum agmina, quorum numerus ſeptem millium ſummam implebat eo conſilio, ut ad urbem Hipponam, quam hodie Bonam vocant, divi Auguſtini præſulatu celebratam, ſe conferrent. Ibi enim ſuas triremes conſcendere, marique potius, quàm terra reliquos Fortunæ ſuæ caſus experiri volebant: quoniam Hariadenus in ſtagno iuxta urbem & arcem influente, triremes quatuordecim tanquam in ſtatione tutiſsima reliquerat, ad incerta belli, ſi opus foret, deducendas. Armamenta autem cum remis atque tormentis depoſita erant in arce, quam ſuo præſidio tuebatur. Cæſar ubi hoſtem deſperatis rebus effugere, Bardeoſque prætergreſſum hortos, ad Bagradam amnem, qui à Pœnis Magiordech appellatur, extentis itineribus properare certius didicit, Tuneti portis omnes copias admovit. Adventanti præſtò antè affuere civitatis magiſtratus, qui allatis portarum clavibus deditionem facerent, eiq; incruentæ victoriæ felicitatem gratularentur: ſe autem gratiſsimo animo, quòd eſſent ſęviſsima Turcarum tyrannide liberati, cuncta quæ imperaret, protinus eſſe facturos. Id unum petere ab æquitate optimi & clementiſsimi Imperatoris, ut milites extra urbem in caſtris continere, & civitatem cumulato obſtrictam beneficio inviolatam præſtare vellet, poſtquam Muleaſſem antiquiſsimæ ſtirpis ipſorum regem, ſingulari benignitate reducendum adduxiſſet. Nihil enim milites ex urbanis rerũ omnium copijs, quæ ſuppeditari poſſent, eſſe deſideraturos. Pro ſuis quoq; civibus deprecator aderat Muleaſſes, vehementer de civitatis ſalute ſolicitus. Sed Cæſar quanquã ad id pręſtandum ſatis propenſo animo eſſe videretur, tamen quòd de Punica fide nõ temerè dubitabat, et quã Tunetani per Muleaſſem pecuniã ſe in ſtipendium prębituros antea promiſiſſent

aſtutè & cunctanter extrahendo tempus expedirent, utpote qui de ſupremis Barbaruſſæ conſilijs eventum expectabant, ut ad id prolixè polliceretur adduci non poterat, & quominus Pœnis quicquam certum de eorum ſalute pro mitteret, vel ob id admonebatur, quod turbidas frementium militum voces audiebat. Dictitabant enim ſe perinique ſimul & ingratè tot navigationum ac itinerum extrema perpeſſos incōmoda iuſto victoriæ præmio fraudari, poſtquam ipſos illuvie obſitos & inopes, nihil iam aliud ſuſtētaret & aleret, quàm oblatæ ſpes prædæ, quæ ſibi lacera veſte vix pudenda tegentibus, exuſtiſque longo labore & ſiti inclementer eriperetur, ſcilicet ut Tunetani religionis hoſtes perpetuique receptatores & hoſpites immanium prædonum Chriſtiana victoria lætari poſſent, ipſi autem victores eluſi undiq; ſuas ærumnas perpetuò lugerent. Suſpenſo adhuc Cæſare Vaſtius cum parva manu ad arcis portam acceſsit, & à ſervis qui ſe in libertatē vendicarant, cum inſigni gratulatione receptus eſt. Inſpectāti autem Barbaricas opes, & totum arcis apparatum, ſervus Ligur abſconditæ pecuniæ latebras indicavit. Demerſerat enim Barbaruſſa in ciſternam ad triginta milia nummū aureæ monetę, pluribus inſutę culeis. Hos expiſcatus Vaſtius, à Cæſare prædę donativiq; nomine, ut ſibi concederentur facilè impetravit. De ſe enim omnibus bellis optimè meritum, & ex natura liberalis ingenij inter principes eius ætatis maximè largitorem, eo munere dignißimum exiſtimabat. Verùm arce inexpectata felicitate in poteſtatem redacta, & iam diripientibus cuncta ſervis, miles diutius contineri non potuit, quin agminatim intraret urbem, & per cunctas regiones ad prædam discurreret, Tunetanis nihil ferè hoſtile expectantibus, & magno eiulatu edito Muleaſsis fidem fruſtrà implorantibus. Paulò ſiquidem antè conſpecto Muleaſſe gens æquè mobilis & infida, pronaque in adulationem magnas inuſitatæ lætitiæ ſignificationes manuum plauſu, & crebra geſticulatione corporum, ſecundiſque acclamationibus omnis virorum & mulierum ætas ediderat, ſcilicet ut antiqui in noſtros odij libidinem reconderent, ob idque victores noſtri nullo eorum merito ad miſericordiam flecterentur, quum ex con ſcientia incertæ fidei id ſummæ calamitatis incommodum ultrò ſibi ipſis contraxiſſent. Primus inhiantium prædæ impetus, uti invadentium & effringentium fores varij caſus tulerunt, promiſcua cæde cruentus fuit. Sed Hiſpanis atque Italis in avaritiam pronioribus, Germani ab inſita animi feritate Mahometano cruore ſitim explere properantes, ita cadaveribus cuncta compleverunt, ut imbellem omnis ſexus & ætatis turbam, ad inanium Deorum templa confugientem ſine diſcrimine trucidarent, & pavimenta damnatis in templis multo inermium ſanguine inundarentur. In eo cadentium miſerorū ſtrepitu, lugente obteſtanteq; Muleaſſe, Cæſar ſævitię modum impoſuit, pronun ciariq; iuſsit capitale fore, ſiquis Tunetanum violaret civem, aut in ſervitutem abduceret. Fieri tamen nequijt quin multi, adoleſcenteſq; præſertim, & formoſiores fœminæ ad claſſem raperentur: nam ſocij navales fama diripiendæ urbis exciti ad urbem convolabant. Quamobrem Muleaſsi licuit, quos noverat è manibus prædantium in libertatem exiguo pretio vendicare, ſicut unam ex uxoribus eius, quæ anteà inter cariſsimas fuiſſe dicebatur, binis redemptam aureis conſtet. Cæſar ingreſſus arcem ſervos, qui clariſsimo facto ſummæ parandæ victoriæ occaſionem præbuerant, collaudavit, diviſaque viritim certa pecunia, qua ſeſe alerent, liberos fore dixit, pollicitus navigia, &

com-

commeatum, quibus in ſuas terras tranſportarentur: Medelinum autem & Giaffetem, quos Barbaruſſæ alumnos, & effringendi ergaſtuli authores fuiſſe docuimus, pecunia, veſteq; donavit, à quibus poſtea multa de Barbaruſſæ conſilijs, arcaniſq; moribus didicimus. In ea arcis direptione tria incomparabilis iacturæ detrimēta Muleaſſes deploravit, Arabicorum voluminum in primis, quæ conturbata atq; direpta bibliotheca perierunt. Aſſervabantur enim antiquiſsimi codices, non diſciplinarū modò omnium præcepta, ſed ſuperiorum etiam regum res geſtas & Mahometanæ ſuperſtitionis interpretationem continentes, quo rex ipſe poſtea me audiente, ſe unius urbis pretio (ſi fieri poſſet) avidè redempturum diſſerebat. Secundo loco fuit unguentorum odoratique Indici aromatis officina, in quā patris Mahometis exemplo, prodigioſi ſumptus, inuſitatæq; luxuriæ orientis opes contulerat. Siquidem plumbeis in loculis, eburneiſq; arculis tanta vis ambræ, muſci & zibeti (harū rerum antiqua vocabula adhuc ignoramus) in balnei quotidianos uſus, & nocturnos diurnoſq; cubiculorum ſuffitus erat recondita, ut ingentis auri ponderis pretium excederet. Quæ tamen omnia Hariadenus victor militari duritia ſubagreſtis, & damnarat, & effuſè contempſerat. Poſtremò varia maximeq; pretioſa pigmentorum genera, ab ignaris ſervis atque militibus prȩſentis tantùm & manifeſti lucri ſpolia quærentibus, ſtultè prætermiſſa diſsipataq; ſunt. Nam acervi plures cærulei tranſmarini, quod cyaneum efficit colorem, & à Græcis authoribus lazurium vocatur, in armarijs reperti ſunt, multique culei, cocco & lacca Indica pleni, quæ purpuræ colorem æmulantur, & à pictoribus eximijs, & lanarum telæque ſericæ infectoribus magno coemuntur pretio. Quæ omnia tum fœdè peſſundata nemini prædȩ futura diſperierunt. Ingens quoque baliſtarum, & noſtri moris telorum & armorum, thoracumque præſertim ex laminis, & galearum apparatus eſt repertus, agnitæque ſunt in his caſsides, ocreæ, fœmoraliaque Gallorum equitum, ab eo tempore quo Ludovicus rex Galliæ Tunetum ante trecentos annos obſederat, à Pœnis de Chriſtiano hoſte parta, quæ ad eius belli memoriam cuſtodita ſervabantur. Interea Hariadenus ad Bagradam amnem, qui Maiordech à Barbaris appellatur, iter intendit, vadoque propter æſtatis ſiccitates facilè reperto, tranſgreſſus eſt, nequicquam perſequente vel laceſſente Numidarum ala, quam Muleaſſes ex veteribus amicis, avunculique Doracis clientibus coactam, abeuntes Turcas perſequi iuſſerat. Eo namq; ordine Barbaruſſa iter habebat, ut poſtremo ſuorum agmine certis ſclopettariorum & ſagittariorum præſidijs more militiæ confirmato, neque manus conſerere, neque appropinquare quidem auſos facilè contemneret, & Hipponam omnibus ſuis incolumibus, uti ſtatuerat, intactus evaderet. In tranſitu tamen Bagradæ amnis Haydinum Smyrneum inclyti nominis piratam deſideravit, quum is in magno Solis ardore longoque itinere feſſus, & multo adipe prægravis cogente ſiti ex profluente avidius potando diſruptis præcordijs in ripa expiraſſet. Hariadenus ubi Hipponam pervenit, primum omnium recreandis copijs bidui quietem dat, concioneque habita univerſos conſolatur, hortaturque ut quodcunque incommodum iniqua ſors attulerit, id nequaquam hoſtium virtuti, ſed ſervorum perfidiæ tribuendum exiſtimare velint. Fortunam invictis patientiſsimiſque animis ferendam, eamq; nova virtute conciliandam arbitrarentur. Sibi eſſe in animo claſſem educere, atq; inde continuò Algeriū proficiſci, ubi maioribus prȩſidijs cōparatis,

claſſeque adaucta, & novo ſuſcepto conſilio, rem ipſorum votis parem, & ſua exiſtimatione nō indignam ſit auſurus. Nunquam ulli duci ab adverſo rerum eventu fracto ſubactoque, alacrioribus animis à militum corona ſucclamatum fuiſſe memorant, quum ultrò depoſcerent, ut quæ vellet vel graviſsima atque aſperrima univerſis imperaret. nihil enim ſe recuſaturos, modò ad rem gerendam educerentur. Itaque incredibili ſtudio & promptiſsimis ſuorum viribus fretus, triremes quatuordecim demerſas in ſtagno, ipſoque profluentis fluminis vado admirabili celeritate educit, ſuisque impoſitis armamentis protinus exornat. In margine ſtagni aggerem erigit, productaque munitione in eam tormenta confert, non inani coniectura iudicans non multo pòſt noſtrorum claſſem affuturam, ut egreſſum impediret. In eo quoque conſilio Cęſar & Auria pari ratione verſabantur, ut hoſtem evadere parantem præoccuparent: rati eius claſſem priuſquam deduci adornarique poſſet, ſi pars ipſorum claſsis eò mitteretur, tormentis in ſtatione demerſuros. Ad eam rem conficiendam ab Auria deligitur Adamus Centurio Genuenſis, nō magnoperè rei navalis peritus, ſed affinitate Auriæ & multis divitijs æquè fidus & potens. Is certum triremium numerum ſocijs imperat, & ſublato vexillo cum quatuordecim tantùm roſtratis ad Hipponam provehitur, certam facilemque victoriam, ingentemque inde ſibi laudem de imparato hoſte ſe adepturum ſperans, quòd in apparatu inſtruendæ claſsis occupatum Barbaruſſam fore crederet. Sed poſtquā Biſertum prætervectus Hipponæ appropinquare cœpit, Barbaruſſam incomparabili celeritate claſſem eduxiſſe, & munitionem tormentis inſtruxiſſe certius didicit. Quare vehementer perturbatus conſilium mutat, monentibus trierarchis, ut omnem certaminis aleam devitaret, quòd in ſociorum triremibus, Hiſpanicis præſertim, Siculis & Neapolitanis rari eſſent propugnatores, ut qui ad prædæ ſpem anteà, iniuſſu in terram deſcendiſſent: ideoq; iniquiſsima conditione cum Barbaris numero, feritateque præſtantibus pugnaturus cenſeretur. Itaque opportunè prudens obverti proras iubet, & velis remisque regreditur, ut maiorem partem claſsis accerſat. At Barbaruſſa, uti poſtea cognitum eſt, diu in incerto habuit, an noſtrorum claſſem ad ſpem victoriæ conſequeretur, poſtquam pari triremium numero foret confligendum, an potius in vetere propoſito petendi Algerij perſiſteret. In hanc ſententiam inclinarunt trierarchi, ignari prorſus infrequentiæ imbecillitatisque noſtrorum: atq; ita occaſione magni certique proventus prætermiſſa, modico Turcarum pręſidio arci impoſito, oram ſolvens Algerium enavigavit. Redeunte autem Adamo rebus infectis plerique principes ægerrimè tulerunt, quòd incuria quorundam imperio ægrè parentium, & flagitio ſociorum navalium, qui iniuſſu in litus deſcendiſſent exoptatæ victoriæ occaſio elapſa videretur. Hoc enim unum eo bello ad ſummam Cæſaris felicitatem defuit: nam præferoci hoſti ſi ei claſsis à noſtris erepta aut demerſa fuiſſet, nullus omnino tutus ad fugam locus relinquebatur: quoniam innumerabiles Numidæ Turcarum ex profeſſo hoſtes per mediterranea ærumnoſum iter habentem ex notis ſaltibus invaſuri, & priuſquam Algerium perveniret, omnino deleturi crederentur. Cæterùm Auria graviter indignatus ſibi & ſuis, nec tamen deſperans hoſtem ſe adipiſci poſſe, cum tota ſua peculiari claſſe, cæterisque validioribus ſociorum roſtratis, Hipponam contendit. Cognito autem Barbaruſſæ diſceſſu urbem cœpit, murosque diruit: arci verò quàm tormentis in poteſtatem redegerat

gerat

gerat præſidium impoſuit duce Alvaro Gometio, regreſſusque eſt ad Cæſarem. Cæterùm Gometius, tametſi vir erat bello fortiſsimus, uſque adeo tamen avaritia erga hoſtes pariter & ſocios evaſit infamis, ut iudicij metu manus ad turpem vitæ exitum ſibi conſciſceret, & Cæſaris iuſſu arx ipſa, quæ niſi magno ſumptu defendi poterat, funditùs everteretur. Exinde conſultatum eſt de Muleaſſe: Cęſarque eum Tuneti regem maiorum ſuorum conſuetudine regnaturum cõſtituit, binosq; tantùm falcones ad aucupium, & binos è Numidia pernices equos tributi nomine quotannis impoſuit, ea conditione, ut Chriſtiani nomini amicus: Turcarum verò gentis perpetuus hoſtis Cæſaris nomen coleret, & Guletano præſidio, quod ex Hiſpanis amplius mille imponebatur, ſtipendium perſolveret. Cogitatum ſubinde eſt de oppugnãda urbe Africa, quæ in Adrumentino ſinu valido Turcarum præſidio tenebatur. Hæc urbs antiquitùs parva Leptis fuit, hodie à noſtris Africa, & à Barbaris Mahemedia appellata. Sed adverſæ tempeſtates claſſem ſuperare Clupeæ promõtorium (hęc hodie Calibia dicitur) & ſeſe in ſinum Adrumentinum, quem vocant Mahometæ, inferre prohibuerunt: atq; ita claſsis Siciliam tenuit. Cæſar Panormi & Meſſanę triumphali pompa exceptus eſt, donatusq; paſsim pecunia Rhegium traiecit, & per Brutiorũ oppida hoſpitaliter à Sanſeverino Beſenniano regulo ſuſceptus Neapolim pervenit. Quum eſſet in itinere, nunciatum ei eſt, Franciſcũ Sfortiam è vita deceſsiſſe, cuius morte graviſsima exorta ſunt bella. Nam Franciſcus Galliæ rex, Ciſalpinæ Galliæ imperium à Cæſare ſibi concedi poſtulabat, cum ſuo iure antiquæ hæreditatis à Valentina Vicecomite repetito, tum præclara Maximiliani Cæſaris conceſsione, qui id tabulis ritè confectis, acceptaq; honorarij muneris pecunia, Ludovico regi poſt exactum captumq; Ludovicum Sfortiam adiudicaſſet. Sed Cæſar non ignarus quantum ſibi authoritatis, potentiæ, & certi quotidianæ pecuniæ proventus, ex Galliæ Ciſalpinæ poſſeſsione imperioque accederet, ullis precibus adduci non poterat, ut opulentiſsima Italiæ pars præpotentibus Tranſalpinæ Galliæ regibus adijceretur. Hos enim parto Mediolanenſi imperio (uti eos iampridem feciſſe meminerat) minimè quieturos exiſtimabat, ſed aviditate proferendi imperij, aliena ipſiusque in primis regna protinus invaſuros. Neque eum quominus conſtanter in ſententia ſua maneret, Italiæ principes deterrebant, quibus potentiam ſuam, tot auctam opibus magnopere ſuſpectam, ideoque formidandam intelligebat, uti recenti exemplo didiciſſet, quum illi authore Pontifice ad armà conſternati cum dira rerum omnium perturbatione, vel ſæpe victi, multatique omnibus adverſæ Fortunæ malis, hoc pertinaciſsimè expoſtulaſſent, & demum impetraſſent, ut Mediolanum Franciſco Sfortię redderet, Hiſpanosque milites omnibus populis graves deduceret. Ex adverſo Franciſcus nihil æquum in ſeque propenſum à voluntate Cæſaris expectans, nec tamen ea in re animum deſpondens, ut qui armis adverſus Cæſarem primus uti nollet, extincto Sfortia, in Carolum Sabaudium arma vertit, ut per eius ditionis fines expeditum ſibi iter in Italiam pararet. Cauſam autem inferendi belli hanc præferebat, quòd Sabaudius Nicæam Provinciæ urbem, antiquitùs à Gallis certa pecunia oppigneratam ſibi eripi nollet, ne opportuna & munitiſsima urbe, quæ Galliam ab Italia diſterminaret, exueretur, Rege eam plurimùm flagitante, reſtitutaque pecunia redimere contendente. Is enim urbem excelſa arce validam, & propter Herculis Monœci portum, magnas

navigationibus commoditates afferentem, ſi bellum gerere oporteret, magno ſibi uſui futuram providebat. Alienarat rex iam pridem animum ab amicitia Sabaudij gravibus ictus offenſionibus. Nam is tametſi Franciſco erat avunculus, uxoris tamen Luſitanæ illecebris depravatus, defatigatuſque aſsiduis precibus (hæc erat uxoris Cæſaris germana ſoror) neglecto Gallo, ſe totum ad authoritatem nutumque victoris Cæſaris ita contulerat, ut urbem Aſtam ab eo ſibi dono oblatam accipere non recuſaret, filiumq; tanquam fidei obſidem in Hiſpaniam Cæſari educandum mitteret, quæ tum importunè atq; impudenter admiſſa fuiſſe Galli diſſerebant. nullum enim Gallo certius erat in Italia patrimonium ipſa urbe Aſta, quam amplius centum annos ſine cõtroverſia poſſediſſet. Verùm eam Cæſar qui Gallos Italia penitus eiectos, ulla ad ſpem reditus in Italia certa ſede potiri nolebat, avidè expetenti Luſitanæ, nec abnuente viro eius, facilè conceſsit, quæ urbs coniuncta incluſaque Subalpinis oppidis Allobrogico regno præclarum amplitudinis & roboris decus additura videretur. Fuit aliquandiu magno conſiliorum æſtu iactatus Sabaudius vir egregiè probus, ad æquitatemque proclivis, nec alieni unquam appetens, niſi eſſet uxorius, an Gallo regi de Nicæa obſequendum foret, quum in ea nullum aliud quàm inveteratæ poſſeſsionis ius ſibi eſſe fateretur. Verùm Franciſcus Sfondratus ſenator e Mediolano Cæſaris nomine legatus in Allobroges miſſus, eum ab huiuſmodi conſilijs impensè deterruit, teſtatus eum adverſus Cæſarem facturum, ſi quicquam cum rege Gallo pepigiſſet. Eo modo Sabaudius, ne Cęſarem offenderet cognationis iura, & Allobrogum principum veterem amicitiam, quæ hactenus cum Galliæ regibus inviolata permanſerat, ea minaci obteſtatione perterritus, tueri non potuit, miſerabili profectò conditione, quòd quum neutrum offendere vellet, utrique demùm, ſicuti mox evenit, ſe prædæ futurum proſpiceret. Nec mora Galli duce Philippo Sciabotto, quē à præfectura maris Ammirantem vocabant, coactis copijs, eum Tranſalpinis oppidis, quæ pertinent ad Allobrogum fines inermem deſertumque ab omnibus exuerunt, traſgreſsique alpes aliquot munita oppida Subalpinæ regionis, in primiſque Taurinum, Foſſanum, Penarolum, & Cherium occuparunt: ac niſi Antonius Leva eductis Mediolano copijs, cuncta invadentibus occurriſſet, repreſſaque Gallorum audacia iuſti exercitus vim rebellantibus oſtendiſſet, futurum erat, ut Vercellæ, & magna pars Subalpinæ ditionis in poteſtatē Gallorum devenirent. Neq; tamen ulla res in ipſo bene cœptę, provenientiſq; victoriæ curſu Philippum magis retardavit, quā Ioannis Lotharingiæ Cardinalis adventus. Is enim à rege ad Cæſarem cum ampliſsimis de pace mandatis miſſus, ubi in caſtra ad Taurinum pervenit, ſua authoritate, quæ apud regem erat eximia, Philippo perſuaſit, ut ſubſiſtere citra Duriam amnē: neq; ulterius arma proferre vellet, ne ſummæ ſpei paratę pacis atq; cõcordię occaſionem offenſo exacerbatoq; Cæſare corrumperet. Exiſtimabat nanq; ſe Cæſarem ſuppreſsis armis, ſuſpenſoq; bello molliorem & faciliorem inventurum, utpote quem neq; vi ſubigi, neque ullo rerum ſuarum periculo permoveri poſſe intelligeret, ut quicquā ſuo nomine indignum cum armato hoſte paciſceretur. Id Lotharingi conſilium ægrè admittebat Philippus, deteſtantibus pręſertim ducibus, peritioribuſq; præfectis tanquam importunū, inutile, & grave mox incommodum ex ſera pœnitentia gerendis rebus allaturum. Aderant enim lectiſsimi proceres, duceſque, & præter Gallos in queis eminebant Montegianes,

nes, Palicia, Burrias, etiam Italici nominis Stephanus Columna, Paulus Renzij Ceritis filius, & Sergianus Caracciolus Melphiæ regulus. Sed contra omnes Lotharingi ſententia valuit, vel ob id quòd Philippus eius viri dignitati, & ad rem conficiendam ab arcano Regis peculiaris officij ſummam authoritatem afferenti tribuendum putaret, & ſe ſatis his belli proſperis initijs ad laudem profeciſſe videretur. Ad id inexpectatum ingratæ pacis nomen milites gerendarum rerũ ſtudio vehementer incenſi extemplò perturbatis deiectisq; ſua ſpe animis uſq; adeo indignanter in iram exarſerunt, ut pleriq; præ dolore gladios abijcerẽt, haſtasq; diffringerent, iactis in ducem probris tanquam non poſtea reſumpturi: vel ſi imperio iuberentur, poſtquam importuna ceſſatione Imperator uti parũ bellicoſus imperitusq; rerum ſeſe à cogitatione belli, curſuq; victoriæ ad incertæ pacis ſpem convertiſſet. Neq; id poſtea militaris iudicij factum inane extitit, quãdo & tum paratã victoriam interpellaſſe, & graves demum Gallico nomini clades importaſſe videri potuerit. Eo nanq; intempeſtivi conſilij decreto, nõ multo poſt Philippus non inſcitiæ modò, ſed proditionis propè apud regem accuſatus, tanta exarſit invidia, ut honore bonisq; ſevera damnatione ſpoliaretur: atq; inde ſummam calamitatem aditurus eſſet, niſi fœdis probris laceratum proſtratumq; ab exilio uxoris affinitas & clementia regis erexiſſent. Hyemarat enim Cæſar Neapoli amœniſsima in urbe, excultus procerũ omnium liberalibus officijs, et quod ad popularitatẽ pertinuit, per ociũ Carnevalium dierũ, qui pro Lupercalibus à noſtris inſtituti ſunt, Tunetanæ victoriæ lætitiam, editis equeſtribus ludis, magnificentiſsimè repręſentarat, in quibus ipſe Mauriſiaco cultu decurrit, ſaltantiumq; illuſtrium fœminarum choreis, remiſſa ingenij ſeveritate perſonatus interfuit, eo quidẽ licentius, quòd per eos dies Margaritã filiam, Alexandro Medici iam pridem deſtinatam celebratis nuptijs in matrimonio collocarat, pręclara cũ laude ſummæ probitatis, quòd non ſecus ac vivo Clemẽte veteribus promiſsis integrã fidem attuliſſet, quanquã ne id faceret interpellaretur à Florentinis patritijs, qui exules facti Neapolim coibant, uſiq; patrocinio Salviati & Rodulphi Cardinalium, Alexandrum omni exiſtimatione, principatuq; Etruriæ, & deniq; uxore, vel paratis nuptijs ſpoliare nitebãtur, quum uno cõſenſu ingentia auri pondera quotannis offerrẽt, ſi repudiato genero, eoq; Florẽtia exacto, civitati priſtinam libertatem reſtitueret. Eum ſiquidẽ per contumeliam ſpurium ex agreſti ancilla genitum, immitemq; nobiliſsimæ patriæ tyrannum, ſcriptis atq; editis orationibus apppellabant. Sed Cæſar civitatem Gallico nomini non obſcure faventem, optimoque belli iure propter infidelitatis noxam, omnia hoſtilia de ſe meritam, ita oderat, ut omnes reſtituendæ libertatis conditiones repudiandas iudicaret, eo pręſertim tempore quo excitari ingens bellũ providebat, quũ paulo antè ab ipſis exulibus Hippolytum Medicẽ Cardinalem ab Alexãdro, qui patruelis erat frater, depravatũ atq; diductum meminiſſet, ut eorũ diſsidio Mediceæ domui excidium pararetur. Hippolytus ſiquidẽ exules Florentinos, veteresq; familiæ hoſtes ſibi aſciverat, vanitate ingenij inductus, ut per eos Alexandro atroces inſidias moliretur. Eum enim aſtuti homines, validaq; facundia, & miris cõſulendi artibus inſtructi, eò perverſa atq; inſana ambitione correptũ perpulerãt, ut Etrurię principatũ in ſua fata præproperus affectaret, abdicareq; ſe honore purpurei galeri vellet, atq; inde ad eiuſdẽ filię Cęſaris nuptias aſpiraret: quod niſi ſublato Alexandro fieri non poterat. Cuncta

enim cum ſibi ſecunda, ſi Cęſaris gener euaderet, obuētura confidebat. Itaq; dū in eius inſani ſceleris cogitatione verſaretur, per Baptiſtā Ciboū Maſſilienſem epiſcopū, Innocentijq; Pontificis nepotē, teterrimā necem ex incenſo tormentario puluere Alexandro machinatus eſt. Harū autem inſidiarum indicia Deo maximo detegente, ab Alexandro deprehenſa ſunt, atq; illico Romam ad Paulum Pontificem delata. At Pontifex tametſi ruituræ Mediceæ domus excidio quod aliena cum inuidia pararetur, mirè gauderet, in ſpē ſcilicet ingentis lucri ex amplisſimis ſacerdotijs, quę in Farneſios nepotes transferrentur, tamen Alexandri iniuriā omnino negligere videri noluit, quū Octauianum Zengam hominē facinoroſum ex Hippolyti ſatellitibus, nefarij cōſilij conſcium cōprehendi iusſiſſet. Eo capto Hippolytus vehementer exterritus, detectæq; malignitatis ſuæ pudore confuſus, ex vrbe in Gatilum Tiburtini agri caſtellum profugit, atq; inde non multo pòſt ex pœnitentia concepti facinoris cōmutata voluntate, ad ſanitatē redire, et quorſum euaderent maligna exulū conſilia ſero agnoſcere cœpit: ſic vt Alexandro ſe conciliare, & a Cæſare pacis conditiones accipere percuperet. Qua de cauſa Neapoli conducto nauigio, ad Cæſarē in Africa bellū gerentem enauigare properabat. Verum Petro Toletano prorege ei nauigiū pernegante, ad oppidū nomine Iter Fundani agri, quod eſt viæ Appiæ impoſitum, inops conſilij ſubſtitit, vbi oborta peſtilenti febre, iuuenis longè omniū eruditi ingenij nobilitate, decore vultus, & illuſtris vitę ſplendore florētisſimus ſexto die ex humanis eſt ereptus, magno hercle exulū lętitia, quorū Philippus Strozza erat princeps, & Pontificis cōmodo, quum hic eius ſpolijs ſuos ditaret, illi verò vno erepto alterū tanquā fratris ope deſtitutū, vti mox euenit, facilè tolli poſſe diuinarēt. Nec defuere exules authore Strozza, qui eius immaturę mortis cauſam ad venenū referre cōtenderent, vt Alexādri exiſtimatio ea infami ſuſpicione ſuggillari videretur. Verū ob id Andreas Etruſcus epulas mēſis inferre ſolitus, temere accuſatus, quū diu tortus fuiſſet, & nihil de ea re cōfiteretur, carcere tanquam inſons eductus eſt, affirmantibus præſertim medicis nullum eſſe venenum, quod certo ex interuallo laceſſeret et ſureret, ſicut in tertiana febre bilem efferueſcere videmus. Is. n, morbus cui Hippolytus ceſſit ad ſtatæ periodi exacerbationē redibat, ideoq; eius morbi caſum ad nouā permutati aeris intemperiem referrent, qua nōnulli ex eius comitatu iuuenes ętate florentes pari oppresſi morbo cōcidiſſent. Nec multò pòſt Cæſar audiēdis populorū querimonijs, qui inuſitata regulorū acerbitate auarisſime ſe vexatos et expilatos cōquerebantur, ſeuere intētus didicit minoris inſulæ Balearis populū à Barbaruſſa ſuprema clade accepiſſe. Is enim vt ſupra docuimus, fatali noſtrorum incuria erroreq; maximè pœnitendo Hippona elapſus, vbi Algeriū peruenit, refecta claſſe, eaq; nautico cōmeatu optimè inſtructa, & cura rerum Aſani filio, cui tutor atq; adiutor Salecus aderat, demandata, Byzantiū enauigare conſtituit, eo animo vt ex itinere prædabūdus Cęſarianę ditionis oram percurreret. Primū autem omniū in Ramadam Baetium Tunetanæ arcis præfectū capitali ſupplicio animaduertit, ꝙ minus intenta cuſtodia carcerē ergaſtulaq; nexorum obſeruaſſe, indeq; totius amisſi regni cladem attuliſſe putaretur. Hunc inter libertos, Chriſtanę religionis deſertores, longe cariſſimū habuerat, ſolerti eius planeq; Bætico ingenio in omni hactenus rei bellicæ negotio magnopere delectatus et adiutus. Ab Algerio itaq; oram ſoluens in Magonis portum, minoris inſulæ Balearis, Barchini Magonis vt credi par eſt, vnde nomen acceperit,

rit, mor

rit, morte & tumulo nobilem, ſe intulit, Punicoq; ad fallendū uſus dolo, ita incravit, ut Cæſarianę claſsis ſpeciem, explicatis Chriſtianorum inſignium vexillis præberet, & ab effuſis ad ſpectaculū oppidanis, multis de more tormentorum bombis ſalutaretur. Magnum enim numerū huiuſmodi vexillorum Barbari varijs caſibus, Portundoq; pręſertim Hiſpanicæ claſsis pręfecto ſuper Sardiniam aliquot ante annos oppreſſo noſtris ademerant. Adiuvit etiam aſtum doloſi hominis Luſitana navis, quæ in eundem portū tempeſtate impulſa ancoras iecerat. Pręfectus namq; eius Conſalvus Perelia, eadē captus imagine pilas ferreas tormentis eximi, eaq; inani ſonitu ad lætitiæ ſignū honoris cauſa diſplodi iuſſerat. Sed poſtquā à tot roſtratis repentè circumventus Barbarorum ora, & peregrina arma, ſimulateq; amicitiæ dolos propius & certius agnovit, ſerò ſeſe atq; navigiū ſtrenuè tutari conatus, à Barbaris cruento certamine expugnatus trucidatusq; eſt: iniquiore etiam eius ſorte, quòd navigium reticulato ex funibus velamēto contegi muniriq; ſolitum, tum forte tanquā tutiſsimo in portu minus neceſſario eo munimine careret. Capi enim non poſſe videbatur, niſi certa cum pernicie inſilientium, quū inferius per caſtella & foros parata eſſent venabula, quibus conſcendere auſi transfoderentur, & validis colubrinarum ictibus roſtratas facilè perfringi demergiq; poſſe appareret, niſi Perelia earum globos pernicioſo adulationis officio incautus eximi iuſsiſſet. Eo modo Luſitanis ad unū interfectis, Barbaruſſa ad oppugnandum oppidū tormenta cōvertit: ſed quum oppugnatio fortiter ſe tuentibus oppidanis, Turcis durior evaderet, pręfectus imbellis, metuq; occupatus, de oppidi deditione cū Barbaruſſa tranſegit, ea conditione, ut cum uxore & liberis incolumi libertate ſervaretur. Atq; ita ſceleſto præfecti conſilio Magoniani ad unū omnes miſerabili infortunio capti, & in Africam abducti ſunt. Verùm præfectus integra fide ſervatus, non multo poſt admiſsi flagitij pœnas dedit, quū eum Martinus Durrea inſulę pręfectus laquei ſupplicio puniendū imperaſſet. Barbaruſſa autem univerſam prædam Algerium retulit, atq; inde autumnales Boreæ flatus contemnens, pari audacia, felicitateq; longiſsimæ navigationis, uti ante ſtatuerat, Byzantium pervenit. Interea Cæſar acre bellū adverſus Gallos coquens, nec obſcurè parans, quòd ſummi eius cōſilij ſummæq; prudentię fuit, Venetos in partes traduxit, diu opinione ſuſpenſos ab exceſſu Franciſci Sfortiæ, nec temerè de Italiæ libertate dubitantes, quando longiſsimè providerent, ſi Galliæ Ciſalpinæ imperium, uti hæreditas poſtulabat, reliquis tot Cæſaris regnis accederet, præpotentem accolam ſibi præcipuè formidandū parari, quòd Cæſar regna regnis adnectere ſolitus, quæ ſibi legitimo iure ab indulgēte fortuna tribuerentur, uti immenſa auctus potentia, ſi æquitatis ac amicitiæ oblivìſci vellet, vicinas ultra Abduam urbes invaſurus eſſet, recenti Maximiliani & Ferdinandi avorū exemplo, qui eas Mediolano antiquitus contributas, abreptasq; impotētibus Venetorum armis repetiſſent. Sed tum Cæſaris nomen in tanta erat gratia atq; exiſtimatione apud Venetos, ab ea pręſertim Punicæ victoriæ laude, ut pleriq; ea favere, provehereq; eius opes dictis ſententijs minimè dubitarent, ipſo præſertim Vrbinate Feltrio copiarū Imperatore ante omnes propenſiſsimo, qui uti erat indefeſſa atq; admirabili facundia potens, multos quò vellet patritios impellebat. E ſenatorio autem ordine aut præmiorum ſpe allecti, aut ſuopte ingenio accenſi, quòd ita fore è republica crederent, Cæſari mirificè favebant. M. Antonius Contarenus, qui ei aderat longa functus lega-

tione domi veró & in ſenatu M. Antonij Cornelij perpetuo ſtudio, illuſtrique eloquentia, partes Cæſaris ſubleuabantur. Nec deerant plerique ſeniores, in quibus multus ſemper fuit Aloiſius Mocenicus, qui nihil niſi pacatum, & ab ſumma æquitate moderatum, vel ab armato, vti ſemper inuicto Cæſare, expectandum eſſe diſſereret, quanquam exactæ prudentiæ grauiſsimarumque rerum experiens ipſe Grittus princeps, multa reipublicæ prorſus aliena detrimentoſaque ex eo fœdere obuentura diuinaret. Sed ea quæ Grittus diceret, vti facile apud imperitos euenit, vehementer eleuabat perpetuum eius & pertinax ſtudium erga Franciſcum regem, quod tantus rex, præclarus Veneti imperij reſtitutor, niſi ingratè & improbe deſerendus videretur, eo præſertim tempore quo Mediolanenſis imperij hæreditatem, aut beneficio liberalitatèque Cæſaris, aut vi & armis, vti ſæpè anteà, eſſet aditurus. Itaque facilè electi fuerant in legatione, quæ ad Cæſarem de Punica victoria gratulatum Neapolim mittebatur, Cæſariani nominis apprimè ſtudioſi: contra verò ijs patritijs honorifico diuerſæ legationis munere impoſito, qui reipublicæ ſtudentes, commodo Galli regis fauerent, Romam non obſcurè ablegati ſunt, ne domi conſilia Cæſarianæ factionis intercedendo atque impediendo perturbarent. Nec multo poſt Neapoli de fœdere tranſactum eſt, his fermè legibus, quibus Sfortiæ principatum tueri tenebantur, ſpemq; præberet Cæſar id flagitantibus, futurum eſſe vt Mediolanenſe imperium ſua Auguſtali authoritate, nouo regulo maturè concederetur. Id enim maximè Venetus expetebat, ne ſibi cum Cæſare regum maximè opulento atque inuicto, ſed cum infirmo, alienique arbitrij Fortunæ obnoxio, de finibus certandum foret. Hoc tamen diſertè condicionibus non adſcripſit Cæſar, qui id ſe facturum videri volebat, quando id vt faceret vllo modo adduci non poſſet. Statuebat enim in arcano nunquam Mediolano eſſe decedendum, niſi armis pelleretur, ſic vt eum præclarè pœniteret, id paulo antè Italiæ precibus condonaſſe, quum in Norico Turcarum arma perſtreperent, & Solymanus grauiores opinione patientium hominum clades illaturus crederetur. Hoc fœdere Cæſar peropportunè confirmatus certius & efficacius conſilia de bello aduerſus Gallos gerendo inire explicareque cœpit, atq; ingenti cura in Germania delectus equitum & peditum per fratrem Ferdinandum, amiciſsimosq; ſibi proceres haberi iuſsit, deditq; operā per legatos, vt ab Heluetijs impetraret, ne vllam in partē ſe commouerent, ſed eius belli ſpectatores tantum eſſe vellent, quod ſibi neceſſario ſuſcipiendum foret pro ſalute Caroli Sabaudij, qui immaniter à Gallo rege ipſoq; ſororis filio, improuiſis ac impotentibus armis vndiq; vexaretur. Pertinere enim ad dignitatem Rom. imperij, vt federatorū beneficiariorum, & ipſius præſertim Sabaudij propinqui ſui opes, præſidio ſuo defendantur, ac quantū fieri poſſit, ex æquo Chriſtiana arma conquieſcant. Proinde Heluetios tanquā imperio Sabaudiæq; principibus antiquo fœdere coniunctos nihil vtilius atque honeſtius facturos, quàm ſi ab ea contentione abeſſent. Heluetij nihil ſe temere decreturos reſponderunt, memoresque officij ſui vtriuſque partis iura fœderum ac amicitiæ ſeruaturos, donec eorum arma Reipub. Heluetiæ neque periculoſa neq; incommoda fore ſummi ipſorum magiſtratus iudicarent. Apparebat enim regem Gallum nullas omnino alias quàm Haluetiorū copias pro ſalute defenſioneq; regni eſſe coacturū. Verū, quod maximo vſui fuit, Cæſar his legationibus impetrauit, ne cohortes apud eos mercenariæ conſcribi, & addu-

ci in Italiam adverſum ſe paterentur, quòd eos Cæſar retineri non poſſe intelligebat, veteribus utique obſtrictos fœderibus, & præmijs qui laboranti externo bello Galliæ præſidio forent. Qua de cauſa adductus fuiſſe dicebatur Philippus Ammiras, ut Lotharingo Cardinali potius pacem ſuadenti, quam Gallis bellum atque aciem depoſcentibus obtemperaret. Nam fruſtra cohortes ab Helvetijs depoſito ſtipendio poſtulanti, quibus aciem Gallicam ſtabili robore confirmaret, ut conſcriberentur negatum fuerat, quum tamen ex adverſo Antonius Leva eius gentis tumultuarias cohortes duas in caſtris haberet. Egit quoque Cæſar cum Maria ſorore, quæ Belgis imperabat, ut quantas ea maximè poſſet pecunias cogeret, quibus validæ copiæ e Germanis conduci, Belgarumq; item & Sequanorum equitũ alæ, equis & armis inſtrui atq; exornari poſſent, quando ſibi in Galliam cum duobus magnis exercitibus initio æſtatis irrumpendum eſſe ſtatuiſſet. Propterea cogendæ pecuniæ ſtudio diligẽter incumbens, dabat operam, ne unius qui timeri poterat auri defectus, ſe diverſo ſumptu adverſus prępotentes hoſtes grave & geminatũ, nec citò deſiturum bellum molientem, in curſu gerendarum rerũ impediret. Nam pręter eam ſignati auri ſummam, quæ à Neapolitanis & Siculis honorarij muneris nomine cõferebatur, ſupra triginta myriades aureorum nummûm, ab Hiſpaniæ regnis expectabat. Id autem præſides exactis ante diem vectigalibus, aut his publicanorum Ligurũ ſocietatibus cum gravi fœnoris impendio addictis ſuppeditabant. Multam quoq; auri vim ſingulis Mediolanenſis imperij urbibus imperabat. Nec deerant qui expetentem liberaliter adiuvarent, quum Senenſes & Lucenſes, tum ipſe maximè Alexander Medices gener, Etruſci principatus compos factus. Ea autem impoſita bellici ſumptus incõmoda, Hiſpani quæſtores ducesq; Cęſarem maturè & cumulatè reſarturum remiſſurumq; onera prædicabant, ex ea ingenti auri copia ditatus, quæ ex auriferis occidentalis Indię regionibus in Hiſpaniam adveheretur. Tum enim reperta fuerant ad Auſtralem Oceanũ in adverſis Pariæ & Darienæ terrę regionibus, Peruræ & Cuſchæ regna immenſo auro refertiſsima, quòd nullo fodientium aut legentium labore paretur, quando id in domeſticos conquinariosq; uſus, rudi artificio fabrefactum, ſed non planè putum Hiſpani apud Indos inveniant. Eius autẽ omnis copia advecta Hiſpalim in officinam publicanorũ ea lege conferebatur, ut vectigalis nomine quinta pars eſſet Cęſaris, reliquũ negociatores conflarent, & demum admixta purioris venæ auro, reiectisq; exactæ cõflaturę intertrimentis, ad pondus puritatemq; monetæ Cæſaris Hiſpanica nota cudi curarent. Non ineptum hoc loco fore exiſtimaverim, ſi qui hæc repererunt tanquam publica laude digniſsimi memoriæ prodantur. Nam poſtquã Columbus Ligur admirando ingẽtis animi captu, eruditoq; iudicio vir, & uti quibuſdam apparet Hercule Gręco inuſitatæ famę gloria maior & illuſtrior, alterum propè terrarum orbem vaſto atq; intentato prioribus ſeculis Oceano, ad occidentem nobis aperuit, non defuere alij atq; alij ex Hiſpanis eo apud Hiſpalim defuncto, qui pari ęmulatione laudis, & ſpe quęſtus eadẽ litora ſequuti, ulteriores novę terræ, quam Pariam vocabãt, terminos quęritarent, diſpari quidem fortuna ſuſcepti curſus, quũ nonnulli eorũ (ut credi par eſt) immenſo inexploratoq; abſorpti Oceano nuſquã apparuerint, & aliqui ab Antropophagis, qui Canibales appellantur, capti comeſtiq; fœdã miſerabilis audacię memoriã reliquerint. Ea terra Æquatori ſubiecta (ut ſuo loco memoravimus) à Gaditano

freto rectà inter occidentem atq; miridiem nauigantibus emenſo bis mille amplius leucarum itinere occurrit, frondoſo ingentium rupium promontorio, tanquam roſtro Oceanum proſcindens: nam æquis lateribus, litora infinito tractu, hinc ad occidentem, illinc ad meridiem immenſis adhuc ſpatijs extenduntur. Sed poſt Columbum tres antè alios ex Hiſpanis fœlici auſu, & rebus geſtis maximè clari & memorabiles extiterunt, Ferdinandus in primis Corteſius, qui in poſtremum occidui litoris ſinum delatus ad Mexicana regna terreſtri itinere contendens, ſubactis Indis Themeſtitana vrbe potitus eſt, quum fabricatis nauigijs eam vrbem ſalſo in ſtagno poſitam, ædificijsq; & incolarum frequentia Venetæ vrbis inſtar admirabilem, multis proſperè factis prælijs expugnaſſet. Maxicanæ genti, ſuperis viuos homines, ſed maleficijs damnatos, immolare fas eſt, placariq; numina humano ſanguine credunt, & poſt mortem non interire animas perſuaſum habent, vt credi par eſt, ex diſciplina ſuperſtitioneque Druidarum, quorum ſumma authoritas antiquiſſimis temporibus in Gallia pariter atque Britannia viguiſſe conſtat. Ita vt Corteſio non omnino difficile fuerit, ſubactam armis gentem per ſe ingenioſam & docilem, tormentorumq; miraculo terrefactam ad Chriſti cultum abdicatis idolorum ſuperſtitionibus traduxiſſe: literas enim iam noſtras admiranter & lubenter diſcunt, reiectis hieroglyphicis imaginibus; quibus annales conſcribere ſolebant, varijs picturis regum ſuorum memoriam poſteris tradentes. Quorum annalium volumen ex perpetuis, ſed introrſus complicatis folijs confectum, tigridisq; maculoſo tergore protectum, vir illuſtris Franciſcus Couos, Cæſariani ſcrinij magiſter, mihi dono dedit. Mexicanos pro rege ſuo et pro libertate dimicantes, nulla res magis exterruit quàm equeſtris turmæ impetus, quum equitem integrum eſſe animal Centauri ſpecie putarent. Sed poſtquam equi duo Indicis confoſſi ſparis, mactatiq; clauarum ictibus conciderunt, deprehenſo errore, detracta ſtatim equis coria, vſq; adeo exactè tomento repleuerunt, vt viuorum effigiem repræſentarent, & in templo tanquam admirabilis rei ſpectaculo ſuſpenderent. Cæterum Corteſius è Mexicana regione per occidentalem lineam terreſtri itinere profectus, non longè abeſſe mària ab incolis didicit, paucisq; diebus ad litus exterioris Oceani peruentum eſt: vnde ſi claſſes adeſſent, peti poſſe conſideret per Antipodas, Sinarum regna Catainasq; oras ad orientem noſtrum, iampridem aditas Luſitanis non longè à quibus in eo tractu beatæ multo aromate atq; vnionibus Molucchæ inſulæ ſub æquinoctiali linea ſitæ eſſe dicerentur. At Corteſio perpetuis Hiſpanorum hiſtorijs celebrato, claritate nominis æquari potuit Blaſcus Nonius, niſi turpiſſimo vitæ exitu priſtinæ laudis decus obſcuraſſet. Ab hoc enim diu peruagante Pariæ terræ, & Darienæ regionis litora, repertus eſt iſthmus ad Vrabanum ſinum, quo duo ingentia maria dirimuntur. A Comogro ſiquidem ingentis amnis oſtio Darienisq; litore per inacceſſos prope montes monſtrantibus iter indigenis Blaſcus ſumma iuga tenuit, & ſubiectum in aduerſo litore vaſtiſſimi pelegi ſinum conſpexit, in quo auri et vnionum ditiſſima regna reperta ſunt, atq; item conſpectæ aditæq; aliquot inſulę earum rerum opulentia inſignes. Itaq; inuento multo auro Blaſcus breuiorem tranſitum quærens, non plus inter ſe diſtare diuerſa maria quàm centum miliaribus deprehendit, ſicuti in Oceaneis decadibus Petrus Martyr Anglerius ſcitè refert, verū itinere adeo denſiſſimis nemoribus & abruptis petris, frequentibusq; fluuijs impedito, vt niſi magno cum labore pe-

riculo

riculoq; illac noſtri permeent, quum paſsim in hoſpitæ ac inſidioſæ gentes venenatis inſtructæ ſagittis occurrant. Quibus de cauſis Blaſcus eius tractus regulis aut muneribus delinitis, aut cruenta acie ſubactis, quatuor caſtella, vt commeatibus ab vtroq; mari tutiſsimus eſſet receptus, opportunis interuallis conſtituit: ædificata etiam claſsicula in proximo portu, cui diuo Michaeli nomen fuit. Cæterum dira auri ſitis nouiq; imperij libido, Blaſci animum non multo poſt occupauit, eo rerum exitu, vt affectati regni crimine damnatus capite plecteretur. Indignus hercle eo ſupplicio niſi perfidioſe defeciſſet, quod ad læuam longo tractu Perurana & Cuſcana regna auro & gemmis ſcatentia ſucceſſoribus Almagro atq; Pizarro demonſtrarit. Ibi enim ferunt nullam aliam quam ſolido ex auro priuatis in domibus vaſorum omnis generis ſupellectilem reperiri. Montium rupes ingenitis adamantibus, præcipueque ſmaragdis, et cyanis, & carbunculis collucere, flumina proinde vniuerſa auream arenā trahere. Solum fœcunditate rerum omnium incredibili, & prepetuo fere autumno florere. Ex mira quoq; cœli clementia, homines integra valetudine, ſeculi ætatem implere, ſic vt intempeſtiua mors Blaſci videri poſsit, quo authore tanta vt diximus vis auri & gemmarum in Cæſaris ærarium deferatur. Sed ſupra Corteſium & Blaſcum, portentoſa nauigatione inclytus fuit Magalenes Luſitanus exul, qui aſpicio Cæſaris alterum Pariæ terrę litus in orientem obuerſum, quinque nauium claſſe percurrit, legendoq; oram pręteruectus lineam Capricorni atq; oſtia immenſi Argentei fluminis, vti Hiſpani vocant, ferorum gigantum inſtar prægrandes homines belluarum pellibus contectos reperit. Nec multum inde, vti auide quærebat prope Antarcticum circulū in anfractuoſas fauces audacter inuectus eſt, non inani coniectura iudicans noui orbis terras illac irrumpente Oceano eſſe permeabiles, cumq; profecto ſinum non longo tractu in apertum ad occidentem pelagus deſinere.. Neq; eum ratio ex naturæ lege ducta fefellit, qua terra omnis circumfluēte Oceano varijs ſinibus ambitur. Ad læuam niuoſæ rupes ſpectabantur, ſuis culminibus primam aeris regionem excedētes. Eæ pertinebant ad eam plagam perpetuo gelu (vt credi par eſt) rigentem, quę Antarctico ſubeſt. Sed nec in ea cœli parte polus vti aqud Arcticū contingit, lucidiore aliquo aſtro notatur, quum paruę ſtellæ nullo vel certe languido fulgore nitentes, polare punctū deſignent, duabus nubeculis ſtabili pigroq; rotatu immobilis poli ſedem ita circuientibus, vt vrſæ noſtrę tenorem & ſpeciem nautis obſeruatoribus, nuſquam fallente magnetis vſu certiſsime præbeat. Procedenti per occiduā lineam Magalani tortuoſæ & inæquales ſeni per fauces occurrebant, mare autem modo fluctuoſum, ſpumoſiſq; vorticibus, & ſæuo mugitu reboans, modo tractabile & pigrum prout obiectis incideret cautibus, aut in latos ſinus expanſum deferueret, vario velorum flexu perſulcabat, nuſquam arctiorem ſinum trium miliarium ſpatio, nuſquam ſeptem latiorem nactus, quum à dextra depreſsiora litora arboribuſq; veſtita, nulla tamen apparente hominum cultura, ad lęuam vero cuncta gelu horrentia, maximeq; ſcopuloſa ſpectarentur, collucerent tamen ad dextram excitati introrſus ignes ab incolis, vt de aduentu nouæ claſsis proximis populis ſignificarent. Cæterum Magalanes diu crebris orationibus ſuſtentatos delinitoſque nautas, qui iam animos deſponderant, quod neq; progredi neque regredi, niſi incerta vitę ſpe poſſe crederent, poſt vigeſimum & ſeptimum diem ex quo ſinum intraſſet, in apertiſſimum vaſtiſsimumq; Oceanum eduxit, ad dextram vela deflectens.

vt pote qui terras ad antarcticum vltimæ continentis eſſe putarat, & ad læuam mitiora omnia ſe inuenturũ arbitraretur. Quando iam ad Tropici capricorni circulum, & ad ipſam Æquatoris lineam rediret, ſub qua Moluccas quas quærebat inſulas omnino ſitas eſſe didiciſſet. In dextra itaq; Perurana & Cuſcana regna, totumq; illud immenſum Pariæ terræ occidentale litus relinquebantur, quod Blaſchus poſt tranſcenſum Vrabanum iſthmum Hiſpanis ſucceſſoribus, ad condenda regna, ſerendaq́; etiam, propter auri ſitim, inteſtina prælia demonſtrarat. Nihil enim inde Magalanes terrarum vſquam vidit, prȩter duas inſulas quæ deſertæ appellantur, perhibentq; eas coſmographiæ periti ex diametri ratione Italis eſſe antipodas. Diſceſſit inde Magalanes, planè conſumpto omni commeatu, lenisſimis atq; his vno tempore perennibus vſus ventis, trimeſtri confecto curſu, obuerſis ſemper ad Æquatorem proris non Muluccas quidẽ attigit aromatũ prætioſorum fertilitate celebratas, verũ immenſi propè ambitus inſulas, Iauanã, Pornem & Subuthã, ipſa Britannia maioris, è quibus Moluccæ ſatis exiguæ, ſed prȩſtantia rarioris aromatis inſignes incolarum digitis tanquã propinquȩ monſtrabantur. Sed Magalanes fatalis voti ſui compos, in limine qui eas viderat adire non potuit: cum Mauthane ſiquidẽ inſulæ regulo, Suethani ſocij regis auſpicio, acie dimicans occubuit, eiq; ſuffectus eſt Serranus, qui nihil commodius duxit, quàm ab his inſulis inhoſpitaq; terra perfidioſæ gentis protinus exceſsiſſe, ꝙ ſibi ad paucos redacto numeroſa bellicoſæ eius gentis manus iuſtum incuteret metum, quoniam ferreis gladijs & prȩpilatis haſtis vterentur. Verum dum adit regulos Serranus, amicitiasq; & fœdera iungere, ac Chriſtianæ religionis cultũ inducere contendit, & quod inſtituti erat, naturam et magnitudinem Moluccarũ ſcrutatur, regulis vno conſenſu aduerſus peregrinos ad arma concitatis in Bornæ inſula captus, miſereq; à ſocijs deſertus eſt, qui inſidias veriti, publicam ſalutẽ noui ducis libertate, & vitæ anteponendã cenſebant. Atq; ita cariophyli & cinamomi, nucisq; miriſticæ ſurculos ex natali ſolo colligentes, vt teſtimonij certã fidem referrent, ex quatuor nauibus vetuſtate ſemicorruptis duas magna cura, vſi illarum armamentis materia & clauis refecerunt, Eurisq; vela dantes incogniti Oceani immenſis ſpatijs vsq; adeo audacter ſe crediderunt, vt præteruecti auream Cherſoneſum, et Samoſatarũ, quæ Taprobana olim fuit, Gangeticiq; item ſinus emporia, & Cumerum promontorium, ac deniq; Calecutham ſuperarint, nuſquam à Luſitanis conſpecti qui Indicã oram præſidijs obtinebant. Inde verò ad Bonȩſpei promontoriũ curſum habentes, eo ſuperato dextrorſum per Aethiopiȩ litora ad Heſperides inſulas contra Praxium promontorium, altera tantũ naui, non amplius quã vigintiduo homines ſemiuiui peruenere. Ibi qui totũ vndiq; emẽſi orbis ambitũ circuierant, Barbarorumq; mille inſidias, & omnem maris ſæuitiem euaſerant, à Luſitanis inſulæ præſidibus cuſtodiæ traditi ſunt. Nec multo poſt tamen ex his Hieronymus Plegaphæta Vicentinus, voto pro ſalute redituq; ſuſcepto, ad Clementẽ Romã venit. Is tanto ſubternauigati orbis miraculo fidelibus teſtimonijs comprobato, multa noſtris admiranda, obſeruandaq́; poſteris, pictura & ſcriptis adnotata depoſuit: ſic vt Magalanes nihilo fœlicior Blaſco, ſed inuſitata laude prȩſtantior exiſtimari poſſit, niſi inauditi antea freti faucib. adinuentis, tantæ rei infirma adhuc fides famam eleuaret, quum nemo hactenus à viginti quinq; annis eas fauces ſedulo quæritans intrarit, aut viderit. Ne-

rit. Neq; operæpretium eſſe reor, vt à legentibus hoc loco, & ad hiſtoriæ contextum properantibus, veniam deprecer, quod me ij tres viri inclytis heroibus comparandi, ab inſtituto longius abſtraxerint, quando eos omni laude ad perennem nominis famam exornandos putem, veterum Grœcorum more, qui ingeniorum fœcunditate & gloria pollentes, non ipſos modò admirandarum rerum, & regionum inuentores, ſed minorum etiam artium opifices, carminum ſuorum præconijs æternitati conſecrarunt.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXV.

ADVLTO iam vere Cæſar Neapoli profectus, Non. Aprilibus à Capena porta Romam intrauit, triumphali exceptus pompa ab omnibus ſacerdotum, Romanorumq; ciuium ordinibus. Adduxerat præſidij cauſa veteranam Hiſpanorum legionem, & ſeptingentos equites cataphractos, eò minore populi lætitia, quòd plerięq; eoſdem militum atroces vultus agnoſcerent, qui recentis cladis, omniumque ſuppliciorum, quæ perpeſsi eſſent, memoriam renouabant: eo quidem grauius & acerbius, quòd Paulus Pontifex nouo exemplo ad exornandos regionum arcus, ſingulis mercatorum & opificum collegijs pecuniam imperaſſet, ſcilicet vt Ceſariani importuno ſumptu ſtudio ſe colerentur, à quibus ſummæ calamitatis iniurias pertuliſſent. Exceptus eſt ea parte Vaticanæ domus, quæ exornata laquearibus aureis, & marmoreo inſignis podio deſpectat Vrbem, qua etiam Alexander ſextus Corolum Galliæ regem ſuſceperat. Exinde diſsimulata perſona cum paucis perambulauit Vrbem, miratusque rotundi templi, quod olim Pantheon fuit, incomparabilem ſtructuram, in ſummum faſtigium eius teſtitudinis per plumbeos gradus aſcendit, vt vniuerſam vrbem oculis ſubijceret. Quatriduo autem moratus Romæ, non obſcura ſuccenſus bile in Gallos pridie quàm proficiſceretur grauiſsimam habuit concionem, qua animi ſui intimos ſenſus ardentiſsima facundia denudauit, quòd Gallorum legati penè conuitioſe poſtularent, vt Henrico regis filio Mediolanenſis principatus dominatum beneficiario iure adiudicaret. Id ſiquidem Cæſarem conceſſurum perplexis paulo ante ſermonibus promiſiſſe Claudius Velleius aſſerebat. Quibus propè importunis atque alienis reflagitationibus Cæſar ita offendebatur, vt fidem ſuam nulla certa pollicitatione obſtrictam Gallorum procacibus verbis ſugillari ægerrimè ferret, reſpondendumq; ideo Gallis, & nomen ſuum à calumnia defendendum generoſa concione arbitraretur. Itaq; grauiter commotus, in eo conclaui, in quo Paulus Pontifex iturus ad ſacra obeunda ſolennes amictus induere, & gemma-

ta tiara exornari conſueuit, aduocatæ concionis inſtar in corona ſtans verba fecit, aſtante Pontifice, cunctoq; ſenatu, & principum ferè omnium legatis, ſic vt circunfuſa totius aulæ turba Hiſpanico ſermone loquutus audiretur, Primum omnium veterem odiorum cauſas, quæ adhuc inter Gallos Auſtriamamque domum vigerent, facundisſime commemorauit, oſtenditque neq; Franciſcum regem, neque ſuperiores Galliæ reges, ictorum fœderum legibus vnquam ſtetiſſe, quum ſibi Burgundiam ereptam, & repudiata atque iniquisſimè intercepta connubia quereretur, & paſſim Franciſcum regem acerbè periſtringeret quòd bello victus, captusq; ac humaniter dimiſſus, nihil eorum quæ pro obtinenda libertate pepigerat, cuſtodia ſtatim exiliens, præſtitiſſet, ſed abrupta fide iuriſiurandi, totum propè terrarum orbem aduerſum ſe tam ingratè quàm impiè concitaſſet, quum ad Turcas vſq; miſerit legatos vt hoſtilia pari odio aduerſum ſe molirentur, ſcilicet vt inania aut exoleta iura oſtẽtans Ciſalpinæ Galliæ dominatum inuaderet, quod ſibi Auguſtali atq; legitimo iure partum, tanquam tuendis reliquis ipſius regnis maximè opportunum, omnino ſibi retinendum ſtatuerit, ne ſibi maritimum adeundæ Hiſpaniæ, aut terreſtre adeundis Germaniæ et Belgarum regnis tutũ & liberum iter præcidatur: quandoquidem nequaquam ſit dignitatis in Cæſare per alienas terras tranſitus facultatem precario petiuiſſe. Propterea Franciſcum nefario auſu Caroli Sabaudij auunculi ſui Allobrogum regiones in Tranſalpinis, et Ligurum in Subalpinis immaniter occupaſſe, vt inde ad inuadendũ Mediolanenſe imperiũ ire pergeret, Gallorũ conſuetudine, qui nouarũ prouinciarum auidi, quin aliena & proxima quæq; occupent, neq; pudore, neq; iure contineri queant. Quarũ rerum in ueſtigio eos ſæpe pœnitere oporteat, quum vi & armis æquo ſemper Marte iudice, eorum inſolentia retundi reprimiq; ſoleat. Id verò agreſtis impudentiæ ſibi videri, quòd Franciſcus Mediolanenſis imperij poſſeſſionẽ ideo ſibi concedi expèteret, vt ſinguli minores eius liberi, ſublata omni honoris atq; potentię obtrectatione pariter exornentur atq; ditentur, ne ſcilicet Henricus iuſto dolore angi poſſit, quum in fratre minore Carolo Aurelianenſem principatum, in Franciſco autem maiore, non Gallię modo, ſed Britanniæ etiam citerioris coronam, ex paterna hæreditate conſpiciat. Non hoc equidem eſſe vel dignitatis vel Fortunæ ſuæ, vt alienos potius quàm ſuos liberos exornet, & ſtultisſima ratione intempeſtiuæ liberalitatis laudem quærat, qua inimicæ ſtirpis dubiæq; fidei hominum opes augeantur, quibus aucti rurſus aduerſum ſe inſtructiores, vti ſemper fecerunt, inquieta arma reſumant. Itaque neq; hæc inſolenter poſtulanti tributurum, neq; paſſurum vt Sabaudius Carolus tanta cum iniuria ſpoliatus dimidia parte regni, diutius ab ſe, vti antiquitus in Romani imperij clientelam recepto oporteret, iuſtam atq; certisſimã opem imploret. Proinde ſe recta ad Alpes, & in Galliam vſq; progredi ſtatuiſſe, vt propinqui ſui, ſocijque principis, & Romani imperij clientis iniurias defendat. Hęc adeo graui concitataque facundia, oreque flagranti protulit, vt ſubiungeret, ſe inuitum in id bellum trahi, in quo multas gentes nihil mali meritas et inſontes, ipſorum principum iracundia atque obſtinatione, cladem eſſent ſubiturę, propterea pietatę Chriſtiana tacto ſibi ſatius videri, & reipublicæ quidem vtilius, vt ipſe & Franciſcus ad ſingulare certamen deſcenderent, enſeq; et pugione dimicãtes controuerſiã finirent. Tum verò Pontifex clemẽtiora ominatus, Cęſaremq; cõplexus obſecrauit, ne vel non iniquę iracundię impetiſſus

quam

quam pietati indulgere mallet, Gallosq; oratores Maconium & Velleium quędam reſpondere paratos diremit. nam hi ab initio concionis à Cæſare fruſtra poſtularant vt Gallica lingua vti vellet, vt opportuna ipſorũ reſponſa acciperet. Sed Cęſar ſe ideo Hiſpanicè loquuturũ dixit, vt à pluribus id idioma Romano eloquio proximum acciperetur. Per hunc modũ prolato animi ſui decreto, et reiectis regijs legatis, per Caſſiã viam in Etruriam contendit. Senenſes intrantem ipſorum fines Pientia vrbe liberaliter excepérũt, vetereq; ſuo ſtudio Cæſaribus addicti, quũ Senis appropinquaret, erectis paſſim triũphalibus ornamentis, cum exquiſita Tunetanæ victoriæ gratulatione, ſubeũti portã vrbis claues ad declarandã antiquę propẽſionis fidem obtulerunt. Alfonſus Picolomineus Amalphi regulus equi freña rexit, cunctiq; demum ciuitatis ordines, viriq; ſacrati pręcinentes hymnos, ad aram templi maximi deduxerunt. Suſcepit eum pereleganti hoſpitio, miroq; ornatu perpolito Marius Bãdinus, in quo vel ob id quod Archiepiſcopi germanus eſſet frater, ſummũ Cęſarianarũ partium, & popularis factionis ſtudium eminebat. Nam eo tẽpore populares in factioſa ciuitate principes euaſerant, quũ obſoleſcente potentia antiquę nobilitatis, reliqui duo ordines, qui tũ Nonarij & Reformatores appellabãtur, eximia authoritate in Repub. Pandulfo Petruccio principe potiti, impotenti demum popularium impetu per cruẽtas contentiones interfecti pulſiq; fuerant, quoniã Clementi Pontifici, & Gallis fauiſſe credebantur. Inuiſit Cæſar vrbem luculentiſſimè omnibus, quę excogitari poterãt, elegantię ornamentis inſtructã, ſpectauitq; mirabundus innumerabilem prope fœminarum multitudinem. nam hę inter Italicas præcellentis formæ, & elegantis ingenij ſingulare decus conſtanti omnium ferè fama obtinent. Exinde iuuentus extremæ iucunditatis ſpectanti Cæſari theatrales ludos edidit, per hiſtriones variarum linguarum cum multo ſale leporem affectantes, pugilque omnis Senenſium ætas ab inueterato ludieri certaminis ſtudio ad Cæſaris oblectationem incomparabili ardore dimicauit. A Senenſibus autem ad Florentinos prouectum Cæſarem Alexander Medices gener excoluit, & Coſmianis in ædibus ita ſuſcepit, vt Etruſcis artificibus ex mirifica ingeniorum ſolertia ſimulachra, varijq; generis pegmata erigentibus, non modò ſuperaſſe Senenſes, ſed veterum Romanorum magnificentiã ęquaſſe cenſeretur. Inuiſit Cæſar arcem nuper ab ipſo Alexandro conditam, inſtructamq; admirabili tormẽtorum apparatu, vſq; adeo mirabundus vt quum tanta vidiſſet præſidia, quando reliqua ſibi curæ fore diceret, grauiter obteſtaretur generum, vt liberis operam daret, de vnaq; præſertim ſalute corporis ſolicitus eſſet, tanquam in ſubacta armis ciuitate regnanti, inſidiæ æmulis forent pertimendæ. Paucos pulcherrima in vrbe moratus dies, diſceſſurus ex itinere Caianam adijt villam, admirabili ſtructura terreno in cliuo ædificatam á magno Laurentio Medice, nullumque tum ea loci facie, tum erudito ornatu, iucundius ædificium ſe vidiſſe teſtatus eſt. E Caiana Piſtorium atq; inde Piſciam, & mox Lucam intrauit tanta alacritate amicæ ciuitatis, vt neque ſplendidius excipi, neque donari liberalius, neque vberius ali exercitus, comitatusq; omnis poſſe proceres iudicarent. Inuiſit etiam vrbis de ſua libertate ſolicitæ munitionem, intra extraq; muros circundans, laudauitq; militaris peritiæ erecta propugnacula: triduoq; moratus, ornatiſſimæ quanquam modicæ ciuitatis opulentiam, quæ tyrannis aliquando ſeruiuerit, & ſuperioribus temporibus Cæſarũ auſpicijs libertatis iura defenderit, decurionibus commẽ

dauit, & vt in colenda fide perſeuerarent admonuit. Luca profectus per Macræ amnis valles, Apuanosque ſaltus Apœnino tranſgreſſo ad Aſtam vrbem contendit, vbi reperit Foſſanum ab Antonio Leua expugnatum, & Franciſcum Salaſſium regulum alienatum à Gallis, propteréaque deficientem Antonij opera in partes traductum, quanquam eius equites fide integra erga regem, eam ad hoſtes euntem minime ſequerentur, ſed ad Gallorum præſidia deteſtati præfecti ſui facinus redirent. Quo fœlici rerum initio Cæſar, vt Alpes mature tranſiret magis & magis accendebatur. Philippus ſiquidem Sciabotus Ammiras, vti ſupra docuimus, damnoſa interpellatione Ioannis Lotharingiæ Cardinalis ſpe pacis deceptus, à cogitatione belli diſceſſerat, & oppida quæ redegiſſet in poteſtatem præſidijs confirmans, audito Cæſaris aduentu ad regẽ redierat, exiſtimabatq; occupata facilè ſe defenſurum aduerſus Cæſarianos. nam Tuarini cuſtodiam Burriæ viro forti attribuerat, & Paliciam illuſtri Sciabania ſtirpe progenitum iuuenem, proptereaq; auiti decoris auidũ, cum duabus alijs grauis & leuis armaturæ equitum, & tribus peditum vexillis Foſſani collocarat, quum paulo antè Hanebaldus Penerolum tuendum ſuſcepiſſet. Cæterum Palicia aliquandiu tormentis oppugnatus ab Antonio, & multarum rerum inopia preſſus, quòd malignitate atq; perfidia Franciſci Salaſſi, ad Cæſarem tranſire cogitantis, vt ille iuſſus erat nec ſatis commeatus accepiſſet, nec demum fruſtra expectatus, vti promiſerat, vllam opem attuliſſet, planè deceptus, victusq; his malis atq; periculis Antonio deditionem fecit, ea conditione vt cum ſuo omni præſidiario milite incolumis abiret, ſed generoſos equos & militares ad vnum omnes, retentis tantum ad iter in Galliam obeundum humilioribus, cunctaq; ſimul tormenta victori relinqueret. Habebat in animo cõſtitutum Cæſar omnino inuadere Galliam, vt ita faceret ab Antonio Leua in arcano perſuaſus, ſic vt de itinere tantum rationeq; inferendi belli à ducibus ſententias eſſet quæſiturus. Exploratam enim & planè certam fore victoriam diſſerebat Antonius, ſi domi ſuæ Gallos nihil hoſtile metuentes, & imparatum adhuc regem adoriretur, & copias quæ erant magnæ atq; mirificæ ad prædam ditem opulenti regni ſtatim induceret, lateq; euagaretur. Neq; enim apparebat regem prælio certaturum, nullis præſertim Heluetiorum auxilijs fretum, & ad Flandricos fines nouum contra ſe Belgarum exercitum expectantem, quando nihil inſanius atque miſerius Franciſco regi videri poſſet, quàm ſi Galli periculoſam pugnæ aleam ſubirent, quandoquidem in vnum aduerſi prælij caſum atque diſcrimen, & ſalutis omnium & imperij Fortunam adducturi crederentur. Vna ſiquidem celeritate aiebat Antonius præoccupanda eſſe Gallorum ingenia, ne expedire conſilia, & ſeſe colligere poſſent, poſtquam diuerſo perturbati bello, & ancipiti diſtracti metu, tantas vires quantas opus eſſet ad reſiſtendum habere nequirent: proindeq; nuſquam in acie conſiſtere audentes, terram patriam paſſim terrifico hoſti peruaſtendam permiſſuri eſſent. Beſtias feras nuſquam aptiùs atque faciliùs à venatoribus opprimi & capi confiteique poſſe, quàm in ipſarum cubiculis & luſtris, vbi cum catulis communeviтæ periculũ ſubeant. Antonius ex prouentu victoriarum ſuarũ, vſq; adeo Gallicæ militiæ elatus contemptor euaſerat, vt ex vaticinatione quorundam futura prædicentium, Carolum Galliæ regem euaſurum, & ſe voti compotem apud Pariſios in ipſa victoria fato conceſſurum profiteretur. Huic tanquam immodico, & vt videri poterat intẽpeſtiuo conſilio, vnus antè alios Vaſtius ipſe

& Fer-

& Ferdinandus Gonzaga ita refragabantur, ut Vaſtius de ſcripto ſententiam ſuam proferret, & poſtea publicaret, & Taurinum ante omnia expugnandum cenſeret. Eadem erat ſententia Gonzagæ, qui Gallos Foſſani expugnatione perterritos, ſi tot vires, quæ iam paratæ eſſent, Taurini mœnibus admoverentur, minimè laturos arbitrabatur. Non enim vel cives ipſos natura imbelles, vel ipſorum præſidij Gallos, qui non eſſent multi, iuſtum oppugnationis impetum toleraturos, quòd ſi fortius aliquandiu ſuſtinerent: nullam tamen tanquam undique obſeſſos, qua ſe alerent, commeatus facultatem habituros: ideoque brevi facturos deditionem affirmabat. Taurino ſiquidem, quòd eſſet provinciæ caput, in poteſtatem redacto, cuncta facilè reliqua oppida ad priſtinam ipſius Caroli Sabaudij naturalis atque humaniſsimi principis fidem eſſe reditura: atque eo modo firmiſsima Pœninis & Coctijs Alpibus clauſtra poſſe imponi, ut in poſterum ab Italia Tranſalpinæ gentes arcerentur. Porrò Cæſar ire in Galliam certus, præterquam quod unius Antonij Levæ iudicio virtutique plurimùm tribuebat, tribus etiam de cauſis in id bellum ingenti animo ferebatur, quòd Mariam ſororem Belgis imperantem, uti erat virilis animi mulier, è Belgio Gallis arma inferre iuſſam, & iam peramplas cogentem copias, commutato conſilio neque eludere neque deſerere volebat. Pro certo quoq; didicerat Gallos ab Helvetijs auxiliares legiones ſua conſuetudine oblatis ſtipendijs in communi eius gentis concilio impetrare nequiviſſe, quòd aſtuta gens neutri partium ex profeſſo ſtudere videri cupiebat, ut aucta apud Gallos ſuſtinẽdi belli neceſsitate opem ſuam carius vẽditaret. Poſtremò quòd Franciſcus Salaſſus Antonij Levæ opera à Galliæ regis amicitia veteris clientelæ, militiaq; diductus in partes tranſiſſet, & Galli nullum prope peditatum prǽter duas Germanorũ mercennarias legiones, quas Gulielmus Fruſtembergius dux turbidus, & multorum perditorum atque exulum militum collector adduxerat, cui rex confideret, eſſent habituri. Reliquas enim copias ex Galliæ delectibus conſtare, quod genus militum è ſingulis eductum provincijs non magnum militiæ uſum habere iudicabat. Quòd ſi paulò audacius atque felicius in media Gallia res gereretur, Gallos profectò domeſticis incommodis permotos, & Taurinum, & reliqua oppida ſine vulnere deſerturos. Adiuvabat etiam decretum Cǽſaris Andreas Auria, qui non dubiam ſpem prǽbuerat, Rhodanum amnem ſtabili triremium ſuarum cathenato ponte poſſe coniungi, & per Narbonenſem regionem ab Hiſpania, tum commeatus, tum omnis generis auxilia bene gerendo & conficiendo bello expectari poſſe prǽdicabat. Suberat etiam in arcano Cǽſaris occulta ſpes potiundǽ per proditionem Maſſiliæ: nam ſicuti poſtea à præclaris ducibus accepimus, per Antonium Levam quoſdam, qui eam urbem proderent, ſed qui poſtea fidem mutarint, promiſſoque defuerint, tentatos fuiſſe conſtabat. Itaque coeuntibus iam undiq; longè maximis equitum & peditum copijs, Cæſar multiplici itinere, ſed præcipuè per maritimas alpes, & per Tendanos colles Provinciæ fines intravit, ſubſequente à Savonæ portu Auriana claſſe, quæ multas Italicarum cohortium copias ſuſtulerat, quibus Ferdinandus Sanſeverinus Salernitanus princeps imperabat. In his clari veteresque præfecti eminebant Auguſtinus Spinula Ligur, & Petrus Maria Roſcius Parmenſis ſancti Secundi regulus, Hippolytusque Coreggius, & Hieronymus Sanctovitales Salenſis. Horum primo impetu capta direptaq; eſt urbs Antipolis, quæ eſt ultra Varum amnem poſita

contra eas inſulas, quas Lerones antiqui, noſtri hodie Leres vocant. In ea oppugnatione, quòd ab armatis agreſtibus impigrè defenderetur, & triremes à mari admotis proris tormenta in ſocias cohortes, tumultuario procurſu murum invadentes aberrante ictu diſploderent, amplius trecentos milites Salernitanus amiſit: atque inde Ferdinandus Gonzaga cum ſuo equitatu adductis ſecum aliquot Salernitani cohortibus ad urbem Gratiam provectus, eam ſine vulnere in deditionem accepit: ſubſequenteque univerſo exercitu, ipſoq; Cæſare ad Forum Iulij celebrem olim urbem, & Vocontiorum planam, frequentemque ædificijs regionem penetratum eſt, in Alpibus quodam omine capto ex ſylvarum incendijs, quæ continenti flamma ardentibus facilè pinetis, non parvum numerum calonum atq; lixarum, mercatorumq; & mulierum præſertim caſtra ſequentium turbam combuſſerat: concrematis multis impedimentis & ſarcinis, quibus milites, ne eodem igne corriperētur, opem ferre nequiverant. Fuêre enim tum qui dicerēt his ignibus victoriam portendi, quòd prælucentes undiq; flammæ lætitiam prænunciarent. Alij à periculoſo ingreſſu infauſtum belli ſucceſſum, & iacturam impedimentorū, uti poſtea evenit, ſignificari contendebant. Cæſar circa forum Iulij advenientes copias in unum coegit, productasq; ſub vexillis lætus inſpexit: nam ſicuti à Vaſtio accepimus, nuſquam maiores & ornatiores copias Chriſtiano bello Cæſarem unis in caſtris habuiſſe conſtabat. Nam Germani quinquaginta ferè cohortium vexilla implebant, quæ Germanica conſuetudine paulò minus quingentos pedites ſingulæ continebant. Has legiones imperio regebant Tamiſius dux vetus, & Gaſpar Georgij Franiſpergi clariſsimi ducis filius. Hiſpanos autem octo milium numerum ſuperaſſe, cuius gentis nuſquam antea tantam multitudinem, adeoque militariter inſtructam ſe vidiſſe dux ipſe teſtabatur. Hunc Hiſpanorum numerum ſuperabāt Italici, qui præter deſcriptos conductosq; ſtipendio voluntariam & liberam prædæ ſpe militiam ſequebantur. Magnum autem gravis armaturæ equitum numerum Maximilianus Iſelſtenius Belga ex Burgundia, inferioreq; Flandria adduxerat. Sed cataphractos omnes vel Italici vel Hiſpanici generis ductabat Ferdinandus Toletanus Albæ regulus. Veterano autē levis armaturæ equitatui præerat ex ſuo veteri munere Ferdinandus Gonzaga. Huic adiunxerat Alexander Medices alam Etruſcam Valerio Vrſino duce, quæ manus in univerſum mille galeatorum equitum ſummam efficiebat. Tormenta verò magna ex parte ſuppeditabat claſsis, quæ oram legere iuſſa, commeatibus etiam ex propinquis litoribus caſtra ſublevabat. At Franciſcus de animo Cæſaris adverſum ſe vehementer concitato, & de ſingulis inſtituti ab eo belli conſilijs edoctus, quòd ad eum Ioannes Bellayus Cardinalis Pariſienſis memoriter excepta atque deſcripta ea Cæſaris concione, quæ in Vaticano habita fuerat, diſsimulato habitu, mutatisq; ad celeritatem iumentis in Galliam percurriſſet, tota ſua inani ſpe cōcordiæ deiectus, facilè agnovit quanto cum incommodo Philippus Ammiras paulò anteà ad Taurinum in ipſo curſu bene gerendarum rerum fuiſſet retardatus, & quàm ipſe eſſet imparatus, ad ſuſtinendum bellum graviſsimi hoſtis, à quo terra mariq; præmiſsis ingentibus copijs peteretur. Hæc anxie quoq; confirmabat Cardinalis Lotharingius, qui apud Senas fruſtrà cum Cæſare de compoſitione fuerat colloquutus, aſſerebatq; ea mente eſſe Cæſarem, ut non modò Mediolanenſis imperij poſſeſsionem ſibi retinendam eſſe, ſed aſperrimo in viſceribus Galliæ excitato bello, Bur-

lo, Burgundiam citeriorem, quæ ad Heduos pertinet, armis repetendam decerneret. Itaque Franciſcus uti pericula poſtulabant, undique evocatis ad bellum beneficiarijs ſuis, & tota nobilitate arma capere iuſſa, legiones iam pridem inſtitutas in provincijs acceſſebat, cogebatque circa Lugdunum, ut inde ad Avinionem progrederetur, ex propinquo irrumpentium hoſtium adventum & impetum diſpoſitis præſidijs exciperet. Interim per Legatos dabat operam ut ab Helvetijs iuſta auxilia mercede compararet, & Picardiæ fines validis copijs adverſus Belgarum irruptiones confirmaret: nam à Maria regina conſcribi magnum exercitum Henrico Nanſoo duce atque induci in Gallię fines audiebat. qua poterat etiam diligentia eos duces, quos in præſidijs Subalpinæ regionis decedens Ammiras reliquiſſet, pecunia & novis copijs confirmabat. Nam Iacobus Medices ad obſidendum Taurinum relictus a Cæſare, & Franciſcus item Salaſſus paſsim bellum gerebant adverſus Gallos, ſic ut cruenta minuta prælia in expugnatione oppidorum ederentur, quibus clari nonnulli fortiſsimique viri utrinque caderent. Nam M. Antonius Cuſanius Inſuber, quum emiſſus Taurino ad oppugnandum Sabinianum contendiſſet, potitusque exteriore templi ædificio magnam vim telorum & armorum omnis generis è Cæſarianis ibi præparatam ſuccenſa domo concremaſſet, & Scaleagum ſubſidio cum cohortibus ire auſum commiſſo certamine profligaſſet: in ipſa victoria vir excellenti virtute glande traiectus occubuit. Interea Franciſcus nihil quod ad ſalutem Galliæ pertineret, intentatum relinquens, in Italia parandas novas copias, Genuamque Cæſari opportuniſsimam urbem detrahi poſſe ratus, ad Mirandulam conſcribi novum exercitum iuſsit. qua in re ſtudioſi Gallici nominis duces cogendis undique cohortibus operam dabant, Caninius Gonzaga, Cæſar Fregoſius, Annibal Novellarius, & Pallavicinus Vicecomes Inſubrum clariſsimus, quibus etiam acceſſerat Petrus Strozza Florentinus exul. His omnibus rex præfecerat Guidonem Rangonum, cuius militari ingenio magnopere confidebat. Itaque Guido cum octomilibus peditum præter Parmam atque Placentiam ire pergens, Derthonenſibus ex itinere commeatum ei præbentibus præter Scriviam amnem, Genuam ſuperato Apœnini iugo provectus eſt. Interea Cæſar è foro Iulij motis caſtris ad ſancti Maximi Vocontiorum oppidum pervenit, paſsim effugientibus incolis, ſed plenos varijs commeatibus vicos ita relinquentibus, ut Cæſariani alerentur ſimul & aliquantam prædam reperirent, quum nulla hoſtium armata manus occurreret. Erat autem adeo multa ſingulis in pagis ruſticanisq; tugurijs præter triticum, multiplexq; legumen, aridæ ficus & amygdalę, caſei, & ſalitæ carnis copia, ut ſi frumenta deeſſent, his cibarijs multo amplior exercitus per multos dies ali poſſet, poſtquam adulta iam dum ęſtas fructus recentes affatim undique ſuggereret propter admirabilem pomiferarum arborum, quibus ea terra paſsim conſita eſt, frequentiam. Auria quoque in Tolonæ portum claſſem intulerat. Is antiquitus Taurenta portus fuit, turremque habet, quam metu tormentorum territis cuſtodibus Auria in poteſtatem redegerat, commodeq; terreſtres copias cunctis ſubſequentis claſsis per oram copijs ſublevabat. Galli autem edicto regis quantum poterant frumenta & commeatus omnes longè ab ora maritima, itinereque hoſtium ad remotiora ædificia, munitaque loca reducebât, cui negocio præpoſiti fuerant Montegianus inſignis equitum prę fectus, & Boiſsivus Gofferius Arcturo patre, aulæ regiæ quondam magiſtro,

Gulielmoq; Ammirante, qui ad Ticinum cecidit, patruo clarus. Hi cataphractorum & levis armaturæ equitum binas alas adduxerant, & tres peditum cohortes, quæ equitibus præſidio forent, progreſsique in eas partes, per quas Cæſariani iter facturi videbantur, paganos excedere ædificijs & demigrare, & domeſticas copias retrò avehere, ne his potiretur hoſtis, cogebant: qui ſegnius id feciſſent, atrociter mulctabantur: ſicut accumulatis anteà pabulis faces ſubdere, & fœdè vini dolia perrumpere, ac frumenta quæ aſportari non poterant, eodem igne corrumpere lugentibus incolis properarent. His conficiendis rebus occupatos hoſtes, exploratores Epirotæ ante euntes, ſuoque more prædam quæritantes, ad Brugnolam oppidum proceſsiſſe Gallos Gonzagæ renunciarunt. Is uti maximè cupiebat longius & introrſus ad hoſtes nondum percurrerat, ægreque à Cæſare impetrare potuerat, ut ſuo munere fungi, quòd eſſet utiliſsimum & propè neceſſarium noſcendis hoſtium conſilijs permitteretur. Cæſar enim uni Antonio cuncta deferebat, qui ſine ſe quicquam tentari, ut laudis cupidiſsimus nolens, hoſtes ipſos tota mole copiarum invadendos, nec aliter excitandos eſſe diſſerebat. Itaque cohortante Vaſtio, & Cæſare permittente, Gonzaga omnem ferè levis armaturæ equitum multitudinem aditer expedit, poſtulatque ut Tamiſius cum legione Germanorum ſecum eat, ut equitibus præſidio ſit: primoſque omnium præmittit Paulum Luciaſchum, & Zucerum Epirotam, ſpectatæ ſolertiæ atque virtutis veteres præfectos. His præcurrentibus ad Brugnolam Montegianus atque Boiſsivus ab incolis, qui refugiebant, de adventu hoſtium cognoſcunt: & quum alter extemplò abeundum eſſe, nec ullum pugnæ diſcrimen ſubeundum diceret: alter Montegianus ingenio elato ferocique, turpe ſibi fore teſtabatur, ſi de profectione prius cogitaret, quàm ora hoſtium vidiſſet. Nec multo pòſt undique Cæſariani volitantes conſpiciuntur, & Boiſsivo ſe ſubducere parante Montegianus equitibus tuba ſignum dat, ut arma capiant & conſcendant equos. Gonzaga novas turmas primis ſubmittit, imperatque ut prœliando hoſtes diſtineant, donec ipſe cum reliquis alis, & Tamiſius cum legione ad oppidum perveniant. Itaq; invadentibus Cæſarianis prælium oritur, obvertunt ſe Galli equites, & fortiter repugnant tanta conſtantia roboreque denſatæ alæ, ut primi pellerentur, ſed aucti ſubſidijs pugnam inſtaurarent, quo caſu Sampetrius Corſus, qui cohortibus præerat, ad equitatum utrinque lunato flexu cohortes peritè applicat, & per ſclopettarios rem gerit, multiplicatiſq; inſultantibus Cæſarianorum turmis atrox prælium editur, duoque fortiſsimi præfecti, Pelacanes Bononienſis, & Stephanus Puveius virtute animi & decore formæ nemini ſecundus, ideoque Gonzagæ cariſsimus, interficiuntur. Sed ſuperventu Valerij Vrſini, & Cantelmi Populenſis reguli cohortes perturbantur, proculcatæque equorum impetu capto Sampetrio proteruntur: funduntur equites peditum præſidio deſtituti, paucisque interfectis ad vnum omnes, ita ut nec tubicen effugeret, capiuntur. Montegianus ipſe veſana ferocia diu repugnans à Marſilio Brixiano equite capitur: eandem ſortem ſubijt Boiſsivus, repertuſque abiectis inſignibus gregarij equitis habitu ad Gonzagam de facie agnitus deducitur. Eo die Gallorum temeritate Montegianiq; præſertim inſolentia id acceptum incommodum fuiſſe conſtat, quo Brugnola effuſè direpta eſt. Exinde cognitum eſt ex captivis, regē ad Avinionem copias cogere, nihil tamen de pugna cogitare, niſi Helvetiorum auxilia recepiſſet, quæ impetrata fuiſſe, & iam eſſe in itinere

nere

nere Galli dictitabant. Cæſar eo felici initio lætatus, ſupra Maſsiliam ad Aquas Sextias caſtra promovere cōſtituit, atq; item propius Maſsiliæ mœnia intueri, & certius explorare, an aliquis in ea urbe tumultus à proditoribus novisq; rebus ſtudentibus civibus ſentiretur. Itaq; diu urbis munitiones ex propinquo contemplatus, quum nemo ſuorum ſciret, cur in conſpectum ſe dediſſet, paulò poſt ad caſtra rediјt: & Vaſtius in Arelatenſem uſq; agrum excurſionem fecit, eo eventu, ut pleriq; Arelatenſes nihil hoſtile expectantes, vagatiq; per villas ruraq; ab equitibus interciperētur. Per eos dies Franciſcus rex, Franciſcū Delphinum filium hæredem regni & nominis deſtinatum repentino oppreſſum morbo amiſit, tanta totius aulæ mœſtitia, ut ab omnibus æquato dolore iuvenis florentiſsimus, virtuteq; bellica inſignis, & regijs præditus virtutibus tanquam immiti fato ereptus, effuſiſsimè lugeretur. Nec defuère qui ſuſpicarentur eum veneno fuiſſe ſublatū: cuius nefarij criminis repentè reus factus quidā Sebaſtianus Montecuculus pœnas dedit, quum ab equis in compito in diverſa currentibus diſcerperetur. Nonnulli præcipiti iudicio eum damnatū ferebant, tanquam inſontem, qui dolore victus inter immania tormenta, ut calamitati ſuæ finem imponeret, ſe reum miſer feciſſet, & authores tanti facinoris Antonium Levam & Ferdinandum Gonzagam nominaſſet, qui obruti tantæ infamiæ nomine calumniam à perdito impudentiſsimoq; homine temerè impoſitam anxiè diluere cōtendebant, quum nonnulli Delphinum ex nimia iactatione in ludo parvæ pilæ æſtuantem, ſudoreq; madentem, frigidam intemperanter hauſiſſe prædicarent, nullis præſertim apparentibus veneni indicijs, quando præcordia viſceraque eo immodico rigore correpta extincto penitus innato calore mortem accerſerint. Quum ad Aquas Sextias caſtra haberet, nec iam claſſe iuvaretur, quòd magnum regionis ſpatium à Tolonæ portu ad Aquas Sextias intercederet, itinere præſertim latrocinijs infeſto, quòd incolæ deſperatione rerum ſuarum notos ſaltus inſiderent, & viatores præſidiaq; eorum invadentes interficerent, fames in caſtris ſentiri cœpit, quòd cocta Cerere carerēt, & fructibus noxijs milites uterētur. Nam tametſi frumenta undiq; ſuppetebant: nulla tamen molendi tritici erat facultas: quoniam à Gallis paulò antè molæ frumentariæ perruptæ diſiectæq; fuerant: ac niſi ab Hiſpanis, & quibuſdam Italis refectæ cuſtoditæq; certis præſidijs molæ forent, nemo in caſtris vel inter proceres nobiliſsimos erat, qui convivijs panes apponeret. Quibus de cauſis fiebat, ut Germani præſertim morbos cōciperent, atq; eo peſtilentiores, quòd muſto ex uvis nō planè maturis expreſſo è galeis avidè biberent, quæ ventres facilè contaminabant: ſic ut interneciva profluvia paſsim orirentur, & funeribus caſtra compleretur. Quibus malis obviam ibat Cæſar validis iuſtisq; præſidijs ad claſſem miſsis, ut inde opportuna famis ſubſidia peterentur. Nam Auria multa tritici copia abundans pluribus ſimul furnis & clibanis Cererem excoqui iubebat, cæteraque expediebat cibaria, & in his nauticum panem, cuius magnam vim in claſſem ideo cōtulerat, ut terreſtribus etiam militibus deſerviret. Mirabantur homines cur Cæſar tamdiu apud Aquas Sextias ferè ingloriùs hæreret, nec quicquam priſtino ardori ſuo ſimile moliretur, nec generoſa conſilia digna ipſo celeriter expediret, prius quàm exercitus, Germanorumq; præſertim, gravioribus morbis tentaretur, & Helvetij hoſtibus auxiliares ſupervenirent, qui brevi affore nunciabantur. Languebat fermè quarta pars legionū, & multò plures morbos abſumpſerat, inter quos fato ceſſerat al-

ter ducum Gaſpar Franiſpergus cum minoribus præfectis atq; ſigniferis ſupra viginti. Ipſe quoq; Antonius Leva prioris ſui conſilij non obſcurè pœnitens, rarius & ſegnius apud Cæſarem ſententiam dicebat: perplexusq; atq; obrutus magnitudine difficultatis Fortunæ manus dabat, decumbebatque corpore æger, atq; animo deiectus, ita ut Cæſar ipſum de victoria deſpondentis animum agnoſceret, & Vaſtius ex priore ſententia Levæ oppoſitus, difficultatis cauſas cõficiendi & repræſentandi panis militibus afferret, nihil ad inferendum ſtrenueque gerendum bellum obſtare, quando Germani cæteriq; milites tritico cacabis excocto Neapolitanæ obſidionis incõmoda patientiſsimè toleraſſent: ideoque intempeſtivè parumq; honeſtè turpem Cæſari: ignominioſam verò ducibus maturari, receptus vulgato inter milites rumore famam parari, proinde milites quò iuberet Cæſar dum vires eſſent integræ, fortiter eſſe perrupturos, vel ſi hoſtem regem ad Avinionem æſtivantem invadere cuperet, vel adito Lugduno in Burgundiam antiquæ ſuæ ditionis pervadere iuberet. Cæterùm quum in his verſaretur conſilijs Cæſar mari delatũ ab Auria triſtem nuncium accepit, quo Guidonem Rangonum ad invadendã Genuam appropinquare, et in Pociferã vallem ſe demittere ferebatur. Igitur Auria de patrię ſalute vehementer ſolicitus expedito conſilio ſeptingentos circiter milites Auguſtino Spinulæ legendos attribuit, continuoque triremibus Antonij Auriæ devehendos imponit. Antonius pari ſtudio ſolicitudineq; ad ferendam patriæ opem incitatus, uſusq; nocturnę auræ flatibus, velis & remis ire contendit, ingreſſusque portum cives magna trepidatione liberavit: nam tota ferè civitas inexpectato metu perturbata eò deſcendebat, ut plerique uxores & liberos, carioresque res ſuas navigijs imponerent: alij plebsq; in primis rerum novarum prædæque avida, reduci Fregoſios, & vetus Gallicæ ſervitutis iugum induci clamitans, correptis armis ad defendẽda mœnia diſcurrebat, ſic ut incerto ſtudio per regiones urbis tumultuosè deferretur. Sed conſpecto Spinula, qui validam præſidij manum adduxerat, primos cives obliti veterũ factionum, moresque receptæ libertatis, in qua beatius viverent, magna ex parte levati metu recreantur. Iam hoſtes ad ſancti Thomæ portam, quę eſt ad occidentem, pervenerant, allatisque pluribus ſcalis & conſcenſis, in ſummum murum evadere, coronamque occupare nitebantur. His conſpicui cohortatores aderant Guido ipſe atque Fregoſius, qui quum fruſtrà portam ſibi aperiri amicè ingreſſuris poſtulaſſent, adverſum à civibus reſponſum retulerant: proptereaq; vim ãdmovendam rati acerrima atque audaciſsima conſcenſione facta in urbem tranſcendere conabantur, eo quidẽ maiore Genuenſium periculo, quòd ad orientalem portam, quæ ad Feritorẽ hodie Biſamnem fluvium ducit, Pallavicinus Vicecomes, & Hercules Fregoſius Cæſaris frater altera caſtra feciſſent, ut diverſo pavore illato cives ad deditionem compellerent. Cæterũ ſupra ſancti Thomę portam non longè ab ea turricula, per quam Piſcario duce Adurnios proceres reducente, urbem ante quatuordecim annos captam fuiſſe meminimus, magna contentione certatum eſt, eo ſucceſſu, ut Baptiſta Corſus cognomento Farina ægrè locum defenderet, & Guidoniani vexilla in ſummi muri pinnas audacter efferrent. Verùm ſuperventu Spinulę ingenti animo propugnantis, ereptũ eſt aſcendenti ſignifero vexillum, ipſoq; vulnerato atq; in pręceps deturbato, repreſsiſq; ſubinde et vulneratis, qui ſcalas ſubibant, ea mœniũ pars uſq; adeo egregiè defenſa eſt, ut quũ Hector Neapolitanus invadentium

pugna-

pugnaciſsimus cecidiſſet, Guido multis ſuorum amiſsis & vulneratis receptui cani iuberet, tanquam redintegraturus pugnam uti videri volebat. Cæterum dux prudens, quòd nulla ad quaſſandum murum, atque ideo ad terrendum hoſtem tormenta ſecum adduxiſſet, neque uti ſperarat Fregoſius, ullus omnino in urbe faventis populi tumultus oriretur, admonitis ſocijs, qui erant ad Feritoris portam copias collegit, regreſſusque per dextros Pociferæ vallis montes in agrum Subalpinũ, Tanaro amne ſuperato, ad Gallicos duces pervenit, ingenti equidem metu atq; periculo, uti inopinatis caſibus accidit, liberata civitate, quanquam Guido in diſceſſu oblata ex itinere oppidula diripuiſſet. Inde Guido provectus ad Aſtam, quum nemo Cæſarianorum prodiret, abacta aliquanta præda maioris pecoris, ad oppugnandum Carinianum contendit, quod oppidum infirmo cuſtoditum præſidio adortus, uno atque altero tumultuario certamine ſub mœnibus edito, ad deditionem compulit, ibiq; magnam vim parati à Cæſarianis commeatus nactus, Taurinenſium, & reliquorum præſidiorum inopiam, æqua diſpenſatione opportuniſsimè ſublevavit. Nec multò pòſt admotis copijs Carmagnolæ, munito oppido, quod Salaſsi erat ditionis, potitus eſt. Quibus rebus geſtis tametſi ab irrita ſpe potiundæ Genuæ fruſtrà bellum ſuſcepiſſe videri poterat: his tamen captis oppidis egregiè nominis famam tuebatur. Quibus cognitis rebus Cæſar & Auria, periculoſa levati cura, magnoperè lætati ſunt. Per eos dies Cæſare circa Aquas Sextias commorante, & peſtilentibus morbis legiones pervaſtantibus, quũ Nanſous cum valido Belgarũ exercitu Galliæ fines ingreſſus levibus quibuſdam equeſtribus prælijs proſperè factis ad oppugnandam Peronam, quæ eſt urbs Picardiæ ad Samorobrinam amnem poſita, contendere nunciaretur, Helvetij vel nihil ex decreto magiſtratuum impetrante rege, ingenti multitudine voluntariorum eius gentis ad ſtipendia, quæ offerrentur excitata, duce Calcemito deſcenderunt, & Gallos adventu ſuo ita confirmarunt, ut Cęſar de belli exitu timere videretur. Erant enim Helvetij delecta ferè viginti milia peditũ, quę conniventibus pagorum magiſtratibus arma capere, dare nomina apud quęſtores Gallos, & ſublatis vexillis proficiſci permittebatur. Nam ſicuti anteà magiſtratus publicæ Cæſari ſe in neutram inclinaturos partem promiſerant, ita quòd ſtipendiorum & lucri iacturam cunctantes facerent, pagorum ferè omnium iuventus exercendis nata armis ferre non poterat, ut ei bello non intereſſet, quum plures eminerent, qui ex fœdere veterũ pactionum minimè committendũ prædicarent, ut Galliam tanto circumventam periculo contra ius & æquum indefenſam diripi paterentur. Habendam enim eſſe rationem perpetuæ ſocietatis, qua ad tuendam Galliam præclaro fœdere Gallię regibus eſſent obſtricti, à quibus omnium temporum perpetua atq; opima bello et pace pręmia retuliſſent. Calcemitus autem quanquam corpore puſillus, ingẽtis tamen animi præfectus, quem prælio ab Bondincum proſperè facto adverſus Ferrarienſes multum inclaruiſſe memoravimus, in corona dixiſſe ferebatur, nequaquam eſſe ex commodo dignitateq; Helvetiæ gentis circumventum diverſo bello, graviq; luctu opppreſſum regem, qui florentiſsimum regniq; hæredem ex liberis amiſerit, parum pia atq; inepta magiſtratuum ceſſatione deſerere, ſcilicet, ut viri fortes ſtipendia facere & virtutis præmia ferre ſoliti, ſua ſpe lucri, atque occaſione parandæ laudis defraudentur, ut finitimos Germanos veteres hoſtes, ipſamque præſertim natura infeſtam Helvetio nomini Auſtria-

nam ſtirpem immodica potentia augeri ſinant tanquam non aliquando ipſorum libertati negocium allaturam. At magiſtratus pętoresque pagorum non obſcure Gallo favere cupiebant, quanquam avarius atq; tenacius quàm oporteret ſecum egiſſe ab initio quæſtores Gallos dicerent, qui intempeſtivè veluti nondũ inchoato bello pecuniam in ſtipendia minimè ſe prolaturos dixiſſent: atq; eo modo integro publicę fidei pudore dum nihil publicè de mittendis auxilijs decretum eſſe teſtarentur, privatorum militũ cupiditati, & publico commodo dum conniverent, nec euntes & nomina dantes retentarent, publicæ exiſtimationi callidè ſatisfacere volebant. His tantis confirmatus auxilijs Franciſcus rex certius exploratis hoſtium conſilijs, atq; eorum incommodis, quæ contagioſa planè lues peſtilentiæ modo in dies validius ſerpens afferębat, animadverſaque apud eos ſalubris & expetiti commeatus difficultate, ſecundo Rhodano devectis exercitus impedimentis ad Cabellonem proceſsit. Ea vetus Colonia poſita eſt ad amnem Druentiam in Rhodanum influentem, egregiamq; habet ponendis caſtris opportunitatem. Ibi Anneus Memorantius totius Galliæ equitum magiſter, cuius tum propter eximiam militiæ peritiam, maximeq; ſobrij & perſpicacis ingenij præſtantiam ſumma erat apud regem authoritas, dimenſus accurata ratione admirabilique munitione complexus latiſsimum ſpatium vallata caſtra erexit, quibus undiq; tormentorum corona permunitis, ampliſsimæ copiæ contineri, atq; his infeſta reddi itinera poterãt, quę ad Cęſariana caſtra, & ad maritimas cõmeationes, viasq; Alpium pertinerent. Nam per ſuperiores dies Paulus Ceres cum valida manu Italicorũ & Gallorum equitũ, expeditarumq; cohortium Druentiam flumen tranando, nonnulla detrimenta ex occaſione diſperſis hoſtibus intulerat. Perfectis igitur ad Cabellonem caſtrorum munitionibus, atq; intra has equitatu è tota Gallia recepto, & collatis in eas Fuſtembergi mercenarijs Germanis, & Gallicanarum legionum copijs, Helvetij expectabantur, qui iam aderant, uſque adeo multiplicatis cohortibus, ut nemo eius gentis domi relinqui videretur: quoniam pleriq; & bellicoſiſsimus quiſq; ſuopte ingenio ad iter incitati, neq; duces, neque vexilla expectanda cenſebant. Id impenſius & alacrius gentis ſtudium, ſicuti maximè ſumptuoſum Galli quæſtores ſibi fore providebant, ita Cęſar imminuta ſpe eius conceptæ victoriæ, procedendi atq; audendi conſilio frangebatur: nam (ſicuti nonnulli paulò anteà probarant) ſi diſcedere longius à mari, et per Lugdunenſem agrũ in Burgundiam penetrare percuperet, id neq; tutũ, neq; facile videbatur, quod maximis hoſtiũ copijs in tergo relictis, atq; his quas anteà deſpexerat, adventu Helvetiorum mirificè confirmatis, rex procul dubio ex occaſione certaturus credebatur, cuius rei conſilio ſi caſus incideret, nihil alienius & iniquius accidere poſſe Cæſari cuncti ferè duces affirmabant, & tum maximè in Antonio Leva intolerandi totius corporis, omniumque propà artuum dolores, ita animum lethifera vexatione fatigabant, ut omnem eius ingentis animi vim eliderent, ipſeque deceptus ſua ſpe immodica deſtinatæ victoriæ intra paucisſimos dies ad mortem adigeretur. Viſus eſt Leva accepti vaticinij ſui fidem impleviſſe, quum in Gallia, uti cupiebat, extremum vitæ diem obierit, & relatus in Italiam apud templũ ſancti Dionyſij penes Mediolanum inſigne ſepulchrum meruerit: ſed nõ apud Lutetiam uti crediderat, ubi Dionyſiano celeberrimo in templo tumulum cum elogio funeri deſtinaſſet. Eo mortuo Cæſar de conſilio reliquorum ducum, nihil ultrà eo bello tentata

prælij

prælij Fortuna ſe recipere, atque in Italiam redire conſtituit. Interea à Paulo Pontifice binæ legationes in Provinciam pervenerant: altera Trivultio Cardinale legato, quæ Franciſcũ regem reſpiceret: altera Rodulpho Pio Carpenſe, quo Cæſar adiretur. Eorum adventus quanquam ſeçus, non omnino irritus fuit: nam propterea quòd ex diverſo factionis ſtudio inter ſe diſsidebant, idonei videbantur, qui ab utroque armato principe pijs precibus impetrarent, ne ſummo Reipubl. Chriſtianæ incommodo armis concurreretur. Quæ legationes quanquam nihil quo ad levandas ſimultates, & minuendam eius ſuscepti belli controverſiam pertinerent: eximium tamen ſacroſanctæ æquitatis in Pontifice, qui pacificatoris nomen quærebat, ſpecimen præbuerunt. Eo modo Cæſar magis & magis ingraveſcente autumno, deductis undiq; præſidijs, & cõſtitutis agminibus per eaſdem maritimas Alpes ſubſequente claſſe in Liguriam ita eſt reverſus, ut ipſe cum tota ferè aula ad mare iter haberet, turremq; quandam agreſti Gallorum prgſidio munitam, quòd iter illac habentibus Cęſarianis infeſta eſſet, & Garziam Laſsium Hiſpanicæ nobilitates bellica laude, & poetica lauro inſignem lapide ictum interfeciſſet, multa vi expugnaret, defenſoresq; deditos, quòd pertinacius reſtitiſſent ſupplicio affici iuberet. Tum verò Franciſcus quibuſdam Gallorum facili paratæque victoriæ defuiſſe viſus eſt, quòd abeuntis hoſtis veſtigia ſtatim non eſſet ſubſequutus: nam plerique etiam ex Cæſarianis affirmabãt, noviſsimis agminibus grave incommodũ afferri potuiſſe: quoniam Germani, & non parva Hiſpanorum pars lentioribus morbis tentarentur, & equites Germani, Belgæque præſertim magnam equorum multitudinem, aut exuſtam fervoribus æſtivis, aut turgentibus talis debilitatã amiſiſſent. Sed nos poſtea huius ceſſationis cauſam ab ipſo rege requirentes, hanc fuiſſe reperiebamus. Primũ omnium quòd Helvetios cũ Germanis tanquam perpetuos eorum hoſtes committere nollet, ſpectante prgſertim Fuſtembergo, ne is offenſus iniuria, ſi fratres & conſanguineos ſuos ab Helvetijs Germanico nomini inimiciſsimis trucidari cõſpiceret, propterea indignabundus ad tuendos ſuos verteretur, quum ipſe Fuſtembergus tanquam omnis ſacramenti cõtemptor, ingenio impius & prgceps facilè ſeceſsionem fœda conſternatione facturus crederetur, & ipſe multis eruditus antiquorũ documentis, à certo & tutiſsimo diſciplinæ militaris præcepto diſcedere nollet, quo fugienti hoſti nõ fabricandos modò pontes, ſed auro etiã ſternendos veteres cenſuiſſent: ſatisq; ſibi glorię, & laudis partũ eo bello fuiſſe, poſtquã tantos impetus, cum Cæſaris in Provincia, tum Nanſoi in Belgis egregiè regno incolumi ſuſtinuerit & finib. expulerit. Per eos namq; dies Nanſous irrito conatu magnis Belgarũ, & Germanorũ adductis copijs Peronã urbem fruſtrà oppugnarat. Cæterũ Cæſare triremibus Genuã advecto, Aurianisq; in ædibus ornatiſsimis ſuſcepto, Vaſtius per Ingaunos Ligures exercitũ, Hiſpanosq; prgſertim in Subalpinam regionem reduxit, quòd ibi Gallorum præſidia acceſſu Guidonis Rangoni firmiora, nihil his in partibus bellum remitterent, novoq; auſu vicina oppida invaſuri viderẽtur. Quo ſucceſſu autẽ Nanſous bellum geſſerit, Peronamq; oppugnarit, paucis operæ precium erit enarrare. Perona oppidum eſt Gallię Belgicę, ad Samarobrinam amnem, quem Somam hodie vocãt, Veromãduris antiquis vicinũ populis, qui etiã nunc vetus nomen retinẽt. Id autem diſterminat Gallorũ ditionem a Flandris Cæſaris imperio ſubiectis. Paluſtris ea eſt regio, & quod ad ſacra attinet Novioduni antiſtitis authoritatẽ

reſpicit. Perona tametſi neque magna ſit, neque ideo urbis nomen habeat: frequentes tamen habet incolas generoſos, & Galliæ regibus valde addictos. Exercentur Peronenſes belli tempore quotidianis ferè excurſionibus & prælijs cum finitimis, Bapalmenſibusq; præſertim. Bapalma ſiquidem ad Flandros pertinet, extremoq; in limite poſita adverſæ ditionis Peronam reſpicit. Hoc itaq; oppidum quum Cæſariani duces neq; præſidio valido, neq; multo commeatu, neq; exquiſito opere ſatis munitum exiſtimarent, omnibus copijs aggredi ſtatuerunt, quod Perona capta facilem ſibi in Galliam aditum patefactũ iri providebant. Priore autem conſilio ſancti Quintini oppidum Samarobrinorum præcipuum, hybernisque olim C. Iulij Cæſaris clarum invadere cogitarant, ſed accuratè & præaltæ munitionis validiq; præſidij fama Nanſoum averterat. Hic enim genere Semigermanus ſummæq; dignitatis regulus apud Cęſarem favente regina copijs pręerat, habebatq; in caſtris circiter viginti milia Germanorum peditum: equitum verò partim è Menapijs atq; Sicambris, qui nunc Clevenſes appellantur, atq; item ex Eburionibus, reliquisq; Belgis ſeptem milia equitum: magnum autem numerum tormentorum muralium, magnamq; vim militaris inſtrumenti expugnandis urbibus undiq; ſibi advehi iuſſerat. Hęc dum à Nanſoo pararentur, Galli ſenatorij ordinis publicis negotijs præfecti apud Lutetiam: quoniam rex abeſſet, atque in Provinciam Cęſari ſibi obviam eundum ſtatuiſſet, animadverſo Peronenſium periculo, priuſquam Nanſous hoſtis perveniret, eius oppidi cuſtodiam Florantio Roberti Sedanij filio tribuerunt. Is pluribus bellis clarus, uti paternæ virtutis æmulum decuit, Mareſcalchi dignitatem fuerat conſequutus. Mareſchalchi ſiquidem muneris eſt ordinarium regis equitatum inſpicere moderarique, & in arduis prælijs primam aciem ductare. Itaq; Florantius equites cataphractos centum quinquaginta, milleq; legionarios pedites delectos ducens, celeriterq; Peronam contendens, ante Nanſoi adventum pervenit, & Peronenſes ex vetere ſuo ſtudio promptiſsimos ad ſuſtinendum hoſtium impetum, defendendámque patriam, magnifica concione in foro habita confirmavit. Dammartinum regulũ ſummæ virtutis atq; conſtantiæ virum arci tuendæ impoſuit, qui ſuam peculiarẽ alam cataphractorum dimiſsis equis introduxerat. Cercheium autẽ virum egregiè fortem peritumq; militiæ peditibus præfecit: equitatum verò omnem attribuit Ioachimo Hangeſto ſummæ ſpei, & iam ſpectatæ virtutis iuveni. His rebus quæ ad munitionem pertinerent inſtituendis atque parandis occupato Florantio, Nanſous cum omnibus copijs ſupervenit, complexusque oppidum lunatis caſtris Idibus Auguſti tormenta promovit, quæ erant cum numero, tum magnitudine obſeſsis maximè formidãda. Itaq; quum Peronenſes poſtulanti Nanſoo ut ſe dederent, alacriter reſpõdiſſent, ſe nequaquam adeo demiſsi eſſe animi, ut ſe patriæ mœnia defenſuos dubitarent, poſtquam his regiorũ militum præſidijs eſſent confirmati, qui ſæpenumerò ipſos hoſtes obſediſſent, & ipſi alias arctiſsimè fuiſſent obſeſsi, non modò hoſtium minas cõtemnere, ſed armatos vim inferre auſos multis in locis fortiſsimè repuliſſent. Adactis autem tormentis Nanſous uſq; adeo terribili violentia murum quaſſavit, ut mœnia per partes cõvulſa perfractaq; prociderẽt, & patentes aditus per ruinas Cęſarianis pręberẽtur, quibus ſuccedentib. & audacter irrũpere conantib. ferrea atq; perpetua cataphractorũ acies dimiſsis equis pedes pugnãs opponebatur. Certabatur aũt cominus haſtis ãtq; ſecuribus: ſic ut Gallica acies

immota conſtantiſsimè irruentes ſuſtineret atque propelleret: nam Florantius ſubmittendis recentibus ſubſidijs diligenter intentus, nuſquam deerat: exemploq; ſuo ardentiſsimè propugnãs, & unumquemq; vel militũ vel oppidanorum ad reſiſtendum accendens, in muro impavidus verſabatur, ſic ut quũ per quinque horas cruento prælio eſſet dimicatum, Nanſous multis ſuorum amiſſis, & vulneratis ſe reciperet, atque alia ratione oppidum expugnandum eſſe arbitraretur. Erat arx oppidi non multum ab his mœnibus, quæ ab hoſte quaſſata fuerant, antiquiſsima turre inſigni, quam à Iulio Cæſare olim conditam fama per manus tradita Galli prædicabant. Hanc Dammartinus, quem diximus, defendendam ſuſceperat, atque inde tormentis rem gerendo ſubiecta hoſtium caſtra detrimentis afficiebat. Proinde Nanſous nequaquam tormentis demoliri eam poſſe ratus, cuniculos inſtituit, ut ſuppoſitis tormentarij pulveris cadis, noto artificio erumpentibus flammis turrem excinderet. Nec Nanſoum concepta fefellit opinio: nam actis ſubter fundamenta binis cuniculis Dammartino nihil ſentiente, intra paucos dies perfecto opere ſubditis ignibus repentè revulſa funditùs turris corruit, ruinaque Dammartinum oppreſsit, & cum eo nonnullos ex præſidio. In ea turre Peronenſes referebant ſuperioribus temporibus regem Galliæ à Veromandurorum regulo per inſidias captum, ibique cuſtodię traditum vitæ finem inveniſſe. Cæterùm Nanſous expugnata vel exciſa turre, penitusque adaperta nihil profecit, ut inde vel arcem vel urbem iterata ingenti conatu oppugnatione caperet. Nec multò pòſt deſperata victoria obſidionem ſolvit, & intra Flandrię fines regreſſus eſt. Florantius verò reſtitutis tumultuario opere mœnibus ad regem contendit, qui Cæſare Provinciæ finibus excedente, in interiora Galliæ redierat, ab eoq; quonam eventu hoſtes Peronam oppugnaſſent certius didicit, collaudatoq; Florantio, Cerchioque & Ioachimo Hangeſtio militaria dona ad argumentum eximiæ eorum virtutis tribuit, & ut dijs immortalibus gratias ageret, qui Galliam propitio numine ſummi periculi diſcrimine liberaſſent, per triduum ſupplicationes haberi iuſsit. Florantius autem non multò pòſt ardentiſsimis ſolibus & Peronæ dudum militari labore exuſtus, lethali concepto morbo fato conceſsit, paremque non multum inde Hangeſtius, qui Florantio ſuffectus fuerat, eodem bello apud ſancti Pauli oppidum interfectus: honeſtum vitæ, atque militiæ finem impoſuit. Sub id tempus quo Cæſar Provinciæ finibus exceſſerat, & Nanſous improſperè oppugnata Perona armis atque incendijs Galliæ fines populatus in Flandriam diſſolutis copijs redierat, Franciſcus pares hoſti rependendas clades ratus, quas coegerat copias in Belgicos fines induxit, magnoque apparatu Hedinum munitiſsimum oppidum, Britannico limiti vicinum, in ea Belgij parte, quæ Arteſia vocatur, adortus eſt, multoque maximo tormentorum apparatu admoto, quinquageſimo obſidionis & oppugnationis die in poteſtatem redegit, quòd Belgæ multis imparati rebus inopinatum hoſtium adventũ ſuſtinere nequiviſſent, nec regina poſt dimiſſum à Nanſoo exercitum obſeſsis maturam opem afferre potuiſſet. Id oppidum amiſſum maximè pupugit Cæſarem, qui facilè intelligebat Gallos nullis parſuros ſumptibus, quin illud egregiè atque celeriter permunirent, tuerenturq; iuſto præſidio tanquam opportuniſsimũ ad reliquam eius provinciæ regionẽ invadendam. Itaq; ſororem admonuit, ut vires repararet, et per idoneos duces redintegrato impetu hoſtes nihil tale expectãtes invadere maturaret. Nec mo-

ra Belgarum proceribus ad bellum excitis, vexilla explicantur, & milites ad ſigna coguntur. In his fuere Hadrianus Beurenus, & Philippus Areſcotus è Croia familia, quæ eſt ſummæ dignitatis apud Belgas, & vetere ſuo ſtudio fida Cæſari, Galloque maximè infenſa. Cæſariani itaque magnis freti copijs, quanta belli clade poterant fines Gallicos intrantes, ad Hedinum delati, quòd validioribus, quàm putarant præſidijs teneretur, lævorſum ad Teroannam Morinorum urbem deflexerunt, atque acri obſidione, oppugnationeque inſtituta expugnare conati ſunt. Obſeſſorum res ad grave periculum deducta videbatur, propter commeatus & tormentarij pulveris inopiam. Sed Galli qui apud Ambianos caſtra habebant, certiores facti de ſociorum difficultatibus, coactis undique ſarcinarijs iumentis & plauſtris, his rerum copijs quibus Teroannenſes egebant, opem ferre ſtatuerunt, ſuſcepitque negocium Hanebaldus cum ingenti præſidio ordinarij equitatus, & evocatorum atque nobilium eius provinciæ, qui ei muneri deeſſe ſibi ignominioſum fore iudicabant. Itaque uſus nocturno itinere fretusque peritis itineris ducibus, Teroannam fœliciter pervenit, atque urbem, uti oportebat, non commeatu modò, ſed novo etiam præſidio permunivit, ſerò ſentientibus, & prohibere conantibus Belgis. Sed Hanebaldus quum alio quàm venerat itinere, tanquam breviore tutioreque ſe reciperet, conficiendique itineris liberum ab hoſte ſpacium relinqueretur, quoſdam è ſuis Gallicæ nobilitatis immodico pugnæ deſiderio incitatos, neque prohibendo, neque iure imperij comminando continere potuit, quin illi in proximam, nec ſe commoventem Belgarum aciem ſtolida irruptione incurrerent, & ad pugnam audaciſſimè provocarent. Quorum inſolentia permoti Beurenus & Areſcotus, ita illos exceperunt, ut multis interfectis & captis, denſatas alas in reliquum Gallorum agmen immitterent. Erat apud Hanebaldum Georgius Capuzmadius Epirota vir multis verſatus in prælijs, qui quum Cæſari militaret, paulò antè in Subalpina regione à Gallis quadam excurſione fuerat interceptus. Cæſare verò eum minimè redimente, oblata à Gallis ſtipendia accepit, quibus eius viri virtus minimè contemnẽda videbatur. Is Hanebaldo ſuadebat, ne quòd egregiè perfeciſſet ſtolidè corrumpere vellet: proptereaque ſibi videri deſerendam eſſe eorum procacium iuvenum manum, quæ temerè neglecto imperio certamen contraxiſſet, tanquam periculoſum omnibus futurum, niſi ſe ad receptum celeriter expedirent. Sed Hanebaldus, quum neque ea quæ diceret Epirota facilè probaret, neque quoſdam ex ſibi notis circumventos ab hoſtibus deſerere vellet, incumbentibus demum Belgis, ita in fugam tumultuoſiſſimè coniectus eſt, ut quum per paludem ligneis conſtratam pontibus eſſet evadendum, perfractis paſſim primorum tranſitu pondereque pontibus equi cœno haurirentur. In his fuere ipſe Hanebaldus & Capuzmadius. Ea autem fuga eum habuit exitum, ut quingenti ferè equites levis armaturæ Italici Epiroticique generis anteirent, & perſequentibus hoſtibus ad Hedinum confugerent ubi in præſidio cuſtoditi æſtivabant. Hi fermè trecenti numero, recentes in oppido nacti equos conſcenderunt, atque eruptione facta perſequuti hoſtes, & prælij & itineris labore feſſos tanto impetu tergis inſtando perturbarunt, ut nemo ferè eorum madentibus ſudore equis reſiſteret, multique ſine vulnere caperentur, quorum permutatione adiecta aliquanta pecunia Hanebaldus dimiſſus eſt, Capuzmadius iniqua ſorte iuſſu Cæſaris tanquã tranſfuga

fuga

fuga capitali ſupplicio affectus. Eiuſdem anni, qui fuit trigeſimus ſextus ſupra milleſimum & quingenteſimum, ineunte æſtate, qua hæc à Cæſare atq; Nanſoo adverſus Gallos tentata improſperè geſta ſunt, Henricus Britanniæ rex novum inuſitatæ ſeveritatis facinus edidit, Anna Bolenia uxore adulterij damnata, & palàm capitali ſupplicio affecta. Hanc ſiquidem quum inſani prope amoris libidine correptus, Catharinæ uxori repudij libellũ miſiſſet, in coniugalem thorum receperat. Cauſam autem repudij probaſſe ferebatur Thomas Volſcius Cardinalis Eboracenſis, quo nemo mortalium vanitate dignitatis atque potentiæ ſuperbior, nemo fortunis opulentior, nemo ingenij malignitate atque adulatione Britanniæ peſtilentior fuit. Prætenderat ſiquidem religionis titulum in adulationem regis novas appetentis nuptias, quòd Catharina Arcturo ipſius regis fratri Germano anteà nupſiſſet. aſſerebat enim ex placitis Chriſtiani dogmatis nefas eſſe eam ducere uxorem, quæ in fratris thoro inter maritales complexus concubuiſſet. Hanc cauſam aliquandiu iactarant inter ſe iureconſulti, divinarumque legum periti, quum Clemens Pontifex obſtrictus officio, neque Henricum neque Cæſarem offendere deſtinaſſet, lata ſententia, ſed tergiverſante Pontifice ea lis eum habuit exitum, ut Henricus, uti æqua iura poſtulabant, periniquè atque impiè Catharinam repudiaſſe in gratiam Cæſaris decerneretur. qua iniuria animus maleſano amore depravatus veterem ſuam omnem virtutis & pietatis laudem & gloriam abdicaret, nova & damnata religionis dogmata ſequeretur, & ab authoritate Romani Pontificis diſcedendum cenſeret. Qua rebellione ad ſævitiam animum impulit, multiſque ſupplicijs damnatorum procerum aulam funeſtavit: ſublato ante alios, ut is promeruiſſe videri poterat, ipſo Thoma Volſcio Cardinale, qui nefarijs conſilijs prævertiſſe regem atque infatuaſſe invidentis populi iudicio accuſabatur: ſic ut rex poſtea diſtricto ſæviore gladio nonnullos verecundæ probitatis viros, & literarum doctrina illuſtres interfecerit, in queis fuère Thomas Morus regij ſcrinij magiſter, & Roffenſis Cardinalis. Boleniæ itaque regalia tradita ſunt ornamenta, & tanquam ex legitimis nuptijs communicatus genialis thorus. Quibus animadverſis iniurijs Catharina miſerabiliter thoro domoque pulſa, quum dolorem ſuſtinere non poſſet, fato conceſsit. Exindè Bolenia ſublata veluti pellice, thorique æmula inauſpicatò triumphans, & maſculam prolem affectans in ſpem ſucceſsionis regni, exiſtimavit Henricum ingraveſcente iam ætate, & à multo abdomine pigreſcentem, parum idoneum fore, qui marem progigneret, quòd anteà fœminas tantùm ſuſcepiſſet. Quamobrem nefaria concepta libidine uteri fœcunditatem adulterino ſemine experiri conſtituit, pellecto ad concubitum Georgio fratre Germano, ut is deteſtabilis, ideoque incredibilis extra omnem ſuſpicionem ſcelus contegeret. Sed non multò pòſt fraternos concubitus inanes experta, adiecit procacem animum, nec præſentibus contentum, ad Norreium & Bruertonium equites ex aula illuſtres: ſic ut his exaturata ad Marcum etiam muſicæ artis magiſtrum ſibi familiarem inverecundè deſcenderet. Hæc flagitia ab ancilla, quæ cum amatore ſuo ludens ſeverius ab ipſa Bolenia caſtigata fuerat, ad regem delata ſunt: atque eo modo tortis atque interfectis adulteris Bolenia damnata eſt, aſtante inter iudices & ſuffragium ſuum ferente Thoma ipſo Bolenio patre. Producta exinde in veſtibulum Londinianę turris, ſatis interrito vultu pediſſequas circa ſe plorantes ſervandi pudoris admonuit, collectaque ſubter reti-

culum coma lacteam ceruicem, quæ tantopere regi placuerat, carnifici latum ſtringenti gladium porrexit. Exinde rex Semeram virginem celebratis nouis nuptijs matrimonio ſibi iunxit. Hæc mediocris familiæ nobilitate regi impar, ſed ingenuo pudore ſtatæ formæ, quòd ad genium reſponderet egregiè par, hunc peperit Odoardum regem, quem colit Britannia, quòd in eo repudiatis vitijs paternæ tantùm virtutis indoles effulgeat. Sed is partus regi fauſtus, matri infœlix extitit, quum ex partus dolore ſtatim perierit, quartis & quintis nuptijs apud immodicum regem locum relinquens.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXVI.

HIc annus qui fuit à partu Virginis ſupra mille & quingentos trigeſimus ſeptimus, varia bella in diuerſiſſimas orbis terrarum partes diſperſa continebit: ſed quæ magnis potius regum conatibus, quàm certis aut peramplis victorijs famam tulerint, idcirco tamen non paruam legentibus afferent voluptatem, quoniam admirabilem grauiſſimorum conſiliorum rerumq; geſtarum varietatem explicent, proindeq; maximorum principum animos intueri agnoſcereq; iuuet, qui bella ex bellis ſerere, proferreq; potentiam, quàm pace frui malunt, ſcilicet vt nomini dubiũ decus varijs Fortunæ luſibus ſubiectum ſuperba contentione per anxios ancipiteſque labores quærant. Antè omnes Solymanus parandis nouis regnis tam ſua inſatiabili quàm vſitata Ottomannis regibus cupiditate incenſus, ad occupanda Indiæ emporia, pellendoſque inde Luſitanos animum adiecit, nequaquam ſibi decorum aut tutum fore exiſtimans; ſi Chriſtiani nominis gentem præpotentis Luſitaniæ regis opibus fretam, maximeq; inuictis claſſibus pollentem, firmatis imperijs inueteraſcere in India fineret, vbi iam pleriq; reges antiquiſſimis ritibus fabuloſa numina colere ſoliti, Mahometana ſacra ſuſcepiſſent. Recenti quoq; bello quod cum Tammaſo Perſarum rege geſſerat, inter eius auxilia Luſitanos ſclopettarios, tormentorumque magiſtros, qui maiora tormenta fuſili metallo fabrefacere, periteque dirigere Perſas hoſtes ſuos docerent, militaſſe didicerat. Cæterum Solymanus magno afficiebatur incommodo, quòd Luſitanæ claſſes Arabici ſinus nauigationes intercluſiſſent, quibus Memphim atque Alexãdriam aromata atque odores, Indicaque omnis generis mercimonia aduehi in Europam ſolerent, magno quidem totius Ægypti vectigalium detrimento, quum ea mercium negotiatio ferè omnis per immenſum Oceanum in Hiſpa-

niam averteretur, diſpenſareturque inde per emporia Belgarum, Britannorumque, & extremæ Germaniæ, quarum regionum regna, Gothosque populos Venetorum advectionibus repleri paulo antè ſolitos conſtabat. Providebat quoque Solymanus eandem curam inceſsiſſe animo Campſonis Memphitici Sultani, qui ſub id tempus quo eum invadebat Selymus pater, ingentem claſſem Rubro in mari ædificaſſet, ut inde Luſitanos fretum Erythræasque anguſtias ingredi auſos, non Arabico tantùm ſinu, ſed ulteriore etiam India, ubi iam munitas arces condidiſſent, expelleret: ſed Amyraſsis & Rayſalomonis præfectorum diſsidio atq; perfidia factum eſt, ut tantorum ſumptuum apparatus in felicem exitum habuerit. Itaque Solymanus adhortante Ægypti præfecto ingentem triremium claſſem inſtituit, qua Luſitanos adoriretur. Præerat tum Ægypto Solymanus Eunuchus natione Epirota propter militaris ingenij ſolertiam inter Baſſas receptus. Is materiam ædificandis triremibus à ſinu uſque Attalico Ciliciaque cæſam & dedolatam Peluſium devehi curabat; atque inde adverſo Nilo Memphim ratibus perduci iubebat, ubi ita magnum navalium fabrorum numerum coegerat, ut paucis menſibus multas plicatiles triremes efficeret, quę demum camelis membratim ad Suetiam olim Arſinoes portum Rubri maris per arenas ſiticuloſæ regionis trahebantur, atque ibi intextis carinis & erectis malis, atque inſtructæ omnibus armamentis in mare deducebantur. Id iter à Memphi ad Suetiam octoginta milium ſpacium implet. Conſtat autem antiquiſsimis temporibus dum Ægypti reges ad extendendam nominis famam prodigioſis operibus vacarent, foſſam pernavigabilem à Memphi ad Arſinoem, admirando labore ſumptuque fuiſſe perductam ad ſummas convectionum commoditates, quæ demum oblimante vetuſtate, arenis ſcilicet alveum ſenſim opplentibus, quanquàm pernavigari nequiret: Niloticam tamen aquam ſecundum amnis incremēta ad ipſas Arſinoes ciſternas deferebat. Sed huius quoque ſalubris aquę copia atque uſus ferè omnis adventu Arabum Mahometanæ ſectæ, qui illac irruperunt, & totam ferè Africam ſuperato Nilo uſq; ad Atlanticum Oceanum invaſerunt, ita eſt interruptus, ut eius regionis incolę à remotis quibuſdam puteis ſalſiores & iniucundos ad potum latices per utres camelis impoſitos petere cogantur. In hoc iſthmo terræ, intimoque Arabici ſinus termino, mons Sinas natura ſaxeus & abruptus in cœlum exurgit, adeo ut difficilem laborioſiſsimumq; ad cacumen evadentibus aſcenſum præbeat: nam in ſummo iugo quo maria deſpectantur poſitum eſt delubrum divæ Catherinæ dicatum, quod peregrini ex omni Europa Chriſtiani religionis cauſa adire ſolent, immenſoque pijs animis gaudio concepto, monumenta Moſaicæ hiſtorię de Mari rubro, quod Pharaonis impij regis copias tranſire auſas miraculoſa inundatione totas oppreſſerit, oculis intueri liceat. Hanc quam diximus foſſam Seſoſtris Ægypti rex opulētiſsimus; & uti aliqui tradunt, pyramidum etiam ſtructura inclytus, & poſt eum Ptolemæus ipſe Philadelphus, profundius excavare cogitarunt, ut mediterraneo mari Rubrum immitterent, atq; Indica regna eorumq; opes Ægyptijs finibus expedita navigatione coniungerent: ſed ille præpropera morte interceptus, vel inſanum opus intermiſit. hic verò à peritis naturæ rerum admonitus ab incepto maturè deſtitiſſe fertur, ne totam Auſtralis Oceani aquarum molem Græciæ atq; Aſiæ, quæ nō dubium gentibus altero veluti cataclyſmo invecto exitium afferret: inſana ideoq; abbominabili glorię cupiditate infundiſſe dice-

retur. Igitur ſingulari ſtudio atq; induſtria eius Eunuchi, qui ſæuo imperio circumiectas gentes ad id opus adigebat, incredibili celeritate octoginta circiter inſignium nauigiorum claſsis effecta atque adornata eſt. In ea fuere roſtratę triremes viginti, & biremes viginti & ſeptem, præaltæ verò triremes, quas Veneti Galeacias vocant, ad ferenda maxima tormentorũ & mercimoniorum onera opportunas numero quatuor: naues quoque capaciores aduehendis commeatibus, & toto militaris apparatus ornamento idoneas, quas Mahonas vocant, ſeptem. Reliqua porrò nauigia quæ erant iuſtæ magnitudinis ſupradicti numeri ſummam efficiebant. Hanc claſſem conſcendit Eunuchus, quum in eam nautas, gubernatores, & remiges, fabroſq; nauales Venetos contruſerat. Nam paulo antè imperatoris Solymani iuſſu Venetæ triremes mercaturæ cauſa Alexandrię portum intrantes, à Barbaro cuſtode eius turris quæ pharum habet, contra fidem abrupta pace hoſtiliter interceptæ fuerant: ita vt Antonius Barbadicus & Hermolaus Barbarus patritij earum præfecti cum omnibus ad vnum nautis atque vectoribus cuſtodiæ traderentur, & mercimonia apud fiſcum ſcriberentur; eiusq; omnis naualis turbę delectu habito Eunuchus quos idoneos putarat Memphim, atq; inde ad Suetiam in claſſem diſtribuerat. Iam enim Solymanus leuisſimis de cauſis odio in Venetos concepto bellũ coquebat aduerſus noſtros, vt credi par eſt, à quibuſdam qui nimia fœlicitate Cæſaris offendebantur vehementer incitatus. Sublato namq; Habraymo, qui ſingulari patrocinio Chriſtiani nominis gentes apud principem fouerat, Luſtibeius & Aiax purpurati abſtinendũ à rebus Perſicis diſſerebant ſpecie pietatis, quòd Ottomannica arma non in Mahometanos, ſed in noſtros continenter exercenda cenſerentur, præclaro maiorum exemplo, qui ſemper Chriſtianis bellis cum triumphali gloria victores diſceſsiſſent, vt ipſe nuper eſſet expertus quum de Belgrado, Rhodoq; expugnatis, atq; interfecto Pannoniæ rege admirabiles victorias retuliſſet, quas fruſtra tentando quum Mahometes proauus, tum abauus Amurathes ſuperioribus annis expetiſſent. Satis ſibi gloriæ partum exiſtimare debere, ꝙ Tammaſo Perſarum rege maiorum regia expulſo, & in Hyrcaniam vſq; fugato, cunctarum gentium teſtimonio victor Aſſyriæ regnum, vrbemq; ipſam Babiloniam cum Meſopotamia Perſis ademerit, nec vllam adierit cladem, niſi quam aduerſa numina cœlo demiſerint. Neq; enim niues et ſæuos ventorũ turbines, quos apud Sulthaniam pertulerit, aliud omnino quàm Mahometis nomen obieciſſe, immodice ſcilicet perſequenti Perſas: quoniam nefas eſſet gentem, vel inſanis ſuperſtitionibus deditam, tanquam verũ & commune ipſis numen colentẽ interficere, penitusq; delere. Eandem proinde eſſe cum ſacerdotum, tum ipſorum ducum & militum voluntatem, vt arma in Italiam verterentur. Facilè ſiquidem occupari poſſe Salentinorum regionẽ, quæ extrema Italiæ ſit, & à conſpectu Epirotici litoris modico traiectu dirempta claſsibus pateat. Eo etiam tempore Ioannes Foreſtius Gallię ragis legatus pòſt mortẽ Habraymi, ſicuti diximus, in aula permanere, muneriq; ſuo continẽter vacare iuſſus, oſtendebat Cæſarẽ, qui vnus tanquam præcipuus hoſtis odioſiſſimè petebatur, nequaquam tanta habiturum præſidia vt tueri Apuliæ oram vno tempore, & Gallis in Subalpina reſiſtere poſſe confideret, quandoquidẽ rex ipſe cum magnis copijs in Italiã ipſa eadem æſtate deſcendere ſtatuiſſet. Sub id quoq; tempus ad Solymanũ pro transfuga ſe contulerat Troilus Pignatellus exul Neapolitanus nobili ortus familia, peritusq; militiæ vir, propterea

quòd

quòd Andream eius fratrem Rhodiæ militiæ equitem Petrus Toletanus prorex, aliquãto ſeverius quàm ipſe putarat, capitali ſupplicio cõdemnaſſet. Quo iniuriæ dolore permotus rectà profugerat ad Solymanum, ab eoq; liberaliter militiæ inter Mutfaracas fuerat aſcriptus, cuius ordinis equites è toto terrarũ orbe lectiſsimi, quę velint numina colere permittuntur, peculiaremq; tantũ uni eunti ad bellũ Imperatori operam præſtant. Eius ſiquidẽ transfugij cauſam probarant Barbari, & Troilum quòd duxiſſe apud Cęſarianos equitũ ordines ſecunda militię fama didiciſſent, purpurati maximè idoneum fore iudicabant, quem ipſis invadendæ Apuliæ cõſilijs adhiberent, tanquã multa de ſitu litorũ, atq; oppidorum cõditione opportuna traditurum, & cuncta ad id bellum ſecunda fore pollicentẽ. Troilus etiam quarundã machinarum artificia ligneis atq; minutis exemplis vir ingenioſus & vafer apud rudes earũ artium Barbaros protulerat, ad ſuſtinẽdum vel improviſum hoſtium impetum, ſi per oram maritimam deſcenſiones fieri prohibere conarentur: cuius artificij formis Solymanus ita oblectabatur, ut quũ pluteos currules, præfixosq; ferreis venabulorum mucronibus, uti apud Ravennã à Navarro excogitatos fuiſſe diximus, maximè miraretur, hominem tanquã ſubtilioris maximeq; efficacis induſtriæ purpuratis magnoperè commendaret, Luſtibeioq; præſertim, quẽ claſsi cum imperio pręfecerat, quanquam in ea Hariadenus ipſe Barbaruſſa ab ſua ſingulari ſcientię navalis exiſtimatione ſpectatus emineret. Affirmabat quoq; Troilus eſſe Apulorum omnium, & Salentinorũ voluntatem, ut oblata occaſione à Cæſarianis, à quibus immodicis tributis diu vexati eſſent, omnino deficerẽt, modò Galli aliqui conſpicerentur, quibus Turcarum beneficio in terram expoſitis, & claſsis præſidio confirmatis ſe dederent. Seniores etiam Turcæ meminerant, quam facilè ante quinquaginta annos occupata Hidrunte, eaq; demum urbe peregregiè defenſa, quàm grave periculoſumque Italiæ in Salentinis bellum excitaſſent, quo haud dubiè non Neapolitano modò regno, ſed ipſo etiam Romanæ urbis imperio Acomates Baſſa brevi ſe potiturum ſperaſſet, niſi ipſe Mahometes Imperator præpropero ereptus fato totam eam ſpem paratæ victoriæ præcidiſſet. His perſuaſionibus adductus Solymanus, terra marique uno tempore Italię arma inferre conſtituit, tanta celeritate expediti conſilij parata claſſe, & terreſtribus copijs è Thracia ſiniſtrorſum per Teſſaliam proficiſci iuſsis, ut pęnè prius improviſus in Epirum pervenerit, & cum ducentis armatorũ milibus circa Macedoniæ oram ad Aulonem cõſtiterit, quàm Byzantio profectus à noſtris crederetur, qui Barbaros vel ob id in Pannoniã reverſuros exiſtimabãt, quòd fama increbuiſſet Auſtrianos Germanos nequaquam cum Ioanne rege, Turcisq; qui eſſent apud limites in præſidijs, inducias tanquã parum ęquas ſervaturos, claſsis autem numeroſa pariter & ornatiſsima in Ionium delata, à Cephalenijs atq; Zacynthijs penè prius ſpectata eſt, quàm Veneti ſua conſuetudine iuſtam claſſem creato maris præfecto ad tuendam ipſorum ditionis oram verſus Corcyram navigare, atque inde terreſtres atq; maritimos Barbarorum motus obſervare iuberent. Cęterùm Solymanus è Thracia profectus, emenſusque totius Macedoniæ latitudinem, nihil eum morantibus fluvijs, ad Scardos montes perrexit, & per eorũ valles ad mare deſcendit. Hi montes ad Taulantios, & Daſſaretas, atque Dardanos, qui hodie Albani ſunt, pertinent. Eo autem itinere vel magna & ſubitò inflata flumina facilè traiecit, & ante alia poſt Hebrum (qui hodie Mariza dicitur, non longè ab Am-

phipoli clariſsima olim vrbe Macedoniæ regum, Seres hodie vocata, vbi Barbarorum moneta peculiari officinæ ſede cuditur) Strymonem amnem, Marmarum ab incolis vocatum. Exinde Axium, qui nunc Vardaris appellatus ad ſeptimum lapidem iuxta Theſſalonicam in mare decurrit; & ſecundum hunc ipſum Halyacmonē, qui hodie dicitur Aſambaba, Muſtaphæ purpurati ſumptu, qui Selymi gener fuit magnificentiſsimo ponte iunctum. Is amnis in Thermaicum ſinum effunditur, non procul ab Heraclea ſentica deſcendens, quam nouo nomine Scopiam eſſe nonnulli Græcorum affirmant. Nec multo poſt Luſtibeius & Barbaruſſa ab Helleſponto Maleam ſuperantes ad Ficerium, orę Leucadiæ portum dulcis aquæ fontibus clarum, aquandi cauſa peruenerunt, indeq; Acarnaniæ ac Epiri litora lambentes prætervectiq; Corcyram vbi Veneta claſsis Hieronymo Piſaurio præfecto ſtationem habebat, mutua ſalutatione multis de more tormentorum bombis amiciſsimè celebrata, ad Aulonem per Piſcoſas fauces quas Laous amnis ſtagnans efficit, claſsis partem intulerūt. Tum verò Solymanus Italiam quàm habebat in conſpectu extemplò petendā ratus, vt ſi cœpta proſperè prouenirent, ipſe etiam totis copijs traijceret, Luſtibeium, & Barbaruſſam transfretare, atq; explorare Salentinorum voluntates iuſsit. Aderat eis Troilus exul nauandæ operæ cupidus. Is vti peritus rerum, quòd inſignes vrbes Brunduſium & Hidruntem egregiè munitas Cæſarianorum præſidijs teneri intelligebat, ab Iapygio promontorio, quod hodie Hidrūtinum caput appellant, in ſinum Tarentinū ad dextram deflexit, ad Caſtrum oppidum. Diſtat id octomilibus paſſuum ab Hidrunte, habetq; arcem collis dorſo impoſitam. Id erat ditionis Mercurini Catinariæ viri Vercellenſis. Hic nequaquam militiæ aſſuetus improuiſo Barbarorum aduentu exterritus, atq; omnibus ad reſiſtendū imparatus rebus, perſuaſus etiam Troili internuncijs, ita deditionem fecit, vt Barbari ab omni maleficio ſe temperaturos pollicerentur, oppidanis in eandem pactionem cum ipſo regulo facilè credulis, propterea quòd Foreſtium Galliæ regis legatum adeſſe exiſtimarent: ſed is ad Aulonem ſubſtiterat lethali oppreſſus morbo, vbi paucos poſt dies interijt. Itaque Barbari, naualesq; præſertim turmæ prædæ inhiantes, neq; Troili deprecatione permoti, neq; Luſtibeij Barbaruſſæq; imperijs parentes, oppidum ſublato clamore diripuerunt, delectæq; ætatis captiuos cum Mercurino ad claſſem deduxerunt. Verum Luſtibeius non dubio pudore fidei perfuſus Mercurinum incolumem dimiſit. Eodem autem tempore magnus omnis generis hominum & maioris pecoris numerus toto Salentino litore ab equitibus Turcis interceptus eſt. nam per Hippagogas latiores naues, quas noſtri Palandrias vocant, tranſuehendis equis idoneas, nonnullæ equitum turmæ nocturna vſæ aura ab Aulone traiecerant, ſic vt à Tarento Brunduſium vſque Salentinus ager magno metu atq; periculo quateretur, cui non dubiam ab Italia peſtem ſuperis auertentibus, inexpectatam opem attulit vnius Veneti trierarchi temeritas. Is fuit Alexander Contarenus ſpectatæ nobilitatis atq; virtutis trierarchus, qui cum circumerrantibus Turcicis triremibus caſu quodam improuiſus occurriſſet, nec Turcæ, ſicuti ex conſuetudine debebant, honoris cauſa vela dimittere, & inanibus bombis pacati animi ſignificationem oſtendere vellent, in eos ſuperbię ſuæ atq; odij violentiam ſubitò conuertit, incitatiſq; remigibus in Turcas roſtra direxit, perforataſq; magno impetu hoſtiles duas demerſit, in queis Vſtamães Gallipolitanus pręfectus interijſſe dicebatur. Id facinus à Con

tareno,

tareno, vti poſteà apparauit, malo Reip. importuniſſimè editum, referebatur ad priuatam ſimultatem, quod mercatoriu n nauigium ipſius Contareni, quod ab oriente pretioſas merces aduehebat, à Turcis Prædonibus paulo antè fuiſſet interceptum, ſic vt Contarenus ex priuata iactura concepto odio induliſſe dolori, et publicam cauſam neglexiſſe diceretur. Paulo ante quam Turcæ in Salentinum agrum traijcerent, Andreas Auria Cæſarianæ claſsis præfectus apud Meſſanam certior factus, Solymanum ad Aulonem poſitis caſtris conſtitiſſe, claſſemq; eius eodem perueniſſe, iratus ſibi quod nulli hoſtium claſsis parti, ſicuti maximè cupiebat, occurriſſet, ſuperato Spartiuenti promontorio, quod olim Zephyrium fuit, per Ionium vela dedit, & ſe ad Zacynthum & Cephaleniam vſq; prouexit, ſperans; vti euenit, aliquibus nouiſſimi hoſtium agminis nauigijs occurſurum. Fortè incidit in aliquot eius generis nauigia quæ a Turcis Schiratia vocantur. Ea erant onuſta varij generis commeatus copia, & lino vtiq; Alexandrino, quod mercimonij cauſa priuatim à nautis deferebatur. Ea claſsicula ad Solymanum contendens, vbi procul Auriana vexilla conſpexit, non Liguſticam atq; hoſtilem rata, ſed Venetam amicamque temerè iudicans, vbi propius errorem ſuum detexit, nihil tentata defenſione irrumpenti Auriæ ſe dedidit, qui omnibus vel Turcis vel Ægyptijs Mahometani nominis captis, & ad tranſtra triremium traductis, translata continuò in triremes præda omni, nauigia incendit. Per eos dies per quos Ionium vndiq; circuitis atque exploratis inſulis Auria percurrebat; Solymani binas triremes incenderat. His triremibus Iunusbeius ſupremæ authoritatis interpres, quem Barbari Dragomanem vocant, a Solymano ad præfectum claſsis pro legato miſſus Corcyram aduehebatur. Siquidem quum Turcæ inſulæ appropinquãtes nullam honoris cauſa de more ſalutationis ſignificationem feciſſent, Veneti aliquot trierarchi tantam ineſſe Barbaris arrogantiam indignantes, in eas hoſtilem impetum fecerunt, & in litus Turcas ſe eijcere coegerunt, ſic vt magna Turcarum pars cum ipſo Iunusbeio ac Acroceraunis latronibus caperentur. Iunusbeius tamen ægre ſe explicans, & præſenti pretio ſe redimens ad Solymanum eſt deductus: vacuas autem atq; deſertas ambas triremes Auria illa cuncli tora explorans nactus, quod ſemifractæ vti grauiter eliſæ nequaquam ſibi adducendæ viderentur, protinus incenderat. Ex ea re Barbari in Venetos odij ſui vim omnem tanquam ab iuſta cauſa vehementer intenderunt, vt apud Solymanum de iniquiſſimi facti iniuria prolixè conquerentes, id in immenſum paulo poſt ad hoſtiles acerbitates proueherent, quamquam Venetus præfectus cunctis humanitatis officijs cum Iunusbeio eius facti nouitatem periculique dolorem expiare niteretur, quod ab vtriſq; imprudenter nauales diſciplinæ leges importuno caſu violatas oſtenderet. His fortuitis paruarum rerum ſucceſsibus, non dubia abrumpendæ pacis initia apud Turcas quæſita ſunt, eoq; validius & properantius, quod per eos dies Auria diligentiſsimè interdiu noctuq; ſulcando maria atque omnes portus explorando, nactus triremes hoſtium duodecim, apud Merleias quas vocant inſulas ſupra Caſſiopeũ Corcyræ promontorium poſitas (hæ fuère antiquitus Ericuſa, Marathæ, Elaphuſa & Malthace) nocturno atque cruentiſsimo prælio deleuerat, Turcis ferè omnibus aut prælio occiſis, aut in concurſu demerſis, quum pauci viui atque integri in eius poteſtatem deueniſſent. Erant enim duo genera pugnaciſsimorum militum Turcici nominis, qui incredibili virtute propugnantes triginta

quinq; inſtructiſſimarum triremiũ impetum ita ſuſtinuerunt, vt ſaucij grauiſſimis vulneribus feſſiq; pugnando occumbere quàm ſe dedere maluerint, deſpondentesq; animos ſinguli macheras incuruas, quas magno parant pretio, in mare proijcerent, ne his noſtri potirentur. Hi erant Ianizeri ex prętorianorum ordine, atq; item delecti equites, quos Spaches appellant, perpetua equis merentes ſtipendia: nam tum ſuos quisque equos terreſtri itinere per Ætoliam & Acarnaniam per agaſones ſuos ad Solymani caſtra præmiſerant. Ea autem victoria non multum Auriam lętatum fuiſſe conſtat, quum magnum numerum ex propugnatoribus ſuis atque remigibus, magiſtrisq; triremium amiſerit, & Antonius ipſe Auria ineundę pugnæ princeps, vehementer vulneratus diſceſſiſſet. Ea vero nocturni eius prælij fama fuit, vt ſi quatuor aut quinque triremes Turcis ſubſidio ſuperueniſſent, dubio Marte Auria, aut certè grauiore cũ detrimento pugnaturus crederetur. Parta victoria Andreas ad Leucam promõtorium orientale Corcyræ contra Paxum inſulam paruam, quę retinet vetus nomen, claſſem contulit, vt aliena ſuaq; accepta incommoda certius inſpiceret. Nec mora quòd audiret Barbaruſſam à Solymano cum octoginta triremibus aduerſum ſe proficiſci iuſſum non longè abeſſe, anteuertit iter, & abductis aliquot, quę erant integræ, hoſtium triremibus captiuis, fœliciter emenſus Ionium ad Lacinium promontorium, quod hodie Culumnas vocant, peruenit, atq; inde Meſſanam ad repetendam claſſem traiecit. Hoc inſigni ab Auria detrimento affectum, & geminata contumelia à Veneto laceſſitum Solymanum, vſque adeo acri iracundia exarſiſſe ferunt, vt Barbaruſſę maledicendo aſperrimè ſuccenſeret, quod per incuriam ſegnioremq; impetum nuſquam vtilem operam pręſtitiſſet: Venetis autem grauisſimè comminatus, capitalis odij clades denunciaret, a quibus ſe deſpectum, & vana antiquæ pacis ſpecie deceptum differebat, ita vt eos proculdubio cum Cæſare ab occulta ſocietate conſenſiſſe iudecaret. eos propterea Auriam vti ſemper alias opportuno conſilio, & commeatibus adiuuiſſe, recepiſſeq; portubus, & vt ille aptius atq; fœlicius aduerſum ſe impune prędaretur, vndiq; per Græcos ſpeculatores nauigationum indicia detuliſſe. In huncmodum ſuapte iracundia inflammatũ imperatorem Iunusbeius ipſe Dragomanes, et Barbaruſſa, atq; Aiax, nouis additis facibus, vt pacem abrumperet incitabant: ille quidem priuatam vlturus iniuriam, hi verò vt commutata belli ratione, maiorem prædam, vberioremque laudem ſibi pararent, vt potè qui proximis inſulis inhiarent, Corcyræque præſertim & Zacyntho, Cephaleniæq;, poſtquam in Italia ad inuadendum expugnandumque duriora omnia ſpe ipſorum eſſent inuenturi: quandoquidem nec rex Galliæ adhuc tranſiſſe Alpes, nec aliquas paratas ad inuadendam Italiam habere copias nunciaretur: & fama eſſet Petrum Toletanum proregem Neapoli egreſſum cum magnis copijs aduentare, et paſſim maritimis in vrbibus augeri præſidia, & iam Turcas equites, qui ab Aulone in Salentinum agrum traieciſſent, à præfecto totius Iapygiæ Scipione Sommeio virò impigro paſſim impugnari, atq; interfici dicerentur. Itaq; Solymanus ira percitus commutato cõſilio bellum aduerſus Venetos decernit, & ab Aulone caſtra mouens Vagiuſſam amnem, quem veteres Ænantem vocabant, ſuperat, & ad Communitiã Butrotię regionis caſtra conſtituit. Communitiæ locus olim Regij Fontis nomen habebat, vnde vberrima profluit aquatio portui mirè oppurtuna. Quum eo in litore Solymanus haberet caſtra, Acroceraunij agreſtes ferique homines, qui

Chimeram incolunt montem, immane conſilium ſuſceperunt, tabernaculi regij noctu inuadendi, concitante eos Damiano quodam latronum duce, abſtruſorum collium qui ſunt in ijs rupibus & ſyluis peritiſsimo. Non reformidabant vllum vel certæ necis periculum viri rerum omnium egentes, ideoque latrocinijs aſſueti, & nullos certos colentes Deos, vt incredibili præda atq; inuſitati facinoris gloria potirentur, ſi longè maximum terrarum orbis imperatorem in tabernaculo ſemiſopitum, & fruſtra tot cuſtodijs confiſum occiderent: magno ſiquidem ſilentio ferarum more ſeſe inſinuaturos concubia nocte in ſtationem facilè ſperarant: ſed Barbaris ad id audendum facinus paratis Fortuna defuit: nam dux ipſe Damianus è notis rupibus delapſus ad explorandum prætorij ſitum, & circumiectæ ſtationis formam, vigiles & excubantes prætorianos non feſellit: conſpectus enim in arbore ex fragore abruptæ frondis, vti erat ſemipenſilis et ſpeculabundus à Ianizeris eſt comprehenſus, & per tormenta detectis quas parabat inſidijs, iuſſu imperatoris belluæ captæ modo diſcerptus eſt, vnde mox magna illis agreſtibus clades illata eſt, emiſsis ſcilicet in eos Aſapis & Acanzis venationis modo ad trucidandum, & quammaximè poſſent delendam horridæ atq; infamis gentis ſtirpem. Ab hac enim genus ducunt Huſcochi maritimi prædones Dalmatiæ ſcopulis aſſueti, & Haidones qui Illyricis nemoribus inerrant, & cunctis mortalibus ex profeſſo hoſtes, vſq; ad interiores Pannoniæ limites latrocinia exercent. Per hunc modum Solymanus dirum agreſte genus ad ſatietatem vltus Corcyram oppugnare conſtituit, Barbaruſſam cum omni tormentorum apparatu e continente in inſulam tranſgredi iuſſo. Is paulo antè reuocatus ab Iapygia ad Saxonem inſulam, edito ingentis tormenti bombo vniuerſam claſſem ex ea ſignificatione contraxerat, & eodem curſu nuſquam reperto Auria, per fretum Corcyreum ad Regios Fontes, Solymanique caſtra peruenerat. Quibus Turcarum conſilijs opportunè perſpectis Piſaurius aliquot triremium propugnatoribus, & validiſsimis remigum detractis vtramque arcem oppidi aucto præſidio communijt, & ſe imparem mari Barbaris forè iudicans, cum vniuerſa claſſe ab inſula ſe ſubduxit et in Hadriaticum ſinum profectus eſt, eo conſilio, vt cum ſocia altera Veneta claſſe, cui Ioannes Vetturius præerat, ſe coniungeret, & litora Venetę ditionis contra Barbaros tueretur, pugnæ caſum ſubire paratus, poſtquam & ſibi auxilio futurus Auria videretur, accedenteque Vetturiana claſſe ſuperiores exiſtimari poſſent. In id quoque conſilium Piſaurius ſi pugnandum foret, Alexandrum Buondelmerium ingentis & propè ſtupendi apparatus galeoni præfectum, qui tum erat circa Zacynthum, admonuit, vt in Dalmatiam ad ſe nauigaret. Paruit imperio Buondelmerius nauandæ operæ cupidus, deuectusque eſt ad inſulam Curſulam, quę antiquitus Corcyra nigra fuit, Meliteis olim catulis ad fœminarum delitias clara. Cæterùm Piſaurius atq; Vetturius ſuas claſſes in Rizonicum ſinum, quem hodie Cathareũ vocant, intulerunt, quum Solymanus magnam copiarum ſuarum partem ad diripiendos Corcyreorum vicos tranſmiſiſſet. Pagos namque omnes & notos vicos perſcrutati Barbari infinitam propè miſeræ gentis multitudinem captam in ſeruitutem abduxerunt. Ad oppidum autem Aiacem purpuratum & ipſum Barbaruſſam ſingulis aduectos nauiculis propius acceſiſſe conſtat, vt certius quæ opportuna eſſent ad oppugnandũ ſpecularentur. Sed ea viſa eſt turriti oppidi & frequenti præſidio confirmati, portusq; munitio, vt eam Solymano inexpugnabilem

eſſe renunciarent. Præerant Corcyræ duo Patritij Veneti Aloyſius Ripa, & Simon Leonius. Hi non temerè Barbarorum vires quæ terra mariq́ue erant maximè metuentes, eò deſcenderunt vt ſuburbana tecta quæ erant inſtar oppidi perpulchra atq; mangnifica vltrò excinderent, ne his tranſgreſſi Turcæ potirentur, atque his protecti ad oppidi murum tutius atq; facilius accederent. Fuit ea res maximè funeſta et lachrymabilis, quum etiam remotiora ab oppido prætoria, & villas ad commoditatem atque delitias longa in pace ædificatas Barbaricis facibus abſumi conſpicerent. Sed in ſummo diſcrimine publicam ſalutem reſpicere ſummæ rei periculum cogebat, eaque omnia quæ tum ardebant libertate incolumitateq; ciuium viliora ducebantur, quando nouo ſumptu refici atque inſtaurari non magno tempore poſſe appareret. Cæterum præfecti quos diximus, longæ obſidionis metu adducti, quòd nequaquã tantum commeatus in vrbe eſſe conſpicerent, vt diu à Barbaris terra mariq́ue acriter obſeſſi inopiam ferre poſſent, omnem imbellem populi multitudinem extra oppidum expulerunt, adeò triſti lugentium ſpectaculo ſæuoque remedio, vt quum Turcę idoneis in locis municiones, & propugnacula militarium operum inſtructa tormentis circa vrbem erexiſſent, miſerabilis ea multitudo eiecta foras in foſſis pernoctare cogeretur, et quum turbulentiſſima fortè tempeſtas extrema Auguſti menſis nocte incidiſſet, multi præſertim pueri matrum ceruicibus implicati, ea ſpurciſſimi imbris iniuria, & propinquorum Barbarorum metu miſerabiliter interirent. Vnum ex omnibus Corcyreorum caſtellis, nomine Angelocaſtrum, in mediterraneis inſulæ ad quiutumdecimum lapidem ab vrbe poſitum, fruſtra oppugnantibus & comminantibus Turcis, oppidanorum egregia virtute defenſum, ſupra tria milia humanorum capitum, quæ eò confugerant proſperè conſeruauit quum paſſim diuerſæ Turcarum manus cæteris locis diram vaſttitatem attuliſſent. Turcæ ad terrendos Corcyreos occupato monte, multa in eo tabernacula conſtituerant, & è ſcopulo, qui Maripetrus vocatur, maiores pilas in oppidum contorquebant, & contra oppidum in ruinis conflagrantium ædificiorum occultè conſiſtentes ſclopetis ita rem gerebant, vt pleroſq́ue apparentium in corona mœnium certiſſimis ictibus vulnerarent, & circumuecti triremibus ſingula è proris maiora tormenta diſploderent, maiore tamen obſeſſorum metu quàm damno. His de cauſis, quòd parum proficerent, ſicuti antea confirmaſſe diximus duces ipſos Luſtibeium, Barbaruſſam, & Aiacem, Solymanus ſuſceptæ expeditionis pertæſus, ſoluere obſidionem & Byzantium reuerti conſtituit non ſine pudore irriti conatus, quòd vtrobique, & in Salentinis, & Corcyræ, Fortuna vel iuſta vel immodica eius vota feſelliſſet. In hoc decreto erat Barbarus imperator, quum certius didicit à ſuis nulla fide cum Caſtrenſibus rem geſtam fuiſſe, qui deditione facta ſecus ac crediderant pro beneficio, ſummæ crudelitatis atque auaritiæ contumelias retuliſſent, direpti ſcilicet & abducti in ſeruitutem, quum incolumi libertate ſaluas omnium Fortunas fore ſperauiſſent. Quo maleficio ſuggillari maieſtatis ipſius nomen iudicabat, qui ſemper in ſponte deditos fidei atque iuſticiæ obſeruantiſſimus eſſe conſueſſet. Captandos ſiquidem Chriſtianorum animos certa ſpe humanitatis atque clementiæ, vt in exemplum idem reliquæ gentes adducerentur: nec eſſe omni bellicæ cladis acerbitate diuexandos, qui vltro honeſta pactione à veteribus dominis deficerent. Itaque expiandam omnino eſſe eius patrati facinoris

infamiam

infamiam putauit, generoſoq; animo quos comperit maleficij authores fuiſſe ſupplicio affecit, & Caſtrenſes captiuos omnes diligentiſſimè perquiſitos, impoſitosque nauigijs ad penates ſuos reduci iuſſit. Quum adminiſtrante Barbaruſſa ad edictum copiæ omnes decedere inſula, & in aduerſam continentem traijcere iuberentur; Corcyrei diſceſſu hoſtium animaduerſo eruptionem fecerunt, vt inſtitutas ab hoſtibus munitiones diruerent: ſed qui fidentius & inordinatius exierant, quòd nondum Turcæ omnes diſceſſiſſent, eorum ſuperuentu in oppidum compulſi ſunt, nondum planè euerſis operibus: ſub æquinoctium tamen à Turcis Corcyreorum detrimentis finis eſt impoſitus. Conſtat autem eo bello ſupra ſexdecim milia è Corcyreis omnis ſexus & ætatis capta atq; abducta in ſeruitutem fuiſſe. Solymanus itaque caſtra mouens, legente oram claſſe recto per Acarnaniam & Aetoliam itinere, poſitis commodæ aquationis cauſa ad amnes qui occurrebant caſtris, ad Aractum ſcilicet, qui Ambracium influit ſinum Arcteum de vetere eius amnis nomine hodie vocatum, & Acheloum Ætoliæ, qui propter eximiam aquæ claritatem ab Incolis Aſpropotomus hodie vocatus in Naupactum ſinum euoluitur, Byzantium eſt reuerſus, deditq; extemplò operam vt à Caſſimo Baſſa, Nauplio, & Epidauro, in Peloponneſo reliquis Veneti imperij vrbibus bellum inferretur: idemque vt facerent Illyrici præfectis imperauit, vt multis ſimul in locis vno tempore Veneti Turcico bello vexarentur. Diſcedente autem Barbaruſſa atq; appellente claſſem, propter aduerſas tempeſtates, ad Butrotum, quod oppidum clarum antiquitus vetus retinet nomen, id omnibus incolis incurſu naualis turbæ captis, atrociter direptum atque deletum eſt. Per eos dies Piſaurius Venetæ claſſis præfectus inito conſilio cum collega Vetturio, in eum Dalmatiæ ſinum qui ad Scardonam claram olim vrbem pertinet, claſſem intulit, expoſitisq; militibus, ad oppugnandam vrbem duxit. Diſtat ea à proximo litore ſeptem milibus paſſuum, tuebaturq; eam vir Turcici nominis à fuſcedine oris Æthiops vocatus. Is oppugnantium vim diu ſuſtinere non potuit. Nam Veneti decuſſis toto muro propugnaculis impetu facto in vrbem perruperunt; & cæſis aut captis hoſtibus eam diripuerunt, edictoq; præfecti vetera mœnia funditus euerterunt, ne Turcæ repetita poſſeſſione opportunæ vrbis caſtellum ibi inædificarent, inſtaurandæq; & muniendæ vrbis occaſionem arriperent. Imminebant ſiquidem Barbari, ab immenſa eorum proferendi imperij cupiditate, maritimis vrbibus Venetæ ditionis, vt quum eas minutis ac aſſiduis incurſionibus mediterraneo omni ferè agro ſpoliaſſent, etiam ad ipſa maritima oppida iuſtam vim admouerent. In ea contentione finium Veneti operam dabant, ne Turcæ opportunis locis potirentur, quæ ab ipſis facilè ad vexanda vicina oppida muniri poſſe intelligebant. Erat oppidulum cum arce diſtans à mari ſex milibus paſſuum Obroatium à Dalmatis appellatum, quod antiquitus, vti reor, Argyrutum fuit. Hinc Turcæ Vſcoccis feris prædonibus admixti latrocinia exercebant, patebatq; his ad prædæ receptum id vnum maximè caſtellum. Quibus de cauſis Vetturius cum ſua claſſe qua Hadriaticum ſinum cum imperio tuebatur, ab Hiadera exiguo eius maris ſitu circumuectus copias expoſuit, ita vt propugnatores naualesque ſocios triremium in ordines componeret, Gabrieliq; Ripæo Veronenſi copijs præfecto Obroatium continuo oppugnandum imperaret. Veneti inopinantes adorti Turcas peracre certamen inierunt Sed quoniam muralibus tormentis carebant, nec minutis pilis quicquam

proficerent, & idcirco de expugnatione deſperarent, ſuperuentu Amurathis, qui cum paucis equitibus Turcis, & tumultuaria Vſcoccorum peditum manu oppidanis opem laturus adcurrerat: noſtri conſpectis Turcis repentino terrore perculſi, primoq; impetu in fœdam coniecti fugam inſtantibus Barbaris, & multo clamore maiorem ipſorum multitudinem adeſſe præbentibus, cæſi profligatique ſunt, tanta ignauia vt quum nemo ſe militem eſſe meminiſſet, neq; ſe conuertere, aut in hoſtem arma ſtringere auderet, eo exitu vt vix Gabriel ipſe præfectus conſcenſo equo deſertiſq; militibus cædi ſe eriperet, ſic tamen vt ignauiæ ignominia notatus, non multò poſt ſeueritate Piſauri præfecti in ipſa prætoriæ prora capite plecteretur. Amurathes autem re bene geſta cum multis captiuis, multiſque hoſtium ſpolijs ad præfectum totius Illyrij Vſtreſum, cuius erat alumnus, reuerteretur. Hic Amurathes è Sico oppido ciuis, quod hodie Sebenicum vocant, ad Mahometis ſacra defecerat, fœlicique virtute omnibus Pannonicis & Dalmaticis bellis inclaruerat, adeo vt honeſtiſſimis honoribus & præmijs ab Vſtreſo indulgenter ornaretur. Paulo ſiquidem anteà inſignem apud Cliſſam de Chriſtianis victoriam retulerat, ex qua facilè famam conſequutus à Solymano imperatore iuſta præmia retulerat. Erat ſupra clariſſimam vrbem Salonam, oppidum Cliſſa in edito colle permunitum, quod ab infirmo regulo Chriſtiani nominis tenebatur, cui Petro Croſiccio nomen erat. Id his in locis ad ſuſtinendas Turcarũ iucurſiones magnam habebat oppurtunitatem: apparebatq; magno Chriſtianorum incõmodo Cliſſam in Barbarorum poteſtatem eſſe deuenturam, niſi communi finitimorum auxilio aduerſus Turcas defenderetur. Suſtinuerat diu Croſiccius inſultantiũ perpetuoq; inſidiantium Turcarum arma. Sed is, vti erat tenuiſſimæ Fortunæ regulus, viribus diffidens, totiuſq; viciniæ periculum oſtendens, ad Ferdinandi regis, Pauliq; Pontificis auxilia decurrerat, vt eorũ matura adiutus ope, ſeſe atq; oppidũ tueretur. Ferdinandi nanq; plurimum intererat, longè à ſuis finibus Barbaros arceri, qui Seniam vrbem, quæ in ora eſt, ad ſe pertinere dictitabant, quod Pannonicæ ditionis eſſe videretur. Pontifex autẽ ſuæ pietatis & officij eſſe meminerat, tueri Chriſtianũ nomen aduerſus impios. Non implorauit fruſtra opem Croſiccius: nam Pontifex eum conſcriptis Anconæ cohortibus, et opportuno tormentorũ inſtrumento, atq; item cõmeatu liberaliter adiuuit, quũ pari ſtudio Ferdinandus Nicolaum Turrianũ virum belli peritum cum duobus milibus Germanorũ miſiſſet. Turcæ per id tempus duo caſtella ſubitariæ munitionis inſtituerant, vt Cliſſam arctius obſiderent: alterum ædificabatur paulo ſupra Salonam non longius quàm ſex milibus paſſuum ab oppido Cliſſa (Id Maleuicinũ Dalmatæ vocabant) alterũ in aduerſa parte quæ ad mediterraneam regionem vergit. Hinc facilè iudicabat Croſiccius, ſi inſtitutę munitiones ab hoſte perficerentur, breui deſperatã fore Cliſſanorũ ſalutem. Itaq; Turrianus, et Lucas Anconitanus, qui Pontificijs præerat auxilijs, vtrunque caſtellum adorti, eas munitiones diruere cœperunt, quum fortè Amurathes opportuniſſimo tempore ſuperuenit cum trecentis equitibus, & expeditis peditibus ſeptingentis, ab ipſo Illyrici pręfecto miſſus. Is terribili impetu facto, clamoreque ſublato noſtros inuadens tanta vi perculit, vt neq; Itali, neq; Germani audacter prælium exciperent, ſed nuſquam denſata acie profligati terga verterent, non ſecus ac Gabrieli Ripæo ad Obroatium accidiſſe meminimus. Petrus ipſe Croſiccius quum incitato equo aufugiens ad mare perueniſſet,

exitiali

exitiali conſilio equum dimiſit, & in navigium ſe intulit, ut ad ſalutem compendio parvæ navigationis uteretur. Cæterùm id navigium prægravante inſilientium ex fuga militum multitudine, è litore vel multo adnitentium remis & contis conatu propelli in altum mare arenoſo è vado non potuit, ſic ut Turcæ ſupervenientes, & ipſum unum Petrum præcipuè petentes, in navem inſilirent, trucidatisque omnibus ademptum Petri caput ad Amurathem referrent. Quo capite Cliſſanis oſtentato oppidani terrore correpti, & exiguo freti commeatu, deſperatis rebus aufugientes, vacuum oppidum victori reliquerunt. Turrianus autem, & Lucas qui equis ad fugam uſi fuerãt, dimidiam ſuorum partem, quæ cæſa aut capta fuerat, deſiderarunt. Cremontius quoq; Turriani præfectus, quum ſe per diverſos tramites ad Vanizzam vicum confugere ſperaret, à conſectante equitatu cum univerſis peditibus ferè ducentis interfectus eſt. Non parva quoque Spalatenſium incolarum, qui temerè Salonam proceſſerant, turba ut Malevicini caſtelli expugnationem atque excidium ſpectaret, ſuperventu Turcarum equitum in receptu portę oppreſſa eſt, nihil eam protegente arcis cuſtode, qui in Turcas tormenta dirigere poterat. Is ſiquidem abruptæ pacis ignarus, nihil Turcis à Veneto nocendum eſſe exiſtimabat. Sub id quoque tempus idem Amurathes Nadinum caſtellum Iadereníis agri, quod eſt edito in monte pro ſpecula poſitum, per proditionem avari cuſtodis occupavit, magno eius provinciæ incommodo: quoniam Chriſtiani amiſſa ea ſpecula improviſis quotidie Barbarorum incurſionibus vexabantur. E Nadiniana ſiquidem arce anteà cuſtodes, quũ Barbaros procul conſpicarentur, circumiectis eius viciniæ oppidis de hoſtium adventu modò ignibus aut fumo, modò propoſitis vexillis, & certis tormentorum bombis ſignificabant, ut incolæ cognito periculo celeriter ab invadentibus ſe eriperent. Tum verò fiebat ut Turcæ occupata ſpecula, uti nuſquam animadverſi, impunè graſſarentur. Sed Veneti his exagitati iniurijs non multo pòſt miſſo in Dalmatiam, qui Iaderæ præeſſet, Camillo Vrſino paria ferè hoſtibus detrimenta rependerunt. Nam ab Laurana oppido coactis copijs duo præfecti in Turcicos progreſſi fines Oſtrovizzam oppidum manu expugnarunt & incenderunt, & Obroatium, quod nuper amiſerant, per Iulium è Montevechio Vmbriæ, virum militiæ peritum receperunt. Sed id quod non rectè commodéve cuſtodiri poſſe iudicabatur, à Camillo Vrſino ex præſcripto ſenatus dirutum & ſolo æquatum fuit. Eodem autumno quo Solymanus Corcyræ inſulam effuſè populatus Byzantium redibat, & de Dalmatię caſtellis cum Venetis certabatur, graviſſimum ex inſperato detrimẽtum Ferdinando regi ad Exechium à Turcis illatum eſt, quo nullum ętate noſtra vel funeſtius vel ignominioſius, ſi trucidatum quatuor gentium militum & ducum florem, & fœdam ducis fugam reputemus, Chriſtiano nomini extitiſſe viſum eſt. Superiore bello Turcæ à Mugaciano prælio victores, eam citerioris Pannoniæ regionẽ, quæ Poſſega ab Hungaris appellatur, ſibi vendicarant, eo decreto ut nequaquam Ioanni Regi tradendam, ſed ſibi eam omninò retinendam exiſtimarent, propter opportunitatem expediti itineris, quo ipſi ſuperato ad Belgradum Danubio pervaſuri in Pannoniam uti conſueſſent. Poſſegam duo amnes, Savus & Dravus longo curſu ab occidente raptis ſecum aliquot minoribus fluvijs in orientem verſi, æqualiq; ferè ſemper ſpatio inter ſe diſtantes totam præcingunt & alluunt. Savus è Iulijs Carnicisq; Alpibus placido alveo navigabilis delabi,

tur: Dravus autem è Valeriæ regionis, quam Stiriam vocant, Noricisq; montibus emergens Mura fluuio comite recepto, in Danubium evolvitur, pariq; exitu Savus ad Taurunum, quod eſt Belgradum, Danubio ſeſe immiſcet. Cæterum ab occaſu Craſſus amnis penè eam efficit inſulam. Hæc regio à fronte atque utroque latere ampliſsimis ſepta fluminibus ab Illyrica meridionalique ripa Savo dirimitur: Dravus autem citerioris Pannoniæ margines lambit, effectoq; eius terræ cuneo ad Danubium exceditur. In ea urbs eſt nobilis quinq; templorũ, quę ibi conſtituta ſunt, nomine Clara. Tota autẽ regio oppidis frequens & rerum omnium abundans dirimente Savo, Turcicis finibus ad Illyricũ iungitur, finitimaq; eſt Croatiæ atq; Corbaniæ provincijs, quæ perpetuũ cum proximis Turcarum præſidijs Illyrici atq; Boſnenſis regni bellũ gerunt. Eo tempore præerat Belgrado Mahometes Iahiaoglis ſpectatę virtutis atque prudentię authoritate inter Barbaros dux ſummus, cui Solymanus non temerè ingenio eius cõfiſus, limitum pręfecturam, tutelamq; Pannonici regni commodo Ioannis regis attribuerat. Is ſuperiore anno ita præſidij vires exercuerat contra noſtros, ut multo aſtu validisq; armis fretus ſupra triginta caſtella regię ditionis, quę ad Deſpotis Raſciæ patrimonium pertinebant, in poteſtatem redegerit, & Illyricę præfecturæ, quę Boſnenſis appellatur, adiecerit. Unum vero ante alia ſummæ opportunitatis caſtellum, quod eſt in Boſega, nomine Exechium accuratiſsimè cõmunivit, quod id ad traiectũ Dravi in Pannoniam pertinere providebat. Itaq; Mahometes iuſtis erectis munitionibus, cõplexus inſigne templum atq; eius oppidi cœnobium, Exechium totius belli arcem fecit, unde innumerabiles agebat prędas atq; arma noſtris paſsim inſidioſus, atq; terribilis inferebat: manebat tamen certa induciarum conditio, quæ ex inveterata conſuetudine in his locis minuta prælia & extraordinarias incurſiones admittebat, quòd ex diſciplina videretur, relinquendã eſſe militibus exercendæ virtuti, inſuefaciendisq; equis occaſionẽ, quę nihil pacis tranquillitatẽ abrumperet, niſi iuſtis copijs cum iuſto tormentorum muralium apparatu vis inferretur. Hoc falſo induciarum nomine uſi ſuperiores Hungari à Matthiæ regis temporibus cum Turcis bella ferere cõſueverant. Sed mutato bellandi more, eas militandi leges regiæ Germanicæq; copiæ alienas, & ſibi magnoperè damnoſas experiebantur, quòd Turcæ graviores armatorum equitum impetus pernicibus equis facilè eluderẽt, & fatigatos demum ex multis flexibus & gyris noſtrorum equos, & plerunq; equites onuſtos armis opprimerent. His de cauſis Ferdinandus improbè laceſsitus, utpote qui ægreferebat inducias vigere, quas Solymanus ſuo commodo adverſus Perſas bellum ſuſcepturus indixerat, nec eas pati poſſet, tanquam inutiles damnoſasq; paranda arma iudicavit, non obſcuro conſilio, ut ſi Turcas poſſeſsione Poſſegę depelleret, inde mox ſuperato Dravo rectà Budam repetito iure ſuo adverſus Ioannem proficiſceretur. Rex enim generoſus ferre non poterat Pannoniæ regnum impotentibus Barbarorum armis ſibi ademptum, & quod iniquiſsimum videbatur, alieno homini nullis ſubnixo iuribus, nec regia orto ſtirpe, ſe ſpreto contemptoque in contumeliam prorſus Auſtrianæ domus, quæ tantæ eſſet dignitatis & amplitudinis, dono datum. Non deerant tamen apud eum qui dicerent, nequaquam temerè excitandum bellum adverſus eam gentem copijs atque pecunia, terra mariq; inſuperabilem, niſi uno conſenſu & ſumptu omnium Europæ principum arma caperentur. Fore enim providebant ut Solymanus toties laceſsitus

ceſsitus

ceſsitus nihil de ſua feritate in noſtrum ſanguinem, nihilque de ſua proferendi imperij cupiditate remitteret, quandoquidem ſuæ dignitatis exiſtimet ultro laceſſentes hoſtes ulciſci, nullam à quoquam ferrẽ iniuriam, & nullam deniq; aut iuris aut facti contumeliam pati, utpote qui dudum ex levi offenſione, uniusq; tantũ demerſæ ſuæ triremis iniuria cum Venetis vetuſtiſsimæ pacis leges abruperit, & tanquam impotens tyrannus nullã penitus excuſationis rationem auribus admiſerit, ut ex inſtituto Ottomannicæ ambitionis immanibus ſuę gentis latrocinijs ianuam aperiret. Erant vera hæc & prudenti alioqui regi magnoperè probabantur, ſed ſingulę eius imperij gentes uſq; adeò erectis ad ſuſcipiendũ id bellum ingenijs ardebant, ut ſi tantæ occaſionis bellum differretur, ſe nunquam poſtea adverſus Turcas arma laturos confirmarent. Carinthiæ quippe Stiriæq; & Croatię ac Noricæ gentes, incurſionibus Barbarorum expoſitæ, & toties bellicę cladis perpeſſæ calamitates, rebantur parvò negotio Turcas ea provincia poſſe expelli, quòd Mahometes non magna haberet vires, neq; maiores exacto iam penè autumno, inſtanteq; hyeme, habiturus crederetur. Apparebat etiam Cæſarem valida fratri præſidia ſummiſſurum, quòd cum Gallo rege de maturis inducijs agere didiciſſent. Ita Ferdinandus magna alacritate omnium undique milites cogit: Evocat tanquam ad ſolennè ſacri belli edictum pios atq; fortiſsimos quosq; præfectos & regulos, breviq; iuſtus exercitus, generè tamen delectuq; militum quàm numero validior efficitur, in quo phalanx erat Germanici peditatus, cui cohærebant tanquã cornua aliquot Italicæ cohortes, quas ex ſclopettarijs Ludovicus Lodronius in Rhetia Tridentinis alpibus Italiæq; propinqua, & in Gallia Ciſalpina cõſcripſerat. Hic peditatum peculiari imperio regebat. Coiverant ad regia vexilla Bohemi equites & Sleſi, Moravique his coniuncti, qui fulgentibus armis tegebantur. Nam Carinthiæ Stiriæque equites (his Ioannes Vngenotus: illis verò Antius Macer Saxonica ſtirpe ortus præerant) medio quodam armaturæ genere utebantur, quum Hungari, quos ductabant Paulus Bachithius & Ludovicus Pechrius magna ex parte peltati eſſent, & levis armaturæ Vſarones appellarentur. Horum omnium numerus octomilium equitũ ſummam implebat: peditum autem omnis generis ſexdecim milia cenſebãtur, quibus aderat validus & numeroſus omnis generis tormentorũ apparatus. Erant hę copię uſu belli atq; animis delendo vel maximo Barbarorum exercitu pares, ſi acie & iuſto cõcurſu certandũ foret: atq; his imperaret dux gravis, & uti ſępe alias extitiſſet probè fortunatus. Is erat Ioannes Cazzianer genere Croatus, quem multis exercitatum bellis, & defenſæ nuper Viennæ fama inclytum, rex Ferdinandus impigri pugnacisque hominis ingenio captus ad ſummum militaris imperij decus evexerat, quanquam eum plerique à turbida, parumque ſobria mente præcipitem eſſe contenderent: ideoque alæ potius levis armaturæ equitum, quàm totius exercitus præfectura digniorem. Nunquam enim Ferdinandus ipſe quodam conſiliorum eius, intimorumque amicorum non improbando inſtituto belli, prœliorumq; periculis obijci erat ſolitus, & tum præcipuè quum adverſus Turcas certaretur, à quibus plures Europæ reges ſuperiore tempeſtate in acie deletis eorum copijs eſſent trucidati: ſic ut rex ille egregiè pius & fortis, & in quo nõ deerat bellicus vigor Maximiliano avo dignus, non timore quidem, ſed fatali tot Europæ regum infortunio adductus, ſumma prudentia vitandos Barbarorũ impetus exiſtimaſſe cenſeretur. At Mahometes his cognitis

rebus quæ adverſum ſe parabantur, è proximis Pannoniæ præſidijs milites accerſit: neque ei Budæ præſides ulla in parte deſunt, quin auxilia ſubmittant. Boſnenſis aute alios Vſtrephus, qui ampliorem ex omnibus Europæ Sanzachis equitum numerum alebat, Amurathem alumnum ſuum recenti Cliſſana victoria clarum cum numeroſa ala exercitatiſsimorum equitum mittit. Huic quoq; adduntur pedites expediti ex feris montaniſq; hominibus præſenti pecunia conducti, qui uno nomine ab Hungaris Haydones, à Dalmatis Huſcochi, à Turcis & Illyrijs Martelloſij vocantur, qui ſagittis & ſclopetis rem gerere, & ſaxa fundis vibrare didicerunt. Diſcinctum & agreſte id hominum genus eſt, ſed pernicitatis indomitæ & frigoris & inediæ patientiſsimum. Hanc turbam regebāt, & ſua virtute & diſciplina confirmabant certæ Ianizerorum manus prætoriani ordinis, deductæ ex ſingulis præſidijs, & uſque etiam à Belgrado atque Samandria evocatæ. Hos conſequebantur plerique ex Raſcianis & Servianis, ſpe ſtipendiorum & prædæ allecti, invitantibus paſsim Turcis ſingularum provinciarum quæſtoribus, qui liberaliter coeuntibus ad ſigna duorum menſium ſtipendia perſolvebant. Itaque communi ſtudio ſua undiq; auxilia conferentibus Sanzachis, Mahometes copias, neque numero, neque virtute noſtris contemnendas coegit, & ad Exechium hoſtes expectare conſtituit. Iam Cazzianer ad Caprunzam oppidum pervenerat, ſatis accuratè atq; opportunè antea initis & conſtitutis rei frumentariæ rationibus, ſi eius imperijs atq; præceptis totius commeatus curatores celeritate & diligentia reſpondiſſent. Erant quippe viri totius provinciæ clariſsimi alioqui negocio pares planeque induſtrij, qui authoritatem Simonis epiſcopi Zagabrienſis reſpiciebant. Is nanque Simon ſive ſtudio ſupra æquum plurimùm incenſus, ſive imbecillitate iudicij deceptus, ingentem totius annonæ copiam in caſtris ad multam uſque pretij vilitatem ſe ſuppeditaturum promiſerat, quòd huic miniſterio qui procurarent quatuor collegas cum imperio ſibi ſubſtituiſſet, quibus convectores indigenæ, partim curribus, partim navigijs operam præſtantes, multis enatis paſsim impedimentis reſpondere non poterant, neq; conferentium tarditas ex tuto caſtigari poterat, quum validi & præpotentis hoſtis propinquitas totam corripiendæ tarditatis facultatem eriperet, & Mahometes diſpoſitis per Savum & Dravum Nazadarū præſidijs, aliſq; equitum undiq; volitare iuſsis, aut cōvectiones noſtrorum perturbabat, aut promiſſo maiore annonæ pretio utriuſq; amnis accolis certi tutiſsimiq; lucri ſpem nuſquam deficiente pecunia proponebat. Sed eam ſpem nuſquā defuturi commeatus duo in primis augebant, Simon ipſe Zagabrienſis, qui undiq; per ſuos, quos diximus vicarios magnam quàm poterat curruum multitudinē conquirebat, & Iodochus Lilembergus, qui regio cōmeatui ex peculiari munere præerat. Is magnā vim moliti tritici, viniq; & ordei, atq; item panis nautico more biſcocti certam copiam ſubſidia famis ægrorumq; remedia ſibi minimè defuturam pollicebatur. Huic accedebat Franciſcus Batthianius hac inani commeatus ſpe impulſus tanquam peritus regionis omnium rerū abundantiam promittens. Itaq; Cazzianer à Caprunza movet eo ordine, ut alternis diebus modò ipſe, modò Albertus Schlichius Bohemorum dux præcederent, quòd honori Bohemicæ gentis id concedendum eſſe cenſuerat, decimoq; vix die ad arcem Veruczę perveniunt, quę circiter quadraginta miliarium intervallo à Caprunza aberat: minoribus nanq; itineribus propter ſeptem prægrandium tormentorum difficilem con-

lem convectionem progredi neceſſe erat. His de cauſis itinerumq; difficultatibus, ſi non ſentiri, provideri tamen à peritis annonæ penuria cœperat, quòd ea quæ expectabantur tardius confectis itineribus, maleque explicatis rei frumentariæ rationibus nondum adveniebant, neceſſeque eſſet ea abſumere alimenta, quæ ad duriores caſus non incipientis, ſed producti longius belli reſervaſſent: propterea Severis literis & Simon & cæteri curatores aſperrimè caſtigabantur, iubebanturque omnem adhibere diligentiam, ne ante adventum auxiliorum, qui non diu è longinquis regionibus advenissent, tantæ ſpei ſperata victoria non virtute hoſtium, ſed deſidia curatorum propter commeatus inopiā corrumperetur. Interea Cazzianer & Sclichius tantiſper cōſidendum atq; expectandos commeatus cenſent, mittiturq; exploratum Paulus ipſe Bachithius cum ala mille Vſaronum, & expeditis ſclopettariorum Italicorum cohortibus duabus, qui ad Zopiam arcem præcurrat, atque operam det, ut ex captivis hoſtium conſilia cognoſcantur. Bachithius ubi ad Zopiam ab hoſtibus conſpectus eſt, Turcæ, quòd adeſſe univerſum exercitum exiſtimabāt, nullam ſibi moram attulerunt, quin avecto omni commeatu aut corrupto, incenſaq; arce ad naves ſubiecti amnis confugerent. Ex his tamen Bachithius in fuga aliquot capit, quorum indicio Cazzianer reperit, quod anteà per ſuos ſpeculatores compertum habuerat, unum eſſe Mahometis & Turcarum omnium conſilium, ut ad Exechium poſitis caſtris conſiſterent, hoſteſque expectando de eius loci poſſeſsione dimicarent. Eo biduo Saxonum equitum ala ſupervenit, atque alia auxilia copiarum & commeatus non procul abeſſe nunciabantur. Diſputatur in conſilio an progredi, opperirive reliquum ſociorum agmen, & commeatum qui advehebatur, expediret, poſtquam hoſtes ad Exechium ut didicerant, pugnandi copiam facturi dicerentur. Eſt mons qui Sclavoniam atque Poſſegam dividit, & in longum protenditur, à dextra eius montis radice per Poſſegam: à ſiniſtra autem per Sclavoniam ad Exechium iter patet, Sclavoniam Dravus, Poſſegam Savus, atque item alij ignobiliores amnes alluunt. Ab hac parte iter ſaltuoſum, & convehendis maioribus tormentis aſperum atque difficile: ſed pagorum atque villarum copia frequens, arceſque paſsim & caſtella plura continens: in altera porrò iuxta Dravi ripas iter campeſtre, & planum rarioribus ædificijs unica arx Zopia impedire poterat: ſed ea tum ultrò ab hoſtibus cremata nihil difficultatis & moræ illac tranſituris allatura credebatur. Igitur in conſilio decernitur omiſſa Poſſega per Sclavoniam omnino iter eſſe faciendum. Antecedit uſque ad Zopiam Ladislaus Moreus Hungarus cum Vſaronibus trecentis, quibus cataphracti Saxonum cum duobus vexillis præſidio ſuccedunt. Illinc octo dierum itinere ad Valponium, quæ eſt arx permunita Petri Perenij ditionis perveniunt. Occurrebat progreſſuris flumen Craſſus, qui vado tranſiri non poterat. Ibi noſtri dum fluvius ponte iungitur atque conſternitur ad traiectum ſeptem dies immotis caſtris abſumunt: perpetuis tamen horis itur in conſilium, in quo variæ dicuntur ſententiæ. Iuniores Exechium continuò properandum: alij Exechio omiſſo proximum quoddam caſtellum nomine Villach, ex hoſtico, aut aliam huic proximam quandam arcem obſidendam cenſebant, quum cæteri cautiores reliqua auxilia & commeatus, quæ parata & promiſſa à Scamburgo regulo adventare credebantur, expectanda dicerent, quòd nihil niſi conſideratius ijs agendum eſſe videretur, qui graviſsimi momenti expeditionem ſuſcepiſſent. Cæ-

terū in fervidis atque audacibus ſententijs dictis, plerique ex adverſo omnem moram grave detrimentum ceſſantibus allaturam teſtabantur: fruſtrà ſiquidem ſingularum provinciarum auxilia, ſi ſenſim progredi, ceſſare, cunctariq; libuit, evocata fuiſſe: ſi cautius agendo Cazzianer perplexè cunctetur, neque in hoſtem alacriter infeſta ſigna vertat, proculdubiò milites & equites tanquā à ducibus vitato hoſtium congreſſu, reformidatoque prælio in patriam eſſe reverſuros. Satis quippe commeatus, ſatisque virium eſſe in caſtris, ut de victoria non dubitent, ſi duces conſilia atque animos inanibus atque ſuperfluis deliberationibus exoluant, nec hyemem expectent. Neque enim hoſtes Barbaros alias multitudini ſuæ confidere ſolitos, quum non magnas tum habeant copias Chriſtiani exercitus tot tormenta trahentis conſpectum eſſe laturos, & continuò Exechium deſperata defenſione deſerturos, neque ex fuga in perſequentes, & fulgentibus protectos armis ora converſuros: quandoquidem cataphracti noſtri equites inermem eorum turbam, ſi reſiſtere audeant perrumpendo proſtraturi videantur. Huic ſententiæ iuniores, qui nondum Turcarum arma fuerant experti, tanta alacritate atque ferocia favebant, ut vel bidui mora paratam atque expeditam interpellari victoriam exiſtimarent. Extemplò igitur procedēdum eſſe ſtatuunt, & copias recenſent. Cenſa ſunt ad decem milia equitum utriuſq; armaturæ: quo equitatu ſi robora equorum ac hominū ornatum, munimentaq; armorum ſolido ferro fulgentia certius æſtimentur, nihil apparatius atque validius ullo ſubitario bello coactum fuiſſe pleriq; iudicabunt. Sed peditatus, qui erat ex omni provincia lectiſsimus vehementer erat imminutus, utpote qui vix octo milibus integrorum militum conſtaret: nam magnus iam ægrorū numerus in caſtris eſſe cœperat: reliqua pars quum multi etiam longo itinere fatigati, & paſsim hærentes dilapſi eſſent, vulgoque omnes propter lutulenta itinera paluſtri cœnoſaque illuvie deturpati, ex autumnalique pluvia madentes & algentes, affectiq; pariter inedia nequaquam ſatis apti aut firmi ad ſuſtinenda imminentium præliorum incommoda viderentur. Inter nobiliores autem duces morbo graviſsimè laborabat Iulius Hardechius. Hunc Valponio in oppido ſubſiſtere: reliquos omnes trium dierum cibaria parare & ſecum ferre iubent, ac ſperare paulò pòſt certam omnis generis commeatus copiam uſq; ad pretij vilitatem in caſtra obventuram. Præſcriptis autem legibus edictum ſub pœna capitis proponitur, ut nemo Turcarum hoſtem vivum capiat, vel ultrò ſe dedentem, niſi quum planè confecto prælio ſit debellatum: nemo item præda ſe oneret, quandoquidē eam omnem æqualiter inter milites ſe diviſuros duces promittunt. Hoc edicto à præconibus & tympaniſtis per omnes ordines promulgato, iter quod planius & rectius apparebat, ad Exechium ſuſcipiunt. Tertio die perveniunt in vallem quandam ad tertium ab Exechio lapidem, atq; ibi caſtrametantur. Poſtridie Turcarum agmen conſpicitur, & à noſtris acies inſtruitur. Verum id nullo certamine cominus edito tormentis tantùm maioribus repellitur. Sequenti verò die effuſis ab oppido hoſtibus levia certamina conſeruntur, & multis utrinq; interfectis, æquo Marte diſceditur. Eo die Simon Zagabrienſis antiſtes cum ſuo equitatu, aliquantaq; annonæ copia ſupervenit, cuius adventu apud noſtros minuitur timor de inedia paulo antè conceptus: ſed interdicuntur à ducibus levia certamina, quòd plures ex noſtris vulnerarentur, & Turcæ ſuis uſi artibus facile ſuperiores evaderent, quum ſclopettarios Ianizeros, Aſaposq; ſagittarios turmis

ſuis

ſtris admiſcerent, & equitibus noſtris ſua agilitate freti multa vulnera inferrent, quòd nulla ratione noſtris interdictum videri poterat, quum militum animi, qui pugnæ ſtudio, & mutuis cum hoſte congreſsibus accendi, & de victoria bene ſperare ſoleant, eo demum ignobili ducum iudicio frangerentur, quaſi hoſtium vires, pugnandique artes noſtris noſci vetarent. Dicebant enim ab huiuſmodi extraordinarijs prælijs Mugacianam cladem initium cœpiſſe, reſervandosque ideo milites & equos in ipſum univerſæ pugnæ diem, ut recentiſsimis virorum & æquorum viribus pro victoria certaretur. Ab hoc decreto imperatur tormentorum magiſtris, ut in hoſtium agmina ubi ea prodire conſpexerint, maiora ſtatim tormenta dirigant, quibus peritè adminiſtrantibus fiebat, ut Turcæ à coniectis ſubſilientibusque tormentorum globis certa acciperent detrimenta, neq; miſcere, uti cuperēt, levia certamina poſſent. Hoc animadverſo periculo Mahometes in proxima paludé, quæ ab exundante ſtagnanteq; Dravo amne erat enata, Nazadas multas ſclopettarijs completas inſtituit, quæ totius paludis margines obſiderent, & noſtros aquatione prohiberent: caſtra etiam noſtra, quæ erant in conſpectu coniectis in ea minorum falconum globulis infeſtarent. In ſingulis namq; Nazadarum proris conſtituta erant in canterijs, & aptè collibrata minoris generis tormenta, quæ à noſtris moſchetta de nomine minimi accipitris vocantur. Ei valli in qua noſtri locarant caſtra, imminebat collis non planè arduus. In eo erat pagus, in quo Turcæ conſtiterant, levi prælio noſtros excepturi. Ad eos deijciendos poſtero die ab omnibus ad arma conclamatur, inſtruiturq; acies, & ne hoſtes ſuis tumultuarijs prælijs laceſſere aut perturbare noſtrorum agmina queant, in progredientes dirigi atq; diſplodi tormenta iubentur, alacriq; noſtrorū ſucceſſu Turcæ locum deſerere coguntur. Sed illi loco depulſi ad demorandos noſtros pagum continuò ſuccendunt. Neq; tamen noſtri à propoſito itinere diſcedunt. Interim pagum totum flamma pervadit, atq; inde hoſtes ad unum incolumes ſe ad ſuos recipiunt. Tum verò à ducibus ſuperato colle Exechium in planicie ad Dravi ripam poſitum cōſpicitur. Id circiter duo milia paſſuum à colle aberat. Ibi Cazzianer loco aquationi, pabulationi & lignationi idoneo caſtrametatur, imperatque tormentum maius ante caſtrorum portam provehi, facturus periculum, an inde emiſſa pila oppidum Exechium attingi poſsit: ſed id longius quàm oculis appareret abeſſe compertum eſt, quum pila altius etiam coniecta paulò ſupra medium eius vallis ſpacium perveniſſet. Hoc facto periculo & certius æſtimata loci diſtantia noſtri duces facilè deprehendunt, ſi ab ea oppidi parte caſtra admoveantur, oppugnandi & quatiendi cauſa exercitum neceſſariò periniquum in locum eſſe deducendum: nam à colle illo, quem tenebāt, & duobus circiter paſſuum milibus ab Exechio diſtare diximus, contra oppidum aperitur campus declivis, qui ſpacioſam vallem efficit, quàm planè totam detegit caſtellum editum ex cœnobio Chriſtiano, temploque, ut ſuprà diximus, à Mahomete ædificatum. Id, ut credi par erat, diligenter ab hoſte permunitum, ita deſcenſuris noſtris & caſtrametantibus imminebat, ut nemo niſi inſanus caſtra hoſtium tormentis exponēda iudicaret. Itaq; illud deſumūt conſilium conſpicati, ſcilicet ultra Exechium ſatis editam planiciem ipſa valle ſuperiorem; atq; ideo oppidi mœnia æquantem. In eam caſtra transferre, tormentisq; murum adoriri conſtituunt, ſed in eum locum ex tuto ſe mutare caſtra non poſſe provident; quoniam circumeundus erat rurſus collis, & ſal-

tus trium milium paſſuum, qui à dextro latere iter prębebat, ut in eam demum planiciem, quę oppido imminet deſcẽderetur: quod iter diverſum & laborioſumerat, ob id pręcipuè quòd via regia, quæ ad Valponiũ ducebat, ineptè deſerebatur. Neq; enim exercitus noſter tantus erat, ut totum oppidũ Exechium, in quo ſupra ſexdecim milia hominũ eſſe ferebantur, perpetua obſidione in corona cingere poſſet, neque tanti erant in obſidentium caſtris commeatus, ut abſque continua ſubvectione inedia laborandum non eſſet, quando hoſtium equites cuncta perpetuis excurſionibus itinera obſeſſuros, atque omnem commeandi facultatem erepturos appareret. Dum varijs certaretur ſententijs, & modò huc, modò illuc inclinaret Cazzianer, exorta eſt à graviſsimis viris importuna ſententia, qui hiſdem in caſtris, atque eodem colle perſiſtendum eſſe cenſebant, illicque noſtros commeatus, qui non procul à Valponio eſſe dicebantur, expectandos, & ad præſidium curruum, quibus annona convehebatur, tria milia equitum mittenda, neque ullo pacto exercitum in difficultate eius aſperrimi ſaltus, qui intercedebat, & maximè crebris arbuſtis eſſet impeditus perducendum videri. Nonnulli verò alij leviſsimis ſententijs annonam apud hoſtes eſſe tenuiſsimam, proindeque eos oppido incluſos, inopiam & famẽ non diu laturos: nullã quippè alijs expectandorum commeatuum certã eſſe ſpem: ſic aut oppidum deſerendum, & fuga ſaluti conſulendum, aut denique iniquo loco pugnandum eſſe Turcæ milites exiſtiment. Hæc à transfugis Chriſtianis ſe cognoviſſe dictitabant, affirmabantque Mahometem peculiari ſua ſupellectile precioſa navigijs impoſita fugã moliri, nec ultra tertium diem obſidionis incommoda toleraturum. Proinde ſibi videri ſaltum illum facilè poſſe ſuperari, ipſis ad oppugnandum alacriter pervadentibus. Bellum verò trahere pernicioſum: poſtquam tanta eſſet in caſtris biſcocti panis copia, ut ea tantũ præter alia obſonia univerſus exercitus moderatè partiendo in ſeptimũ uſq; diem ali poſsit. Idcirco non eſſe committendum deſidioſè, vel timidè, ut tam infeſtus hoſtis, tamq; opulẽta præda è manibus emitteretur. Quo ſpatio Scambergum regulum cum novo commeatu, noviſque copijs adventurum facilè ſperarent. Interim non eſſe ceſſandum: propterea quòd tantum temporis, inclinante in hyemem autumno, & imminentibus Idibus Octobribus ſit abſumptum, ut niſi quid egregium properè tentandum ſit, brevi excluſis tempore rebus utique infectis cum ignominia ſit decedendum. Apparebat etiam quaſſato uno propugnaculo, quod erat in adverſo oppidi angulo tumultuariè extructũ, nulla ratione hoſtes ab ea parte noſtris poſſe reſiſtere: illac etiam rectum iter hoſti ex Belgrado ad neceſſarias rerum ſubvectiones liberè commeandi penitus eripi, quo itinere intercluſo proculdubiò futurum, ut Raſciani & Coloni omnes noſtris neceſſaria omnia ſubvehant, concurſuramq; omnino magnam eorũ multitudinem immaniũ Turcarum tyrannidẽ pertæſam, cuius opera & oppidum expugnari, & Chriſtiani Exechiani, qui non pauciores Turcis in ſuburbanis tectis remanſerant, ad defectionem adduci poſſe. Hęc ut efficacius confirmarent, aſſerebant cuncta propè, quæ eſſent apud hoſtes tormenta numero ferè ducenta verſus vallem ita à Barbaris fuiſſe diſpoſita, ut niſi magno cum labore dimoveri traducique non poſſent. Non enim curribus & rotis more noſtro erant impoſita, ſed trabibus, magniſq; ſtipitibus incluſa, utpote quæ armillis ferreis, aut funibus materiæ colligata eſſent, & ſolo circumcirca adactis cuneis confirmata. Qua ratione inutili Turcæ nullam tradu-

traducendis, & uti oporteret, convertendis tormentis facultatem habituri crēdebantur. Hæc igitur ſententia vicit tanquam nobilior, & apud viros fortes omnino decentior. Itaque poſtero die noſtri longiore circuitu ſaltum ſuperant, & inſtructis agminibus ad eminentiorem, quem diximus, campum contendunt. Tum vero Mahometes ex coniectura loci animadverſo noſtrorum conſilio, & cognita profectione ſtatim per compendia viarum nota ipſis in ſaltum mille expeditos equites, & Ianizerorum ſclopettariorum delectam manum præmittit, qui ultimum noſtrorum agmen carpant. Id ex Italico & Bohemico pedite conſtabat. Bohemus in fugam vertitur: Italus ſtrenuè reſiſtit, cui ægrè ſuſtinenti ſubſidio mox advolant gravioris armaturę Carinthij equites. Hoſtis terga dat, parvoquè accepto incommodo noſtri ſaltum evadunt. Caſtris poſitis, quæ ad oppugnationem erant idonea, diligenter inſtruuntur, & ſummo diluculo inſtructis aciebus proceditur, & poſt decoram armorum oſtentationem hoſti pugnandi fit copia. Sed ille oppido ſe continet, noſtroſq; tormentis eminus ex propugnaculo petit, ex adverſo noſtri maiora duo tormenta in proximum tumulum educunt & emittunt, quorum pilę & aggerem & mœnia magno terrore hoſtium penetraſſe conſpiciuntur. Interim noſtri integrum ferè eum diem hoſtium tormentis expoſiti in acie conſiſtentes, & ad pugnę ſpem deſcenſiones hoſtium fruſtra expectantes, aliquo ſed non magno vel a frequentibus hoſtium pilis accepto incõmodo ſeſe receperunt. Mahometes ſiquidem gravi conſilio ſuos pugnam flagitantes cõtinebat, de noſtrorum inedia certior factus, & ut ferebant transfugæ, ſeveriore epiſtola à Solymano imperatore admonitus, ne ullo pacto vivus locum desereret, atque cuncta ibi obſidionis hoſtiliſque impetus mala, niſi teterrima atque ignominioſiſsima nece perire mallet, fortiter ſuſtinenda decerneret. Per hunc modum quum noſtri gerendæ rei avidi nuſquam congrediente hoſte diſtinerentur, abſumptoque omni commeatu totus exercitus inedia premeretur, nec in conſilijs quotidianis duces ullum ſalubri conſilio locum reperirent, & certiſsimus futuræ cladis timor mentes omnium occuparet, Balthaſar Pamphilus ex ordine Hungarorum procerũ dux ſpectatus in conſilio his verbis loquuutus eſt: Præpoſterè duces, inquit, agimus, dum enim quo pacto hoſtes ſuperari poſsint prolixè conſulimus, exercitus noſtri vires præ inedia uſque adeo debilitantur, ut milites iam planè non obſcura fame tabeſcentes, neque inceſſu regant corpora, neque languentibus lacertis arma ſuſtineant, & in univerſum fortiſsimus quiſque animum deſpondeat, & deſperata pugnæ occaſione miſerè atq; deformiter cadendum eſſe conſpiciat. Itaq; nobis maturrimè ante omnia fami, quæ nos vehementer urget, occurrendum arbitror, ſic ut hinc caſtra movenda cenſeam, & ad Hermandum caſtellum illicò deflectendum, ut eius expugnati caſtelli commeatu, qui non erit exiguus, univerſus recreetur exercitus, depulſoque famis periculo, ad reliqua, uti uſus docebit, belli conſilia redeamus. Aberat id caſtellum ab Exechio decem milibus paſſuum, in quod pleriq; Turcarum uxores ſuas et liberos, atque item precioſiores ſarcinas contulerant, quibus tuendis rebus viginti circiter Turcarum præſidium fuerat impoſitum. Erat Caſtello coniunctus pagus intercedente non magna foſſa: murus autem quadrati ambitus ex vetere ſtructura erat ſine extantibus propugnaculis, ſic ut Balthaſar affirmaret nullo propè negotio expugnari poſſe. Laudatur ab omnibus conſilium, ipſeque author Pamphilus præmittitur ad exploran-

dos caſtellanorum animos, occupandumq; pagum, arridet cœpto Fortuna, ſed in dedito pago tritici multò minus opinione ſua reperit: vini tamen inveniuntur aliquot vegetes, cuius copia languentib. militibus opportuniſsima fore credebatur. Itaque ad eam famam ſigna convelluntur, & ad Hermandum caſtra moventur: ſecunda noctis vigilia ita turbatè confuſeque diſceditur, ut agmina vix agnitis vexillis malè cohærentia fugæ potius quàm profectionis ſpeciem præberent. Nihil tamen Turcæ ſe commovent, inſidias veriti, & quòd ſolutæ obſidionis commodo ſublevati, nihil temerè noctuque præſertim conandum exiſtimarent. Vbi perventum eſt, duces caverunt, ne pagus primorum incurſu diriperetur, ad iniuriam ſubſequentium agminum, quibus æqua portione totus is commeatus erat dividendus. Tum verò caſtellum ex pago provectis tormentis oppugnari cœptum, protractoque certamine uſque ad meridiem, quòd lateritius murus quaſſationi difficilior quàm exiſtimaſſent, reperiretur, & Turcæ quanquam pauciſsimi fortiſsimè propugnarent, debilitati tamen vulneribus deditionem fecerunt, quum in eo certamine quinquaginta ferè ex noſtris milites cecidiſſent. Aperto caſtello bina tantùm farinæ tritici, & totidem milij vaſa reperta ſunt. Tum verò videre licuit duces occulto quodam pavore conſternatos & triſtes, quòd pro ampliſsima præda, & multo in plures dies ſuffecturo commeatu aliquot tantùm mulierculas & pueros reperiſſent, & vix in toto pago caſtelloque tantùm commeatus nacti eſſent, quantum in biduum cunctis ſufficere poſſe videretur. Diſsimulatur tamen id incommodum a ducibus, & ſtolidæ ſuæ credulitatis vitium muſſantes incuſant: pollicentur tamen exercitui ampliſsimam commeatus copiam inſtaurato ponte ſubiecti fluminis. Siquidem Bodrogus amnis ab adverſa parte oppidi decurrit, ita profundus atq; cœnoſus ut vadari nequeat: proptereaq; Turcæ muniendi ſui cauſa, revulſis aliquot ſublicis & demptis aſſeribus pontem ſuſtulerãt. Igitur advocantur fabri, adnitentibusque omnibus continenti trium dierum labore pons reficitur. Sed ea contabulatio nequaquam tantæ erat firmitatis, ut maxima tormẽta, quæ erant ponderis ingentis ſuſtinere poſſe crederetur. Caſtris interim foſſa munitis, qua hoſtium repentini inſultus ſuſtineri, & currus qui valli loco caſtris erant circundati commodè tranſvehi poſſent. Quarto die currus totius exercitus tranſvehuntur cum minoribus tormentis, ſecundũ hæc è maioribus ſex tranſmiſſa ſunt: ſed ſub ſeptimo quod erat longè maximum, pons tanto ſub pondere fatiſcens eſt interruptus: quamobrem coacti ſunt duces illud, ne tanto ſpolio potiretur hoſtis, ex calefacto metallo, malleis diffringere. Septimo autem die cunctis rebus commodè traductis, pons iterũ ne inſequenti hoſti pateret, diſiecta tignorum materia, ſucciſisq; ſublicis eſt interciſus. Superato Bodrogo, atq; eius ponte corrupto perſequendi noſtros facultas Turcis eripitur, niſi paludem illam multorum milium paſſuum itinere circuire, quàm periculoſi amnis vadum tentare malint. Hic rurſus in conſilio diſputatur, an maiora tormenta ad expeditius iter confringenda ſint, ne his potiatur hoſtis. Eius ſententiæ ſecundus author exiſtit Cazzianer, profiteturque ſe peculiari ſuo ſumptu ſi cupri fragmenta inter curruum ſarcinas diſtributa convehantur; brevi refecturum: ſcalas autem & reliqua bellici apparatus inſtrumenta, ne hoſti cedant igne abſumenda cenſet, & quanto expeditius iter haberi poſsit, verſus Valponium celeriter capiundum, ubi copiæ ab aliquot dierum inedia iam ſemienectæ varijs eſculentarum rerum copijs recreari

queant:

queant: ac alij per Poſſegam redeundum dicebant, & oppidum Iuvancha ex itinere protinus expugnandum, quum in eo magna frumenti & vini copia à Barbaris & incolis ſervari diceretur. Pari quoque celeritatis impetu aliud in proximo caſtellum nomine Gara omni genere commeatus pleniſsimum expugnari poſſe videbatur, priuſquam Turcæ circundata palude longum id iter emenſi ad inſequendum ſupervenirent: neque tormenta uſque adeo præcipiti pudendoque conſilio quæ eſſent nobiliſsimum totius provinciæ præſidium atque ornamentum diſtringenda, ſed potius ut in præſens eorum uſus hoſti eripiatur, ſi id extremi caſus neceſsitas ferret, ſtilis ferreis per ſpiramenta adactis eſſe configenda. Poſtremò nihil eſſe turpius, quàm ut rebus infectis de receptu cogitaretur. Trahitur in hanc ſentētiam ipſe Cazzianer, indictaq; profectione, quod ex cōtinuis imbribus iter difficilius reddebatur, ipſa quoq; tarditate tormentorum impeditis in locis ſæpius hæretur atq; ſubſiſtitur. Ita progreſſu longa paſsim mora præpedito, magna cum difficultate tria milia paſſuum conficiuntur: eoq; modo veſperi noſtri pariter atq; hoſtes ſingulari diligentia longiſsimum emenſi iter, uno tempore ad Iuvancham perveniunt. Sub hoc caſtello tenue erat oppidulum, in quo nullus Turca remanſerat. Oppidani noſtris ſtatim portas aperiunt: neq; milites ingreſsi à præda contineri queunt; vinum cuius non modica erat copia dum certatim potant, vegetibus effundunt. Illinc tamen à ducibus graviter increpitantibus depelluntur. Eadem nocte hoſtes oppidum ſuccendunt, & tam ædificia quàm ea omnia quæ noſtri non diripuerant, corrumpunt: cō clamatur ad arma, quòd hoſtes undiq; noſtris imminerent, inalbeſcenteque cœlo diverſis in locis acri certamine dimicatur: ſed longè vehementiſsimè ubi Bohemorum turmæ locum tenebant. Ibi dum noſtros Turcæ equites acrius urgent, Petrus Raſchinius Bohemorū legatus, quē Mareſchalcum vocant, indignatus uſq; adeo inſolenter incumbentes hoſtes, confecto ex fortiſsimis globo, eos facto impetu ita ſummovit, ut pulſi multis acceptis vulneribus late diſsiparentur. Sed Barbari more ſuo in pugnam celeriter revertentes, & recentibus ſuorū ſubſidijs adiuti, victrices noſtrorū turmas circumſiſtunt, & laxatas per partes concidunt. Acciditq; ut Raſchinius ipſe fortiſsimè dimicans, vel totis undiq; protectus armis unà cum ſuis cæderetur. Tum verò noſtri duces de profectione ſtatuentes, quaternos curruum ordines inſtituunt, qui incedentium agminū utraq; latera protegant. Principia minus validis militibus dantur, firmo tamen præſidio in fronte conſtituto: agmen claudebant maximè ſtrenuæ atq; integræ cohortes & turmæ. Per hunc modū vallato utrinq; agmine procedentibus noſtris, ſicuti frequentes occurrebant tumuli plerunq; nemoroſi, qui iter præpediebant: ita hoſtes à circumveniendis infeſtandiſq; noſtris opportunè prohibebant. Hac re animadverſa Mahometes expeditos Ianizeros & Martelloſios, qui viarum & nemorum compendia noſſent, præmittebat, attributiſque eis parvis falconibus qui rotis agebantur, anguſtias præoccupare, & in his noſtros laceſſere iubebat, & quum in aperta loca egrederentur, ad alias ulteriores anguſtias inſidendas refugere: alas verò equitum quæ apertis in locis perpetuò iter habentibus inſtarent, atq; agmina diſtinerent. Qua Barbarorum aſtuta uelocitate noſtri ſæpe victi laceſsitique multa paſsim vulnera atque incommoda referrent, eoque iniquius, quòd nulla Barbarorum manus paulò firmior uſquam conſiſtere, neq; noſtrorum impreſsionem expectare auderet; ſed uti erat à duce præceptum, à congreſſu re-

fugere, & carptim ſagittis & glandibus, falconumque globulis, uti locus poſceret, rem gerere cõſueſſet, quum tamen ad fauces paulò patentioris campi eſſet perventum, & noſtri Vſarones audacter prælium miſcerent, augerenturq; agmina Turcarum, & edendæ nobilioris pugnæ occaſio oblata videretur, ipſe ante alios Paulus Bachitius adhortator & bellator inſignis falconis globulo ictus atque interfectus eſt, quum & plerique alij viri fortes ex ſuis Hungaris tardius explicato certamine cecidiſſent. Eo interfecto qui inter noſtros duces militaris ingenij ſolertia, atque ingentis animi fortitudine plurimùm eminebat, magnus timor totis caſtris incuſſus eſt, quum nemo eſſet, qui eo ductante dimicanteq; adverſus Turcas de victoria dubitaret, quando & tum, & aliàs ſine eo unquam proſperè dimicatum fuiſſe meminiſſent. Eo tamen prælio quũ Hungari urgere Turcas, & ſui ducis mortem ulciſci contenderent, tanta vi hoſtes repulſi ſunt, ut multis ſuorum amiſsis, falconum currus deſerere cogerentur: ſed ea fuit apud pedites noſtros animorum & corporum imbecillitas, ut præcurrere, & currus deſtitutos occupare, reducere've nequierint, & ex adverſo hoſtium pedites pedum velocitate mirabiles, ipſique præſertim Ianizeri è ſylvis equites noſtros glandibus impeterent, à perſequendiſque ſuis opportunè deterrerent, & recepta rurſus tormenta incolumes aveherent, ex inſtitutoq; ſuo noſtrorum agmen præcurrere atque laceſſere perſeverarent. His incommodis, omniſque generis commeatuum inopia afflicti noſtri milites, quum neque ullo adverſus famem ſubſidio nutantia corpora, neque ulla auxiliorum ſpe animos ſuſtineret, extremæ calamitatis caſum omnes horrebant, eoq; trepidantius, quòd Mahometem nova validaque recentium copiarum auxilia è Belgrado, Samandria, atque Nicopoli expectare, vel incertis rumoribus audiviſſent, ſimulque proſpicerent ex Vſaronibus plures præſumpta fuga ſaluti ſuę conſulere, neque ulla aut conſolandi aut minuendi timoris ducibus attonitis ineſſet authoritas, qua aliàs lætis atque magnificis alloquutionibus conſternatæ metu copię confirmari conſueſſent. Quum verò in campum ſatis patentem oppido Garæ ſubiectum eſſet perventum, multorum confirmatione nunciabatur, hoſtes proximas & cõtinentes ſylvas, per quas noſtris eundum erat, deciſis paſsim & tranſverſis obiectis arboribus præſepſiſſe, ne per eas vel tormenta vel currus traduci, & equites niſi diſſolutis turmis induci poſſent. Ea res evulgata in caſtris ultimæ deſperationis mœrorem attulit, eoque etiam graviorem: quoniam Ladislaus Moreus, atque alij locorum periti dicerent, duas tantùm evadendi vias ſupereſſe: alterã qua per ſylvas itinere decẽ milium paſſuum ad Valponium ibatur, eamq; quòd interſecta ſit, novo Barbarorum opere dimiſsis impedimentorũ curribus, relictiſq; maioribus tormentis eſſe penetrandam: alteram porrò verſus caſtellũ, quod Zenthuerzebeth vocãt, quod ipſius Ladislai Morei erat ditionis, & aliquot milibus paſſuũ à Gara diſtabat. Quæ via ſi caperetur, hoſtes proculdubiò propter locorum anguſtias à noſtris perſequẽdis neceſſariò ceſſaturos. Verùm in conſilio præfertur via, quæ ducit ad Valponium, quòd illic commeatuum eſſet ſatis, & pecunia à rege Ferdinando in ſtipendium miſſa, quæ ſufficeret in totam hyemem Valponiana in arce ſervaretur. Itaque dimiſsis illis tormentis, quæ convehi non poterant, ſuccenſoque pulvere tormentario, atque corruptis reliquis exercitus inſtrumentis & ſarcinis, quæ equis imponi nequibant, properandum eſſe: obiectos ſiquidem arborum truncos facilè diſijci, & parvo vel ipſorum tantùm au-

rigarum

rigarum labore repurgari iter poſſe prædicabant, & quemlibet ex ductoribus atq; præfectis curare debere, ut ipſorum equites et pedites expeditiſsimi ſint, et dato ſigno ſtatim proficiſcantur. Profectionis verò ſignum futurum eſſe inſtrumentum quoddam muſicum, quo fiſtulator e ſacris turribus in Germania, Viennæque præſertim adpropinquantem auroram prænunciare ſolet. Id tibię genus Germani Schalmeyen appellant. Signi dandi cura inchoandæque profectionis ipſi Cazzianeri data eſt. Huic ultimę deliberationis decreto nonnulli qui adverſarentur reperti ſunt, & dicere auderent, hoſtium multitudinem multo minorem eſſe noſtro equitatu, atque eadem ferè qua noſtri urgerentur, cibariorum inopia premi. Præterea Barbaros cum gravioris armaturæ equitibus noſtris iuſto prœlio cōgredi nunquam auſos, ſed latronum more ex inſidijs tantùm noſtros adoriri, & quum ex viarum anguſtijs noſtræ copiæ explicantur, illico refugere. Cæterùm non eſſe adeo immunitum caſtellum & oppidum Gara, ubi hoſtes caſtra metati ſint, ut expugnari nequeat. Proinde viris fortibus, neceſsitateque multarum rerum aſtrictis, experiunda omnia, & tandem audendum eſſe aliquid: nam fugam non ſolùm turpiſsimam ipſis ducibus, qui ſalutis periculo famæ decus anteponunt, ſed cunctis qui nihil præter vitam reſpiciant perniciosiſsimam omnino futuram. Quod ſi profectio noctu fiat, futurum eſſe ut palantes, vagique per diverſos tramites nemoribus inerrent, neque in tenebris poſſe dinoſci ab ignavia virtutem. Vſarones quippe ante alios nullo pudore diffugituros: Turcas autem caſtris noſtris adeo propinquos eſſe, ut nulla ratione eos diſceſſus noſter celari queat, præſertim ſi pulvis tormentarius ſuccendatur, & tormenta maiora incluſi ignis violentia diffringātur, propter neceſſarium bomborum & malleorum ſtrepitum. Quibus de cauſis confligendum omnino eſſe iudicabant, nec credendum falſis rumoribus, qui de novo hoſtium exercitu ſpargerentur. Magnum profectò Deum ipſosque divos cœlites pro religione, & Chriſtiani nominis gloria decertare paratis proculdubiò certiſsimam opem allaturos. Tum verò cœpta eſt conſultatio de ægris, qui curribus vehebantur, aut inter impedimenta collocati, à noviſsimo militum integrorum agmine cogebantur. Apparebat enim tantam ægrorum, & ſauciorum multitudinem intellecto profectionis decreto, planctu & queſtibus, uti miſeris & deſertis neceſſe erat accidere, tota caſtra completuram, quorum lamentationes & eiulatus aucturi pro certo illi credebantur, qui vel fratres vel conſanguineos conturmalesque ſuos & amicos uſque adeo miſerè & fœdè derelictos nunquam poſtea viſuri eſſent, cuius univerſæ perturbationis tumultum & voces neceſſe foret pervenire ad aures Barbarorum, qui non longius abeſſent quàm intra minoris tormenti iactum. Propterea unumquemque corpore atque animo debere adniti, ut tantulum id iter quod pertinebat ad Valponium fortiter atque alacriter conficerent, quando bona etiam ſpe occurſuri eſſent multis curribus recenti pane, varijsque cibarijs abundè onuſtis, qui à Valponio in caſtra ſubmittebantur, ſicuti à certis nuncijs eſſet auditum. Eo commeatu ſiquidem recreatis viribus, ſuſceptique ſubinde amico oppido, eſculentorum omnium copia pleniſsimo, reliquos omnes præſentis difficultatis atque periculi caſus ex tuto ſuperaturi eſſent. Vt verò ſauciorum & ægrorum ſalutis ratio haberetur, affirmabant eos iugalibus curruum & quadrigarum equis poſſe imponi, eorumque infirmiſſimos inſidentium equorum clunibus arcto complexu poſſe ſuſtineri. Poſtre-

mò magnificis verbis eleuando hoſtium vires, vaniſſimeq; et iactẽter attollẽdo ſuas, id quod tum iter ſalubri conſilio caperetur, non turpis fugæ quidem, ſed honeſtæ profectionis debere exiſtimari, quando ipſi non equitatus modò genere & numero hoſtibus ſuperiores eſſent, ſed peditatu etiam ipſo vel grauiter morbis attenuato pares & firmiores, ſi non iniquiſſimo loco ſit dimicandum. Hęc quum pugnantibus ſententijs in conſilio iactarentur, res eò deducta eſt, vt quiſque ducum perturbato iudicio alienas à communi ſalute cogitationes ſuſciperet, nullaque dedecoris cura habita, in vnam tantùm vel ambiguam ſpem ſalutis fugam meditaretur. Ex aduerſo Mahometes certiſſimis vſus exploratoribus, & de omnibus noſtrorum incommodis per ſingula propè horarum momenta certior factus, ſuamque inde victoriam præſagiens, intentis excubijs, & inſeſſis longè lateque per alternantes equitum turmas itineribus, vigilantiſſimè noſtrorum motus obſeruabat eo conſilio, vt quum noſtri caſtra mouerent, atque agmina proficiſcerentur, ex priſtina ſua conſuetudine diſiunctos, & vti accidere neceſſe erat, impeditis in locis ſæpè diſſipatos, apud opportunas locorum anguſtias inuaderet. Ita enim equitatum peditatumque ſuum omnem circa notos nemorum ſaltus diſpoſuerat, vt magna quadam lunati flexus indagine circundatos incluſiſſe videretur. Erat iam propè exactum ſecundæ vigiliæ tempus, inſomnesq; omnes ſolicitis mentibus ita exeundi ſignum expectabant, vt minimum quodq; moræ ſpatium apprimè ingratum & incommodum ſingulis videretur, & clari nonnulli duces vecordi inſtinctu moras abrumperent, & iniuſſu diſcedere atque anteire cæteros properarent. Huius flagitioſi diſceſſus initium ortum eſſe aiunt ab Vſaronibus Hungaris, qui tramitũ & nemorum notitia freti, Valponium verſus curſum intenderunt. Hos Ladislaus Moreus inhoneſto exemplo imitatus ad Zenthuerzebeth caſtellũ ſuum contendit. Hos quoq; Stiriaci omnes obliti pudoris Ioanne Hũgenoto præfecto duce, qui tuendo cogendoq; nouiſſimo agmini fuerat deſtinatus, tumultuoſè properãtibus turmis ſequuti ſunt. Idem fugæ conſiliũ ſibi quoque præſumpſerat Antiſtes Zagabrienſis, cuius ingens laterna per ſyluas errabunda noſcebatur, minore tamen aliquanto infamia quàm cæteri, quũ vir ſacratus nunquã arma induere, aut in pugnam prodire ſui muneris eſſe putaret. Interim Cazzianeri trepide nunciatur Vſarones effugiſſe: idem feciſſe Ladislaum & Hungenotum cum Stiriacis turmis reliquos nihil expectato, vt inſtituerant, tibiæ cantu inſtruere ſe in eandem fugam. Tum verò planè vecors & attonitus imperator equũ conſcendit, oblitusq; ſigni dandi, ꝙ cęteros, vti poſtea dicebat, iam præceſſiſſe crederet, ſeſe inermis in eandem eiecit fugam, deſerto vtiq; prætorio, quod erat argentea ſupellectile, cæteriſq; ornamentis opulentum. In eo dilabentiũ tumulto Lodronius excitatur, et quum miniſtri imperatorẽ effugiſſe dicerent, intrepidè reſpondet, proculdubio fieri non poſſe, vt ab illo tam turpiter, & tam perfidioſè deſereretur, atq; ita ſicuti erat multarum noctium peruigilio & diurnis laboribus grauiter fatigatus, in tabernaculum rediens quieti ſe reddidit. Nec multo pòſt perlato caſtrorum ſtrepitu ad aures Mahometis Barbari omnes conſurgunt, & ſeſe ad inuadendos hoſtes comparant. Sed Mahometes quod hoſtes tentarent certius cognoſcendum, atq; ideo expectandã lucem cenſet, ſuosq; inſtructos ſubſiſtere, et prodeundi ſignum, quod equeſtris tympani leui pulſu per ordines dari ſolet, ſilentio expectari imperat. Dux enim vetus planeq; ſenex multis aduerſus noſtros exercitatus prælijs de

ſimulata

ſimulata fuga ſubdubitans, in pugnam niſi loco ſuis æquiſsimo incautè pertrahi nolebat, utpote qui anteà non iuſta quidem acie confligendo, ſed carpendo per partes ſuo more bellum conficere ſtatuiſſet. In albeſcente cœlo rurſus excitatur Lodronius: imminentium Barbarorum quendam audit fremitum, & ſe à multò maxima copiarum equeſtrium parte deſertum videt; fruſtrà ſe proditum queritur: nihil tamen animo ſe demittit, & pedites alloquitur, hortaturque ut priſtinæ ſuæ virtutis memores eſſe velint, & quod tum iniqua rerum ſors diſcrimen afferret, una animi fortitudine ſuperandum exiſtiment: viris quidem fortibus de honeſta morte, non de turpiſsima fuga, quæ etiam futura eſſet incerta, eſſe cogitandum, ſibi omnino cõſtitutum eſſe, qui ſæpius eos multis bellis feliciter ductarit, repulſis hoſtibus in pacatà loca reducere, aut unà ſecum egregiè pugnando non indecoro vitæ exitu mortem oppetere. His fermè verbis ad Lodronium milites cõfirmantem Carinthij equites, atq; item Saxones, Auſtriaci, Bohemiq;, qui probè parentes imperijs profectionis ſignũ a duce indictum ſibi dari fruſtra expectabant, nec ignominioſæ fugæ comites eſſe voluerant, concurrerunt tanquam ad virum longè fortiſsimum, obſecrantes, ut pro deſertore duce imperij munus ſuſciperet & impleret: ipſos enim quę iuberentur facere minimè recuſaturos, & quàm diu vires atque arma ſupereſſent pro religione, proque optimo rege pertinaciſsimè cum Barbaro hoſte pugnaturos. Non ſuſcepit delatũ munus Lodronius à generoſo quodam pudore ſe indignum profeſſus: id tamen pro ſua pietate magnitudineque animi tanti exercitus indignam ſortem miſeratus, quamdiu à fortuna licuit cum præfatione ſuſceptum exercuit. Ferunt eum quum concionaretur ad milites, atque omnem fugæ ſpem deteſtaretur, & vehementer improbaret, repertum fuiſſe Germanici nominis veteranum militem, qui comiter nec inſulsè dicere auderet: neque verò Lodroni, dux optime, uſque adeo turpis fuga apud te videri poteſt, quum eam nobili equo vectus circunſpectare exiſtimari poſsis. Intellexit Lodronius veterani militis argutiam, ingentique animo deſcendens in pedes, ſtricto gladio equi ſuffragines detruncavit, præclarè exclamans, hodie commilitones me ducem pariter & militem pedibus pari ſorte vobiſcum pugnantem habebitis. Vos date operam ne opinionem meam feſelliſſe videamini, ut victores evadatis, aut non inulti decoro mecum vitæ exitu militiam finiatis. Reliquos porrò equos peculiares ſuos pari humanitate notis ſibi militibus, qui languerent ex vulneribus aut morbis dono dedit, & in his Picenardo Cremonenſi cohortis præfecto, quum tum fortè rigida febre quateretur, & ſefuſo curſu è manibus hoſtium eriperet. Vix pimæ turmæ, primæque legionum cohortes ſublatis vexillis caſtrorum ſeptis exierant, quum Barbari undique ingruentes ſeſe truci ululatu edito ab omnibus partibus circunfuderunt, & multa ſimul prælia ex itinere ab equitatu conſeri cœpta ſunt, eo eventu, ut noſtri modò egregiè ſuſtinentes, & modò renovantes impetum, Barbaros inſolenter urgentes latè propellerent. In his diverſis prælijs Antius Macer Fuchſtatus Saxonicæ ſtirpis Carinthiorum dux ardentiſsimè pugnans, quum ab inſignium ornamentis Imperator à Turcis eſſe putaretur, eſt obtruncatus, parique ſorte amplius viginti quatuor illuſtris nominis equites capto ab hoſte eorum ſignifero trucidati ſunt. In his fuêre tres reguli Andreas Reſchius, Chriſtophorus Hernaus, & Georgius Himelbergus. Alio autem in loco crudeliſsimum editum eſt certamen cum Saxonibus, Miſnijs, Thuringis atque

Franconibus, qui Saxonum equitum vexilla ſequebantur. Horum enim vel eximia virtute depugnantium ſupra triginta ſex ſplendidiores, aut præfecti aut ſigniferi, aut alarum legati occubuerunt, Chuenrico Saxonum primario duce capto, qui poſtea in vinculis apud Barbaros interijt. Inter eos qui interfecti ſunt nobiliſsimi fuere Sebaſtianus Metheſcus, & Iacobus Scullemburgus. Eadem quoque irritæ virtutis ſorte Auſtriani elabente Nicolao Turriano eorum præfecto, aliquandiu reſiſtentes, ad extremum deleti ſunt, quum ex his virtute atque natalibus clari cecidiſſent Fettaius, & Hoſchirchius reguli, & ſecundum eos Hohenfelder & Aanſpurger, atque item duo è Naidega familia clariſsimi proceres, & cum his Lambergerus, & Velezerus viri honeſtiſsimi cecidiſſent. E ſuperiore etiam Auſtria Rhetiæ finitima deſiderati ſunt Gulielmus Folgehenſtorfus, Leonardus Lambergus, Bernardus Scharfembergus, & Gaſpar Bergcheim, & Schellembergus, qui domi & foris cum dignitate conſpicui fuerant. Verum longè maxima cædes edita eſt in Bohemos equites in quos è tranſuerſo à Ianizeris continenti glandium procella perturbatos veteranæ Turcarum turmæ acriter inuectæ grauibus & incurius gladijs fruſtatim cædendo arma, & clauis ferreis pertundendo caſsides paſsim ſternebant, quum nemo circumuentis opem ferret, & dux ipſe gentis Albertus Slithius è media cæde, maturius quàm oporteret ſe recepiſſet. Peditum verò phalangem è quodam ſuperiore nemoroſæ paludis margine à Ianizeris Aſapisq;, qui nuſquam congresſi ſclopettis tantum atq; ſagittis eminus rem gerebant, magno affectam detrimento & planè fluctuantem Amurathes cum Boſnenſibus alis è diuerſa parte inductis turmarum cuneis ita perfregit, vt diſiectæ conturbatis vexillis & implicatis haſtis tota ſolueretur, atq; intercurrente ferociter hoſte gladijs atq; ſecurulis concideretur. Lodronius ipſe equitum incurſu atq; impetu raptus in paluſtrem locum adactus eſt. Ibi quum grauiter ſaucius, & lubrico præpeditus cœno ſupremæ virtutis conatum edidiſſet, adhortantibus eum Barbaris vt ſe dedere quàm interfici mallet, cum tribus cohortibus quæ ei ſuperfuerunt ita in deditionem eſt receptus, vt cum reliquis ſuis omnibus, tanquam eximiæ virtutis hominibus proiectis ad terram armis ſeruaretur. Iam enim vel immites Barbaros multoq; noſtrorum cruore conſperſos cædis ſatietas cœperat, vſq; adeo vt plerisq; langueſcerent manus, & ad prædam auidiſsimè verterentur conſectantes eos qui diſperſim hoſtiles manus vacillante & trepido paſſu effugere crediderant, eo quidem ſucceſſu vt magnus numerus pro mancipijs caperetur, pauci pedites euaderent, & reliqui penè omnes qui non ante prælium vt diximus effugerant, toto campo cæſi ſpectarentur. Hoc enim pudendum Exechianæ ſtragis incommodum ſuperiorum temporum funeſtiſsimas Chriſtiano nomini illatas clades ſuperaſſe ferebatur: nam flos equitum & peditum inauſpicati ducis temeritate & culpa, potius quàm hoſtium virtute deletus interijt, ſicut omnes ferè prouincias aſsiduo luctu funeſtarit. Nunquam enim antea acciderat, ſicuti videre fuit, è Sigiſmundi Cæſaris, Ladiſlaique regis aduerſis prælijs, vt Barbarus & victor & incruentus euaderet, ita vt noſtros qui ad Exechium ferè inulti ceciderint, & detrimentum acceptum graui etiam ignominia cumulaſſe videri poſsint. Mahometes nullo prope ſuorum ſanguine tanta potitus victoria, & direptis caſtris noſtris, in pratulo quodam cadaueribus repurgato conſedit, epulatusque hylariter, nobiles captiuos et ſplendida ſpolia, vexillaque in primis ad ſe deferri iuſſit, laudatisq;

palam

palàm his omnibus præfectis, qui egregiam eo die navaſſent operam, ſignatæ pecuniæ plures culeos à quæſtoribus ſibi afferri iuſsit, à quibus depromptos de manu aureos & argenteos nummos pro meritis donativi nomine militibus dabat, productosque captivos ad unum omnes, qui non eſſent gregarij diligenter inſpexit, ſingulorumque nomina & dignitates in commentarios per ſcribas præſens redigi iubebat. His verò qui detruncata capita, aut deciſas noſtrorum vultibus nares, & anulatas dextras afferrent, ſtatim pecuniæ præmia tribui iubebat. Lodronius quum gravi ex vulnere iactationem ferre, nec vivus cum reliquis captivis Byzantium perduci poſſe videretur, à cuſtodibus eſt interfectus, caputque eius poſtea tranſmiſſum. Nam ſicuti nonnulli viri nobiles, & in his Laurentius Streytpergus & Dietmarus Loſenſtainus retulerunt, qui redempti reducesque ad uxores & liberos penatesque ſuos poſtliminio reverſi ſunt, inter captivos, qui à Mahomete cum vexillis conſpicuiſque aliquot caſtrenſis apparatus inſtrumentis, ſplendidisque præſertim & inauratis thoracibus & galeis per legatos Solymano offerebantur, tria ſummorum ducum capita argentea in pelvi conſpecta, agnitaque ſunt. Ea fuère Pauli Bachithij olim trãsfugæ, & Antij Macri, qui Carinthiaco equitatui præfuerat, Ludovicique item Lodronij, qui pedeſtres copias imperio regebat. Ea tyrannum obliquis oculis aſpexiſſe, & tanquam tabo fluentia averſatum: cæterùm atroci nutu iuſsiſſe, ut captivi illicò cæderentur: ſed deprecantibus Ianizeris, ut quos ſtrenuè pugnantes ſub fide cœpiſſent, tanquam viros fortes ſervare vellet, qui in ſervitute fortem etiam operam ipſis præſtare poſſe crederentur, remiſiſſe vultum, militibusque obtemperando humaniter multos fuiſſe conſervatos. Ipſe autem Cazzianer caſtrorum ſignorumque ſuorum impius deſertor, quum profugiſſet ad Caſtellum ſuum, à cunctis proditionis exercitus accuſabatur, & tanquam inexpiabilis infamiæ totius patriæ labes, & publicæ cladis author maledictis inceſſabatur, ſic ut nec prodire in publicum, nec cœleſtem lucem aſpicere poſſe diceretur: tanta ſiquidem deflagrabat invidia, tantoque odio apud omnes regiæ aulæ ordines laborabat, ut in eum famoſa carmina argutè factitata per omnes Germaniæ urbes à pueris cantarentur, ſicut eum pro tropheo quòd referri debuerat, coronaq; victoriæ furcã & laqueum meruiſſe dicerent, adderentq; pari merito ei ſupplicij conſortes Schlitum Bohemum & Vngenotum Stirianum, ac Stambechium Carinthium, qui ducũ omnium fugaciſsimi fuiſſent. Quibus execrationibus miſerè perſtrictus Cazzianer, poſtulavit à rege, ut ſibi tutò venire ad dicendam cauſam liceret: nam paulo antè ſcripſerat ad ſenatum provinciæ Carniolæ præfectos, famam ſuam contra ius & æquum à calumniatoribus inimicis ſuis maledicentiſsimè lacerari: propterea ſe iturum Viennam purgandi ſui cauſa, & iniquè obiecta præclaris inſignium virorum teſtimonijs diluturum, ſperareque ſe pro ſua anteactæ vitæ cunctis in bellis fide, virtuteque, ut quum multas res pro regis dignitate atq; amplitudine proſperè geſſerit, priſtinam ab eius clementia gratiam recuperaturum, quando ea calamitoſi belli errata fatali potius impulſu, quàm hominum errore proveniſſent. Conceſsit rex ut tutò veniret, exceptusq; eſt ambiguo vultu: ſed quum eius cauſæ cognitio diſceptatore rege aliquantò longius quàm reus volebat, protraheretur, atq; interim honeſta ſub cuſtodia ſervaretur, Cazzianer moræ impatiens, & de damnatione ſaluteque ſubdubitans, effugere, quàm iudiciũ expectare maluit: ſimulato namq; morbo lateri-

tium ſub cubili pauimentum noctu ſenſim per commiſſuras cultello ſcalpens, vno atq; altero facilè exempto laterculo ſubiectam teſtudinem aperuit, atque inde ex linteis lodicibus effecto fune ſe demiſit & fœliciter effugit, quum paratos extra arcem ex condicto equos ad fugam celeres arripuiſſet. Nec multo poſt vti erat fluctuoſo atq; præcipiti ingenio vir, deſperatis rebus ad Turcas tranſiuit, cum libenter excipiente Mahomete, pollicenteq; ei præter opima ſtipendia totius Croatiæ præfecturam, ad imaginem beneficiarij regni, ſi Solymano ſyncera fide ad ſubigendas Auſtriani imperij vrbes operam præſtaret. Tum verò conſtituta iam præſcriptis legibus tranſitione, vt cum aliquo munere ad Mahometem rediret, cum Nicolao Sdrinio eiuſdem prouinciæ regulo, ſibi vti rebatur amiciſſimo, fidentius agere cœpit, vt vnà ſecum tranſiret, in ſpem certiſſimi præmij, quando Solymanus erga ambos, non ſecus ac cum Ioanne rege libiraliter egiſſet, beneficentiſſimè acturus exiſtimari deberet. Promiſit tum Sdrinius, aut certè ſe promittere ſimulauit, in ſententiam inuitantis conceſſurum, parataq; & inſtructa tranſitione cum ala familiarium equitum ei tranſeunti comitem futurum. Verùm Sdrinius conuerſo animo impietatis deducus, & tanti ſceleris facinus ſecum reputans, in amicum veterem vel nihil tale domi ſuæ expectantem, perfidiam exercere, quàm regem aut religionis nomen offendere maluit, Cazzianeremq; poſt epulas dirus hoſpes obtruncauit, ita vt detruncatum caput inuiſi & merito damnati ducis ad regem mitteret, in præmiùmque honeſtæ perfidiæ interfecti à ſe amici caſtello, atque omni illius ſubſtantia potiretur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXVII.

FORTISSIMIS Germanici atq; Illyrici nominis gentibus vetere ſua bellicæ laudis gloria ex fœdo receptu ad Exechium ſpoliatis, altera adhuc militiæ parte, quæ maritima eſt, et nauali ſcientia continetur, Barbaris potiores eſſe videbamur. Quandoquidem Veneti ante alios, & Genuenſes, rei naualis diſciplinam ab inueterata maris poſſeſſione, clariſſimiſq; rebus geſtis, præſtantiſſimè tuerentur. Sed huius maligni ſeculi Fortuna aliena prorſus & inſenſa Chriſtianis, labante ſcilicet veterum diſciplina, virtuteq; obſoleſcente, eò ſummis vtriuſq; gentis ducibus in aleam experiundi periculi perductis, ita Barbaris fauit, vt noſtri ad Actiacum promontoriũ collatis improſpere viribus, in fugam acti tota nauali exiſtimatione exuerentur. Quomodo autem

autem id vſque adeo infœliciter euenerit, breuius quàm potero ex ordine rerum & temporum enarrabo. Veneti diuerſis Turcarum iniurijs terra marique inſolenter exagitati, quum Solymanus Corcyra vrbe impotenter oppugnata, multoq; immanius peruaſtata inſula, ſuperbè pacem abrupiſſet, et tum in Peloponneſo Epidaurum & Nauplium ipſorum ditionis vrbes per Caſsimum Baſſam continenter obſideret, atque oppugnaret, nullam ſibi moram attulerunt, quin aduerſus tyrannum nullas vel iuſtæ ſatisfactionis, vel demiſſæ deprecationis rationes admittentem, bellum gerendum cenſerent, inuitantibus eos Cæſarianis, & Paulo Pontifice pro ſua dignitate plurimum cohortante: nam recentis periculi metu adducti, quum Salentinos Hariadenus inuaſiſſet, preclarè admonebantur, vt Italiæ cauendum exiſtimarent, poſtquam Ottomannica claſsis nimio plus quàm liceret inſuefacta noſtris litoribus aliquando non Salentinos modò, ſed ipſas Hadriatici ſinus vrbes aggredi, ſicuti manifeſtè appareret, auſura crederetur. Cæſar quoq; graui cura cum Siciliæ, tum Africæ rebus proſpiciendum ratus, ingentem ſuo nomine triremium & nauium numerum, quæ Venetæ & Pontificiæ claſsibus iungerentur, in id bellum ſe collaturũ promittebat. Itaq; per totam hyemem quæ ſubſecuta eſt, per legatos diligentisſimè elaboratum eſt de numero genereq; claſsium: de militibus imponendis: de aſciſcendis ſocijs, comparandaq; pecunia, diuidundisq; ſumptibus, vt quàm validisſima atq; ornatisſima claſsis in proximã æſtatẽ, diſtributa in ſingulos principes impenſę portione, pararetur: & in Græciam aduerſus Barbarum tyrannum educeretur. In id conſilium Paulus Pontifex ad ſextum Idus Februarij in Vaticano ſenatum habuit, & quod bene verteret populo Chriſtiano fœdus percusſit adſtipulantibus Ioanne Manrico Aguillario pro Carolo Cæſare: Marco autem Antonio Contareno pro Veneto ſenatu, ſub his conditionibus vt Cæſar octoginta duas triremes inſtrueret, totidem Venetus, ipſe verò Pontifex triginta ſex pararet, vt ducentarum triremium numerus efficeretur. Venetus poſtulanti Pontifici quot vellet fabrefactas, armamentisq; omnibus inſtructas triremes mutui nomine ex arce ſua naualí daret, remigibus & propugnatoribus à Pontifice in eam expeditionem implendas. Cæſar autem, atq; item Genuenſes onerarias naues militariter inſtructas quibus commeatus & pedeſtres copiæ conueherentur, ſubminiſtrarent. Renunciati quoq; ſunt claſsium duces: Cæſarianæ ipſe Andreas Auria: Venetæ Vincentius Capellius, Pontificæ autem Marcus Grimanus Patriarcha Aquileienſis, cui comes & adiutor adderetur Paulus Iuſtinianus, nauali prudentia virtuteq; aliàs inter Patritios cum laude ſpectatus. Cautum verò eſt vt terreſtribus copijs, ſi deſcendendum in hoſtile litus foret, Ferdinandus Gonzaga Siciliæ præfectus cum imperio præeſſet: & ſi quid Chriſtianis armis de Barbaro hoſte pararetur ſiue in Græcia, ſiue in inſulis, ipſaq; Dalmatia, id totum optima fide Veneto imperio, toties antea à barbaris lacerato adderetur: Cæſar autem ex ſua liberalitate, quantum vellent ſocij, tritici Siculi venalem copiam æquo pretio præberet, atq; eam ſine vllo vectigali atq; portorio exportari ſineret. Hiſdem autem temporibus quibus Solymanus in Epirum venit, tentataq; fruſtra Italia apud Salentinos, & direptis Corcyreis cum Venetis antiquæ pacis fœdera abrupit, Alfonſus Vaſtius in Subalpina regione expugnatis magna vi validisſimis Gallorum præſidijs apud Cherium, Albamq; Pompeiam, atq; Claraſcum, eò Gallorum duces amittendę totius eius prouinciæ peri-

culo calamitatis adegerat, vt imminutis militum præſidijs, & abſumptis commeatibus, de retinenda tuendaq; Taurino vrbe deſperarent, et ad regem in Galliam accuratè perſcriberent, ſe armis circumuentos, & frumenti inopia laborantes, niſi maturam opem afferret, cuncta hoſtibus fame compulſos eſſe conceſſuros. Ferunt regem quum in venatione eſſet occupatus, & certum de ſuorum periculo nuncium accipiſſet, aliquandiu in equo immobilem ſtetiſſe, et rigentibus oculis crebro barbam demulcentem, atq; itidem frontem atque oculos dextra perfricantem grauiſſimè ſuſpiraſſe, ſed ingenti ſtatim animo redijſſe ad rationem, decretoq; ſecum facto ferendi auxilij conſilium ſuſcepiſſe, tanta firmitate magnitudineq; animi, vt ſemihoræ ſpatio, quid ſibi in eam expeditionem ituro parandum foret incredibili celeritate deſcriberet: aduocatiſque demum proceribus, ipſoq; præſertim Anneo Memorantio, in equo ſedẽs munia ſingula idoneis hominibus acri iudicio imponeret, vt ea quæ ad parandas copias conuehendosq; commeatus pertinere videbantur, ſumma diligentia in ſpem pœnæ aut præmij certiſſimam expedirent. Rex namq; qui omnes propè ſuæ ætatis tenaci atq; expedito immenſæ memoriæ captu, perenniq; vigore ſuperauit, quid & quantum peculiaris commeatus vnaquæq; prouincia ſuppeditare poſſet, quæ nam itinera, quæ flumina ad conuectiones faciliora vicinioraq; forent, & è quibuſnam ſtatiuis aut hybernis equitum alæ accerſendo celerrimè conuenire poſſent, mira ardentis ingenij figuratione atq; velocitate repræſentabat, ſic vt eum rationes itinerum & nauigationum præcipuasque rerum omnium copias, vel remotiſſimarum etiam ciuitatum tanquam ex indice memoria tenere, vſu rerum periti proceres rerentur. Ab eo namq; ſubitario belli decreto ſtatim perſpectum eſt quantum rex ipſe, cum ingenij magnitudine, tum quodam memoriæ inenarrabili robore, propter ſingularẽ rerum ſuarum notitiam valeret, vel molliſſimis interdũ voluptatibus occupatus: & quantæ eſſent Gallici imperij facultates, eiusque gentis quanta eſſent ad parendum ſtudia facilè apparuit. Pauciſſimis ſiquidem diebus, quod cunctis maximè fuit admirandum, tanta vis omnis generis commeatus liberali prouincialium ſtudio, curaq; vel ab ipſis extremis Pyrenæi montis partibus, atq; Armoricis Oceani ciuitatibus collata eſt, vt ſinguli amnes quibus Gallia omnis ad incomparabilem conuectionum commoditatem pernauigatur, et cuncta deniq; itinera innumerabilibus nauigijs & carris complerentur, omnesq; ad edictum commeatus, ſuos imperatis vecturis ad vrbem Gratianopolim perueherent, quò etiam equitatus, et pedeſtres copiæ conuenire iubebantur, vt inde varijs tramitibus per Coctias Alpes in Italiam tranſcenderetur. Ferunt erepſiſſe per dorſum Alpium ſupra triginta milia ſarcinarij generis iumenta omnibus annonæ copijs onuſta, quibus rex ipſe præſidio ibat, quum antè Henricum filium cum Memorantio præmiſiſſet cum expedita parte exercitus. Ipſe Germanos Gulielmi Fuſtembergi (hi circiter ſeptem milia cenſebantur) adducebat: quibus non magno interuallo Heluetiorum ſex milia, atque Italicorum quatuor milia iungebantur. Reliqua pars peditatus ex Vaſconibus, & ex delectu Gallicarum legionum ad parem ferè numerum conſtabat. Grauis armatura equeſtris nouiſſimo loco ſuccedebat, tormentis ante per abrupta atq; inuia ſumma celeritate tranſuectis: paucorumque dierum labore ſuperata ſunt ſumma Alpium iuga atq; inde mollioribus paſſim callibus deſcendi cœptum. Vaſtius cognito regis aduentu ad Montecaleriũ oppidũ caſtra fecit, præmiſitq;

Cæſarem

Cæſarem Maſium Neapolitanum, & Camillum Columnam Romanum; qui opportunos ad deſcenſum hoſti ſaltus certis præſidijs occuparent. Hos Henricus ipſe regis filius & Memorantius ſepti nobilium equitum globo, qui dimiſsis equis per anfractuoſos tramites pedibus rem gerendam putabant, diſiecta paſsim glacie niueq; tanta vi adorti ſunt; vt Maſius & Columna pulſi diſiectiq; locum quem cœperant amiſsis equis deſererent, et Memorantius inde ſiniſtrorſum paratos commeatus cum valida equitum & peditum manu, ad Taurinenſes inedia laborantes maturè tranſmitteret. Exinde Franciſco rege ſubſequente, Sebuſiana via Gallorū agmina ſe demiſerunt, neq; quiſquam hoſtium obſtitit, moxque ad Vilianam oppidulum peruentum eſt, vbi Neapolitanus centurio cum paucis antiquæ turri præſidio impoſitus, ſubiectum iter viæ militaris impediebat, nec vllam deditionis ſignificationem dabat. Cujus ſtulta pertinacia offenſus Memorantius; quòd indignum eſſet regem niſi pacato itinere tranſire, ni ſtatim ſe dederet necem comminatus, tormenta produci iusſit, atque oppugnare turrem cœpit. Nec mora præſidiarij intellecto periculo animum deſpondentes neceſſitati ceſſere. Sed Memorantius centurione conſeruato, quòd ſibi diſsimiles nactus eſſet milites, & regijs ſtipendijs adſcripto, milites eius præſidij ad vnum omnes laqueo ſuſpendit, qui importuna temeritate tantam vim regij exercitus ſe ferre poſſe crediſſent. Ab hac Viliana turre Franciſcus compoſitis copijs per plana loca deſcendit, præcurrente Gulielmo Langæo cum ala leuis armaturæ equitū vſq; ad Montecalerium, quo in oppido ad Padum poſito Petrus Ciconius Inſuber expediēdis commeatibus præpoſitus, ingentem frumenti viniq; et pecoris, reliquęq; annonæ copiam ex ipſa incolarum meſſe atque vindemia contulerat, vel improbante Vaſtio qui id oppidum ab initio defendi poſſe minimè confidebat. Ad primum itaq; Langæi aduentum Ciconio imparato, & deſerente commeatus ſuos omnes, occupatum eſt Montecalerium, regiusq; inde exercitus parto de hoſtibus peramplo cōmeatu ſeſe affluentisſimè aluit. Conſtat Vaſtium ipſi Ciconio vehementer iratum fuiſſe, quòd ille in ſpem priuati quæſtus tantam vim commeatus in alia tutiora vtiq; & commodiora oppida, vti ipſe iuſſerat, non eſſet diſpertitus. Propterea quum Ciconianis carris, qui oppido onuſti educebantur occurriſſet, trahentibus plauſtra bobus crura manu ſua præcidiſſe, interficiq; iusſiſſe, vt ea quoq; iactura Ciconius afficeretur. Cui facto fugæq; Ciconij ſuperueniens Langæus, regi non illepidè renunciauit, eo die ſe luculentiſſimè cœnaturum, poſtquàm ſibi duo hoſtium clarisſimi, cum piſtoris & cauponis, tum lanij operam præſtitiſſent. Ciconius ſcilicet qui dignitate erat comes, atq; ipſe Vaſtius tanti nominis imperator, poſtquam hic occisſis bobus præpingue paraſſet obſonium, ille verò albicantis coctæ Cereris, & optimi vini cadis onuſta plauſtra reliquiſſet. Cogitauit ſubinde Vaſtius circūiectis oppidis propere communitis, vel impar viribus hoſtes ad pugnam laceſſere, inſtructo vniuerſo equitatu qui per nocturnum tempus regia caſtra inuaderet, & Gallos more ſuo audacter in pugnā erumpentes ad inſtituta inſidiarū loca, vbi peditatum, ipſosq; præſertim ſclopettarios diſpoſuiſſet, ex occaſione pertraheret. Sed ea nocte ſuſceptus labor Cæſarianis, quum nuſquam ſe obtuliſſet hoſtis, in irritum ceſſit. Audiui ego poſtea à Vaſtio non iuſta pugna, ſed tumultuario tantū prælio hoſtes aggredi cupiuiſſe, quoniam peculiare ſuum robur in Germanico pedite conſtaret, quem Federicum Fuſtembergum ſuperiore æſtate

adduxiſſe memorauimus, qui eius Gulielmi Gallo regi militantis germanus erat frater: ita vt nequaquam rectè fraternæ acies in pugnæ diſcrimen conferendæ crederentur, quandoquidem vterq; frater alterum deprauare, & ad ſe traducere contenderet: qua in re Gulielmus aſtu & viribus ſuperior tanquam fratrem facilè Germanico ſanguini parſurum, et à victore iam rege ampliſſima præmia relaturum in partes facilè perducere poſſe quibuſdam ſuſpicacibus ingenijs appareret; quanquam Federicus virtute religioneq; animi melior, conſtantiſſima fide ſuũ decus tueri ſtatuiſſet. Quum Cæſariani regijq; pari ſtudio ſuarum partium oppidis nouo præſidio, nouoq; commeatu confirmandis occupati eſſent, et Vaſtius intentè proſpiceret, quo nam vexilla regia verterentur, e Belgio literæ allatæ ſunt regi, quibus certior fiebat illuſtrium fœminarũ auſpicijs inter ipſos certantes armis principes propinquos ſuos inducias percuſſiſſe. nam Eleonora regis vxor, & Margarita item ſoror virilis ingenij mulier, quæ Nauarræ regina vocabatur, ad Mariam Pannoniæ reginam Cæſaris germanam contenderant, deteſtantesq; diri belli cauſas tanquã inanes vſq; adeo appoſitè egerant, vt Maria ad idem vtriq; parti vtiliſſimum pietatis decus vehementer accenderetur, hiſdemq; fere condicionibus, quibus antè ſeptem annos ea immania diuturni belli incendia reſtinxerant, induciæ dicerentur in eam deſcriptę formulam, quam principes in ſpem mutui colloquij certiſſimæque pacis eſſent probaturi. Itaq; Memorantius Vaſtio ſignificauit inducias eſſe factas, matureq; ipſum a Cæſare reſciturũ, quibus condicionibus in poſterum ab armis eſſet diſcedendum. Harum induciarum beneficio maximè lætatus eſt Vaſtius, vel ob id quòd pecuniæ inopia plurimum angeretur. nam ſi producendo bello expedienda eſſent ſtipendia et confirmandi in officio milites, neceſſe fore prouidebat vt immanibus tributis impoſitis Galliæ Ciſalpinæ ciuitates expilatas diu anteà euerteret. Menſtruam ſiquidem per id tempus iuſſu Cæſar s pecuniam ex cenſu cunctis omnis generis prouincialibus imperarat, tanta quæſtorum exigentium acerbitate, vt populus paſſim diri ſeculi calamitatem lugeret, neq; ipſe Vaſtius ſuopte ingenio liberalis, & minimè rapax abſtineret à lachrymis, vtpote qui firmiorem Cæſari eius dominatus poſſeſſionem futuram arbitraretur, ſi Cæſar beneuolentia iuſtoq; amore continere populos quàm impotentibus auariſſimiſq; imperijs coercere mallet. Nec multo pòſt à Cæſare de hiſdem inducijs certior factus, dignum ſe ipſo humanitatis officium ſuſcepit, & ad Carmagnolam regem caſtra habentẽ honoris cauſa inuiſit. Profectus eſt è caſtris ſuis cum ornatiſſimo prefectorum & centurionũ equeſtri comitatu, vt quibus fideret viribus, viriſq; polleret Gallis oſtentaret. nam Hiſpani antè alios ornatui mirè ſtudentes vetera victoriarum ſuarum inſignia, aureos torques & criſtas, vt maximè eſſent conſpicui deſumpſerant. Federicusque ipſe Fuſtembergus quum Vaſtij lateri hæreret, fratrem tanquam degenerantem à familia obliquis & trucibus oculis nihil porrecta daxtra ſalutauit. Rex enim copias ſuas qua tranſiturus eſſet Vaſtius hoſtiũ imperator ita digeſſerat in ordines, vt cuncta pedeſtrium maximè copiarum præſidia oſtenderet. Exceptus eſt vaſtius læta tormentorum omnium diſploſione ſalutatus, deducenteq; Memorantio magiſtro equitum honoris cauſa inter regem Delphinumq; filium medius eſt receptus, tanta humaniſſimi regis comitate, vt ſicuti ipſe hoſpitem, ita tot eius duces et centuriones à Gallis qui eoſdem ducerent ordines complecterentur, & ſalutandi regis cauſa ſinguli ad dextrã oſculandã deducerentur

rentur. Multa demum rex ipſe cum Vaſtio colloquutus, repetita vetere familiaritate, de induciarum ratione & tota ſpe pacis luculentiſsimè diſſeruit, quæ nequaquam operæ prætium eſſe putamus vt hoc loco referantur. Conſtitutis autem inter ſe finibus Subalpini imperij & præſcriptis legibus, quibus vtriuſq; præſidij milites vterentur, Vaſtius Mediolanum reuerſus eſt, & rex ipſe Alpes rurſus tranſcendens in vlteriorem Galliam cœpta iam hyeme rediit, ſic vt hic aduentus regis in eos ipſos dies inciderit, quibus Ferdinandi regis copiæ ad Exechium victæ deletæque ſunt. Per eam verò quæ ſubſequuta eſt hyemem Paulus Pontifex enixè operam intendit, vt Carolus ipſe Cæſar & Franciſcus reipublicæ cauſa in colloquium venire minimè grauarentur. Cui honeſtisſimæ poſtulationi neuter ſe aduerſum prębuit, quod is conuentus multis de cauſis vtriq; multum expedire cenſeretur, vel ſi publicum decus Chriſtiani nominis reſpicerent, vel ſi priuatus prouinciarum ſuarum incommodis, quę tot diuturni belli detrimenta pertuliſſent, conſulendum exiſtimarent. Summæ ſiquidem pietatis munus ſuſcepturos apparebat, poſtquã Solymanus vndiq; Chriſtianis clades importaret, ſi ipſo ſacroſancto Pontifice ſequeſtro pacis atq; concordiæ controuerſiam multarum gentium malo diu alitam finire maturarent, vt Europeis gẽtibus certę pacis tranquillitas pararetur, atq; obiter de ſacro bello aduerſus impios gerendo coniunctis viribus cogitandũ eſſe iudicarent. Opportunisſimã autem omnibus futuram conuentui ſedem Pontifex decernebat apud Nicæam Poruinciæ vrbem, quæ erat ditionis Caroli Sabaudij Allobrogum principis. Is vtriq; arcta propinquitate coniunctus, & vtriuſq; disſidẽtis iniuria multo maxima regni ſui parte ſpoliatus, ius ſibi reddi perpetuis querimonijs poſtulabat, putabatq; eo principum colloquio diſceptationeq; in integrum reſtitui debere, poſtquã tam diu peſſimè mulctatus fruſtra hactenus diuũm atq; hominũ fidem imploraſſet. Itaq; ad magnã ſpem futuræ concordię, & Cæſar ipſe ab Hiſpania adducente eum Auria in portum Herculis Monœci, qui Villafrancha hodiæ dicitur, ſecunda nauigatione peruenit. Franciſcus autem quum Pontifex ipſe cum maxima ſenatus parte ad Alexandriã excipiente eum ipſo Vaſtio cum legatione Mediolanenſium, Nicæam perueniſſet, profectus per Prouinciam ad Villanouæ oppidum vltra Varum amnem terreſtri itinere magna omnium lætitia peruenit. Cæterùm Pontifex qui tantum itineris laborisq; exactæ ætatis ſenex ſtudio reipublicæ ſuſceperat, impetrare non potuit, vt ipſi reges in complexum atq; colloquium ſe poſtulante præſenteq; deuenirent: vterq; tamen ſeorſum in villa quadam ſuburbana Pontificem Chriſtiano more venerati ſunt. Eleonora autem regina cum Margarita priuigna lectisſimorum morum puella, Ioanne Lotharingiæ Cardinale, atque ipſo Anneo Memorantio claſſe deducentibus, Cæſarem fratrẽ inuiſit. Erant qui tum exiſtimarent neque Cæſarem neque Franciſcum, poſtquam è tam longo terrarum tractu ad Pontificem perueniſſent, à colloquio (vt credi par eſt) abhorruiſſe, ſed quodam occultiore conſilio Pontifici tantæ voluptatis & laudis famæque ſucceſſum inuidiſſe, quaſi exiſtimarent Pontificem nequaquam ſtudio religionis, ſed priuatim ſui commodi ſpe ipſorum colloquium expetiſſe: quoniam Margaritæ Auſtriæ, quæ Alexandro Medici nupta fuerat, nuptias pro Octauio nepote affectaret, & Clementis exemplo Victoriam neptem domui regię coniectis, in Vandomium oculis inſerere percupere videretur. Cæſar tamen per internuncios Franciſco pollicitus eſt, ſe in eius complexũ priuſ

quam in Hiſpaniam renauigaret, vti mox euenit, deuenturum. Per eos dies Vaſtius, quum in colle qui portui imminet caſtra haberet, in morbum incidit valde periculoſum, quo impeditus quum adeundi regis officio fungi nequiret, me qui ipſi languenti aderam, vt ipſius munus implerem, ita ad regem miſit, vt ad eum nobiliſſimus Inſubrum proceres, qui produci cupiebant, trireme mecum adueherem. Excepit ſingulos humaniſſimè rex in omni re ad parandam beneuolentiam & gratiam proclinatus. Erant enim illuſtrium familiarum honeſtiſſimi ſcilicet Vicecomites, Bonromei, Somalij, Puſteruli, Galeracti, & Cribelli. Sed ea in re Vaſtius opinione ſua mirum in modum deceptus eſt, quum de concordia regum fidentius ſperaſſe videretur. Volebat enim ſummæ nobilitatis Mediolanenſium primores ſuo beneficio conciliari Franciſco, qui ex vſu futuræ concordiæ Inſubrum imperio potiturus eſſe credebatur. Nam fama erat, Cæſarem Mediolanenſis imperij poſſeſſionem Carolo Aureliano regis filio ex authoritate Auguſti imperij collaturum, vt parta pace tum demum aduerſus Turcas ampliſſimis Gallię opibus vteretur. Sed qui vſu rerum valebant, atq; intimos vtriusq; principis ſenſus iampridem introſpexiſſent, liberè prędicabant, neq; Cęſarem vlla pactione opulentiſſimo Inſubrū regno deceſſurum, neq; Franciſcum ex aduerſo donec eo potiretur arma poſiturum. Hoc tamen obtinuit Pontifex, vt inducias à reginis, vt diximus, in Belgio conceptas & promulgatas ipſi reges in nouem annos ſolenni adſtipulatione ſancirent. Quum de his rebus commeantibus à Nicæa hinc ad Villafrancham vbi conſtiterat Cęſar, & illinc ad Villanouam vbi erat Frāciſcus, crebris legationibus ageretur, inuſitati caſus res accidit, aſpectu quidem primo inopinatè terribilis, ſed mox ridenda iocoſo exitu. Stabat in anchoris Cæſariana claſſis in ipſo Villafranchæ portu, ita vt prætoria ipſius Auriæ quadriremis domui qua ſuſceptus erat Cæſar, ipſiusq; etiam cubiculi feneſtræ ſubijceretur, et reliquæ triremes diuerſas anfractuoſi portus ſtationes obtinerent, magnaque naualis turbæ reliquorumq; hominum multitudo per ea litora vagaretur, quum nonnulli ſub meridiem otioſe maria & colles à tergo in altiſſima Alpiū iuga aſſurgentes proſpectarent, denſam nubem fumi inſtar in altum eleuatam conſpicere atq; ita notare cœperunt, vt quum è proxima turrita villa ederetur, nec ea denſi pulueris nubes deſineret, ſed ex interuallis continenter augeretur, pleriq; ex his qui ſpectabant proculdubio ſignificationem eſſe aduentantis inimicæ claſſis affirmarent, & tanquā Barbaruſſa ad opprimendos ſummos Chriſtiani nominis principes Pontificem & Cæſarem aduentare proclamarent. Ea vox famaq; delata in portum, peruagataq; oppidum incredibilem cunctis pauorem attulit, ſic vt vbiq; magnopere trepidaretur, & Vaſtius ipſe è tabernaculo proſiliens turbatè induta galea, & abrepto ſcuto ad Cæſarem cum ipſa ſtationis cohorte deſcenderet, hortareturq; vt in accliuia atq; ardua illarū rupium crependura, & telis atq; lapidibus aduerſus Barbaros ſi fortaſſe illac aſcendere conarentur, rem gerendam cenſeret. Stetit impauidus Cæſar, nec de periculo quicquam temerè credidit, tametſi Auriam tolli anchoras iubentem, & tumultuoſiſſima claſſiariorum feſtinatione triremes obuerti, atq; omnes demum vel incolas, vel externos animis maximè perterritos eſſe conſpiceret. Quum verò iam ſpeculatoria nauigia ab Auria ſtatim emiſſa, vndiq; pacata maria renunciaſſent, & ad turritam villam exploratum pleriq; proceſſiſſent, compertum eſt, à villico eam nubem denſi pulueris, quæ fumi ſpeciem referret excitatam

fuiſſe

fuiſſe, quum ille in area fabarum acervum cribrando & ventilando à ſiliquis ſecerneret: multis ſiquidem ex intervallo ventilationibus, quæ triginta ſex triremium numerum repræſentabant, ab initio notatæ numeratæque fuerant, ut primam Barbaricæ claſsis anteeuntis partem eſſe, vel nautici homines iudicarent, quanquam nullum omnino ullius claſsis, vel ab altiſsimis tectis & collibus, aut velum, aut malus, aut antenna apertiſsimo in pelago conſpiceretur. Quo pręclarè agnito factum eſt, ut omnes ex ſumma trepidatione in riſum inconditosque cachinnos ſolverentur, ſic ut ipſorum principum & ducum intellecta præproperè credulitatis contumelia, nõ obſcurus pudor mentes perfunderet, atque is inauditę trepidationis inanis metus iocoſis omnium ſermonibus celebraretur. Actum ſubinde eſt inter Cæſarem atque Pontificem, uti anteà cõpoſitum fuerat, de ſuſcipienda navali exepeditione adverſus Turcas: nam nova legatio à Venetis ſupra veteres legatos ad Pontificem Cæſaremque pervenerat, cuius principes erant Nicolaus Teupulus, nobilium literarum fama clarus, & M. Antonius Cornelius, qui Venetijs ſenatoriæ eloquentiæ laude reliquos penè omnes anteibat. Hi ſiquidem æſtate iam adulta feſtinandum eſſe, atque apparari claſſes poſtulabant, poſtquam Venetijs cuncta iam parata eſſent ad navigandum, magnoque incommodo futurum eſſe differerent, ſi reliquos æſtatis menſes effluere ſinerent, quibus mari res geri poſſet. Nec multo poſt Franciſcus diſcedens à Pontifice in regnum ſuum eſt reverſus: Pontifex verò Genuam pervenit, exceptusque eſt hoſpitio in Fliſcorum ædibus, quæ ſunt excelſo in loco ad Violatæ templum poſitæ. Exinde claſſem conſcendit, partimque mari uſus, partim terreſtri itinere poſt ſolſtitium ad Vrbem pervenit. Cæſar autem ad Maſsilienſium oram delatus, circa Foſſas Marianas ex condicto regem eò deſcendentem cum liberis ſua quadrireme prętoria humaniter excepit, atque arctè complexus eſt. Impetrante quoque Cæſare Franciſcus Andreæ Auriæ ſuperiorum temporum iniurias facilè remiſit, quum ad exoſculandam dextram produceretur, ſubindeque plures horas arcanis ſermonibus principes impenderunt, tanta vel eorum qui aderant, vel illorum qui id poſtea ab alijs didiciſſent, exultatione, ut ferè nemo reperiretur, qui non planè exiſtimaret, Reges ipſos deterſis odijs conciliatos fraternæ amicitiæ fœdera concepiſſe in ſpem maturæ pacis atque concordiæ. Vnus tamen Paulus ipſe Pontifex pro vetere ſua prudentia, ut id crederet adduci non potuit, poſtquam parùm pio, ſubagreſtique amborum principum conſilio colloquijs excluſus, eius clàm appetitæ amicitiæ ratio, quæ nullam ſyncerae virtutis & religionis ſpeciem præ ſe ferret, nequaquam compoſiti animi diuturnam ſimulationem habitura putaretur. Mutua ſiquidem ambitione correpti, quum hic parta armis, poſſeſſaque retinenda omnino, defendendaque ſtatueret: ille verò Galliam Ciſalpinam, quam nuper non obſcuro iure poſsediſſet, pro dignitate ſuì nominis repetandam arbitraretur: nullo ſiquidem concordiæ arbitrio ſibi opus eſſe exiſtimabant, qui utrique aliquid detrahendum concordiæ cauſa iudicaret. Certa quoque inter utrunque eminebat obtrectatio aſciſcendi ſibi Pontificis: quoniam is omnino cui Pontifex ſocius accederet altero multis rebus potentior evaſurus videbatur, ſicut uterque potius cavendum putaret, ne Pontifex alteri æmulo in ſocietatem applicaretur, & gerendo bello ſocium ſe præberet, quàm ut eum magnis conceſsis muneribus promerendum arbitraretur. Gravius tamen in eam rem incumbebat Cæſar, utpote qui anteà Nova-

riam urbem Petro Aloiſio Farneſio expetente Pontifice dono dediſſet, & tum filiam quoq; viduam Octavio Farneſio, vel adhuc prætenero adoleſcenti in gratiam avi Pontificis in matrimonium maturatis nuptijs collocare minimè gravaretur. Cuius contractæ affinitatis factum Cæſaris conſilia altius detexit, quum ſpreto Coſmo Florentię principe, qui id coniugium ſupplex expetebat, filiam vel tum renuentem immaturæ ætatis adoleſcentuli thoro illigare, quã non Pontifici morem gerere maluiſſet, quin & Cæſar paulo poſt etiam non obſcurè impedijt, ne Victoria Octavij generi ſoror Coſmo iungeretur, quod nequaquam in rem ſuam fore provideret, ſi Romana potẽtia cum Etruſci imperij opibus in unum belli & pacis fœdus miſceretur. Qua de cauſa Coſmus honeſtiſsimo uſus conſilio Cęſaremq; reſpiciens, cuius ſe clientem eſſe profitebatur, ab eo prolis cauſa uxorem poſtulavit, qua maximè fideli & verecunda poſtulatione permotus Cæſar, quod legitimi atq; æquiſsimi iuris videretur, ei de manu ſua clariſsimi generis puellam Federici Toletani Albæ reguli inter primarios Hiſpaniæ proceres virtute animi, fide, atq; opibus præſtantiſsimi, neptem deſponſavit. Hæc erat Eleonora Petro ipſius Federici filio pro rege Neapolitano genita, quæ magno Deo utiq; & divis approbantibus Coſmum pulcherrima prole in ſpem lætiſsimæ ſucceſsionis parentem fecit. Cęterum quum enavigaturus eſſet Cæſar, ad eum legatio Mediolanenſium pervenit, deploratura iniurias, quas Hiſpani milites ſeditioſè ad arma conſternati, et ab authoritate Vaſtij diſcedentes, eorũ agris inferebant. Coiverant ſiquidem è Subalpinis præſidijs audito induciarum nomine ſingulę cohortes, ut merita ſtipendia flagitarent, quæ aliquot menſium ſibi deberi prędicabant, uſq; adeo protervè atq; inſolenter, ut uno conſenſu profiterentur, ſe neq; imperio Vaſtij audientes futuros, priuſquam ſibi alicundè tot debita ſtipendia præſenti pecũia ſolverentur, ſic ut interim ex præda victitando fertiliſsimæ atq; amœniſsimæ regionis vicos vexatis atq; direptis agricolis impudenter atque atrociter pervaſtarent, miſerrimiq; incolę iuſto terrefacti metu deſertis meſsibus diffugere cogerentur. Eo modo Hiſpani è militibus immaniſsimi latrones effecti, occupata univerſa meſſe: nam tum deſecta erant frumenta, aut in agris, aut in areis rapientium prędę expoſita. Latrocinantium autem vexilla, caſtraq; fuerant conſtituta ad peramplum Galeritæ oppidum, mercatu celebre, ita appellatum de nomine olim Galeritæ legionis, quæ à C. Iulio Cæſare in his locis conſediſſe, cõdidiſſeq; coloniam exiſtimari poteſt. Id eſt poſitum media ferè in regione agri Inſubrum, quæ oppidis & vicis frequens ſummam fertilitatis & opportunitatis obtinet claritatem. Ea ſiquidem Ticino amne clauditur, uberrimisque diffuſa campis ad Abduam uſque ſeſe extendit, ſic ut urbs Mediolanum quandam umbilici ſpeciem prębeat. Conſternatæ autem multitudinis ea erat licentia, impunitate ſenſim aucta, ut nequaquam ea regione, quam obtinerent, contenti remota etiam oppida truculẽtis imperijs territarent, atq; ab eis quotidiani tributi numeratæ pecuniæ vectigal exigerent, & ſegniter parentibus omnẽ cædis atque incendiorum cladem denunciarent. Quamobrem Baptiſta Archintus civili facundia inſignis, qui erat legationis princeps, in hunc fermè modum Cæſarem eſt alloquutus: Perampla Mediolanenſium civitas immenſis nuper opibus potens, ſed recentibus diri belli ærumnis atque miſerijs deformata, quum ſuis malis finem imponi, & ſibi ad diuturnam tranquillatem ſub tutela tui nominis aditum pandi, in hac præſertim tanta ſpe futuræ pacis facilè cre-

ſe credidiſſet, inopinatò novam, & prioribus quidem malis acerbiorem cladem ſubit: nam ſi calamitoſum eſt bello ab hoſte diripi, multò quidem miſerius eſt in pace vaſtari à ſocijs, atque inexpiabilis contumelię detrimenta & iniurias pati. Proinde miſeri Inſubres, æquiſsime Cæſar, ad te confugiunt, & vehementer orant, ut pro Auguſta tua virtute, religioſique animi clementia & pietate ſe defenſos & conſervatos velis ab immanitate impudentiſsimorum latronum. Hi ſunt veterani Hiſpani tui milites, qui dum victorias de hoſtibus tibi pararent, ea licentia opes noſtras iampridem, ſicuti calamitoſi & violenti ſeculi iura poſtulabant, prædæ ſic habuerunt, ut etiam nunc extremum nobis ſanguinem exhaurire contendant, quum te debitorem ſuum ex dilatis ſtipendijs rapaces & immodici petulanter effingant, ut cauſam non iniqui militaris iuris ſe nactos appareat, unde liberè & impunè oblata quæque diripiant: gravi quidem offenſione æquiſsimi tui nominis, ſed multo graviore rerum noſtrarum incommodo: vel ob id quòd quæ imperaveris ex uſu tuo à nobis pecuniæ ſubſidia ad egeſtatem redactis in poſterum præſtari non poterunt. Occupavêre illi nefaria ſeditione excitata Inſubrum agri opulentiſsimam regionem, interceptisq; meſsibus cuncta in prædam vertunt, & in proximã quoq; vindemiam avidiſsimè ſpectãt, nimirum qui ab authoritate Vaſtij ducis, ſenatusq;, & deniq; à maieſtate tui nominis inverecundè rebellarint, cõfiſiq; armis Inſubri nominis homines tanquam ad obſequia iuſſaque tua paratiſsimos facilè contemnant. Matura itaq; ope tua, iuſtiſsime Cæſar opus eſt, nè dum fruſtrà conquerimur de iniurijs, miſerabili excidio fertiliſsimæ regionis mulctemur. Duplex ſiquidem ferendæ opis ratio tibi offertur Cæſar: nam aut ſtipendia, quæ milites improbè reflagitant, ſi iuſta ſint, præſenti pecunia perſolvenda ſunt, aut ſi iniquiora peti videbuntur, neque tibi præſens auri facultas ſuppetat, nobis concedas obſecramus, ut impunè ſalvoque maieſtatis tuæ numine noſtras iniurias de perverſiſsimis latronibus domeſticis freti armis ulciſcamur. Æquum enim eſt, ut illi qui tuas victorias inſolentiſsimis maleficijs deformant, & tibi undequaque victori, optimoque principi hac impunita ſceleſtaque defectione veræ virtutis tuæ laudem, & denique ſperatam apud omnes gentes gloriam eripiunt, dignas inuſitata contumacia, atque impia rebellione pœnas pendant. Cæſar nihil ad ea reſpondit, ſed contracta fronte, auſteroque vultu Archintum tanquam nimis libero ore loquutum, ad Peronotum Granuelium ſummis negocijs præpoſitum remiſit, ita ut ipſe Cæſar per ianitorem continuò eum permoneret, ut legatum audacius loquutum aſperis caſtigaret verbis, vel ob id præſertim, quòd non obſcurè prædicaret, Inſubres ex tantis contumelijs ad arma excitos, niſi Cæſar provideret, Hiſpanos ad unum omnes tanquã improbæ extremæq; malignitatis & avaritię homines parvo negocio conciſuros. Itaq; Granuelius adeuntem legatũ contumelioſè propè reprehendit, quòd nimia oris libertate uſus, principis maieſtatem arroganter offendiſſet. Qua in re Archintus eo modo officij ſui neceſsitatem excuſavit, ut multo plura atq; atrociora Mediolanenſes facturos teſtaretur, ut res ſuas atque univerſæ immeritæ civitatis iniurias vindicarent, addens ſpumanti ore, Ergo Granueli, qui Cæſaris conſilio præes, ſi non omnino ferus ſis, pati poteris, ut ea civitas qua nulla aut fidelius, aut accuratius Cęſaris nomen colit, indignis perpetuisq; nefariorum militum latrocinijs evertatur, quando ea vos omnes nõ modò præbitis ſtipendijs ditet, ſed univerſam etiam Cæſaris aulam à

multis annis alere conſueſcat. Cæterùm neque à Granvello, neq; ab ipſo Cæſare his graviſsimis obteſtationibus quicquam aliud impetratum eſt, præter literas, quibus Vaſtius admonebatur, operam daret, ut aliqua pactionis ratione tanto provinciæ incommodo mederetur. Hæc ubi ſub ipſum Cæſaris à Nicæa diſceſſum ex legatione renunciata, & per urbes Ciſalpinæ Galliæ evulgata ſunt, uſq; adeo tantū ex rei indignitate odium Cæſari crevit, ut omnes ex rerum deſperatione facilè defecturos appareret, ſi mitior & clementior, qui dedentes reciperet dominus offerretur. Immoderatis ſiquidem pace belloq; tributis oppreſsi, novam etiam tum menſtruæ exactionis onera pertulerant, quæ nunquā deſitura boni mortales crederent, donec viveret Cæſar, atque Italiæ imperio potiretur. Sic ut non alia de cauſa victorias de hoſtibus quæſiviſſe exiſtimari poſſet, quàm ut ſerendo bella ex bellis perpetuò milites aleret: atque ideo ſubactas provincias immiti dominatione ad egeſtatem redigeret. Optabant ſiquidem provinciales, ut Cæſar nequaquam ſimilis evaderet quibuſdam ſuperiorum temporum Cæſaribus Germanis, qui non in amore atque benevolentia ſubiectarum gentium, ſed præcipuum potentiæ ſuæ robur in veterano milite præda alito reponere conſueviſſent, ob idque Henrici, atque utriuſque Friderici, & Ludovici Baiorij, & Caroli quarti exemplis miſeras Italiæ civitates, quæ liberæ atque opulentiſsimæ dicerentur, ſibi prædæ deſtinaſſent, poſtquam illud vetus inclytæ laudis & famæ ſtudium, quo generoſiſsimi olim principes præclaras res bello geſſerint apud huius ſeculi principes vigere deſierit. Paucis ſiquidem poſt Carolum magnum ad veræ pietatis & gloriæ decus rapi viſi ſunt, quum nemo fermè arma tractarit, ut bona pace parta frueretur, & admirandis iuſtæ virtutis monumentis ſeculum ſuum florentius & luculentius efficeret: ſed ut victorijs & bellis nunquam modum imponendo inſatiabilem animi libidinem poſteris teſtaretur. Id enim hodie præclarum atque magnificum videtur ad mutuas clades inteſtinis graſſari bellis, ut immanem illam belluam ab oriente noſtris diſsidijs excitatam provocemus, vaſtaturam proculdubiò cuncta, quum nos valido concitata impetu affectos viribus miſereque diſsidentes invaſerit. Porrò Vaſtius his acceptis à Cæſare literis, quum pacandis militibus, & ad officium revocandis ſatageret, ſingulos eorum tribunos, quos ex urna ſorte eductis nominibus cum poteſtate imperij in ſingulas hebdomadas creabant, & propter publicæ cauſæ patrocinium honoris gratia electos appellabant, ſigillatim pertentabat, anteactique omnis maleficij impunitatem & præmia inſuper pollicendo mollire contendebat: ſed veteratores eximij, quum ex opimis rapinis diteſcerent, & ex tanta licentia luxurioſiſsimè viverent, nec quicquam timerent, nihil ſani conſilij contemptis Vaſtij monitis, atque promiſsis ad animum admittebant, utpote qui corruptis moribus in delicto perſeverare quàm ad vetera militiæ munera reverti mallent. Quamobrem eò res utrinque altercando deducta eſt, ut Vaſtius, qui multis de cauſis Cæſari obtemperare velle videbatur, vel rebellibus nullo pacto vim admovendam eſſe iudicaret, ſed imperandum populis pecuniam, quæ ſeditioſo, ac ob id atrocem pœnam meritò militi præberetur. Ea imperata, ad ſummam undecim myriadum, quum paucorum dierum ſpacio exigi non poſſet, neque milites promittenti duci fidem adhiberent, Vaſtius non recuſavit filium eis obſidem tradere, ut interim dum repræſentaretur pecunia à maleficijs abſtinerent. In ea tranſactione cautum eſt, ut milites è Gallia Ciſalpina

decedentes, uti iubebat Cæſar, navali bello, quod tum adverſus Turcas enixè parabatur, operam navarent. Deducti itaq; ſunt ad claſſem, quæ in Liguria exornabatur. Fuêre hi qui claſſem impleverunt circiter quinquaginta milia hominum. Reliqua verò pars per Tridentinas Alpes in Germaniam eſt traducta, ut in Pannoniæ præſidijs diſpoſita Turcarum incurſiones ſuſtineret. Accidit autem, ut quum ſecundo Eno flumine deveherentur, duo nävigia illiſa petris rapido profluente paucis enatantibus mergerētur, ita ut Ciſalpinæ Galliæ homines à multis execrationibus eos ultore Deo magno meritas maleficij pœnas dediſſe crederent. His fœderibus, quæ anteà Romæ inter Cæſarem & Venetos, ſocio atque authore Pontifice percuſſa fuerant, & de congreſſu Cæſaris, & Franciſci regis, Pontificisque profectione, Byzantij nunciatis, Solymanus, quum adverſum ſe maritima arma parari proſpiceret, Hariadenum Barbaruſſam exornare claſſem iuſsit, ut maturè Helleſponto egreſſus hoſtibus occurreret, & quanta poſſet detrimenta, aditis, vexatiſque inſulis, Venetis inferret. Quo accepto imperio Barbaruſſa ingenti cura, laboreque claſſem refecit, deductiſq; ad litora, quos anteà deſcripſiſſet, provinciarum remigibus, naves implevit, atq; omni militari apparatu diligentiſsimè inſtruxit. Helleſponto, Gallipolique provectus in Cretam inſulam cum centum triginta navibus, quæ remis agerentur, curſum direxit: primumque omnium ſuperato Cyamo promontorio, quod hodie Spatæ nomen obtinet, Caneam urbem, quæ Cydonia olim fuit, adortus magnam ſuorum partem temerè expoſuit: nam Gritto patritio prætore firmis præſidijs tuente urbem, Turcarum impetus eum habuit inconſultæ audaciæ ſucceſſum, ut quum undiq; è mœnibus & propugnaculis cum multo reboatu maioribus, & minoribus tormentis peterentur, atq; Italicę duę cohortes eruptione facta perturbatos hoſtes invaſiſſent, multis ſuorum amiſsis Barbaruſſa receptui canere cogeretur. Conſtat eum quum ſuos revocaret ad claſſem, nimia navalis pugnæ trepidatione ſupra mille Turcas, qui longius prædatum à litore proceſſerant, deſeruiſſe, qui ad unum omnes non multo poſt ab armatis Cretenſibus interfecti ſunt. Exinde Drepano promontorio, quod Melacham vocant, ſuperato in Amphimaleum ſinum, qui hodie nautis Suda eſt, claſſem intulit, quum Ioannem Morum totius inſulæ præfectum multis millibus Cretenſium coactis, atque adiuncto Italicarum aliquot cohortium præſidium Cydonis opem celeriter allaturum didiciſſet: inde ad Rithimnam, quæ eſt hodie Retimum, urbem nobilem proceſsit, pariq; eventu ab ea urbe munitiſsima repulſus eſt, quod priuſquā triremes ad oppugnandum appropinquarent, Rithimnenſes contortis in eas maioribus colubrinis, non parvoq; detrimento illato eas avertiſſent. A Retimo ad Dion promontorium, quod Fraſchea hodie dicitur, profectus eſt, moxq; deflexit ad urbem Candiam, ab hoc Dionis promontorio decem millibus paſſuum diſtantem. Hæc urbs olim Cytheum fuit, hodieq; toti inſulæ nomen ſuum præbet. Hanc Barbarus contemplatus, quòd eam longè omnium munitiſsimam rebatur adoriri non eſt auſus: ſed ſeſe ad orientale inſulæ caput, quod eſt Salmonium, convertit, Ceciliamque oppidulum, deſertum ab incolis, ſuccendit, atque ita Cretenſibus litoribus abſceſsit. Nam Vincentium Capellium Venetæ claſsis præfectum, qui iam Corcyram appuliſſet, Cretenſibus rebus maturam opem allaturum intelligebat. Qua de cauſa Alexandrum Bondelmerium cum ſuo inſigni galeone, atq; altero ingenti navigio, quod Barciam vocabant, omni tor-

mentorum copia, præſidioq; militum inſtructiſsimo comitante Paſqualico patritio cum viginti quinque triremibus Zacynthum perveniſſe ſpeculatores renunciabant. Per idem quoque tempus veluti maligno quodam exorto ſydere, par diræ conſternationis inſania invaſit Africanas Hiſpanorum cohortes, quæ aliquandiu meritis ſtipendijs fraudatæ, atq; ea fruſtrà poſtulantes ſeditioſè tumultuari apud Guletam cœperant. Propterea Bernardinus Mendocius Hiſpanicæ claſsis præfectus non temerè Numidarum atq; Afrorum propter incertam gentis fidem, arma veritus, quum ſeditioſorum tumultum, oratione & precibus ſedare non poſſet, ea labe hominum exonerare Africam cogitavit, ita ut eos omnes in Siciliam tranſveheret. Nam eis neque ſtipendia à prorege Siciliæ, neque alimenta in ipſa ſummæ fertilitatis regione defutura pollicebatur. Sed poſtquam in Siciliam pervenêre, quòd neque Ferdinandus Gonzaga prorex expeditam pecuniam ſe habere diceret, neq; Siculi tot externos hoſpites privato ſumptu alendos æquis animis ſuſciperent, Hiſpani, uti erant veterani ad ſex milium numerum, agros atq; oppida impetu facto invadere cœperunt, indignantes quòd ex forti fideliq; tot Punicis bellis navata opera, ingratè demum ſperatis ſtipendijs excluderentur, nec quibus miſeram vitam cōfecti vulneribus & morbis, & egentes tueri poſſent, ex agris, minusq; benignis incolis alimenta reperirent. Quibus de cauſis neceſsitate quadam eius flagitioſæ ſeceſsionis ſcelus obtegentes, ſigna & duces atq; ſigniferos deſeruerunt, & qui erant iuxta Meſſanam apertos pagos diripere aggreſsi ſunt: ceſſereq; eis in prædam ante omnia vici nullis obſepti muris, Caſtaneta, Montefortis, S. Lucia, quorum incolæ ad munita oppida confugientes, & de ſuis incommodis fruſtrà conquerentes atrocis & verè hoſtilis iniuriæ famam ex ſociorum impotenti impetu per totam Siciliam excitabant. His fœdè direptis ad Caſtrum, munitum oppidū perrexerunt, murumq; undiq; corona expugnare conati defendētibus ſeſe Caſtrenſibus ita repulſi ſunt, ut amiſsis ad quadraginta militibus, multisq; relatis vulneribus, quòd fortè ſæva tempeſtas cum denſo imbre exorta ſclopettorum funiculos extingueret, re infecta ſe recipere coacti ſint. His cognitis rebus Gonzaga, Alvarem Sandeum, caſtrorum magiſtrū, qui incolas Siculos in unum cogeret atq; armaret, & in ſeditioſos impetum facturi ſpeciem præberet, in loca opportuna præmiſit. Sed uſq; adeo his pagorū direptionibus efferatæ erant Hiſpanorum mentes, ut proregis deprecationes, atq; imperia contemnerent, nullamque pacati animi, ut redire ad ſanitatem ſe velle oſtenderent, ſignificationem darent, ſed effuſius quotidie atq; crudelius in Siculos graſſarentur, uti tum accidit, quum Sandeus cum armata agreſtium multitudine in conſpectum ſe dediſſet. Hiſpani nihil his territi minis, minimè dubitarunt, quin interiectam vallem illicò tranſirent, factoque impetu, omnem eam Siculorum turbam profligarent, & in pręaltos montes aufugere cogerent. Exinde pręfectorum & ſigniferorum loco, qui à ſeditioſis diſceſſerant, nec tam fœdæ conſternationis ſocij eſſe volebant, tribunos crearunt, qui electi dicebantur. Horum imperium triduo finiebatur, atq; eis alij ſuccedebant, omnibus tamen qui certo perpetuæ poteſtatis iure præeſſet, quendam Hęrediam cunctis ſuffragijs extulerunt. Hunc erudita facundia præpotentem, quòd anteà cucullatus ſacerdos, & in ſacris concionibus exercitatus fuiſſet, ſupremi ſcribæ & conſiliarij munus implere iubebant. Huic autem attribuerunt rerum capitalium miniſtrum Mondraconem Cantabrū, qui oblatos quosq; equos arripiebat,

ripiebat, quos apparitoribus ſuis diſtribueret, exornataq; inde numeroſa ala, ad parandos commeatus, rapiendamq; omnis pecoris prædam, regiones proximas percurrebat. Primum omnium Hæredia perſuaſit militibus, ut in Rocella oppido, quod nobilis Siculi è Spataphora familia ditionis erat, omnia impedimenta & ſarcinas, ſcortaque & inutilem famulantium puerorum turbam deponerent. Quo facto ad oppidũ Randatium, quod eſt ad radices Æthnæ montis poſitum (id olim Triatium fuit) hoſtili animo duxit. Randatiani ubi formidabiles ad ſe Hiſpanos venire cognoverunt, ad eos cum infulis ſacerdotes preferentes crucifixi Dei Chriſti vexillum, qui iniuriam deprecarentur, emiſerunt, eisq; bina cœnobia perampla, quæ erant extra oppidum, hoſpitali iure conceſſerunt, ita ut ſi à maleficijs temperarent, quotidie ab oppido ſe cibaria gratuitò ſummiſſuros pollicerentur. Conſederunt ſatis æquo animo in cœnobijs Hiſpani: ſed forte accidit iniqua oppidanorum ſorte, ut Hiſpanus miles è muro glande ſclopetto emiſſa ſit interfectus: quo caſu facilè permoti milites, non obſcurè exoptatam expugnandi oppidi occaſionẽ arripuerunt: ſic ut concitati ad arma admotis proximæ portæ ignibus, fores concremarent, & valvas ardentes multo haſtarum nixu intus propellerent, & in oppidum irrumperent, quumque media ferè nox eſſet in foro conſtitutis ordinibus nuſquam diſcurrẽdo conſiſterent. Tum verò animadverſum eſt, oppidanos per adverſam potam, quæ dudum ſemiobſtructa fuerat ægrè effugiſſe, & in domibus, non parvam rerum ſuarũ copiam, et fœminas natu grandiores deſeruiſſe: Atq; ita Hiſpani potiti oppido, Hæredia iubente partiti inter ſe hoſpitia, per regiones vigilias inſtituerunt, tresque ibi menſes per hyemem uſq; ad prima Veris ſigna opiparè & copioſiſsimè omnibus abundantes rebus hybernarunt. His tantis maleficiorum contumelijs affectus Ferdinandus, tametſi vera vi, atque armis ea latrocinia coercenda, atq; omnino vindicanda exiſtimaret, adhortantibus præſertim Siculis proceribus, & ſuam peracrem in conficiendo negocio operam pollicentibus, nihilominus alia prius ad ſanandas ſeditioſorum mentes experiunda remedia iudicabat, quòd veteranam atq; invictam militum manum, niſi multo cum ſanguine, & funeſto utrinq; ſucceſſu ſuperari non poſſe provideret. Neq; enim militibus pares videri poterãt Siculi, vel in univerſum viri acres armisq; dediti, ut qui ſemper inter ſe contentioſi ſanguinarijq; ſint, & privatim quiſq; loricã aut thoracem & galeam, vel in pace induat, & varijs atq; mortiferis quibuſdam utatur telis, quæ in hoſtem eminus cõtorquentur. Ea ſunt ſpari tripedales acuto præfixi ferro, & manubriatæ fundæ, quibus ex coriaceo nidulo volema ſaxa Balearico more iaciunt: & huius generis armatorum hominũ ſupra viginti milia ſe coacturũ Simeon Vintimilia, Hieracenſis regulus pollicebatur: vir quidẽ corpore puſillo, ſed generoſa animi magnitudine preditus, & peramplis opibus potẽs, qui vetuſtũ Siciliæ decus adverſus externos tueri magnopere cupiebat. Sed proregi Ferdinãdo tum Cęſari, tum Siculis calamitoſum fore videbatur, ſi is tumultus temere excitatus, uti accidere neceſſe erat, dubio & cruentiſsimo prælio finiretur, utpote qui reputaret ſummis viribus milites, qui iuſtis & militaribus armis eſſent inſtructi, deſperata ſalute eſſe dimicaturos, neq; Siculos multitudine ſua, atque ineptis in acie fretos armis, veterani militis impetum diu laturos intelligebat. Igitur alio modo ſibi agendũ ratus, ut ſeditioſos pacaret, & ex tuto eorũ improbitatem atq; inſolentiam ulciſceretur, per idoneos eorum præfectos, qui apud contaminatum ſce-

leribus exercitum remanere noluerant, & in officio apud proregem perſiſtebant, agere cœpit. Hi fuêre ipſe dudum caſtrorum magiſter Alvarus Sandeus, & Ioannes Vargas, & Sancius Alarconus, & Alfonſus Vives, qui apud milites eximiam authoritatem obtinebant. Per hos agebatur apud milites, ut ad ſenitatem redire vellent, poſtquā prorex eis integra fide omnis maleficij impunitatem promitteret, & quatuor menſium ſtipendia præſenti pecunia perſolutu rū polliceretur: quod ſi milites ſibi uſquequaq; Siciliam magno Cæſaris incommodo pervaſtandam ſuſciperent, nemini unquā ad penates reditū in Hiſpaniam fore, atq; omnes ſimul tanquam perfidię damnatos hoſtilia totius Siciliæ arma adverſum ſe publico edicto concitata infeliciter experturos. His denunciatis Hęredia, fortunæ ſuę ignarus, gravem & luculentam concionem ad milites habuit, facileq; perſuaſit, ut oblata ſtipendia accipere, & redire ad officium, quàm iratis Siculis obijci, notatiq; infamia patrię exilio mulctari mallet. Suſtulêre univerſi dextras, & conditionem approbarunt, modò ſibi de impunitate caveretur: & multi quidem Gonzagæ ſeveritatem nō temerè veriti poſtularunt, ut ſibi liberorū natu maximus pro obſide traderetur. Sed res deducta eſt ad iuſiurandum, et ad ſacramenti religionem: eo pacto atq; ordine, ut apud vicum, cui Linguægroſſæ nomen eſt, medio ferè itinere inter Meſſanam atq; Randatium inſtitutis ſolennibus ſacris, & prorex & legati exercitus convenirent, id magnoperè probante Ioanne Varga, quem pleriq; veteranorum parentem appellantes maximè colebant. Primos enim honores geſſerat in exercitu per annos viginti, quum Aurantius, interfecto ad Hiſpellum Ioanne Dorbino, hunc præcipuè Vargam illius ſigniferum ſupra cæteros Hiſpanos plurimùm extuliſſet: ſic ut milites ſalutem ſuam fidei eius committere minimè dubitarent. Erant Hiſpanorum vexilla vigintiquatuor, è quibus delecti ſunt ſinguli, qui ingenij ſolertia, & corporis habitu maximè præſtarent, & legatorum nomine cum ipſo Heredia, dandi accipiendiq; ſacramenti munus obirent. Itum itaq; eſt ad Linguagroſſam vicum, ubi præſtò adfuit ipſe Ferdinandus, compoſitiſq; rebus ſacra peragi cœperunt. Quum verò ad medium ſacrorum eſſet deventum, quo redemptoris Chriſti hoſtia populo oſtenditur, in eam pręeuntibus verba hinc Varga, illinc Hæredia eo modo iuratum eſt, ut legati ſimul & prorex ipſe dextras attollerent, atq; ita ea quam diximus de impunitate atque ſtipendijs conditione tranſactum eſt. Accidit autem, ut quum à præeuntibus verba ad attollendas dextras vocarentur, & legati omnes id expeditè feciſſent. Ferdinandus autem cunctantius facere videretur, unus è legatis nomine Villalobos præclarè vocem attollens: Si cuncteris prorex, inquit, iurare, nec dextram ſyncerò animo extendis, nos quoque ab huius ſacramenti fide diſcedemus. Tunc verò prorex oborto pudore præaltè manum extendit. Fuêre qui ab ea proregis cunctatione exiſtimarent, eum pro conſcientia ſacramenti votum ſuſpendiſſe, conceptisque verbis ex animo iuraſſe tam fœdæ pactioni, quæ vi neceſſitatis exprimeretur (uti eventus poſtea docuit) nequaquam ſe ſtaturum. Per hunc modum peractis ſacris & cunctis lętè adſtipulantibus conſtitutum eſt, ut cohortes per urbes atq; oppida ſpargerentur, ut commodius ali, præbitiſq; ſtipendijs in officio contineri poſſent, vetereſq; præfecti quos diximus, ad ſua munia redirent, quorum iuſsis milites ex diſciplina obſequerentur. Nec multo pòſt ſingulæ cohortes ad Auguſtam, quæ Megara olim fuit, Syracuſas in Leontinos, Calatamque Hieronis, & Taurominium, alia-

aliaq; oppida ſub vexillis contendere. Quum eſſet Taurominij Ioannes Vargas, ad eum Gonzaga ſcripſit, ut ipſum Hęrediam atque Carantium, qui deſignandis hoſpitijs apud ſeditioſos præfuerant, comprehenderet, vinctosq; ſibi navigio celeriter Meſſanam devehendos curaret. Pręſtitit officium Vargas, & nihil tale timentes ambos, uti præceptum fuerat, Meſſanam devehi iuſsit, ubi illicò arctæ cuſtodiæ traditi ſunt. Ad alia quoq; oppida ſimili ratione Gonzaga perſcripſit, ut ſingulæ cohortes ſuum electum, qui ſacris interfuiſſet, vinctũ præfectis arcium traderent: atque ad unum omnes illi viginti quatuor diverſis in locis uno tempore comprehenſi, perductique ſunt Meſſanam. In eos autem iuſtæ iracundiæ ſuæ Gonzaga uſque adeo ſeverè & graviter evomuit, ut uno die damnatos ad furcas, latronum more laqueis ſuſpendi iuſſerit: atq; hæ furcæ toto litore, ut à præternavigantibus ſpectari poſſent, erectæ ſunt. Ex his altiſsimam Hęredia detruncata prius per carnificem dextra, honoris cauſa promeruit, cui comites fuêre hinc Mondraconius, atq; Carantius, illinc Villalobos, qui inter ſacra iurantem Gonzagam arroganter interpellarat. Sed horum omnium ſupplicio conceptus altè dolor in Gonzaga expiari non potuit: dedit enim operam, ut quos maximè facinoroſos extitiſſe didicerat, omnibus modis atque omnibus locis interciperet. Qua in re præfecti arcium, & prætores urbium, quum de ſcripto monerentur, operam ſedulò præſtiterunt, uſque adeo diligenter, ut qui neq; excipi, neq; deduci Meſſanam poterant, cuſtoditos necarent, & cadavera in ſubiectum mare proijcerent. Hoc enim incolumi ſua fide ab his præſidibus peculiari ſuo iure fieri debere Ferdinandus cenſebat: quoniam qui anteà quum arcium & oppidanorum præfecturas acciperent, Cæſari ſacramentũ dicentes, ſe cunctis in rebus iuſtitiam obnixè culturos promiſiſſent, ideoq; iu reos maieſtatis, indicatis ſingulorum nominibus, lege agere tenerentur. Verùm Alvarus Sandeus apud Meſſanam truculentiorem carnificinam inſtituit: nam multos, qui Meſſanam ad forum rerum venalium exornandi ſeſe cauſa veniebant, vel invitatos ad cœnam, & varijs modis per aleatores lenonesque pellectos comprehendebat, ſtatimque per ſervos Æthiopes pernecatos in mare proijciebat. Id ſupplicij genus maturabatur ſpitamali quodam ligno, ad cervices laqueum intorquente, quòd Hiſpani Garotum appellant: ſic ut ad multa Siciliæ litora, à Meſſana ad Taurominium, & inde ad Syracuſas atq; Auguſtam, cadavera Hiſpanorum illiſa ſcopulis, & fœdè fluctibus lacerata ſpectarentur. Qua re certius comperta reliqui Hiſpani tanto terrore concepto concuti cœperunt, ut plerique quæſitis fruſtrà navigijs excedere inſula niterentur. Interdictum namque fuerat omnibus nautis, ne quemquam militem navigio exciperent, aut aliò aveherent, ſic ut multi in ea cogitatione, abeundique conſilio maturè comprehenſi ſæviente in eos Alvaro, ſcelerum ſuorum pœnas darent. Ad extremum reliquam militum partem, quæ novis multiplicatisq; ſtipendijs exaturari nequibat, Gonzaga ipſo Vaſtio multo ſeverior inexorabiliorq; præbito menſtruo ſtipendio, navibus avehẽdos in Hiſpaniam impoſuit. Quam ignominiam uſq; adeo graviter milites tulerunt, ut poſtquã improbitatis atq; perfidiæ notati in patriam veherentur, animis contumeliã ferre nõ poſſent, cõmilitonumq; exemplo ſe laquei pœna puniri malle prędicarẽt. Ab hac tãta animadverſione in ſeditioſos carptim patrata, cã Ferdinãdus ſui nominis famã tulit, ut Siculi ſuis cõmoti iniurijs, ſingulas cohortes tanq̃ maleficentiſsimi generis hominũ ex vetere diſciplina decumari debuiſſe

decubuiſſe prædicarent: Hiſpani autem eum tanquam hominem præduræ ſevertatis, & ſupra æquum inhumaniter atrocem, avidumque prorſus Hiſpanici ſanguinis in occulto maledictis laceratum diris execrationibus onerarent, & ex adverſo ab recēnti facti memoria, Vaſtij lenitatē pari ſeditionis crimine offenſi, laudibus immodicis in invidiam proregis attollerent, qui ea in re maximè benigna ingenij temperie uſus, necis pœnam delicto graviorem iudicaſſet, ideoq; tantum monendo molliendoq; animos militum, & ſtipendia liberaliter perſolvendo, totū compeſcendę tollendęq; ſeditionis negotium ex ſententia cōfeciſſet, utpote qui Hiſpanico ſanguine progenitus, extra omnē pœnę ſuſpicionem univerſæ conſternationis maleficia ſyncera fide ſingulis condonare, quàm ullius omnino ſui militis ſanguine generoſas manus fœdare maluerit. Cęterum tantū abfuit, ut id Gonzagæ factum à Cæſare minus probaretur, ut pręclarè ei ſuccenſeret, quòd indulgentius agendo cohortes ſingulas nequaquam repetita ſeveritate decumaſſet, & in Vaſtio indignam iuſto militarique duce ineptè quæſitam clementiæ laudem effusè deteſtaretur. Quo iudicio Cęſaris & Vaſtius multum de priſtina ſua apud Inſubres gratia amiſiſſe viſus eſt: Gonzagā verò ipſum vel indignantibus Hiſpanis ad ampliſsima præmia provectum fuiſſe conſtat, quum ex adverſo nonnihil de conceſsis anteà ſtipendijs atq; muneribus, Cæſaris iuſſu, per quæſtores Vaſtio detractum fuerit: Gonzagam tamen Hiſpaniæ magiſtratus ad dicendam cauſam citarunt. Verùm is comparatis ad defenſionem luculentis orationibus, ut in Hiſpaniam proficiſceretur, & iam navigaret, prohibuit Cæſar, ne pervulgata per Hiſpanias tot ſcelerum & ſuppliciorum labes, animos provincialium altius offenderet. Nec multo pòſt Sicilienſes cohortes collatis quæſtorū indicibus, quibus nomina militum deſcribebantur, circiter trecentos commilitones deſiderarunt, atque hæ tranſvectæ in Italiam, claſſem Cęſaris apud Tarentum atque Brunduſium conſcenderunt. Sunt qui aſſerant Sicilienſes cohortes, non quum ſtatim àb Africa tranſvectæ in Siciliam fuiſſent, ſeditionem ad Randatium miſcuiſſe, ſed quum ſequenti anno poſt maritimam expeditionem in Siciliam reportatæ fuiſſent: verùm nihil ad rei notitiam pertinere putamus, an tum, an poſtea admiſſæ ſeditionis pœnas penderint. Eo ſiquidem tempore antecedentibus Venetis, Andreas Auria ſuperato Meſſanæ freto, ſublatisque paſsim militibus, ad Corcyram inſulam curſum intendebat: eò namq; Vincentius Capellius cum imperio atque univerſa Venetorum claſſe pervenerat, coniunctisq; eo modo claſsibus apparebat Barbaros tantam vim Chriſtianæ claſsis non eſſe laturos, & congreſſum & pugnam omnino vitaturos. Tum enim Hariadenus Barbaruſſa Ambracio ſinu cum tota Ottomanica claſſe ſe continebat, & de adventu noſtræ claſsis certior factus, ut illac noſtri intrarent propter arctas fauces expectare videbatur, tanquam ex æquiſsimo loco diſpoſitis utrinq; tormentis intrantes oppreſſurus. Paulò ſiquidem antè Grimanus Patriarcha cum Pontificijs triremibus è Corcyra progreſſus, ad fauces eiuſdem Ambracij ſinus, Preveſam oppidum in ipſo Actiaco promontorio poſitum, admotis triremium proris oppugnare adortus fuerat. Sed is conatus explorandi cauſa ſuſceptus, eum habuit eventum, ut quum Iuſtiniana triremis Paulo duce audacter arctas intraſſet fauces, atque aliquot hoſtilium tormentorum ſiniſtro navis latere pilas excepiſſet, expoſiti ſint in terram milites cum tribus tormentis, quibus & à terra, & à triremibus aliquandiu quaſſatum Preveſæ caſtellum fuerit, ſic ut

appa-

appareret expugnari potuiſſe, niſi Turcæ, ab Aetolia acciti, ab obſeſsis cum valida equitũ & peditum manu ſupervenientes, noſtrosq; magno clamore edito aggreſsi aliquot interfectis & vulneratis, reliquos in mare umbilico tenus ad ſcaphas triremium cõfugere coegiſſent: quanquã Alexander Interamnas, peditum præfectus, vel graviter ſaucius aliquandiu conſtanter Turcarum impetum ſuſtinuiſſet. Per hunc modum Patriarcha repulſus, ſublatis in naves, quæ expoſita fuerant tormentis, Corcyram rediit, nihil eius conſilij pertæſus, poſtquam quales eſſent anguſtiæ ſinus exploraſſet, atque hoſtium claſſem toto ſinu ad anchoras ſtantem ex propinquo proſpexiſſet. Conceſſerant tum claſſes noſtræ in Gomunitiæ portũ, quæ eſt contra Corcyram in continenti, ad eum locum uberrimæ aquationis, qui antiquitùs Regij fontis nomen tulit, atq; ibi præfecti omnes, quídnam primùm tentandum foret, dictis ſententijs conſultabant. Referente autem, quæ viderat, Patriarcha, ante alios Ferdinãdus Gonzaga eius erat ſententiæ, ut expoſitis militibus atque tormentis Preveſę caſtellum magna vi expugnandum cenſeret. Quo expugnato, conſtitutisq; in promontorio, caſtelliq; ruinis maioribus tormentis elabi non poſſe hoſtem, atq; eius claſſem ſummis detrimentis affici atque deleri poſſe diſſerebat. Nam ut egreſſus hoſti totus eriperetur, in ipſis faucibus onerarium navigium lapidibus magnis minutisq; repletũ demergi iubebat: atq; item tres galeones, qui erant è tota claſſe tormentis inſtructiſsimi contra oſtium earũ faucium produci conſtituiq; valido atq; obliquo rudentum nexu in anchoris iubebat, ut ſi Barbaruſſa ſinu evadere in altum conaretur innumerabilium pilarum procellam in limine faucium exciperet, atq; ibi omnino demergeretur. Ad ea Auria reſpondit, id Gonzagæ conſilium dictu quidem ſpecioſum, ſed factu, atque exitu periculoſum atq; difficile videri. Nam primum omnium exponere in terram milites ancipitis periculi rem eſſe, quod credi par eſſet, Aetolicas copias, uti dudum Grimano teſte fecerint, minimè defuturas, quin oppugnatis atque obſeſſis ſuis maturam opem ferrent: quorum ſuperventu noſtros pedites vim incumbentis equitatus ægrè toleraturos appareret, & ſi quid eis iniquo in loco opinione durius accideret, naves profectò onerarias deſtitutas militari præſidio, quod eſſet miſerrimum, hoſtibus prædę futuras. Ipſi porrò peditatui iam in terram expoſito grave periculum imminere: nam ſi aliqua autumnalis tempeſtas ita incideret, ut onerariæ naves pariter, atque triremès à ſcopuloſo litore ſe recipere, & altum ad ſalutem vela dare cogerentur: unde tum ſuppeditari poſſe alimenta, non modò deſertis inimico in litore, ſed ingruentes undique hoſtes pugnando ſuſtinentibus? Id certè evenire poſſe nemo maritimarum rerum peritus dubitarit, ſic ut fortiſsimis viris ſpes omnis receptus, & fugæ importuna malignitate ſubitæ tempeſtatis eripi poſſe iudicemus. Cœlum quidem autumnale ex mutabili natura temporis ad repentinos ventorum turbines edendos paratum non inſanis nautis eſſe pertimeſcendum, uti iam multis recentium naufragiorum exemplis compertum eſſet. Propterea ſi hoſtis extra ſinum ad pugnam elici non poſſet, ipſis tutius atque utilius videri, ſuperari Leucadem, ipſamque Neritum ſaxis aſperam, & directo curſu in Naupacteum ſinum claſſem inferre, ubi & expugnari poſſe Naupactum oppidum, mœnibus non magnopere munitum, & multa obiter oppida, quæ ad intimum ſinum Corinthiacumque Iſthmum pertineant, impunè diripi atque evaſtari poſſe, Græci homines prolixè confirmarent, quòd na-

vigationis iter ſi teneant, accidere poſſe ut Barbaruſſa vel pudore adductus, vel ingenti periculo permotus, ſinu egrederetur, & conſerendæ pugnæ facultatem ipſis optantibus & paratis præberet. Hanc gerendi belli rationem quanquam Gonzaga propoſitas difficultates infirmare & tollere contenderet, Capellius ipſe & Patriarcha probare viſi ſunt, utpote qui maritimo potius quàm terreſtri conatu audendum eſſe cenſerent, ſubitæque tempeſtatis pericula potius quàm hoſtes, quos æquo mari contemnebant, non temerè formidarent, Naupactumque ſi expugnaretur, quòd Veneti imperij Methonenſi bello fuiſſet, ipſis ex lege fœderis acceſſurum ſperare poſſent. Exinde Auria conſtitutis totius claſsis ordinibus è Gomenitiæ portu profecturus, onerarijs navibus, quæ erant ſeptuaginta duæ, Francum Auriam gentilem & propinquũ ſuum præfecit, quòd magni uſus maritimis in rebus haberetur. Ex his tamen quatuordecim Alexandro Bondelmerio attribuit. Is enim univerſam anteire claſſem & Franci navigationem obſervare iubebatur. Sed quinque etiam triremes (eę ſiquidem in univerſum erant numero centum & triginta quatuor) delectæ ſunt, remigio & velis maximè agiles atque expeditæ: proptereaque ſpeculatoriæ vocabãtur, quæ galeonem contra ſinus fauces dare anchoras, & conſiſtere iuſſum præcederent, atque hoſtilis claſsis motus explorarent. Turcicæ namque triremes quatuor cum expeditis totidem biremibus ſinum egreſſæ per fauces in altum evaſerant. Sed conſpecto galeone ut triremes noſtras, quæ adverſum ſe directis roſtris impetum facturæ videbantur, effugerent, eludendo rurſus intra fauces ſe receperũt. Itaq; Auria dato ſigno, ut reliquæ claſſes ſe conſequerentur, ad Preveſam contendens, univerſas triremes extendit, ita ut ab hoſtibus facilè numerari poſſent: quoniam ſi minora navigia ſuopte ſtudio voluntateq; claſſem comitantia recenſerentur, iuſta ſupputatione ſupra quinquaginta & ducentorum navium numerum impleviſſent. Quo ſpectaculo magnus (uti aiunt) timor Barbaruſſæ animum inceſsit, qui tametſi natura intrepidus, noſtrorum virtutem & diſciplinam non magnoperè formidandam putabat: ingẽtis tamen claſsis amplitudine atq; apparatu vehementiſsimè permovebatur. Neq; enim maior à priſcis temporibus in Ionio noſtrorum claſsis conſpecta fuerat, ita ut quidam Eunuchus ex Solymani ianitoribus Barbaruſſæ comes datus, eum cunctantem ſubtimideq; perplexum inurbanis & planè ſuperbis verbis inſolenter obiurgaret, quòd in provocãtes Chriſtianos & pugnam cientes, non ſtatim ſinu erumperet, atq; eos adoriretur: qua in re non ſalutem ſuam, qui conſpectum hoſtis ferre non poſſet: ſed Solymani imperatoris decus reſpicere deberet, qui gloriæ ſuæ multũ ſplendoris ea turpi cunctatione detrahi nollet. Pro dignitate ſiquidem Ottomanici nominis experiundas eſſe vires. Nam ſi bello fortis & pugnax eſſet, uti profiteretur, non deſperandam eſſe victoriam. Quòd ſi fortuna votis virtutiq; Turcarum invideret, non defuturos Solymano trierarchos, ipſis ſi vincerentur meliores, & Ponticas ſylvas tantam ad cõficiendam claſſem materiam ſuppeditaturas, ut duplo maior & ornatior viris atq; remigibus claſsis ędificari facilè poſſet. Poſtremò id quoque addidit Eunuchus, Barbaruſſę cavendum eſſe ne metu honeſtiſsimę mortis, quæ adverſo etiam prælio eſſet incerta, ab irato Solymano fœdæ necis periculũ ſubiret. Nec mora vociferante adhuc Eunucho, converſus ad Salechum archipiratam: Ergo, inquit Barbaruſſa, vir fide virtuteq; præſtantiſsimè, nobis ut video, vel iniqua conditione pugnę fortuna tentanda eſt, ne huius ſemiviri

latran-

latrantis delatione pereamus, atq; ita claſſem educere cœpit, quum iam Auria ad Leucadē vela flecti iuberet, ratus hoſtem his faucibus timore præpeditum egredi non auſurum. Tenebat propoſitæ navigationis curſum Auria, & ſecundo uſus vento ad Leucadē provehebatur, quū à ſpeculatoribus, qui in carcheſio ſummi mali galeonis Bondelmerij conſtituti erant, Auriæ ſignificatū eſt, hoſtilē claſſem exire ſinus anguſtias & ſiniſtrorſum ſecundū litus flecti. Hanc oram, quā Barbaricæ claſsis ſiniſtrum cornu lambebat, paulò antè Grimanus præoccuparat, eo conſilio, ut ſi hoſtis ab anguſtijs prodiret, cōmoditate litoris excluderetur. Sed non multo poſt iter mutare iuſſus, atq; inde recedens ad reliquas ſociorū triremes ſe contulerat, atq; ita evenit ut Barbarus terræ litus obtineret. Nam callido pro neceſsitate utens cōſilio, ſi ab noſtra claſſe impotenter urgeretur, proris in hoſtes obverſis terræ puppes applicare, expoſitiſq; militibus à terra claſſem exarmatā viris atq; tormentis, uti uſus poſceret, minorē navigiorum, quàm virorū iacturam fore iudicans, defendere decreverat. Cæterū Auria ea erumpentis hoſtiū claſsis ſignificatione cōmotus, ut qui iam triremes ad ſtationem ſub Leucade, quæ Suelſula dicitur, adegerat, tametſi quòd non putarat accidiſſet: animū tamen egregie componit, & claſſem uti imperatum anteà fuerat, ad ineundam pugnam comparare ſeſe, & prætoriæ ſuæ ſigna ſequi iuſsit. Iam tota Turcarum claſsis in apertū pelagus evaſerat, eo ordine, ut Hariadenus ipſe mediam teneret aciem, ubi eius prætoria purpureis pluribus vexillis exornata cōſpiciebatur. Dextrum latus obtinebat Tabaches: ſiniſtrum verò Salecus pari propè triremium numero inſtructi, qui Tunetanis prælijs inclaruerant. Nam eo die Barbaruſſa produxit octoginta ſeptem triremes: biremes autem roſtratas circiter triginta robore triremibus pares: leviores verò triremes & mioparones tot erant, ut navigiorū omnis generis centū quinquaginta, quæ remis agerentur, ſummā efficerent. Mediæ autem aciei cohærebant cornua, tanto ordine, ut quo verteretur prætoria alas extendentis aquilæ ſpeciem præberent, fatereturq; mirabundus Auria, ſicuti hæc eum poſtea narrantem audivi, neq; habilius, neq; firmius, aut omnino decentius claſſem à perito duce educi potuiſſe. Antecedebant Barbaruſſæ claſſem triremes circiter viginti, partim roſtratæ, partim leviores, quæ omnium erant velociſsimæ, cui præerat Draguthes archipirata, multis poſtea in noſtros maleficijs clarus. Conſtat Capellium ineundæ pugnę avidū, è ſua puppe in ſcapham deſcendiſſe, advectumq; ad prætoriam Auriæ, illum compellaſſe his verbis: Quid tibi, inquit, princeps, hac propoſita pręlij edendi longè pulcherrima occaſione faciundum ſit vides: ego certè, ſi me fortè cum Venetis triremibus te gnaviter ſequuturum dubitas, iam à te ad declarādam Veneti ſenatus voluntatem, ſtudiumq; meum primam aciem depoſco, primaq; pręlij pericula fortiter ſubibo: ſplendidumq; thoracem, quem induerat, oſtendens, & palma pulſans: in hoc enim uti pium & impigrum decet Venetum præfectum, aut glorioſè vincam, aut victus honeſtiſsimè occumbam. Egit gratias Auria, laudatoq; eius ingenti ſtudio, rogavit, ut ſe præeuntem ſubſequeretur, & quid fieri oporteret, intētus obſervaret: ſe enim quid fieri vellet, opportunè ſignum daturū. Iam prima biremium manus ad galeonē appropinquabat, & aliquot triremes à Saleco miſſæ, id ingens navigiū oppugnabant: ea tamen conditione, ut quū non multū appropinquarēt, nec ob id multu nocere poſſent, neq; in eos pariter è multo ſpatio Bondelmerius tormenta contorqueri ſineret, non multum utrinq; proficeretur. Ex-

pectabat enim vir rerum naualiũ apprimè peritus, vt propius accederetur, ex improuiſo ſæuam omnis generis tormentorum procellam in ſubeuntes effuſurus. Neq; eum fefellit opinio: nam Turcæ audacius accedentes, adeo graui glandium & pilarũ grandine perfuſi ſunt, vt inhibere remos, & magno accepto detrimento trepidè ſe recipere cogerentur. Auria interim reuocabat naues, quæ præceſſerant, & galeonem ſuum remulco protrahi iubebat, & triremium trierarchos intercurrentibus per nauiculas nuncijs hortabatur, vt ſeſe animis ad ineundam pugnã confirmarent paratiq; eſſent ad imperia, quũ tubæ cantu atq; explicato maximo vexillo ſignum daretur. In eo autem conſilio, decretoq; erat Auria, vt niſi onerariarũ nauium fretus præſidio, confligendum ſibi non eſſe iudicaret, vti poſtea confirmatione maiorum minorumq; ducum, qui aderant, didicimus. Idem pariter aſtutus hoſtis prouidebat, qui pari vtrinq; triremium concurſu procul ab onerarijs, quę caſtellorum erant inſtar, dimicare cupiebat. Nam tum fortè ventus omnis ita ſubſederat, vt æquora ad edendam nobilem pugnam pacata fluctibus & planè conſtrata præberentur, et Patriarcha prouectus ad Auriam eam inuadendi, delendiq; procul dubio hoſtis facultatẽ non prętermittendam prædicaret, tantoq; ardore vociferaretur, vt propinquiores trierarchi inuitantis vocem audirent, maximeq; mirarentur quòd Auria rem prælio committere dubitaret. Is enim onerarias naues in vnum coeuntes ingentibus gyris atq; meandris ſubſequente triremium ordine circuibat, & ex nauali peritia, nouum aliquod atq; inexpectatum hoſti facinus editurus videbatur, ſic vt id ipſe perſpicax & minimè prçceps Barbaruſſa, vti poſtea compertum eſt, facilè crederet. Id Auria crebro rotatu claſſem ſuã circuens, ea ratione faciebat, vt ad ſe hoſtiles triremes perliceret, & in prouectas è caſtellis excelſarum nauium propius & certius tormenta dirigerentur, atq; ipſe demũ in perturbatas, quæ erat certa vincendi ratio, directis proris inueheretur. Interim ſubſiſtente Barbaruſſa, & quorſum ea hoſtis flexuoſa nauigatio recideret ſpectante, quòd dolum aliquem ſuſpectaret, cornuum ſuorum triremes, iam vergente ad occaſum ſole, diuerſis in locis rem gerebant, pars in oppugnando galeone fruſtra perſeuerabat, pars aggreſſa onerarias duas, in quarum altera Buccanigra cum ſua Hiſpanorũ cohorte vehebatur, in altera erat Macinius Mongaia Cantaber, vſq; adeo grauiter coniectis in eas pilis afflixerat, vt perrupto malo in cenſiſq; velis, & multis Hiſpanorũ & nautarum interfectis, periturę crederentur. Alia verò pars duas onuſtas commeatibus circumuentas naues, quarum altera erat Veneta, altera Dalmatica, coniectis ignibus concremaret: paucis in ſcaphas deſilientibus, aut ad propinquas ſociorum naues adnatantibus. Duas etiam triremes ſub ipſum crepuſculum, quæ lentiore vtebantur remigio Salecus intercepit, quarum trierarchi erant Mozenicus Venetus, & Bibiena Etruſcæ ſtirpis vir ſacratus. Secundum has triremes capta eſt Aloiſij Figaroæ Hiſpani nauis, tametſi ſuæ cohortis milites aliquandiu pugnaciſſimè ſe defendiſſent. In ea captus eſt cum ipſo Figaroa patre filius adoleſcens nobiliſſimæ formæ, qui poſtea deductus ad Solymanum Mahometis ſacra ſuſcepit. Is quum principis cubiculo aſſueuiſſet, poſt tertium carceris annum miſero patri libertatem impetrauit, donatumque liberaliter in Hiſpaniam remiſit. Tum verò cum tonitru turbatis nubibus grauis imber & procella flantibus Euris exorta eſt. Nec dubitauere noſtri, quum vidiſſent Barbaros attollere dolones, quin & ipſi præeunte Auria dolonibus ſimul et maioribus expanſis velis, ſe inde expli-

de explicarent, & quò ventus ferebat, ad Corcyram unde venerant verterentur, uſq; adeo diſsipatis agminibus, ut intēto etiam remigio nequaquam ſe recipere, ſed confuſè & turpiter effugere viderentur: ſic ut Auria tanti uſus, tantæq; peritiæ, & tantæ deniq; exiſtimationis mari dux, eo die nullus Imperator extiterit. Ferunt Barbaruſſam noſtros eodem vento ad aliquantum ſpacium perſequutum, nec quem hoſtes elabendo curſum tenerent, per tenebras planè cernentem ſubſtitiſſe: quoniam noſtri duces in ſingulis ſuis prætorijs lumina extingui iuſsiſſent, quæ erectis ad puppem ingentibus laternis præferri ſolita ſunt. Proinde ipſum in cachinnum verſum ſæpe repetiſſe hęc verba Hiſpanico ſermone prolata: Ergo Auria lumen abijcit, ut certius fugam ſuam tenebris recondat. Quaſi miraretur noſtros tanquam magno metu occupatos, omnis decoris, modò ſe eriperent, obliviſci, quàm manus conſerere maluiſſe. Ea verò apud omnes Corcyræ applicantes opinio fuit, ut præclaro oborti repentè venti beneficio, vel cum ignominia è ſummo periculo ſe ereptos faterentur. Cęſariani autem præcipueque Ligures, ut Auriæ nomen ab omni infamia vendicarent, tam fœdi exitus culpam ex obliquo in Venetos referebant, quòd ab initio præſidium Hiſpanorum militum, quod diſtribui in Venetas triremes debebat, ut propugnatoribus firmiores in congreſſu hoſtium evaderent, ſuperbè repudiaſſent. Venetis namque triremibus non planè confiſum Auriam, & propterea temperaſſe à prælio diſſerebant: ob idque præſertim, quòd evadente anguſtias Barbaruſſa, illæ fermè omnes collectis velis & per iuncos ad antennas ſubligatis, eas ad ſummitatem mali celeriter eduxiſſent, ſcilicet ut repente præciſis iuncis, expedita ad quem vellent fugæ curſum vela ventis inflanda præberent. Quum in ea mutui erroris obtrectatione, mœſticiaq; & dolore turpiſsimi eventus verſarentur, Macinij Cantabri navis, vel quaſſata perforataque quæ perijſſe credebatur, Corcyram applicuit: eius autem Macinij mira conſtantia fuerat defenſa. Nec multo poſt ipſe Barbaruſſa non contentus noſtro dedecore, nec hoſtes inopinata procella ſibi è manibus ereptos æquo animo ferens, ad Paxum inſulam provocabundus ad pugnam pervenit. Ea inſula centum ferè ſtadijs ab ultimo orientali, quod Phalacrum olim fuit, Corcyræ promontorio diſtat: ſic ut exprobrare noſtris fugam, & ſi è portu prodirent, cũ eis acie congreſſurus eſſe videretur. Quamobrem Gonzaga fremens, ut qui ſuperbi hoſtis arrogantiam ferre non poſſet, ſingulos adijt duces, rogavitque, ut pro dignitate Chriſtiani nominis animos viresque componerent, & feliciore virtute inſolentis Barbari vim omnino retundere niterentur: resque eò deducta eſt, ut Capellius, quòd anteà nihil tale iubente ſenatu ſuſcipere recuſarat, Hiſpanorum certa præſidia quę offerrentur, ſe in triremes recepturum polliceretur, quaternaque acie Barbaros invadere decernerent. Quartam enim aciem Ferdinando Gonzagæ honoris cauſa attribuerant. Verùm hæc conſultatio tam diu prolata eſt, ut Barbaruſſa adverſam circa nonas Octobres metuens tempeſtatem retrocederet, & ſibi abundè ſatisfactum exiſtimans in ſinum Ambracium reverteretur. Ab ipſo autem hoſtis diſceſſu de expugnando Dyrrhachio cogitatum eſt: ſed quum à Capellio totius Dyrrhachini litoris ſtationes navigijs malè fidæ prædicerentur, non multo poſt in Rizonicum ſinum, quem Catareum vocant, curſum direxerunt, ut Caſtronovum Turcicæ ditionis oppidum, in eo ſinu poſitum expugnarent. Ea enim forma eſt & natura ſinus, ut tutiſsimum atque ingentem præbeat portum, mareq; ſeſe ad Orientem

torquens in intimo receſſu Catharum, oppidum Veneti imperij alluat: ſic vt per quaſdam fauces, quæ protracta cathena præcludi poſſint, nauigijs adeatur. Tota regio apricis, & egregiè cultis collibus peramœna eſt. Sed Catharum, obſtantibus ad dextrã montibus, ita opacum redditur, vt incolæ ſub brumam breuisſimis ſolibus vtantur. Caſtrum autem nouum, quod multis antè annis Cherſego regulo à Mahomete fuit ademptum, apricius eſt, ſed nequaquam Catharo munitius. Caſtrenſium ædificia ab infima oppidi parte, quæ mare alluitur, & turritam munitionem inſtar arcis habet, per dorſum collis aſſurgunt. In ſummo autem Caſtellum habet natura potius, quàm arte munitum. Oppidani partim Dalmatici, & partim Epirotici ſunt generis: ſed qui iampridem immixti Turcis à Chriſtiana religione defecerant: mercaturæ ſtudent, & paruis nauigijs quæſtum faciunt. Nulli Turcæ milites erant in præſidio, quum binæ tantum quas diximus infimæ munitionis & ſuperioris caſtelli arces, à paucisſimis Turcis cuſtodirentur. Itaq; intrantibus ſinum claſſibus, magna vi admotis tormentis, priuſquam oppidum ab incolis aliquandiu defenſum caperetur, ſocij nauales Venetæ claſſis per remos murum ſcandentes ad infimam partem intrarunt, & mox ab expoſitis Hiſpanis oppidum quoq; perrupto muro captum eſt, quum ibi duo inſignes cohortium præfecti Buccanigra Hiſpanus, & Cæſar Ioſias Firmanus interfecti cecidiſſent. Multa eius oppidi, ſed nequaquam pretioſa domeſticarum rerum præda fuit: ſed ingens omnis ætatis & ſexus incolarum multitudo in ſeruitutem abducta eſt: quanquam multi ex his nunquam ſe à cultu Dei Chriſti diſceſſiſſe dicerent. Triduo poſt, ſuperius caſtellum præſidiarij Turcę fruſtra pacti incolumem fore libertatem, & vitam, dediderunt. Quum id oppidum communibus viribus captum ex fœdere Venetis deberetur, occupatum eſt ab Hiſpanis, quos Auria Ferdinanduſq; Gonzaga extra Italiam alere cupiebant. Itaq; vel ægrè permittente, & è Venetijs ſuper ea re ſenatus conſultum expectari debere fruſtra poſtulante Capellio, Franciſcus Sarmentus cum quatuor millibus veteranorum militum, qui apud Inſubres à ſcelerata ſeceſſione, regionem ad Galeritum oppidum peruaſtarant, Caſtronouo præpoſitus eſt. Eam rem moleſtisſimè tulit ſenatus, quòd id oppidum communibus partum armis non ſibi ex lege fœderis, ſed Hiſpanico præſidio conceſſum fuiſſet. Suſpectabat enim Hiſpanorum ingenia auida imperij, atque aſſueta rapinis & maleficijs, tanquam ex occaſione Catharenſium rebus vim allatura: vſq; adeo indignanter eam iniuriã patritijs æſtimantibus, vt auerſo à Cæſarianis animo ſuſceptæ eius detrimentoſę expeditionis ſingulos patres pœniteret, & decemuiri in ſpem pacis inducias à Solymano petendas eſſe decernerent: quę vel ob id opera Laurentij Griti, iqui Andreæ principis fuerat filius, benignè atq; celeriter impetratæ ſunt, quoniam Galliæ regis legatus Antonius Rinco Byzantij purpuratos opportunè docuerat id fœdus, quod apud Neapolium cum Cæſare à Venetis diſſentiente multo maxima ſenatus parte percuſſum fuiſſe, inuitiſq; demum ferè omnibus id recens bellum ſuſceptum eſſe memorabat. Quum hæc agerentur, nunciatum eſt, Barbaruſſam, vt Caſtrenſibus opem ferret, eduxiſſe claſſem: ſed quum ad Saxonem inſulam perueniſſet, aduerſa tempeſtate oborta non modo retentum fuiſſe, ſed aliquot triremium, quas atrox ventus Africo atq; Auſtro permixtus Acroceraunijs cautibus illiſiſſet, iacturam feciſſe diceretur: vti facilè apparebat ex armamentis, eiuſque naufragij fragmentis, quæ toto ferè Dalmatico

litore

litore natantia & eiecta viſebantur. Ea re certius cognita Capellius eius animi fuit, ut eductis claſsibus Barbaruſſam eo incõmodo perturbatũ perſequeretur, cui cõſilio favebat & ipſe Gonzaga, qui amiſſum decus ad Leucadẽ nobili aliquo facinore edito redimendum eſſe diſſerebat. Sed Auria multis de cauſis tanquam importuni auſus conſilium facilè improbans, ſibi in Italiam redeundum ita ſtatuit, ut continuò vela ventis daret, plurimùm indignante Capellio; qui advocatis ſuæ claſsis trierarchis omnibus contumelioſam rationem in Auriam effudit, ita ut ſeipſum deteſtaretur, qui ſe alieno imperio ſubieciſſet, eosq; moneret, ne unquam externi cuiuſquam præfecti imperia ſubirent, poſtquam vel ignavia vel malignitate homo Ligur, Veneti nominis antiquus hoſtis, conceptæ atq; exploratæ victoriæ deeſſe, & Italicæ navalis diſciplinę exiſtimationem, fœdo importunæ ceſſationis & fugæ exitu dedecorare voluiſſet. At Auria conſilio apprimè gravis hæc verba, atque hoſce vel adverſos de ſe rumores facilè contemnebat, quum cuncta quæ ageret, ad commodum Cæſaris revocare eſſet ſolitus: ita ut per ironiam Valerius Vrſinus, qui tum aderat Veneto ſtipendio addictus, nihil niſi peritiſsimè & conſultiſsimè ab Auria adminiſtratum atque omnino geſtum diceret, quando Venetos cum Solymano commiſiſſet, & diuturno maximè bello ianuã, uti exoptare videri poſſet Cæſar, vel ipſis nolentibus Venetis aperuiſſet: & id certè ne amiſſo quidem ullo navigio probè præſtitiſſe iudicari deberet. Non deerant ſiquidem factioſæ malignitatis homines, qui interpretarentur id contractum cum Turcis bellum, magno Cæſari commodo ceſſurum, quòd Venetos tanti irritati hoſtis vim terra marique diu non eſſe laturos appareret: ideoq; eos tanquam exhauſtos opibus, atque pecunia, eò brevi redigi poſſe aſſeverarent, ut his terreſtris eorum imperij urbibus, ſuperioribus temporibus impotenter occuparint, aut vi, aut aliqua demum pactione, quam neceſsitas exprimeret, uti nuper conſpirantium regum bello feciſſent, decedere cogerentur. Cæterùm Caſtronovo capto, atque his, quæ diximus, Hiſpanorum præſidijs Sarmento duce impoſitis, atque obiter abeuntibus claſsibus eam iniuriam uſque adeo graviter atque ſuperbè Solymanus tulit, ut magno apparatu id oppidum, terra marique repetendum decerneret, augeretque iratus Venetis in Peloponneſo copias, quibus & Nauplium & Epidaurus acriter oppugnarentur ſimul & vehementer obſiderentur. Singulare autem gaudium concepit, quòd totius propè Chriſtiani nominis claſſes, quas anteà plus æquo magnifacere erat ſolitus, adverſum ſe coactas Barbaruſſa omnibus propè rebus inferior omni exiſtimatione ſpoliatas, toto mari effugere coegiſſet. Ineunte igitur Vere, Barbaruſſa refecit claſſem, & novos remiges in ſupplementum maritimis regionibus imperavit: atque eum, uti oportebat, propugnatorum ex Ianizeris præcipuè numerum, & exercitatiſsimum quemq; ex alijs ordinibus, in claſſem deſcripſit, duasq; ingentes onerarias naves, quas Mahonas vocabat, ad ferenda totius tormentarij apparatus, & caſtrenſis inſtrumenti onera celeriter ædificavit. Decretus quoq; eſt in id bellũ dux alter, qui terra rem gereret Vlamanes Perſa. Is bellicæ virtutis commendatione in demortui Vſtrephi locum in præfectura Illyrica, quam Boſnenſem vocant, ſuffectus fuerat. Hunc enim alibi à Tammaſo Perſarum rege transfugiſſe memoravimus. Hic operam dedit, ut ſeptem minores Sanzachi cum eorum equitum aſſuetis turmis è proximis regionibus ſibi adiungerentur, conduxitque non multa pecunia pedites eius generis, qui Haidones, V-

ſcoghi, Martelloſij, Chymeriotæ, & Morlachi vulgo appellantur, agreſte hominum genus, ſyluis atq; nemoribus prædandi cauſa aſſuetum: ſed durum & velox, indomitiq; vigoris aduerſus omnes cœli iniurias, & in omne belli facinus paratum atq; expeditum: vtpote qui nudis pedibus, aut tantum carbatinatis per rupes & cautes confragoſarum vallium aſperrimorumq; montium crepidines, mira, vti in capreis videri eſt, celeritate diſcurrant: & ſagittis & fundis eminus, cominus autem præpilatis quibuſdam ſparis, paruiſq; ſecuribus, ab ancipiti mucrone, quum eas nonnunquam contorqueant mortiferis, in hoſtes vtantur. Hos enim Vlamanes, non qui pugnarent modò, ſed qui opus facerent, munitionesq; erigerent, maximè idoneos (vt Turcis parceret) & propè ſibi neceſſarios exiſtimabat. quibus omnibus Teſtegim Turcam præfecerat, qui Habraimi Baſſæ citharædus fuiſſe, & improba delatione illius damnationem maturaſſe dicebatur. Itaq; adulta æſtate, quum Barbaruſſa educta Helleſponto claſſe in Rizzonicum ſinum perueniſſet, eodem tempore Vlamanes cum triginta millibus equitum & peditum in ſummis montibus ſeſe oſtendit. Barbaruſſa prius quàm primas ſinus fauces intraret, Draguthem & Corſetum piratas cum triginta validis biremibus, quas galeottas vocant, ad explorandum præmiſit, ita vt Caſtronoui mœnia accedentes, ſinu quodam á tormentis ſe protegerent, indeq; aquatum ad proximum fontem, quem Artifarium appellant, in terram exirent, in quos extemplò Sarmentus Macinium Mongaiam cum ſua cohorte, et Lazarum Coronæum cum turma equitum erumpere iuſſit, commiſſoq; certamine Turcæ multis eorum interfectis & captis terga dare, & ad Galeottas adnatare coacti ſunt. Exinde Barbaruſſa applicuit cum nonaginta triremibus, & tribus quas diximus Mahonis, totumq; triduum abſumpſit in exponendis tormentis, erigendisq; eorum munitionibus, quæ niſi noctu adminiſtrari perficiq; poterant, propter perpetuam tormentorum omnis generis pilarum procellam, quæ in opus facientes ab Hiſpanis effundebatur, ſic vt eo triduo Turcarum amplius mille tormentis icti interfectiq; ſint, in queis & ipſe cecidit Agis Hariadenus, qui in Africa ad Taioream vrbem iuxta Tripolim ſeſe regem effecerat: cuius morte Barbaruſſam non mediocri dolore affectum ferunt, quòd inter veteres amicos longè omnium prudentiſſimus atq; fortiſſimus haberetur. Barbaruſſa multo cum labore cædeque ſuorum perfectis quæ inſtituerat operibus, ſupra quinquaginta quatuor maioris generis tormenta promouit, in queis erant duplices colubrinæ ſeptem, ſtupendæq; item magnitudinis quatuor baſiliſci, qui ferreum amplius centum pondo globum euomebant. Reliqua erant eius generis quæ duplices medijq; canones vocantur: præter ſacros & hierofalcones: atq; item mortaria quæ lapideas immanes pilas in ſublime iaciebant, vt ſupernè decidentes terribili ruina domorum tecta deformarent. Ex hoc numero, vti oportebat, circiter quartam partem Vlamani impertitus eſt, vt à Septentrione diuerſam à ſua oppugnationem inſtitueret. Ipſe enim ab oriente è triplici loco diuiſis muneribus cum Tabache & Halileuano viro Hiſpano, qui iampridem ad Mahometis ſacra delapſus Tunetano priore bello ſingularem peritiæ militaris laudem eximioſq; inde honores apud Barbaruſſam & reliquos Turcas promeruerat, quatere murum cœperat. A mari quoq; Salecus admotis triremium proris certum propugnaculi locum oppugnare iuſſus, eum feriendi muri tenorem ſeruabat, vt quotidie ſub auroram, & quum ſol inclinaret in veſperam denis per vices promotis

triremi-

triremibus murum verberaret. Vſq; adeo autem per aliquot dies acriter & continenter quaſſata ſunt mœnia, vt Sarmentus vel opportunè intus contra procidentem murum noua munimenta noctu præcipuè erigens, ægrè patefecta loca reſarciret, & tam multa tormentorum verberatione magnopere terreretur. Nam tametſi integros nouem menſes vacuos à bello nactus, nihil parcendo militibus aduerſum hoſtes, quos omnino venturos ad oppugnandum ominabatur, nouos aggeres erexiſſet, & reliqua in rem oppurtuna opera perfeciſſet: duabus maximè de cauſis angebatur, quòd ſaxeo in loco glebam & ceſpitem ad conſtruendas ex diſciplina munitiones deſideraret, nec à quoquam maturam opem ſibi afferri poſſe ſperaret. Nam tametſi ab Auria, qui Brunduſino in portu Cæſarianam claſſem continebat, duo nauigia onuſta commeatibus, atque his rebus, quæ ad apparatum tormentorum pertinerent, ſuperioribus diebus acceperat, multaq; adhortatione ipſius Auriæ ſubſidia pollicentis fuerat confirmatus, nihil tamen eum deducta in pugnæ periculum claſſe, qua ipſi ſubueniretur, tentaturum arbitrabatur. Itaq; quum Sarmentus tot ruinis vno tempore vario in loco ſeſe opponere conaretur, Turcæ perampla turre, quę muro interiore quadrato cingebatur, potiti ſunt: eo ſucceſſu, vt ad terrendos noſtros in faſtigio Barbaricum vexillum erigerent, atq; ex ea munitione, quæ erat circa turrem, ſclopettis atque ſagittis primò, mox etiam tormentis inde collibratis Hiſpanos impeterent. Quum impigrè reſiſteretur à noſtris, Sarmentus ad ima fundamenta eius munitionis cuniculum agi iuſſit, quem vulgo Minam vocant, vt ſuppoſitis ex tormentario puluere ignibus, quum Turcæ maximè vrgerent, & in oppidum irrumpere conarentur, ex repentinis flammis diſruptæ munitionis ruina, inopinantes opprimerentur. Sed ea res aduerſum habuit euentum: nam quum ingruentibus Turcis opportunè cuniculo ignis ſubderetur, ea collata materia incēndiarij pulueris, importuno quodam lentore concepto, tardè & ſegniter flammā corripuit: ita vt fruſtra in hoſtes exitum quærens repulſa flamma in noſtros reuerberaretur: multoſq; igne correptos abſumeret, & in his ipſum cuniculi magiſtrum Michaelem Firminum, è Cæſarea Auguſta citerioris Hiſpaniæ. Accidit etiam vt eodem tempore apud ſuperiorem oppugnationem Vlamanes aliquantam ab attigua arce muri partem proſterneret, & Barbari tanquam victores ſublato clamore plurimum exultarent. Quibus rerum difficultatibus adductus Sarmentus edixit, vt qui milites eſſent ſauciati, neq; operam pugnando præſtere poſſent, ſeſe in inferiorem arcem reciperent, quo Aloiſius Arius, et Macinius Mongaïa incommodè vulnerati conceſſiſſent: reliqui autem ſupremum bellicæ virtutis conatum edituri, medio in foro ſe conglobarent, vt non inulti extremum communis Fortunæ caſum ſubirent. Nec mora cruentiſſimum irruentibus Turcis certamen eſt editū, ſed noſtris iniquius, quum plenus imber ſclopettarijs, qui vni omniū peritiſſimè rem gerebant, funiculorum ignes extinxiſſet, & neceſſario non haſtis modò, ſed gladijs vterentur: æquiore Turcarum conditione, qui innumerabiles ſagittas in noſtros ſpargebant. Multi pręterea hoſtiū equeſtris ordinis, pedibus pugnare iuſſi, prælatis equeſtribus peltis incuruos ſuos enſes ita in noſtros exercebant, vt galeas ferreaq; humeralia facilè diſcinderent, atq; ad vnum fermè omnes vel fortiſſimè repugnantes trucidarent: ſic vt vtraq; pars ardore prælij accenſa per ſtrata cadauera peruadere ad ſuum hoſtem, & conſertis manibus pugnare minimè dubitaret. Cecidit in eo conatu

fortisſimè dimicans Cuſanus Burgundus, qui propter ſæpius ſpectatam in prælijs virtutem Hiſpanicæ cohortis præfecturam meruerat. Sarmentus ipſe tribus ſagittis intra galeam os confixus, feſſusq; longa vigilia & diuturno pugnæ labore, in veſtigio aliquandiu tela vitabundus fortiter perſtitit, & quum pugnando honeſtam mortem oppetere quàm pedem referre mallet, & Sancium Friam cohortis præfectum fugam circunſpectare conſpiceret, eum ſeuera voce increpitans manu comprehendit, et locum tueri iuſsit, ſic vt ſecum ingruentibus hoſtibus conſiſtere, atq; occumbere cogeretur. Is namque Frias turbidis & peruerſis conſilijs ſalubria Sarmenti imperia ſæpè contempſerat, & improbitate quadam malignitateq; ingenij meliora, atque oppurtuna ad ſalutem ſuadentibus tranſuerſum ſe præbuerat, & omnium ſeditioſisſimus apud Inſubres fuiſſe ferebatur. Itaq; ambo, nequaquam pari virtute, detruncati ab hoſtibus in veſtigio conciderunt: cæteris omnibus pari ſorte, ſed non eadem generoſi animi fortitudine ad vnum interfectis. Nam quoſdam abieciſſe gladios, vti erant longa dimicatione fatigati, confectiq; vigilijs, ſalutem à Barbaris fruſtra paſsis manibus petijſſe ferebatur. Interfecti ſunt in eo tumultu cohortium præfecti Ioannes Cantaber, Dominicus Arriadanus maior, Seronius Taraconenſis, et Oliuerius Valentinus. Qua ſuorum terribili cæde terrefactus Arius, & qui cum eo in inferiorem arcem confugerant, quòd nullis viribus, quibus ſuſtineri poſſet victor hoſtis, niterentur, deditionis vexillo expanſo ſignificationem hoſtibus fecerunt, atq; ita eos integra fide Hariadenus in ſeruitutem vita incolumi facilè recepit. In his fuere præter ignobilem militum turbam, præfecti ſpectatæ virtutis & dignitatis, ipſe Arius, atq; Macinius, Didacusque Maſchefa. Præterea viri Græci ſtrenuisſimi equitum præfecti Lazarus ipſe Coroneus, et Andreas Scrapula è Nauplio. Reliqui quibus expedita deditio ſaluti fuit, fuere omnis generis hominum circiter octingenti, in quibus eminebat Hieremias Liguſticæ ſtirpis, qui eius oppidi epiſcopatum impetrarat. Hi omnes à Barbaruſſa in ſeruitutem Byzantium aſportati ſunt, præter vnum Maciniū Mongaiam, qui cum ab eo quæreretur, ſolicitareturque impenſius, vt ad ſacra Mahometana deficeret, atq; inſolentius oppugnatæ & conſeruatæ nauis ſuæ caſum iactaret, Barbaruſſa ei iratus ad proram triremis ceruices abſcindi iuſsit. Sarmenti cadauer inter tot occiſorum aceruos agnoſci non potuit, quanquam id Barbaruſſa multæ pecuniæ & libertatis propoſito præmio diligentisſimè perquiſiſſet, quòd caput eius ad Solimanum mittere decreuiſſet. Exinde inflatus victoria, & quòd iam Rizzanum caſtellum in propinquo poſitum Veneti cuſtodes tot hoſtium conſpectu perterriti Turcis dediſſent, Catharo vrbi inhiare cœpit, ita vt vrbis prætorem minacibus literis ſolicitaret ad dedendam ſibi vrbem, ac niſi continuò portas aperiret, ſe mœnia tormentis aggreſſurum denunciaret. Erat is prætor patritij ordinis, nomine Ioannes Matthæus Bembus, inſigni virtute conſtantiaq; animi præditus. Is per literas Barbaruſſæ reſpondebat, nullum Catharo in vrbe Ottomannis ius eſſe, propterea ſi vim inferret, cum recentium induciarum, quas conceſsiſſet, leges violaturum non ſine contumelia ſui imperatoris, qui nunquam iuſiurandi fidem fallere conſueſſet. Quod ſi iniquo iudicio rem ad arma deducere cuperet, ipſum qui cum imperio præeſſet vrbi, daturū operam vt improbè vim illatam paribus tormētis propulſaret. Ad ea ſubiratus victor Barbarus in vltimū ſinus receſſum aliquot triremes promouit, diſploſisq; tormentis oppugnaturi ſpeciem

ciem

ciem præbuit. Cui Bembus prætor egregiè conſtans & impauidus, totidem tormentorum ſuorum bombis & pilis ſtrenuè reſpondit, & præſidium armatum in mœnibus Barbaris oſtendit. Quare animaduerſa Barbaruſſa inhibuit remos, reuocatisq; anterioribus nauigijs ad Caſtronouum eſt reuerſus, delinitusq; exinde prætoris Bembi muneribus, nihil expectata induciarum fide, quam paulo antè de ſcripto exegerat, ſinu exceſsit, rogauitq; Bembum, vt præclaro induciarum teſtimonio præbito, quibus poſſet rebus Vlamanem Illyricæ prouinciæ præfectum amicè ſubleuaret. Caſtronouo per hunc modum, vt diximus, à Turcis fortiter expugnato, atq; inibi Hiſpanis ad vnum omnibus aut trucidatis, aut ſi qui ex deditione cædeq; ſuperfuiſſent ad tranſtra triremiũ relegatis, noſtrorum ducum animis non dubius cum pudore timor inceſsit; facilè reputantibus quales quantæq; forent Barbarorum militum vires, quantæq; opes Solymani ſuperbi hoſtis terra mariq; ad propulſandam vindicandamq; iniuriam nuper excitiſſent: ſic vt pijs animis homines inteſtina bella atque diſsidia principum magnopere deteſtari inciperent, & de concilianda pace ſacroq; bello communibus ſtudijs cogitandum arbitrarentur. Quum verò Vaſtius Mediolani fortiſsimæ legionis interitum deploraret, Inſubres ipſi tacitè lætabantur, diuiq; Donati numen frequentatis paſſim altaribus impensè percolebant: cuius numen ritè factas à populis immaniter dereptis in Hiſpanos execrationes nequaquam inanes eſſe voluiſſet, poſtquam ipſo die annuo eius memoriæ dicato, ad ſeptimum Idus Auguſti rapaces homines maleficiorum pœnas dare coegiſſet, & id aliquanto cumulatiùs quàm non planè decumatis Sicilienſium Hiſpanorum cohortibus accidiſſet. Admonebantur autem noſtri principes attenuatis opibus infirmi, vt magis & magis cogendo auro vacarent, quod vel cum incomparabili ſubiectorum eorum imperijs populorum iniuria acerbitateq; diligentisſimè faciebant, honeſtam ſacri belli ſuſcipiendi cauſam præferentes: vaniſsima tamen, & ſemper vſurpata ratione, poſtquam priuato potius commodo cupiditatiq;, quàm publico decori publicæq; ſaluti ſtudere conſueuiſſent: maximèque mirarentur, cur Solymano ab inexhauſtis theſauris, tot pecuniæ in bellicos ſumptus ſuppeterent, quum ipſi vel ſemper expilando prędandoque, vnius tantum belli copijs ægerrimè ſtipendia ſoluerentur: & Barbarum ex aduerſo, pluribus ſimul in locis terra marique diuerſa alere bella perſpicerent, vt tum acciderat quum, eodem anno Ottomannica arma ad opugnandos Luſitanos in Indiam vſque protuliſſet. Ædificata ſiquidem, vt diximus, ad Suetiam, olim Arſinoes, portũ Rubri maris ingenti claſſe Solimanus Eunuchus cum Moro Alexandrino, ſinus Arabici anguſtias egreſſus, prætervectusq; Perſici maris ſinum ad Indum vſque amnem peruenerat: magnisq; viribus Dium vrbem, Luſitanorum portum, ad fluminis fauces poſitum oppugnarat. Cuius belli is exitus fuit, vt Eunuchus poſt oppugnatos per multos dies terra mariq; Luſitanos, quum eos indomitæ virtutis eſſe reperiſſet, incœpto abſiſtere, & deſertis maioribus tormentis ad Ademum, nobiliſsimi emporij vrbem, redire ſit coactus, vbi planè fractus animo, quòd nihil ex voto proueniſſet, ipſum Ademanum regem, ſub fide ab ſe vocatum, in antenna prætoriæ ſuæ laqueo ſuſpendit, eiusq; gaza omni ſurrepta, vrbem clauſtris complectentium ſe montium, & lapideo inſigni muro munitiſsimam, occupauit. parq; ſæuitia appulſus ad Zidæ portum, vnde terreſtri demum itinere Mecha vrbs, totius Arabiæ ſepulchri Mahometis religione

clariſſima aditur, Zibitinum regem, ſumptuoſis muneribus gratiam eius appetentem interfecit, præſidiis eius aulę omnibus ſub fide immaniter trucidatis, ſic vt mox ille ſemiuir apprime rapax & cruentus ad Mecham deferretur, vt ſe apud pſeudoprophetæ fontem expiandis tot ſceleribus religioſè ablueret, Moro cum claſſe ad Suetiam redire iuſſo. Huius Rubri maris ſiue Arabici ſinus longitudo à Suetia ad ipſas freti anguſtias mille, & quadringentis paſſuum millibus extenditur, quum latitudo maior vix ducentorum milliarium ſummam impleat. Id verò totum quandam humani cruris figuram exprimit, quandoquidem abſcedentibus vtrinque litoribus ſenſim ſe aperiens magis ac magis paulatim dilatetur, donec ad anguſtias quas vocant Azanias in fauces coarctetur. Ab his olim Oceanum à meridie Auſtri flatibus intumeſcentem illac violento impetu ſe infudiſſe ac deuoratis terris eum ſinum effeciſſe perhibent, multis refertum inſulis & ſcopulis, proptereaque nauigantibus importunum. Inſularum longè maxima circa medium ſinus affirmatur Camerana, quæ tamen tota ferè inculta eſt, extantibus tantum quibuſdam arcium veſtigiis. Incolæ Æthiopici coloris ſunt, & tuguria palmarum foliis intexta inhabitant, præcipuamque piſcationi operam impendunt, ſicvt plerumque vrinantes conchas margaritarum in profundo legant. Ab alto fretum intrantibus ſiniſtrorſum ſinuatur mare, vbi eſt inſula nomine Delacia, quæ proximæ continentis regno ſubiecta eſt. Id Barnagaſium vocant, & magni Preteiannis Abyſſinorum regis imperio paret: cuius etiam ditionis ſunt cuncta ea litora, quæ vſq; ad Suetiam in infimo ſinu poſitam protenduntur. In hoc litore Ercocchus portus viſitur Abyſſinæ regionis, è quo Indiæ merces ad interiora Æthiopum regna trans Nilum amnem deferuntur. In aduerſo autem Arabico litore Zida percelebris portus reperitur, quo applicant peregrini, qui religionis cauſa ad vrbem Mecham duorum dierum terreſtri itinere diſtantem contendunt, vt Mahometis ſepulchrum inuiſant, quanquam id pleriq; inane eſſe aſſeuerent, quum illum apud Medinã Talnabim ex humanis exceſſiſſe, atq; ibi tumulatum fuiſſe prædicent, quæ vrbs pertinet ad fines arenoſæ ſolitudinis, quæ Arabes à Syris diſterminat. Extra autem freti anguſtias ad læuam Ademum occurrit, celeberrimum, vt diximus, Fœlicis Arabiæ emporium. Inde ad Orientem nauigatur ad aliud fama & celebritate par emporium, nomine Ormutium, ad fauces Perſici ſinus in inſula poſitum, indeq; reliqua Indorum regna, vſq; trans Indum, & Gangem, & auream Cherſoneſſum adita ſubactaq; à Luſitanis verſus Sinarum regiones, eorum claſſibus adeuntur. Egredientibus verò Rubri maris fauces, immenſum illud Auſtralis Oceani pelagus dextrorſum occurrit Troglodyticóque in litore Selana Mombazanaq; & Melindia regna, ad inſulam diui Laurentii atque ipſum extremum Æthiopiæ promontorium, Bonæſpei vocatum, anfractuoſis & lacinatis litoribus protenduntur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXVIII.

IAM plures dies Genuæ ſubſederat Cæſar confirmandæ valetudini intentus, quæ paululum commota fuerat ex inclementia Prouincialis cœli: vnde vaſtatis legionibus, tot milia hominum, Germanorumq; præſertim, contagioſa tabe perijſſent. Vehementer etiam erat occupatus explicandis grauiſſimarum rerum conſilijs, quæ perpetuo curarum nexu, ex rebus in Gallia parum ſecundæ geſtis ſuccreuiſſent. Quamobrem monebatur ab Auria, vt peragenda conficere maturaret, priusquam hybernis tempeſtatibus recrudeſceret mare, quòd ſubeſſent brumales dies, nec certa eſſet per Alcyonios dies maris tranquillitas, quæ ſicuti nequaquam ad certam diem ſtata, ſæpe præueniẽs, & nonnunquam ſeriùs aduentans, nauigare auſis non ſemper arridere conſueſſet. Cæſari enim in Hiſpaniam erat enauigandum: ſed duæ res maximè retardabant, quæ dignitatem eius, & iam ardente bello in Subalpinis rerum ſecuritatem reſpicerent. Arx ſiquidem Mediolani priusquam ipſe Italia excederet, Hiſpano cuſtode, Hiſpanoq; præſidio munienda videbatur, & Montisferrati ditionis imperium, quod eſſet ex Cæſariana lege beneficiarium, legitimo hęredi adiudicandum. Id cenſebant Cæſarianorum partium ſtudioſi, quum eius regionis opes magno momento ad ſuſtinendos Gallos, eo bello futuras proſpicerent, propter Padi amnis validorumq; aliquot oppidorum opportunitates. De hæreditate enim eius imperij grauis oborta erat controuerſa, diuq; ea magna competitorum contentione iactabatur: conſtitutis namque à Cæſare iudicibus, & conteſtata lite, prolatisq; antiquisſimorum iurium documentis, tres ſimul litem ſerebant, Federicus ipſe Gonzaga, Carolus Sabaudius, & Franciſcus Salaſſus, diuerſo ambitu, diuerſaque ſpe ingreſſi litem, ius ſibi reddi vno tempore flagitabant: ſpes eorum alentibus iureconſultis: vtpote qui priuato quæſtui, & factionibus facilè deſeruirent. Cæterùm præclarum omnino ius erat Federico, in cuius matrimonio erat ſoror Bonifacij, qui ex lapſu currentis equi perijſſet, non obſcura hæres fraterni imperij, quum Sabaudij atque Salaſſi iura nimis obſoleta et incerta putarentur. Salaſſus ab recenti merito, quòd deſerto Gallo rege ad Cæſarem opportunisſimo belli tempore ſe contuliſſet, non obſcuram præmij ſpem præferebat. Sabaudius verò nulla ſua culpa, ſed cauſa Cæſaris, cui vel malo ſuo ſtudendum iudicaſſet, magna partè principatus miſerè expoliatus, reſarciri ſibi incommoda Montisferrati dominatus conceſſione, ex benignitate Cæſaris poſtulabat. Sed his in rebus Cæſar æquus diſceptator, & iuris ſui conſultisſimus, erecto tribunali, ita litem

diremit, vt ſecundum Federici iura meritaq; pronunciaret, et Aluarum Lunam, à quo Federicus in ditionem duceretur, eligeret. De arce autem Mediolanenſi pari celeritate tranſactum eſt. Nam Maximilianus Stampa vetus cuſtos, poſt Sfortiæ mortem ſe Cæſaris nomine in cuſtodia permanſurum profeſſus, nullam moram attulit, quin arce excederet, quanquam ex vetere ſuo maximeque fideli obſequio, & ſtudio inſigni in Cæſarianum nomen, relinqui poſſe in eadem præfectura ſperauiſſet. Sed Cæſar Hiſpano potius viro quàm Inſubri, quanquam generoſo ſpectataq; fide prædito, fidendum ratus, cæteris in rebus Stampæ poſtulatis tanquam ſtudioſo partium, Inſubrumq; procerum ſplendidiſſimo, collata Soncini oppidi ditione, benignè atq; indulgentiſſimè ſatiſfecit. His confectis rebus dimiſſiſq; ab ſe totius prope Italię regulis, ipſoq; præcipuè Alexandro Medice genero, & Federico Mantuano, qui Caſalem Montisferrati caput ab Aluaro Luna deduceretur: nactus idoneam tempeſtatem in Hiſpaniam ſecundiſſimè nauigauit. Sub id tempus Gallorũ duces per ea, quæ nuper occupaſſent, Subalpinæ regionis oppida, diuiſis copijs, præſidia confirmarant. Erant hi fermè omnes Itali, quòd Gallos magna ex parte ad præſidium terræ patriæ, quum Cæſar in Prouinciam irrumperet, Franciſcus reuocarat. In his fuere præter Paulum Rentij Ceritis filium, & Annibalem Gonzagam cognomento Nouellarium, Guido Rangonus, Cæſar Fregoſius, Caniniusq; Gonzaga, qui paulò antè nequicquam tentata Genuæ expugnatione, ad Subalpina Gallorũ oppida ſe receperant, & quædam minora caſtella pulſis Cæſarianis occuparant. Excubabant autem in eam curam, vt proferrent fines, opportunòque aliquo ad gerendum bellum oppido ex inſidijs potirentur. Hoc idem ne facilè accidere poſſet, ſedulò præcauebat Vaſtius. Is paulo antè ex Tranſalpina prouincia regreſſus, Puerino in oppido Hiſpanorum, Italorumque cohortes recenſuerat, animaduerſiſque ac exploratis Gallorum præſidijs atque conſilijs, Cherium inſtar vrbis ingens oppidum, Taurino ad quintum lapidem propinquum, ex itinere aggredi, atque expugnare cogitarat. Sed ea re adactis tormentis vix dum cœpta, quòd ibi Rodericus Ripalta caſtrorum magiſter, oppidi ſitum mœniumque naturam ſpeculando, ictu minoris tormenti fuiſſet interfectus, & Annibal Nouellarius extructo inſigni propugnaculo, cum delectis cohortibus oppidum tueretur, ad Aſtam in hiberna conceſſerat, Ioanne Barga in præſidio Villanouæ conſtituto, & reliquis item cohortibus per circumiecta caſtella diſtributis. Huic negotio præpoſitus erat Franciſcus Marchio Salaſſus, qui à Franciſco rege ex fluxa fide diſcedens, ad Cæſarem Galliam inuadentem ſe contulerat, præbueratque non obſcura malignitate callidam operam, vt Foſſanum oppidum ab inopia commeatus à Gallis præſidiarijs Antonio Leuæ dederetur: ſedulo enim dux ille apprimè aſtutus & vafer Salaſſum quibuſdam offenſionibus à regijs ducibus alienatum, multa pollicendo, à Regis amicitia clientelaq; ea condicione diuulſerat, vt ei præfecturam Hiſpanici peditatus Cæſaris nomine promitteret, quam Daualæ domui à multis antè annis præclaro fidei atq; virtutis merito rex Ferdinandus conceſſiſſet. Ei quoq; Leua filiam nuptui ſe daturum pollicebatur: quibus emolumentis inuitatus ſine pudore fidem mutare, regemq; deſerere potuerit, ſed iuſta cum obtrectatione Vaſtij, inuidiaq; multorũ, id infamis conſilij præmium appetiſſe apparebat, quanquam Hiſpani cohortiũ præfecti, & centuriones nonnulli, malignis ingratiſq; ingenijs cum probro Vaſtij ipſum Salaſſum tanquã

verum

verum opportunumq; ducem, ideoque efficacius atq; nobilius arma tractaturum, impudenti adulatione complecterentur, utpote qui ſibi licere cuncta, & impune rapere poſſe omnia ex indulgentia novi nec adhuc à Cęſare confirmati ducis ſperarent, uti videre fuit, quum apud Caragium oppidũ, devicto Turriſano Gallicarum partium tumultuario duce, trahenteq; ſecum ad bellum inconditam agreſtium multitudinem, inuſitatæ crudelitatis cædes ederetur. Salaſſus namque Hiſpanos, ut in deditam & ad terram arma proijcientem miſerorum hoſtium multitudinem, atrociſsima cæde graſſarentur, immaniter fuerat cohortatus, eo eventu ut ingens hominum multitudo mortem ſuppliciter deprecantium crudeliſsimè fuerit trucidata, quod uſquam anteà vel ab efferatis & Barbaris factum fuiſſe nemo meminerat. Qua crudeli indulgentia Salaſſus ſe bene auſpicatum fuiſſe promiſſæ præfecturæ honorem, & conciliaſſe ſibi hoſtili ſanguine & præda Hiſpanos inſolentiſsimè iactabat. Subſtiterat Albæ Pompeiæ Federicus Gonzaga, expectans ut ex ſententia iuſſuque Cæſaris à Caſalenſibus in urbem reciperetur, & Montisferrati princeps populari acclamatione præclaro iure hæreditatis appellaretur. Sed Alvarus Luna ad tradendum de manu urbis imperium ſolenni cerimonia in urbem præmiſſus: ea in re nõ alienas modò, ſed planè rebelles civium voluntates reperiebat. Erant plerique principes Guelphi nominis, qui antiquiſsimi dominatus ditionem patriamque in poteſtatem Mantuani, novi ignotique ſibi principis devenire iniquiſsimis animis ferebant, malebantque parere Gallis, opulentiſsimique regis imperio, qui Ciſalpinæ Galliæ poſſeſsione, eiectis Cæſarianis, potiturus eſſe crederetur, quàm perferre Cæſarianorum acerbitates, qui perpetuis æſtivis atq; hybernis amica oppida miſerabiliter vexare, ac evertere conſueviſſent. Vigebat etiam tum memoria apud Caſalenſes Guliermi principis, qui Gallicam alam ductare, & Regis gratia magno civium ſuorum commodo pollere erat ſolitus. Nam quiſq; uti erat genere nobilis, & ſpiritu alacer in alam equeſtri ſtipendio ſcribebatur, ſentiebantq; fermè omnes cives, ex ea militia & peculiari Regis benignitate non obſcura emolumenta, quæ erant honeſtiſsima, his præſertim civibus, qui principis benevolentiam ex fide virtuteq;, aut in ala foris, aut in aula domi meruiſſent: quarum rerum nihil ſperarẽt ex dominatu Mantuani, quod Cæſarianæ militiæ honores & præmia nequaquam ad Italos, verùm ad Hiſpanos atq; Germanos & Belgas verterentur. His depravatos opinionibus Caſalenſes duo ante alios, ut ad Gallos deficerent, aſsidua cohortatione ſolicitarat Guliermus Blandratus, profeſsione iureconſultus, ſed ingenio ſeditioſus & acer, planeq; militaris, & Chriſtophorus Guaſcus, Guelphæ factionis princeps apud Alexandrinos, qui eius ardentioris ſtudij nomine extorris & exul factus Gallis militabat. Itaq; Caſalenſium quorundam civium opera accerſuntur Galli, hiſq; ad ingreſſum porta proditur, populo inexpectata re tanquam ignaro eius conſilij vehementer commoto atq; exterrito: ſed mox ſubticente, & nihil ſeſe ad arma commovente, quòd publico nobilitatis conſilio id facinus patratum fuiſſe crederet. Burria Gallorum pręfectus primus omnium urbem intravit, promptiſsimos Vaſconum peditum, in equitum tergis conſeſſores, feſtinandi cauſa ſecum adducens, edicensq; ut alij atq; alij pedites & equites ex Varulengi oppidi præſidio deducti ſe præeuntem conſequerentur. Eo modo ad condictam à proditoribus horam quietiſsimè in urbẽ receptus, circumvallare arcẽ parat, ne quis inde in aream erumpe-

re poſsit. In eam namque Mantuani ipſius legati cum Alvaro Luna confugerant. Nec mora, Gallis impigrè operã navantibus, Burria, Blandratus, & Guaſcus arcis egreſſum circumvallant atque præſepiunt, foſſaque ſubitarij operis ſatis lata profundaque perducitur, lunatusque erigitur agger, in quo adverſus erumpere tentantes præſidium imponitur. Cæterùm occupatis in opere Gallis, eius rei geſtæ nuncius ad Vaſtium illicò defertur. Is tum exercebatur apud Aſtam in ludo parvæ pilæ. Hac re audita nihil ipſo ore perturbatur, ſed erecto animo expeditum capit conſilium ferendæ opis, idque miro ſilentio contegit, ac ſignum tuba dari iubet, ut milites illicò arma capiant, & ſe proficiſcentem ſumma feſtinatione ſubſequantur. Parent edicto milites, & per lutulenta itinera ſumma alacritate viam capeſſunt, rati ſe properè perduci ad occupandum aliquod hoſtile oppidum, unde opima præda peteretur. Sed non prius conſilium aperuit Vaſtius, quàm ad Alferium vicum eſt perventum. Tum verò advocatis præfectis, quàm ſtulte atque arroganter Caſalenſes ad Gallos deſecerint, patefacit: eorum perfidiam extemplò vindicandam edocet, ſpem quoque omnem ulciſcendi hoſtis in celeritate poſitam oſtendit: hortatur ſingulos, ut vel difficilimi itineris laborem impigrè ſuſtineant, ut paratæ victoriæ fructũ contendendo atque accelerando ſecum percipere velint. Itaque tota ea nocte, vel prealto impeditum cœno iter nuſquã fuit intermiſſum, indignantibus Hiſpanis, quod Caſalenſes uſq; adeo fœdum facinus admiſiſſent, ob idq; ad eos accenſis ſpe prædę animis celerrimè pervadunt. Orto iam ſole perventum eſt ad arcem: continuoque Vaſtius ab Alvaro Luna, Ioanneque Peſcherio arcis cuſtode perdiſcit, quas munitiones Galli contra arcem erexerint, quo animo ſint Caſalenſes, quibus viribus nitatur Burria Gallus. Speculanti autem muri altitudinem Vaſtio, eius equus, è quo dudum deſcenderat, ex tranſverſa hoſtium munitione tormenti pila interficitur. Sed nihil eum id inane oſtentum terret, poſtulatque ſibi extrorſus ab arce dimitti ſcalas, quibus murum ab arce ad Padum pertinentem aggrediatur: Nam milites per arcem receptos (quominus expeditè atque audacter ad invadendam hoſtium munitionem progrederentur) pons arcis ligneus, prolati fortè gravioris tormẽti pondere effractis aſſeribus interruptus, importunè retardabat, & diſpoſiti poſt aggerem hoſtium ſclopettarij in ipſos erumpere audentes ſubitam glandium procellam ſe effuſuros intentis ignium funiculis oſtendebant. His igitur ſcalis arreptis & appoſitis, non dubitavêre milites, quin audacter conſcenderent, & ſeſe in urbem dejcerent, quod vetus agger mœnibus appoſitus, ex veteri conſuetudine introrſus eſſet acclivis. Verum Galli è munitione, ab altisque privatis ædibus ſclopettis rem gerentes, multos eminus vulnerabant, atque ſternebant. Quare animadverſa Vaſtius exteriorem foſſam ſcalis coniungi, ſuperiectisque aſſeribus contegi atque erigi in muri coronam præcipit, ut conſerta acie milites tanquam per acclivem pontem conſcenſo muro in urbem intrarent, auctoq; eorum numero, qui iam tranſcenderant omnium animos confirmarent, & in arcem conglobata acie deferrentur. Non defuêre ſibi Galli quin acerrimè prælium committerẽt, ſic ut aliquandiu cruentiſsimè dimicaretur. Nam ut ad manum quoque ventum eſt, dubia victoria videbatur. In eo enim congreſſu Hieronymus Mendocius, Rhodiæ militiæ adſcriptus, & in Peloponneſo virtute clarus, qui erat Hiſpanorum princeps, glande traiectus cadit. Petrus Giaena mortifero ſclopetti ictu ſauciatur, occiditurq; immoderatę fortitudinis adoleſcens, Vgone Mon-

ne Moncata genitus, quem navali prælio iuxta Salernum ab Aurianis victum, interfectumq; fuiſſe docuimus. Exarſere ira Cæſariani, prodeunteque & cohortante Vaſtio, in hoſtes impetum redintegrant. Nec Galli impreſsionem ferre poſſunt, ſtatimq; profligantur, diffugiuntque per privatas domos, quas perforatis parietibus inter ſe ad permeandum coniunxerant. Sed paſsim expugnatis domibus hoſtes fermè omnes aut trucidantur, aut ſe victoribus dedunt. Capitur ipſe Burria: Blandratus feliciter effugit. Guaſcus dum tentaret Vadum in Pado, quum nullam veniam ſperaret, ſi in Vaſtij poteſtatem veniſſet, ſe temerè commiſiſſe amni, & perijſſe creditus eſt, quòd nuſquam poſteà comparuiſſet. Caſalenſes vel Guelphi Gibelliniqùe nominis ad unum omnes admiſsi facinoris in veſtigio pœnas dederunt, quum capti à milite pecunia ſe redimere cogerentur. Vaſtius templorum decus, mulierumque pudicitiam cordi habuit: multos ſervavit: accitusque Federicus liberalitatem ſuam in multos ſuarum partium cives exercuit, in luctuoſaque victoria, quæ voluptate peculiari minimè careret publico conſenſu receptus eſt. Nec multo pòſt Vaſtius præmiſſo Burria, qui in arce Mediolani cuſtodiretur, Mediolanum contendit, eo animo ut Iacobum Medicem, fratremque eius Baptiſtam comprehenderet, quòd ab inimicis iniqua delatione conſenſiſſe cum Gallo hoſte dicerentur. Erant enim Medicei propter anteacti belli memoriam avariſsimè & crudeliſsimè Lario in lacu geſti, magnæ apud Mediolanenſes quoſdam principes expoſiti invidiæ, ſed qui à Franciſco Sfortia earum rerum veniam eſſent promeriti. Quum ambos Vaſtius poſt epulas cœpiſſet, his ſuſpicionibus ita ſeſe Iacobus explicuit, ut pro vetere ſua clementia Vaſtius eos nequaquam capite puniendos exiſtimaret, ne alienæ libidini, malignitatique ſerviviſſe diceretur, reiectoque ad Cæſarem iudicio, eos demum recipit in gratiam, atque eis ablatum à quæſtoribus argentum reſtitui iuſsit. Quum Vaſtius Mediolani veterum Saturnalium more natalitia Dei Chriſti feſta celebraret, apud Florētiam inuſitatæ perfidiæ, ſummæq; immanitatis facinus poſtridie nonas Ianuarias admiſſum eſt à Laurentio Medice in Alexandri principis atrociſsimam cædem. Cuius execrabilis facti cauſam & modum quàm breviſsimè potero explicare pro inſtituto operis, operæpretium eſſe putaverim. Alexander ubi nuptijs cum Margarita Cæſaris filia Neapoli confectis, Florentiam eſt reverſus, opportunis civilium actionum decretis, inſtitutisque præſidijs dominatus opes confirmavit, & maximè compoſiti & diligentis futuri principis ſpecimen dabat, ignoſcendo veteribus inimicis, ſtudioſosque Medicei nominis & propinquos beneficijs ſublevando, & quod erat gratiæ popularis, rectiſsima ratione inter cives ius dicendo, quum infirmorum etiam civium preces & querimonias benignè ad aures admittere nunquā pigeret. Sextum & vigeſimum nato annum corpus obvenerat mediocris certè ſtaturæ, ſed valida atque habili nervorum compage firmiſsimum, militiæ laboribus utique par, atque omni ingenuæ exercitationi quum expediret, aptiſsimum. Sed eius animus levitate iuvenili in Venerem uſque adeo procax erat & præceps, ut ei novæ nuptæ ſordeſceret thorus, ac dignitatis ſuæ & valetudinis, & denique ſalutis curam abieciſſe crederetur, quum Laurentij patris exemplo, novis ſemper ſtupris ac adulterijs obnixè gauderet. Ea de cauſa noctu per urbem cum armatis ſæpe ita vagabatur, ut nonnunquā contracto cum obvijs cruento certamine ſummum vitæ diſcrimen adiret. In eius intimam familiaritatē ſenſim ſeſe miro aſtu inſi-

nuarat Laurentius Medices, effictis moribus, & his in adulationem et deſtinatum dolum callidiſsimè compoſitis, quibus infatuatum atque deceptum principem opprimeret. Erat is Mediceorum omnium Alexandro ſanguine maximè propinquus, ætate fermè æqualis, ipſiſque paternæ domus cubiculis adeo coniunctus, ut ſecretiore oſtio ad commeandum committerentur, communicatis ſcilicet ſeræ clavibus, quibus quum utrique luberet, ſine arbitro conveniendi facultas daretur. Nam unde facilè capi princeps potèrat, amatoriarum cupiditatum, quibus ille inſatiabilis & vagus ſemper arderet, unus ipſe Laurentius & conſcius & arbiter erat effectus. Eruditi ſiquidem & arguti ingenij illecebris ad omne lenocinium erat paratus, & efficax, adeo ut non abſurdos verſus, qui eſſent inſtrumenta libidinis, pangere, nec inamœnas Etruſcæ fabulæ comœdias factitare, & in ſcenam edere ſoleret: ſimulabat enim ſe unicam ex his ſtudijs delectationem petere: propterea abdicare penitùs arma à latere, quę cæteri ex aula geſtarent, cruorem reformidare, & prorſus ſe imbellem eſſe, atq; ocij avidum oſtendere. Ad hæc pallente vultu & fronte contracta deambulabat ſolus cum paucis parciſsimè ſermones ſerens, vaſta & ſilentia urbis loca frequentans, & non obſcuras ebullientis atrę bilis notas ita pręferens, ut nonnulli eum irridere tacitè inciperent: alij acutiores eum aliquod inſolens & truculentum facinus coquere, prorſuſque meditari ſuſpicarentur. Nam quibuſdam in aula & ſuſpectus & inviſus eſſe cœpeart, quòd Neapoli cum Strozzis exulibus conſilia de interficiendo principe miſcuiſſet. Sæpe enim apud exules maledicentiſsimo ore in Alexandrum fuerat invectus, quum ille incerta adhuc Cæſaris ſoceri gratia ſuſpenſus, ſpurciſsimis inimicorum libellis & delationibus oppugnaretur, dixeratque ſe maturè viam inventurum, qua communis patriæ tyrannus ex tuto tolleretur. Cæterùm geminata veluti perfidia, quid exules cogitarent, quidve molirentur, ad Alexandrum illicò deferebat: prolatisque nonnullis literis & ſyngraphis, præclaram ſtudio, officioque ſuo ſynceræ ſedulitatis fidem adſtruebat. Id quum reſciſſet ex ſuis ſpeculatoribus Petrus Strozza, verſipelle Laurentij ingenium, tanquam duplici ancipitique perfidia infame generosè atque indignanter deteſtatus, Pandulpho Puccio veteri ſuo ſodali fortè obvio, quin de ea re præceps colloqueretur linguam moderari non potuit, apertè dicens: Ecquam ineptus eſt & ſui ignarus, Pandulphe, hic veſter Alexander, qui Laurentio Medice ſummæ perfidię adulatore tantoperè delectatur, quando is quotidie nobis ſe illum omnino interfecturum iactanter repromittat. Non defuit officio ſuo Puccius, uti erat ex amicorũ cœtu pręcipuus, ſermonemque Strozzæ totum principi detulit. Nec multo pòſt Alexander Laurentium in cubiculum vocat, quid audierit enudat. Ad ea ille abſolutæ ſimulationis proditor, compoſito vultu ſubridens, ita reſpondit, ut cuncta ea quæ Strozza dixiſſet, vera eſſe fateretur, verùm non inepto artificio iam pridem ab ſe inſtituta. Quonam (inquit) princeps, tutiore aptioreque modo mihi erunt exacti ſpeculatoris partes implendæ, niſi ut me tibi ex arcano inimiciſsimum eſſe prædicem? ſcilicet ut hac ſubtili ſimulatione ſecreta omnia è præcordijs inimicorum eruantur, & ſaluti dignitatiq; tuę egregiè proſpiciam, vel hac mea diligentia, quanquam ea meo nomini periculoſa & turpis appareat. His verbis, uti credi par eſt, anteà meditatis, ſuſpicionem omnem facilè avertit, apud principem iam planè fato ſuo obſtrictum, & nihil de homine cunctis amicitiæ, gratiæque iuribus, & peramplis beneficijs coniunctiſsimo ſuſpicantem.

cantem. Cæterùm ut certius atque lethalius falleret, his tantis delationum artificijs, etiam fraudulenta omnis lenocinij obſequia ſolerter addebat: nonnunquam principem ab effræni licentia intemperantem, ad ſacratas virgines perducens, quarum ipſe nefarijs amoribus uſq; adeò perditè delectari conſueſſet, ut nequaquam magni Dei ultoris numen timeret, quòd eius ſacrilegij reos nequaquam ſerò uti impios teterrimo vitæ exitu, vel hoc præclaro amborum exemplo damnare conſpicimus. Itaque Laurentio ſupra ſeſquianum in hac diri ſceleris cogitatione verſato, nec alienæ fidei quicquã temerè committenti, fortuna infeſta principi, per ſequeſtram venerem patrando facinori exoptatæ ſecuritatis occaſionem præbuit: ſaluti namque quum ante omnia cavendum arbitraretur, ut poſt editam tyranni cædẽ (ſicuti aiebat) liberatæ ab ſe patrię gaudio gloriæq; ſuæ ſalvus intereſſet, multa hactenus tanquam parum tuta expediendæ fugæ loca & tempora repudiarat. Fortè tum erat in ipſa principis vicinia matrona pernobilis, venuſtæq; formæ, ſed certiſsimæ atq; inexpugnabilis pudicitiæ. Hanc quòd mirè placeret principi, ad tendendas inſidias idoneam ratus, conciliando eius amori operam ſuam atque ingenium amanti obtulit, eoque propenſius, quòd ea ſibi eſſet arctâ propinquitate coniuncta, atque ideò maximè familiaris. Itaque ea noctè, quę Ianuarias Nonas anteceſsit, poſtquam cœnatum eſt Laurentius cõpoſito dolo in aurem Alexandri inſuſurrans, perfidioſeque mentitus, dicit in adamata muliere vel ingenuè caſta, & diu reluctante, expugnatum eſſe pudorem perſuaſionibus atque promiſsis, eademque nocte eam in complexũ eius deventuram: ea tamen cõditione, ut totum id religioſo ſilentio cõtegat, & quæ eius nomine ex ſua fide præmia pepigerit, liberaliter præſtet. Simulabat ſiquidẽ à muliere mutuæ pecuniæ ſubſidia peti, quę ipſius viro, uti iam princeps norat, nõ obſcurè decoquenti ſuppeditarẽtur, confirmandis ſcilicet eius Fortunis & mercaturæ rationibus, quæ vehementer eſſent conturbatæ. His poſtulatis tanquam honeſtiſsimis facilè annuit Alexanxander, matura ſpe exoptatæ libidinis incenſus, ſtatimque cœnaculo exiens in domum attiguam ipſius Laurentij (uti ſæpe alias) deducitur, ablegareque ab ſe cubicularios duos, qui aderant, iubetur: ne illi quicquam ex re compoſita inſtantique ſubodorari poſſent. Siſtitur ergo incautus princeps in cubiculo, ipſoq; etiam proditoris lecto, ut ibi tantiſper conquieſcat & expectet, donec intempeſta nox adſit, & ſilentia adducat, per quæ utrique, uti expediat, tutiſsimus trãſitus paretur. Breve ſiquidẽ ſpacium anguſtæ viæ inter principis poſticum & matronæ fores intererat. Parato expectare, extentoq; in thorũ principi ſuadet, ut gladium diſcingat, quo mollius cubet. Id quum ille feciſſet, Laurentius gladij capulum vaginæ baltheolo diſsimulanter, ut ſæpe fit, ita convolvit, ut ſi eum præſidij cauſa repeteret princeps non facilè vagina educi poſſet: hortatur demum ut obdormiſcat, donec ipſe rebus compoſitis & inſtructis revertatur. Diſcedens Laurentius reliquit lumen, circumductoque ad lectum conopeo, cubiculi fores poſt ſe trahit, quæ ultronea ſera claudebantur. Tum verò cõpoſitis è ſententia inſidijs Laurentius iuvenẽ, Scoruncunculum nomine, ſibi à pedibus famulantem, cui ipſe homicidij reo vitam à principe impetrarat, ad ſe vocat, hortaturque ut ſibi fortem operam, ſicuti anteà promiſiſſet, prębſtare velit, in confodiendo inſigni quodam homine nomini ſuo inimiciſsimo: animis tantùm opus eſſe, neque eius aſpectu debere permoveri, quòd res extra periculum tranſigi poſsit. Ille alacriter reſpondet, ſe non recuſaturum, quin uſ

aliquam accepti beneficij gratiam perſolvat, quantumlibet inſignem virum ſi iubeat ipſum, denique principem obtruncet. Ad hæc Laurentius egregiè divinaſti, inquit, mi frater, ipſus eſt, incluſumque eum hoc cubiculo, dormitantemq; tenemus. Nec mora adapertis tacitè foribus cubiculum ingrediuntur, aſcito etiam comite vili agaſone familiari, cui tanquam elumbi atq; tardipedi à contrario ſenſu Frecciæ cognomen erat, quæ vox Italicè ſagittam exprimit. Laurentius expedito breuiore gladio ſtertenti coſtas tranſadigit. Ille exterritus tanto vulnere, in aduerſam lecti ſpondam ſe deijcit, repensq; manibus & genibus ſubter lectum emergit. Ei ſeſe erigenti Freccia malam diſcindit: alij arreptum ſcabellum pręſenti animo pro ſcuto opponentem circumſiſtunt, atq; ictus ingeminant. Ille rabidæ feræ perſimilis Laurentium inuadens, proditoremq; adeo alta voce vocans, vt tota domo (ſicuti ex mulierum teſtimonio conſtat) exaudiretur, leuæ manus pollicem dentibus apprehendit atq; perfregit: quo dolore correptus, opem ſibi à Scoruncunculo afferri poſtulavit, ab eoq; iugulàtus princeps multum euomens cruorem proſternitur: confoſſusq; demum alijs vulneribus lecto impoſitus eſt, nec quiſquam ad tantę rei ſtrepitum è familia accurrit, quòd Laurentius multum antea ad fallendos familiares cum ſodalibus eo in cubiculo multa cum vociferatione ſcabellis & ſcutis, haſtisq; colluctari, ad imaginemq; iocoſæ exercitationis perſtrepere conſueſſet, vt in eam diem dolum pararet. Interfecto per hunc modum principe, quũ percuſſori detegenda cædes, idq; facinus deſecto atq; expoſito interempti capite omnino propalandum, & vocandus ad libertatem populus foret: ſtetit ei aliquandiu attonita, & valde ſuſpenſa mens ex cogitatione patrati ſceleris, uſque adeo ut oblitus ſuæ gloriæ, quàm unam à tanta perfidiæ labe ſe petiſſe poſteà iactabat, in ipſam ſalutis ſuæ curam totus incumberet. Propterea ad Angelum Martium illicò contendit, qui principis occupati, aut abſentis vices implere erat ſolitus: ab hoc facilè impetrat equos publicos, & aperiendæ urbis portæ teſſeram: ſimulans fratrem in Caſagiolia villa mortiferis ventris torminibus torqueri, quem condendi teſtamenti cauſa omnino ea nocte inviſere percuperet. Indulſit petenti Martius, quod iniuſſu principis nemini præterquam ei ſingulari gratia pollenti erat concedendum: atque ita ille acceptis & incitatis equis, ſicarios ſuos educens Bononiam, atque inde Venetias pervolavit, ut optatiſſimum Philippo Strozzæ nuncium afferret. Conſtat eum in diſceſſu T. Zephio, qui domeſticis rationibus præerat, funeſti cubiculi clavem dediſſe, iuſſiſſeque ut ante diluculum ingrederetur, & quid reperiſſet certis civibus nunciaret, quibus Medicei dominatus felicitas gravis & inviſa videretur. Implevit iuſſa Zephius, ſed nemo ex his hiſcere, aut ſe omnino commovere auſus eſt, quod neque Zephio, neque ipſi Laurentio tanquam ab ambigua fide ſuſpecto ſatis crederent, ſeu id eſſet effictum experiundis civium animis, ut qui pręproperi forent nimia credulitate in noxę capitalis crimen pręcipites darentur. At ſole iam exorto duo cubicularij, quos ab ſe Alexandrum, quum proditoris domum intraret, ablegaſſe diximus, quum tota nocte eum fruſtrà perquiſiſſent, trepidi id totum deferunt Innocentio Cardinali, qui uti erat propinquitate atque amicitia coniunctiſsimus, honeſtiore in parte ædium habitabat. Is quid acciderit principi, perturbata mente divinat, accerſiturq; ſtatim in conſilium Franciſcus Campana, epiſtolarum magiſter, amboque nihil dubitans, quin incautus princeps à Laurentio in ipſius cubiculo ſit interfectus, compreſ-

ſoque dolore ereptum proculdubiò principem internis tantùm lachrymis lugendum, nec uſquam quærendum cenſent, poſtquam renunciatum eſt Laurentium mutatis ad celeritatem iumentis per Apœninũ iter extendiſſe. Egregiè autem compoſitis vultibus ſimulant, edicuntque civibus de more in aulam ad ſalutandum principem venientibus, illum obdormiſcere, quòd tota nocte ludibundus cum ſodalibus vigilaſſet, foreque ut quum pranſus eſſet, perſonatus prodiret, in eiusque rei ſimulationem multa veſtis lupercalibus & theatralibus apta ludis circunferretur. Cæterùm per tabellarios eximiæ pernicitatis Alexandro Vitellio, Rodulphoque Baleoni perſcribunt, ut magnæ periculoſæque rei cauſa, quantas maximè poſſent copias ex Aretinis & Cortonenſibus agris celerrimè cogant, Florentiamque perducant. Idem ut faciant præcipitur præfectis cohortium deſcriptarum in Mugellano agro, cuius tractus incolæ fortiſsimi deditiſsimique Mediceo nomini exiſtimantur. Nec prius principis corpus quæſitum conſpectumq; eſt, quàm primis tenebris, ne id in plebe adhuc ignara veræ cædis tumultum excitaret. Itaque pauci familiares ita iubente Cardinale tapeti involutum in Laurentianam ædem clàm detulerunt. Erat tum in Trebia villa Coſmus Medices, decimumoctavum ætatis agens annum, ad quem nihil tale expectantem ſecundiſsimo curſu Etruſci imperij Fortuna ferebatur, ipſo Ioanne Medice duce fortiſsimo ex Maria Salviata genitus, quē Germanis ad invadendam vaſtandamque urbem Romam ingruentibus, ſervituræ mox Italiæ fato potius quàm ſuo, ad Mincium tormenti ictu cecidiſſe docuimus. Is quum patritiæ iuventutis ſodalibus venationem edidiſſet, ex frequenti & repentino incolarum concurſu cohortes tanquam urbani tumultus cauſa Florentiam accerſi videt, Laurentiumque Medicem in ſingulis militaris viæ manſionibus equos mutaviſſe, & rectà per Apœninũ extendiſſe iter comperit, nec inani coniectura ſtatim adducitur, ut principem à Laurentio interfectum, aut omnino vulneratum eſſe non dubitet, eoque firmius quòd duos principis familiares poſt aliquot horas eadem feſtinatione prętervectum perſecutos eſſe didicerat. Sed admiratur cur ſibi à matre diligentiſsima fœmina nihil ſit enunciatum. Id verò accidebat, quòd nemini ad exitum portæ urbis paterent. Nec multo pòſt ingruente iam nocte, ſupervenit vir agreſtis certiſsimum interfecti principis nuncium afferens: cuius cædis editæ certior factus, accurata vultus ſimulatione cùm dolorem ex acerbiſsimo principis caſu, tum lętitiam ex Laurentij parricidio ſtatim cōmiſcet, & ſilentio contegit. Nam ſicuti illum ex animo amabat, colebatq;, ita hunc maximè oderat, tanquam inſidioſæ malignitatis adverſariũ: nam ei litem intenderat Laurentius de paterna atq; avita hæreditate valde gravem, ob idq; explicatu difficilimam, quòd in ea protrahenda ſupinus princeps Laurentio non obſcurè favere putaretur. Tum verò ea re paucis communicata Coſmus ſibi ad urbem eundum cenſet, cohortantibus quibuſdam patris militibus veteranis, qui cohortes ad iter paratas adducebant, & ſe cuſtodiæ cauſa eunti comites offerebant. Sed eis gratias eius oblati officij agens, & nocturnum iter multis de cauſis vitandum exiſtimans, id armatorum præſidium repudiat, proficiſcique eos, nec quicquam de feſtinatione remittere iubet, dicens ſe prima luce ſubſecuturũ. Nolebat enim videri, quum ad urbem applicaret, armata præſidia quęſiviſſe. Poſtero igitur die quũ intraſſet, modicum trahens comitatũ, paſsimq; ab obvijs miro ſtudio ſalutaretur, perrexit ad principis ædes, aſcenditq; petaſatus & penulatus ad Cardina-

lem: profeſſus ideo ſe veniſſe ut communibus lachrymis ereptum principem lugeret, & quã poſſet patriæ principe defenſoreque orbatæ fidelem operam præſtaret. Complectente eum Cardinale, & ut bene ſperaret, ſeduloque conceptam ſpem diſsimularet admonente, ad matrem ſe contulit, frequenti populo, omnique turba prætorianorum, qui armati veſtibulum domus tuebantur, ita avidis oculis, propenſisque animis introeuntem inſpectante, ut læto exorto murmure adveniſſe eum iuvenem ſummæ ſpei integriq; pudoris, magnanimi patris ſpiritum gerentem prædicarent, qui principatum exciperet, & id totum parricidij ſcelus egregiè vindicaret. Nec mora pleriq; ex paternis amicis benevolisque civibus eum adeuntes arctè complectuntur, ſuadentque ut ſeſe erigat, & de principatu adipiſcendo bonã ſpem induere velit. Ipſos enim cum amicis & propinquis primorum civitatis ordinum enixè curaturos, ut præclara atque certiſsima ſenatus ſuffragatione ſublevetur. At ille uti rei graviſsimæ momentum poſtulabat, à ſummis viris edoctus, molliter reſpondit, ſeq; mira vultus tranquillitatæ alienum à cogitatione dominatus oſtendit, ut qui mediocritate Fortunæ ſuæ contentus foret, modò urbanis rebus non incerta ſecuritas paretur, & ſibi cives honeſtum inter patricios in republica locum relinquant, uſque adeo demiſſo animo ſermoneque reiectis amicorum adhortationibus, ut nonnulli indignantes ſubiratique in eo tanquam nimis humilem, algentisq; ſpiritus habitum reprehendere auderent, addentes, eum nequaquam Ioanne magnanimo patre genitum videri, qui ad magna imperia, ingentemq; ſemper gloriam aſpirare, generoſoq; auſu decora quæq; appetere, & maximè ardua fortiter complecti, virtute duce, conſueſſet. Quibus de cauſis fiebat, ut adoleſcens ingenui pudoris plenus, verecundia vehementer angeretur, quòd amicorum faventium ſtudia ineptè & periculosè parvifacere crederetur, parumq; virili animo tantæ ſpei occaſionem elabi ſineret. Sed expediebat hos rumores aſtuta aure tranſmittere, commodeq; ſapere in præſens, quandò ſpes omnis poſita eſſet in diſsimulatione, qua capi facilè conciliariq; præſides apparebat, quorum mentibus hæreret illa ipſa non obſcurè grata omnibus imago deploratæ libertatis. Erant hi quadragintaocto viri, apud quos numeratis ſuffragijs componendi civitatis ſtatus, declarandiq; principis ſumma erat poteſtas. Horum ferè omnium una mens erat, abolere principis nomen, veteremque excitare libertatem, quæ tantis belli incommodis ſæpe erepta, & virili conſilio ſemper recuperata nunquam bonis & ſtrenuis civibus defuiſſet. Sed primores civitatis infauſtum popularis ſtatus nomen horrebant, ad quem ſublato unius dominatu continuò recidendum eſſe providebant, recenti maximè exemplo, quum eiecta Medicea familia, populares, plebeiq; homines impudenter Remp. invaſiſſent, quibus inſolentiſsimè atq; acerbiſsimè dominantibus, irriſa proſtrataq; nobilitas fuiſſet, & civitas importuna imperitorum civium obſtinatione in ultimũ terribilis excidij, & veræ demum ſervitutis diſcrimen perducta conſpiceretur. Itaq; ſinguli ferè primates, qui ſolertis ingenij atque inveterata prudentiæ authoritate valebant, quanquam avidiſsimi eſſent repetendæ libertatis, & patriæ amantiſsimi: media tamen conſilia in eo negotio ſalutaria fore iudicabant, ne iterum invictiſsimi Cæſaris præpotentia arma provocarent. Placebat enim moderatæ potentiæ princeps, qui patriæ legibus obtemperaret, ipſorumque optimatium perenni conſilio uteretur, ſcilicet ut plebs curiæ muneribus excluſa ad opificia ſua rediret, aſſueſceretque

parere

parere melioribus,& patritio ordini,quem tantis affeciſſet contumelijs,meritas improbæ temeritatis pœnas penderet. Plebi & mediæ claſsis hominibus maximè erant infenſi Franciſcus Guicciardinus, Matthæus Strozza, Franciſcusque Victorius, & Robertus Acciaiolus, iampridem graviſsimarum rerum conſilijs aſſueti, qui moderatæ potentiæ dominatum ferre,in quo ipſi ſeſe gratia authoritateque inſignes fore minimè dubitarent, quàm ab ingratiſsimis & ſordidiſsimis civibus iniuriam pati malebant. Ab his quum honeſtiſsimus quiſque in ſententiam traheretur, quadragintaocto viri per apparitores ad conſilium vocati ſunt. Habitus eſt is ſenatus ex dignitate Cardinalis,ſuperiore in cœnaculo Mediceæ domus. Valida autem armatorum præſidia,& in compito exteriore, & intus in cavedio ad ſcalas, ſingulasque oſtiorum valvas, ab Alexandro Vitellio diſponebantur, qui dudum ſingulari uſus celeritate cum cohortibus advenerat, & Coſmo ſtudioſiſsimè favebat. Quum ſenatus cogeretur,& Coſmus è penatibus ſuis ad Cardinalem fautoresque ſuos redire ſtatueret, mater eum retentare atque obteſtari cœpit, ne ea cupere aggredique properaret,quæ ipſum in valde periculoſam ſalutis & dignitatis aleam perducerent,propter malignas & occultas multorum voluntates, & inſitum natura Florentinis omnibus arripiendæ libertatis ſtudium,cui,uti paulo antè experti eſſent,niſi cruentis armis reſiſti non poſſet. Ad ea adoleſcens non dubiæ arridentis Fortunę ſuæ conſcius: Deſine me,inquit,pia mater tam ſolicitè adhortari:nam eò mihi omnino eundum eſt,quò Fortuna vocat,quæ hanc ipſam parandi ſummi decoris occaſionem tam honeſtam, quàm neceſſariam nomini noſtro benignè demonſtrat: nec eam utique ſi negligatur,uti reor,ad nos poſtea redituram. Neque enim fas eſt deeſſe nobis ab ignobili metu,quum Dijs nequaquã invitis ad oblatum decus rapimur, ut fidem fati virtute ſequamur. Meminerat ſiquidem à Baſilio mathematico,Græcoque item ariolo, ex inſpectione volæ manus, ingentis opulentiæ hæreditatem ſibi portendi, quòd in ipſo genituræ horoſcopo idem Capricorni felix aſtrum mirabili cõſpirantium ſyderum aſpectu irradiatum eſſe dicerent: ſicuti olim evenerit Auguſto, & hodie Carolo Quinto imperatori, qui propter inventum ſubactumque ad occidentalem plagam novum terrarum orbem, ipſa prope immenſa imperij amplitudine Auguſto æquiparandus videri poſsit. Cum hoc animi decreto ad Cardinalem pertendens Coſmus, ſenatores qui iam conſederant,neque ſevera, neque demiſſa fronte ſalutavit, ne conceptam ſpem intuentibus proderet. Cæterùm amiciſsimi, quos diximus, pro eo ita prenſabant,ut magna pars ſenatus,nequaquam de eligendo principe, ſed de ordinanda Republica, ſe prolixè conſultaturam crederet, utpote quæ vexilliferatum, tanquam imaginem temporarij principis erigendum arbitraretur, quo aliquis ex ipſo ordine ornandus atque attollendus foret,qui publici imperij dignitatem ſolita honorabilis perſonæ maieſtate tueretur. Tum verò Cardinalis, Coſmo in ſubdiale pavimentum ad deambulationem ſe recipere iuſſo,ne uti compoſitum fuerat, ſententijs ſenatus intereſſet, exorſus ab immanitate parricidij periculoque civitatis,patres (inquit) quod eſt Deorum immortalium munus, uno avulſo non deficis alter aureus, qui affectæ orbatæque Reipublicæ ſubveniat, Coſmum pręclarè indicans, qui certę nobilitatis, temperatique ingenij atq; incorruptæ probitatis adoleſcens, tanquam Alexandro maximè propinquus, ex Cæſaris tabulis in adminiſtranda Republica ſucceſſor eſſet deſignatus: ipſos

ergo probè rectèq; facturos, ſi eam Cæſaris legem obſervarent, à qua diſcedere nefas ſit. Neque ex uſu commodoque civitatis videri poſsit, ſi violata fide, quibuſdam aliò flectendas eſſe voluntates appareat, ut novus rerum ſtatus inducatur. Iura ſiquidem Florentini imperij ex ipſorum voluntate, authoritateque Cęſaris, addicta familiæ Mediceæ, & ſolennibus codicillis cõfirmata, niſi ſtultiſsima prævaricatione, à quoquam extra perniciem violari non poſſe. Quandoquidem eius improbè initi ſuſceptiq; conſilij authores neceſſe ſit in ipſo maleficij veſtigio pœnitere, tam propinquis ſcilicet atq; expeditis Cæſarianorum copijs, quæ omnem infidelitatis ſuſpicionem celerrimè ulciſci queant. Porrò Coſmum tanto cive genitum, qui nuper intermortuum militiæ decus apud Etruſcos ad æternam laudem excitarit, tantiſque nobilitatis eximiæ ex Salviata matre propinquitatibus ſeptum, non alio quàm ipſorum uſurum conſilio, daturumq; operam, ut ipſe rerum rudis & imperitus publico conſenſu obſequentiſsimi & moderatiſsimi principis famam conſequatur. Serebant inter ſe tacitos ſermones patritij, perplexique animis conſideratius atque languidius deliberabant. Nam Caniſianus, ineptus & futilis ſenator de ſubrogando Alexandri filio ex concubina vix trimo, ad quem Cardinalis paulo antè reſpicere videbatur, mentionem intulerat: & Pallas Oricellarius ſe neq; principẽ, neq; ducem in Rep. velle profeſſus, non recuſare dixerat, quin pro alba ſuffragij faba capitis pœna plecteretur. Sed hunc Franciſcus Victorius modeſtiæ admonens, ut ſederet iuſsit, ſuoq; ſuffragio, quod inter tot ſenatores tantũ modò unum foret pro inſana libidine, uti luberet, uteretur. Illum vero vehementer increpavit, quòd ſpurius infans contra ius tabularũ Cæſaris, patriæq; bonum & æquum adulatione vaniſsima Coſmo iam planè viro natuq; legitimo & matura virtute cõſpicuo præferendus videretur. Guicciardinus quoq;, cuius tum ſumma erat authoritas, quòd popularis factionis ſtatũ in patritios graſſari ſolitum vehementer abhorreret, & de libertate, quę optimatium cõſenſu regi atq; defendi poſſet, deſperare videretur, Coſmo non obſcurè favens, præclara voce diſſerebat, ſe non paſſurũ, ut Sciumpi iterum regnarẽt. Sciumpos enim vetere Etruſco vocabulo ad cõtumeliam appellabãt ex populi fece proletarios & deſpicatos homines, quorum audacia fretus Michael Landus avorum memoria, è lanificij taberna proſiliens, urbis dominatũ eiectis miſerabili cum iniuria patritijs invaſiſſet: identidem dicens ad ſalutem civitatis expedire, ut aliquod in Rep. caput emineret. Atq; ita nonnullis è primo ordine civibus in ſententiam traductis, in proximum cubiculũ ſeceſsit cum Roberto Acciaiolo, Franciſcoq; Victorio, & Matthæo Nicolino iuriſconſulto, qui in unam ferè ſententiam conſpirabant, opinioneq; prudentiæ, & civili authoritate multos vel diſſentire paratos, aut certè perplexos in ſententiam perducturi, uti evenit, credebantur. Secedendi autem cauſa fuit, ut unà conſtituendi principatus conditiones perſcriberẽt. Volebat enim Guicciardinus inter eos facilè princeps certis legibus aſtringi potentiam dominatus, atq; abolere odioſum in libera civitate ducis nomen, toties in Medicea familia repetitũ, non obſcuro quidem patrię ſtudio, quod non inepta ratione diſsimulabat, utpote qui præclarè diceret, ducis nomen nequaquã gratum Cæſaris auribus futurum: qui anteà non temerè Alexandrum ipſum, vel etiam generum in literis, quas ad eum perſcribere eſſet ſolitus, nunquã Florentiæ ducem appellaviſſet, vel ob id præſertim quòd recepta civitate, conſtitutaq; Rep. neq; Clemens Pontifex, neq; civitas id tituli de-

tus

cus ab ſe, qui tum rogandus fuerat, et maiora benignè conceſſerat, nequaquam petiviſſet: nam uti cautus & prudens iureconſultus minime tum de ducis nomine controverſiam importuna mentione commovendam eſſe exiſtimabat, ne creandi ducis iura, quæ ad liberam civitatem omnino pertinerent, imperitè ad Cæſarem inepto præiudicio transferrentur, quandoquidem non creandi, ſed confirmandi tantum, quæ ipſi ſua civili antiquiſsima lege ſancirent atq; decernerent, facultas eſſet apud Cæſarem. Conditiones erant hoc modo perſcriptæ: Coſmus quod bonum fauſtumq; eſſet, Reip. præficeretur, nec dux, ſed caput modeſtiore nuncupatione vocaretur. Neminem niſi civem, quum ipſe abeſſet, in civitate vicarium relinqueret, quòd elata nobilitatis ingenia ſuperioribus temporibus, & Gori Piſtorienſis, & Paſſerini Cortonenſis, & demum Statij Romani iuſſa faſtidiſſent: & quod Etruſcæ frugalitatis fuit, duodecim milium aureorum nummûm ſumma in annui domeſtici apparatus ſumptum contentus foret, quòd æquo graviorem impenſam feciſſet Alexander, qui decem & octo milia quotannis in convictu abſumere conſueſſet. Quum hæc perſcriberentur, deferrenturque ad ſingulos ſenatores, ac his omnibus prolixè annueret Coſmus, & in ſenatu diverſæ ſententiæ aliquanto lentius dicerentur, quã faventium Coſmo ſtudia poſtularent, exortus eſt in compito ex ignobili rixa, ingens apud milites armorũ ſtrepitus, quo exaudito pleriq; ſenatorum timore concuti atq; palleſcere cœperunt, nec temerè quidem, quòd à Vitellio, ex vetere odio paternę necis civitati inimiciſsimo incitari milites ad prędam & cædem facilè ſuſpicari poſſent. Ad fores quoque eius cœnaculi audita vox eſt cuiuſdam admonentis, ut quòd vellent ſenatores decernere illico maturarent: quando Vitelliani, vel ipſo ducis imperio diu reprimi non poſſe viderentur, quin captis iam armis ad obviorum prædam & cædem diſcurrerent. Ea res ſive orta caſu, ſive conficta conſilio, ſenatores ad ineunda ſuffragia opportunè compulit, præclaroq; omnium aſſenſu, quem præſentis periculi neceſsitas exprimeret, Coſmus reipublicæ caput eſt renunciatus. Is è ſubdiali in ſenatũ vocatus, & univerſis gratias agens, ea quam dediſſent ſummi honoris poteſtate non alio quàm ipſorum iudicio conſilioque ſe uſurum teſtatus eſt, adapertoq; ſenatu, tanta acclamatione, tantoque applauſu omnium perſtrepuit domus, ut milites prædę avidi admixtiq; plebeis, gratulandi cauſa, ad Coſmi matrem irrumperent, domumque totam, fruſtra ea prohibente, ſed tamen filij felicitate impensè læta diriperent, & ex magno ſimul metu ſolicitudineque tota civitas ad hilaritatem verteretur. Nec multo pòſt Laurentius Medices parricida & patriæ hoſtis ex ſenatuſconſulto declaratus eſt, bonisque proſcriptis, præmia eius percuſſoribus aureorum ſeptem milium conſtituta, & domus eius ad perpetuam ignominiam à tecto ad ima fundamenta lato hiatu proſciſſa eſt. Paulò etiam antè Cardinalis quum in attollẽdo Coſmo obnixè ſatageret, ab eo, ſi principatu potiretur, hæc poſtularat, ſcilicet ut nihil unquam ad gratiam aut odium flexus iuſtitiam exactè colendam arbitraretur, nec unquam ab authoritate Caroli Cæſaris diſcederet: Alexandri indignam cædem graviter vindicaret, et liberos eius pupillos ex concubinis ſuſceptos, benevolentiſsimè complecteretur. Quæ omnia poſtea cumulatè implevit: nam admirabili prudẽtia ius dicens, & noxios plectens, perpetua non iniquæ ſeveritatis, atque clementiæ moderatione, iuſti nomen promereri poſteà contendit, & fideli obſequio, liberalique ſtudio erga Cæſarem grati animi ſui exiſtimationem tutatus eſt,

eo quoq; maiore gloria, quòd inexpectata quadam lenitate ſummam clementiæ laudem tulit, quum à nemine, vel propinquo, affineq; rogatus, ſed ſpontè uno edicto exules, & relegatos omnes ab Alexandro in patriam reduxiſſet, & ſinceriſsima fide in gratiam receptos, oblitus veteris iniuriæ perpetuò fovendos ſuſcepiſſet: ipſum verò parricidã uſq; adeo intenta diligentia eſt perſequutus, ut quum ille è Gallia Byzantium profugiſſet, eum Solymanus hominis perfidiam execratus, avi Baiazetis exemplo, qui Bandinum tanquam impietatis reum olim tradidiſſet, capiundum dedendumq; cenſeret, niſi ille inſidias veritus properè Venetias ſe contuliſſet, ut ibi aliquot poſt annos cum avunculo Soderino trucidaretur, haud dubiè in gratiam Coſmi, duobus Volaterranis militibus Bebio ſcilicet, qui fuerat ex prætoria cohorte Alexandri, atque Cecchino Bibbona ultrò ſuperioris domini mortem vindicantibus, & ob id quidem generoſo magis animi decreto, quòd propoſita publicè à ſenatu præmia repudiaſſent, quum ſe ſatis lucri facturos exiſtimarent, ſi exoptatum Coſmo, de parricidæ cæde facinus liberaliter edidiſſent. Iulium autem liberaliter educari iuſsit, & Iuliam patris ora atq; oculos referentem Reſtantio Cantelmo in Præcutinis pernobili regulo, nuptui dedit. At ubi Romæ & per omnes Italiæ urbes, nunciatum eſt Alexandrum, unius civis, eiuſdemq; gentilis & propinqui, adeoq; amiciſsimi ſodalis perfidioſa manu fuiſſe trucidatũ, triduoq; poſt Coſmum Medicem, ei in eodem honore principatus ex ſenatus conſulto ſubrogatum, mira omnino res videri cœpit, quòd civitas ſuopte inſtinctu erecta in ſpem libertatis, in tanto interfecti principis murmure nihil prorſus ſeſe com moviſſet, quando nulla eſſent in urbe militum præſidia præter unam ſatellitum cuſtodiæ corporis centuriam, quæ nec pueris explodentibus & more patrio ſaxa vibrantibus ſuffectura videretur. Quibus de cauſis Laurentius percuſſor diverſiſsima nominis ſui fama iactabatur: uti ſunt ferè cunctis in urbibus factioſa ingenia, quæ cuiuſque magnæ rei editæ rationes excutere, ſubijcereque cenſuræ ſuæ inſolenter & proterve ſolent, ut partibus, quibus ſeſe ſemel addixerint, propenſiſsimo ſtudio, ſermoneque paſsim & perſcriptis undique literis opportunè deſerviant. Vni omnium Florentini, præcipueque exules Laurentium miris laudibus in cœlum ſic attollebãt, ut eum M. Bruto gloria parem dicerent, qui amore patriæ divinum libertatis revocandæ ſtudium, contempta vel amiciſsimi tyranni gratia oſtendiſſent. Multos utiq; illum laudis conſortes ex ſenatu adiutoresq; & conſcios penſitati patratique facinoris habuiſſe: hunc verò nemini, quod diu concoxerat pulcherrimi auſus conſilium detexiſſe, ſatisfeciſſeq; ſua manu communi voto, ſimul & patriæ caritati, ut civibus, ſi animos viriles induerent, ad excutiendum ſervitutis iugum tuta atq; expedita via pararetur. Aſt alij hæc omnia in univerſum, uti humaniores, æquiſsimiq; homines ſecus interpretabantur, quòd Laurentius nequaquã ſtudio aſſerendæ libertatis, ſed incredibili malignitate, vecordiaq; impiæ mentis adductus, ad id patrandum ſcelus deſcendiſſe videri poſſet, poſtquã cuncta humanitatis, amicitiæ, propinquitatis, & deniq; tenerioris ſodalitij iura ſubverterit. Quandoquidẽ eum ignobili fraude interficiendũ ſuſceperit, qui omnes ſibi timendos præcavendosq; ratus, ipſi uni optimo iure ſalutem cõmitteret, utpote qui eſſet fortunarũ omnium & tanti etiam principatus ex authoritate Cæſaris præclarus hæres & ſucceſſor deſignatus, niſi magno ſuo incõmodo perverſus & impius parricida damnaretur. Cur enim inde laudẽ niſi falſam ac omniũ ferè iu-

dicio

dicio turpem, odioſamque inſuper truculenti nominis famam expeteret: unde nullum patriæ commodum, nullum familiæ decus, & nullam deniq; ſibi privatim ab ulla vindicata iniuria voluptatẽ, aut publicè gratiã peperiſſet: Quandoquidem id admiſſum ſcelus omnem veſanę feritatis ęſtimationem diro pondere exuperaſſe cenſeatur, qua ſanctiſsimos penates, in quibus inclytus ille ſuperior Coſmus progenitus natusq; ſit, & illud ipſum patrum atq; avorum geniale cubiculũ, ſocialisq; lecti culcitras, tanti amici atq; hoſpitis cruore defœdarit. Num interempto ut videri volebat impotẽti regnatore prius ſibi celeri fuga proſpiciendum fuit, quàm repræſentanda civium oculis atq; animis exoptata potius quàm quæſita libertas: Detegere herclè cædem illum oportuit, nec occiſum lodicibus occultare, ut populus antiquo ſervorũ more ad pileum vocaretur. Sed in fatis erat, ut ſine perturbatione ampliſsimæ civitatis adſtrueretur Coſmo imperium, & percuſſor omni ſua ſpe deceptus deteſtabilis flagitij ſui non ſeram vel diu profugus & exul pœnã ſubiret. Nec hac in re prætermittendum videtur, quòd ſalsè & graviter de Laurentio mecum loquens Guicciardinus protulit, illum ſcilicet quocunque animo fuerit, tria quæ ei contrario eventu reſponderint, ab eo facinore edito quę nollet quæſiviſſe, quum amiciſsimum principem occiderit, inimicum capitalis odij ad principatum extulerit; & patriæ graviorem quàm volebat diuturnæ ſervitutis conditionẽ invexerit. Ferunt nonnulli eum non tantùm amore patriæ, ſed immenſa quadam magni alicuius edendi facinoris cupiditate, vehementer exarſiſſe, quo obliterata, aut obſcurata recentis infamiæ nota clareſceret. Vivo enim Clemente ut ſtudium gentilium ſuorum eruditæ virtutis & elegantiæ æmulari videretur, antiquis Romæ ſtatuis capita detruncans ab arcu præcipuè Conſtantini noctu abſtulerat, fremente populo Romano, et fruſtrà illum, quiſquis eſſet, ad ſupplicium trahi iubente Pontifice. Sed non diu immanis furti author abſcondi potuit; quum ille cognita ira Põtificis defoſſa præda Vrbe profugiſſet. Itaq; Clemens ſtultiſsimæ levitatis atque libidinis ſcelus execratus, ita eum Mediceæ familię probrum & labem appellavit, ut populus Romanus eum ex iuſta iracundia in Capitolio aſperrimis decretis perpetuo exilio damnaret, ſenatorque urbis poteſtate conſulari eum non impunè modò, ſed cum præmio etiam Romæ occidendum ediceret, & in academia Romana, quòd ad eam quoq; tanta iniuria pertinere cenſeretur, Marius Molſa Mutinenſis in eum luculentiſsima oratione perſcripta, maledicentiſsimè invectus ęternæ infamię notam inureret. quibus virulentis telis undiq; confixus, ſuoq; pudore excito inſanabilem ſentiens dolorem, conſilium ſuſceperit, priore quidẽ ſceleſtius, ſed quòd honeſtiſsimæ laudis ex eventu ſpeciẽ præferret, ſcilicet ut novitate & magnitudine anteeuntem iam latè famam obſcuraret & obrueret. Prædixère Alexandri cædem, & Coſmi imperium, is ante omnes, quem diximus Ariolus Gręcus, magno multorum miraculo, quum & illi non modò cædem, ſed certũ quoq; percuſſorem indicaſſet, qui eſſet ipſi intimus, habitu gracili, vulticulo buxeo. & ſuſpenſa taciturnitate ferè cæteris in aula inſociabilis. Coſmo autem pro conſtanti pollicetetur brevi fore, ut hæreditate creſceret opulenta, audiente quidem Alexandro & ſubridente Coſmo, quum abſumendus morte prius foret magnus propinquorum numerus, quàm ulla ad ſe vel tenuis hęreditas perveniret. Iuvenis quoq; Peruſinus miniſter à dapibus nomine Horatius, quum febre torqueretur ex vapore, uti credi par eſt, atrę bilis, ter noctu viſum habuit, quo principe

à Laurentio iugulari apparebat, quæ rerum imagines ægrum perpulerunt, vt Paſchalio principis medico enunciaret ad principem referendas. Sed Paſchalius officio ſolicite fungens, ea mente principem reperit, vt eam ſomniantis ægri fabulam eſſe diceret, admirans cur tota domus in Laurentij odium conſpiraſſet. Hæc præclaro Coſmi principis teſtimonio ſcribere voluimus, vt non ſemper de futuris vanam eſſe diuinationem curioſi mortales intelligant. Eo die (is fuit quinto Idus Ianuarias) quo Coſmus ad principatum bene auſpicatò prouehebatur, in ipſius villa Caſtellia ſuburbani tractus, mira et planè prodigioſa omnis generis florum vbertas, cunctis ſtirpibus erupit: quum rigore pertinaci vicina prædia adhuc inhorreſcere viderentur, & vni ferè omnium (quòd mirum eſſet) Coſmiani horti ad adulti veris ſimilitudinem ſingulari iucunditate floreſcerent. Eadem nocte quæ creati principis diem ſequuta eſt, Alexander Vitellius compoſito multùm anteà in eam occaſionem, vt pleriq; exiſtimant, inſigni dolo, arcem occùpauit. Præfecerat ei ab initio Alexander princeps, Paulum Antonium Parmenſem, fide quidem integra, ſed nullo militiæ vſu viriliq; aſtu præditum, qui, quum fortè nocturna in rixa, dum principem protegeret, ſibi deciſæ nares fuiſſent, eius opimi muneris præfectura fuerat donatus, vt deformati oris fœditas aliqua ex parte eo beneficio penſaretur. Huic Vitellius delectos ex ſuis Tiphernatibus milites, cuſtodiæ cauſa attribuerat, ſub Mendula aſtuto vafroq; centurione genere Salentino. Per hunc perſuaſis militibus ex conpoſito excitata eſt in arce repentina ſeditio falſo rumore excito, quòd præfectus noctu pecuniæ culeos è muro demitteret, atque arcem in ſpem ingentis præmij èxulibus traditurus eſſe diceretur. Ex ea vociferatione perfidioſaq; inſolentia tumultuantis turbæ, quum ſeſe purgare præfectus vellet, impetu conſpirantium facto, conſilij & virium inops comprehenditur, Mendula claues extorquet, & vti ſignificatione facta conuenerat, Othonem Montacutum Vitellij præfectum, qui cum cohorte ad extimos foſſę cancellos peruenerat, adapertis portis introducit. Aduenit etiam illico Vitellius ipſe, extruſoq; per minas & contumelias Parmenſe cuſtode, tota arce potitur, nouasque vigilias diſponit, et Coſmo principi nunciari iubet, ſedatam eſſe ſeditionem, rem in tuto eſſe, atque arcem in eius poteſtate futuram pollicetur: egregio hercle tum animo, niſi poſteà, vt aliqui exiſtimant, voluntatem maioris præmij ſpe adductam magno quidem Coſmi detrimento mutauiſſe diceretur. Cuius conceptæ ſuſpicionis nomen vt auerteret, apud Coſmum pręſentibus ſenatorum ampliſſimis prolixè teſtatus eſt, ſe nemini præterquam ipſi Coſmo, ſicuti iure deberet, dediturum arcem, modò is in fide clientelaque Cæſaris permaneret, proptereaq; ſe duos è liberis promiſſi obſides daturum: ſed id pignus tanquam minimè neceſſarium Coſmus generosè abnuit, vt nondum confirmati hominis conſcientiam arctius atq; nobilius obſtringeret. Ferunt nonnulli, Vitellium Medicę gazæ oculos adieciſſe, quam Margarita Auſtria orbata coniuge, mœroreq; & metu occupata, in arcem deducente Cardinale confugiens, planè totam, vſq; ad ignobilis inſtrumenti ſupellectilem ſecum aſportarat: vtpote qui eius partem, vti poſteà accidit, in præmij nomen ſibi obuenturam ſperauiſſet. Nec multum inde Vitellius, ad Cæſarem ſyngrapham miſit, qua arcem ſecuritatis cauſa ab ſe occupatam, ipſius Cęſaris nomine defenſurum promittebat: neq; vlli traditurum vnquam, niſi ex voluntate eius id facere iuberetur. Dum hæc Florentiæ aguntur, & Romæ de cæde Alexan-

dri certius

dri certius cognoſcitur, exules Florentini, Bartholomæo Valorio, & Antonio Franciſco Albicio cogentibus, ad Salviatum Rodulphumq; Cardinales concurrunt: de recuperanda libertate vehementer conſultant: cōſilio Maconium Galliæ regis legatum adhibent. & quum nunciaretur Coſmum in interfecti locum ex ſenatuſconſulto fuiſſe ſubrogatum, amiſſam omnes recuperādæ libertatis occaſionem dolent: conqueruntur de pigritia, ignaviaq; civium, qui opportuniſsimo tempore nihil ſe commoverint: ſenatum incuſant, atque patritios imbecillitatis, importunique timoris, qui tyranno fortiter, opportuneque ſublato, Coſmum nimis præcipiti deliberatione, expeditis ſuffragijs ſuffeciſſent: ſic ut nō excutere iugum dominatus, ſed mutare dominum tanquā priore mitiorem cupiviſſe videri poſsint. Itaque ardentibus animis paranda arma cenſent: properandumque Florentiam decernunt, ut priuſquam novi principatus vires coaleſcant, tanquam prætereræ adhuc & invalidæ, excitatis ad liberandæ patriæ ſtudium civibus, convellantur. Incenſos proclinatoſque ad bellum Cardinales, cæteroſque exules incitat Paulus Pontifex, conferenteque pecuniam Maconio, in Vmbria, Pontificijque imperij provincijs milites conſcribi ſinit. Suis namq; rebus atq; conſilijs cum privatis tum publicis conducere iudicabat, ſi Etruriæ imperium æquabili reſtitutæ Reipublicæ conſilio, potius quàm unius principis nutu atq; auſpicio regeretur. Agnoſcebat ſiquidem ſe non obſcuro metu, inſenſoq; hoſte fuiſſe liberatum ſublato Alexandro, qui graviſsimè de ſubagreſti avaritia, inhumanaq; duritie ingrati Pontificis fuerat conqueſtus, quòd defuncti Hippolyti Cardinalis ſupellectilem, in qua erant vetera Mediceæ familiæ ornamenta, ad haſtam vendere, quàm ſibi æqua pecunia redimere cupienti concedere, maluiſſet: qua ex re tanquam inexpiabili iniuria exacerbatus, multis nominibus ingratum Pontificem appellare conſueſſet, & teſtari ſe aliquando eius contumeliæ dolorem expiaturum infeſta populatione, quòd eſſet valido cum equitatu expeditiſque cohortibus, ad concremanda Farneſiæ familię oppida uſque ad Vlſinenſem lacum irrupturus, ſic ut non temerè Pontifex eadem pericula converſo in Coſmum odio præcavenda duceret: quandoquidē erecto novo principatu, & vigente eadem cauſa privatæ ſimultatis, nomen tantùm non animum principis eſſe mutatū exiſtimare poſſet. Itaq; Cardinales expedita pecunia Paulum Rentio Ceritegenitum conſcribere cohortes, & in Aretinum agrum contendere iubent. Ipſi ab Vrbe proficiſcuntur, & Florentiam ire pergunt. At Coſmus de eorum conſilio certior factus, per Vitellium, Rodulphumq; Baleonum copias cogi atq; opponi tranſituris iubet, accerſitq; in agrum Feſulanum Hiſpanorum cohortes, duce Franciſco Sarmento, & quæ ſibi in urbe præmunienda erant diligenter inſtituit. Eo etiam ſecuriore fiducia quòd ad Hiſpanos acceſſerant duo vexilla Germanorum ex his, qui ab Algeriano bello in Hiſpaniam delati in Italiam demum veniſſent. Nam Alexander dubij, & in officio Cæſaris non obſcurè nutantis Pontificis conſilia ſuſpectans, & in eum capitale propè odium coquens, ſeſe externis præſidijs confirmare ſtatuerat, & Vaſtius cognita Alexandri cæde Pyrrhum Stipicianum, qui Coſmo, uti expediret, Cæſariani nominis præſidia compararet, Florentiam miſerat. Fama erat ideo venire Cardinales ad patriam, ut publicarum rerum ſtatum componerent, quaſi neq; rectè, neq; ex uſu civitatis, optimates ſubrogato novo principe publicis rebus conſuluiſſent. Quamobrem fiebat, ut Coſmus eorum adventum miraretur, quòd uterq; ip-

ſum arcta propinquitate contingeret, ipſeq; Saluiatus eſſet auunculus: eorum verò conſilium rideret potius quàm timeret, quoniam propinquis confiſus copijs, nihil de optimatium fide, conſtantiq; erga ſe ſtudio dubitaret. Hi namq; ius ſuum tueri volebant, exiſtimationemq; iudicij ſui, factiq; cauſam ſe defenſuros eſſe teſtabantur. Interim Cardinales & exules ad Montem Politianum recepti, vbi de aduentu Hiſpanorum ad vrbem certiùs diſcunt, & Baleonus cum equitibus ad Clanis pontem perueniſſe nunciaretur, tantiſper ſubſiſtunt, & per idoneos homines ciuitatis animos explorant. Præmiſerant Cardinales cum literis ad primores factionis Georgium Ridulphum. Is quod eſſet exul tanquam temere ingreſſus comprehenditur, magnoq́ue correptus metu, quas deferret literas profert, poſtmodumq́ue dimittitur. Tum verò per mutuas legationes actitatum eſt, an colloquijs potius quàm armis de publicis rebus eſſet diſceptandum. Coſmus honoris cauſa venientes ad ſe cum inermi comitatu in vrbem recepturum profitebatur: ſin cum copijs quas adduxiſſent venire mallent: ipſum quoque introductis Hiſpanorum præſidijs ſaluti ſuæ & dignitati conſulturum. Saluiatus non ſatis ſibi virium adeſſe cernens, quòd ſe plurimum conſilio & colloquijs apud ciues valiturum confideret, ſuaſit Ridulpho, atq; item Gaddio, qui tertius impellente Maconio vel nolens acceſſerat, vt omnino in vrbem iretur inermi comiatu, ſicuti ſacerdotes pacis potius quàm belli auidos deceret. Eos Coſmus obuiam honoris cauſa progreſſus, tanquam propinquos ſpectabileſq; ſacri ordinis ciues hilariter ſuſcepit. Sed intrantibus vrbem non aliter a populo acclamatum eſt, quàm vt pilarum nomen ingeminatis clamoribus attolleretur. Qua ſignificatione animorum Cardinales ægra ſpe ſuſcepti conſilij ſui, ad paternas domos deducti ſunt. Nec multo pòſt inter crebras ſalutationes ciuium fruſtra pertentatis voluntatibus Saluiatus Coſmo ſuadere cœpit, vt abdicato principatu honeſtiſsimo inter ciues loco contentus eſſe vellet, qui ei maximè glorioſus atq; tutiſsimus foret in libera ciuitate ſuis legibus viuere florereq; ſolita. Id ſi faceret, manſuram ei dignitatem amore & gratia ciuium ampliſsimam, qua maiores ipſius ab ciuili moderatione principes ciuitatis euaſiſſent: collaturamq́ue ei ciuitatem ex ſenatuſconſulto inſigne præmium annui redditus, quo adiutus ſupra paternas opes ſplendidiſsimi ciuis diſciplinam & cultum tueretur. Repeteret ipſe animo, quo ſpiritu, quaue animorum conſtantia, ciues paulo antè libertatem appetierint, partamq́ue demum defendere conati ſint, & quàm non diu regnarit impoſitus Tyrannus, vel apud deſertos ab omnibus ſocijs ſubactoſq; conſpiratione totius Europæ atq; omnibus demum exutos armis. Hæc à ſe commemorari liberius atq; lubentius, quòd extra pudorem & bonus eſſet ciuis, ac propenſus auunculus. Dij boni facerent, vt optima conſilia quæ ſecura eſſent atque honeſtiſsima ad mentem inani ambitione vacuam admitteret. Fore etenim vt ipſe hoc officio veræ pietatis, & is ſummæ gloriæ ſpe ductus iuſto melioris animi decreto incomparabilem ferret laudem, nec eam quidem vllo vnquam tempore perituram. Ad ea Coſmus virili conſtantia reſpondit, ſe neq; vllum honorem iuſto maiorem in patria, neq; principis locum Alexãdro erepto quæſiuiſſe, ſed integro pudore repudiare noluiſſe quæ vno conſenſu ſenatus ex lege Cæſaris detuliſſet, ne ineptus foret, ſi degeneri animo oblatæ dignitati ſe minimè parem eſſe fateretur. Eum qui eſſet auunculus hac Fortuna ſua lætari debere, nec inimicè aut certè parum pudenter hortari, vt non vſurpatum, ſed

collatum

collatum ultrò dictaturæ nomen ſtultè deponeret. Se quidem auſpicio invicti Cæſaris Rempublicam geſturum civili æquitate, non impotentis principis more, ſperareque, ſe ex rectis conſilijs probitateque vitæ, multos ſibi ex inimicis amiciſsimos eſſe redditurum, daturumque operam, ut potentiç ſuæ nomen nemini bono civi invidioſum foret. Salutem porrò ſuam Dijs immortalibus cordi futuram ſe credere, qui ex benefactis nemini probè pieq; regnanti atrocem unquam vitæ exitum attuliſſent. Itaque deſineret ſecum agere de re tranſacta: ſibi namque in animo ſitum eſſe quid fata obtulerint, quidve ultra etiam promittant, virtute duce proſequi atque ſuſcipere: firmiſsimoque decreto non deeſſe fortunç arridenti. Quòd ſi armis ſibi vis afferatur, oſtenſurum ſe ea conſtantia eſſe præditum in retinenda dignitate, ut non prius extrema omnia experiri & perpeti, atque armatum ſi oporteat interfici, quàm honore iam recepto & feliciter inchoato deijci malit. Salviatus ab hoc colloquio diſcedens, facilè ſenſit, quos ſpiritus gereret ſororis filius, vel imberbis adoleſcens, & quàm anguſtè ſibi eſſet ſperandum de civium voluntate, iudicioque populi, quum nemo ſeſe cupidum rerum novarũ, aut omnino popularium partium ſtudioſum oſtenderet. Proinde iraſcebatur iam ſibi tanquam nimis properè rem difficilem ingreſſo, quæ reſpectu propinquitatis certum & non dubium quoque metum afferret, tot ſcilicet Coſmi prçſidijs eorum adventus cauſam improbantibus. Milites namq; paſsim diſpoſiti domos Cardinalium diſsimulanter obſervabant, ſic ut interdiu noctuq; adeuntes cives notarent, nihilo ſecius tamen Cardinales ipſo ſtolato cultu & ſenatorijs inſignibus tuti, quum nihil de inſtituto conſilio remitterent, ſpecieque quotidiani convictus nonnullos invitare, & familiarius complecti ſolerent, eis Coſmus per Vitellium renunciari iuſsit, ut urbe excederent, & ſeſe ad ſua munia ſenatoriæ dignitatis reciperent, ne in ipſos militi inviſos odia atque arma verterentur. Valorio quoque peracerbè cædem interminatus eſt. qua periculi denunciatione Cardinales extemplò urbe profecti, Bononiam ſe contulerunt: quibus in Apœnino obvius factus eſt Philippus Strozza exulum princeps, quo cum eadem quæ dudum improſperè evenerant, belli gerendi conſilia inſtaurata ſunt. Negocium itaque parandi atq; inferendi belli Petro Strozzæ ipſius Philippi filio permittitur, quòd ſecũ nonnullos ex prima nobilitate exules traheret, & ſummo navandç operæ ſtudio ardere videretur. Is pecunioſi patris opibus fretus, auctusque militari laude, quòd Gallis apud Taurinũ non obſcura fama militaſſet, non defuturas ſibi copias exiſtimabat. Venerat in ſpem occupandæ eius urbis, cui Burgo ſancti Sepulchri nomen eſt, in finibus Etruriæ, qui ad Vmbriam pertinent. Per id enim tempus Burgenſes inteſtina diſcordia laborantes, mutuis inter ſe cçdibus deſæviebant: forteque evenit, ut nonnulli his dè cauſis prætorio iudicio extorres facti, Strozzæ urbem occupandã ſe præbituros pollicerentur, creditumq; eſt ab hac proditione civitatis præſulem minimè diſſenſiſſe. Is erat Alexander Rondinellus vetere odio, ſed accuratè compreſſo Mediceis infenſus, ad quem colloquendi cauſa Franciſcum Pactium & Philippum Valorij filium, Bertoldumq; Corſinum ex numero exulum intraſſe conſtabat. Cæterùm ubi ex non incerta fama percrebuit, Strozzam cum cohortibus adventare, & iam eius vexilla conſpici, in univerſum Burgenſes, ne ullam infidelitatis ſuſpicionem darent, ad ſonitum campani æris, arma capere atque egredi porta cœperunt. Quo cognito Strozziani eluſi ſpe ſua, & oppidanorum multitudine

perterriti, adeo celeriter ſigna verterunt, vt Apœnini dorſum illico tranſcenderent, & ad Seſtinum ignobile caſtellum improuiſò occupandum verterentur. Sed non minore fide virtuteq; Seſtiniani, quàm Burgenſes, vel nullo militari præſidio defendente, ſubeuntes Srozzeanos pepulere, aliquot eorum interfectis, & in his Nicolao Strozza, & Moretto Signorino exulibus, ac reliquis tanto impetu deturbatis, vt in præcipitem fugam ſe darent, & per alueum Arimini amnis, qui Mariza ab incolis dicitur, intra Pontificij imperij fines ſe reciperent. His aduerſis partium conatibus nihil animo ſe demiſit Strozza, communicatisq; iterum cum Saluiato cæterisq; exulibus, tertiæ expeditionis conſilijs, maiore apparatu, grauioreq; impetu Etruriæ incumbendum eſſe conſtituit. Quarum rerum factus certior Coſmus, valida etiam ipſe præſidia, fœlicioraq; (vti euentus docuit) adulta iam æſtate comparabat: ampliore fiducia vel ob id expectandos eſſe hoſtes exiſtimans, quòd iam ſui principatus iura ipſius Cæſaris propenſiſſima voluntate confirmata, ex bullatis & ſolennibus codicillis acceperat, & id quidem vberiore Cæſaris benignitate, quod hiſdem titulis atq; honoribus, quibus antea Alexandrium generum conſentiente ciuitate indulgenter exornaſſet, Coſmum quoq; principis & ducis nomine appellandum cenſuerat. Ab initio ſiquidem per Auerardum Serriſtorium legatum Coſmus à Cæſare poſtularat, vt quicquid ſenatus Florentinus ex ipſius authoritate ab initio receptæ vrbis inſtitutus, Alexandro conceſſit, id totum quoq; ſibi tribuendum decerneret. Qua ſignificatione amoris & gratiæ vſq; adeo corroborata eſt apud omnes Coſmi exiſtimatio, vt vetera in Mediceos ciuium odia detergi, & penitus extingui: confirmari autem amicorum ſtudia, & ſubinde exulum conatus contemni poſſe facilè appareret. Vt verò in nuptialem thorum Margaritæ filiæ ex ſponſalibus ſuccederet, quæ viduæ puellæ neque inepta, neq; ingrata videri poſſent, impetrari non potuit: quòd eam iam Octauio Pauli Pontificis nepoti ex arcano deſpondiſſe fateretur. Tertio loco reddi ſibi arcem petebat, quam Vitellius iniuſſu Cæſaris ſe minimè redditurum aſſeuerarat. Ad id ita Cæſar reſpondit, vt non in præſens concedi debere diceret: ſed integram ei ſpem, nec optato euentu cariturã relinquere videretur. Cæſar enim ſuopte ingenio nunquam pleniſſimè de quoquam externo bene ſuſpicari ſolitus, Coſmum propinqua ſpe illata recipiendæ arcis in officio continendum rebatur, poſtquam ei filiæ nuptias denegaſſet: admirantibus cunctis, quòd Mediceo florentis ætatis & formæ iuueni, in non dubiam Etruſci imperij poſſeſſionem recepto, Farneſius incertæ adhuc indolis & Fortunæ, duodecim annorum puer, præferretur. Verùm inualeſcentibus Gallorum armis, & incumbente Solymani claſſe, vnus antè omnes Pontifex, cui Nouaria dono data minime ſuffeciſſet, aliquo inſigni munere conciliandus erat, vt Gallo regi, tanquam impiè Turcas ad communem Chriſtiani nominis perniciem euocanti, ſeſe hoſtem non iam perplexè ſed apertè futurum eſſe pronunciaret. Hi duo principes ætate noſtra (vti exiſtimare licuit) ſupra reliquorum regum ingenia, non eximia modò admirabilique prudentia: ſed occulta ambitione, profundoq; aſtu inſignes, commodis tantum ſuis, nullo ambiguæ fidei cum pudore ſeruiebant: Pontifex, vt ſuæ domus opes vel malo publico vehementer augeret, Cæſar porrò vt finitimis ſubactis, vetus ſibi imperium, in Italiaq; præſertim, aſſereret: vt inde amplificatis viribus & dignitate confirmata, ſicuti innata virtus & aſpirans Fortuna promitterent, maximæ partis Europæ domi-

natu

natu potiretur. His ſenſibus nunquam planè ſynceris plerunq; fiebat, vt inter ſe per inania promiſſa colluderent, et quantum integra amicitię dignitate fieri poſſet, vterq; callidis ſemper conſilijs mutuas ſimulationis artes inducerent, ne alter ab altro decipi, aut traduci facile poſſet. Neq; enim ab hoc Galliæ rex honeſtè deſerendus, neq; ab illo etiam tutò contemnendus Pontifex cenſebatur, quando vtrinq; cuncta ad mutuum commodum præſenti lucro aut futura ſpe non ineptè penſarentur. Per id tempus in Subalpina regione Galli cum Cæſarianis ita gerebant bellum, vt detrimenta atq; pericula diuerſis rerum euentibus vtrinq; exæquata videri poſſent. Nam per heymem exercendo militi continuandoq; bello varijs ſuſceptis expeditionibus vtriq; ex hoſtili agro aliquot oppida aut expugnarant, aut oppugnata ab aduerſarijs cruento ſæpè certamine defenderant: enimuerò ſicuti ſuperiore æſtate Cæſariani Foſſano potiti fuerant: ita per heymem Galli Italicis aucti copijs Bargiam vi expugnatam, capto ibi Annibale Brancatio Neapolitano, in poteſtatem redegerant, & Raconiſium oppidum peramplũ, noctu inuadente intranteq; per arcem Petro Stroza, atq; ei ſubſidia equitum adducente Cæſare Fregoſio, ita cœperant, vt commiſſo per regiones tumultuoſiſſimo certamine, Cæſarianos oppreſſerint, cadentibus eo in prælio ex victoribus Thoma Ronchio Nouellariæ cohortis præfecto, & Latino Vecchia Romano: Quæ duo incommoda non multo poſt Cæſariani Caragiana cæde & Caſalenſi victoria rependerint. Sed ineunte verè Salaſſius quum occupata Carmagnola, arcem, quam Stephanus Balia Mutinenſis pertinaciſſimè tuebatur, oppugnare pararet, tormentumq; librando in propugnatores dirigeret, glandè ipſe traiectus occubuit. His vero animis exceptus eſt Salaſſi interitus, vt non Gallicarum modò partium plerią;, ſed & æqui homines in neutram inclinantès partem, eum tanquam perfidiæ nota inſamem, meritò occiſum dicerent: Hiſpani vero tanquam virum fortem laudibus proſequerentur, & Vaſtius diſſimulata offenſione, interioreq; lætitia, ſeuerius fortaſſe quàm oporteret, Stephanum non multo poſt protracta & demum deſperata defenſione, laqueo ſuſpendi iuberet, vt ea victima æmuli Salaſſi manibus parentare videretur. Eo autem ſucceſſu incommodum vtrinq; æquatum videbatur, quò paulo antè Galli Annibalem Nouellarium, qui nobilitate atq; virtute par eſſet, apud Buſcham ignobile caſtellum, nocturna oppugnatione fortuito minoris tormenti ictu interfectum deſideraſſent. Sub id tempus Humerius, nouus dux Gallus, cum recentibus copijs ad reparandum bellum à rege miſſus, ab Alpibus deſcendit: cuius aduentum ſummumq; imperium Guido Rangonus, Gallicanorum ducum quos diximus, vſu belli, ingenijq; ſolertia longè optimus, non diu ferens, à militia regia profectus in Galliam diſceſſit. Nec multùm inde ſecundum Guidonẽ & ipſe quoq; Caninius concepta ex leuiſſimis delationibus cum Fregoſio ſimultate, à Gallis ſeſe alinauit, ſingulari certamine cum eo certaturus, prouocatorijs in ea controuerſia editis libellis, quibus Itali milites ſuperbis inſaniſque ingenijs ferociam animi oſtentare, & inane decus tueri, cum exitio ſæpè turpi, fœdoque fortunarum & nominis detrimento, pertinaciſſimè ſtudent: ſecus ac exteræ gentes, quæ ferè omnes honeſtiore decreto, militiæ et in acie tantum aduerſus publicum hoſtem virtutem oſtendere fas eſſe iudicant. Cæterum Humerius, qui magna virium & nominis famam, quod Delphini nutricius fuiſſet, ſpecie ferox aduenerat, ſatis celeriter opinione homiũ decidere viſus eſt: quũ ſeſe nequaquã

pro natura Gallorum pugnacem, & in conſilijs explicatum, ſed planè timidum oſtendiſſet: Quod opportuna quæq; gerendo bello conſilia, vel non inepta occaſione inducta, & oblata à cæteris ducibus, tanquam periculoſa reſpueret. Delatus enim ad Aſtam, recenti validoq; impetu eam vrbem occupaturus exiſtimari poterat, ſi paululum ſeſe prouehere, & Aſtenſes nudatos iuſto præſidio, & in Gallicum nomen ex antiqua dominatus conſuetudine proclinatos, oſtentata acie tentare voluiſſet. Tuebatur ſiquidem eam vrbem Antonius Aragonius non magna manu militum, ſic vt Vaſtius eius periculo vehementer angeretur. Antonius de ſalute ſua, vti iuuenis opulentus atq; pernobilis, maximè ſolicitus, nec bello abundè exercitatus, anxiè à Vaſtio opem ſibi ferri poſtularet. Accidit autem, vt quum ſubſidio cum ſemiplena Hiſpanorum cohorte Franciſcus Ruicius adueniſſet, Antonio animus confirmaretur, ob idque Humerio obtinendæ vrbis facultas ſpesq; omnis minui atq; adimi videretur, retrocedendumq; inde ſtatueret, quòd aduentare Vaſtium ex inani rumore, & prælio certaturum arbitraretur: fruſtra reclamante Paulo Cerite, qui inuadendæ, oppugnandæque vrbis ſibi nihil periculi verito aut recuſanti, id munus demandari poſtulabat. Is deteſtatus regis conſilium, qui pro impigro bellicoſoque duce ciuilis modeſtiæ fideiq; & ſuſpicacis naturæ hominem, ſecus ac aliàs eſſet ſolitus, trans Alpes miſiſſet, abeuntis exercitus terga peculiari delectorum præſidio firmauit. Apparebat enim Cæſarianos alacriter in hoſtes caſtra mouentes erupturos: atque ita mox euenit, vt à nouiſſimo agmine conſerta pugna certaretur, & Paulus audacius proruentes excipiens, expedito cohortium flexu multis hoſtium vulneratis, & quibuſdam interfectis, incumbentium audaciam reprimeret, & eo congreſſu Cola Toraldus nobilis Hiſpanicæ ſtirpis Neapolitanus interficeretur. Humerius nihil vltra laceſſente hoſte, ad Albam Pompeiam profectus, extra vrbem ſtatiua caſtra poſuit: quo cognito Vaſtius & ipſe iuxta Aſtam inter duo cœnobia caſtra metatus eſt: Sanſeuerinũ Beſennianum regulũ qui vniuerſis equitibus præerat, turmas omnes ſecundum Tanari amnis ripam extendere iubens, vt quid moliretur hoſtis, paratus ipſe ad obſiſtendum certandumque emiſsis ſpeculatoribus expectaret. Quum Humerius ſegnius cunctari proſpiceretur, & Vaſtius animaduerteret in dies augeri Gallorum copias, & de aliquot oppidorum fide dubitaret, à Ferdinando rege duas ſibi, ad præſidiũ Subalpinæ regionis, Germanorum legiones mitti poſtulauit, idq; celeriter cum publicę cauſę & fratris Cęſaris cõmodo tum iuſtis Vaſtij precibus Ferdinandus tribuiſſet, dux legionum Federicus Fuſtembergus, inclyti inter Germanos nominis regulus, Tridẽtinis Alpibus deſcendit: quibus in legionibus pleriq; ex Norica atq; Vindelica iuuentute nobiles, & procerũ propinqui nomina dederant. Erat hic Federicus, eius Guliermi qui Gallo regi militabat germanus frater, diſsimili ingenio vir: vtpote qui fratrem peruerſo iudicio, neglectaq; religione, militaribus rapinis, & improbo ſemper quæſtui, defraudatis ſtipendio militibus turpiſsimè deditum, & quod nefariũ videbatur, contra Germanici nominis decus externi atq; inimici regis auſpicia ſequentẽ, probo ore, atq; exactę virtutis fame ſuperaret. At Humerius aduentu Germanorum cognito, vti viribus atq; animo hoſtibus impar, copijs quas habebat diſpartitis, oppida tuenda cõmiſit, ea ratione diuiſis muneribus, vt ſingulos duces oppidis pręficeret: Azaliũ è Togata Gallia virũ iactabundũ potius quàm fortem, Cherio impoſuit, attributis ei pręter Italicos milites duobus

bus Vaſconum vexillis: Claraſcum autem opportunum oppidum, Cæſari Fregoſio defendendum dedit. Albæ verò prępoſitus eſt Iulius Vrſinus, eo Mario genitus qui Florentiæ maioris tormenti pila ictus occiderat. Fregoſius ea conditione demandatum munus ſuſcepit, vt ſe fortem operam aduerſus omnem hoſtium impetum præſtaturum teſtaretur, ſi ab Humerio, ſicuti ille prolixè fidem dabat, intra quadrageſimum diem certa commeatus & militum ſupplementa ſummitterentur. Iulius Albanis inſpectis mœnibus, quarũ vitia paſſim eminebãt, & ea niſi longo labore aggeribus permuniri reſarciriq; poſſent, tutelam loci cum excuſatione inopiæ multarum rerum ſuſceperat, Humerij adhortationibus & ſpe promiſſæ opis excitatus. Cæterum Humerius conſtitutis præſidijs nihil ſibi moræ attulit, quin inglorius in Galliam reuerteretur, & Vaſtius non multos intermitteret dies, quin ad oppugnandũ Cherium omnem tormentorũ apparatum conueheret. Oppugnatio autem cœpta eſt ab ea parte mœnium, quæ diui Auguſtini templum reſpicit, quòd murus ab ea parte debilis appareret. Azalius ſatis peritè atq; opportunè ex diſciplina munitionem erexerat ingreſſuris hoſtibus, tabulata æquata ſolo eminentibus pręacutis clauorum ſtimulis, quibus pedes ingruentium configerentur, obiecerat: multumq; ſulphureũ ignem, qui de more aridam materiã corriperet, occultis in locis excitãdum ita inſtituerat, vt egregiè proſpexiſſe periculo videretur, ſi eundẽ animum ad ingenij ſolertiam afferret, quem antea iactando prætuliſſet. Nam vbi adactis maioribus tormentis murus quati diruiq; cœpit, tantoq; ſpatio continuata quaſſatione patefacta eſſent mœnia, quanto ſatis foret ad inuitandos milites, proponẽte pugnæ ſignum Vaſtio, Itali Hiſpaniq; pariter in oppidũ perruperunt: quo tumultu acerrimæ inuaſionis, Azalius vſq; adeo trepidanter atque imperitè ſe geſſit, vt nemo ferè ſuorum in eo loco pugnaret, nec ipſe, vbi periculum depoſcebat, conſpiceretur. Eo namq; impetu Cæſariani Azalianas munitiones ſuperarunt, vt nihil eos per ſtrata tabulata eminentes clauorum cuſpedis retardarent, nec ea ſulphureorum ignium fomenta, quæ ad edendam flammam erant parata, ſuo tempore ignem conciperent, & dux ipſe fœde animum deſpondens, vitæ diſcrimen effugeret, continuoq; trucidatis aut captis præſidiarijs, turpi in latebra caperetur. Dum Cæſariani in vrbem penetrarent, Vaſcones timore præpediti ad id propugnaculum, quod ſuperiore anno Anibal Nouellarius erexerat, ſe contulerunt: atq; inde (nihil ibi conſiſtere auſi) vt ſe in longiorem fugam proriperent, exterius in foſſam humore carentem ſe demittere cœperunt, quòd eius munitionis agger ſatis eſſet humilis, facilèmq; deſcenſum præberet. Id conſpicatæ Germanorum cohortes, quæ conſtituta phalange, ſubſidiaria in acie conſtiterant, eos ad vnum omnes numero amplius trecentos, vel vltro ſeſe dedentes, impetu facto trucidarunt. Totius verò oppidi mulieres, quæ pauore attonitæ in turrem confugerant cum cariſſimis ornamentorum ſuorum rebus deditionem fecerunt, ceſſeruntq; in prædam Didaco Arzio caſtrorum præfecto, qui id coniectura futurum iudicans, & opimiorem prædam quærens, primus omnium aduolarat. Cæteri vicatim ſingulas domos diripientes, captos earum dominos, pecunia ſe redimere coegerunt. Azalius vero ipſe perductus ad Vaſtium, cunctis riſui fuit, quòd nihil ei tot rerum apparatus, quum oportuit, vſui fuiſſent, & idcirco oneratus infamia rei male geſtæ, multo auro ſe redimere coactus eſt. Expugnato per hunc modum Cherio Vaſtius ad Clareſcum mouit caſtra. Nec mora exploratis ad-

ſi à Vaſtio honeſtis conditionibus acciperetur. Atque ita non diu poſt ab Aloiſio Gonzaga, qui erat apud Vaſtium Fregoſio arcta cognatione atque amicitia coniunctus, res tractata & confecta eſt æquiſsimis legibus; quòd Vaſtius offenſus & ipſe Vulcani immatura morte, & fortiſsimorum quorundam iactura, reliquorum militum periculoſis laboribus et ſanguini parcendum putaret, compertumq; haberet aduerſariorum animos tales eſſe, vt in defenſioné fortiter oppetere, quàm contra decus paciſci mallent. Erant enim apud Fregoſium acerrimi cohortium præfecti Carraria Salentinus, & Baptiſta Corſus cognomento Lega, quorum maiores Corſicæ inſulæ imperium tenuiſſent, & præter hos duo Veronenſes Antonius Beuilaqua, & Ludouicus Montanus, atq; item Philippus Corſus, vetus cohortis dux. Deditionis condiciones in hunc modum perſcriptæ ſunt, vt Cæſari Fregoſio ſaluis rebus, incolumiq; præſidio, & explicatis vexillis excedere liceret: tormẽta ipſe relinqueret & commeatum: ſed ei quod ſua pecunia coemiſſet, frumentũ à Vaſtio ſolueretur, & oppidanis nulla afferretur iniuria: Atq; ita comitãte Cæſarianorũ equitatu, atq; eum paſsim ab iniuria defendente, ad Penarolum oppidum peruenit, indeq; in Galliam profectus eſt, vt regi rerum difficultates explicaret. Claraſco autem potitus Vaſtius Hieronymum Sangrium, & Cherio Ferdinandum Lofredium præfecit: & ad expugnandã Albam continuò duxit: Animaduerſo autem eius vrbis ſitu vltra Tanarum amnem tormenta perducta conſtitutaq; ſunt, eo Vaſtij iuſſu, vt binæ & penè inter ſe coniunctæ quaſſationes fierent, quarum altera Hiſpanis, altera Italis ad inuadendum erat aſsignata: quòd Germanis parcendum idcirco Vaſtius iudicabat, tanquã campeſtri prælio aptioribus, quàm ſubeundis muris: quòd id munus agiliora militum corpora atq; expeditiores animos requireret. Erat in caſtris euulgatum, quoſdam Hiſpanorum ſigniferos acerbis à Vaſtio verbis fuiſſe caſtigatos, quòd ſibi et gregarijs ſuis, pro cono parua vexilla galeis imponere iuſſiſſent: vtpote qui antè alios ad promerendam laudem, ac murũ & prima pericula ſe ſubituros inſolentius iactaſſent, nec demum murali in pugna oſtentatæ audaciæ fortiter reſpondiſſent: qua ob iurgatione Hiſpani in vniuerſum permoti, quod Claraſci perficere nequiuiſſent, Albæ ingentibus animis ſe præſtituros teſtarentur, exorta inde apud Italos æmulatione, quòd ſibi præripi decus indignarentur: cuius obtrectationis is extitit ſucceſſus, vt Itali proximos loco Hiſpanos æquandi aut ſuperandi cupiditate, ante acceptum ſignum, manipulatim ad curſum ſe incitarent, & in præruptum murum, nec ſatis quidem apertum euolarent. Hac inſana ſed planè decora quorundam ſigniferorum properantia accidit, vt multi viri fortes intra vrbem irrumperent, & Cæſariana vexilla, cum intus ab hoſtibus, tum extra à Vaſtio totoque exercitu in ſummis mœnibus & decuſsis muri pinnis ſpectarentur. Sed Iulius Vrſinus introrſus à muro ad iactum lapidis firmam munitionem erexerat, ex vimineis turriculis more militari gleba & ceſpite repletis: atq; etiã accelerandi cauſa ligneis ibidem vinarijs dolijs contra hoſtes conſtitutis: quo munimento cohortes tutæ à maioribus hoſtium tormentis, quod eſſent depreſsiore in loco, in primos hoſtium ſubeuntes, incenſis ſclopettis glandium procellam effunderent, atque audacter munitione egreſsi ingredi auſos, quominus ferociter inuaderentur, reiectos extra in præceps propellerent. Qua repentina ſcandentium perturbatione, Antonius Lofredius Cicchi ſenatoris Neapolitani filius, qui primus in murum euaſerat, impigre reſi-

ſtens occubuit,& Scipio Montebelliæ cohortis ſignifer poſtratus, cum vexillo captus eſt: Marcus verò Priuerans, qui primum illato ſigno virtutis decus affectarat, ita ſe explicuit, vt incumbente hoſtium multitudine, incolumis cum vexillo ad ſuos reuerteretur. Neq; enim facilè qui primi ſubierant a ſubſequentibus confirmari poterant, quum magno caſu ingens & vetus populi arbor, quæ erat interiore in aggere, fortè ſucciſa hoſtilis tormenti ictu, tranſuerſa ita procidiſſet, vt ea caſus inclinatione tanquam noua munitio obiecta, irrumpentibus magno eſſet impedimento: proptereaq; irrito conatu, qui iam aſcenderant, pulſi ab interiore hoſte, & iniquitate loci deterriti, omnes extra prouerent: quibus ſeſe recipientibus grauior incidit clades ab infimo propugnaculo quod erat eminens in foſſam, & ſua proiectura hoſtium latera conſpiciebat. Id erat concameratum lateritia teſtudine, & per idoneas feneſtellas ex occulto emittendis tormentis facultatem præbebat, Caſamactaq; militari nomine vocabatur. Hanc cum manu ſclopettariorum tuebatur Marconius Volaterranus, qui certos atq; mortiferos ictus è deſtinato ſeſe recipientibus inferebat, et niſi fumus admodum denſus interius ſpatium nullo ad effugium inuento foramine, multa edita caligine ſclopettarios præpediſſet, magnum profectò hoſtium numerum inde tanquam ex inſidijs interfeciſſet. Hic ille eſt Marconius qui apud Viennam, vti ſupra memorauimus, Italicas cohortes ad arma conſternatas, & multis de cauſis nequaquam in Pannoniæ præſidio heymandum cenſentes, turbulentiſſima concione in caſtris habita, perpulit, vt in Italiam redirent. Eo ex Caſamacta periculo, poſt non paruam militum iacturam, animaduerſo, Vaſtius receptui cani iuſſit, vt aliunde tormenta aptius et efficacius admoueret, quum Iulius audacia & multitudine Cæſarianorum perterritus, deſperansq; opem ſibi alicunde ferri poſſe, quod nihil de Gallicis auxilijs audiret, ad exemplum Fregoſij ſe dedidit: hiſdem ferè conditionibus quibus ille Claraſco exceſſiſſet: ſed aliquanto iniquiore ſorte, quoniam ab his qui præſidio dati, vt in fines Gallicos deducerentur, excedentium impedimenta latrocinij modo, in itenere direpta fuiſſent. Neq; eam illatam vim, admiſſumq; iniquè facinus Vaſtius vindicauit, quanquam prædatores equitum præfectos, & in his Roſalium & Iuaniam Hiſpanos, & Bellottum Sequanum, Epirotamq; Zucetum, ſeueriſſimis verbis caſtigaſſet. Alba in poteſtatem redacta, motis caſtris ad Penarolum illico contendit, eo animo, vt id oppidum, quod tormentis expugnari non poſſet propter loci natura atq; arte muniti difficultatem, longa ſaltem obſidione fatigaret: Taurinoq; ſimul commeatus ſpem, quantum excurſionibus effici poſſet, paulatim abſcinderet. Hoc tanto rerum ſucceſſu Vaſtius ſupra recepti Caſalis victoriam mira celeritate partam, Cherio demum et Claraſco, atq; Alba vrbe intra octauum atque vigeſimum diem fortiter expugnatis, priſtinam virtutis ſuæ animiq; magnitudinis opinionem, non modò apud æmulos, ipſoſque etiam hoſtes mirificè confirmauit & auxit. Hiſdem diebus quibus Vaſtius expugnatis, aut deditione in poteſtatem redactis aliquot oppidis aduerſus Gallorum duces proſperè bellum gerebat, Florentini exules repetendæ rurſus Etruriæ conſilium ſuſceperunt, cohortante Saluiato Cardinale, & concitantibus Gallis, vt vndique Cæſaris vires diſtraherent. In id bellum Philippi Strozzæ perſona poſcebatur, quia eſſet ſummæ exiſtimationis inter exules, & maximè pecunioſus haberetur. Sed vti erat armorum imperitus, & parum fortis ad perferenda caſtrenſium laborum incom

moda,

moda, negabat ſe id munus eſſe ſuſcepturum, ne poſtquam duo ipſius liberi Petrus atque Robertus his periculis immiſcerentur, nullum ipſe ſalutis & Fortunarum diſcrimen eſſet aditurus. Hæc ita firmo animi decreto diſſerebat, ut Petrus filius gerendi belli cupiditate iuveniliter inflammatus, patrem ipſum vehementi, & planè inverecunda obiurgatione caſtigaret, nec obſcurè ei atrocia comminaretur, ſi in ea ſpe recuperandæ patriæ tot patritijs deeſſet, & nihil ſibi generoſe conandum eſſe ſtatueret. Quibus verbis Philippus à filio, quem unicè diligebat, vel reluctans expugnatus ſeſe non modò ſocium, ſed etiam urgente fato anteſignanum præbuit. Inter armatos exules eminebat ipſe Petrus Strozza, & Bernardus Salviatus Cardinalis frater, conſtanti, compoſitoque ingenio vir, militiæ maritimæ aſſuetus. Hi Capinio Mantuano operam navante, cohortes apud Mirandulam conſcripſerant, & Bononiæ conductis paſſim militibus copias auxerant, quòd Pontifex eius conſilij gnarus, & non occultus uti credebatur belli concitator, hæc fieri pateretur. Favebat autem exulibus mirificè Hieronymus Pepulus Bononienſis, cuius erant multę in Apennino montanorum hominum clientelæ, deſcendentibusque in Etruriam, tuta itinera per paternas poſſeſsiones, ſuggerendis commeatibus opportunas demonſtrabat. Hæc tametſi occultè apud Bononiam pararentur: de his tamen ſigillatim Coſmus princeps certior fiebat: & quanquam eſſet præſentis pecuniæ difficultate oppreſſus, quòd eas publicè ſinè gravi offenſione civium imperare non poterat: eas tamen ab amicis atque affinibus mutuas exigebat, ut militari præſidio totam confirmati iam à Cæſare principatus exiſtimationem tueretur. Erant in eius conſilio pręter Innocentium Cardinalem, & quoſdam togati ordinis cives, Alexander Vitellius, & Pyrrhus Stipicianus acerrimi duces, iamque valida & fidelis militum manus undique accerſita Florentiam ita coiverat, ut nihil de inteſtino tumultu dubitaret Coſmus, hortatuque ducum, adventanti hoſti non fortiter modo repugnandum, ſed obviam audacter eundum decerneret. Primùm autem omnium Piſtorio cavendum cenſet, ne hoſtis ſtudio amicæ partis fretus, ea opportuniſsima urbe potiretur. Piſtorij ſiquidem duæ vigebant factiones, æternis inter ſe odijs cruentiſsimè de potentia dimicare ſolitæ, quarum altera Guelphi nominis Cancellaria vocabatur, favebatque popularibus Florentinis: altera autem erat Panciatica, Gibellinæ & Mediceæ factioni addicta. Huius princeps erat Nicolaus Bracciolinus vir militaris & maximè cruentus. Illius verò pari authoritate ſe duces ferebant Franciſcus Habraus è Gateſca familia, & Battus Roſpilloſus. In hunc etiam modum Piſtorienſis erat diviſus ager, ut Panciatici planis & campeſtribus in locis nobilitate atque divitijs præſtarent: Cancellarij autem montanis in locis numero ampliore hominum æquatis opibus valerent: propterea fiebat, ut Coſmus Panciaticæ factionis vires, introductis in urbem eiuſdem factionis agreſtibus confirmare contenderet, ex adverſo exules concitatis ad arma Cancellarijs invadendæ urbis ſpem conciperent. Sed Coſmus confirmandos nominis ſui ſtudioſos militari præſidio, atq; urbem tuendam exiſtimans, Piſtorium præmiſit Federicum Montacutum cum duobus delectorum peditum vexillis, accerſitusque è ſummis montium pagis Caſtagninus Tanarius Panciaticis favens cum multitudine armatorum ſuæ factionis deſcendere parabat. Quibus cognitis rebus exules per Mattanam Cutellianum ſeditioſum & ſanguinarium hominem, & eum quem diximus Battum, ſæva incen-

dia in adverſæ factionis ædificijs excitari iuſſerunt, ut Panciatici conflagrantium Penatium ſuorũ terribili calamitate adducti, ad vindicandam iniuriam elicerentur, Piſtorioque exire, & ad ſua defendenda proficiſci, nec ideo Coſmianis rebus ullam opem ferre cogerentur. Iam exulum copiæ per Apenninum ad Fabricam vicum pervenerant, aliquanto lentius & tardius quàm expediret confectis itineribus, quòd in iugem bidui pluviam incidiſſent, ita ut eorum principes Philippus atque Valorius cupiditate inviſendæ Etruriæ fatali feſtinatione reliquos anteire maturarent, & ad montem Murlium uſque deſcenderent, exiſtimantes eius regionis hominum ſtudia ad occupandũ Piſtorium, invadendamque Florentiam ſibi minimè defutura, quòd propinquas & validas vires traherent, quibus nullo modo Coſmus reſiſtere poſſet, qui neque diu alere copias ſine pecunia poſſe, nec quas haberet adverſum ſe educturus crederetur, ne civitas parata ad recipiendam libertatem tumultu excito, tanquam præſidio nudata rebellaret. Mons Murlius collis eſt in extremis Apennini radicibus, qua deſinit in campos, metæ modo in acclive faſtigium eductus, præaltam in ſummo antiqui operis habens domum inſtar arcis, duplici muri corona, ſed ea vetere & paſsim collabente permunitam cum lata area amœniſsimi proſpectus. Eam arcem ademptam olim Florentinis, Caſtruccium Lucenſium Tyrannum adiecta munitione confirmaſſe annales tradunt. Totus collis undique olea, vite & pomiferis arboribus ita eſt conveſtitus, ut certis etiam gradibus ubi fruges ſerantur, aratrum admittat. Viæ militari imminet, qua a Piſtorio Florentiam itur. Ab hoc ſeptem milibus paſſuum: a Prato autem tribus diſtat. Tanta verò fiducia exulum principes in ea villa conſtiterunt, ut nihil omnino timerent, & Valorius villam ſuam, quam Baroniam vocabat, ab ſe non civili, ſed regio prope ſumptu ædificatam, tertio inde ſtadio ſecurus inviſeret, ſpaciareturque ocioſus in xyſto, villicum de futura vindemia ſpeque oleæ, & de proventu inſitarum arbuſcularum, & de perdicum aucupijs diligenter interrogans: ſic ut nonnulli mirarentur hominis inſaniam ſupra modum, privatæque Fortunæ conditionem ædificantis, & nihil ille de adverſo rerum eventu, quem fortuna temerè progreſsis adveheret, dubitare videretur. Philippus contrà cæco perculſus metu, ut qui nullum circa ſe præſidium cernebat, deambularet ſolus, & ſæpe ſciſcitaretur Zanobium Nerlium villæ dominum, an in tuto eſſet: nec ſuſpirare deſineret, donec procul conſpectis Petri filij vexillis animo ſeſe confirmaret. Petrus enim ut præſidio foret his qui inermes ad montem Murlium proceſſerant, diſiunctus à gravi copiarum agmine provolarat, caſtraque ad radices montis iuxta viam militarem collocarat, conſtitutis idoneo in loco quatuor minoribus tormentis, quæ ſecum advexerat. Nec multo poſt Fedinus ex numero exulum impiger & audax, cum aliquot equitibus prædatum emiſſus uſque ad Pratum, ereptos agricolis boves, & minoris pecoris aliquantam prædam ad exules retulit, improbante id factum Philippo, qui intempeſtivo atque improbo militum ſuorum maleficio ſuſceptæ pro libertate adipiſcenda expeditionis nomen fœdari nolebat: indignabaturque mirum in modum, quod Battus & Mattana veteribus factionis odijs ſtudentes, ſævo incendio cuncta prope eius tractus domicilia deleviſſent, quaſi Barbarorum more incendijs & cædibus ex uſu victoriæ ſævituræ forent, quum incolæ beneficijs atque humanitate, parcendo, nec factionum agnoſcẽdo odia, alliciendi & conſervandi, potius quam detri-

detri-

detrimentis afficiendi non inſanis ducibus viderentur. Præmiſerat Coſmus ad Pratum equitum turmas duas duce Poctio Inſubre, Roſa item Victio patris veterano impigro cum expeditis ſclopettarijs equites conſequi iuſſo. Poctius explorandi cauſa uſque ad hoſtes proceſſerat, levique pugna edita, amiſſis duobus equitibus retroceſſerat. Huic tendendas inſidias tanquam inconſultè iterum erupturo Strozza ratus, Sandrinum Filicarium cum iuſta manu ſclopettariorum, Paruſianæ villæ tectis (ea eſt militari in via) ſeſe occultare iubet, nec ſe commovere, donec hoſtile exeuntis Poctij agmen pertranſeat, quod demum à tergo invadi deberet, ut Poctius interclusus a tergo ſimul & à fronte cæderetur. Ipſe enim Strozza è caſtris ſuis ſtadia duo progreſſus ad pontem torrentis aquæ delectorum ſigna ſtatuerat. Sed longe aliter quàm putarat, inſidiarum eventus cecidit. Coſmus enim de conſilio ſuorum ducum in celeritate ſummam belli rationem reponens, adoriendos hoſtes eſſe cenſuerat, antequam reliquæ eorum copiæ quæ ſequebantur, primo agmini Strozzæque ſeſe iungerent. Rei gerendæ conſilium hoc ordine explicatur, ut ipſe Coſmus in urbe conſiſtat, emiſſaque Margarita Auſtria, ut Piſis tanquam tutiore in urbe commoretur, bellica munia Vitellius & Pyrrhus ſuſcipiant, maximeque occultata profectione noctu ad hoſtes contendant. Cæterum Coſmus qui Sarmentum cum Hiſpanis è Feſulano agro acciverat, aſtuto conſilio eis deſignari, pararique hoſpitia certis in urbe regionibus iubet, ſubindeque admitti in urbem eorum impedimenta, & inutilem ſervitiorum turbam, ut ſpecies ingreſſuri præſidij hoſtium ſpeculatoribus præbeatur. Primis autem tenebris obſerari cuncta urbis portas præcipit, ne quiſquam exeat, & Hiſpanorum cohortes extrorſus præter mœnia, ad Pratum iter intendere iubentur. Parent Hiſpani egregiè Sarmento duci ſuo, & plenis paſsibus ire pergunt. Interim per portam arcis Alexander & Pyrrhus Italicas cohortes educunt, eaſque Rodulphus Baleonus cum equitatu ſubſequitur, & omnes ſimul Pratum intempeſta nocte perveniunt. Nec quieſcendi ultra ſemihoram, qua paratis obſonijs & poculis modicè ientarent, ſpacium militibus datur. Nec mora Vitellius educit agmen, præcipitque Gaſpari Pratenſium iuventutis præfecto, ut occludat portas, caveatque diligenter, ne quiſquam egrediatur, qui certum nuncium de adventu ſuo itinereque ad hoſtes perferre poſsit. Hoc verò ordine ad hoſtes contendit. Præibat cum ſua prætoria cohorte, atque expeditis ſclopettarijs Borgheſius, cui cum turma equitum cohærebat Poctius. Hos modico intervallo cum Italicis cohortibus ſubſeqnebatur Otho Montacutus, eius agminis frontem lectiſsimis centurionibus firmatam ita perducens, ut ei Rodulphus Baleonus univerſos, quos habebat equites, ad dextram applicaret. Succedebant peditum agmini ipſi duces Vitellius & Pyrrhus: ſecundum verò eos Sarmentvs Hiſpanos accelerare iubebat, qui ideo in poſtremo agmine collocati erant, ut tanquam ſubſidiaria acies, quantum fieri poſſet, integra atque intacta ſervaretur, quòd in his extremis cohortibus Etruſci imperij ſalus conſtaret. Eo modo incedentes Coſmianæ copiæ ad Paruſianam, quam diximus villam, ubi Sandrinum in inſidijs à Strozza collocatum fuiſſe diximus, pervenerunt, nemineque hoſtium ſe commovente, ad pontem & ad Strozzeana demum caſtra contenderunt. Neque enim, uti iuſſus erat Sandrinus, ſibi prius erumpendum eſſe iudicabat, quàm hoſtile agmen, quod exiguum fore putaret, totum pertranſiret. Atque ita quum maius & continens

totius exercitus agmen, vel obſcura nocte tranſire cerneretur, ut ducis ſui imperio pareret, erumpendi occaſionem amiſit, ſeque eijciens extra viam militarem altiore circuitu, ad pontem, ubi Strozza conſtiterat, regredi cœpit. Sed is fuit properantium hoſtium, equitumque invadentium impetus, ut Strozza deceptus ſuo conſilio funderetur, & ut quidam exiſtimant, quum pugnando reſiſteret, ignotus ab ignoto equite caperetur, ſed ſe felici conatu è complexu hoſtis ſtatim, ut erat nixu validus & pedibus velox eriperet: hoſtes verò in caſtra eius, ut nulla munitione conſepta, eodem curſu pervaderent, captiſque à Borgheſio tormentis, ea repentè diriperent, quòd Strozzeani nullo ordine conſtitutis, nec diſploſis his leviſsimis falconibus, tanquam perturbati & diſiuncti viribus, in fugam præcipites ſe dediſſent, nemine conſiſtere, aut in unum corpus ſeſe conglobare auſo: quoniam uti in tenebris accidit, Aurora fortè nymboſior omnem ſpectatæ virtutis & ignaviæ caſum abſconderet. In eo tumultu Michael Angelus Romanus Strozzeanæ turmæ præfectus impigrè reſiſtens equo deturbatur & capitur. Ipſi Baleono equus per armos glande traijcitur. Cadit etiam conſtantiſsimè repugnans Ioannes Maeſtraccius è Togata Gallia vetus centurio, paucis quidem interfectis aut vulneratis, ſed multis captis, quum Baleonus cum equitatu diſpalatos, & in montes effugere conantes, per tria miliaria eſſet conſectatus. Eo tam levi certamine Vitellius potitus hoſtium caſtris, vexillis, atque tormentis tanquam re bene geſta, regrediendum eſſe iudicabat, ne ſuperventu Salviati cum iuſtis copijs, qui non amplius quatuor milibus paſſuum abeſſe & properare dicebatur, partæ victoriæ ſucceſſum in diſcrimen adduceret. Sed Pyrrhus atque Otho reclamantes felici cœpto audacter incumbendum, expugnandamque omnino arcem, ubi hoſtium capita eſſent, ſine conſilio, nudataque integro præſidio, utendum Fortuna cenſebant. Atque ita concedente Vitellio, & Hiſpanos cohortante, ut ad prædam Italos ſubſequerentur, Otho portam primæ munitionis, quæ in aream exteriorem perducit, occupat, aliquot ibi utrinque deſideratis, & ad alteram portam facto impetu provolat, quæ per aream in villam arci, ut diximus, ſimilem aditum præbet. Hanc exules interius tumultuaria materia obſtruxerant, deſertaque corona exteriore, quæ podij effigiem oſtendit, ſeſe in ſuperiorem pinnatam ædificij partem contulerant, inde ſclopettis & prægrandibus ſaxis ſeſe defendentes. Sed ita eius inferioris coronæ ſpacium undique Coſmiani occuparant, ut nemo ex propugnatoribus caput exerere auderet, quin illicò pluribus ſimul glandibus peteretur. Oppugnantibus tamen maximè infeſti erant tres ſclopettarij, qui è ſacra turre exterioris templi terga & latera ſcandentium & invadentium deſtinatis ictibus feriebant. Dum aliquandiu acriter certaretur, & iam cecidiſſent nonulli, & ante te alios cohortium præfecti Mendula Salentinus, & Sebaſtianus Piſanus, Otho fores coniectis facibus eo euentu ſuccendit, ut flamma intus congeſtam in aditu materiam omnem corriperet, ardereque iam coniuncta portæ cœnacula inciperent, & totum cavedium, ſuperioraque arcis cœnacula, ubi exulum principes erant, fumo & terrore complerentur, eoque trepidantius, quòd Caccia Altovitus egregiè prudens & fortis peditum præfectus, in defendenda porta cecidiſſet, qui ſolus ab initio locum tanquam hoſtium audaciæ expoſitum, aut properè vel tumultuario aggere muniendum, aut celeriter deſerendum eſſe cenſuerat. Milites quoque per ſubterranea loca, quod

ædifi-

ædificium ſubſtructionibus impoſitum, ſubtus ubi ciſterna erat, totum erat permeabile, in ſuperiora revulſis ferreis feneſtræ clatris emergebant, ita tamen ut nonnulli properantes incumbentium reliquorum impulſu uti in obſcuro facilè accidit, in ciſternam nullo ad os circumſeptam podio præcipites darentur, & demum portulam, quæ in lævo latere arcis erat, aperirent. Interim nihil incendij flammas aut prunas veritus Otho, uti erat protectus armis, ſcuto ad os prælato, per ardentem portam irrupit. Hunc pari audacia & contemptu ignis alij atque alij ſecuti, cavedium, & circumambientem porticum occuparunt, exulibus iam in extremo vitæ metu adeo perculſis, ut velum è feneſtra proferrent, quod erat deditionis ſignum: momentoque temporis occupata ab hoſtibus arce, exules ad unum omnes capiuntur, Bambalino Aretino audaci cohortis præfecto, Philippum Strozzam ſibi notum comprehendente, quum ſe Strozza Alexandro Vitellio commendaret. Nec mora Vitellius & Strozzam, & reliquos equis impoſuit, Florentiamque perduxit. Vnus qui expeti poterat Petrus Strozza fœliciter (ut diximus) elapſus, ad Salviatum cum univerſis copijs adventantem pervenit. Eadem nocte horaque qua hæc ad montem Murlium fiebant, fœlici quodam augurio geminata victoria Coſmo affulſit: nam egreſſus Piſtorio (uti conſtitutum fuerat) Federicus Montacutus Othonis frater, Cancellarios ad Abbatiam, quam vocant Pactianam adortus, quum viri agreſtes armatæ cohortis impetum minimè ferrent, ipſo Mattana interfecto, Battoque fugato, ac reliquis cæſis & profligatis victoriam retulit, Bracciolino in adverſæ factionis inimicos uſque adeo immaniter animi ſævitiam effundente, ut captum & deditum imberbem nobilis familiæ adoleſcentem cruenta manu iugularet. Battus ipſe pernicitate pedum uſus evaſit: Franciſcus verò Habraus, qui ad Poggiolinum, ut diximus, conſtiterat, ut Tanarianos deſcendentes invaderet, fruſtrà totam noctem obſervarat: audita & conſpecta oculis ſociorum calamitate, qui cum Mattana fuerant, & cognita ex crepitu ſclopettorum montis Murlij expugnatione, eodem curſu quo Battus ad Salviati copias ſe recepit, quò iam Petrus Strozza pervenerat, certum cladis acceptæ nuncium perferens, & Salviatum adhortans, ut deſcendere maturaret, & hoſtibus diſſolutis ac præda occupatis victoriam eripere vellet. Sed ille ipſo Strozza cautior, negavit in id iuniperetum (aſpera & ſenticoſa loca eius itineris oſtendens) ſe demiſſurum: quas tamen haberet copias & tormenta, poſtquam infenſæ Fortunæ reluctari non liceret, maturo tutoque reditu ſervaturum. Atque ita tranſverſis Alpium tramitibus per Ferrarienſis ditionis fines, Mirandulam iterum cum Capinio ſe recepit. Nunciata eſt Coſmo victoria, quum eſſet in templo Nunciatæ Deiparæ virginis, ut ibi pro ea vitæ vota ſuſciperet, quæ ei cumulatè lætior extitit, quod ipſis Auguſti calendis inciderat, quo fœlici die Auguſtus Cæſar olim nutantis imperij nomen Actiaca victoria confirmaſſet, quum ipſe Coſmus eundem, uti Auguſtus, horoſcopum in genitura nactus Capricorni ſydus pro argumento in inſignibus geſtare conſueſſet. Peractis ſacris reverſus domum, productos ad ſe exules ea fronte ſuſcepit, ut nihil victis inſultaret, ſed dubia ſeveritatis & lenitatis ſigna miſeris relinqueret, blandè monens, ut eodem animo, quo bellum ſuſcepiſſent, adverſi exitus Fortunam ferrent. Exinde minoris claſsis captivi, qui anteà damnati iudicijs, & recenti facinore maieſtatis rei fuerant, in foro pars ſecuri percuſſi,

pars laqueo necati, triſte ſpectaculum populo præbuerunt. Principes autem Valorius ipſe cum Philippo filio, alteroque Philippo gentili ſuo, eius Nicolai filio, qui à Leone Pontifice detecta Boſcolana coniuratione ſumma clementia ſervatus fuerat, & ſecundum hos ipſe Antonius Franciſcus Albicius turbido inſtabilique ingenio vir, & vetus, peracerbuſque exul, rerum capitalium iudicibus Octoviris atque tortoribus traditi, confeſsique cuncta conceptæ perfidiæ atque malignitatis conſilia, in carcere ſecuri percutiuntur, cadaveraque eorum affinibus maiorum ſepulchris inferenda conceduntur, lætantibus eorum ſupplicio pleriſque ex populari factione civibus, quod ipſi ijdem Albicius atque Valorius, vel ſeras veteris delicti merito vitæ exitu pœnas darent, quando eos detrudendi è ſummo magiſtratu decennalis dictaturæ, atque urbe expellendi Petri Soderini, authores & principes ante vigintiquinque annos fuiſſe meminiſſent. Ab his enim ereptam civitati libertatem, Mediceorumque inductum dominatum, quem tyrannidem vocarent, vel parum libero ore prædicabant. Ambo enim ab eo facinore edito, quum honeſtiſsima tuliſſent præmia, rurſus a Mediceis defecerant: Albicius quum perverſo eius ingenio nullus gratiæ vel dignitatis locus, nullumque extraordinariæ liberalitatis præmium in patria ſatis placeret: Valorij verò profundæ cupiditati nullæ opes quantumvis magnæ ſatis forent, utpote qui vecordi ſuperboque ingenio ad ſummum civitatis imperium aſpiraret, uſqueadeo malè occultatis ſenſibus, ut à Philippo Strozza, ipſoque item Albicio diſſentiens, ad montem Murlium in deliberatione, ad iurgium intempeſtivamque altercationem contumelioſis ferè verbis deſcenderent, & unuſquiſque cæteros celeritate præcurrere, & præoccupare in urbe hominum ſtudia niteretur, quæ ipſis præproperis immatura feſtinatio proculdubiò perniciem attulerit. Horum ſiquidem trium diverſa erant conſilia, ſicuti in quæſtionibus & tormentis protulerunt. Valorius, ut diximus, ab ætatis honore dominatum affectabat perpetuæ dictaturæ nomine, ſicuti antea Soderino obveniſſet. Philippus populari favore, & gratia totius iuventutis, quam comitate, largitione, honeſtiſque atque inhoneſtis artibus, uti tum urbis mores ferebant, ſibi conciliarat, validiſsimè ſubnixus: & uti habebatur pecuniæ ditiſsimus, ac affinitatibus potens: liberum ſupra magiſtratus omnes iucunda conditione principatum in urbe ſibi deſtinabat, Laurentio Medici proſocero ſimilis evaſurus. Cæterùm Albicio nihil niſi turbulentum cogitanti ea mens erat, ut in veteres inimicos odium exerceret, eorumque ſanguine & Fortunis truculentum exaturaret animum. Quibus de cauſis, uti veriſsimo conſtat argumento, Philippus Strozza Valorij immodicam ambitionem, & diram Albicij crudelitatem prædamnans, utrique necem afferre cogitavit, quum in eorum cædem allecti præmijs, ſe promptiſsimas manus allaturos pepigiſſent Sandrinus Filicharius, & Cecchinus textoris filius, iampridem ab adoleſcentia Philippo addictus. Hic in fuga captus, proditorum more in foro ſuſpenſus eſt: ille è prælio effugiens, aliquanto poſt, quum in ſuſpicionem mutatæ fidei Strozzis veniſſet, ab his (ut fertur) Ferrariæ trucidatus eſt. At quum diu Strozza in arce à Vitellio, & demum à Ioanne Luna, cui arcem tradi Cæſar iuſſerat, cuſtodiretur, miſerque auro oblato, & datis impensè muneribus ſeſe redimere fruſtrà contenderet: ad extremum Coſmus à Cæſare impetravit, ut ſibi traderetur, de nece Alexandri atq; Hippolyti Cardinalis quæſituro,

ſituro. Quod ubi Philippus reſcivit, ne perferre immitia tormenta, & in perniciem amicorum arcana fateri, & indignam natalibus ſuis necem ſubire cogeretur, animum tam generoſè quàm impiè deſpondens, gladio, quem Hiſpanus carceris cuſtos temerè exiens reliquerat, gutturi appoſito, eo nixu & corporis pondere incubuit, ut quum exeuntem Hiſpanum adacto ſtatim vecte oſtio excluſiſſet, nec citò poſtes cardine revelli poſſent, patefacto aliunde ingreſſu exanimis cruento in pavimento reperiretur: relicto in menſa chirographo, quo teſtabatur, ſe qui rectè vivere neſciviſſet, generoſo animo vitæ & miſerijs finem impoſuiſſe. Indignus certè eo vitæ fœdo exitu, quum ingenio erudito, apprimeque liberali, ſummè gratioſus apud cives, & elegantiſſimus evaſiſſet, niſi de ſuperis atque inferis malè ſentire, apertiusque illudere Chriſtianæ diſciplinæ præceptis eſſet ſolitus: atque inde procacius quàm deceret Veſtalium virginum amoribus ſervire crederetur. Ferunt Coſmum miti ingenio clementiæ laudem excipere paratum, ſervare Strozzam quàm ſupplicio afficere maluiſſe, quòd Ioanni patri amicorum atque ſodalium intimus fuiſſet, nec ſuopte ingenio, ſed Petri filij impulſu, & inimicitias, & denique fatale bellum adverſum ſe ſuſcepiſſet. Quod ideo credere facilè fas ſit, quum in eadem cauſa Paulum Valorium, ipſius Bartholomæi ſupplicio damnati filium, Philippique Strozzæ generum deſignatum, Bracciumque item Guicciardinum, Verium Caſtellionem, T. Caniſianum, & Chiurlium Macchiavellum, quos iure occidere poterat, diuturni tantùm carceris pœna dignos iudicaſſet: & Ioannem Adimarium, Americumque Antinorium, & Lepronium Rinerium ab Hiſpanis captos, ſeſe pecunia (quum æquo iure id poſſet vetare) redimere permiſiſſet, quòd parcendum edendis ſupplicijs, & finem acceptæ iniuriæ, conceptoque odio imponendum arbitraretur, & gentilibus damnatorum bona liberaliter adiudicaret.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXIX.

CÆSAR ab Hiſpania per mediam Galliam in Belgiam profectus, non Gallorum modò ſuopte ingenio exoptata facilè credētium, ſed principum omnium animos magna pacis expectatione ſuſpenderat. Neque enim periti rerum, qui æquiſsimo iudicio, & ſtudio maximè libero vigerent, fieri poſſe exiſtimabant, ut regum longè maximus, ingenio gravis, & veræ gloriæ percupidus, Franciſci regis antiquas ſpes publico omnium conſenſu confirmatas diutius fruſtraretur, quũ tanto apparatu, tantisq; honoribus exceptus, nihil apud generoſum Regem de ſalute ſubdubitans, vultuque maturæ pacis ſpem præbens, clariſsimas Galliæ urbes percurriſſet. Poſtularat quoque Cæſar à Pyrenæis digreſſus, ut legati communi conſilio ad Venetos mitterentur, qui nunciarent deterſa animis odia, amicitiamq; ſubinde ſyncera fide renovatam, ea mente ut præclaro fœdere icto, conſilijsq; Chriſtiana pietate digniſsimis ingenti animo ſuſceptis, in Solymanum dirum verumque hoſtem totius Europæ arma verterentur. Deſcenderant itaq;, ut legationi maior ineſſet authoritas cũ ornatiſsimo comitatu ipſe Alfonſus Davalus, Cæſaris in Italia dux ſummus, & Hanebaldus ab inſigni fide & vigilantia Gallicis copijs ad Taurinum præpoſitus, exceptiq; fuerant admirabili pompa, quum eis Landus princeps ſolenni thalamego, quod buccentaurum vocant, & multis exornatis triremibus occurriſſet. Erant tum Veneti ab recenti Turcico bello varijs acceptis incommodis vehementer afflicti: nam præter Corcyram, multis millibus hominum in ſervitutem inde abductis, latè vaſtatam deformatamque crudelibus incendijs, & Obrovacium in Illyrico infœlici temeritate tentatum, etiam Creta, & inſulę Cyclades graviſsimas clades acceperant, negociatoresque Veneti non modò Byzantij, ſed tota quoque Syria ac Ægypto capti, in cathenis ſervabantur, bonaque eorum & precioſa mercimonia Barbari præſides in fiſcum retulerant, neque ſublato commercio & deſerta navigatione ulla ſpes erat exercendæ mercaturæ, ob idque privatæ opes, quibus publicæ ſteterant, everſis multorum Fortunis concidebant, adeo ut poſt pacem ad Hidruntem unius trierarchi turbido, inſolentique ingenio abruptam, temerè ſumpſiſſe arma adverſus tantum hoſtem, improvideque fœdus cum Cæſare percuſiſſe pœniteret, cum periculoſi belli, cuius prima vulnera, damnaque ad ipſos recidiſſent, prægrave exitioſumque onus ſe ſubiſſe perſpicerent, in nullam præſertim ſpem victoriæ terreſtris, ſed debellandæ tantum claſsis, cuius animi ac virium nuper cum ignominia ad Leucadem periculum feciſſent. His de cauſis à Solymano inducias impetrarant, adiuvante, uti ſuprà memoravimus, Gallorum rege, qui eos à fœdere amicitiaque Cæſaris divellere cupiebat, ut

Auriana demum claſsis numero longarũ navium impar, Hariadeno vacuam maris poſſeſsionem concedere cogeretur. Induciarum verò iam prope totum tempus effluxerat, incideratque Venetijs tanta inopia frumenti, ut ſæva fames in propinquo ſpectaretur: neque eos Cæſar, vel id ex fœdere poſtulantes, frumento Siculo ſublevabat, quod tum multo gravius quam antea vectigal aſportantibus impoſuiſſet, adeo ut illud tritici venalis pretio & vecturæ pariter æquaretur, nec ulla omnino paratior ſpes erat frumenti comparandi, quàm è Macedonia & Græcia, ſi cum Solymano ad antiquam pacem amicitiamque recurrerent. Is enim paucis antè annis pari penuria laborantes liberaliter adiuverat, ingenio nequaquam Barbaro, præfatus inhumanum eſſe & principe indignum ex aliena calamitate lucrum expectare, quum alendos iudicaret, qui ex ira Deorum immortalium interceptis frugibus miſerabile vitæ periculum ſubirent. His de cauſis plerique optimatium ad non dubiam ſpem avertendæ famis, antiquam pacem repetere, & tantis ſumptibus, qui maximè diuturni ac intolerabiles futuri viderentur, finem imponere cupiebant. Eratquoque liberis ſermonibus evulgatum, Cęſarem præalto avidoq; ingenio, ſed eo in omnem modeſtiæ ſimulationem probè compoſito totius Italiæ, & denique Europæ omnis imperium affectare: unos autem Venetos omnino eſſe reliquos, qui obſtarent, & vigilanter libertatem ſuam tuerentur, quum cætera imperia inuſitato quodam & prorſus fatali arridentis Fortunæ munere in eius poteſtatem deveniſſent. Proinde illum validis ſubnixum rationibus non ineptè quidem expectare ex eo prægravi bello, ut Veneti publica privataque ac ſingularum quoque imperij ſui urbium, conſumpta pecunia, attriti ac inopes, op opportunique iniuriæ redderentur: quandoquidem ipſe Cæſar & Ferdinandus frater non obſcuro, ſed diverſo iure ſeptem illis Venetiæ urbibus imminerent, quas anteà Maximilianus avus Gallo coniunctus, armis cœpiſſet. apparebat enim ſocias civitates, ſi pecuniam conferre cogerentur, uti acerbius expilatas fidem facilè mataturas, quum duorum fratrum conſilio concitatis Germanis, qui undique fines clauderent, repentinum bellum inferretur. Propterea ſenatus magnopere dubius, in ancipiti ſententia verſabatur. horrebat enim Turcarum arma à ducentis annis Veneto nomini ſemper funeſta: inſtantem timebat famem, obſcuraq; Cęſaris conſilia ſuſpectabat: quarum rerum pericula, una ſtatim cum Solymano confecta pace tollerentur: ſed non deerant, qui eam vehementer improbarent, ex ipſa ſcilicet quorundam potentium factione, quæ iam pridem depravatis antiquis moribus malo reipublicæ enata erat, confirmataque demum Neapolitano fœdere, quo nihil toti Italiæ importunius accidit: ex obliquo ſiquidem, ut Cæſari faverent, pacis authores ſententijs atque ſuffragijs oppugnabant, quando ea pax non ingenti modò auri pondere, ſed maximè damnoſa atque turpiſsima duarum urbium conceſsione ab infido immanique Barbaro redimi videretur. Erant eæ Nauplium & Epidaurus, quæ reliquæ ex omnibus antea bello amiſsis in Peloponeſo Venetis parebant. eminebat etiam in ipſa mentione pacis ſubeundæ invidiæ ac ignomoniæ non obſcurus pudor, quum Venetus præpropero decreto ac infami præiudicio, uti ſubtracto navali apparatu quo plurimum polleret, Italiæ oram Barbarorum claſsibus evaſtandam prodere videretur. Is erat animorum habitus, quum legatis a lectiſsimo civium ordine in curiam deductis datus eſt ſenatus. Coiverat autem tanta hominũ multitudo, ut ampliſsimo conclavi comitijs di-

cato, minimè caperetur: multi enim Hanebaldum Gallorum ducem bellica laude florentem intueri, ſed omnes maximè Davalum cum ſua proceritate & dignitate oris conſpicuum, tum rerum geſtarum fama clariſsimum, orantem audire cupiebant. Is à latere principis exurgens, in hanc fermè ſententiam prę clara militarique facundia locutus eſt. Præclara magna numinis, divorumque omnium providentia factum eſſe reor, ſereniſsime Dux, huius ampliſsimi ſenatus, ut duo longè maximi Europæ Reges, qui modò perpetuis armis inter ſe contendebant, non dubia tacti religione in mutuos ſynceræ amicitiæ complexus devenerint, in id unum proculdubio cõſilium, ut conſtituta pace, conturbatis, & tam diu affectis Chriſtiani imperij rebus dignam ipſorum nomine tranquillitatem afferant, & ſuſcepto ſacro bello tot acceptas à Barbaris clades ulciſcantur. Hoc ut vobis viri Veneti nunciaremus, Reges ipſi nos huc miſerunt, ut pari ſtudio, quo vos ſemper arſiſſe pro dignitate huius ampliſsimæ civitatis compertum eſt, opportunè incenderemus. Vos ſiquidem unos præ omnibus, qui tantùm navali apparatu diſciplinaque, & maritimis copijs valetis, in ſacri belli, ſperatæq; victoriæ ſocietatem aſciſcunt, & dignos exiſtimant, qui peculiares totius victorię fructus nanciſcamini: quandoquidem renovato conatu & coactis tot claſsium viribus nemo non videat Barbaros mari omnino inferiores futuros, tametſi ſe ad Actium victores dudum evaſiſſe iactent, quum non virtute, ſed inexpectato intempeſtæ procellæ beneficio, victrices iam prope manus noſtras evaſerint. Nobis enim certa ratione pietatis in unum tantas undiq; vires conferentibus, cuncta cœli & terræ mariſq; numina propitia aderunt, atque animos profectò ut vinci diſcant, Barbaris eripient. Quamobrem de terreſtribus etiam copijs noſtris bene ſperare fas eſt, quandoquidem ad eas, quas modò Cæſar ad Viennam ipſo Barbarorum imperatore in fugam coniecto in aciem produxerit, acceſsura ſint non modò totius Gallię equitatus & peditatus perampla auxilia, ſed ſuos etiam magni roboris exercitus Sigiſmundus Sarmatiæ rex, religionis atque virtutis nomine contra impios feliciter pugnare ſolitus, nulla interpoſita cunctatione ſit adducturus, ſic ut de explorata iam propè victoria minimè ſit dubitandũ. Hæc itaq; piè inita conſilia, quod Chriſtiano nomini ſecundiſsimè cedat, Cæſar atque Franciſcus ut ſuſcipiatis, & iuſtæ gloriæ atque victoriæ ſpem votis ritè nuncupatis, complecti velitis, plurimum cohortantur, voſque ſalutari decreto ab amicitia Barbarorum pios forteſque animos avertere ſuadent. Generoſis enim animis veſtris omnino turpiſsimum videri poteſt extendiſſe inducias, & infamem atque inſidioſam pacem pio atque iuſtiſsimo bello prætuliſſe. Neque enim opulentiſsimam hanc rempublicam, vel magnis propoſitis belli ſumptibus, à bono & æquo deterreri decet: nam quod præſentis eſt & diu exoptatæ occaſionis, ſi ſemel vicerimus uno aut navalis aut terreſtris victoriæ proventu cuncta ſuperiorum temporum accepta incommoda, incomparabili veſtra cum laude ſarcientur. Ad ea Landus publico nomine reſpõdit, Nihil unquam ab ulla patrum memoria Veneto ſenatui vel ſpecie legationis ad dignitatem honorificentius, vel ad publicam ſecuritatem ipſa ſpe pacis optatius ac opportunius eveniſſe, poſtquam duo longè maximi Reges duobus præſtantiſsimis ducibus legatis miſsis certam inter ſe cõcordiam & maturam pacem nunciarent, ipſis certè ad ſempiternæ laudis nomen maximè glorioſam: Venetæ autem Reipublicæ tantis difficultatibus circumventæ apprimè ſalutarem, mi-

rem, mirumque in modum etiam reliquis Europæ principibus expetendam, ſi publico conſenſu conſociatis viribus de ſacro bello ſincera & religioſa fide cogitarent. Tum enim Venetos neque ſibi, neque reipubl. defuturos, quin inducias, quæ cum Turcis eſſent, nequaquam fœda pace, ſed conſtantibus armis atque victoria finirent: proinde ſupplicandum eſſe Deo maximo, diviſque omnibus, ut Reges totam eam ſpem pacis, quam mutuis colloquijs complexibusque afflicto terrarum orbi pollicerentur, pio decreto & felici eventu maturè & gnaviter implerent. Sequentibus porrò diebus legatos de more in collegium paucorum vocatos lectiſsimi ſenatores interrogarũt, an quicquam de legibus ſcirent, quibus ea pacis & amicitiæ fœdera ſancirentur, ac obiter, putarent ne, Cæſarem in uſum pacis Ciſalpinæ Galliæ imperium Franciſci regis filio conceſſurum? Subticente ad id Hanibaldo, Davalus nihil plus exploratum ſe habere quàm conveniſſe inter ſe Reges, idque appetiſſe Cæſarem reſpondit, qui graviſsimis de cauſis feſſæ & labanti Chriſtianæ reipublicæ ſuccurrendum exiſtimarit: id verò quod vel cæci præclarè intuerentur, nequaquam expediri poſſe perficique fœliciter, niſi Cæſar pro magnitudine animi plurima concedendo, donandoque Franciſci regis votis annueret, voluntatemque redimeret. Generoſus, inquit, patres conſcripti, gravem etiam rerum ſuarum iacturam facilè contemnit, quum ampliſsima veræ laudis ac ingentis famæ commoda latè proſpiciat. Erant hæc dictu valde magnifica, grataque auribus, ſed inveteratæ prudentiæ homines nihil penitus ad animum admittebant, ut Cæſarem, cuius vel intimos ſenſus tractando explorandoque ſæpius noviſſent, temerè crederent Mediolanenſi imperio deceſſurum. Id enim unum Gallus repetebat, pro quo per viginti fermè annos commoto & perturbato terrarum orbe infelici contentione dimicaſſet. Movebat ſenatum novæ ac inuſitatæ legationis auctoritas ſupra veteres legatos Didacum Mendocium Hiſpanum & Gulielmum Pellicerium Gallum qui aderant, ob id maximè ſuſpecta, quod nihil certum diſcuſſumque præter ſpem futuræ pacis attulerat, ita ut pleriſque magno Cæſaris commodo ad fallendum inſtructa atque adornata crederetur. In eo enim totius artis momentum verti videbatur, ut Venetus in ſpem concordiæ communis adductus, conſilium cum Solymano de prorogandis inducijs & petenda pace penitùs abijceret. Eam autem alieni arbitrij aleam ſubire ſeniores imprimis periculoſum atque omnino inſanum eſſe iudicabant: quid enim ipſis ſperandum, ſi Fortuna conceptæ paci ſucceſſum eriperet? niſi ut deſerti ab omnibus, obiectique immanibus Barbaris ſtultæ credulitatis graviſsimas pœnas darent? Sed vel inanem ſpem pacis Marcus Antonius Cornelius haud obſcurè Cæſari favens mirifica, illuſtrique facundia ſuſtentabat: diſſerebatur contrà à Franciſco Donato, qui principe loco dignus antiquam divini & maximè conſtantis ingenij auctoritatem ſententijs ſuis aſſerebat. Itaque ſenatus veluti magno in æſtu diverſis magniſque fluctibus iactabatur tanta contentione, ut patres in curia conſultando, expendendoque integras ferè brumales noctes abſumerent. Erat tum ſenatus inſtar quaſſatæ navis rimarum plenus: hac & illac enim perfluebat, quod anteà nunquam acciderat, uſque adeo ut ſententiæ, decretaque inexorabili anteà ſilentio religioſè cuſtodita, non modò ad præſentes legatos, ſed in provincijs quoque literis emanarent: tanta enim erat inſania ſuſceptæ ſemel factionis, in clariſsimis etiam ſenatoribus, qui ex profeſſo noſcebantur, ut ang

tiquum illud decus optimæ reipublicæ odioſa paucorum ambitione & venalibus ſtudijs atq; ſuffragijs prodi videretur. Propterea animadverſo vitio Marcus Foſcarus profunda prudentia vetus ſenator dixit, rempublicam prodi multitudine & malignitate ſuffragiorum, brevique perituram, niſi paucorum fidei iudicioque ſalubriter commiſſa maturè ſanaretur. Erant enim ex ordine rogatorum, qui dicerent ſententiam, & in ſuffragium irent homines fermè ducenti. Hac multitudine offenſus ad quinquaginta viros, qui uſu rerum, fide, caritateque patriæ probarentur, graviſsimi atque maximè arcani conſilij ſummam revocabat. Ita rebatur multorum inſaniam paucorum ſapientia ſuperari, ſed tanta mox Foſcarus invidia deflagravit apud multitudinem, quum ea ſe conſilijs excludi, notarique infamia levitatis atque imperitiæ minimè pateretur, ut vir ille inter ſummos ſenatores facilè excellens, & quo nemo gravitate iudicij potior habebatur, rogatorum ordine ſit eiectus, ſpoliatusque omni honore, diu in ſingulis comitijs pudendam reipublicæ repulſam tulerit. Verùm ei non multo pòſt, quòd divinè & ſapientiſsimè providiſſet, magnæ gloriæ ceſsit, detectis his qui reipublicæ arcana prodiderant, ſeveriſsimeque damnatis. Hi fuêre patritij ordinis Mapheus Leonius, & Conſtantinus Cobatius decemviralis collegij ſcriba. Reliqui autem complices cum Franciſco Valerio, qui patritio patre ex damnato coitu genitus, perfidioſæ largitionis miniſter, & interpres extiterat, laquei pœnam inter geminas columnas in foro tulerunt, quum paulo antè Leonius, atque Cabatius in Galliam profugiſſent. Cæterùm ea de pace contentio hunc habuit exitum, ut ſenatus urgente præſertim fame, concordiæ principum diffidens: & tamen eventum expectans, tres legatos decerneret: ex his duo ad Cæſarem Franciſcumque regem explorandis eorum conſilijs mitterentur: tertius, qui erat Aloiſius Badoerius forenſi eloquentia inſignis, ad Solymanum maturè contenderet. huic adiunctum eſt, ut deſperatæ inter Reges pacis famam præoccupare niteretur, ſed daret operam cunctis ingenij artibus, largiendoque præſertim, ut Nauplium & Epidaurus Veneto nomini ſervarentur: quòd ſi id ab aſtuto inſolentique Barbaro impetrare nequiret, neceſsitati daret manus, & quavis conditione pacem conficeret: eam enim decemviri è Republica fore exiſtimabant, ſecretoque de deditione urbium in mandatis adſcripſerāt, veriti ſcilicet imperitæ multitudinis vim atque tumultum, quæ inde veluti ſatis honeſtam nacta cauſam reclamandi intercedendique, proculdubiò ſaluberrimi conſilij decretum evertiſſet: neque enim in dubium vertebatur, ſi cunctarentur, & ſerò pacem peterent, quin Solymanus ex aliena imbecillitate neceſsitateque impotentis animi cupiditatem extenderet, nec daturus eſſet pacem afflictis atque deſertis, niſi quòd eſſet ipſo Venetæ urbis excidio penè acerbius, Cephalenia, Zacynthus, ac ipſa denique Corcyra traderentur. Itaque Davalus & Hanebaldus, qui ea de cauſa venerant, ut cum Turca pacem impedirent, nihil omnino diligentius effecêre, quàm ut eam Veneti proviſo rerum ſuarum periculo conficere maturarent. Fit enim plerunque in conſilijs humaniſque rebus, ut alioqui rectè ſperatus, & facilis ſucceſſus nimia diligentia & cura corrumpatur. Neque dubium fuit, quin Hanebaldus in ſpeciem tantùm perſonam legationi præſtitiſſet: clam verò per Guliermum Pellicerium veterem legatum pacem ac amicitiam cum Solymano perſuaſiſſe crederetur: atque ita evenit, ut quum Badoerius apud Byzantium, impetrandæ pacis

gratia

gratia certam pecuniam vrbium loco polliceretur, Solymanus eum tanquam impudentem minaciter obiurgaret, ac non aliter ſe daturum pacem, quàm acceptis vrbibus, teſtaretur: quoniam de decemuirali decreto certior factus, eius rei tranſigendæ poteſtatem legato datam eſſe ex literis oſtenderet. Quamobrem Badoerius cum pudore redargutus, perfuſuſque non dubio mortis metu, vbi arcana mandatorum Solymano, & purpuratis detecta eſſe conſpexit in eas conditiones pacem accipere coactus eſt, quæ Nauplio, atque Epidauro traditis ſanciretur. Quibus etiam Peloponneſi vrbibus acceſſerunt duo Dalmatiæ caſtella, Nadinum, atque Labrana: graui quidem cum dolore uniuerſi ſenatus, poſtquam de tam iniqua tranſactione Venetijs eſt reſcitum: vnde mox Badoerius atroci inuidia deflagrauit, quum ea dediſſet, quæ ex mandatis dare non poſſe credebatur, vſque adeò in eius nomen aſperè concitato populo, vt vix demum detecta Cabatij perfidia, quin exilio, & bonis vel inſons mulctaretur ægerrimè ſeruatus ſit. Interea Cæſar dimiſsis Franciſci regis liberis, qui officij cauſa proſecuti Valentianum vſque proceſſerant, quum de concordia perſcriptis conditionibus acturus eſſe crederetur, integrum tractandæ pacis negotium in aduentum Ferdinandi fratris reiecit. Is tum è Norico, vt explicandis conſilijs intereſſet, Rheno deuectus aduentabat. Nihil enim dum eſſet in Gallia Cæſar egerat de pace, nihilq́ue præter iucundiſſimos ſermones audierat: quum id anteà conſilio, vt mox apparuit, ſubtili potius quàm honeſto per Anneum Memorantium petiſſet: ne ſi alienæ poteſtatis factus in ſolo nuper hoſtili minus liberè minuſque vtiliter de pace tranſigeret, totius inſtitutæ liberalitatis ſuæ gratiam defloraret: quando ea demum apud omnes opinio foret, quæ facilè tolli non poſſet, vt ipſe nequaquam ex animo & ſatis generoſè, ſed ignobili metu, & cæco pudore circumſcriptus ad iniquas pacis conditiones deſcendiſſe crederetur. Id verò facilè receperat Gallus, quum certo excelſi animi decreto hoſpitales menſas, quibus regina ipſius Cæſaris ſoror cum lectiſsimo fœminarum comitatu ad hilaritatem induceretur, nulla penitus amaritia perfundendas exiſtimaret. At Cæſar ab ea mora dilationeque Gallorum animis in vlteriores ſpes opportunè traductis, contra ac plerique arbitrabantur, Gandauum rectà contendit, præmiſſa Germanorum legione, adductiſque ſecum Belgarum alis, quibus anteà vt preſtò adeſſent locum diemque præſcripſerat. Gandauenſes deſperata Gallorum ope, quòd pacem cum Cæſare occultè confectam crederent, occulto metu conterriti, & præoccupati celeritate Cæſaris, in pompæ morem gratulantes ſe effuderunt: ſed ea erat apud ſalutantes recentis facti conſcientia, & contra is oris habitus portam intrantis, vt hic non natalis ſoli vrbem, et patriam altricem pueritiæ, ſed inuiſa & prorſus inimica mœnia tectaque ſubire videretur: illi porrò cum in oculis Cæſaris dubiam lenitatem agnoſcerent, triſti vultu, & ſummiſſo murmure ſe pœnitere faterentur, quòd non pro patria armis fortiter deſumptis, portas ab initio clauſiſſent. neque enim vi ſubigi expugnarique poterant, quum ampliſsima ciuitas vel ſubitario tumultu ſupra quadraginta hominum millia facilè armaret: ſed Gandauenſes cum iuri ſuo tum viribus audacius confiſi grauiorem quàm putaſſent contumeliæ noxam ſubierant, eorum conſuetudine qui vbi facinus admiſerint, vt id demum extenuent, culpam ſua potius quam aliena conſcientia metiuntur: ſiquidem, vti memorauimus, tanquam liberi & immunes Mariæ reginæ, quæ Belgis præerat, pecuni-

am in Gallici belli ſumptus imperanti inſigni contumacia reſtiterant, adeo vt paratam victoriam interpellaſſe viderentur. Id facinus alte admodum & grauiter in pectus Cæſaris deſcenderat, quod ab ea ciuitate in qua eſſet natus initium detrectandi imperij exortum videbat, ſummo quidem rerum ſuarum periculo, quando in eadem cauſa prouinciæ omnes perpetuis tributis exhauſtæ ad non dubiam rebellandi occaſionem Belgarum exemplo vocarentur. Nam Hiſpania omnis dudum conferendis pecunijs feſſa, & ob id conſternata animis, in conuentu liberas voces ediderat: Inſubres quoque ex opulentiſſimis ad egeſtatem redacti, diuque vel in pace immaniter vexati, fruſtra apud ſurdas Cæſaris aures præſidum acerbitatem querebantur: Neapolitanum verò regnum, quo nihil ſpoliatius vnquam fuit, euerſum exutumque omni priſtina dignitate conciderat: & in Sicilia cum annuis tributis tum nouis rei frumentariæ vectigalibus, & frequentibus Hiſpanorum æſtiuis hybernisque eua ſtata, occaſio potius rebellandi quàm conſenſus deeſſe videbatur. Itaque Cæſar vlturus iniuriam, quum iam pacato planè animo videretur, diſpoſitis per vrbem cuſtodijs multos vno tempore comprehendi iubet. Nouem ex his, quos turbido ingenio aut facundia inſigni & militari præſertim audacia compererat, iudicio damnatos, vti reos maieſtatis interfecit: his paucos pòſt dies ſexdecim deſiderio libertatis, & populari potentia ſuſpectos addit: de quibus pariter in foro, conterritis omnibus, ſupplicium eſt deſumptum. Ab hac reorum pœna veteres demum ciuitatis immunitates vno edicto abrogat, leges diſſoluit, totum id ius abolet, quo magiſtratus creabantur, ingentique pecunia ciuitatem mulctat, quæ in ſumptum ædificandæ arcis transferretur. Inſtituebat enim peramplam arcem opportuno vrbis loco, inſigne templum atque cœnobium diui Beonis memoriæ dicatum complexus, vt Gandauenſes iugum ſeruitutis ex merito ceruicibus impoſitum ſentirent. Erant qui in eos aliquanto grauius, quam expediret, animaduerſum arbitrarentur, quòd peruicacis ac indomitæ gentis is eſſet animus, vt vi ſubactus conſpecto ſemel cruore odium iramque reconderet, nec vllis ſubinde lenimentis flecteretur, vt ex tuto demum in vindictam exercendæ ſeuitiæ locum aperiret. Damnarant imprimis ſeueritatem Cæſaris totius Germaniæ liberæ ciuitates, horrebantque imprimis impoſitæ arcis nomen, vti nouum & maximè infeſtum libertati, ita vt Gandauenſibus tanquam ſocijs, ſi Cæſarem caſu aliquo Fortuna deſereret, recuperandæ libertati maturam opem laturi uiderentur. Sub id tempus Ferdinandus ad Cæſarem venit, expectabaturque ſolicitis legatorum animis toties initæ nec vnquam tamen confectæ pacis euentus. Venerat per eos dies ſub fide publica Villermus Cleuenſis regulus, affinitate ac amicitia Gallo regi arctè coniunctus. is a Carolo Gheldrio, qui ſine liberis deceſſerat, hæres teſtamento ſcriptus, Gheldriæ regionem ſibi finibus coniunctam obtinuerat, inuito iratoque Cæſare, qui ſuo Auguſtali iure dicendi inſtituendique principis authoritatem ſibi ereptam indignabatur. Cupiebat enim eum conciliare obligareque certis beneficiarij principatus legibus, vt, quod erat in intimo ſenſu, conducendi è Germania milites Gallo regi facultatem eriperet. Nam è Menapijs atque Sicambris, qui hodie Cleuenſes Gheldrijque vocantur, nunquam Gallo regi mirificè cohortes legionesque propoſita mercede defuerant. Nihil Villermus de pacis euentu dubitabat, Gallumque ex commodo ſuo neglectis ſocijs atque clientibus, modò Mediolanum reciperet, cuncta facturum

arbitraba-

arbitrabatur, ob id ſe conferre ad auctoritatem Cæſaris, eique pro Gheldria ſacramentum dicere, Chriſtiernamque (ea Franciſco Sfortiæ nupta fuerat) ex Cæſaris ſorore genitam, vxorem ducere paratus erat, ſed Gheldriæ ducis, & principis nomen, dum vita maneret, concedi, conſeruarique ſibi beneficio Cæſaris poſtulabat. In ea re tribuenda Cæſar nihil vnquam, niſi ex maieſtatis dignitate facere aut pati ſolitus quàm expediret, durior eſt inuentus, quum præfecturam tantum abrogato principis nomine ſe conceſſurum reſpondiſſet. adeò enim decoris erat tenax, vt futura commoda facilè contemneret, modò præſentia vel ancipiti periculo tueretur: ſed pari ingenio & Germanica conſtantia Villermus quum ſpecioſi ſuſceptique ſimul tituli honore ſpoliari nollet, pro quo armis certari & nauiter occumbere minimè recuſaret, ſe conſulturum prouinciales ſuos dixit, & ſub ea qua venerat fide intra fines eſt reuerſus. Iam enim paratæ pacis metus multorum dierum mora refrixerat, & Galli eum oportunè monuerant, ne quid temere tranſigeret, quum varijs coniecturis non infirmas modò, ſed penè extinctas eſſe ſpes pacis ſignificaſſent. In eodem quoque metu fuerat Henricus Britanniæ rex ab inexpiabili iniuria, qua reginam repudij dolore ad mortem adegerat, Cæſari auerſus. Summæ enim dignitatis legatos in Belgium miſerat, qui in rem Cæſaris multa pollicerentur, vt tutum, ſi pax fieret, ad eius amicitiam receptum pararet. Commouerat & ea colloquij fama Solymanum vſque adeo, vt indignabundus inconſtantis ingratique animi Gallum regem incuſaret, iamque timere inciperet, ne in ſe à coniuratis regibus Chriſtiana arma verterentur. Ob id Antonius Rinco legatus atrocis ſupplicij perculſus metu ſpeculatorium nauigium occultè parauerat, quo ſe per noctem celeri fuga in Pontum eriperet. Germani quoque principes, qui Franciſci ſtudia ſecuti cum Auſtria domo graues infeſtis armis ſimultates ſuſceperant, non obſcurè admonebantur, vt priuatim rebus ſuis conſulerent. quas enim vlteriores ſpes ipſis relinqui, vt dignitatem & denique penates tuerentur, ſi Gallus commodo ſuo conciliatus Cæſari ipſos deſereret atque, irato merita pœna plectendos obijceret? Iam enim Cæſar & Ferdinando oſtentato pietatis ſtudio dederant operam per idoneos homines, vt principum liberarumq; ciuitatum legati Haganoam in Tribocibus mitterentur, vt ibi colloquendo diſceptandoque de placitis, & verò dogmate rerum diuinarum maior demum & anguſtior conuentus apud Vangiones indiceretur: quo illam auditu fœdam, et valde peſtilentem Lutheri de religione controuerſiam finirent. erat hic præclarus admodum prætextus, ſed in receſſu animi Cæſaris graue conſilium incubabat, quo ſcilicet potentiæ ſuæ maiores opes aſtrueret. Iudicabat enim Germaniæ regulos multa & maximè liberali indulgentia, diſſimulationeque earum rerum, quæ religionis cauſam moresque reſpiceret, et multa denique lenitate alliciendos. Sic enim ab amicitia Gallorum auerti poſſe, ſic diſſolui occultas coniurationes & clientelas, nudarique certo atque expedito præſidio Galliam rebatur. hæc in arcanis erant, palam verò communis omnium concordia, & conſenſus in religione, & digna Germanico nomine ingentia auxilia aduerſus Turcas petebantur. Ceterùm Cæſar diu cum fratre collocutus, quòd diutius extrahere moras, ſuſpenſasque hominum voluntates incolumi pudore tenere non poterat, conceptum anteà inconcuſſi animi decretum protulit, miſitque ad Franciſcum regem cum mandatis Peluſium familiarem

ſuum, qui Ioannem Lotharingium Cardinalem, ipſumque Anneum Memorantium conſcribendis pacis conditionibus anteà delectos euocaret. Summa mandatorum hæc erat, Cæſarem nihil lubentius complecti quàm pacem, quanquam Reipublicæ potiùs quàm ſibi profuturam, proinde multo ampliora auguſtioraque, quàm Franciſcus expeteret, communis concordiæ cauſa conceſſurum. Imprimis aſciturũ ſibi in generum Carolum Franciſci filium, eundemque ſororis ſuæ priuignum, atque eum ex iure Auguſtæ maieſtatis, & dotali nomine Belgarum regem effecturum, quo nihil honorificentius atque beatius exoptari poſſet: quando Franciſcus in ſua domo alterum è duobus liberis iam regem Galliæ deſignatum, alterum nouo & maximè decoro florentis, & contingui regni diademate inſignem eſſet habiturus: qui mutua fraternaque ope, coniunctisq; ſenſibus opulentiſſima regna tuerentur. Neque remotas ſpes maximarum rerum, quæ in abditis fatorum eſſent, obiter ſpernendas videri, quando eas ſapientiſſimi viri prælato alendas conſilio, & bonis euentibus commendandas ſemper exiſtimarint. Poſſe enim Fortunam, quæ ſuapte libidine mortalium votis illudendo varietate caſuum magnopere gauderet, Philippo pariter, & Hunrico inuidere prolem, & quod Dij penitus auerterent, immaturæ etiam ætatis vitam abrumpere. Tum enim Carolum aut certè ex eo communis ſanguinis ſtirpem, totius ferè Europæ regna legitimo hæreditatis iure, & rara fœlicitate complexurum. Quod verò ad Galliæ Ciſalpinæ imperium pertineret, cum ſibi tum Ferdinando fratri ineptum ſimul ac inſauſtum videri inde decedere, ſicuti anteà cum totius Italiæ precibus aliquid dandum arbitraretur, liberali animo deceſſiſſet. nihil enim aliud eſſe quàm Italiæ humeris detruncari caput, quo reliqua eius imperij membra regerentur. Periniquæ autem malignitatis eſſe, quod ea regna plerique mortales Fortunæ ſuæ penitus inuiderent, quæ nequaquam quæſita armis, aut impotenti cupiditate, ſed quodam humanæ ſortis iure atque ordine oblata collataque ad manus fœlici hæreditate perueniſſent. Porro non eſſe ex vſu iuris & æqui, obſtrui ſibi aditum & portus ab Hiſpania in Liguriam venturo, quum Genuenſes commodo ſuo Mediolanenſis imperij Fortunam ſubſequantur, ſubindeque etiam tolli tutum atque expeditum iter in Germaniam, quæ ſibi pro maieſtate nominis nequaquam alieni arbitrij beneficio repetenda uideretur. Ad ea Franciſcus quanquam, vti ſpe opinioneque deceptis plerumque accidit, vehementer animo commoueri videretur, pacato tamen, ſed renidenti vultu reſpondit, ſe gratias agere Cæſari, quòd multo ampliora ſpecioſioraque quàm ipſe ſperaſſet tributurum incredibili benignitate polliceretur: cæterùm ſe vſque adeo non eſſe inuerecundum, vt illi auita regna, & denique natale ſolum eriperet. Proinde potiretur Belgicis regnis, quæ optimo iure ſua eſſent, eaque poſteris poſſidenda tranſmitteret: itaque æquum videri, vt de compoſitione loqui deſinerent, poſtquam ipſe aliena non cuperet, & ea tantùm quæ antiquo et multiplici iure ſibi deberentur, vti Fortunæ caſibus intercepta repetiſſet, empturus etiam ea graui pretio, et magno Cæſaris emolumento, vt afflictis vtriuſque imperij gentibus certa, & maximè diuturna pax cum publica laude redderetur. Erat enim noua atque inexpectata conditio, quæ offerebatur, multum aliena a rationibus Galli Regis, opportuna autem Cæſari, qui publicæ pacis cupidus exiſtimari volebat, quum iam totius fermè Italiæ imperij compos factus, è certis veluti opibus cuncta quæ animo conciperentur

ſibi

ſibi facilia fore proſpiceret. Hæc autem à Cæſare tanto ſilentio tegebantur, vt ne Farneſio quidem legato cummunicanda iudicaret, quod hercle ingenuo pioque principe indignum non inſulſis videri poterat: quando ille in tanta conuentus opportunitate ab auo Pontifice gratulatum miſſus, vel infeſta hyeme, & niuoſis Alpibus in Galliam peruolaſſet: ſacras enim opes conciliandæ paci, cunctaſque item Pontificij imperij facultates obtulerat, ſi fœdus pacemque percuterent, atque obiter de componenda religione, & de indicendo ſacro bello digna ipſis conſilia flagranter expedirent. Sed legatus auito ingenio iuuenis cuncta vel ex colloquijs illuſtrium fœminarum planè didicerat, ita vt in Granuelium totius arcani Cæſaris conſcium, cuncta illiberali ſilentio ſupprimentem, enudando quæ ipſe reſciſſet, vt pudorem intempeſtiuæ taciturnitatis exprimeret, ſalſa comitate iocaretur. Cæterum id quoque legati animum valde pupugerat, quòd ſe inconſulto ad Hoganoam legatorum Germaniæ conuentus eſſet indictus. Quid enim vel ad dignitatem religionis, vel ad Germaniæ ſalutem, vel ad Chriſtiani orbis præſidium auſpicatò conſuli perficique poſſet ſine auctoritate ſacroſancti Pontificis? qui earum rerum ſummus arbiter & diſceptator eſſe deberet: poſtquam eximia pietate illuſtrique ſtudio inſignem ſemper dediſſet operam vt diſſidentes componeret, neque vnquam in tantis nauigationum, ac itinerum incommodis grandæuus ſenex ætati aut vitæ peperciſſet, profectò malis artibus de pace agi, quando ruente Republica ad confirmandas tantum augendaſque priuatas opes omnium ſtudia verterentur. Nec multò poſt, quòd diutius manere nequaquam ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, in Vrbem redijt, relicto apud Cæſarem Marcello Ceruino eximiæ grauitatis & fidei familiari, cui paulo antè Pontifex ſenatorij ordinis ornamenta tranſmiſerat. His etiam rumoribus admonitus Badoerius Venetus legatus, qui Byzantij Solymano aderat, pacem conficere maturauit: quæ tametſi periniqua erat, conceſſis vrbibus (quando nullus niſi admodum infelix et luctuoſus ſuſcepto bello exitus foret expectandus) apprime tamen neceſſaria in eo grauiore rerum periculo videbatur. Scio me aliquando liberiùs quàm deceret totius præſertim orbis geſta perſcribentem in explicandis principum conſilijs, quibus haud dubiè perituri ſumus, ab inſtituta breuitate diſceſſiſſe, ſed certè boni mortales in hac publici doloris, & iam propinqui luctus cauſa longius prouecto facilem omnino veniam dabunt, quum intelligent, quanta inſania ſummi reges præclaram occaſionem non propulſandi modò, verum ingenti victoria delendi eius hoſtis amiſerint, qui accerſitus vltrò in ceruices noſtras cruentum gladiun ſecurus exercet, exercebitque tamdiu inſolenter atque fœliciter quàmdiu vigebunt reges, qui nulla pietate, et ſumma vecordia perdendo orbi nefarijs inter ſe armis depugnent: ſcilicet vt poſtquam mutuas vires attriuerint, occidentis quoque imperium cuncta iam ex tuto fidenter inuadenti Barbaro fœdè relinquant. Enudato Cæſaris conſilio ac ob id deſperata concordia, quum induciæ vbique vigerent, exortum eſt in Pannonia bellum repentina morte Ioannis regis, qui tum in Tranſyluania prouinciæ præfectos minus dicto audientes armis perſequebatur. Sed quoniam ab hoc initio perpetuas nobis clades lubet ominari quum diſſenſionis noſtræ nullum finem videamus, vt cuncta ſua ordine clariora legentibus fiant, paulò altiùs cœpti belli cauſas repetemus. Confecerant inter ſe pacem Ferdinan-

dus atque Ioannes pari deſiderio quietis & otij, ambobus certè vtilem, ſed ex eo rerum ſtatu neceſſariam potius quàm honeſtam, maximè autem exoptatam Hungaris, quibus vel diductis in partes cauebatur, vt Fortunæ incolumes manerent, vel his qui anteà exules Ferdinandum ſecuti ſolum vertiſſent: vrbes quoque, oppida, vicos, arces, quæ tum in poteſtate eſſent ſuo quiſque præſidio tueretur. Ioannem verò Ferdinandus regem appellaret, quum eum anteà ſermone, ac literis Vaiuodam è vetere Tranſyluaniæ præfectura vocare eſſet ſolitus. In tabulis autem conſcripti obſignatique fœderis diſertè fuerat appoſitum, ſubſcribentibus nonnullis Hungarorum principibus, vt ſi Ioannes vita excederet, Ferdinandus totius Pannoniæ imperio potiretur: ea tum condicio in arcanis habita ſuppreſſaque eſt metu Solymani, cuius id regnum eſſet, tanquam belli iure captum, & beneficario tantum nomine Ioanni liberaliter attributum. neque enim erat putandum, ſi id reſciret, vt ille natura Fortunaque ſua plurimum ſuperbus inſolenſque omnis contumeliæ, id regnum tantis ſumptibus atque periculis partum, defenſumque ingrati hominis teſtamento, ad inimicæ gentis hæredes tranſmitti pateretur. Quum de concordia enim Ioannes ageret, conſuleretque ſuper ea re Solymanum, is non probarat modò, ſed humaniter etiam amiceq́ue ſuaſerat, vt ærumnoſo, ac ancipiti bello certam ac honeſtam pacem præferret, vtpote qui contra Parthos in Aſiam traiecturus vllam omnino noui belli materiam in Europa relinqui nollet. ſed in tantæ rei arcano ſyncera ſilentij defuit fides. Ferunt enim Hieronymum Laſchum pro Ferdinando ſuſcepta legatione Conſtantinopolim contendiſſe, detexiſſeque omnia Solymano, publicatis inter Baſſas purpuratos crimínoſiſsimis legibus, quibus pacem duo reges inter ſe confeciſſent, vt inde longè maximum ac inexpiabile odium Ioanni conflaretur. Tantum vir ille multis alioqui eximiæ virtutis ornamentis valde conſpicuus, iniuriæ dolorique dederat, quum à cæde Gritti, ſicuti ſuo loco memorauimus, cuſtodiæ traditus, vixque dimiſſus Sigiſmundi regis precibus, a Ioannis amicitia diſceſsiſſet. Exinde Solymanus Ioanni vehementer iratus, vt eum ſummæ contumeliæ nomine cumulatè oneraret, ingratum appellauit, conuerſuſque ad Luphtibeium, quàm indignam, inquit, infidis capitibus Chriſtiani hi duo reges coronam geſtant? poſtquam impoſtores longe turpiſsimi nullo hominum pudore nulloque Deorum metu deterrentur, quin ex commodo mutuæ fidei ſacramentum diſſoluant. Cæterum Ioannes re cognita ſibi vehementer timens, per idoneos homines operam dedit, vt eius facti calumniam multo auro multiſque donis oppurtunè dilueret: ſed tantam poſtea contumeliam, quæ non ſuam modò, ſed Reipublicæ ſalutem in diſcrimen deuocaret, a Ferdinando ſibi indignè impoſitam apud principes grauiter eſt conqueſtus, miſſo ad id Statilio, Albæ Iuliæ Epiſcopo, qui ad Venetos Paulumque pontificem, ac demum ad Franciſcum in Galliam probroſum eius iniuriæ nomen detulit. Nec multo pòſt Ioannes regno in ſpem antiquæ fœlicitatis ſingulari diligentia reſtituto, Budaque præſertim admirandis operibus opportunè communita, vxorem duxit Iſabellam Sigiſmundi Sarmatarum regis filiam, virili eruditoque ingenio puellam, & quod alliciendi animi multum interfuit, Italico lepore, & venuſtate Polonica peramabilem. Abhorrebat à nuptijs Ioannes, vti iam in eo ætatis flexu valetudine tentatus, ſed procerum Hungarorum precibus id dederat. ſuadebant enim amicorum præcipui ac ipſi familia-

res, vt

res, vt cælibatum abrumperet, daretque operam liberis, vt Hungarici ſanguinis proles legitimo & maximè illuſtri coniugio pararetur, quæ regnum exciperet, renouaretque Zapoliæ familiæ nomen, quod eſſet in ea domus orbitate periturum: nam Georgius regis frater, quem Mugaciana clade cum Ludouico rege cecidiſſe meminimus, nullos reliquerat liberos. accedebat & vetus cognatio cum Sigiſmundo: nam is in priore coniugio Ioannis ſororem habuerat. apparebat enim finitimi regis noua affinitate amicitiaque res Hungaricas maximè confirmari. Probabat & has maximè nuptias Solymanus, qui antea in Ioanne cælibis vitæ ſtatum religioſa voce damnauerat, quod eas ex amiciſſimi ſocerique regis ſanguine expetitas videbat: ſed non æquè placuerat Ferdinando, quanquam & ipſe Sigimundi filium regem Sarmatiæ deſignatum ſibi generum aſciuiſſet, vtpote qui liquidò proſpiceret Hungaros, præcipuo contemptu atque odio externæ gentis ſuperbos, ſi puer ab his nuptijs ſuſceptus foret, extemplò in ſui ſanguinis prolem ſtudia conuerſuros. Cæterum Ioannes iam noua nupta in ſpem virilis prolis aluum geſtante expeditionem aduerſus Tranſyluaniæ præfectos ſuſcepit. Erant ij Maylatus Gritti cæde celebratus, & Balaſſus quem ipſe Maylato collegam addiderat, quum fallaci arrogantique ingenio hominem ſuſpectum haberet. is enim faſtidito præfecturæ nomine, ſtabilis imperij certas opes & noui denique regni decus affectabat. Pari namque ambitione atque perfidia petierat à Solymano, vt ex eius authoritate Tranſyluaniæ rex appellaretur, vetere Decebali Dacorum regis exemplo, qui à Traiano Cæſare bello victus, in eadem prouincia regnarit. id ſi impetraret, ſacramentum Ottomannis imperatoribus ſe dicturum pollicebatur, quotannisque penſurum tributi nomine certum auri pondus, cuius non parua copia in beato ac admirabili Tranſyluaniæ ſolo fruticante natura ſponte naſceretur. Verum Solymanus infidi hominis impudentia commotus, quod eum anteà Gritti & Turcarum cæde cruentum oderat, totius negotij literas ad Ioannem miſit, vt vel inde moneretur, quorum hominum fidei ſummæ opportunitatis ac opulentiæ prouinciam commendaſſet. Ita Maylatus contumelioſè reiectus à Turca, Ioanniq; detectus, commutata conſilij ratione ad Ferdinandum ſe conuertit, ne poſtquam regni ſpe decidiſſet, præfecturæ quoque honore vindicante id facinus Ioanne, cum perfidiæ nota pelleretur. Erat tum in partibus Ferdinandi Thomas Nadaſtus, erudito nobiliq; ingenio vir Hungarus, qui ſororem Maylato nuptui dederat: is certa prouinciæ pactione propinquum ſuum in partes facilè traduxit, egitq;, vt Maylatus Tranſyluanos ad defectionem occultè concitaret. Idem etiam Balaſſus ipſe facturus putabatur, quem Ferdinandus per Melchiorem illius fratrem ad tranſeundum anteà ſolicitarat. Sic enim nutabant apud vtrunque regem iura pacis & fœderis, vt verbis amicitiam colere, animis autem liuore atque odio turgidis bellum parturire viderentur. Nam Liſcanum Hiſpanorum peditum præfectum, ſumma licentia veteranorum more in Italia prædari ſolitum, agreſtes Hungari cum maxima cohortis parte ad Caſſouiam trucidarant: quum eis vindemiarum & meſsis collectos fructus impotenter eriperet, multisque demum maleficijs utrinque æditis tranſcenſiſque limitibus fœdera violarant. Accidit autem peropportunè turbandis rebus, ut Ioannes Tranſylvanis pecuniam imperaret, qua Solymano tributa biennio intermiſſa penderentur. Id erat nouum peracerbumque validæ ac indomitæ genti, quæ vel ob

id iniuriam ferre non poterat, quod aurum enatum patrio in ſolo ad immanes Turcas proprios ipſorum hoſtes indignè deferretur. Itaq; conſternati ad arma, non obſcurè imperia detrectabant, Maylato ſcilicet Balaſſoque rem proclinatam adiuuantibus. dicebant enim ea pecuniæ ſumma decem annis ſuſtineri poſſe inimica Turcarum arma, niſi patriæ virtutis honos, conceſſis vltrò & traditis omnium Fortunis, adeo fœdè & turpiter proderetur. Igitur Ioannes vbi videt eorum contumaciam rebellioni proximam ad arma ſpectare, ſerpentis mali initijs occurrendum eſſe ſtatuit, premiſsiſque Valentino Thuracco, Petroque Pereno, & Petro Vicchio ſummæ dignitatis ducibus, ipſe quanquam ex recenti morbo tenui adhuc ac infirma valitudine, in Tranſyluaniam rheda peruolat. Commendarat autem reginam Ioanni Staro aulæ magiſtro, res vrbanas Aconi præfecto vrbis, arcis cuſtodiam et regiam ſupellectilem Benedicto Baioni, ſumma verò belli & pacis conſilia Gregorio Peſchenio ſeni fortiſsimo, qui antea Budam cum Gritto contra Germanos inſigni cum laude defenderat. Itaque diuiſis inter ſe copijs regij duces diuerſas vno tempore regionis partes inuaſere, circumlatoque terrore belli atque oſtentata clementia regis, qui cum adeſſe nunciaretur, ita rem geſſere, vt plures qui præfectorum impulſu defecerant ad officium redirent, nonnulli contumaciæ pœnas darent, & pauci denique præfectos iam planè coniectos in fugam ſequerentur. Maylatus enim viribus impar, & ex conſcientia ſaluti plurimum timens, nuſquam in pugnæ caſum ſe obtulerat, incertis itineribus euagabatur, modò percurrebat campos, è ſyluis improuiſo erumpens, modò ſe notis vallibus, atque nemoribus occultabat, vt perſequentibus nequaquam abiecti, ſed conſtantis intentiſque animi veſtigia relinqueret, ad extremum errando feſſus quum vndique vrgeret hoſtis, & Balaſſus longius abſceſsiſſet, in oppidum Fogaras ſe contulit. in id opere naturaque munitum theſauros Gritteæ prædæ condiderat. Itaque percupidè regij admotis caſtris prolatiſque tormentis obſidere atque oppugnare cœperunt. Conſtiterat Ioannes ad Sibinium peramplum Myſiæ oppidum, quod itinere vnius diei diſtat à Fogaris. Ibi in conſilium aduocatis prouinciæ honeſtiſsimis, qui vel in magiſtratu eſſent, vel dignitate ingenioque præſtarent, quum de Maylati perfidia grauiter eſſet conqueſtus, docuit quantæ neceſsitatis eſſet Turcarum amicitiam tueri, à qua niſi magno cum incommodo & certa clade diſcedere non poſſent: propterea quum Barbaris tributum eſſet exoluendum, ad tranquillitatem opulentiamque prouinciæ pertinere, vt præſenti non admodum graui damno, ſpem certam futuræ vtilitatis anteponerent, quando ea pax legitimo tributi nomine parta, ad amplificandas priuatorum opes, vberrimos demum rerum omnium prouentus manifeſtè promitteret. ſe itaque veniſſe, vt inſpectis prouincialium Fortunis, imperatæ pecuniæ onera leuaret, moderaretur exactionum rationes, vectigaliaque minueret, ac inopibus parcendo plurimum indulgeret. Hæc ſalubri æquitatis ac imperij temperamento adminiſtrantem, quum Tranſyluanorum animos ad obſequium flexiſſet, acrior inuaſit morbus, quem inter ſuſcepti belli curas, à ſolſtitio graues æſtus, & longi itineris citata vectatio, non planè ſanis & diu quaſſatis viſceribus attulerant. Obſidebatur interim Maylatus, quũ decumbẽti, & affectis tremore membris remedia paranti, allatũ eſt reginam fœlici partu mirę indolis

puerum

puerum edidiſſe. Tum verò Hungari in credibili lætitia exultantes regiam complent, ad regem gratulatum irrumpunt, tormenta de more diſploduntur, adueniunt è caſtris duces, gaudium in exercitu diſpenſatur, paraturque conuiuium, in quod vel inuitus rex ipſe procerum cohortantium manibus inſertur. id ei omnium lætisſimum atque ſupremum fuit. nam quum feſtæ hilaritati & perpotantibus amicis deeſſe nollet, incautius ac liberalius genio indulſit: ex inde reuocata eſt febris quæ iam plane defecerat, cuius vim diu ſuſtinere non potuit. Quum verò finem vitæ adeſſe conſpiceret, filium teſtamento reliquit hæredem, Georgiumque Varadinenſem antiſtitem propter eximiam fidem, & Petrum Vicchium ſanguine ſibi coniunctum, tutores inſtituit, obteſtatusque eſt ſingulos proceres per antiquum Hungarici nominis decus, vt ſui ſanguinis potius quàm externæ atque inimicæ gentis regem in Pannonia regnare paterentur. Futurum enim eſſe, vt Solymanus regni tutelam ſuſciperet, ſi ad eum legati cum muneribus properè mitterentur, qui puerum ex eius authoritate regnaturum paterna conditione reciperent. Fuit Ioannes pacato clementiq; ingenio, & ad beneficentiam æquitatemque maximè propenſo. Aberat enim illa innata Hungaris ferocia militaris, quum literarum ſtudio & multis vtriuſque Fortunæ caſibus eruditus, nequaquam virium impetu, ſed accurata conſilij ratione regeretur. nemo enim eo cautior, & vigilantior in negotio, nemo quum animum remitteret in otio vrbanior atque iucundior fuit. Is virorum fortium clientelas perpetua hoſpitalitate & beneficentia partas, certos principum theſauros eſſe dicere erat ſolitus: quòd grati et memores vna ſæpe forti fidelique opera omnes ſumptus cumulatè perſoluerent, ingrati verò cum ignomina alienæ virtutis teſtimonium ferre viderentur. Suppreſſa eſt tantiſper mors eius, dum cum Maylato de compoſitione tranſigeretur: ſignificarant enim regem in tanta ſuſcepti filij lætitia priſtinæ gratiæ locum, & denique ipſum præfecturæ munus ei liberali clementia relicturum, ſi in ſuum filijque legitimi futuri regis nomen iuraret. Non detrectauit conditionem Maylatus pluribus malis circumuentus: atque ita cadauer à Sibinio, comitante magna parte exercitus, delatum eſt Albam regalem, vbi ſepulchra regum viſuntur, ſolennique die, ac inſigni cerimonia noui reges coronantur: ſed priusquam à Sibinio mouerent caſtra, conſilio habito, eandem, quæ ornata inſtructaque viuente rege fuerat, legationem ad Solymanum decreuerunt: iereque confeſtim ſummæ dignitatis legati Ioannes Exechius Quinque eccleſienſis antiſtes, & Stephanus ipſe Verbetius iam natu grandis, & ſcrinij regij magiſter, quem Romæ ſub Leone legatum vidimus. Tulere munera pateras ex auro eximij operis decem, cælato autem argento inauratas centum: item ſericas purpureas & amethiſtinas aureasque textili opere figuratas, more Barbarorum, in talares veſtes quadraginta, aurique ſimul Hungarica nota ſignati quinquaginta pondo, quæ biennalis tributi nomine penderentur. Ita à Sibinio rectis itineribus relicta ad læuam Valachia, ſuperatoque in Triballis Danubio per Thraciam Byzantium peruenere. Interea apud Albam regalem inſigni pompa apparatuque regis funus eſt celebratum, impoſitaque infantis capiti ſolennibus ceremonijs antiqua illa ex auro corona, quæ Stephani Hungarorum primi regis fuiſſe dicitur, aſſeruabaturque religioſa admodum cuſtodia in arce Vicegradenſi. Neq; enim Hungari ſatis ritè factum legitimumque regem arbitrantur, qui eam publicè delatam ca-

pite non geſtarit. Propterea & regi infanti læto auſpicio dum ſacro fonte ablueretur, Stephani nomen indiderant, renouata memoria antiquiſsimi regis, qui id regnum fœlici virtute condidiſſet. Cæterùm ius imperij Iſabellæ reginæ communi procerum ſtudio delatum, ea lege, vt in publicis literis filij matriſque nomen præſcriberetur, eodemque titulo regia moneta cuderetur: ſed in Georgio ſumma imperij poteſtas eminebat. præerat enim ærario, teſſeraſque arcium tenebat. Porrò arma, milites, vexilla penes Valentinum viſebantur. Medius inter hos Petrus Vichius, quòd regem ſanguine contingeret, tutorque eſſet adſcriptus, neutri ſuſpecta & proinde ſtabili nominis auctoritate florebat. Sed quoniam Georgij nomen hoc funeſto bello, quod ſcripturi ſumus, perilluſtre fuit, operæpritum putaui aliqua de ingenio eius enarrare, vt quibus artibus geſtum ſit bellum, nobileque id regnum Hungarorum inſania ad Turcas deuenerit poſteris prodatur. Natus erat Georgius in Croatia, citerioris Pannoniæ Illyricique finibus propinqua, educatusq; ab ineunte ætate in domo Ioannis, apud quem virtuti ac induſtriæ certiſsimus erat receptus, quum anteà ſacris temere initiatus, vitæque duriciem ſerò pertæſus, à ſuſcepta profeſsione diſceſſiſſet. Itaq; miro obſequentiq; ingenio Ioannem regno pulſum exulantemque ſecutus, tantam in dubijs aſperiſq; rebus fidei, pietatis, ac expediti conſilij laudem promeruit, vt Cibaccho Gritti ſcelere ad Braxouium interfecto, Varadinenſem ipiſcopatum ſit adeptus. Exinde validis opibus confirmata auctoritate, aulam regnumq; regis commodo ſemper fidus circumegit atq; fœliceter rexit: ſed tanta erat naturæ diuerſitate, vt quum in omni actione expediti præſtantiſq; viri perſonam indueret, compoſitus ex contrarijs moribus & ad omina natus eſſe videretur: in peragendis enim ſacris feriarumq; ieiunijs Chriſtianæ diſciplinæ triſtitiam demiſſo vultu ſermonemque ita implebat aut effingebat, vt is idem eſſe credi non poſſet, qui in grauibus demum belli paciſq; negotijs tantam vim erecti ardentiſque ingenij gnauiter afferret. Optimorum ſiquidem equitum turmas alere, thoracatus in aciem prodire, frequentibus conuiuijs, atq; muneribus milites conciliare, magnorumq; ducum more pœna & præmio dignitatis nomen tueri erat ſolitus. Nemo præterea eo diligentius regni opes inſpexit: nemo vectigalia, aurifodinas, paſtiones, ſalinaſque vtilius locauit: nemo ſubtilius cogendæ pecuniæ rationes adinuenit, qua vna re certiſsimus apud reges gratiæ locus paratur: vſque adeo, vt Ioannes præcipua ſe eius viri induſtria regnare fateretur, & ipſe Ferdinandus hoſtis ſæpe diceret, nihil ſe prorſus inuidere Ioanni, quàm vnum cucullatum, qui galeatis decem millibus tuendo regno potior haberetur. Igitur Georgius ſuſcepta pueri tutela, in omni ciuilium militariumque rerum officio multus eſſe, prouidere ingenti cura, vt in vnum Hungari conſentirent, ne vllus alicubi nouarum rerum tumultus oriretur, quo infirmi adhuc regni initia turbarentur. At Ferdinandus nunciata morte Ioannis, repetendæ Pannoniæ cupidus, nihil dubitat quin arma paret, ac eam omnino occaſionem, quæ à Dijs immortalibus oblata videretur, feſtinanter arripiat. Aderant enim pleriq; reguli duceſque Hungari eius ſecuti partes, & antè alios Alexius Thurſo, Ferentius Genarus, & Petrus Bachithius, Pauli fortiſsimi ducis frater, cuius morte Turcarum victoriam ad Exechium nobilitatam fuiſſe docuimus, itemq; Balthaſar Pamphilus, Franciſcus Capolnaus, & Ioannes Caſtelamphus, qui à Varania principũ Camertium domo ſtirpem ducebat, & ipſe denique Seredus Gaſpar,

virtute bellica illuſtris, ſed latrocinij & multiplicis rapinæ infamia notatus. Ii omnino vnum illud eſſe tempus docebant, quo in patriam cum dignitate reduci poſſent, & eo quidem autumno confici poſſe bellũ, ſi maturarent, quando Turcarũ aduentum propinqua hyems excluderet, nec plane in vnum conſentirent Hungari proceres, qui reginæ ſtudia ſequerentur: non enim adduci poſſe viros nobiles, vt Georgio cucullato deſertori ſacri ordinis deſeruirent: poſtquam ille varijs ſimulationum artificijs deprauato reginæ ingenio, præoccupatisq; theſauris, ſolus regia poteſtate potiretur. Ipſis porro, qui rectè ſentiendo exules facti viderentur, patere locum non honeſtæ modò, verum etiam paramplæ dignitatis & gratiæ apud reginam, hortatore præſertim ſponſoreq; Georgio, ſi ad infantis pueri aulam, & denique ad propinquos, paternosq; lares redire vellent: ſed dediſſe fidem vel externo regi, qui virtute fideque præſtaret, altero ſcilicet repudiato qui vel gratiſsimum Hungarici ſanguinis nomen prætuliſſet. Proinde Ferdinaudum imperitè ingrateq́ue facturum, ſi ea quæ adeſſet prætermiſſa occaſione ſuſcipiendi belli conſilia traherentur. Quid enim fœdius accidere poſſe magno regi, atq; eidem Cæſari deſignato, quàm ſi viros ſtrenuos fideleſq́ue, ipſius auſpicia nomenq́ue ſecutos, turpi cunctatione deſereret, qui mirificas equitum alas ductantes inſignem antè alios in ipſis præliorum periculis operam pollicerentur? Nec minore ſtudio Germani duces bellum ſuadebant, vtpote qui militiæ dediti aut primos honoret, aut alarum & cohortium præfecturas in exercitu ſe adepturos ſperarent, vnde ſtipendia primùm ac inde laus, prædaq; præſertim, præcipua laborum ac vulnerum præmia, peterentur. At Laſchus, vir Sarmata, belli pacisq; artibus abunde inſtructus, conſilio potius quàm armis repetendũ Pannoniæ regnum ſumma oris libertate prædicabat. Nouerat. n. ille regum omnium ingenia, moresq; gentium, quum totum penè terrarum orbem, regiasq; omnes varijs legationum muneribus functus percurriſſet. Summa ſententiæ eius hæc erat, vt regnum à Solymano peteretur, eo beneficiarij iuris nomine, quo id dono datum Ioannes accepiſſet. Poſſe enim ſupplicando adulandoq́; facilè impetrari ab homine generoſo, & ab inſita Barbarorum animis vanitate, ineptè ſæpe gloriam affectanti, quòd vi atq; armis minimè poſſet extorqueri. Abunde ſe nouiſſe Solymani ſpiritus, et prætumida purpuratorum ingenia: illum contemnere opes, et tot regna faſtidire: hos verò inexplebili auaritia & arrogantia ingenti, nihil magis optare ac ſuadere quàm bellum. Proinde cauendum eſſe, ne eo repentini belli ſtrepitu parata atque intenta Turcarum arma excitarentur, quibus reſiſti non poſſet, niſi coactis totius occidentis viribus bellum inferretur. Id autem vnò omnium conſenſu expediri poſſe, ſed ne id videant, fatali caligine ſuffundi regum oculos, atque ita Chriſtianorum concordiam longè lateq́ue deploratam à Dijs ſuperis in meliora tempora reſeruari: poſtquam reges nuper à mutuis complexibus infecta pace diſceſſiſſent. An non, inquit, Gallus eluſus ſpe ſua, ac vti cupit exiſtimari, mirè traductus ad hanc nouam peracerbi doloris offenſionem recrudeſcente antiquo vulnere implacabile odium reſumet? Faceſſat omnis ſimulatio magnis inimica conſilijs, atq; omnem prorſus adulationem vel ingrata regijs auribus veritas anteuertat. Ille profectò non degeneris animi, vti cæco dolore conuulſis plerumq; accidit, iratè atq; inimicè dabit operam profuſo auro, quo multum abundare dicitur, vt grauiores difficultates Cæſaris conſilijs innectat, deſignatos Germaniæ conuentus pertur-

bet, principum diſtrahat voluntates, ſibiq; eos in primis largitione obnoxios reddat, qui Romani imperij decus æqua ſorte virtuti ac meritis dari diſpenſariq; ſolitum, Auſtriæ domui vehementer inuideant, vti quæſitum hæreditate: quando iam in hac tot Cæſarum perpetua ſerie, vti ab longa conſuetudine, legitimi iuris nomen induerit. Occultè itaq; conſpirabunt naturaque ceſſatores eximij nullam omnino aut certè ſeram opem ferent, quum Turcarum auxilia ad tuendum puerum regem aduolabunt. Neq; eſt cur quiſquam finitimos præfectos ſperet huic cauſæ vel retardante heyme defuturos. honeſtam enim & planè decoram ferendæ opis ſpeciem præferentes, haud dubiè pupilli & viduæ iniurias defendent, vt occultæ cupiditati ad occupandum regnum aditus paretur. Contracto namq; ſemel certamine, vel ſi Fortuna primis auſibus noſtris arrideat, æternum profectò tibi erit bellum cum eo hoſte qui inexhauſtas opes, inuicta robora hominum, indomitos ſpiritus, & deuotos in necem noſtram militum animos ſit allaturus. Ita fiet, vti auguror, & vtinam ſim falſus vates, vt ſi Pannonia petatur armis, tibi demum de Auſtria, auitoque imperio ſit dimicandum. Ad ea rex reſpondit, vera eſſe quæ diceret Laſchus, ſed in arcano conſilio ſi proferretur, aliquid reſidere, quo adduci poſſet, vt exiſtimaret omnino mouenda arma. Illud verò magnopere probare, vt Solymani animus illuſtri legatione tentaretur. Neminem verò potiorem ipſo Laſcho, qui Barbaro gratus, familiariſq; purpuratis omnibus, eandem ferè ſuperiore anno legationem ſuſcepiſſet. Non recuſauit id munus Laſchus, & paratis rebus omnibus quæ in negotio opus erant, à Vienna Byzantium eſt profectus. Sed Ferdinandus nihil à priore ſententia diſcedit, bellum parat, præſentis fratris opibus ſubnixus, nec obſcurè diffidens Hungarorum ingenijs, quibus ea transfugij cauſa ſatis honeſta ſemper fuit, quæ præſentis commodi ſpeciem prætulerit. Imprimis Nicolaum Salmam, quem Cæſar virtutis opinione in illuſtrium equitum ordinem cooptatum aurei velleris torque donauerat, ad reginam mittit, qui tabulas nouiſſimi fœderis proferat, hortetur eam, vt regno decedat, quòd recenti pactione alieni iuris eſſet factum. Porro etiam atque etiam moneat, ne ſuas & pupilli pueri ſpes morando & tergiuerſando corrumpat. Conceſſurum enim puero Ferdinandum Sepuſianam prouinciam, vti antea diſertè ex tabulis ambo reges conueniſſent, & ipſi quoque reginæ peramplos redditus, & quicquid in dotale nomen obueniret. Quòd ſi ea legitimi fœderis obliuiſci vellet, ei tum opportunè denunciaret, neque Carolo Cæſari, neque Ferdinando regi defutura arma, quibus regnum repeterent, tanquam antiquo iure, & nouo multorum Hungarorum conſenſu Auſtriæ domui contributum. Exceptus Budæ Salma ægrè impetrauit vt ad reginam admitteretur: Georgius enim & Vichius muliebri ingenio diffidentes, denegatum colloquij officium nimio reginæ dolore et lachrymis excuſabant, quum ſe peculiari munere mandata audire referreque paratos eſſe dicerent, poſtquam viduæ reginæ regiſque pueri tutelam demandante, obteſtanteque Ioanne rege ſuſcepiſſent. Sed eam regina de ſe imbecilli iudicij opinionem, quam tutores conciperent, ad contumeliam reuocabat, quum Sarmatico et Sfortiano ſanguine progenita, non viriles modò, ſed planè regios gereret ſpiritus, diceretque ſibi in necem manus ſe allaturam, niſi legato aditus in cubiculum daretur. Id erat atratum obſcurumque, vt pote quòd de more cœleſtem lucem excluderet, ipſa ignobili in ſtrato reſidebat, neglecto ornatu, & pallida facie, ſed oculis nihil tum

hil tum

hil tum in lachrymas proclinatis: voce tamen & cervicis geſtu ita compoſita, ut diuturno defeſſæ luctu exaruiſſe potius lachrymas, quam diſceſsiſſe ex animo mœrorem oſtenderet. Fœminæ ſiquidem mentem regnandi cupido iam invaſerat, atque ita poſsidebat, ut omnia imminentis belli pericula contemneret, ac ipſos denique Barbaros, ut regium nomen tueretur, omnino evocandos exiſtimaret. Itaque Salmæ cum multo verborum honore mandata explicanti demiſsè reſpondit, eam eſſe Fortunam ſexus ac ætatis ſuæ, ut orbata rege coniuge, & diuturnis corporis ac animi doloribus perturbata, neque ſuſcipere, neque terminare conſilium queat, quum in re longe graviſsima Sigiſmundum patrem omnino conſulendum exiſtimet: eius autem Regis tantam eſſe virtutem atque iuſtitiam, ut Ferdinandus nullo alio diſceptatore atque arbitro in ea controverſia uti velit. Proinde ſe petere ſpacium ac idoneum tempus, quo pater conſuli poſſet. Se enim ab eius ſententia minime diſceſſuram, ac idem facturos proceres Hungaros arbitrari: quod ſi id moræ ſpacium denegetur, atque armis agendum putent: egregiam certe laudem non ferent, inquit, Cæſar & Ferdinandus, ſi viduam fletu conſumptam, & vagientem in cunis puerum Regem oppugnatum advenerint. Salma eo modo dimiſſus, quum ad Ferdinandum rediiſſet, reginam in poteſtate Georgij eſſe, nec eam agere aut effari quicquam, niſi prius ex ore illius ac nutibus acceptum retulerit. Illum enim regnare cupere: reliquos vero Hungaros partiri inter ſe honores & præfecturas: poſtremo homines quæſtus & potentiæ avidos infantis Regis nutritios & regni procuratores eſſe malle, quam eſſeclas & ſpectatores magni atque externi Regis, qui præferocem gentem lingua moribuſque diſsimilem, & Hungarico nomini prorſus inimicam in Pannoniam condendis paſsim colonijs eſſet adducturus. Hæc ſe audiſſe exploraſſeque: propterea ſibi videri ſpem omnem poſitam in armis, ſed celeritate utendum, ut imparati & à Byzantio legationis eventum expectantes, pene priuſquam arma caperent, aut conſilium expedirent, Buda pellerentur. Neque enim temere reginam totam ſpem pacis ad arbitrium Sigiſmundi patris reieciſſe, qui tum in ultimam Lithuaniam ad Moſcovitarum uſque fines abſceſsiſſet: ita enim integrum circumagi poſſe annum priuſquam reſponſa vel per celeres tabellarios referrentur. Interea parari præſidia excirique poſſe Turcas, ac inde conflari bellum multo maius & gravius, quam putarent. Proinde ſi in Pannonia regnandum arbitraretur, abiecta omni alia cogitatione parare claſſem, & copias cogere maturaret. Nec mora Ferdinandus ſuppeditante pecuniam Cæſare, conſcriptis cohortibus, ac evocatis equitibus, congeſtoque in naves ſatis amplo commeatu, iuſtum exercitum ſecundo amne Danubio Strigonium demittit. Ea urbs Pauli antiſtitis conſtanti ſtudio erga Ferdinandum, Ioannis imperia, & bellicos conatus ſemper eluſerat. Præerat Auſtrianis copijs cum imperio Leonardus Velſius è Rhætia ſuperiore Tridentinis Alpibus propinqua. Is ad Germanicum animi robur perſpicacis ingenij vim addiderat, multiſque de cauſis aperiendum iter ad Budam arbitrabatur. Occurrebat enim à Strigonio euntibus Budam medio ferme itinere Vicegradum: id in ſupercilio editi montis arcem habet cum ſua altitudine, tum pulchritudine operis longe lateque conſpicuam: deſpectat enim præterlabentem Danubium, ripamque fluminis perpetua munitione ſibi coniungit. Nam ab arce per declivem præruptamque crepidinem deductus eſt murus:

Od

isque ubi in extremam ripæ marginem deſinit, egregij operis turrem habet, quæ tormentis inſtructa navigantibus opponitur: claudit quoque & ipſum terreſtre iter, quum portæ immineat, per quam invito cuſtode nemini aditus patet. Intra portam autem anguſta, ſed oblonga planicies adverſo flumine ſe extendit, ubi villa regia viſitur, ad voluptarios ſeceſſus inchoata antiquitus à Sigiſmundo Cæſare, abſolutaque demum ingenio Matthiæ regis, qui virtute & gloria Hungarorum Regum ultimus fuit. Ab his ædificijs hortisque Velſius tormenta promovit, oppugnavitque perpetuis diebus novem reſiſtente acriter præſidio, cui præerat Valentinus cognomento Litteratus, inter Georgij clientes fide & conſtantia inſignis: ſed ea vis erat ingentium tormentorum, ut perrupto muro propugnaculi interiora nudarentur, multoſque propugnatores teſtudinis, tectique ruina obrutos nihil ceſſantibus tormentis opprimeret. Tum verò Litterati pertinacia periculo victa, atque obiter accenſi ſuorum cæde Germani milites inter deditionis ſignificationes irruperunt, primis interfectis, reliquis captis, Litteratus ipſe ſervatus eſt, ut veteres captivi Budæ cuſtoditi, permutatione facta reciperentur, in ea expugnatione Velſius ad ducentos milites impigros deſideravit. Tum demum à Vicegrado provectus claſſe, cui Budenſis numero & magnitudine navium inferior nihil obſtiterat, amnem tranſgreditur, Peſtumque occupat ab hoſtibus deſertum, & ad Vacciam eadem celeritate contendit, eamque ſine vulnere redigit in poteſtatem: nec mora ad citeriorem ripam converſa claſſe revertitur, promotiſque inde caſtris ad Budam eſt profectus, ut per colloquia Budenſium animos tentaret, exploraretque reginæ conſilia, & ex propinquo oſtentatis copijs atque tormentis civitati terrorem incuteret. Iam enim Perenus ipſe inter Hungaros nobilitate atque opibus facilè princeps, quanquam filium Solymano fidei obſidem dediſſet, ad Ferdinandum tranſierat, oneratus ſcilicet ingentibus promiſſis: nam ab ipſa ſtatim victoria regij ſcrinij, ſigilliq; magiſter in locum Verbetij futurus erat, dabanturq; ei dono aliquot opulenta oppida, quæ ambiguo iure in poteſtate Thurſonis erãt. defecerant etiam à regina Stephanus Raſcaius, & Franciſcus Francapanes Agrienſis antiſtes ſummo loco natus, pietatiſque ſtudio & ſeveræ vitæ diſciplina mirabilis, quem conciliandis regibus ad Cæſarem cum Brodarico ſuſcepta legatione Neapolim perveniſſe docuimus. is magnam profeſsione religionis auctoritatem ſecum afferebat, quaſi integro iudicio Ferdinandi cauſam probaſſet: ſed ei poſtea Georgius intempeſtivi ambitus levitatem, criminoſis epiſtolis obiectavit, quòd purpurei galeri honorem commendatione Cæſaris affectaſſe videretur. Cæterùm Velſius obſeſſurus potius quàm oppugnaturus urbem, ad Aquas Calidas caſtra locaverat: eę vergunt in occaſum, diſtantque à mœnibus ſtadijs fermè duodecim. mirabilis autem earum natura fertur, quum ſcaturientis aquæ tantus ſit fervor, ut pede vix tentari poſsit, & in eam à lanijs proiecti ſues facilè depilentur, nec ranæ tamen intereant, quæ frequentes innatare conſpiciuntur. Agebant undique prædas Germani, idque iniquo animo à ſocijs Hungaris ferebatur, quum plerique aut ſua aut propinquorum pecora diripi, ac incendi pagos, & trahi vinctos imbelles agricolas viderent, ita ut ſæpe cum Germanis deprecando, prædamque extorquendo, armis contendere cogerentur. Ex altera parte Budenſes equitum alas emittebant, quibus Germanos egreſſos caſtris invadebant, & finitimos vi-

cos ab

eos ab iniuria hoſtium tuebantur. Nam Valentinus Thuracus virtute bellica nemini ſecundus, qui militare imperium obtinebat, mirificum levis armaturæ equitatum in urbe acciverat. Summa eius conſilij erat, ut nihil in diſcrimen adduceret: expectabat enim alacriter ut Germani promotis caſtris ad oppugnandum portis appropinquarent, aut ſi Velſius cunctaretur, ſpaciumque præberet: interea Turcarum auxilia ſupervenirent. Dum eo modo ad Aquas Calidas Germani ſederent, Balthaſar Pamphilus inter Hungaros duces admodum clarus, quum progreſſus à caſtris ante portam urbis evagaretur, poſtulavit à cuſtodibus poteſtatem ſibi fieri cum Valentino colloquendi: cupere etenim plurimum ſalutare veterem amicum, & aliqua deferre, quæ ad commune Hungarici nominis decus pertinerent: nec mora, concedente Valentino, cum turma ſuorum eſt receptus, aliquantoque poſt in caſtra rediit, afferens ſe cum ducibus comiter ac hilariter compotaſſe, colluſtrandoque urbem inſpexiſſe præſidia, tormenta, aggeres, quibus Budam, niſi ampliore apparatu, & commodiore anni tempore, ac multo maioribus copijs expugnari non poſſe crederet. Ea res Velſium vehementer commovit ſuſpicaci ingenio Germanorum more de externæ gentis fide uti lubrica, incertaque magnopere dubitantem uſque adeo, ut irate ſuccenſendo Pamphilum caſtris excedere iuberet, quod iniuſſu Budam intraſſet, ac inſolenti privataque libidine cum hoſtibus colloquendo adaugendoque eorum vires, totius exercitus animos fracta ſpe victoriæ debilitaſſet. Itaque Velſius nihil tentata oppugnatione diſcedens, ad Vicegradum iterum ſe convertit, ut præaltam illam arcem, & regiæ coronæ cuſtodia celebratam, tormentis expugnaret. nec diu Hungari præſidio impoſiti vim ingentium pilarum tulerunt, quum eadem ruina, qua turris ad Danubium adaperta conciderat, nobiliſſimi ædificij teſtudines, pinnæque & propugnacula, nihil intermiſsis ictibus concuſſa frangerentur. Eo modo interfectis aut in deditionem acceptis Hungaris arx capitur, minore aliquanto militum iactura, quàm turris inferior paulo ante fuerat expugnata. nec multo poſt ad Albam regalem contendit, ut per colloquia civium principes tentaret: nam Perenus, cuius apud Albanos inſignis erat auctoritas per idoneos homines adhortando pollicendoque immunitates ac præmia nonnullos perpulerat, ut à regina deficerent: dicebant enim in conſilijs & coronis, calamitoſum civitati fore, ſi infantis regis adoleſcentiam omnino expectandam arbitrarentur, poſtquam Ferdinandus cum ſuis tum validiſsimis Cæſaris opibus innixus, in proximo ſpectaretur, qui apud ipſos legitime coronatus, iure potior ac armis atque Fortuna ſuperior ſtultæ ipſorum pertinaciæ iniuriam evaſtato agro ulturus eſſe videretur. His ſermonibus celeriter eſt effectum, ut civitas, quæ vi armiſque expugnari non poterat, multa conſilij ratione, mollibuſque colloquijs ad Ferdinandi fidem redierit, præſidiumque acceperit. nam quum eo Valentinus advolaſſet, occluſiſque portis non admiſſus, ac ob id graviter iratus, ſuburbana popularetur, Albani Perennianos equites acciverunt, quorum præſidio non urbem modo, ſed proximos etiam pagos tuerentur. His rebus geſtis Velſius ad Strigonium caſtra reduxit, vel ob id quod Germani cum Hungaris rixas miſcerent. Vtraque gens enim ab innata feritate & truci contumacia, quum in implacabilem iram cruentis ſemel armis exardeat, deprecantium ducum imperia facile contemnit: nam per eos dies adeo atrox certamen

inter ſe ab levi cauſa contraxêre, ut quum præfecti incurrerent, ducesque ipſi dirimendo prælio corpora ſua opponerent, Perenus lapide ictus, & Velſius in crure vulneratus, ab ea contentione diſceſſerint. Verùm ad hæc gravior quoque in Pannonia bellum gerentibus hyems ſuberat, & turbidis vocibus à milite gregario ſtipendia petebantur: quas ob res Velſius renum etiam morbo vehementer affectus, in hyberna copias dimiſit, Peſtumque imprimis præſidio impoſito, & novis erectis munitionibus firmavit: propterea quòd frequentibus nuncijs, nec incertis rumoribus afferebatur, Turcas in propinquis eorum limitibus arma parare, ut Budenſibus auxilio feſtinanter advenirent. Nam ubi regina a Ferdinando copias cogi, navigijs tormenta imponi, ac expediri commeatus certius cognovit, decernente Georgio, nihil ad ſalutem opportunius habuit, quàm à finitimis Turcarum præfectis maturam opem implorare. Ii erant Vſtrephus Boſnenſis, & Mahometes Belgradenſis, & Amurathes, qui trucidatis copijs noſtris, & Cliſſa ſupra Salonam capta, in Dalmatiæ finibus conſtiterat. Vſtrephus præfecturæ honore, cæteros Europæ Sanzacos anteibat. Illyrici ſiquidem vexilla omnibus præferuntur, cuius ampliſsimus eſt equitum numerus, & regio longè latiſsima. Is locum beneficio potius quàm virtute fuerat conſecutus: quoniam Baiazetis filia in matrimonio eius fuit, eratque tum in ſenium vergens, ac inerti ocio præpinguis, tuebaturque præfecti nomen ſingulari virtute alumni ſui Amurathis, qui ad Laderam armatum Venetorum equitatum ſubita incurſione profligarat. Propterea facile reginæ poſtulatis reſpondebat, ſe copias inconſulto Solymano minime finibus educturum. Eadem fermè reſponſa erant Mahometis: nam provincia pedem efferre iniuſſu Imperatoris nefas eſſe dicebat: ſed is ex itinere à Laſcho præoccupatus magnis promiſsis atque muneribus, ut nihil ſe commoveret, diuque ceſſaret, prolixè quæſtui, atque item æmulationi ſerviebat. Vſtrepho enim homini ignavo parere, ac eius ſigna ſequi vir longè fortiſsimus ac ætatis honore ſuperior indignabatur. Neque Amurathi tutum erat à Gradiſca Illyrica diſcedere, ubi erat in ſtatione adverſus Crovattos, niſi iuſſa ſignaque præeuntis Vſtrephi ſequeretur. His de cauſis regina diu fruſtrà, ut opem ferrent, Turcas præfectos obteſtata, ad legatos qui Byzantij erant omnium difficultatum ſuarum articulos perſcribebat, ut per eos Solymanus imminentis periculi certior redderetur. Nondum pervenerat Byzantium Laſchus, morbo ſcilicet currendi diligentiam ſubtrahente: ſed præmiſerat Ptolemæum Ariminenſem medicum ad purpuratos, Luphtibeiumque imprimis familiaritate ſibi coniunctum, magniſque anteà excultum muneribus, per quem omnia ſe impetraturum ſperabat. ſed fruſtrà fuit Ptolemæi adventus, tametſi ſuſpendendis Barbarorũ conſilijs cum Baſſa, ac ipſo deniq; Verbetio collocutus opportuna, nec ingrata auribus, attuliſſet. Solymanus enim, qui ius ſuum ac beneficium defendere ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, magno ſibi commodo ac magnæ item gloriæ futurum rebatur, ſi oſtentato pietatis ſtudio viduam, pupillumque in tanta calamitate protegeret. Itaque advocatis legatis, tribusque purpuratis aſsiſtentibus, ſe eo animo Ioanni regnum conceſsiſſe dixit, ut ad liberos eius tranſmitteretur, tamdiuque poſteri eius ſtirpis Pannoniæ regno potirentur, quamdiu accepti beneficij memoriam retinerent. Proinde ad declarandam liberalitatis ſuæ conſtantiam, ſe arma ſumpturum, daturumque operam, ne Germani hoſtes il-

lati belli exitu lætarentur: tradiditque demum legatis, puero regi deferenda, firmatæ amicitiæ, ſuſceptæque tutelæ inſignia, purpuream auro intertexto regalis cultus togam, & clypeum elaborato umbone rotundum, ferream item clavam manubrio aureo, & incurvum gemmata vagina gladium. exinde Vſtrepho, Mahometique præfectis ſeveriſsimè perſcripſit, ut extemplò eductis copiis reginæ opem ferre maturarent, nec ulla adverſæ hyemis excuſatione uterentur: quòd ſi tarditate aut negligentia detrimentum acciperetur, ipſos continuò capite pœnas daturos. Vix dum Hungari legati cum donis præ lætitia Budam redire feſtinantes diſceſſerant, quum Laſchus Byzantium pervenit, ibi edoctus è Ptolemæo de ſucceſſu legationis Hungaricæ, quum mandata exponeret, & æqua conditione regnum petere pergeret, multusque in ore eius eſſet Carolus Cæſar, uti fratrem excitis totius Germaniæ copiis adiuturus, commoto ad id Solymano, cuſtodiæ traditur, obiurgantibus itidem purpuratis, Roſtaneque præſertim Solymani genero, iuvene elato atque iracundo: dicebat enim ultimo ſupplicio dignum, qui inſolenti orationis libertate ſereni vultus maieſtatem offendiſſet, ludificatusque regem regum amicitiam peteret, quum interim impudenter in Pannonia bellum gereretur. Interea Mahometes & Vſtrephus nihil deterrente hyeme diſperſos in hybernis equites ad ſigna vocant, navales ſocios conquirunt, claſſemque Dravo & Savo fluminibus in Danubium deducunt. Neque enim peritè & commodè in Pannonia bellum unquam geritur, niſi ſubſidio magnæ claſsis tormenta, commeatus, impedimentaque ad opportunitates utriuſque ripæ convehantur. Sed tantus per eos dies adulta hyeme & diu perflante Borea, rigor extitit, ut aſtricto præalta glacie Danubio, cuncta navigia ad Tolnenſem ripam vadis inhæſerint, uſque adeo ad tollendam navigationem marginibus latè gelu concretis, ut vix in medio tantus amnis, quum iam planè in ipſo curſu pigreſceret, apertus & liber profluere ſpectaretur. ea res magno incommodo Turcis fuit, tardavitque eorum adventum, quum neceſſariò ad tuendam claſſem conſiſtere, atque ibi caſtra ponere, ferreque ſub tentoriis præduræ hyemis aſperitatem ſqualenti in ſolo cogerentur. Incredibile dictu eſt, quum inde diſcedere flagitioſum, & capitale quidem putarent, quanta animorum pertinacia & patientia corporum, rerum omnium difficultates ſuperarint, vel equis, quibus nihil apud eos carius exiſtimatur, frigore ac inedia conſumptis, & concepto inde morbo paſsim intereuntibus. ſed miteſcente hyeme aperuit ſeſe annus, Favoniusque primo Vere invecto Aquilonibus ſucceſsit, exoptatus Turcis reginæque lætiſsimus. Nihil enim cunctatus Mahometes, remiges ſupplet, pedites Marteloſios ex Illyricis montibus accerſit. Ii ſunt latrones eximii pari feritate, pernicitateque ſpeluncis & cavis arborum pro domibus utentes, parva ſecure & brevi ſpiculo armati, ſed Numidarum more duces habent, & ſtipendio muneribusque trahuntur, ita ut facilè compendia viarum ac montium fluminumque naturam exercitibus demonſtrent. Idem quoque facit Vſtrephus, ambobusque Valentinus è Buda obviam profectus cum validâ Hungarorum manu coniungitur. Regina præfectos muneribus colit, commeatum ſuppeditat, ænea tormenta, quibus inimica oppida expugnent, haud cunctanter attribuit. Itaque inito conſilio Danubium copias traducunt, & ad Vacciam deferuntur. Ea urbs nequaquam militariter defenſa capitur; trucidatisque nonnullis Barbarorum more protinus incenditur. Inde Peſtum op-

pugnatum ire pergunt, & ab occaſu caſtra locant. Præerat Peſto Barcocius Hungarus, prætorianæ alæ præfectus: ſed aderant plerique Hungari duces, & imprimis Germanorum dux Otho Fotiſcus cum decem cohortibus. Ab his quum Turcę tormentis murum quaterent, equitatuque circumeundo urbem magnum terrorem obſeſsis incuterent, oppidum egregiè defenditur. Nam Turcæ in equo pugnare ſoliti ex propinquo aggredi murum, ruinasque ſubire & contemnere hoſtium tormenta (conſpecta pręſertim intus hoſtium phalange) ſtultum ac miſerum putabant: quòd Ianizeri pedites, quorum virtute cuncta facilè perrumpant, nulli aut paucifsimi in caſtris eſſent: Illyrici verò Triballique claſsiarij pedites, & quos diximus Marteloſij, rudes ad id pugnæ genus, ac ingenio prorſus armisque inhabiles viderentur. Equeſtribus tamen prælijs certabatur, quum ſæpe Hungari erumpendo vagantibus Turcis occurrerent. Erat in oppido Marius Spicecaſius, è Neapoli militaris architectus, is adverſus hoſtium caſtra, more Italico, quadratum aggerem multa conſeptum materia ad inſtar latiſsimæ turris erexerat, in ſummitateque tormenta collocarat, quibus Turcarum munitiones atque tentoria ab editiore loco petebantur. Simili ratione, & ab arce Budenſi interiacente fluvio ad Peſtana ædificia pilæ ferreæ volitabant. Regina interim parcius commeatum Turcis præbebat, utpote quæ ſibi annonam, niſi parcè metiretur, priuſquam frumenta matureſcerent, defuturam timeret: quoniam Cæſar è Belgio in ſuperiorem Germaniam profectus, ad Ratiſponam conventum habere, novosque exercitus parare nunciabatur. His de cauſis, & quod multi equi conceptis anteà morbis agminatim interirent, Turcæ re infecta, traiecto rurſus Danubio reſtitutisque egregia fide tormentis intra fines redierunt: ſed in receptu non defuère Hungari, quin erumperent, & noviſsimos cædendo ad multum ſpacium perſequerentur: Ferentio Gnaro imprimis impigrè rem gerente. Eo enim die Achomates, qui cogendo agmini præerat, inſignis inter alarum duces ab inſequentibus Hungaris eſt interfectus. Eadem hyeme in Vangionibus totius Germaniæ legatorum habitus eſt conventus, in quo Peronottus Granuelius inſigni gravitate pietateque religionis caſum deploravit, obſecrando Germanos nomine Cæſaris, ut tantis atque adeo diris diſſenſionibus ſperatum toties & nunquam impetratum finem imponerent, quibus divinæ humanæque res pudenda miſerabilique inſania in præceps traherentur. Luthero enim hæreſiarcha adhuc ſuperſtite, qui ante viginti annos eadem in urbe ac eodem Cæſare conventui præſidente, inducta placita defendere conatus fuerat, impunitusque diſceſſerat, plerique alij novas diverſasque à Luthero ſectas condiderant, publicatisque dogmatibus antiquas hæreſes excitarant, quas ſuperioribus ſeculis ſanctiſsimorum Pontificum & ſacerdotum decreta, concilijs toto terrarum orbe celebratis, legitimè ſuſtuliſſent. Miſerat eò Paulus Pontifex Thomam Campegium Feltrenſem epiſcopum, atque item perilluſtres Theologos, qui de ſacrarum literarum interpretationibus diſputarent adverſus Lutheranos. Ii novum ſibi nomen induerant, Proteſtantesque appellari malebant: quoniam deſerti Ducis mores planè diſſolutos & fœdos concepto pudore damnaverant, qui vel in ipſa Germania priſtinæ virtutis eius exiſtimationem evertiſſent: horum princeps erat Philippus Melanchthon, qui Latinæ facundiæ deditus, nova & ipſe placita mitiore ingenij veneno publicarat. Pro catholicis ſtabat Ioannes Ecchius,

vetus

vetus atq; admodum robuſtus ſanæ eruditionis propugnator, & Iulius Pluggius præſul deſignatus Numbergenſis. His unis datus eſt loquendi locus in conſeſſu legatorum, præſidente Granuelio, alternisque diebus dixerunt ac reſponderunt. Iamque de peccato originali proteſtantes ſe cedere fatebantur, utpote qui aſtuto conſilio quum dociles, tum veræ doctrinæ cupidi exiſtimari cupiebant, ut conceptam infamiam obſtinatæ diſſenſionis effugerent, & tum demum in reliqua veterum ſanctionum capita ad convellendam Romani Pontificis auctoritatem ſævius atque liberius graſſarentur, ſi in re nequaquam levi à priore ſententia diſceſsiſſent. Sed eam alternæ diſputationis contentionem Granuelius, quaſi iam bonæ ſpei plenus, quòd aliquid pio pacificatore non indignum conſecutus videretur, ad Ratiſponenſem conventum reiecit. Primo enim vere Cæſar à Rheno ad Danubium profectus, Ratiſponam Germaniæ regulos liberarumque civitatum legationes evocarat. Perveneratque eò ab Roma legatus Cardinalis Gaſpar Contarenus eximia virtute atque doctrina clariſsimus. Nec multo pòſt affuêre plerique reguli antiſtitesque Germani, & ante alios Albertus Cardinalis Maguntinus omni officio ac pietate catholici dogmatis & Pontificiæ poteſtatis cauſam complexus: è diverſoque Philippus Lantgravius, Cattorum princeps, Auſtriæ familiæ non obſcurus hoſtis, qui inexorabili pervicacia, tanto ferocis ingenij ſpiritu Lutheranorum vela inflabat, ut Cæſar, ne rem ſummæ ſpei ad publicam ſalutem fœliciter inchoatam ulla animi commotione perturbaret, Bucerum damnatæ ſectæ Theologum in illius porticu concionari pateretur. Eminebat enim in Cæſare ſtudium veræ pietatis, idque ſemper exactis Chriſtianæ vitæ cerimonijs oſtenderat, ſed humanarum rerum curis plurimùm angebatur: propterea diſsimulandum, indulgendumque in præſens obduratis cæco errore, & longa impunitate corroboratis hominibus exiſtimabat: ut eos molliſsimè conciliatos, in his quæ religionem reſpicerent, ad patrum maiorumque ſuorum inſtituta reduceret. Id enim ad optimi non modò pijque, ſed & longè etiam maximi principis nomen parandum pertinebat. Nam ſi ipſo authore diſceptatoreque ea de religione contentio, atque omnis diſcordia tolleretur, compoſitis ſtatim Germaniæ rebus nemini dubium aut difficile futurum erat, quin Turcarum armis egregiè reſiſti, Pannoniæ regnum recipi, & Gallorum contundi ſpiritus: & denique firmus atque peramplus in Italia dominatus conſtitui poſſe videretur. Itaque magno conſilio Cæſar Auguſtani conventus formulam ex conſcripto atque edito libello ſubſecutus, conſtituit, ut à ternis utrinque theologis Chriſtianæ legis veritas indagaretur. ij fuêre à catholicis, ipſe imprimis Ecchius, Iulius Pluggius, atque Groperius. Defendebantur autem Proteſtantium partes à Bucero, Melanchthone, atque Piſtorio, quorum diſputationibus delecti præſidebant, Federicus Palatinus vir magnitudine, probitateq; animi inter Germaniæ regulos facilè excellens, quem univerſis imperij copijs ad Viennã præfuiſſe meminimus: huic aderant principum ac liberarum civitatum ſtudio appoſiti aliquot ſacrarum literarũ profeſſores, qui auſcultantis Cæſaris authoritate regebantur. Quum in hunc modum ad Ratiſponam religionis cauſa iactatur, Ferdinandus de Pannonicis rebus diſceſſuque Turcarum certior factus, alacri animo ad eandem ſpem obtinendi eius regni continuò redit, Caroloque fratri facilè demonſtrat, nequaquam incœpto abſiſtendum, poſtquam Fortuna ſatis fœlicibus initijs arrideret,

nec reverſuri eſſent Turcæ, qui adverſo conatu aſperitateque hyemis & commeatus inopia fatigati, deſerta regina intra limites conceſsiſſent. Itaque novæ copiæ in ſupplementum Velſiani exercitus anteà conſcriptę, quum id de Turcarum adventu crebri rumores poſtulaſſent, è Norico in Pannoniam mittuntur, præficiturque eis Vilermus Rochandulphus regiæ aulæ magiſter, qui dudum ut Peſtanis opem ferret, Poſonium uſque deſcenderat. is viridi admodum ſenecta, ore militari, conſtantique ingenio, graviſsimi ducis habitum præferebat. nam Veneto bello ante triginta annos cum laude ordines in Italia ductarat, Pannonicæque regionis peritus habebatur, quod tutante ſe mœnibus Ioanne rege, Budam vel infœliciter oppugnaſſet. Velſius enim non armorum uſu aut ſtudio militum, ſed ætatis tantùm ac officij dignitate inferior, locum facilè concedebat, quòd laceſſente morbo videretur inutilis, inviſusque eſſet Hungaris, & à Pereno contracta ſimultate diſſentiret: ſed nihil quoque in oppugnanda urbe ſtrenuè facturus credebatur, quòd anteà apud deliberantem regem oppugnandæ Budæ conſilium exquiſitis diſciplinæ rationibus improbaſſet. Fit enim ſæpiſsimè, militiæque præſertim, malignitate atque ſuperbia humani ingenij, ut plerique vinci malint, quàm victoria potiri, quæ alieno conſilio parta ſuſceptæ ſemel ex adverſo prolatæque opinionis famam ad dedecus extendat. Nec mora Rochandulphus, trium ferè menſium commeatu, qui ſecundo amne deferretur diligenter inſtituto, muralia tormenta à Viennenſibus mutuatur, itemque à Bohemis & Sleſitis atq; Moravis auxilia accerſit, vetereque exercitu inſpecto acceptoque Budam profectus eam obſidere, oppugnareque inſtituit: ſed ab alijs omnino locis ſecus ac ipſe anteà animo concepiſſet. Immutata enim erat urbis facies: nam ingentia propugnacula peritiſsimè conſtructa, novarumque turrium moles admirabatur, quas Ioannes architecti Bononienſis ingenio fretus muniendis portis addiderat. Imprimis ab ea parte, qua ipſe Rochandulphus decem antè annis magna edita murorum ſtrage mœnia verberarat, admirabilis è lapide conſtructa munitio viſebatur. Ea nobilium Horſacorum ædes complexa in Corum ventum prominebat, obtuſioreque angulo ac inſigni proiectura, cui tormentariæ inerant feneſtræ, diverſa utrinque mœnia defendebat, ita ut longè omnium facilimus ad oppugnandum aditus demonſtrato periculo tolleretur. ab ea enim parte excelſus atque perpetuus collis, in quo Buda opportunè poſita conſpicitur in planiciem deſinit, quum ab aquilone orienteque æſtivo, unde Danubium deſpectat, acceſſus maximè arduus ac impeditus, perangustis & tortuoſis callibus oſtendatur. In Sabatina quoque porta, quę Budam veterem ad lævam Vicegradumque perducit, iuſtæ amplitudinis propugnaculum erat eductum, quo directa in meridiem mœnia libratis ſedulò tormentis ad altitudinem ſcandentium hoſtium facilè raderetur. Ad orientem porrò Solem, ubi arx eſt ſumptuoſis tot regum operibus ad latiſsimum undiq; proſpectum ædificata, lapideam peramplam turrem mediocri altitudine opportunè conſtruxerat, quæ ita iungebatur adhærebatque arci, ut exterius cum ponte portam haberet, qua liber egreſſus deſcenſusque tutiſsimus ad flumen per foſſam conciſa rupe, excavatoq; ſolo, vel ſeptenis in acie armatis nō incommodè præberetur. Neq; enim anteà ab arce niſi per urbē magno circuitu ad Danubium aditus patebat, ſed mons præaltus ex adverſo arci urbique imminens, intercedente valle, atque ea, quam diximus, foſſa, ita aſſurgebat, ut media montis

arcis

arcis faſtigium æquaret: ſummo autem cacumine regiones plateæ, interioraque urbis tormentorum ictibus ſubiecta ſpectarentur. In eo templum erat divo Gerardo, à quo nomen ducit, dedicatum, cuius numen peſtilentia ritè invocantibus ſalutare eſſe pictæ imagines, & perſolutis votis appenſa donaria cumulatè teſtantur. In hunc montem Rochandulphus, quòd eum ad oppugnandam arcem, terrendamque reginam idoneum rebatur, tormenta perduxit, vehementerque adeo quaſſavit novam turrem, ut ingentibus diſrupta pilis collapſura videretur: ſumma enim corona, pinnæque deciderant, ſed triplex erat arcis murus, durioresque ob id expugnandi atque invadendi, intercedente præſertim valle, difficultates oſtendebat, verùm nemini dubium erat, quin ſummæ arcis ornamenta præaltæque teſtudines, uti ad Vicegradum acciderat, refringi diruique poſſe viderentur: ſed Rochandulphus ſuo an Regis conſilio incertum, nobiliſsimę regiæ parcendum exiſtimabat, quum exornatas porticus, & perpicta laquearibus aureis cœnacula brevi concaſura conſpiceret, quæ ab ipſis demum victoribus, neque deſiderari, niſi magno cum dolore inanis pœnitentiæ, aut inſtaurari, niſi immenſo auri pondere, & longò temporis ſpatio cenſerentur. Cæterùm per præcones, quibus ad commeandum induciæ perpetuæ inviolabili iurè gentium manebant, reginam hortabatur, ut ſervitutis compedes abrumperet, quas Georgius inteſtinus hoſtis ſimulato tutelæ nomine, ipſius & pueri cruribus innexiſſet: paratum enim eſſe ampliſsimum principatum liberalitate Regis, in quo ipſa cum dignitate ad ſecuritatem conquieſceret, puerumque nutriret: quòd ſi ea omninò munera, uti mentis inops, ac ignara periculi repudianda arbitraretur, ac imminentis calamitatis caſum obſtinatè contemneret, ſe daturum operam, ut maioribus tormentis ac ingētibus mortarijs, quæ in ſublime caſura demum ad excidium tectorum marmoreas ingentes pilas excuterent, totius arcis ac regiæ contignationes exitiabili cum fragore frangerentur. Ad ea Georgius reſpondit, non eſſe adeo inſulſo ingenio reginam, ut Pannoniæ regnum Sepuſiano principatu permutare velit: Rochandulphum verò ſibi valde delirum ac inſanum ſenem videri, quòd quum antea in hiſdē foſsis graviter vapularit, id modò ſtolidè quærat, ut ad perniciem cumulatæ temeritatis pœna mulctetur. Proinde viros fortes pro patria regeque Hungaro adverſus temulenta agmina ſobriè propugnantes terrere deſineret: nihil enim eos immanium globorum ſtrepitu commoveri, verùm ſe unum ex omnibus à Rochandulpho privatæ humanitatis iure comiter poſtulare, ut tormenta aliquanto mitius diſploderet: eſſe enim ſibi ſcropham domi unicam prægnantem, quę tot ſclopis, & bombis exterrita, abortum magno convivarum ſuorum dolore factura videretur. Erat ènim Georgius perurbanus & dicax, atque adeo Germanorum contemptor, ut quum ex his duos milites regijs in hortis ædificia ſuccendentes, à Budenſibus interceptos ſupplicio affeciſſet, in eadem furca totidem pariter porcos ad ignominiam ſuſpenderit. Nec multo poſt Rochandulphus à monte Gerardo ad ſepulchra Iudæorum nihil loci nomen abominatus, motis repentè caſtris omnem tormentorum apparatum tranſtulit. Is locus a Iudæa porta inter orientem atque meridiem non iniquus, quanquam ſenſim acclivis, ad proxima vineta protenditur: ſed longinquam, & propterea periculoſam habebat aquationem, quum intentis ſemper ad inſidias, & repentinis Valentini equitibus, Danubius magno circuitu peteretur. Sed Germani diſpoſitis

cuſtodijs, certoque præſidio aquatoribus adiuncto, egregiè cunctis difficultatibus occurrebant. At Georgius ubi hoſtem ad ſepulchra caſtrametantem vidit, nihil de ſolita urbanitate ad iocandum remittens, à Rochandulpho petijt, ut errati veniam daret, quòd eum nuper falsò delirum ſenem appellaſſet: quoniam in æquiora loca traductis caſtris ſapiens omninò mentisque integer evaſiſſe videretur: poſtquam proprio in loco, & ipſi exactæ ætatis ſeni, multumque irrito labore fatigato, & damnatis pariter copijs aptiſsimo conſediſſet. At Rochandulphus ferream curulem caveam, uti feræ belluæ, Georgio comminatus, à duabus ſimul partibus ad diſtinendos hoſtes oppugnare conſtituit. Hungari Pereno duce, atque his adiunctæ Bohemorum cohortes inter Horſacam munitionem, & Sabatinam portam tormenta protulerunt. Ipſe cum Germanis à Iudæa porta ad arcem, qua regij viſuntur horti, tanta vi quaſſavit murum, ut pars concuſſa perfractaque procideret: pars verò premente atque impeente interno aggere, quem intus Budenſes ſubitariæ munitionis cauſa mœnibus adſtruebant, inexpectato caſu in exteriora laberetur. Ea res propugnantes magnopere conterruit, quòd dijs veluti adverſis ipſorum diligentia ſecus ac ſperaſſent, irreparabili damno repentè edito novum periculũ attuliſſet, ſed tantæ occaſioni defuit Rochandulphus, ſive re nequaquam ſatis liquidò perſpecta, quum inter perpetuam tot diſploſis utrinque tormentis fumi caliginem, elatique ab ruina pulveris denſiſsimam nubem omnia conderentur, ſive quòd pro ingenio cunctantius & ſuſpicacius cuncta adminiſtranti expediti conſilij vim omnem mora fatalis eriperet: nec Germani ſtatariæ pugnæ aſſueti facilè adduci poſſent, ut in extraordinarijs & repentinis oppugnationum caſibus Hiſpanorum, ac Italorum, Gallorumque more alacriter atque celeriter murum ſubirent. Cæterum uſque adeo mœnia tormentis adaperta proſtrataque cernebantur, ut in longitudinem unius ferè ſtadij eminente tantùm ad altitudinem ſtaturæ hominis antiquo aggere, vel brevibus ſcalis ſe facile ſcanſuros, ac in urbem irrupturos milites dicerent. Iamque nox aderat apud Germanos curandis corporibus quam rei gerendæ aptior. Ex vetere etenim gentis diſciplina tenebras ac inſidias peroſi decora tantùm ea vulnera exiſtimant, quæ ſpectante exercitu in præclara luce ſuſceperint. Itaque aliquot prolatæ ſunt ſcalæ, & per tenebras magno ſilentio iuxta ruinas appoſitæ eo conſilio, ut ſub auroram compoſitis ordinibus conferti milites ſubirent. Cæterùm Budenſes ab hoſtili mora ſpacium nacti, incredibili diligentia, omniſque generis ſexuſque hominum frequentia, novum intus aggerem protinus erexerunt, animadverſiſque hoſtium ſcalis eas continuò rapuerunt. Porro Germani ſub auroram inſtructa acie per acclivia ſubeuntes tanta vi munitiones ſunt adorti, ut Otho Fotiſcus in perruptam domum, quæ muro coniuncta erat audaciſsimè penetrarit, cæteræque cohortes, quum præeuntem quemque militem ſuccedens humeris ſublevaret, in ruinis vexilla præfigere niterentur, ſed Budenſes mira conſtantia irrumpentium impetum tulerunt, cohortante, propugnanteque Georgio, qui depoſita cuculla galeatus toto aggere volitabat. At Germani quum aliquandiu periniquo loco multis acceptis vulneribus irrumpere conati eſſent, nec armis modò, quibus acerrime cominus cędebantur, ſed valida etiam corporum impreſsione ſcutatis a fronte vehementer incumbentibus urgerentur, nullo ordine ſe re-

cipere cœ-

cipere cœperunt, ſed receptus perturbatos in fugam confeſtim vertit, atque eo quidem maiore cum incommodo: quoniam uti videre licuit, quantò longius à mœnibus recedebant, tanto atrocius atque frequentius omni miſsilium genere & tormentarijs maximè glandibus ſternebantur. In eo tumultu Rochandulphus ſupra octingentos milites amiſit: nam quicunque paulo gravius ſauciati in caſtra ſe retulere incuria & contemptu vulnerum putreſcentibus facilè plagis interibant. Perijt & paucos poſt dies diſtracto vi tormenti, reſilienteque lapide haudquaquam ab initio lethaliter ictus Hieronymus Iadarenſis, Auſtrianæ claſsis præfectus. Pari quoque eventu; ſed minore accepto detrimento, Perenus ad Sabatinam portam repulſus ab oppugnatione diſceſsit. Exinde Budenſes adeo animos deſpectis hoſtibus ſuſtulerunt, ut erumpere ſæpius auderent, ignaviamque exprobrantes contumelioſis ſignificationibus è muro Germanis illuderent. Tentavère demum Auſtriani duces effoſsionibus atque cuniculis murum ſubruere, inditoque ac demum ſuccenſo intus tormentario pulvere, adapertisque mœnibus ſubitarium in urbem aditum parare, quòd plerique adeſſent milites è Rhætia argentarijs fodinis aſſueti, Bohemique præſertim inſecturis metallorum operam navantes. ſed Budenſes deprehenſis hoſtium conſilijs atque operum initijs, nota atque inſtituta ratione, dum foſſas introrſus ex obliquo pertraherent, certaque erupturis incendijs ſpiramenta relinquerent, diligenter atque fœliciter occurrebant: urgebantur tamen tanta variarum rerum inopia, ut nequaquam paulo longiorem obſidionem pati poſſe viderentur, & famè laborantis populi querelis locus eſſet, uſque adeo, ut urbana multitudo tumultuarijs vocibus imponendum eſſe finem inediæ, publicoque periculo, & deditionem omnino faciendam ſucclamaret: ſed tanta inerat Georgij ingenio auctoritas cum ſumma in omnes caſus urgentium rerum induſtria, ut quum concionanti ſimilis in forum prodiret, quò vellet vel corruptos alienatosque civium animos impelleret: parum tamen abfuit, quin urbs ipſa, quæ vi capi non poterat inteſtina fraude proderetur. Erat inter Budenſes vir Hungarus in iure dicundo prætoria functus poteſtate, nomine Bornemiſſa: is Georgium vehementer oderat, quòd in iudicio, & civili conteſtata lite, à Iudæo decoctore multus ſteriſſet, qui aſtuta conſilij ſimulatione nequaquam ſuo, ſed Bornemiſſæ malo ſuſceptæ mercaturæ rationes conturbarat. Itaque livoris plenus vindictæque percupidus, Franciſco Revalio, qui in Auſtrianis caſtris ius dicebat, ſe daturum ad ingreſſum exoletam portulam promiſit: ea erat in ſepulchretis ſolennis templi Deiparæ virgini cognomento Germanicæ dedicati, eratque uſui pacis tempore per declivia petentibus flumen: rem igitur ad ſe per Revalium delatam ita probavit Rochandulphus, ut nihil tamen Hungaris in tantæ ſpei negocio committendum arbitraretur, ſecus ac ipſe Bornemiſſa præcipue depoſcebat, utpote qui ſine ſanguine tot inſontium civium, quorum ſalutem privato facinore proderet, rem patrare exulibusque omnino Hungaris uti vellet, quibus erga patriam & propinquos, notosque ipſis pietatem & clementiam minimè defuturam ſperaret, quando Germani per ſe crudeles, totque incommodis & contumelijs irritati, noctu præſertim irrumpentes, ne pueris quidem, & fœminis parſuri viderentur. Cæterum Rochandulphus more gentis ad inane prudentiæ nomen, nemini integram fidem præſtare ſolitus, ut exclu-

ſis Hungaris ſolus conceptæ victoriæ famam uſurparet, uſurum ſe Hungarorum opera ſimulat, Revaliumq́; decipit à quo etiam filium obſidem acceperat: nam ad conſtitutam horam intempeſta nocte omnibus nihil ſeſe per caſtra commovere, & conquieſcere iuſsis, delectas quatuor Germanorum cohortes ſilentio ad portulam præmiſit, Condeo filio cum ala Germanorum equitum in ſtatione conſtituto, ut quum à receptis intra urbem Germanis proditoribusq́ue, uti convenerat, maior, & militaris viæ porta refringeretur, confeſtim cataphractos equites induceret. nec Bornemiſſæ in ipſa perfidia fides defuit: adaperta enim portula, quam diximus, cohortes magna ex parte ſuſpenſis veſtigijs ſunt introductæ: ſed quum Bornemiſſa ſingulis intrantibus Revalium ſummiſſa voce requireret, neque alio quàm Germanico fremitu reſponderetur, intrepido alioquin animo, uti plerunque accidere deceptis ſolet, improviſus obrepſit pavor, ita ut anceps atque incertus conſilij, nec præeuntibus, ignaris ſcilicet quem primum urbis locum occuparent, dux eſſet: nec Germani contento iam gradu in tenebris fraudem ſuſpectantes alacriter procederent, quum reſpectare ac ab ultimis itineri & gerendæ rei ſigniferum petere cogerentur, nō feſellit Budenſium excubias incedentium agmen, quum vel leviter calcata humus, offenſaq́ue arma perſtreperent, accenſiq́ue ſclopettorum funiculi latè ſpectarentur. Itaque petito nec ab hoſte reddito teſſeræ nomine ad arma conclamatum, ſed id ſerò erat, iam ſemicapta urbe, niſi divi Budæ tutelares deprehenſis & errantibus adverſi, tanti iam patrati facinoris audaciam in ſubitum metum vertiſſent: tanta enim animorum conſternatione regredi, portulamq́ue repetere tumultuoſius quàm Germanos milites deceret, properarunt, ut in anguſtiſsima porta afflictarentur, impedireturq́ue exitus haſtarum ſtrue, quam primi proiectis armis effecerant, ut levius ac expeditius in caſtra profugerent. Vrbanus Bacianus, qui vigilias ea nocte circuibat, primus cum expedita cohorte evadentibus ſupervenit, adductæq́ue eò ſunt à Vichio latè iam cognito auditoq́ue tumultu validæ peditum atque equitum manus, quæ more militiæ in foro ad incertos belli caſus excubabant, ita audaciſsimi Germanorum, qui primi irruperant cum noviſsimi agminis facti in fugam ſe converterent, trucidantur, capiunturq́ue nonnulli, & in his Bornemiſſæ familiares: nam ille inter primos evaſerat. de his autem Revalijq́ue item amicis à Georgio quæſtiones habitæ, erutaq́ue eſt varijs cruciatibus totius proditionis ſeries, & de confeſsis fœdi crudelisq́ue ſpectaculi ſupplicium eſt deſumptum, Revalio in caſtris ſe ingratè maligneq́ue proditum conquerente, & lugente plurimùm Bornemiſſa, qui parto proditoris patriæ cognomento, omnem ſubſtantiam amicis ac affinibus miſerè perditis amiſiſſet. Itaque Rochandulfus, quòd conſilia & conatus omnes Fortuna præverteret, & totis caſtris inconſultæ, pervicacisq́ue ſuperbiæ vel gregariorum militum iudicio damnaretur, nec dolorem ac infamiam corruptæ tantæ occaſionis atque victoriæ animo ſuſtineret, reliquas belli cogitationes ad obſidendos hoſtes convertit. At Solymanus his rebus, quæ à Cæſare fratreq́ue eius adverſus reginam parabantur, opportunè cognitis, tuendi proferendiq́; imperij explicat rationes, hoſtium conſilia & facultates expendit, adhibetq́; in conſilium purpuratos Baſſas, ac ingenti animo, diviſis copijs delectisq́ue ducibus, uno tempore locis omnibus ſtatuit occurrendum. In primis Solymanus Acarnan Eunuchus in Meſopotamiam mittitur, qui Babylone conſiſtat, Tam-

maſum-

maſumq; Perſarum regem à Tygridis ripa deterreat. is nuper Ægypto præfectus, multis ædificatis triremibus enauigato q; Arabico ſinu, et ſuperatis Rubri maris anguſtijs, in Indiam peruaſerat, interfectoq; Ademi rege, Luſitanos ad Dium emporium vehementer oppugnarat: Mahometem verò purpuratum, natione Dardanum, qui obſeſſæ reginæ opem ferat, in Pannoniam proficiſci iubet. deligitur & Vſtrephus ex Illyrico quartus ordine purpuratus, qui Mahometem ſubſequatur, ſubſiſtatq; Belgradi, intentus ad ferendam opem, ſi Mahometes validiores hoſtes inueniat. attribuitur & ſua claſſis Hariadeno Barbaruſſæ, cui anteà maris imperium erat delatum, vt daret operam ne quid detrimenti in Græcia atque Epiro ab Auriana claſſe reciperetur. Paulò enim antè Auria Siculis Neapolitaniſque triremibus ſibi adiunctis Turcas & Pœnos Turcis fauentes, Clupea, Neapoli, Adrumento, Ruſpina, Tapſoque, & denique tota ea Africæ regione, una excepta urbe Lepti, quæ Mahomedia à Pœnis, Aphrica à noſtris dicitur, ad Mænicis uſque inſulæ Syrtes depulerat, Muleaſsiſque Tunetani regis imperio parere coegerat. Eæ urbes hodie ſunt Calibia, Suſa, Mahometa, Monaſterium, Sfaxia, & Africa, quæ Pœnis Mehemedia dicitur: tum enim Auria ingentem exornabat claſſem, ut ad expugnandum Algerium in Mauritaniam transfretaret. Et quoniam Solymanus Maylatum in Tranſyluania Ferdinandi rebus ſtudere, bellumq; moliri didicerat, aduerſus eum Muſtapham Nicopolitanum præfectum ſuperato Danubio contendere iuſſit, imperauitq; Petreio Moldauo Valacchorum principi, vt Muſtaphæ bellum gerenti præſto adeſſet. Is Turcarum copijs triginta milia ſuorum equitum adiunxit, magnoq́ue aſtu Maylatum, vt mox dicemus, in poteſtatem redegit. Ipſe autem Solymanus plus æquo Chriſtiana arma veritus, Cæſarisq; imprimis conſilia & totius Germaniæ facultates, non abſurda, quã quam tum maximè vana ratione, animo reputans, Hadrianopolim proficiſcitur, tertium ex propinquo exercitum, ſi opus foret, ſubſidio duobus præeuntibus purpuratis allaturus, retento ſecum Roſtane genero, quem inter Baſſas aſciuerat, Luphtibeio ſcilicet gradu pulſo, relegatoq; in Macedoniam, quòd vxori, quę Solymani ſoror erat, deſertum ſibi relinqui coniugalem thorum peracerbè conquerenti, obiectantiq; diſſolutas libidines, indignè ac inſolenter manus inieciſſet. Igitur Mahometes, rei gerendæ pariter oſtendendæq; virtutis cupiditate incenſus, iuſtis confectis itineribus, paulo poſt ſolſtitium in Pannoniam peruenit, adiuncto ſibi ex itinere altero Mahomete Belgradenſi: accitisq; item Boſnenſibus copijs, quibus Vſtrephus dudum fato functus, Peſtano bello præfuerat. Huic in præfectura ſucceſſerat Vlamanes Perſa. At Germani, vbi de aduentu Turcarum certius cognoſcunt, varijs inter ſe dictis ſententijs decertant. diſputatur enim in conſilio, præſtet ne obſidionem ſoluere, an contrà ire hoſtibus prœlioq; certare: ſed impellentibus fatis, vt Turcę Pannoniæ regno potirentur, Rochandulfi ſententia vicit. Is nihil tutum quod eſſet indecorum putabat. Peſtum namq; traijcere, aut Vicegradum Strigoniumq; redire, vti aliqui ſuadebant, adeo flagitioſum turpeq; rebatur, vt ingenio tot aduerſis conatibus perturbato, vrgenteq; Fortuna, vinci atque emori incolumi conſtantiæ laude, quàm exercitum ſeruare malle videretur. Caſtra itaque in aduerſam vrbis partem ad Gerardi montis radices transferuntur, qua mons inter Budam & caſtra poſitus, recedenſque à flumine latam ab oriente planiciem relinquit, eo conſilio vt aduentantes Turcæ, quos nihil

a claſſe flumineque diſceſſuros videbat contra rectam tormentisq; munitam caſtrorum frontem procedere,& periniquo loco tranſitum tentare cogerentur. Ea enim erat natura loci vt caſtra hinc præalta imminentis montis crepidine, illinc verò ad læuam præterfluenti Danubio munirentur, in tergo autem præualidus agger erat erectus, contra portam turremque, quam Budenſes, quòd flumine abluatur, Aquariam vocant. Nam ab excelſa vrbis arce, duo brachia pinnati muri per decliues præruptosq; deſcenſus ad flumen deducta erant, tantumq; loci in ima ripa intercipiebant, quantum in ſummo tota arcis amplitudo complectebatur. In eo ſpatio cum ſtabulis regijs vetera erant naualia, binisq; portis ac turribus præcludebatur id iter, quod iuxta flumen haud multùm lato ripæ margine in campos perducebat. Porrò in dextram ab ipſa fronte Rochandulphus perpetuam munitionem in aduerſum montem traxerat, ibique minora caſtra in queis erant Hungari, editiore loco poſuerat. Parua quoque inſula ponte conſtrato caſtris iungebatur: in ea erat lunatus agger, maioribus tormentis egregiè munitus, quibus & ſubeuntia hoſtium nauigia, & ea, quam diximus lata planicies ex obliquo peterentur. Cogitabat etiam ſtabili atque perpetuo conſertis inter ſe nauigijs ponte conſtructo, Peſtanis mœnibus caſtra committere, indeque nouas copias opperiri aduentantis hoſtis impetum ſuſtinere, diuturnaq; maximè obſidione Budenſes premere: nam tantus commeatus tantusq; rerum bellicarum apparatus ad Peſtum fuerat inſtitutus, vt vel in multam heymem abundè ſufficeret. Cæterum appropinquantibus Turcis Valentinus cum duobus millibus equitum legati munere functus occurrit, quid hoſtes parent, quales, quantiq; ſint, vtrumque Mahometem diligenter edocet, opportuna ponendis caſtris loca demonſtrat. Itaque Mahometes Baſſa audacter promotis agminibus quinq; ferme ſtadiorum ſpatio ab hoſte conſedit, circundatque ſeſe celeriter ingenti foſſa per Aſappos pedites, quibus in opere faciundo Turcæ plurimùm vtuntur, totamq; eam planiciem tabernaculis innumeris complet: Belgradenſis verò Mahometes rei bellicæ pertiſsimus, per colles, qui ſeſe molliter inflectunt, Gerardoque monti relicta planicie coniunguntur, editiorem capit locum, Hungarorum magis quàm Germanorum caſtris propinquum. Tum verò legati Turcæ ducum nomine ad ſalutandam reginam vrbem intrant, magnam maioris minorisque pecoris multitudinem ex Hungarorum tamen paſcuis abactam dono dant: mirantur ſubitarios aggeres, terrificosque hoſtium conatus, Budenſium conſtantiam laudant, profitenturq; ſe eorum iniurias celeriter vlturos, exultiq; donis diſcedunt, Budamq; demum pariter ac ipſa caſtra mutua ſecuritate commeantibus vtrinq; Budenſibus & Turcis patuerunt. Tanta autem apud vtrunq; Mahometem, cum verbis, tum omnibus officijs humanitas atque prudentia ſpectabatur, vt nequaquam ſimulata aut temporaria inter Turcas & Hungaros amicitia, cuius nomine ad ferendam opem adueniſſent, ſed maximè ſincera & diuturna vel ab aſtutis pueri nutritijs crederetur. Grauibus enim dictis ſententijs, Georgio imprimis Vichioq;, et Valentino ſuadebant, vt depoſita ſimultate, reuocare exules vellent, communi careque eis ſolitos honores, et denique in vnum Hungarici ſanguinis corpus conſentire: omnes enim, niſi deſiperent, dum rex Stephanus adoleſceret, ſecurè atque beatè regnaturos, & deniq; poſtquàm ſub tutela præſidioque maximi atque iuſtiſſimi imperatoris tuti eſſent, Germanica arma facilè contempturos,

turos,

ſtros, quæ neque valere per ſe poſſent, neque omnino commoueri, niſi concitantibus Hungaris, quibus patriæ deſiderium ſatis iuſta belli cauſa videretur. Cæterùm binis vtrinq; eo modo conſtitutis caſtris, binæ quoq; claſſes accedebant: in Auſtriana erant biremes vigintiquatuor, maioris minoresque Naſadæ, quarum formam nauali prælio ad Stringonium facto, ſupra retulimus, circiter octoginta, onerariæ verò naues & magni lintres paulo minus centum: Turcarum verò claſſis omnis generis nauigijs, dimidio minor cenſebatur. Hanc tortuoſi litoris cubitus in altum exporrectus, effecto intus latiſſimo ſinu, opportunè ab hoſtium tormentis protegabat: pari quoque ratione prominentis ripæ, Auſtriana in altero conſimilis profluentis flexu, deligatis ad ripam proris, tutiſſimam ſtationem obtinebat, actuariæ autem obiectu paruæ inſulæ tegebantur. Nam Turcæ proximam huic Cepelliam inſulam è regione caſtrorum occuparant, in ſuperioreque parte, vbi Danubius veluti roſtro ſcinditur, munitionem erexerant, indeque paribus tormentis paruæ inſulæ aggeres & commeantia nauigia diligenter infeſtabant. Capellia quadraginta amplius millibus paſſuum in longitudinem extenditur, pagis ædificijsque referta, ac ideo opportuna, vt ſi eam ab initio Rochandulphus, ſicuti iudicabant Hungari, occupandam muniendamque ſuſcepiſſet, appareret Turcas nequaquam caſtrametandi facultatem habituros, aut omnino relicturos claſſem, ſi ad occidentem, vbi anteà Rochandulphus conſtiterat, magno circuitu caſtra ponere voluiſſent. Quid enim eo conſilio inſanius, ac exitu calamitoſiùs amiſſa claſſe Turcis accidere potuiſſet? ſed nemo vel exactè prudens cuncta prouidet, quum euentus ſupra cladis incommodum infœlicibus reprehenſionis etiam grauem notam relinquat. Non putabat enim diuidendas eſſe copias priuſquam noua è Norico auxilia ſupervenirent, quum frequentibus prælijs & graui autumno ingruentibus morbis, vehementer attenuatæ, nequaquam Turcarum numerum adæquarent, & Budenſes totis copijs diuerſoque latere ad omnes Turcarum motus erupturi viderentur. Pugnabatur quotidie minutis prælijs circa planicem ab equitatu, & ad ſuperiores munitiones, ac in monte ab extraordinarijs peditibus. Nam Mahometes Baſſa præter ſagittarios Aſappos, egregiam etiam Ianizerorum manum, & Belgradenſis Illyricos, & Triballos adduxerant: ſed equites vtrinque pari alacritate pugnam ciebant, quum promptiſſimus quiſque aut paulo nobilior eques ad oſtentandam virtutem ex aduerſa acie parem ſibi eum, qui armis ac inſignibus conſpicuus obuerſaretur, ad ſingulares concurſus prouocaret, vſq; adeo iucundo pugnæ genere, vt militari comitate per aliquot horarum inducias, ceſſantibus bona fide ſclopettarijs, vt vera virtus emineret, haſtis tantum & gladijs certaretur. In his exercitationibus Germani ſæpius inferiores Turcis euadebant, vtpote qui robuſtis atque prægrauibus equis, ac ob id ſtatariæ præſertim pugnæ aſſuetis, more gentis vterentur, quos ſi procurrere, aut denique refugientem hoſtem conſectari vellent, ſegniùs omnino quàm oporteret incitarent, & tum facilimè eludendo breuem eorum impetum, Turcæ agiles è manibus elaberentur, nati ſcilicet ad liberas excurſiones è vetere diſciplina, in qua celeriter inſultare ac euitandis ictibus equorum curſum inflectere, reuertique demum, & cum diſperſis cominus pugnare conſueuerunt: ſed ſimiles edocti artes Hungari exules, paribus armis ac animis, vel multo plures Turcas facilè ſuſtinebant, quum latis protecti ſcutis,

validiſque pariter ac pernicibus equis inſidentes, loricati galeatique magna ex parte Turcarum inanes haſtas ſagittasque contemnerent. Erat inter Germanos duces inſignis Riſciacus Sueuus: huius filius impiger adoleſcens, quum ignaro patre in aciem prodiiſſet, ſtrenueque decertans ſpectante ante alios atque admirante virtutem patre, à cunctis vel ignotus effusè laudaretur, priuſquàm ſe explicaret à circunfuſis hoſtibus eſt interfectus. Tum verò Riſciacus caſu equitis vehementer commotus, ignarusque ſuæ ſortis, conuerſus ad alios duces, omni, inquit, laude perornandus videtur hic quiſquis ſit equitum longè fortisſimus, ac omnino publici funeris honore tumulandus. Id quum ab omnibus pari pietate probaretur, infœlicis filij ad longè miſerrimum patrem cadauer eſt relatum, verioresque tum omnibus obortæ ſunt lachrymę, ſed in patre repentinus dolor profundiùs ad vitalia peruaſit, atque ita ille paulò pòſt, quum rigentibus oculis ſtetiſſet, nihil effatus interijt. Exinde Rochandolphus graui edicto quemquam pugnandi cauſa caſtris exire vetuit, adeo ſeuera lege, vt vnum atque alterum egredi pugnareque auſum in furca ſuſpenderit: continendos enim milites exiſtimabat, quòd Germanicus equitatus omnibus rebus eſſet inferior, quòd Ianizeri ſclopettarij mirificè pugnarent; quòd expectare nouas copias oporteret, quæ res adeo ſuorum animos imminuit, & Turcarum ſpes in immenſum adauxit, vt contemptiùs ac inſolentiùs Germanorum munitiones aggredi auderent, ac intra caſtra proximos vallo ſagittis & glandibus vulnerarent. Germani ſiquidem quum caſtris perducerent foſſam, imperitè excauantes, ac exterius omnem glebam proijcientes, alterum propè aggerem, intercedente foſſa, hoſtibus vtilem effecerant. Inde enim ſuperiore loco improuiſi, nec planè conſpecti in ſtationem iaculabantur. Solæ Pereni turmæ ab editioribus caſtris ſæpius in commeantes à Buda Turcas erumpebant: ita vt paucis tantum inſidiarentur, & quum Turcæ aut Valentini equites valida manu vrgerent, intra munitiones & ad maiora caſtra ſe reciperent. Iam tranſierant multi dies ab aduentu Mahometis, magiſque ac magis Turcis atque Budenſibus animi viresque creſcebant. Porro apud Auſtrianos ad non dubiæ cladis omen, debilitata virtus, attritæ vires, inexplicata conſilia, & denique quo vno ſubſidio res humanæ bellicæq; præſertim conſtant, ſpes fractæ viſebantur: ſuſtentabant tamen animos frequentes literæ Ferdinandi, peramplaque exiſtimatio Cæſaris, nequaquam in eo rerum diſcrimine fratri germano copijs atque pecunia defuturi, atq; ipſa demum ducis conſtantia, quę apud eum omni ratione potior erat, vt inde celeriùs in ſua fata traheretur. Eo modo quum vtrinq; quotidie tormentis maioribus atque minoribus certaretur, Turcæ ab editioribus locis, & è proximo Cepelliæ promontorio conſpectati ſegnes in inſula Germanorum ſtationes, communicato inter ſe conſilio, vt è duobus caſtris vno tempore diuerſas hoſtium munitiones inuaderent, inalbeſcente cœlo in inſulam cum expeditis nauigijs aduolarunt, adortique magno ſilentio ſemiſopitos, penè priuſquam ſentirentur, aut ſeſe Germani captis armis conglobarent, ſupra ſexcentos milites trucidarunt: reliquis verò ex repentina clade tantus incidit pauor, vt quum perfugerent in caſtra: nec perturbatos anguſtiæ pontis facilè caperent, multi vtrinque decidentes profluente mergerentur: tranſeuntes verò è Barbarorum claſſe, quæ in aduerſum pontem proras adegerat, confixi ſagittis interirent. Tumultuatum eſt vehementer totis

caſtris

caſtris, quum Turcæ pluribus ſimul locis magno clamore edito, & ingenti ſtrepitu tormentorum munitiones invaſiſſent, parique metu atque periculo à reliquis Germanis Bohemiſque ac ipſis Hungaris deſperato penè ſubſidio certaretur. Sed ad recuperandam inſulam, neque his Germanorum cohortibus, quæ in extremo ad flumen aggere in ſtatione conſtiterat, neque ſocijs navalibus, aut expediti conſilij celeritas, aut præſentis animi magnitudo defuit. Nam cohortante Heberſtulfo caſtrorum magiſtro, ne à Barbaris Chriſtiana ſigna atque tormenta rapi paterentur, Marioque ſimul Neapolitano, qui tum claſsi præerat, biremes maioreſque Naſadas propugnatoribus plenas ad inſulam appellente, tanta vi Turcis cadavera ſpoliantibus, ac ut tormenta capta protinus avehérent ad naves propellẽtibus incubuerunt, ut trucidati compulſique in naves, ac à terra ſimul & à circunfuſis biremibus profligati, tormenta ſimul ac inſulam victoribus ęquata clade reliquerint. Ferunt ea die Barbarorum claſſem deleri potuiſſe, ſi noſtri victoria utentes, adiutique ſecundo curſu atque impetu tanti amnis in puppes fugientium roſtratas proras adigere, commixtique deſcendere voluiſſent, ſed tormenta quæ in ipſa Capelliæ fronte, & in adverſa caſtrorum ripa à Turcis erant conſtituta, anceps omnino deſcendentibus periculum oſtendebant: facilè enim multa demùm poſt confectum ſubitæ rei certamen animadverſa ſunt, quæ in ipſo commoti diſcriminis articulo opportunè provideri non poterant, quum vel expeditis atque fortiſsimis ducibus plerunque conſilium ac mentem repentini caſus eripiant: Barbarorũ tamen Naſadę quatuor demerſæ ſunt, & tres captæ, multique in eo tumultu aut tormentis diſcerpti, aut abſorpti flumine perierunt. Heberſtulphus ipſe, quum ante ſigna fortisſimè dimicaret, tribus ſagittis per apertam galeam receptis grauiter vulneratus diſceſsit. Sequentibus autem diebus Turcæ tametſi vlla in parte munitiones expugnare nequiuerant, propugnaculoque Bohemorum ſemicapto inde multis acceptis vulneribus expulſi fuerant, magis tamen ac magis trepidatione noſtrorum alacriores facti, tanto contemptu ex omnibus locis laceſſendo prouocandoque infeſtabant caſtra, vt nullum ferè quietis ſpatium ſuccedentibus in ſtationem cohortibus relinquerent, et noſtri diutius caſtra ſe tueri poſſe, creſcentibus præſertim hoſtium copijs, atque animis, deſperarent. Nam Vſtrefus Baſſa à Belgrado recentes quotidie milites, receptis ad ſe ægris atque ſaucijs, ſuppeditabat, & Valentinus adiuncta ſibi delecta Turcarum manu Ianizeriſque ſclopettarijs, è ſuperioribus caſtris Perenianos equites depulerat, occupatoque Gerardo monte, ad eum vſque locum, vbi ingens lignea crux erecta conſpicitur, multis hoſtium ſtratis ita peruenerat, vt auerſa caſtra ad Aquariam turrem vergentia audacter inuaderet, magnuſque totius caſtris tumultus oriretur, quum noſtris vndique circunfuſo hoſti eſſet repugnandum. Sed præter ſingularem Germanorum Bohemorumque in omni labore atque periculo perſeuerantiam, magno vſui fuerunt Peſtanorum tormenta, quibus Valentini copiæ intercedente Danubio petebantur, ſic vt pleroſque equites libratis ad deſcenſum maioribus colubrinis interficerent, & reliqui in tutum ſe recipere cogerentur. Ferunt ea die Valentinum nihil Hungaris exulibus, ſed Germanis maximè infenſum, certo iure priuatæ humanitatis ac amicitiæ, perfidum equitem Pereno ſuaſiſſe, vt ſe Hungaroſque omnes feſtinanter imminenti clade eriperet, quoniam bellua ingens quæ vniuerſos vno hiatu deuoraret, aduentare nunciaretur, Solymanus

enim cognitis his rebus, quæ à Cæſare Ferdinandoque pararentur, ratus eos ad Budam cum magnis copijs deſcenſuros, ſtatuit tantæ occaſioni, quæ nobili prælio, glorioſæq; victoriæ caſum aperiret, magnis itineribus occurrendum. Itaque Perenus apud Rochandulphum ducesque liberè locutus, quæ accepiſſet, retulit, teſtatusq; eſt, niſi de receptu decerneretur, ſibi atque Hungaris ad ſalutem eſſe conſulturum. Quum ſententiæ variarent, ſed omnes tamen Peſtum noctu perfugiendum arbitrarentur; vnus Rochandulphus fatali obſtinatione pernegabat, ſe iniuſſu Ferdinandi regis a Buda diſceſſurum. Itaque Salma celeri mioparone Viennam mittitur, qui regij iudicij decretum referat. Interim vrgente metu, frementeque Pereno, ſtatuunt noctu ſilente luna quatuor commeatibus ad Peſtum traijcere. In primo tormenta maiora & Hungaros, in ſecundo equites Germanos atque Bohemos, in reliquis peditatum omnem cum caſtrenſibus impedimentis collocabant. Toti autem nauali negotio præfecti ſunt, qui ſine tumultu tranſueherent, Bartocius Hungarus & è Germanis Balthaſar Pocanius. Neque enim Danubius (vti antea ſe facilè perfecturos crediderant) perpetuo ponte iungi potuit: nam eo iam cœpto & penè contabulato, vis tanta ventorum & tempeſtas oborta eſt, vt amnis ingentibus excitatis fluctibus ſæuus, tot nauigiorum diſſoluta compage, iuncturarum trabes violenter effringeret, atq; inde magni lintres abruptis anchorarijs funibus, profluentis impetu raperentur. Itaq; primis & ſecundis tranſeuntibus Fortuna non defuit. Nam tametſi coeuntia in vnam partem nauigia Budenſes Turcæq; per diem ab æditis locis deſpectantes, id quod erat facile ſuſpicarentur, & varias quiſq; pro ingenio noui motus cauſas adduceret, nihil tamen de repentina hoſtium fuga prouidebant, ſed ea commeantium nauium frequentia intentos & diligenter ſpeculantes diu nequaquam ſefellit. Nam Vſarones duo perfugæ ad Georgium Valentinumq; inſtitutæ fugæ conſilium detulerunt, ab his extemplo certiores facti duo Mahometes totis penè copijs ad oppugnanda caſtra contendunt, tormenta curulia producuntur, præeuntibus Ianizeris, cæterisq; peditibus, iuniores equites dimiſsis equis ſuccedunt, terribiliq; vlulatu edito ſtationes adoriuntur. tum verò Auſtrianis detecta ipſorum fuga animus concidit, reſiſtunt tamen acriter Bohemi, pariterq; ij Germani, qui iuxta flumen ad inſulæ pontem excubabant. Tumultuatur autem totis caſtris & in ripa maximè, quum quiſque pauore concepto naues conſcendere, nullo ordine nulloque pudore, vel per mutua vulnera properaret: cuncta enim terribiliora, vel fortibus viris reddebat nox intempeſta & nubilo tum cœlo perobſcura: Rochandulphi autem in tenebris, tantoque fremitu ſuorum ac hoſtium clamore, reboantibus vndique tormentis, nullum erat imperium. Is tum ſupra ægritudinem animi, admirabili & prorſus fatali caſu vulneratus decumbebat, quum fortè literas ad regem perſcribenti, ex hoſtium caſtris ferrea falconis pila tabernaculo incidens arcamque oppoſitam ictu perfringens, reſilientis tabulæ fragmentum in læuum eius humerum grauiter adegiſſet. Cæteri porrò peditum duces, quum iam tranſuectis equitibus fœlicem fugam, quæ ſibi eriperetur, vehementer inuiderent, vti proprio occupati metu, nec publicum diſcrimen priuatæ ſaluti præferentes, hærebant potius, quàm irruentibus hoſtibus repugnabant. Itaque ſuperiora primum caſtra, vbi Perenus conſtiterat, à Belgradenſis Valentinique copijs occupantur.

Germani-

Germaniq́ue toto Gerardo monte præcipiti fuga diſpalantur. Neque interim Budenſes paratæ occaſioni ad intercludendos hoſtes defuere, quin ab Aquariæ turris porta, et per eam foſſam, quam à Ioanne rege perductam ad flumen diximus, confeſtim erumperent, & ab aduerſa caſtrorum parte ſtationes iam planè deſertas inuaderent; coniectiſque in hoſtes igniuomis globis tentoria incendere niterentur. Georgius autem tam ſubito quàm fœlici conſilio ad ſtabula regia pabuli ſtrues ſuccendit, tantaque inde latè refulgens flamma repente emicuit, vt quum Danubius nitido vndarum æquore igneæ lucis ſplendorem exciperet, repercuſſuque diffuſum ad Peſtanam vſque ripam diurno lumini perſimilem euibraret, tota ea, cum terreſtris tumultus, tum naualis fugæ fœda facies ſpectaretur. Tum verò tormenta vndique in fugientem claſſem directa contortaque ſunt, vt non ſolum ab Aquaria turre, ſummaque arce à Budenſibus, ſed abinis etiam Turcarum caſtris & è Cepellia, vel ad incertos ictus conturbata nauigia peterentur: tanta quoque locis omnibus inuecta luce, Caſſonus qui claſſi preærat, expeditiora nauigia, remis per aduerſum flumem contendens, in latus hoſtilis claſſis incitauit. Itaq; conſerto nauali prælio, quum à noſtris iniquà vbiq; Fortuna certaretur, lintres onerarij aliquot militibus pleni capiuntur, nonnulli tormentis perforati dèmerguntur, repletur totus amnis cadaueribus, miſerabiliq; præſertim turba natuarum & militum enatare conantium. Nam quum inferiorem munitionem Ianizeri, ſtratis primis cohortibus perrupiſſent. reliquiq; Germani per pontē in inſulam perfugerent, ac in tergo falcatis enſibus cæderentur, honeſtę mortis metu in amnis gurgitibus turpiſſimam mortem quærebant, quum aut præaltis rapti vorticibus, aut à nauigijs hoſtium armis repulſi detruſiq; crudeliter interirent. Trecentis ea nocte nauigijs incredibili conturbatione inter ſe commixtis & aliquandiu hærentibus totus penè amnis vno veluti ponte conſtratus apparuit: ſed Auſtrianę biremes maioreſq; Naſadæ deſperatis rebus incolumes ſeſe celeriter è manibus Turcarum explicantes, à puppibusq; hoſtes tormentis ſubmouentes, ad Comaram aſcenderunt. Terreſtres verò copiæ in caſtris eandem Fortunam tulere, ſed decoro maximè vitæ exitu Bohemi impauidè repugnantes, & Othonis Hecchijque ſummi peditum ducis cohortes aduerſis vulneribus conciderunt: nonnulli autem per iuga Gerardi montis euadentes, quum inſtante hoſte ad crepidinem quæ caſtris imminebat peruinerent; obſcuritate & metu animos confundente, præcipites decidebant. Multi etiam à Decumana porta, quum Budenſibus occurrerent, & quiſque hoſtium vario ingenij habitu clementiam aut crudelitatem exerceret, cæſi aut ſeruati ſunt. Vbi verò Sol oriens noſtrorum ſtragem Barbarorumque victoriam detexit; circiter tria milia hominum omnis generis, quæ accliui tumulo more militiæ ſeſe ad Gerardi templum erectis vexillis conglobarant, à circunfuſa multitudine trucidata ſunt: eorum temen pars ferè tertia, quum proiectis ad terram armis ſalutem peteret, deditionem fecit, vt maiore demum vitæ ludibrio, ad ſpectaculum ipſa morte turpius ſeruaretur. Eodem quoque tempore Caſſonus victrice claſſe ad Peſtanam ripam delatus tantum terrorem his qui euaſerant, tuerique mœnia facilè poterant, vel ſolis clamoribus & tormentorum bombis intulit, vt equitatus trepida fuga, quum ſe portis effunderet, in anguſtijs afflictaretur. Vſqueadeo enim Germani priſtinæ virtutis obliti, ad

Turcarum nomen trepidebant, vt quum in nauigijs linteata capita conſpicerent, relicta menſarum argentea ſupellectile, ac omnibus cariſſimarum rerum ſarcinis, et curribus deſertis, attoniti inermesque profugerent: hæſere tamen Vſarones Hungari, apud quos omni metu mortis prædę auiditas præualebat, diripiendis mercatorum tabernis occupati. nam omnis mercimonij nobile ac opulentum emporium Peſti fuerat inſtitutum, confluentibus ſcilicet vndique mercatoribus in tutam ſedem muniti commodiſſimiq; oppidi, quod extra belli periculum, militaresq; tumultus, modico faciliq; traiectu caſtris iungeretur. Cęterum Caſſonus nemine mœnia aut portas defendente protinus irrupit, prædantiùmque aliquot cecidit. Tanta autem feritate peruagãdo oppidum, Chriſtiano cruore lætatus eſt, vt ne ægris quidem, quorum magnus erat numerus, & fœminis lixarum more Germanorum caſtra ſequi ſolitis parceretur. omnes enim promiſcuè Barbari trucidabant, niſi quos aut ad ſeruitutem forma & robur, aut teneræ ætatis flos, ad ſpem libidinis reſeruarent: ita vt eo bello ſupra viginti millia Chriſtianorum capitum varijs caſibus interempta tradantur. Capta autem ſunt Peſti & in caſtris, inſulaq;, et in nauigijs in ripam nondum expoſita exactæ pulchritudinis muralia tormenta triginta ſex, minora autem quæ canterijs & curribus imponerentur, centum & quinquaginta. Porrò tormentarij pulueris pilarumque ferrearum ac armorum atq; telorum & parati commeatus in totam heymem adeo ingenti copia potitus eſt hoſtis, vt ea præda multo maxima pars victoriæ Barbarorum æſtimatione cenſeretur. ſed noſtri qui iudicio prudentiaq; valerent, nihil vel tantæ opulentiæ iacturam, quando ſarciri inſtaurariq; mediocri pecunia poſſet, reputabant, quum verum detrimentum, ac inſanabile ſuſceptum vulnus vel tacitis animis agnoſcerent, quo Germanicæ virtutis ac diſciplinæ exiſtimationem, inuiolatam antea Romanis imperatoribus, vna atq; altera ad Exechium, & Budam, pudenda Chriſtianis omnibus fuga, ſine vulnere hoſtium penitus amiſiſſent. Ipſe autem Rochandulphus, quum expugnata munitione medijs in caſtris pugnaretur, & concidi in tabernaculo quàm tantæ cladi ſupereſſe mallet, vel renitens & fremens a medico cubiculique præfecto, qui iacentem deſerere nolebant, ſublatus nauiculæq; impoſitus ad Comaram inſulam aſcendit, atque ibi paulo poſt, Samario in vico vulneris ac animi dolore extinctus, funeſtam diræ obſtinationis atq; ſuperbiæ ſuæ memoriam Germaniæ populis reliquit.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XXXX.

AT SOLYMANVS, qui maioribus, quàm vnquam anteà, confectis itineribus aduentabat, vbi de ſuorum victoria certius cognouit, inſtitutam properandi diligentiam remittens, quintis caſtris Budam peruenit. Nam tanta celeritate cõtenderat, vt prętorianę cohortes, pręter eorum diſciplinę conſuetudinem, feſtinantis equitatus curſum adæquare cogerentur. cupiebat enim intereſſe prælio, neq; Auguſto menſe volebat excludi, qui menſium omnium occulto quodam auſpicio ſibi in primis patriq; Selymo militiæ fœlicisſimus extitiſſet. Nam & magnum Hyſmaelem in Calderanis campis, & Campſonem Gaurium Memphiticum regem ad Singam, & poſtremò Ludouicum atq; Hungaros ad Mugacium vltimis Auguſti diebus acie deuictos memorabant. Quum & pleriqui duces eodem etiam menſe à Baiazete Methonem expugnatam meminiſſent. Conſedit autem in aduerſa ad Budam veterem regione, offenſus odore cadauerum & fœditate amnis tot corpora per omnes ripas euoluentis, vt purius atq; nitidius aquaretur, & Strigonienſibus ex propinquo terrorem incuteret: nam Tartarorum agmina magno à caſtris interuallo præcurrere ſolita, ad Vicegradum extendebantur. Victore itaque exercitu ad ſe traducto, atque vtris omnino munitis caſtris, antè omnia vtrumque Mahometem impensè collaudat, ſed Belgradenſem, cuius eximia virtute conſilioque ſine iactura militum adminiſtratum & confectum bellum fuiſſe didicerat, totius Græciæ equitum magiſtrum dicit, alios pro meritò adauctis ſtipendijs ditat, vel ad præfecturas prouehit. Exindè captiuos produci iubet. erant circiter octingenti, qui prælongis vincti reſtibus antè ora ducum inſtructóſque ordines ludibrij cauſa trahebantur. ex his notos duces nobilèſque aliquot, quibus parceretur, delecti ſunt, & antè alios Balthaſar Pocanius, quem funeſta ea nocte, tranſuehendis copijs pręfuiſſe docuimus, & Tayſcus dux vetus, eo bello vigilum præfectus, reliquos ad vnum omnes barbarus imperator, alioqui clementiæ laudem quærens, & nunquam anteà in noſtros crudelior, è conſpectu abductos tironibus trucidandos dedit, truci nutu, & ſęua voce prolocutus, talem eos omnino mereri pœnã, qui quum per legatos nequaquã ſyncerè de pace agerent, aſtute bellum intuliſſent. Eminebat inter captiuos excelſę proceritatis Noricus miles: hunc in contemptũ Germanicę gentis pomilioni, qui erat in delitijs filiorũ, capite pręalta captiui genua vix adęquanti, occidendũ tradidit, ita vt indignę necis iniuriam curdeli contumelia cumu-

laret, cum diu incuruo puerili acinace, per luſum riſumque cæſis cruribus proſtratus vir ingens iugularetur à nano, qui inter adhortationum ludibria repetitis ictibus, dum ægrè perfoderet, eo ſpectaculo principum oculos ſatiarat. E captiuis autem vnus omnino Burſichius Bohemorũ dux nobilis incolumis euaſit, reginę beneficio & Mahometis indulgẽtia paulo antè redemptus. Patrata ea ignobili & ſæua cæde Solymanus regi puero dona miſit phaleratos tres equos eximiæ pulchritudinis, frænis habeniſque aureis & gemmatis ephippijs exornatos, totidemq; ex auro textili regales veſtes: proceribus autem Hungaris præter ſingulas talares togas, aureos etiam torques. Legati qui munera tulere perhumaniter à regina poſtularunt, vt puerum regem cum proceribus in caſtra mittere, omniq́ue dubitatione depoſita cuncta ſibi ac filio ſecunda atque fœlicia ſperare vellet. Ea enim magnitudine animi eſſe Solymanum, qui reges omnes non modo potentia Fortunáque, ſed pietate atque iuſtitia ſuperaret, vt puerum, quem ſemel paterno iure tutela ſua ac amicitia dignum omnino defendendum ſuſceperit, comprobante demum victoria non modo conſeruatum velit, ſed amplioribus antiqui regni ſpatijs adaugendum exiſtimet. Proinde cupere regiam prolem coram intueri, agnoſcereq́ue paternam indolem, infantémque de manu amplexandum tradere liberis ſuis, vt bene auſpicatis renouatæ tutelæ initijs perpetuo tenore cum Ottomannis firmæ ac ideo immortalis amicitiæ fundamenta iacerentur: ipſam verò filiæ nurúſque loco incolumi dignitate ſemper habiturum. quod eam autem ſecus ac amanter cuperet, non inuiſeret, prohiberi eo humanitatis officio antiquis Ottomannorum inſtitutis, quibus principes ſuos ac alienas mulieres in alienis tectis intrare vetuiſſent. Porrò Solymanum non vſque adeo temperantię ac honeſti decoris eſſe oblitum, vt ſocij beneuolentiſſimique regis filiam eandemque benificiarij ac amici regis nuper vxorem, & in ſimilem regiæ Fortunæ maieſtatem creſcentis pueri matrem ætate formáque florentem, in caſtra atque adeo in intimum tabernaculum admitti pateretur: ne integrum eius pudicitiæ nomen, quod in reginis vnica & perilluſtri cura eſſet tuendum, vllis ſuſpicionibus inuolueret. Ad eam tum regina, non occulto metu teneros ſenſus in materno affectu facilè confundente, perplexè admodum reſpondit, ſed monente demum obteſtanateque Georgio, ne dubitantis ſuſpicionem leui & nihil profutura cunctatione Barbarorum animis inijceret, puerum regalibus crepundijs exornatum carpentoque aurato impoſitum cum nutrice lectiſſimiſque matronis in caſtra miſit, comitantibus cunctis ferè proceribus, quibus dona legati detulerant. Excepere aduentantem progreſſæ aliquantum è caſtris honoris cauſa ornatiſſimæ turmæ equitum, inter caſtrenſes vias prætorianæ cohortes, illatumq́ue in tabernaculum, Solymanus humaniter inſpexit, perblandè cum nutrice collocutus, liberos ſuos qui aderant complecti atque exoſculari latè vagientem iuſſit, certo amoris pignore obligantes, quem beneficiarium atque amicum, quum pariter adoleſceret, eſſent habituri. Ii erant Selymus & Baiazetes Roxolana matre geniti, aui & proaui nomina referentes. Muſtapham enim Circhaſia priore vxore ſuſceptum, regio & planè militari ſpiritu iuuenem, veluti ablegatum ad Magneſiam in Ioniæ præfectura reliquerat, quum ingenio viribuſq́ue vigentem & non obſcuro militum ſtudio ſubnixum iam planè metuendum exiſtimaret:

inductus

inductus enim, vti plane vxorius, Roxolanæ blanditijs, aut ſicuti plerique ferebant, per Trongillam Iudaicæ ſectæ nobilem magam amatorijs veneficijs deprauatus, Selymum, excluſo Muſtapha, ſucceſſorem imperij deſtinabat: quod Muſtaphas intempeſtiua atque neferia cupiditate nimis ſera fata patris aui Selymi exemplo præuenturus eſſe videretur. Cæterum Solymanus, quum Hungari proceres cum purpuratis pranderent, certos duces, quibus antea negotium dederat per ſimulationem viſendæ vrbis immiſſis cohortibus Sabatinam portam occupari iuſſit, vſque adeo tacite & diſſimulanter, vt nec cuſtos ſatis otioſus commeantis turbæ ſpectator, portæ aditum alienæ poteſtatis factum ſentiret. nam quum frequentes ſedato paſſu manipulatim intrarent, multi etiam ex compoſito, vt patrandæ rei ſuſpicionem auerterent, veluti iam luſtrata vrbe, in caſtra redibant; modo plateis foroque & compitis omnibus celeriter occupatis, & nuſquam tumultu edito prætorianorum præfectus per regiones pronunciari iuſſit, vt Budenſes omni timore depoſito limine ſe continerent, matureque ſi vitam ac libertatem & denique Fortunas incolumes vellent, arma traderent: paruere imperio ciues, prolatisque armis in fidem recepti Turcas hoſpito receperunt. Tanta autem extitit Barbarorum tranquillitas atque modeſtia ex ſeueritate diſciplinæ, vt nemo hoſpitum aſperiore dicto factoue ſit violatus. Tum vero Solymanus vbi renunciatum eſt, pacato & nihil reſiſtente populo, vrbem in manu eſſe, puerum, quanquam nox incumberet, ad reginam remiſit, retentis apud ſe proceribus. Erant ij Georgius ipſe Varadinenſis antiſtes, ærario præfectus, & Petrus item Vichius regis propinquus Ioannis teſtamento tutor relictus: Valentinus quoque copiarum dux ſummus, & Stephanus Verbetius epiſtolarum & ſcrinij regij magiſter, & Bacianus Vrbanus, cuſtodiæ præſidijsque vrbis præpoſitus. Ea uis impotentis Barbari inopinantibus improuiſo illata, ſingulorum animos magnopere conterruit: auxere etiam pauorem minus familiares purpuratorum vultus, verbaq; intempeſtiuis querelis inuoluta. nam perductos in conſeſſum, tam ſeuere, quam impudenter interrogando criminandoq; iuſtæ prope quæſtioni ſubiecerant, ita vt grauiſſimarum rerum conſiliorumq; omnium rationem repoſcere viderentur. At regina, vbi vrbem ſerio doloque occupatam, & proceres in caſtris retentos videt, metu & dolore perturbata ſupplices libellos ad Solymanum perſcribit: orat vt fidei datæ, quam recentibus mandatis prolixe ac humaniter confirmarit, & denique priſtinæ ſuæ lenitatis & clementiæ obliuiſci nolit: ideoque proceres ob egregiam fidem fortemque operam de ſe, Turcicoque nomine benemeritos, incolumes remittat. Agit hæc per Roſtanem, atque eum muneribus explet, miſſa etiam e ſuo cultu corolla perinſigni ex vnionibus cum gemmato emblemate, quæ eius vxori Solymani filiæ mitteretur. Exinde per quatuor dies de Pannoniæ regno apud Solymanum pugnantib. ſententijs diſputatum ferunt: Mahometes et Cuſtrephus parum inter ſe diuerſi puerum regiæ prolis, principesq; gentis Byzantium abducendos cenſebant, committendam autem Budam præfecto, non tam acri quam moderato prudentiq;, qui molliter imperando indulgendoq; Hungarorum animos ſeruitutis metu liberaret, conſeruatisq; omniũ Fortunis paulatim ferendo iugo inſueſaceret. At Roſtanes ingenio mitior, atq; eo quod vti gener firmiore gratia valebat, ab omni vel cupiditatis vel adulationis ſuſpitione remotior, totius deliberationis ſummam

ad decus reuocabat, quum diceret longè maximo atque optimo principi, qui nullo vnquam dedecore nominis famam oneraſſet, nihil omnino eſſe turpius quàm contra ius & æquum ſuſceptæ anteà tutelæ ac defenſionis, parta demum victoria, fœminæ pariter ac infanti puero fidem feſelliſſe. Ex aduerſo Mahometes Belgradenſis, qui Iahaoglis vocabatur, nunquam niſi peracerbus in noſtrum nomen & maximè truculentus leniora conſilia vehementer improbabat. Erat enim Turcici ſanguinis patre, nomine Iaha Baſſa, Mahomete quondam purpurato progenitus, exercueratq; Hungarica arma per multos annos ab Illyrico limite, ſub Balibeio præſertim fratre, quem Mugaciana acie claruiſſe meminimus, ſed demum ex calamitate noſtri exercitus ad Exechium, & hac quoq; ad Budam Germanorum infœlicitate, tantam militaris conſilij ceperat opinionem, vt extra ordinem in conſilium cum purpuratis admitteretur. Is rogatus ſententiam, ſcio, inquit, Solymane, quum poſtremo loco ſententia dicitur, diſſidentis nomen inuidiæ expoſitum videri, neq; proinde fieri poſſe, quum planè diſſentiam, quin oratio mea veſtris auribus ac animis grauis moleſtaq; ſit, ſed non recuſo vel arrogantis nomen, modò malignitatis & ignorantiæ notam deuitem, dum ea recolo quæ ex vſu præſentium rerum tuis commodis tuæq; amplitudini mirificè conducant. Concedi enim aliquid ætati meæ, & ſi dicere liceat, etiam rebus geſtis, iure poſtulo: quum bellando, dimicandoq; in Pannonia ſenex factus, ea de ſtatu atq; opibus huius regni, ingenijsq; hominum didicerim, quæ prolata in medium magno vſui eſſe poſſint, vt de hac re quæ decreti pœnitentiam non recipit, rectiſſimè ſtatuatis. Quinquies iam per hos viginti annos armatus in Pannoniam veniſti, & ego non obſcurus omnino aut dux aut miles, omnibus non modò bellis, ſed prælijs interfui, puto vt vindicares iniurias, imperij fines proferres, & deniq; optima pace potirere: quæ certa eſſe non poteſt, niſi armis atq; victoria paretur. Itaque Belgradum infame domicilium aſylumq; latronum immanium, & quondam funeſtis maiorum noſtrorum conatibus nobilitatum, fortiter expugnaſti, quum inde Hungari per inducias patre tuo Parthicis occupato bellis, Myſorum & Illyricorum fines impune vexauiſſent. Eoſdem porrò quintum poſt annũ, quòd nefaria crudelitate & teterrimo ſupplicij genere legatos noſtros interfecerant, vna acie cum rege ipſo trucidaſti, Budaq; potitus, vt pręclarum magnitudinis animi tui, vel remotiſſimis noſtri nominis hoſtibus ſpecimen daretur, delegiſti ex reliquijs profligatæ gentis, quem diademate protinus ornares, non regio quidem ortum ſanguine, & nullo hercle alio merito cognitum, quàm quòd dudum & priuatus & publicus hoſtis extiterat, quũ validiſſimas contra te è Tranſyluania adducens copias, fratrem virum ipſo fortiorem gladio noſtro interfectum amiſiſſet. Exortus eſt demum nouus hoſtis rex Noricus, qui Hungarum beneficio tuo regnantem expelleret, atq; ita aduerſus Germanos tertium bellum ſuſcepiſti, vſq; adeo vehemens, vt reducto ſtatim rege fugatiſq; hoſtibus non modò Viennæ mœnibus, ſed interiori etiam Germaniæ terrorem intuleris. At biennio vixdum exacto idem rex neq; pacem pati neq; bellum ferre ſolitus, quum præſentis Caroli fratris opibus inniteretur, Budamq; noſtro defendente præſidio fruſtra oppugnaſſet, te iterum exciuit, iniurias cædibus ac incendijs vindicantem, quòd tuæ dignitatis eſſe ſtatuebas, eum tueri armis, quem inuiſitata liberalitate regem effeceras, maximeq; optares cum duobus fratribus de occidentis imperio, nobili pugna edita, decertare.

Sed illi,

Sed illi, quum urendo vaſtandoq; avita eorum regna percurreres, adventantis fremitum non tulerunt: ſecutaque demum pax eſt inter Hungarum atque Germanum te indulgente probanteq; quum adverſus Perſas ire properares: ſed eam Germanus ita fregit, ut niſi ego ad Exechium deleto ingenti eius exercitu, perfidiam opportune vindicaſſem, tu omnino Babylone accerſendus viderere: ſicuti modo Byzantio, multis itinerum ſuperatis incommodis advolaſti, ut nobis maturam opem ferres, dareſque ſupremam operam, ſicuti plane ſperaverim, ut rebus in Pannonia firmiſsime conſtitutis, tot laborum ac ſumptuum incommoda, pro alieno commodo quinquies ſuſcepta finiantur. niſi uti video aliquos optare, nunquam tibi tutelam hanc pupilli & viduæ cenſes dimittendam, infiniti ſcilicet laboris atque periculi plenam, cui par pretium non ſit ea gloriæ ſpecies, quæ animo tuo excelſo honeſtique ſemper decoris avido, ab his uti arbitror, nimis ſapientibus obtenditur: verum hanc uti plane rudis ſapientiam gloria redundantem non intelligo, quæ in ipſo curſu victoriæ nervos elidit, nec in caſtra à peritis imperatoribus unquam admittitur: quo fit ut te maioribus tuis, qui duodeviginti regna in hoc imperium contulerunt, quum fœliciore omnino cupiam, ſapientiorem eſſe nolim: quid enim inſipientius dici poteſt, quàm ſemper eſſe ſtultum? hoc eſt aliena curantem ſua omnia, ſalutem, opes, dignitatem, in diſcrimen ſæpiſsime devocare? Satiſfeciſti, uti arbitror, & cumulate quidem officio pietatis & fidei, atq; etiam gloriæ, ſi ea potius manſuetudine, clementia, lenitate, quàm invicto conſilij robore, pertinacique vigore militaris animi comparatur. his enim inſtrumentis ardens ſemper & invicta virtus Ottomannos provexit & extulit: illę autem, uti mihi videntur, adumbratæ laudis imagines ocioſorum & deſidum regum animos delectent, armatis certe nunquam maioribus tuis, niſi poſt debellatos hoſtes, triumphoſque actos, ac erecta trophæa, placuerunt. Sed hæc arbitrio, iudicioque tuo, cui maiora ingenia concedunt, tribuantur. Ego certe ſi bellorum caſus, & non incerta rerum momenta longe proſpicio, eam minime quàm animi libido ſuadet, conſilij rationem ſequar, quum ipſa, quæ cunctis rebus dominatur, & me vehementer urget, multo meliorem neceſsitas oſtendat. Ante omnia Hungari, ut ipſis minime confidamus, præclare nos admonent, quum rapinis, transfugijs atque perfidia infames, inter ſe diſſentiant: nec eorum exules deſint, qui Germanos concitent, & continenter bellum gerant: reginæque item & pueri opes infirmæ, quæ tantæ eſſe non poſſunt, ut præpotentem propinquumq; hoſtem ſuſtineant. Neceſſe ergo erit alienum regnum noſtris tueri auxilijs, quæ minora iuſto exercitu ſine magno noſtro diſcrimine, detrimentoque adduci nequeunt. Magnis porro, uti ſolemus, peditatu, tormentis, claſſeque inſtructis exercitibus ſingulos per annos, tanti itineris & laboris expeditionem ſuſcipere, extremæ dementiæ opus videtur. Neque enim ex Ottomannici nominis dignitate putaverim, quotannis ad plorantis petentiſque opem fœminæ preces commoveri, niſi arma ſuſtinere, quàm inferre utilius atque nobilius putes. Itaque cenſeo hoc regnum uti iure belli toties captum defenſumque more maiorum in provinciam redigendum, reginam patri remittendam, puerum alendum Byzantij intra ſepta regiæ, noſtriſque legibus imbuendum, proceres necandos, evertendaſque eorum arces, ac ex omni regione familias inſignes, quæ ferociores ſpiritus gerant, in Aſiam traducendas: reliquam porro multitudinem, quæ agros colat, atq; urbes inha-

bitet, impoſitis præſidijs conſervandam. hoc uno ſiquidem decreto, Solymāne, & Hungari ſe perdomitos intelligent, & Germani, niſi temerè utique ac infœliciter de Styria atque Auſtria dimicare velint, Pannoniæ finibus abſtinebunt. At Solymanus priuſquam de re tanta decerneret, ſacrificandum ratus, tertio Calēdas Septembris, qui dies Mugaciana victoria erat inſignis, Budam cum liberis intravit, delecto celebri templo, quod Deiparæ virgini erat dicatum. Illud enim anteà ſacerdotes Mahometano ritu expiantes, divorum ſcilicet noſtrorum ſublatis altaribus, imaginibusque deletis, Deo maximo conſecrarant. Nec multò poſt eo temperamento decretum edidit, ut ſingulorum ſententias appoſitè moderatus, parem omnino viam ſecuritatis ſimul ac dignitatis tenere videretur. Budam enim Turcico præſidio cuſtodiendā cenſet, reginamque obiter monet, ut æquo animo urbe atque arce excedere velit: ipſam enim cum puero ultra Tybiſcum in Lippa regnaturam, regione admodum pacata atque opulenta, & quòd non mediocri etiam ſolatio eſſe poſsit, Sigiſmundi patris finibus propinqua, donec Stephanus puer agnoſcendo regno fœliciter adoleſcat. Eoſdem porrò eum tutores atque nutritios habiturum: Vichium quoque Temeſuarenſis præfecturæ Sanzachum maximè illuſtrem atque potentem fore: Verbetium verò ſenem, ut legum totius regni urbanarumque rerum peritiſsimum, Budæ Hungaris ius dicturum: ſe verò daturum comites è prætorianis alis, curruſque & ſarcinaria iumenta, quibus mundus muliebris, gazaq; omnis regia in Lippam aveherentur. Itaque regina vel cum lachrymis & tacito gemitu, tyranni perfidiam deteſtata, ſed tum neceſsitati diſſimulanter cedens, arce atque urbe exceſsit: ea à Barbaris impoſita lege, ut tormenta ænea, & quicquid militaris inſtrumenti armamentarijs inerat, & commeatus in horreis omnino relinqueret. Proceres quoq; unà profecti ſunt: qui tametſi peracerbo rerum eventu triſtes incedebant: recepta tamen libertate ſaluteque, de qua per triduum deſperarant, perquam effuſè lętabantur. Solus omnium Valentinus antiquum Barbarorum odium pręſenti perfidia ſenſit, in caſtris ſub cuſtodia retentus, quòd circa Balatonem lacum prævalidas opportunaſque arces obtinebat, quòd novem antè annis ad Neocricum, uti memoravimus, in profligatos Caſſoni equites crudeliſsimè deſævijſſet, quòd vir ingenio maximè pugnaci, indomito, liberali, Hungarorum multitudinem militandi ſtudio ſibi devinctam, quò vellet impellere poſſet. Eius enim viri virtus ſpectata militiæ, cum Turcis omnibus, tum ipſi maximè Belgradenſi, qui cum ambiguis criminibus obiectis odioſum reddiderat, omnino formidanda videbatur. Emanarat quippe fama, neminem ex Hungaris exulibus equitibusq; Germanis evaſurum fuiſſe, niſi Valentinus Perenū hoſtium ducem, ut ſeſe imminenti clade cum ſuis celeriter eriperet, opportunè monuiſſet. Neque id ille vel captus pernegabat, quum generoſa & contumaci fronte, idem ſemper ſe facturum fateretur. Quid enim, inquit, nobilius eſſe potuit, quàm noſtræ nationis auxilia, quę cognationis & ſanguinis privatæque benevolentiæ neceſsitudinem includant, externis veriſque hoſtibus detraxiſſe? Vt hi ſcilicet minore noſtro cum periculo vincerentur, & illi clade erepti ſupereſſent, qui ad referendam gratiam inſperati, ac ideo inſignis beneficij memoriam retinerent? Egit tamen regina ſedulò, quanquam proprio mœrore occupata, ut Valentino libertas impetraretur, & id quidem à Roſtane per Agurchum Sigiſmundi patris legatum, virum inter Sarmatas genere & bellica laude illuſtrem,

ſtrem, qui victoriam de Germanis partam gratulatum advenerat: ſed id tantùm humaniter eſt impetratum, ut Solymanus, quum nihil Valentino ſe nociturum promitteret, non incertę libertatis ſpem præbere videretur. Dùm hęc Budæ fiunt, Ferdinandus belli eventũ Viennæ expectans, ubi ſuos fœdè profligatos, & ducem mortifero ictum vulnere in Comaram evaſiſſe, adventareque Solymanum didicit, Leonardum Velſium quanquã ſæva diuturni morbi tabe afflictum, quòd paulò antè non infœlix dux oppugnandæ Budæ conſilium improbaret, in Comaram deſcendere iubet, qui reliquias fuſi exercitus excipiat, fugientes undique ſiſtat, ſpeque auxiliorum commeatus atq; ſtipendij territos, & rerum omnium inopes confirmet. optimum quoque ratus victori Solymano moram inijcere, qui Viennam uſque repentina incurſione pervaſurus eſſe credebatur, legatos ad eum mittit, qui oblatis novis conditionibus pacem peterent. ij fuere Nicolaus Salma, quem felici ſua ſorte pridie quàm caſtra à Turcis caperentur, ab exercitu legatum ad regem miſſum fuiſſe docuimus, & Sigiſmundus Litheſtanius præclara nobilitate togatus ſenex. Tulêre munera excelſum Germanico more ex auro poculũ, lectiſsimis exornatum gemmis, eruditęq; inſuper admirationis argenteam machinam, in quà nòn horarum modò ſpacia: ſed errantium etiam ſyderum motus, menſtruiq; Solis àc Lunæ coitus, exactiſsima ratione monſtrabàntur: intus ſcilicet dentatis rotis certisq; ponderibus, admirabili momento, vel in multum ævum minutiſsimas temporum menſuras diſpenſantibus, quum inter celeres tardosq; orbes, in tam vario inæqualiq; polorum ordine audaci quadam ſupremi motoris æmulatione cuncta congruerent. Ea à peritiſsimis aſtronomis excogitata, perfectaq; Maximiliani Cæſaris fuiſſe dicebatur, cuius ingeniũ nobili ſemper ſtudio, nec deterrente unquam ſumptu, rara atq; admiranda concupivit. Cæterùm legatos appellentes egreſſosq; navigijs Caſſonus oblatis equis quibus veherentur, in caſtra perduxit, deditque eis conſpicuo in loco tabernaculà picta, eximijs tapetibus conſtrata, miſſaque ſunt à Roſtane caſtrenſis lautitiæ munera, vinumq; imprimis nobile, tam ipſis lege vetitum quàm noſtris, Germaniſque præſertim expetitum. Purpurati poſtero die, dum Solymanus non procul in prætorio pranderet, legatos prandio exceperant, ita ut in gratiam noſtri moris non in ſolo, uti ſolent, collectis cruribus, ſed altiore in menſa cathedris humilioribus purpura contectis, ſedentes unà diſcumberent: ſolus Belgradenſis extra ordinem virtutis ac ætatis honore admiſſus, in pulvinò infra purpuratos aſſedit. Legatorum verò comites ex ſingulis nationibus iuvenes generoſi ſpectandi ſtudio famulantes, apud tetrarchas epulati ſunt, numero quadraginta ſex. hos Turcico nomine Sanzachos vocant, hoc eſt ſigniferos, quòd militari cum imperio provincijs præſint: ſingulis enim pro inſigni, equina cauda haſtæ præfixa ante tentorium figitur, prodeuntique in aciem ſericis demum vexillis vario colore turmas atque alas diſtinguentibus, illa eadem paſsis crinibus nivea cauda præfertur. Epulæ Barbarorum è Danubio facilè potantium una oriza, unisque omnino vervecinis carnibus cœptæ finitæque ſunt, adeo ſimplici aſtrictoque apparatu, ut non obſcurè nimiam luxuriam noſtris exprobare viderentur, qui menſarum decus, quo uno præcipuè nobilitatem ac inſaniam oſtentamus, nequaquam naturæ deſiderio, ſed immenſa gulæ libidine definiant: ut obiter non ſit mirum, eos conſilio atq; armis invictos & ſemper victores evaſiſſe, quum talem voluptá-

tem, quæ in hac noſtrarum gentium vita longè potiſsima cenſetur, uti capitalem bellicæ virtutis hoſtem, domi & foris penitus abdicarint. Igitur remotis menſis legati ad Solymanum ſunt introducti, ita ut ſingulos bini purpurati in medio arreptis brachijs quadam honoris ſpecie ſuſtentantes ad dextræ oſculum perducerent. neque enim Turcæ externos homines ad tyrannum aliter admittunt, quàm ut ſinum ſcrutentur, an ferrum ſub veſte lateat, implicatisq; eo modo brachijs commovendæ manus poteſtatem facinus auſuris diſsimulanter eripiant, quanquam aſsidenti in thoro circumpoſita, parataque ad manum clypeus cum acinace clavaque ferrea, ac item arcus & ſagittæ conſpiciantur. Illata quoque eſt illa machina ſuccollantibus duodecim ſervis, quæ Solymani animum, & Barbarorum oculos admiratione complevit. Adduxerant enim artificem, qui ſolutis machinæ fibulis interiora admirabili rotatione circumacta repanderet: is libellum quoque detulerat, attritæ vel luxatæ machinæ remedia continentem, tradentemq; præcepta, quibus tot orbium curſus nunquam interitura ratione regeretur. Ea enim ingenij ſubtilitate Solymanus fuit, ut non modò ſacris literis, quibus ſuperſtitionis ſuæ leges continentur eſſet eruditus, ſed Aſtronomiæ Coſmographiæque præſertim curioſè operam daret, Hammone medico ex Bethica oriundo perdocente, quum vir acutus ſingulas terrarum regiones, ſinusque maris in membranis, depictisque orbibus demonſtraret, ut inde regius animus per otium utili & peramœna delectatione caperetur. Petebant legati, ut Pannoniæ regnum Ferdinando concederet, hiſdem ferè conditionibus, quibus id paulo ante Byzantij Laſchus petiſſet. Tributum enim ſicuti Ioannes pendere conſueſſet, quotannis ſe penſurum pollicebatur, adducturumque in eadem pacis ac amicitiæ fœdera Carolum fratrem, ut in tergo ab omni bellicò metu liber, quod maximè percupere videretur, exemplo Selymi patris ad Orientem imperij fines extenderet. Neque enim ipſum dicebant, vel generoſè vel rectè facturum, ſi Ioannem fato functum, vel infantem eius filium, qui hæres minimè putaretur, ulla in re Ferdinando regi compararet, quòd ille neque officij merito, ſed alienæ Fortunæ beneficio ſublatus, alieni iuris locum invaſiſſet. non eum herclè Regem impotentibus armis ritè factum videri, quum nec procerum omnium conſenſu rex acclamatus, nec legitimè coronatus fuiſſe videretur. Præclara ſiquidem iura Auſtrianorum principum vigere, quanquam tum oppreſſa armis, eaque aliquando valitura, quibus freti Pannoniæ hæreditatem fœliciter adirent, niſi iniquitate Fortunæ intercepta raperentur. Cæterùm dimiſſo antiquo iure, nihil ſe potius habere, quo illati belli nomen excuſarent, quàm recentis initæ pacis tabulas, quibus Ioannes ſolenni tot procerum aſtipulatione Ferdinandum regni ſucceſſorem reliquiſſet. Illum profectò certi iuris conſcientia permotum, vel ipſum authorem defenſoremque ſuæ dignitatis præiudicio vehementer offendere, quàm Chriſtiani nominis cauſam impiè prodere maluiſſe, quum prævaricatione turpiſsima, beneficiarij iuris oblitus, fidem ſacramento interpoſitam, tam ingratè quàm aſtutè feſelliſſet: ut ipſe qui inter reges potentia magnitudineque animi excelleret, & bello paceque iuſtitiæ nomen tueri videretur, poſtquam ingrati hominis contumeliam neglexiſſet, Ferdinandum tantis affectum iniurijs amicum et beneficiarium mallet, quàm perpetuum hoſtem. Nihil enim ei, vel ad æquitatis famam honeſtius, vel ad diuturnę pacis ſecuritatem utilius, vel ad liberalis animi laudem omnino glorioſius

rioſius

rioſius futurum, quàm ſi antiquiſsimæ ſtirpis regem, virtute, fideque præſtantem, delectum a Bohemis, ab Hungaris exoptatum, à Germanis autem Romani imperij Cæſarem deſignatum, ſummique imperatoris germanum fratrem tributario nomine Pannoniæ regem appellaret. Solymanus iucundo vultu laudatis muneribus biduo poſt per Roſtanem reſpondit, Vltimam hanc eſſe pacis ac amicitiæ conditionem, ut Ferdinandus urbes, oppida, arces, quæ in ditione Ludovici regis anteà fuiſſent, continuò redderet, ac in poſterum Pannoniæ finibus abſtineret: ſe verò qui toties bello laceſsitus graves ſumptus graveſque labores ſubiſſet, levi pœna contentum fore, eam eſſe ut ad conſervandum invictæ maieſtatis decus Auſtriæ tributum imponeret, tum verò inita amicitia ſolenne fœdus percuſſurum: quòd ſi ea conditione gravarentur, obiterque bellum, quam pacem mallent, ſe adnixurum continuis armis, ut Pannonico regno adempta, evaſtatis Auſtriæ regionibus vindicaret. At legati quanquam ad tributi nomen tanto faſtu, tantaque Barbarorum arrogantia inductum, quum ſummæ potentiæ, ſummæque dignitatis fratres indignè contemni quererentur, in iuſtam propè iram exarſerant, ut ſuſceptæ legationis propoſitum tenerent, afflictiſque rebus ſpacium daretur, inducias poſtularunt, per quas Ferdinandus atque itidem Carolus Cæſar conſulerentur: ſed nec id impetrari quoque potuit, quum inducias aſtutè peti perſpicerent, quibus gerendarum rerum inclinante iam autumno, vertenteque ſe in iuges pluvias, occaſio tota deperiret. Petivère demum ut Balthaſarem Tayſcumque duces captivos precio redimere liceret: hos enim in cathenis viderant. Ad id Roſtanes reſpondit eos, ſi pax ea quæ dicta eſſet conditione pararetur, ſine precio dimiſſurum: porrò ſi bellum foret, non defuturam occaſionem, ut captivorum permutatione redderentur. Licuit autem legatis circumducente, monſtranteque Roſtane opulentiam atque ordinem caſtrorum intueri: ſed quum munimenta, quæ intra foſſam clitellatis camelis perpetua ſerie cathenatis, curribuſque tormentis conſtabant, atque item ſtationes attributaq; diſtinctis militum generibus tentoriorum ſpacia mirarentur, ſilentium ante omnia peræquale atque perpetuum in tanta frequentia ſtupendum fuit. neque enim aliter quàm ſignificatione manus, & nutibus parati intentiq; milites regebantur. Solymani porrò inſigne prætorium, uti par erat, cunctis excelſius & ſumptuoſius, quum quadratæ arcis effigiem exprimeret, oculos pulchritudine & maieſtate operis adimplebat. à quatuor enim angulis totidemque medijs ab omni latere faſtigiatis, pinnatiſque turribus cingebatur. Intererant ad commeandum latiſsimæ porticus, ſicut area in paleſtræ modum, in medio ad domeſticas exercitationes relinqueretur. Interiora quoque papilionum velamenta, Babylonici operis acu picta, ſericique funes, quibus tenderentur, uſque adeo elaborata pretioſaque fulgebant, ut æſtimationis noſtræ modum excedere viderentur. Adnotatum eſt omnium ordinum tabernaculis, tentoriola eſſe coniuncta, quibus latrinæ inerant, eo inſtitutæ ordine, ut novæ ſcrobes quotidie fierent, repletæque ſtatim arena iniecta tegerentur. In macellis quoque pariter profundæ foſſæ viſebantur, in quibus lanij totius exenterati pecoris exta ſedulò tumulabant. Ita fiebat, ut caſtra nullo odore tetro afflata, non ad ſalubritatem modò, ſed ad iucunditatem repurgatis omni in parte regionibus non Barbarorum, ſed eorum qui militiæ diſciplinam condidiſſent, caſtra cenſerentur, prædamnatis hac in reſtativis noſtris, in queis præter ingratam na-

ribus atque oculis multarum rerum fœditatem, peſtilentes enaſci morbos ſæpiſsime videmus. Legatis multiplici veſte, pecuniaque donatis atque dimiſſis, Solymannus Belgradenſem, latè longeque citra Danubium Auſtriæ fines populari, ac incendere: Caſſonum verò voluntarijs equitibus præpoſitum in Moravos, qui Marcomanni antiquitùs fuerant, excurrere iuſsit, ſed prædabundos, magno inſperatoque earum gentium commodo plenis imbribus inflati amnes opportunè morati ſunt. Exinde vir Hungarus, nomine Solymannus, qui ab ineunte ætate bello captus Mahometis ſectam ſequebatur, à Solymanno Budæ cum imperio præficitur, qui cum Verbetio daret operam ſumma æquitate ius dicendo, popularesque quondam ſuos familiarius alloquendo, in ſpem diuturnæ tranquillitatis adduceret. His rebus confectis, dies circiter viginti ex quo venerat Budæ commoratus in Thraciam redire conſtituit, quòd autumnales pluviæ maturęque hyemis frigora ſuberant, & magnitudine multorum amnium, quibus Pannonia ex omni parte ad difficultates itinerum irrigua præcinctaque eſt, intercludi poſſe vereretur. Ex itinere autem Laſchum legatum, ſuffectum navigijs liberaliter dimiſit. Eum enim privato virtutis eius ac amicitiæ nomine in gratiam receptum, Byzantio ſecum adduxerat: ſed demū nova offenſus iniuria cuſtoditum reliquerat Belgradi, quum ex ſpeculatorum literis Antonium Rinconem, veterem apud ſe Byzantij legatum, remittente cum mandatis Franciſco rege è Gallia redeuntem, in Pado amne à Cæſarianis interfectum cognoviſſet, ſed Laſchus per literas præclarè oſtendit, Ferdinandi regis nullum eſſe in Italia imperium, easque regiones Caroli fratris præſidijs teneri, potuiſſeque Rinconem hoſtilis terræ in flumine temerè navigantem, iure capi ac interfici, quando ei tanquam exuli capitis pœna damnato, quòd natale ſolum in Hiſpania vertiſſet, ad hoſtesque transfugiſſet, omnibus Cæſaris imperij finibus eſſet interdictum. Sed Laſchus diu eo beneficio uti nō potuit: regreſſum enim in Sarmatiam conceptus anteà vehemens oppreſsit morbus, ita ut plerique ex aula Germani fatum ad invidiam vertentes non tabifico quidem fluentis alui vitio, quo diu laboraſſet, ſed lentis tyranni venenis omnino ſublatum contenderent, quum vir ille omni virtutis ac elegantiæ laude inſignis, & longiore vita dignus, in ea reipublicæ Fortuna vel ab ipſo Rege lugeretur. Cæterùm redeunti in Thraciam Solymanno, ad Dravum amnem nunciatur, Stephanum Maylatum Ferdinādi ſecutum partes, ac ex profeſſo Turcarum hoſtem dolo comprehenſum in Petri Moldavi poteſtatem deveniſſe, pacatamq; ex omni ferè parte Tranſylvaniam in fidem conceſsiſſe. Ea re Solymannum magnoperè lætatum ferunt: Maylatum enim hominem bellicoſum, ingenio contumaci, regnandi cupido, pronoque ad mutandam fidem vehementer oderat, quum ab eo Grittum & Turcas interfectos meminiſſet, Tranſylvanosque indomitam gentem ad arma natam, dubioque bello potius quàm certa pace gaudentem, ab eo concitatos perſpiceret, quos moderato benignoque imperio pacare quàm iuſta vi ac armis ſubigere malebat. Sed quoniam in Petri Moldavi perfidioſi cruentique hominis mentionem incidimus, operæpretium putavi, quo dolo Maylatū cœperit, & qua Fortuna ſævitiaq; in recuperando regno uſus ſit breviter enarrare, ut ſicuti iam planè tempus nos admonet ad Germaniæ concilium, conſiliaq; Cæſaris nihil interciſa rerum ſerie opportunè redeamus. Solymanno in Pannoniam cōtendente, Moldavus adverſus Maylatū evocatus, uti ſuprà memoravimus, cum

Achomate

Acomate Nicopolis præfecto caſtra coniunxerat. Erant enim præter pedites, quorum numerus more gentis erat exiguus, ſupra quinquaginta milia equitum. nam & ſuas quoq; Tranſalpinus, alter Valachus imperatas anteà copias præmiſerat. Maylatus multitudine hoſtium circumventus, imparque viribus deſperatis auxilijs, quæ à Ferdinando maiore belli mole occupato fruſtra poſtularat, uti ſuperiore æſtate prementibus regijs fœliciter accidiſſet, in oppidum Fogaras confugit. ibi enim, uti loco natura atque arte permunito, totius ſubſtantiæ & bellici quoque apparatus inſtrumentum, ipſaq; preſertim Gritteæ prædæ ſpolia ſervabantur. admotis copijs Achomates poſtquam vi atque tormentis, non niſi multo temporis ſpacio, multoque labore arcem expugnari poſſe videt, dolo ac inſidijs vincendum ratus legatos ad Maylatum mittit: hortatur ut Solymanno ſe dedat, appellariq; ab eo amicus, quam iudicari hoſtis malit. cuncta enim ab eo proſpera atque ſecunda ſperari poſſe, qui vel hoſtibus regna dono dare ſit ſolitus: ſe verò qua polleret authoritate apud Imperatorem amicè daturum operam, ut eius clementiæ & liberalitatis fructum ſentiret, ornareturq; ipſa Tranſylvaniæ præfectura, quam paulo antè ſibi concedi tributi nomine concupiſſet. tantis ſiquidem copijs circumieſſo nihil eſſe tutius, quàm honeſtis conditionibus paciſci, idque ſalubre conſilium celeriter expedire, quo præter certam ſalutem opes conſervet, dignitatemque retineat. Adventare enim cum victore exercitu Solymanum, qui inanem ſpem ſuſtinendæ oppugnationis certo ſupplicio vindicaret, ſi eius imperijs parere præferoci vel obſtinato animo intempeſtivum eſſe videretur. Ad ea Maylatus, qui pacis atque concordiæ conſilia dubio bello potiora providebat, ſe neque pacem abnuere, ſi non iniqua conditione pararetur, neque Solymanni imperia, quæ ſummę æquitatis eſſe conſueſſent, detrectare, graviter reſpondit: Proinde ſi obſides darentur, ſe colloquendi cauſa, ut de conditionibus coram ageretur in caſtra venturum. Poſtulabat autem ut filius Achomatis impiger iuvenis pro obſide traderetur: id quum ſe facturum pater negaret, quod filius à pueritia Solymanno de more dono datus, paterni iuris poteſtatem evaſiſſet, pro uno inſignes quatuor alarum præfectos daturum pollicetur. Accepit conditionem Maylatus paratæ fraudis ignarus, magnoque ac ornatiſsimo comitatu educto, Gritteas exuvias ſuperbe oſtentans, in caſtra hoſtium contendit. Exceptus eſt comiter atque magnificè: ſed ex prima ſalutatione colloquium, ut non incipi modò, ſed commodè etiam finiri poſſet, in ſequentem diem differtur: quo Moldavus notum ſibi hoſpitem ſolenni epulo exceptum comprehenderet. Eo modo Maylatus fervente convivio in rixam arridente dolis Fortuna pertrahitur: ex compoſito enim à Moldavi compotoribus importuni primò ſermones, ac inde maximè criminoſi adeo protervè ac petulanter inducti ſunt, ut vel obſcuræ contumeliæ vir inſolens, & natura quidem iracundus, minaci dextra gladij capulum perſtringens è menſa ſe proriperet: ita inſurgentibus convivis fruſtra fremens, ſeque proditum inclamans comprehenditur. Nec mora concurſu Moldavorum tabernacula diripiuntur, comitatusque eius omnis, qui pretioſo cultu avaræ gentis oculos ad prædam illexerat, armis, equis: & denique rebus omnibus exuitur, & capitur. Vociferante adhuc Maylato ſupervenit Achomates: tam acerbè, quàm ſimulanter Moldadavum reprehendit, quòd hoſpitalis menſæ iura cunctis intemerata gentibus immani facinore edito ſubvertat, quòd ab ſe præſtitam ſecuritatis fidem vio-

let, fortiſsimosque viros Turcici nominis obſides ad necem prodat. Ad ea Moldavus ſpecie contemnentis, reſpondet, ſe gravi de cauſa Maylatum cœpiſſe, eumque porrò incolumem Solymano ſervaturum, ad quem omnino pertineat ſententiam ferre, iure an iniuria captus fuerit. Nec multo pòſt arx ipſa liberatis obſidibus deditur: incertum metu an perfidia cuſtodis, quòd de ſalute Maylati, totiusque eius comitatus libertate ſolicitus, aut non obſcurè magno inductus pretio, deditionem maturaſſe diceretur. Ita duo Hungarorum longè nobiliſsimi duces Valentinus, atque Maylatus, qui uni omnium antiquum illud Hunnici ſanguinis decus inteſtinis primò odijs, & mox Turcarum armis fœdè proculcatum erigere poſſent, invicti certè armis: ſed perfidia decepti, in poteſtatem Barbarorum devenerunt. Occupatis Fogaris Tranſylvani ferè omnes, concedente demum Solymanno, in Stephani pueri Regis nomen inclinatiſsimis animis iuraverunt, quòd iuſtum miteque imperium Ioannis patris in ea provincia per triginta fermè annos fuiſſe meminiſſent, tulereque ſæpe dona puero, fidei pignora, quum Iſabella mater cum Georgio Vichioq; tutoribus in Lippa regione conſediſſet. Eam multarum rerum abundantem Maros amnis Hercynijs ſaltibus effuſus interfluit, præcipitique demùm curſu in Tybiſcum evolvitur. Hunc plerique Sergetiam antiquis vocatum aſſeverant, in cuius averſi & mox reducti fluminis vado Decebalũ Daciæ regem, urgente victricibus armis Traiano Cęſare, theſauros condidiſſe ferunt, quum Barbarum in ea rerum deſperatione ſe ipſo crudelior, ne latebræ ſecreta proderentur, artifices atque operas ad unum omnes in veſtigio perfecti operis necaviſſet. Cæterùm ad confluentes Marum atque Tybiſcum Segadino celebri in oppido, nova à Turcis præfectura conſtituta eſt, quam eo nomine ſalutarem ominamur, ſi donec adoleſcat puer, obtinendi regni prærogativa videatur, quod minimè credi par eſt, in hac perditi vel inſanientis ſeculi Fortuna, poſtquam immani Galli regis & Cæſaris diſsidio, dum Germani cunctatores eximij turpiſsimè bellum gerunt, non Pannoniæ modò regnum, ſed univerſam quoque Chriſtiani nominis rempub. Barbaris hoſtibus impiè prodi conſpicimus. Cæterùm de Petri Moldavi ingenio, uti ſuprà polliciti ſumus, ex rebus ab eo geſtis liquidius patebit, ſi aliqua de Valachiæ regno, regionisque ſitu, & gentis moribus, uti ignota multis, ex inſtituto operis referantur. Imprimis Valacchiæ regulos antiquiſsimæ ſtirpis ferunt, repetita origine à Flacco præſide Romano, qui illuſtri virtutis argumento ſuum nomen provinciæ reliquerit. ab eo enim tempore Myſiam, quæ ultra Iſtrum ad Scythicas gentes extenditur, Flacciam appellari cœptam conſtat, quã demum corrupta ſenſim voce in Valacchiam abijſſe perſpicimus. Apud Valacchos enim non Romanę modò diſciplinæ certi mores & leges vigent, ſed ipſa quoque Latinæ linguæ vocabula ſervantur. Ea gens equitatu pollet: nam quiſq; vel egētiſsimus domi equum alit, quo prędatur & militat: ſcuto, haſta, gladio, uti Hungari ſolent, & nonnunquam lancea miſsili, atq; arcubus rem gerunt. Equi eorum pectoroſi robuſtiq; non pernicitate quidē in curſu, ſed perſeverantia & viribus maximè probantur: proinde tenellis mos eſt nares proſcindere, ne anguſta reſpiratione fatigentur: quando nec mediocris equi ſit laus triduo vel per æſtivos ſoles bellicæ agitationis laborem pertuliſſe. Deum Chriſtum colunt, ſed Græcorũ ritus ſecuti, deceptiq; opinione à noſtris diſsident. Apud eos patrum noſtrorum memoria regnavit Dracula belli paciſq; artibus clarus, & diu Turcarum

hoſtis

hoſtis, ſed ex calamitate Ladislai regis, qui ad Varnam ab Amurathe ſuperatus interijt, certo inito fœdere tributum pendere coactus eſt. Ab hoc Dracula Petrus pronepos, qui hodie regnat, imperium accepit, vir ingenio quidem militari, ſed maximè turbulento, crudelitateque ſimul atque perfidia infami. nam cùm finitimis belli paciſque ſtudium nequaquam ſtabili fide, ſed in diem occaſione & commodis metitur, ſuaque pariter ac aliena arma nemini unquam certus hoſtis, ſed improviſus ſemper exercet. Cæterum Valacchia omnis in duas partes, duoque imperia diſtinguitur. Altera ad meridiem vergit terminata Danubio, atque item ab occaſu Tranſylvaniæ fines attingens ad oppidum Severinum, ubi Traiani pontis admirabiles pilæ triginta quatuor, nequaquam totas obruente Danubio viſuntur. Ab oriente autem piſcoſum habet lacum, quem Hieraſſus amnis, ab accolis Pruthes vocatus, efficit: ſuiſque demum aquis adauctum & latè ſtagnantem relinquens, in Iſtrum evolvitur. Ad ſeptentriones autē finitur Hoyna ignobili flumine, & directis ad Iſtrum terreſtribus terminis, curvata admodum regionis fronte contra Peucem inſulam, ſpargente ſe tum primùm in ingentes ramos profluente Iſtro, antiquis ſcriptoribus notam, quam hodie Barillanam dicunt. Hæc Valacchiæ pars à noſtris Tranſalpina: à Turcis autem communi utriq; nomine, quòd nigrum frumentum ferat, Carabogdana minor vocatur. Regulus qui in ea hodie regnat, regiamque habet Ternovizam, continuo parendi obſequio Turcarum amicitiam tuetur, aureorumque nummûm myriadem tributi nomine quotannis pendit: ac ea vel indecora pace perfruitur, quòd impunè fidem mutare nequeat, quum in oppoſita Danubij ripa, Serviæ Bulgariæque præſidia in antiquis Triballorum, Myſorumq; ſedibus ſpectentur. Coluit & peramplis annuis muneribus Ioannem regem, cuius præſenti ope adiutus rebellantes Tranſalpinę proceres oppreſſerat. Altera Valacchiæ pars agrorum & paſtionum amplitudine maior, armentiſque & militaribus equis opulentior, ab amne, qui mediam interſecat, Moldavia dicitur. Is ortum habet paulò infra Hieraſsi fontes è Tranſylvaniæ montibus, quibus antiqua Dacia ad ingētis theatri ſimilitudinem obverſa in occaſum ſcæna præcingitur, delapſusque Zucaviam Petri regiam præterfluit, atque inde violentus Hoynam, Dobovizam, Argiamq; parvos, ſed perennes amniculos ſecum trahens in Oltham effunditur. Oltha verò qui antiquitus Alutas fuit, non Tranſylvaniæ modò, cuius partem ab adverſis montibus deſcendens rigat: ſed Moldaviæ & Tranſalpinę minora flumina in orientem reflexus ad Nicopolim in Danubium rapit. Omnium verò ampliſsimus Tyras, qui ab indigenis vocatur Neſter, ab Aquilone Moldaviam terminat: ortus enim è Carpato Sarmatiæ monte, & rectà in Euxinum contendens, Ruſsiæ, Podoliæ, & Tartariæ demum fines attingit. Tenuēre autem has regiones antiquitus Roxolani, Arpij, & Tauroſcythæ, ita Moldavia ad Pontum uſque protenditur, tantumq; oræ maritimæ ad orientem intercipit, quantū ab ultimo Iſtri oſtio, quod antiquis Lithoſtomum fuit, à Tyra profluente relinquitur. In hoc litoris tractu Moncaſtrum inſigne oppidum, in veſtigio Harmonacti antiquæ urbis conditum, Ottomannis paret, Moldavo multis ante annis ademptum, quum Turcarum arma ad expugnandum Theodoſiam, quæ Caffa dicitur, in Tauricam penetraſſent. Sed pro Moncaſtro, quod vel ob id amiſſum videretur: quoniam à Chriſtianis Dracula ſtetiſſet, Matthias Rex, ut eius Draculæ fidem volunta-

temque redimeret, Cizoum Cechillam oppida dono dedit. Ea ſunt in extrema Tranſylvaniæ parte, qua per ſaltum Moldaviæ iungitur. Sed in Petro proferendi imperij libido ingens his omnino finibus minimè terminatur. Cum Sarmatis in Podolia repentinis incurſionibus bellum gerit, quum id totum quod intra Tyram & Hieraſſum Moldaviæ inſeritur, ſuæ ditionis eſſe contendat, quin & Tranſylvaniæ quoque animum adiecit, quum Ioanne & Ferdinando dimicantibus, in contrariaque ſtudia diductis proceribus, Pannoniæ regnum alternante Fortuna iactaretur. Confugerat Ioannes ad Sigiſmundum Sarmatiæ regem Ferdinandi armis Buda pulſus, & deſertus ab Hungaris, quibus natura mos eſt inſitus cum Fortuna fidem mutare, quòd nihil indecorum modò utile ſit, arbitrentur, nec rerum ſuarum conſilia in ſpem longinquam, ſed ad præſentis commodi caſus expediant. Ita Petrus Perenus, Valentinusque Thuracus, præcipui Ioannis duces ad victorem tranſierant, & ut externo Regi operam fidemque probarent, oppida Tranſylvaniæ, quæ Ioannis præſidio tenebantur, circumductis copijs expugnabant. Sed Moldavus, fœdum id facinus prævertente Fortuna, inexpectatus hoſtis in Tranſylvaniam irrupit, utpote qui Cizovio Cechillæque timendum putaret: quæ oppida ab Vladislao, Ludovicoque regibus repetita atque oppugnata meminerat. Ferdinandum quoque Germaniæ copijs & Caroli fratris opibus fretum, longè maximum, ſibique obiter metuendum, Pannoniæ regem futurum exiſtimabat: vel ob id maximè, quòd Solymanus Perſici belli cogitationibus occupatus, nequaquam grave bellum pro Chriſtiano rege ſuſcepturus eſſe videretur. His de cauſis Moldavus Auſtrianos, oppida paſsim expugnantes, non longè à Braxovio in Barzæ campis adortus tumultuario atque improviſo pugnæ genere profligavit, & quo maior & clarior victoria redderetur, omnibus etiam tormentis exuit. Nec mora Ioannes ea hoſtium clade magnopere lætatus, per legatos inexpectati atque ideo ſummi beneficij Moldavo gratias agit, poſtulatque magnis precibus atque promiſsis, ut ſibi ad repetendum regnum adeſſe velit. At ille ſucceſſu rerum ſeipſo ferocior, nequaquam alieno commodo victoria utendum ratus, invadendæ Tranſylvaniæ conſilium capit, confiſus maximè tormentis de hoſte captis: nam æneis atque muralibus anteà caruerat, quum exilibus & ferreis rudique artificio fabrefactis uteretur, quæ circa oram Ponticam navigantibus extorta, aut parvo empta pretio comparaſſet. Primo itaque impetu Veſtricium inſigne oppidum occupatum eſt, atque eodem terrore pagi aliquot in poteſtatem ſunt redacti: poſtremò ij omnes qui irrumpenti denegato commentu hoſtiles animos oſtendiſſent, gravibus affecti incommodis infeſti victoris vim atque ſævitiam ſenſerunt. His extemplò cognitis Ioannes ditionis ſuæ iniurias deprecatur, id niſi incœpto abſiſtat, Solymanum iniquo animo laturum oſtendit: ſibique demum reddi Veſtricium poſtulat, ſed id quidem humaniter. Neque enim tum gravius ſuccenſendum exiſtimabat, ne ferocis importuniq; hominis vim iniquiſsimo rerum ſuarum tempore acrius exagitaret. Ad ea autem ingenio ſuo utens Moldavus amicè quidem reſpondere, prolixè admodum adventus ſui cauſas referre, & quo demum periculo pro aliena ſalute atque potentia conflixerit iactanter enarrare. Poſtremò dicere ſe eius animi non eſſe, ut cuiquã vel inſigne beneficium oblectari velit: verum à regia dignitate minimè alienũ arbitrari, ſi Ioannes in victoriæ præmiũ beneficijq; memoriam

riam

riam id oppidum ab ſe manu captum, Cizovioque propinquum condonaret, vel ipſius Solymani exemplo, cuius liberalitate Pannoniæ regnum acceperit. Sed paucos demum poſt dies Moldavus, ſive quod ſupra ſpem ea expeditione profeciſſet, vel quod Solymani nomen in ea cauſa offendere vereretur, abacta ingenti omnis pecoris prȩda in Valacchiam rediit, converſusque demum in Sarmatas, qua cum gente de finibus, uti ſuprà diximus, ſæpiſsimè dimicabat, Pochutiam vaſtabundus percurrit. Ea eſt regio inter Hieruſſam & Tyram ultra Chamenetium Podoliæ emporium, in ulteriore Polonicæ ditionis ripa, contra Zuhannam Tyræ impoſitum. Neque enim veteres termini, de quibus ambigere exercendo arma, quàm ex æquo & iure diſceptare, atque otium pati Moldavi malūt, Cheronio vado finiuntur. id enim locus eſt ad Hieraſsi amnis traiectum longè facilimus: nec Sarmatæ adverſus improviſum hoſtem numeroſo equitatu & tormentorum cuncta quatientem conſiſtere audebant, priuſquam ſuorum auxilia ſupervenirent: ſed adventu demum Ioannis Tharnovij, qui prætorianas cataphractorum alas adduxerat ad Obertinum caſtellum ſe cōglobarunt. Erat Tharnovius militaris diſciplinæ peritia, & conſilij gravitate antiquis ducibus exæquandus. Moſcos enim ad arcem Starodubam ingenti prȩlio ſuperarat, ſæpeque Tartarorum irruptiones fœlici victoria vindicatis iniurijs repreſſerat. Is in temeritate hoſtis victoriæ ſpem reponens, perpetuo carrorum munimento caſtra vallaverat, magnaque timoris ſimulatione ſuos continebat. Tum verò Moldavus, qui pugnæ avidus cum tota mole copiarum advolarat, oſtentare aciem, pugnam ciere, exprobrare imbelles animos, & circum munitiones magno clamore edito decurrere: poſtremò quum nemo in aciem prodiret, prolatis tormentis munimenta caſtrorum verberare atque proſternere. At Tharnovius, qui aliquandiu ſingulari patientia, ut in contemptum deveniret, militum ardorem monendo obteſtandoque repreſſerat, ubi videt currus maioribus globis diffringi, indeque perturbari ordines vallo proximos, gravique fremitu a tota acie, ne inulta ac ignobili morte cadendum foret, prælium depoſci, confeſtim ab hoſtium temeritate ſuorumque periculo erumpendi conſilium capit: conſtanti atq; lætiſsimo vultu inſignes quoſque equites nominatim atque ſigniferos adhortatur, ut acerrimo impetu in latrones, ſuo more contra vim fuga uti ſolitos, erumpant, maximè conſerti pugnent, intentiſque mucronibus inermia pectora perfodiant. Erant circiter ſeptem milia equitum, quorum maior numerus fulgentibus armis protectus viſebatur, in tres omnino acies diſtincta, totidemque caſtrorum obverſa portis, ita ſigno dató Decumana porta panditur prima acies, in quam dux moris hoſtium peritus non temerè pugnaciſsimum quemque contulerat, in Moldavos erumpit: magna editur cædes, totiſque agminibus tumultuatur. neque enim inſolentes Barbari tantæ virtutis facinus Sarmatas auſuros crediderant: ſed mox adcurrente & cohortante Petro univerſa Valacchorum multitudo circumfuſa in perrumpentes Sarmatas convertitur. Nec occaſioni deeſt Tharnovius: à dextro enim lævoque latere caſtrorum duabus adapertis repentè portis, inſtructas ad id ſecundam & tertiam acies in latera hoſtium inducit: ita Moldavi inermes à cataphractis triplici certamine diſtracti circumventique in medio conciduntur, & in fugam vertuntur, ſequentibusque peropportunè equitum victoriam peditum cohortibus, univerſa tormenta capiuntur. Petrus ipſe, qui acerrimè dimicando totam penè pri-

mam aciem oppreſſerat, cum globo delectorum equitum ſeſe è manibus hoſtium eripiens ſuſcepto vulnere profugit. Eo prælio Valacchorum quatuor millia cecidere: nobiles vero notique duces ſupra quadraginta capti, in queis fuere Clogoſſetes conſilij & ſcrinij magiſter, atque item familiæ præfectus, & pari nobilitate ac forma iuvenis pocillator, quorum deſiderio & cladis & vulneris magnopere dolorem intenderat. Hos omnes & tormenta circiter quadraginta octo, in queis Ferdinandi Regis gentilitia inſignia ęri inciſa viſebantur, Tharnovius ad Sigiſmundum regem Cracoviam perduxit, eiuſque pugnæ atque acti triumphi ſimilitudinem egregiè depictam ad memoriam poſteritatis in templo dedicavit. Exinde Petrus tanto accepto incommodo, amiſſiſque præſertim Auſtrianis tormentis, quibus ſubnixus ſe formidandum finitimis oſtentarat, aliquandiu conquieſcere eſt viſus: ita tamen ut Moldavi à latrocinijs nihil ceſſarent, nec à Tranſylvanis, vel ipſis quoq; Tranſalpinis ſuę gentis finibus abſtinerent: ſed antiquo recentique odio Polonis infeſti, in eandem Pocchutiam incurrendo prædandoque indomita arma ſæpius exercerent. Quibus de cauſis Sigiſmundus, ne ſemper adverſus repentinas, diverſasque vagantium incurſiones iuſtus exercitus magno & inutili ſumptu cogendus foret, invadendæ atque delendæ penitus inquietæ gentis conſilium ſuſcepit. Nihil tamen prius conandum ratus, quàm Solymani animum exploraret, quòd Petrus Vylacchiq; omnes in clientela Turcarum eſſent, quorum amicitia atque præſidijs tuti viderentur; Byzantium legatos miſit, qui quotidianas propè adverſum ſe Petri & Moldavorum iniurias deferrent, ac antiqua limitum documenta literis & picturis oſtenderent, peterentque demum ut ſibi liceret amicitia incolumi ſalviſque fœderibus immanium latronum iniurias vindicare: ſe nuper ea tantum pœna, quam ipſi nefaria ac ob id infœlici temeritate ad Obertinum contraxiſſent, contentum fuiſſe, quum Poloni facilè perſequendo, ac in intima Moldaviæ penetrando, profligatos cum ſcelerato principe ad internicionem delere potuiſſent. Ad ea Solymanus reſpondit: Ottomannici moris eſſe clientes ſuos, qui probè imperio & dicto audientes ſint, ab externa iniuria conſtanter tueri: eoſdem porrò ſi humani iuris obliviſcantur, arroganterque delinquant, graviter punire. Propterea Sigiſmundum hunc ab ſe fidelis amicitiæ fructum relaturum, ut nullo ſuo cum labore atque periculo hoſtem, qui vel toties humaniter caſtigatus furere non deſineret, merita pœna mulctatum videat. Oderat enim Petrum Solymanus, uti violentum, indomitoque ingenio ubi arma valerent cuncta perturbantem: utpote qui Grittum ab eo abrupta fide deceptum atque obtruncatum, inſonteſque demum eius liberos in Moldavia crudeliſsimè necatos meminiſſet: ſed nec tributum quotannis pendi ſolitum ab eo Byzantium mittebatur: cuius officij nomen adeo arroganter contemnebat, ut quum nulla ambiguæ libertatis ſigna forti regulo præferenda prædicaret, ſe bellica virtute immunem factum profiteretur. Stephanus quoque per id tempus Petri Germanus frater, tanquam imperij æmulus ſuperbè domo expulſus, detectis multis ſceleribus, inviſum antea fratris nomen apud Turcas infame reddiderat. Nec multo poſt Solymanus cum ingentibus copijs è Thracia profectus, Iſtro ponte iuncto iuxta Peucem in Valacchiam pervaſit: cuius adventu territus Moldavus, quòd viribus eſſet impar, & à ſuis deſereretur, cum paucis per nemora & ſolitudines in fugam ſe coniecit. In arce ſiquidem Zuchuæ, quam munierat

obſidionem

obſidionem veritus, ſe continere, aut in campis coacto equitatu conſiſtere minimè auſus, errando fallendoque inſecutos hoſtes, in Tranſyluaniam curſum intendebat; quum Tranſalpinus imperio accitus in id bellum à latere incumberet, & armata Polonorum manus in finibus ſpectaretur; diffuſaque Turcarum agmina vndique perurgerent, & ad Ponticam oram appulſa hoſtium claſsis naualis effugij facultatem eriperet. Itaque diu circumeundo; quum magna aliquot flumina incomparabilis equi virtute fœliciter tranaſſet; ad Aluiam amnem, tum maximè imbribus inflatum, ſæuis vorticibus natandis equi vires ſuperantem, peruenit. Erat vſque adeò laſsitudine, inedia, doloreque perditarum rerum & fœde mortis metu conſternatus; vt mergi fluctibus mallet, quàm ab inſenſo fratre, vel à Turcis ad ſupplicium capi: ſed hæc animo volutanti non defuit Fortuna extremis mortalium caſibus illudere ſolita: oblatus enim eſt piſcator Tranſyluanus, qui fortè admota nauicula ripam ſubierat: ab eo ſiquidem magnis promiſsis et precibus impetrauit, vt traijceretur atque eo duce pedibus per ſyluoſos notoſque tramites Cizouium duceretur. In eam enim arcem cognito Turcarum aduentu vxorem et paruos liberos carioremque ſuppellectilem, vt quàm tutiſsimè ſeruarentur, paulò antè præmiſerat. At Solymanus vbi Petrum ex certis fugæ veſtigijs per auias ſolitudines euadentem Valacchiæ finibus exceſsiſſe fama compertum eſt, Moldauos in fidem recipit, eos omni timore liberat, Stephanumque Petri fratrem Moldauiæ regem conſtituit: ſed quum ad veteris tributi ſummam nihil adderetur, certam agri partem adimit, quæ Moncaſtro proxima videbatur: atque his confectis rebus in Thraciam reuertitur. Interea rex Ioannes ad Solymani motum excitus, cum triginta millibus equitum in Tranſyluaniam peruenit: in ſpeciem quidem, vt ſtudium ſuum oſtenderet, tanquam in id bellum vires ſuas additurus, ſed occulto conſilio, vt prouinciæ fines tueretur: nam magnopere timendum putabat, ne Turcę per ſimulationem petendæ Moldauiæ reflexo curſu in Tranſyluaniam penetrarent. Secundum enim eam pacem, quum cum Ferdinando rege ſecretis conditionibus initam fuiſſe docuimus, quòd legatus Laſchus priuato dolori nimium indulgens Byzantij cuncta prodidiſſet, vſque adeo ſe inuiſum ſuſpectumque apud Solymanum fuiſſe meminerat, vt cum multis legationibus eius facti ſuſpicionem ægrè diluiſſe videretur, vix multa largitione apud purpuratos gratiæ nomen ſuſtentaret. Itaque ea ſolicitudine liberatus, vbi Petrum deſertum à ſuis, ac exutum regno in Cizouium confugiſſe didicit, ad obſidendum eum feſtinat: ratus aduenîſſe tempus, quo veteres iniurias vlciſceretur, gratiſsimamque inde operam Solymano præſtaret, & Stephani quoque animum eo benificio promerendum arbitraretur. Pro inconſtanti enim & turbulento alterum fratrem noua imperij Fortuna contentum, ac in tutela Solymani quieſcentem, regno finitimum exoptabat. Durauit obſidio ſupra quatuor menſes, ſuppetebantque obſeſsis alimenta, idemque animus nullis fractus incommodis Petro aderat, vt ad ſupremas ſpes vſque fortiter obduraret. Sed non eadem erat conſtantia in defenſoribus: ij erant partim Tranſyluani, partim Moldaui, qui ex vxoris comitatu in oppidi cuſtodia remanſerant: facileque diſſentiebant; quum non vna omnium perſiſtendi cauſa videretur. Rex namque omnibus extrema ſupplicia denunciarat, niſi poſtquam effugia perpetuis ſtationibus circumſepta conſpicerent, vti iam vndique deſperatis auxilijs, triduo ad certam

veniam ſe victos deditione faterentur, ea res in Moldauo contumacis ſpiritus fregit. Itaque vir acutus, eorum more qui ex ipſa neceſsitate periculi habile ingenium ad prudentiam flectunt, priusquàm ſuorum diſſenſio in apertam cruentamque ſeditionem erumperet, maturandum ratus, liberali facta deditione portas aperuit: id tantum præfatus, ideo ſe ipſum vxoremque & oppidum fortunasque omnes dedere, quòd planè ſciret, Ioannem regio prorſus animo, aliquanto facilius iniuriam obliuiſci, quam vllius beneficij memoriam deponere conſueſſe. Proinde ſe tantam ſpem nequaquam temere deſumpſiſſe, vt plane confideret ſibi miſero apud eum, qui in perſimili calamitate aliquando miſer fuiſſet, humanitatis & clementiæ locum minimè defuturum. Ioannes hominem complexus conſolatusque bono animo eſſe iuſsit, confirmauitque data fide ſe Cizouio contentum fore: quod oppidum vti Pannonicæ ditionis ſuperiores reges repetiſſent: cæterum arcis poſſeſsionem apud ipſum vxoremque vno tantùm mutato præſidio permanſuram, in qua tuti ab iniuria, certique ſalutis meliorem rerum euentum expectarent. At Stephanus vbi fratrem deditum in poteſtate Ioannis eſſe didicit, per legatos Solymanum orat, vt Petrum ſibi tradi imperet: eo enim viuo Moldauiam nunquam dicto parentem, nunquam pacatam, nunquam externo aut inteſtino bello vacuam fore. Nec mora Solymani literis frequentibusque nuncijs depoſcitur. Ioannes ius & æquum datæ fidei proponit, negat ſe tantum ſceleris admiſſurum, vt miſeri ſponteque dediti ſalutem prodat: id autem Solymani imperio cui parendum eſſe fateretur, ſe daturum, vt Petrus: quo omnis amittendi regni metus Stephano demeretur, tam diu quam Solymanus vellet, in eadem cuſtodia permaneret. Poſtremo quum ſeuerioribus literis repeteretur, quòd iam purpurati ea cunctatione lædi maieſtatem exiſtimarent, medium, ac ob id Petro admodum ſalutare conſilium ſumpſit, reſcribens, ſe Petrum non captiui more, ſed legati nomine Byzantium cum inſigni comitatu tranſmiſſurum, vt coram obiecta crimina diluat, et ſi fas ſit, veniam quoque impetret: modo Solymanus à magnitudine animi erga proſtratum, ſeque imprimis religione datæ fidei obſtrictum, non incertam clementiæ & lenitatis ſpem præbeat. Non diſceſsit ab humanitate Solymanus, vtpote qui ſeruandæ fidei neceſsitudinem honeſtiſsimo excuſationis nomine apud regem vel tacitus probaret, nobilemque illum expetitum magnis regibus, ſed raro oblatum à Fortuna clementiæ laudis fructum decerpere cuperet. Itaque non obſcura ſignificatione confirmatis amborum animis, Petrus ſuis opibus ſtudioque Ioannis exornatus Byzantium mittitur: commendatus præ cæteris purpuratis Luphtibeio, cui ampliora dona detulerat, vt præpotentem ex aula patronum ſibi in dicenda cauſa compararet. Dedit & gemellos vniones ſuperbi piri magnitudinem adæquantes, qui ex Grittea præda fuiſſe dicebantur, vt his pro inauribus Solymani filia Roſtani deſponſata in nuptijs ornaretur. His ſibi conciliatis, vbi admiſſus eſt, adeò luculenter cauſam dixit, vt quum ſuſceptorum a ſe bellorum cauſas atque ſucceſſus, ærarij inopiam, Gritti cauſam, fratris & procerum dolos, ac antiqua iura finium cum Polonis enarraſſet, veniamque ſupplex petiſſet, indigne mulctatus a Fortuna videretur. erat enim eius viri excellens bello virtus, quanquam ingentibus vitijs atque ſceleribus æquaretur, militaribus Turcarum animis ad admirationem ſpectata grataque, vſque adeò vt purpurati vel nulla largitione corrupti virum fortem tantis

illuſtrem

illuſtrem caſibus, neque impotenti Fortunæ invictum animum concedentem, omnino defenſuri crederentur. Verùm Solymanus ſuſpenſo iudicio neque damnavit reum, neque penitùs abſolvit, ne Ioannis nomen abruptæ fidei contumelia ſugillaret, vel ipſe parum ſceleribus infenſus abiectâ ſeveritate videretur. Itaque Moldavus in Peram Ligurum coloniam eſt relegatus: beneficio quidem ingenti, quum ibi nequaquam obverſantibus Turcis ad leniendum exilij dolorem alendamque ſpem recuperandi regni, cum Chriſtianis hominibus verſaretur. Erant ei præter numeroſam familiam plures Hungari comites liberaliter inſtructi. Græci quoque quibus cum religionis ritus erat communis, & mercatores Italici, Turcæque item, ut epulando vinum potarent, domum eius frequentabant, ita ut vir ille comitate cunctis obvius, principalis aulæ ſpeciem referret. Nec diu voto eius Fortuna defuit: Stephanum enim avarius ac iniquius quàm putaſſent regnantem populares obtruncat. Fit magnus in Moldavia tumultus, quum ſublato Rege multitudinis ſtudia in Petrum verterentur, & contrà nobilitas ei vehementer infenſa, quemcunque alium præferendum putaret: nequaquam temerè meritas pœnas pertimeſcens, ſi iratus & ſævus ab exilio vocaretur. Sed Boiares, qui ſunt ex ordine optimatum, ipſa populi multitudine auctoritate, atque opibus potentiores adoleſcentem Moldavum nomine Alexem regiæ ſtirpis, qui diu in Podolia inops exularat, celeriter evocant, principem conſtituunt, in Zucavaque regiâ appoſitis præſidijs confirmant. Hæc ubi Byzantij nunciata ſunt, Petrus animos attollit, purpuratos novis muneribus aggreditur, prehenſat omnes: ſed in Luphthibeio recuperandi regni ſummam ſpem reponit. Interim Moldavorum legati à Boiaribus inſtructi Byzantium perveniunt, poſtulantes ut Alexes regij ſanguinis, uti omnium expetitus votis & publico conſenſu rex acclamatus, poſtquam Stephanum fata ſuſtulerint, Solymani liberalitate confirmetur. Tum verò Petrus purpuratos obſecrare, ut nihil de pſeudoregulo ementiente regiam ſtirpem temerè crederent, illius nomen & genus anteà incognitum teſtari, idque inductum commento & malignitate Boiarum dictitare, ut ipſe avita regni ſede per ſummam iniuriam excludatur. His de cauſis Moldavi minus æquis auribus auditi ſunt: vel ob id, quòd nequaquam modeſtè & reverenter in deligendo creandoque Rege properantes Solymani liberalitatem atque iudicium prævéniſſent. Itaque legati continuò ad ſuos domum perſcribunt, anguſtas omnino ſpes ſibi oſtendi, ut quicquam pro Alexe impetrari poſſe credant: præoccupatas enim eſſe purpuratorum voluntates occultis magniſque muneribus, commovereque ſeſe vehementer Petrum, atque contendere ut per Turcas reducatur. Proinde ſibi difficiles aditus præberi, frigidaq; ab omnibus & plena pudendæ dilationis reſponſa reddi. His cognitis Boiares, ut tyrannum veluti non dubiam cladem ipſis allaturum novis conſilijs regno penitùs excludant, legatos diſsimulato habitu ad Carolum Cæſarem, Ferdinandumq; regem mittunt, qui doceant quo in ſtatu periculoque Moldavi novi principis res ſint, peditum auxilia implorent. Ea ſi impetrentur, Moldavos icto fœdere promittant Chriſtianorum regum ſocios, & Turcici nominis perpetuos hoſtes futuros. Rem autem præſentis neceſsitatis in eo occaſionis momento verti, ut ſi decem millia peditum ſubmittantur, ipſi cum quadraginta millibus equitum omnem vel maximi Turcarum exercitus impetum ſuſtinere audeant. Sed Ferdinandus fratre

Cæſare peragendis conuentibus occupato, quòd multas longum id iter difficultates habere videretur, nec conducendo militi pecunia ſuppeteret, ei negotio, quod maximè liberalis officij celeritatem exigere videbatur, adeſſe non potuit. Cæterùm ea legatio, quæ diu celari non poterat, per ſpeculatores Byzantij nunciata vſque adeo in Petrum Turcarum ſtudia accendit, vt Solymanus ſupplicem ac adiutum purpuratorum precibus, clientemque ſe & denique fidelem ſeruum Ottomannici nominis iureiurando profitentem in gratiam receperit. Nec multo poſt Himbrachor ſtabuli magiſter, dignitate & virtute bellica illuſtris, qui Petrum regijs ornatum inſignibus in Moldauiam reduceret, eſt delectus: paucisque inde diebus coacto exercitu ad Danubium ponte iungendum contendit. Tum verò Boiares metu perculſi, quum deſperatis Chriſtianorum auxilijs multitudinem conſternatam, & magnopere Turcarum arma formidantem conſpicerent, ſummo concepto ſcelere obtruncandi Alexis conſilium deſumunt: neque enim antiquæ rebellionis noxam, niſi immani aliquo perfidiæ facinore deleri poſſe iudicabant. Nonnunquam enim accidit, vt mortalium animus ſcelere ſemel occupatus, quum in præſenti periculo timor ingruit, facilè vel inuſitati ſceleris infamiam contemnat. Ita inſontis ac intempeſtiui principis coniuratorum concurſu patratur cædes, accumulataque feritate iacenti caput deciditur, vt Boiares veluti expiata vetere perfidia atrocem aduerſum ſe tyranni animum eo cruento munere mitigarent. Arriſit Petrus exoptata dona ferentibus, placatique animi ſpeciem præbuit, quum diligentiam maturati beneficij ſimulata oratione laudaſſet: vtpote qui ſæui vltoriſque animi decretum recondere vellet, donec abiret Himbrachor. Is egregia omnium voluntate paſſim receptus, Petro Zuchauiæ regia in ſede conſtituto, acceptisque muneribus, in Thraciam redijt. Nec mora Boiares circiter viginti detegente odium tyranno, alius alia de cauſa comprehenduntur, & ſecuri percutiuntur: non iniquo quidem iure, vel ob id ſupplicio damnati, quòd veterem iniuriam apud tyranni animum recenti beneficio penſari poſſe exiſtimarint. Hæc ſunt quæ de Valacchia, vno ſcribendi tractu ſub vnum aſpectum prodenda cenſuimus, nihil in hoc temporum ſeriem rebus geſtis adæquantes, ne maiora bella quæ imminent, conciſa in partes, & variè paſſim intermixta, quod maximè fugiendum videtur, confuſo planè ordine, ac ob id diſſipato hiſtoriæ lumine referantur. Hiſdem fermè diebus quibus Rochandulphus ad Budam cum Turcis Budenſibusque Hungaris bellum gerebat, & Solymannus aduentare dicebatur, Carolus Cæſar Ratiſponæ conuentum diſſoluit, confeſtimque magnis itineribus in Italiam eſt profectus. Is autem Germanorum conuentus, qui Chriſtianæ religionis commodo ad ſanandas Lutheranorum mentes indictus fuerat, hunc habuit exitum, vt poſtulante Cæſare, Germani proceres & liberæ ciuitates decreta perſciberent, quibus Guillermus Cleuenſis regulus, quòd neglecta Auguſti imperij auctoritate Gheldrenſis principatus hæreditatem adijſſet, hoſtis iudicaretur: contrà verò Carolus Sabaudius, qui Gallorum armis regno exciderat, publico totius Germaniæ conſenſu ſumptuque, vt iam receptus in clientelam, reduceretur, ſeueriſſimoque obiter edicto caueretur, ne quiſquam Germanici nominis miles Gollorum ſtipendia mereret: fratri verò ad Budam cum Turcis rebellibusque Hungaris bellum continuum alenti auxilia præberentur. Hæc vt facilius impetrari

poſſent,

poſſent, Carolus totas eas conceptę hæreſis opiniones Luthearnis nihil pij, ſanique conſilij ad animos admittentibus condonavit, ita ut cunctis, quæ vellent de divinis rebus & placitis, impunè ſentirent, donec indicto celebratoq; ſacrorum antiſtitum concilio omnis oborti erroris controverſia ſupremis diſputationibus tolleretur. Id autem Cæſar, ut intra biennium fieret, cum Paulo ſummo Pontifice curaturum promittebat, ita ut vel abnuente Contareno legato, concilio locum in ipſa Germania delecturus eſſe crederetur; vel exitiali præiudicio Pontificiæ authoritatis, damnoque Gallicarum nationum, quæ ſalutem ac libertatem inimicæ gentis arbitrio commiſſuræ minimè viderentur. Propterea Cæſar diſceſſurus è Germania obnixè poſtularat a Pontifice, ut ſibi in Italiam venienti ac in Africam traiecturo, ad Lucam occurrere vellet, quòd mutuis colloquijs deliberando, de tota ratione concilij ſtatuendum eſſe videretur. Erant qui dicerent, eò verti conſilia Cæſaris, ut concilij nomine, quo ſacri imperij dignitas in diſcrimen vocaretur, Paulo Pontifici non ambiguum terrorem incuteret, atque ideo ſolicitum in officio ac amicitia, quam arctiſsimè contineret, & Germani obiter, ſive concilium cuperent, ſive ex conſcientia neglectæ perturbatæque religionis iuris & æqui iudicium formidarent, præclarè admonerentur, totius negocij ſummam ipſius arbitrio atque ſententia contineri. Nec Paulus eius colloquij aut loci conditionem abnuerat, priſtinæ ſuæ pietatis & conſtantiæ tenorem ſecutus, utpote qui ſemper anteà concilij cenſuram ultrò depoſcere, neutrumque ſe & ſincera utrinque fide medium inter dimicantes Reges profiteri conſueviſſet. Non defuêre Germani proceres gliſcente fama de adventu Solymanni, Rochandulphique ſecordia, qui diſcedentis Cæſaris nomen tam falsè quàm improbè lacerarent: qua in re Philippus Lantgravius ironico lepore multus erat, ut qui non temerè Cæſarem oderat, neque Romani imperij Fortunam ex æquo anteà virtuti egregiæ expoſitam, digniſsimis proceribus excluſis in Auſtriæ domus hæreditatem conceſsiſſe pateretur: dixiſſe enim eum in convivio ferebant, Carolum mire fortem ac impavidum imperatorem videri, qui tanta eſſet animi magnitudine, ut Turcas quanquam multos uti inermes imperitoſque militiæ facilè contemneret, & nobilioris victorię triumphum in tranſmarina provincia quærendum arbitraretur, dum Solymanno Ferdinandus frater obſiſteret, cuius tam expedita & vehemens virtus, & tam paratæ facultates forent, ut in Auſtria domo uno tempore geminata victoria parari poſſe cenſeretur. Alij porrò apertius ac indignantius dictitabant, neque conſtantem, neque ſtrenuum imperatorem videri, qui urgenti à fronte nobiliſsimo ac infenſiſsimo hoſti terga daret, patrimoniumque Barbarorum incendijs expoſitum; atque inde fratrem accepta clade perterritum, impiè fœdeque deſereret, ut de immanis piratæ ſpadone ſervo victoria levis in terra Africa quæreretur. Nihil enim profici, vel ad ipſius laudem, vel ad Germaniæ ſalutem ac dignitatem, ſi quum Italorum ac Hiſpanorum cohortes accerſendæ in Noricum forent, è Norico detractæ Germanorum legiones in Africam ducerentur. Cæſar enim Hiſpaniæ precibus adductus expeditionem ſuſceperat, adverſus Aſanagam Tunetano bello illuſtrem, qui Algerij cum imperio à Barbaruſſa fuerat relictus. Apud eum prædones Turcæ coibant, Hiſpaniæque litora prædabantur, tanto oræ maritimæ damno metuque, ut Hiſpani à Gadibus ad Pyreneos montes diſpoſitis in ora ſpeculis atque præſidijs ad incertos ca-

ſus excubare ſublata nauigatione cogerentur. Propterea Cæſar claſſem parauerat, cohorteſque in Italia, Sicilia, ac Hiſpania conſcripſerat, totuſque animo in Africam ferebatur, vtpote qui anteà Solymanum minimè venturum putaſſet, & ſatis virium ad expugnandam Budam in Rochandulphi diligentia & fœlicitate fratris poſitum arbitraretur. Fuere qui exiſtimarent, Cæſarem conſtantiæ ſuæ ac innatæ virtutis nunquàm oblitum, eos tum aduerſos de ſe rumores, aliquo certè cũ pudore, ſed inſigni patientia contempſiſſe, quum vir eximiè prudens neque ſalutem, neque exiſtimationem ſuam Turcico bello implicandam putaret, in quo veræ dignitatis ex infœlici conatu iacturam facturus eſſe videretur, ſi temere ac importunè conſiſtere, & vanitate pugnacis animi potius quàm certa virium fiducia inductus congredi vellet cum eo hoſte, qui immenſis copijs ac opibus ſubnixus vel totius armatæ Germaniæ impetum multitudine equitatus eſſet eluſurus. Conſilia enim cogendi magni exercitus, qui victoriæ ſpem præferret, tempus ipſum, & maturatus Ratiſponenſis concilij exitus excludebant: quando nec decreta pecunia, nec expediti commeatus, nec ſatis explicatæ procerum voluntates forent, vſque adeo vt non incertum eſſet aliquos ab impio liuore calamitate potius quam Cæſaris victoria gauiſuros: verum multo grauiore cura Cæſar angebatur, ne ſi in Pannonia nequaquam pari ſpe vtilitatis, & metu incommodi occupatus hæreret, Galli arrepta occaſione Ciſalpinam Galliam inuaderent, quum interceptis legatis inducias violatas eſſe quererentur, ac in alijs demum Italiæ partibus bellum erumperet, cuius enata iam ſemina ſpectabantur. Nam per eos dies Ludouicus à Bononia, Armeæ familæ iuuenis, turbido ingenio vel ancipitem nominis famam quærens, apud Senenſes multa vſus largitione egerat, vt conſilio malè ſana deprauataque moribus ciuitas, ad Gallos à Cæſare deficeret: ſed fluxa eorum fide, qui dum muneribus explerentur defectionis initium ſe facturos promiſerant, belle proditus in poteſtatem Hiſpanorum deuenerat. Contendens in Italiam Cæſar in Tridentinis Alpibus Octauium Farneſium, miræ indolis adoleſcentem adſcitum ſibi generum cum inſigni comitatu obuium habuit, moxq; ad Atheſim Alfonſum Vaſtium qui Inſubrum nobilitatem inſigni armorum cultu exornatam, ac item delectos ex Hiſpanis veteranos adduxerat, vt comitatus è Germania per ſe exiguus, intentuſq; itineri, ea illuſtri auctus frequentia dignus Cæſare ſpectaretur. Affuit properanti ſupra Veronam inſignis legatio Venetorum, præbitaq; ſunt præter gratuitos commeatus, munera magnis hoſpitibus in itinere dari ſolita, nihilque inde Cæſar Cremonæ Laudæque Pompeiæ commoratus, Mediolanum contendit, exceptuſque eſt incredibili ſtudio ciuitatis, nec leui quoque ſumptu reliquarum vrbium, quum nihil auguſtius & opulentius in ornamenta triumphalis pompæ excogitari præſtari ue potuiſſet, tegerenturq; obiter coloratis velis vniuerſæ regiones, quibus à Romana porta ad templum maximum, & in veterem Vicecomitum principum curiam, tanto hoſpite parem, ſub vmbella aurea duceretur: ſed ipſe atra in penula vilique pileolo ſpectari voluit, multis lugubrem habitum admirantibus, quum fœminarum & plebis curioſa ſimplicitas pictam ex auro trabeam & fulgentem gemmis in Cæſaris capite coronam expectaret. Nec diſſimilis animi habitus in graui parùmque hilari eius oculo notabatur, ita vt cla-

dem, quæ

dem, quæ pridie accepta ad Budam fuerat, præſagire videretur. Reuocauit tamen eum à ſeueris cogitationibus Maria Aragonia ipſius Vaſtij vxor, cunctas ætatis ſuæ fœminas excellentis formæ, præclaræque virtutis, & fauentis Fortunæ muneribus antecedens: nam quum ſæpe anteà illuſtrem pudicitiæ famam fœlici fœcunditate nobilitaſſet, tum fortè marem pepererat. Huic ſummi honoris cauſa Cæſar, quum ſacro fonte lauaretur, humaniter præſtito Chriſtianæ pietatis officio adeſſe voluit, eúmque de nomine Carolum appellauit. Ita vt mox comiter in ea feſta hilaritate nobiles matronas ad tibiarum modulos ſaltantes ſpectaret. Aduenere demum legati ſingularum ciuitatum, menſtrui tributi onera peracerbè afflictis populis impoſita deprecantes: ſed eas preces vel iuſtis querelis ſuppliciter additas ita audijt, vt parum clementer in aliud tempus reijceret, triduóque poſt nullam indulgentiæ ſpem, ſed eundem & quidem ab ipſa remedij deſperatione grauiorem miſeris gemitum relinquens, Genuam contendit, vbi ex Ferdinandi fratris literis de Germanorum clade, Turcarúmque victoria, & Solymani aduentu certius cognouit: quo nuncio adducti Vaſtius atque Auria dictis ſententijs ſuadebant, vt petendæ Africæ conſilia in vernum tempus differret, & cum his quas conſcripſiſſet Italicis cohortibus & Germanorum legione quam adduxerat, in Italia moraretur, vt inde ad opem fratri ferendam deterrendóſque Barbaros, reuerſuri ſpeciem præberet, tueretúrque interim Italiam aduerſus Gallos, quos nulli ommino occaſioni defuturos proſpicerent, ſi aliquod forte incommodum, aut vi Pœnorum, aut iniuria tempeſtatis acciperetur. Nihilo ſecius Cæſar ſtabili propoſito conſtantiæ nomen vel magno diſcrimine retinendum ratus, in Africam abnuente etiam Fortuna transfretare conſtituit, vt Turcas in Pannonia bellum gerentes contempſiſſe potius quàm timuiſſe videretur. conuerſus enim ad eos qui in conſilio erant, magna, inquit, ratione, vt in Italia permaneam ſuadetis, ſed multo maiore arbitror in Africam contendendum: nam ſi ſubſtitero, è Germania certè reformidatis Turcis diffugiſſe videbor, cuius admiſſi dedecoris opinio tolli non poterit, niſi ſuſceptis innixi conſilijs exoluendo promiſsis fidem, & maturè tracijendo, iudicij atque animi noſtri famam bono euentui commendemus. Fortunam enim, quæ nos terra deſerit, per fluctus fortiter audendo experiri lubet: quum Algerium multis de cauſis, priuſquam maria hybernis aquilonibus claudantur, expugnari facilè poſſit: cuius voti ſi me Dij compotem fecerint, contemnemus certè Gallorum minas, atque his profectò claſsibus & copijs, quibus ſtipendia graui ſumptu perſoluta videtis, ſi temere ſeſe commouerint, vltrò eorum audaciam retundemus. Interea Paulus Pontifex ab Roma æſtuoſo itinere Caſſiam emenſus viam Lucam peruenit, improbantibus medicis, quod lethale foret, niſi pleno imbre infractis caloribus ab Vrbano cœlo diſceſsiſſet. Sed is vel exactæ ætatis ſenex, certo ſemper ingenij vigore, & temperata ob idque fœlici vitæ diſciplina, ita fallebat annos, vt cuncta ætatis pericula quæ publicam ſalutem includerent facilè contemneret. Quid enim mihi vita opus eſt, ſæpe dicebat, niſi vt hæc ſuprema officia, quæ vnam omnino ſacri nominis perſonam reſpiciunt, cadenti reipublicæ optima fide perſoluamus? quandoquidem diuinis ita monemur fatis, vt pietati & voto pu

blico vel morte ipſa ſatis facere, quàm infami deſidia vitæ cupiditatem extendere malimus. Quòd ſi inſanire principes pergant, & magnus Deus à ſalute Chriſtiani populi penitus auerſus ſuſceptis votis adeſſe nolit, natura quidem vel in otio, vel in labore non intempeſtiuum vitæ finem afferre poterit, præclari certè ſtudij perpetuæque voluntatis honeſtam famam nulla vis inuidiæ nobis eripiet. Nonnulli quoque ſenatores euntem retentare conabantur, imprimiſque Franciſci regis legati, qui in nullam ſpem pacis ituro, poſtquam ab ea Cæſar auerſus obduraret, non modò valetudinis incommodum, ſed parum etiam ſynceræ æquitatis calumniam imminere diſſerebant, quoniam timerent, ne Cæſar honeſtiſsima petitione in belli Punici ſumptum pecuniam impetraret, quæ demum occulto conſilij exitu ad excidium Narbonenſis Galliæ verteretur. Magnorum enim principum congreſſus atque colloquia abſentibus ſemper ſuſpecta, in alienámque perniciem verti occulta conſpiratione exiſtimantur. Propterea Franciſcus, ne ſe incauto atque imprudente Prouinciam admota claſſe repentinus hoſtis inuaderet, ad Maſsiliam & ad Rhodani pontes legionarios Gallicæ diſciplinæ pedites, & veteranas equitum alas vt præſidio forent maturare iuſſerat. Sed Paulus vti fruſtra aliàs ad Niceam recrudeſcentia pereuntis reipublicæ vulnera omnino Cæſari detegenda, indicandaque vitia ſerpentis peſtis exiſtimabat, vt vno concordiæ remedio ſanarentur, ac præclerè Dijs ac hominibus teſtatum foret, neque ardens ſtudium, neque vehementes preces, neque in ſummo vitæ contemptu diligentiam in optimo ſacrorum principe defuiſſe. Ea quoque de cauſa vt ire pergeret magis ac magis accendebatur, quòd ſuborta erat inter Franciſcum & Cæſarem noua ſimultas, veluti inducijs Rinconis atque Fregoſij cæde violatis, veteriſque odij flamma, compreſſa aliquadiu induciarum fide, in multo atrocius quàm anteà belli incendium exarſura credebatur. Egerat per aliquot annos Byzantij Antonius Rinco Franciſci regis legatus apud Solymanum, vti ſæpe diximus, remiſſuſque à Barbaro paucis antè menſibus in Galliam ad regem peruenerat, comitante cum ala equitum Cæſare Fregoſio, ne per Bergomatium fines & Volturenam vallem, ad Curiam Rhætiarum tranſeunti a Cæſarianis inſidiæ tenderentur. Cæterùm acceptis nouis mandatis à Rege, quæ ad confirmandam amicitiam pertinebant, rediturus Byzantium, ſuperatis Pœninis Alpibus in agrum Taurinum inter præſidia Gallorum deſcenderat, vt inde ſe Venetias proriperet, ac demum tutiſsima nauigatione in Epirum adueheretur. Placebat Rinconi per ſe obeſo, & fortè ceruice ac humeris ex ſtillicidio laboranti, vt iactatio vitaretur, duobus nauigijs ſecundo Pado deuehi, fruſtra improbante Fregoſio, qui vel in publica induciarum fide cum regij commodi, tum priuatæ ſalutis rationem Hiſpanorum ingenijs minimè committendam ratus, per eaſdem vel aſperàs Rhætorum Alpes reuerti aut certè noctu pernicibus equis Placentiam peruolare mallet. Sed fatalis illius pertinacia huius prudentiam facilè peruicit, vt amborum interitu dirus Chriſtiano nomini caſus incideret, quo inteſtinis affecta malis reſpublica, nihil iam non auſuris in perniciē noſtram Barbaris proderetur. Ab Hiſpanis enim qui per ſpeculatores cognita eorum nauigatione in inſidijs terra pariter ac flumine diligenter excubabāt quum, meridie ad Ticini hoſtiū perueniſſent, ab armatis

lintribus

lintribus,qui tecti fronde ex occulta ſtatione repente prodierant,circumuenti ſugulatiq; ſunt. Perijt cum Fregoſio Bonifortius centurio, ſeruatus autem eſt Camillus Seſſulanus Fregoſianæ alæ præfectus, isque cum omnibus nautis ne patratæ cædis fama certo indicio vulgaretur; Cremonam deuectus eſt, & in arce cuſtoditus. Alterum porrò nauigium, in quo erant comites cum ſcrinijs multaque pecunia, occupatis hoſtibus in aduerſam ripam intactum fœliciter euaſit,indeque vectores ſimul; & nautæ terreſtri itinere per nemoroſos calles occultati Placentiam allato rei geſtæ nuncio peruenerunt. Cæterum cadauera poſt duos menſes elapſi cuſtodia nautæ; iuxta confluentes Padum & Ticinum ſemiſepulta, ob idque diſcerpta feris, & tabe conſumpta monſtrauere, ita vt Fregoſij manus ex antiquo vulnere vno manca digito facilè noſceretur, ac augendæ repræſentandæque iniuriæ cauſa ad Franciſcum, ab vxore, quæ caſum deplorarat, auulſa cadaueri & loculo condita deferretur. Scio Gallos non inepta ſuſpicione,nequaquam eos ſtatim interfectos putaſſe,ſed prius in quæſtione cruciatos,vt arcana legationis tormentis eliceren- tur: ſed de hac ſubtili coniectura, quum nihil adhuc compertum ſit, rem vtique dubiam in medio relinquemus. Verùm ab eo atroci facinore Alfonſus Vaſtius, qui Ciſalpinæ Galliæ cum imperio præerat, incredibili inuidia deflagrauit, quòd inducias in nouem annos ad ſummam ſpem pacis Niceæ indictas, violaſſe, & contra naturam generoſi eius ingenij, inhumana cæde cruentus euaſiſſe videretur: tanquam famæ ſuæ minimè parcendum putarit, modò apud Cæſarem, vel ignobili & criminoſo officij genere gratiam mereretur. Sed Vaſtius eius impoſitæ contumeliæ notam vel iure, vel perſcriptis,ac ideo publicatis libellis ita diluit, vt id poſtquam iure cognoſci non poterat, vel ſingulari certamine, ſi dignitate compar offerretur, diluturus eſſe crederetur. Cæterùm complures Rinconem iure cæſum exiſtimarunt,quòd inuidioſiſſimæ legationis munere ſuſcepto; aduerſus Chriſtianum nomen Barbaros concitare, occaſionesq; gerendi belli indicatis Cæſaris conſilijs demonſtrare diceretur. Fregoſio autē immerenti vitā malignitate atq; odio ereptā dicerent,quòd vir bellicoſus & acer,ad Genuę totiusq; Ligurię principatū aſpiraret,vigente adhuc apud populū non ingrata Iani patris memoria, qui Genuenſiū princeps extitiſſet.Itaque Pontifex Lucam venit,præmiſitq; Alexandrū Farneſium Cardinalem,qui Cæſarem ad Viæ regiæ ſtationem triremibus ad pulſum, venientemque ab octauo lapide exciperet. Ad portam autem affuere Cardinales ac antiſtites,atq; item ordo Lucenſis,qui intrantem ſub vmbella deducerent. Curia prætoria,vbi decuriones ſedent, Cæſari data,Pontifex ad antiſtitis domos templo maximo coniunctas diuertit. Ter Cæſar ad mutua colloquia Pontificem adijt;ille Cæſarem ſemel:Introductusq; eſt Moninius Galliæ regis legatus,ad id tum miſſus,vt quereretur Fregoſium atq; Rinconem captos, atq; eos ſibi reddi poſtularet:neq; enim tum interfectos eſſe conſtabat. Cæſar ad id,apud ſe ius induciarum inuiolatum eſſe inuiolabileq; manſurum reſpondit,quicquid verò illis diſſimulato habitu nequaquam nomen profitentibus, dum in Pado nauigarent,præter ſpem accidiſſet, iniuſſu ſuo & ſe ignaro penitus accidiſſe.proinde ſi admiſſi facinoris authores indicarent,eos omnino comprehenſurum,et ad ſupplicij pœnam Gallis traditurum. Res vti in Pado acta erat, per nautas indicata non obſcuram habebat coniecturam: neque Paulus

induciarum, quarum ipſe ad Niccam author extitiſſet, diſceptator eſſe poterat. Quoniam de his an ſtarent, vel eo ſcelere violatæ eſſent, iudicium ferre intempeſtiui atque omnino ancipitis negotij res fore videretur. Facilè demum fuit Pontifici optimis literis ac humanis rebus vehementer erudito, apud Cæſarem in tanto præſertim recentique ad Budam accepti vulneris dolore, ſingulas plagas, quas nobis Barbarus hoſtis inflixerit enarraſſe, oſtendiſſeque pericula, quæ affectæ ruentique Reipublicę de cœlo imminerent: poſtquam infami contumacia ad exitialem inſaniam, dum priuatas rationes inteſtinis armis tuemur, ruina publica oppreſsi perituri ſimus. Erant non iniquæ pacis conditiones, & Carolo quidem Sabaudio longè gratisſimæ, quibus Franciſcus pro Carolo filio Mediolanenſe imperium præcipuo Cæſaris munere depoſcebat, quum inde demum cunctas Galliæ facultates, & copias ſacro indicto bello collaturum profiteretur. Contrà Cæſar iratus Gallo toties, victo ac tum indomitos ſpiritus gerenti, quid antiqui & recentis ſui iuris, quid deniq; ſuæ ſecuritatis ac dignitatis foret grauisſimè diſſerebat, inuidere prorſus Fortunæ ſuæ Gallum cæco liuore corruptum, qui perturbare omnia, impedireque victorias ſolennibus votis piè conceptas, & denique Barbaris ad communę excidium irrupturis viam ſternere mallet quàm ipſum pati verè eſſe Cæſarem, Auguſtoque in Italia imperio potiri: ad quod non ambitioſis armis, ſed optimo iure et præclara atque inopinata quidem hæreditate peruenerit. Neque ſe adeo Italicarum rerum imperium, aut ignarum Gallicæ conſuetudinis, vt ſi Mediolano liberaliter decedat, minimè timendum exiſtimet, quin à Gallis noua ſemper ac immoderata cupientibus reliqua Italiæ atque Siciliæ imperia protinus inuadantur. Eam enim, inquit, pacem ſemper optauerim, quæ ad honeſtum decus perſequendis Barbaris occaſionem aperiat, non quæ ad inſignis ignominiæ nomen intempeſtiuè liberalem auitis regnis expoliet. Pontifex vbi nihil de pace impetrauit, ſuadere conatus eſt, vt quas in Africam copias eſſet traiecturus, poſtpoſita nauigatione Turcis opponeret, ad fratris Auſtriæque præſidium, ſi ea recenti victoria Solymanus vteretur. Sed Cæſar fatali innixus conſilio in ſententia permanſit: nihilque magis eo colloquio decretum eſt, quàm vt concilium, quod petebat Cæſar, & Pontifex vti rectè peragi poſſet exoptabat potius quàm ſperabat, in annum ſequentem indiceretur. Id verò decretum plerique diuinarum ac humanarum rerum vſu periti, & libero voto publica tantum commoda reſpectantes intempeſtiuæ atque præpoſteræ voluntatis eſſe iudicabant: quando nihil abſurdius videretur, quàm vnum in locum atque conſenſum totius Chriſtianæ profesſionis antiſtites euocare, qui de ſacris dogmatibus morumque cenſura conſtituant, priusquam inter reges poſitis odijs humanarum rerum controuerſiæ finiantur. Expetendam enim prius atque parandam pacem, maturæ demum ſalutarem ſynodum fœlici fœtura parituram. Propterea non temere veteris ſeculi patres regesque illuſtri pietate ad cœleſtia bona potius quàm terrena ingentibus animis anhelantes, pacem optimam optimæ & iuſtisſimæ parentem appellauiſſe, quum tranquillæ & ſecuræ pacis beneficio coeuntibus regibus plures ſublatas hæreſes infinitaque Reipublicæ vulnera, concilijs vbique terrarum celebratis, obducta atque ſanata meminiſſent. Quas enim vel odiorum nubes, vel bellorum tempeſtates, Claramontenſis ſynodi ſerenitas non diſiecit & depulit? quem demum dignitatis amplitudi-

amplitudinis & gloriæ prouentum Chriſtiano nomini non attulit? Sed tum in ſacroſancto Pontifice ſumma vigebat authoritas, religioſa populorum omnium veneratione conciliata, corroborataque maximorum regum obſequijs, ac ardentibus ſtudijs: ita vt illi Gottifredum ad Hieroſolymas ſacra vadentem via ſubſecuti, verè Chriſtiani Heroes, Federicus Ænobarbus imperator, Ludouicus Galliæ, Richardus Angliæ, & antè eos Boemundus Apuliæ reges, milleque alij reguli magnitudine animi maximis pares, auita regna facilè contempſerint, de iure ſuo deceſſerint, lites & grauiſsimas vltro ſimultates Reipublicæ condonarint, quæſitæ ſcilicet pacis laudem odiorum libidini tactis religione animis præferentes. Quoniam haud dubius in cœlum aditus mirifica pietate, & decora bellicæ virtutis monumenta æternis eorum nominibus pararentur. Sed illi non ideo ad Niceam, de Turcis, de Perſis ad Antiochiam, & de Saracenis ac de Ægyptijs ad Hieroſolymas Chriſtiana trophæa defixerunt, vt cum ſummo dedecore, pudoreque huius ſeculi, ſucceſſoribus ſuis dementiam, impietatem, atque ſecordiam exprobrarent: quando ab illis glorioſè parta, & iampridem fœdè amiſſa recuperari poſſe diffidimus, nec iam in tanta noſtra deſidia, tantoque Barbarorum audaciæ ſucceſſu, auerſis à pietate atque concordia omnium animis, patrimonia, aras, & penates ſatis alacriter tueamur. Cæterùm Pontifex, Deum maximum diuosque omnes de more, vt nauiganti Cæſari fœliciter aſpirarent, ſuppliciter precatus, quum Octauium Farneſium ad ponendum militiæ rudimentum in ſoceri Cæſaris contubernio, ſtudij ſui atque beneuolentiæ obſidem collocaſſet, per Piſtorienſes montes Bononiam contendit, atque inde per Æmiliam atque Flaminiam modicis itineribus in Vrbem eſt reuerſus. Interea Cæſar Italicis cohortibus, quas Camillus Columna, & Auguſtinus Spinula ſubitario delectu conſcripſerant, atque item ſex millibus Germanorum, quorum duces erant Georgius Ratiſponenſis, et Baro Seiſnecus natalium claritate nobilior, in oneratis naues diſtributis, è Lunenſi portu ſoluit, cum triginta qinque roſtratis nauibus, edixitque magnorum nauium magiſtris, vt ad Baleares inſulas curſum intenderent. Sed in altum prouectas quum oborta tempeſtas in conſpectum Corſicæ detuliſſet, atque ita diſieciſſet, vt per biduum aberrarent, Cæſar mitioribus demum ventis in Syracuſanum portum, quem hodie ab oppido præciſæ rupi impoſito Bonifacium vocant, claſſem intulit. Id oppidum in extrema parte inſulæ Sardonio freto imminet, deſpectatque Sardinam modico traiectu in auſtrum exporrectam. Collectis demum nauibus & pacato mari ad Hypſitanas aquas flumine Thyrſo portuque & Algarenſi noua vrbe nobiles prouectus eſt. Eo quo appulit die, bicipitem vitulum agreſtis mulier Cæſari dono obtulit, auerſantibus cunctis id monſtri omen, poſtquam in primo curſu venti inſtabiles oſtentatæ ſerenitatis fidem improbè fefelliſſent. Inde quoque quum Baleares peterent, alteram ab Africo ſubijt procellam, prima quidem labore atque periculo ſæuiorem, quum fractis quorundam antennis velisq; diſcerptis per aduerſus fluctus longa vehementique remigum defatigatione in minoris inſulæ portum, Barchini Magonis nomine celebrem, contendiſſent. Ab hac demum Cæſar in maiorem Balearem tota claſſe traiecit, ſingulari affectus lætitia, quod Ferdinandus Gonzaga, Siciliæ præfectus, per opportunè cum Siculis triremibus onerarijsque Italicis centum quinquaginta nauibus appulerat, is nautici præſertim panis &

reliqui commeatus ingentem copiam, vel longo bello ſuffecturam attulerat. Expectabatur autem ab Hiſpania cum ſua claſſe Mendocius, ſed ille Cori flatibus coactus, quum imperatæ nauigationis curſum tenere nequiuiſſet, vltimi conſilij propoſitum ad tempeſtatis occaſionem flectens fœlici compendio Algerium rectà contenderat. Ita Cæſar diligentiæ Mendocij nihil diffiſus, ratusque id omnino eueniſſe quod acciderat, hortante Auria ſecundo vento vela dedit, biduique nauigatione Algerium peruenit. Quum appropinquaret claſſis, admirabilique ordine expanſa atque directa in conſpectu hoſtium conſtitiſſet, duæ prædonum biremes, quæ ab oriente Algerium petebant, à promontorio oram legentes imprudenter in ſinum delatæ ſunt. Earum maiorem Viſcontes Cicada trierarchus roſtratæ ſuæ nauis ictu demerſit, altera veloci remigio incitata intra portus molem incolumis euaſit. Mendocianæ interim triremes promontorium Apollinis, quod hodi Caſſineum vocatur, ſuperantes, magna lætitiæ ſignificatione diſploſis omnibus tormentis Cæſarem ſalutarunt, et ſubſequentem Hiſpanicam claſſem non procul abeſſe nunciarunt. In ea erant Cantabricæ Belgicæque naues magnæ ſupra centum, ſed multò plures lenunculi, quos Hiſpani Scarzapinos vocant. Suſtulerant autem præter peditum cohortes, magnum equitum numerum ex totius Hiſpaniæ iuuentute: nam plerique nobiles, neque conſcripti, neque nominatim euocati, ſed priuato ſumptu armis & equis liberaliter inſtructi, vt Reipublicę operam præſtarent, naues ſumma alacritate conſcenderant. His præerat Ferdinandus Toletanus Albæ regulus, non modo ſua virtute ſuperioribus bellis inclytus, ſed priuato & quidem pernobili voto perilluſtris. ingenti namque pietate magnitudineque animi excitus, Garciæ patris mortem vltum ire properabat: hunc enim in Mœnice inſula ad Gerapolim, contra Pœnos occubuiſſe docuimus. ceterùm hęc omnia nauigia velis agebantur, neque ex malacia promontorium ſuperebant. Iam enim venti ſumma ſerenitate inuecta perflare deſierant, ſed à recenti tempeſtate mare commotum & vehementer adhuc fluctuoſum ita planis litoribus allidebat, vt nullo pacto exponi milites in ſiccum poſſent, niſi vmbilicotenus marinis vndis ablueruntur, quo incommodo milites affici nolebat Cæſar, ne per ſe tædio maris atque nauſea confectos repentinis ac audacibus Barbaris etiam madidos atque rigentes obijceret, & Hiſpanos quoque duabus de cauſis expectandos iudicabat, vt vniuerſis admotis copijs cum maiore vi tum maiore etiam ſpe victoriæ oppidum inuaderet, & communicare integram rei gerendæ laudem Hiſpanis vellet, quorum precibus ſtudioque & inſigni liberalitate adductus bellum ſuſcepiſſet: ſed ea vel bidui tantum fatali mora, quanquam rè recta atque honeſta ratione duceretur, non exploratam modo victoriam interpellauit, verum ingenti noſtrorum incommodo ſæuituræ Fortunæ occaſionem aperuit. Interea Cæſar idoneum hominem ad Aſanagam cum mandatis miſit. Is ſignificatione facta paritèrque à Mauris reddita (excuſſo enim linteolo fiebat, vt colloquendi cauſa in portum tutò deſcendi poſſet) humaniter admiſſus poſtulauit, vt oppidum vi & fraude ab Horuccio occupatum, & demum ab Hariadeno Barbaruſſis fratribus ad perniciem humani generis communitum, extemplò dederet Carolo Cæſari terrarum domino, qui immanium prædonum vltor aduenisset. Id ſi faceret, & Turcis abeunde quò vellent, & Mauris incolis incolumi omnium Fortuna, ſuis lagibus viuendi po

teſtatem

teſtatem fore: ipſum porrò ingentia bello paceque præmia laturum, modò ſe in Sardinia natum, & ſacro ablutum baptiſmate meminiſſet. Pulcherrimam enim offerri occaſionem, quæ ad veri numinis cultum redire, maximique obiter imperatoris fidem & liberalitatem complecti poſſet: ut de crudeli tyranno exactæ virilitatis iniuriam vindicaret. Quòd ſi cunctandum, & vim tanti apparatus expectandam arbitraretur, incluſos proculdubio eundem pertinaciæ exitum laturos, quem funeſto exemplo ad Tunetum pertuliſſent. Ad ea Aſanagas reſpondit, inſanum omnino ſibi eum videri, qui oblata ab hoſte conſilia ſequeretur: interrogavitq; renidenti ore, quânam fiducia adductus Cęſar, oppidum expugnare poſſe confideret, quum ille extemplò hoc, digito oſtendens claſſem, quem videtis, tormentorum apparatu, veteranorumque peditum ac equitum virtute reſpondiſſet: & nos quoque in riſum effuſus ſubiecit Aſanagas, pari præſidio atque artificio mœnia defendemus, ut locum binis iam veſtris cladibus nobilem, nova Cęſaris calamitate clariſsimum reddamus. Erat enim vulgatum Algerij anum grandævam magicis artibus & mirabili vaticinio maximè celebrem, quæ antea Didaci Verræ & Vgonis Moncatæ naufragia & clades prædixiſſet, Algerianis publicè dixiſſe, ita ut oraculo tempus præſcriberet, quo Chriſtianus imperator oppugnare oppidum auſus, ab infœlici conatu, magnam terrà & mari calamitatem eſſet aditurus. Eius autem vaticinij famam in ſpem ſecundi eventus confirmandæ multitudini opportunam, ita alebat ac excitabat Aſanagas, quanquam magicas vanitates aſtuto militarique ingenio non admitteret, ut non iam erigere ſuorum animos: ſed noſtrorum quoq; mentes, quum ſe importuoſo in litore in hyemem coniectos perſpicerent, terrere videretur. Erant in præſidio Turcæ tantùm octingenti, ſed magna ex parte equites, ſummæ ſpei ſummique roboris manus. ad paucos enim Aſanagas erat redactus. nam multi viri fortes Mendociana, ut diximus, navali pugna perierant: multi cum Draguthe archipyrata, ab Aurianis in Corſica capti fuerant: deleverant & aliquot eorum navigia varijs in locis Rhodiæ, Neapolitanæ, Siculæque triremes: ſed multo plures etiam deſiderabantur; qui tum forte ipſius permiſſu aberant, & apud Sciriphum interioris Mauritaniæ regem religionis authoritate ac armorum gloria florentem, adverſus Luſitanos ad Athlanticum Oceanum militabant. Reliqua multitudo vix quinque millium numerum implere ferebatur. Conſtabat autem partim ex Mauris indigenis, partim è Granata Bæthicæ oriundis: accedebant & multi è Balearibus inſulis; qui ſuperioribus temporibus cœpta rebellione ob idque pœnam timentes ad Mahometanos ritus confugiſſent. Sed Numidarum duces magnum equitum & peditum numerum effecerant, qui extra urbem vagi patentibus in locis noctu ac interdiu laceſſentes noſtrorum agmina perturbarent. Hos diligenter Aſanagas propoſita mercede miſsiſque muneribus ad opimæ ſpem prædæ ſuopte ingenio nobis infenſos è proximis regionibus evocarat. Neque cuiquam vel parvos liberos vel uxores ex oppido in tutiora loca & remotas arces educere, aut ulla omnino ſigna timoris dare liberum fuit, indicta ſcilicet ſupplicij pœna, ſi quis animo conſternatus, parum alacrem in periculo oſtendiſſet vultum, aut minus virilis conſilij vocem edidiſſet. Cæſar per Auriam exploratis litoribus ab occidentali parte, quæ frequentibus ſcopulis erat incommoda, & ſuperioris naufragij recordatione infauſta videbatur, ad tutiorem ab Oriente ſtationem claſſem appli-

cuit: eo ad deſcenſum ordine conſtituto, ut ſexaginta roſtratæ onerarias ſubeundo demittentes ſe milites exciperent, exceptosque ſtatim ſcaphis, actuarijsque naviculis imponerent, à quibus in litus continuò deferrentur. Tanta autem fuit in obeundo munere omnium diligentia expeditaque celeritas, ut quum inſilientium multitudini plures ſcaphæ, inter ſe alacriter officijs certantes, abundè ſuppeterent, peditatus omnis, nihil præter arma ferre iuſſus, momento temporis in litus deſcenderit. Cæſar quiete & cibo recreatis militibus tres acies numero militum pares inſtituit: erant enim præter equites, & evocatos, ac officio & voluntate auctoritatem atque fortunam Cæſaris ſecutos, circiter viginti millia deſcriptorum peditum: ſingulis autem aciebus terna currulia tormenta ad deterrendos procurſantes Numidas attribuit: progreſſusque inde aliquot ſtadia non procul ab oppido conſedit loco tuto atque opportuno: nam caſtra ea ratione locata erant, ut binis utrinque foſsis natura munirentur, quas delapſi iugis torrentes, ſicuti repentinæ aquæ fert impetus, adeo profundè excavarant, ut ſubter exeſis defractisque marginibus, neque equiti, neque pediti commodus niſi per pontem tranſitus daretur: ad levam porrò ita aſſurgebat collis, ut eductis in verticem tormentis interiora oppidi ædificia dirui atque infeſtari poſſe viderentur. Algerium olim Iubæ regia, uti alio loco diximus, à Romanis Cæſarea Iulia vocata, in tergo aſperos & excelſos habet montes: directa autem muri fronte ad ſeptentrionem mari alluitur. Inſula verò parva, arce nuper inſignis, eam Hiſpani Pinnonem vocant, obiecta oppido portum efficit, ſed neque tutum à Borea; neque multarum navium capacem, quanquam Barbaruſſa, uti alibi meminimus, erepta Hiſpanis arce atque ea diruta ad inſulam egregio conatu molem adiecerit, ut continenti iungeretur, quum translatis in id opus è claſſe Chriſtianis remigibus ingentes lapides è Tipaſæ ruinis aſportaſſet. Cæterùm oppidi mœnia ſenſim educta in colles ad meridiem: ita molli flexu cuneantur, ut erecti trianguli faciem procul oſtendant. in ſummo enim faſtigio propugnaculum inductæ calcis albo conſpicuum ad parvæ arcis & ſpeculæ ſimilitudinem exurgit: privata autem introrſus ædificia, quum à planiore iuxta litus regione ſenſim recedant, in montem veluti extenduntur, decenti vel ob id ſerie, quòd ſupra tecta ſingularum ædium alienis extantibus feneſtris ſubiecta maria deſpectantur. Curvatur autem litus lunato flexu ab oppido ad promontorium Mataſuſium, in quo antiquæ urbis Tipaſæ, quondam à Romanis Cæſaribus Latij iure donatæ, extantes adhuc reliquiæ viſuntur. Toto autem eo tractu oblonga, ſed anguſta planicies extenditur. nam ubi à litore aliquot ſtadijs receſſeris, ſenſim enaſcentes tumuli deſinentem planiciem excipiunt. inde enim tota regio innumeris collibus intumeſcit, abſceditque ſenſim augente natura in altiſsimos montes, qui longa ſerie oppidum à tergo præcingunt. Vlteriora ad Numidas pertinent, qui more ſuo divagantes translatis armentis atque mapalibus non infertiles agros, conceſsis ad annuam quietem glebæ inducijs fœliciter arant, & multo pecore, quo uno ſummæ eorum opes cenſentur, herbidi ſoli campos depaſcunt. Cæſar tribus per nationes diſtinctis caſtris, ab oriente oppidum complexus, in maximam ſpem veniebat expugnandi oppidi, quòd ſibi ad eam partem tormenta producere, atque acriter oppugnare ſtatuenti claſſem magno uſui futuram iudicabat, quum è triremibus, ſummiſque malis atque carcheſijs magnarum navium

propugnantium hoſtium latera ex obliquo tormentis peti poſſe proſpiceret: murus enim per acclivia perpetuo collis dorſo erectus, uno extructo aggere, ſicuti planis in locis opportunè fieri videmus, neque protegi, neque defendi poterat. Hiſpani ſub præaltis montibus editiora loca tenuerunt, circa medios colles Germani iuxta prætorium conſedere: Itali autem planioribus locis ad mare, ac ideo portæ oppidi magis propinquis. Interim dum tormentorum apparatus adminiſtrante Petro Cova, qui ei negocio cum imperio pręerat, navibus educitur, & equi per trochleas moliendo ſuſpenſi, demiſsique funibus exponuntur. Numidæ in ſummis montibus ſupra Hiſpanos magno clamore edito ſe oſtenderant, omni telorum genere deſuper ſubiectos facilè ferientes: notis enim montium tramitibus ſe demittebant undique veloces & repentini, ſed more gentis procul laceſſendo potius quàm cominus urgendo pugnam ciebant, quibus præliolis toto integro die ad noctem uſque certatum eſt, nullo quidem periculo, ſed longa Hiſpanorum defatigatione. nam inductis etiam tenebris Barbari, alij alijs ſuccedentes, neque à loco, quem inſederant, neque ab inſtituta iaculandi conſuetudine diſceſſerunt. Vbi enim excitati ignes viſebantur, in eas continuò partes magna vis telorum, lapidumque præſertim modò grandinis effundebatur: cui incommodo noſtri extinctis repentè ignibus occurrebant, ſilentio expectantes lucem, ut tandem collato pede certaretur. Ita ſub exortum Solis cohortante Alvaro Sandeo caſtrorum magiſtro Hiſpani vel per ardua atque impedita fortiter enitentes deiectis, pulſiſque Numidis montium vertices occuparunt, nactique paſtorales caſas, ad quas in ſpeciem munitionis ſe reciperent, conglobati conſtiterant. Eo die tanta confluxit Numidarũ multitudo, ut noſtri penè circumventi, quum duas acies feciſſent, in orbem pugnare cogerentur. Sed Sicilienſium cohortium virtute Numidarum audacia premebatur: haſtati enim fulgentibus galeis atque thoracibus muniti, iacula facilè contemnebant, & ſclopettarij a lateribus inſultantes, plumbeis emiſsis glandibus avertebant. Numidæ pedites è iuventute deliguntur, ſeminudi, promiſſa cæſarie, nihil præter iacula geſtantes, equitibus ſe permiſcent, atque ita mutuo confiſi præſidio rem gerunt, tantaque pedum velocitate congreſſus noſtrorum devitant, ut à ſtatarijs non facilè vulnerarentur. Equitum verò pręlongas & præfixo utrinque ferro ancipites lanceas, ad averſos etiam ictus arte mirabili quaſſantium ea erat agilitas, ut nemo noſtrorum acie excederet, quin ſtatim interceptus lethali cuſpide figeretur, ſcutis ad effigiem cordis è corio oblongis & levibus ſeſe atque equum in occurſu receptuque uſque adeo habiles protegunt, ut exiguo ſummi periculi præmio ad condictum propoſito, ſeptena iacula intorquenti ſe offerant, ſingulaque vel haſtæ celeri commotione detorqueant, vel ſcuto in obliquum exporrecto certiſsimè declinent. Interea dum Numidæ in noctem uſque ex omnibus locis decurrendo ante caſtra volitarent, & cuncta apud noſtros, quæ bellica ratione inſtitui explorarique poterant, egregiè proviſa viderentur, fortuna Chriſtiano nomini multò quàm unquam anteà gravior ac infeſtior ſpes Cæſaris interrupit. Ipſo ſiquidem tormenta, equos, commeatus, ac impedimenta exercitus expectante, imber à prima ſtatim vigilia maximè gelidus ac procelloſus adeo intempeſtivè & graviter eſt effuſus, ut quum tota nocte nihil remitteret, totus exercitus ingenti accepto incommodo perfunderetur, turbulentiſsimaque obiter tempeſtas mari repen-

tè orta, claſſem iactatam immenſis fluctibus compulſamque vehementer ventorum turbine, miſerabilis naufragij periculo in litus adigeret. Excubabant extra caſtrorum foſſam, quam lapideo ponte iunctam diximus, tres Italicæ cohortes, quas Camillus Columna medijs fermè ſpacijs ab oppido & ponte inter accliues tumulos ficus arbuſculis conſitos ita collocarat, ut ſenſim per ardua collium extenſis manipulis ad Germanos uſque pertinerent. Eæ quum denſiſsimæ pluviæ, ſævique frigoris iniuriam tolerantes integram noctem in ſtatione perſtitiſſent, tot malis uſque adeo confectæ ſunt, ut nec afflictis corporibus animos, nec corpora languentibus animis ſuſtinerent. neq; enim vel ſtare, vel humi procumbere facultas dabatur: quum eius ſoli plana pariter atque ardua præalto & lubrico cœno, quod ad ſuras uſque impreſſa veſtigia devoraret aut eluderet, impedita tenerentur. In has cohortes inalbeſcente cœlo Turcæ equites, Mauríque pedites intermixti, qui ſumma vigilantia noſtras ſtationes obſervabant, intellecta occaſione celeriter eruperunt, tantaque vi undique magno clamore edito ſagittis, iaculis, & multò maximè lapidibus adorti ſunt, ut quum iam à pluvia extinctis funiculorum ignibus lagunculiſq; ſulphurei pulveris madefactis ſclopettorum uſus penitus eſſet ereptus, pauci haſtati ingruentium impetum ſuſtinerent, & reliqui omnes in fugam verterentur. Sed conſiſtere auſos ab longa utique vigilia ac inedia ſemivivos, algoreque trementes Turcæ celeriter obtruncarunt, interfectoque ſignifero Celleſiæ cohortis, vexilloque diſcerpto, fugientium tergis inſtiterunt, tanta audacia perſequendo cædendoque, ut quum trepidos in caſtra compellerent, nonnulli hoſtium foſſam ſuperarint, ad tabernaculaque pervenerint. ex his præferocem Maurum cominus congreſſum Lucidus Romanus quanquam ſauciatus fortiter interfecit. Exaudito fugientium tumultu Camillus à Cæſare miſſus protinus eò devolarat, conglobataſque aliquot cohortes ultra pontem in hoſtes eduxerat, Barbarique iam confirmatis noſtrorum animis repulſi atque impetum remittentes, veri aut certè ſimulati timoris & tumultuarij receptus ſigna dabant: quum Ferdinandus Gonzaga, cuius prima ſecundum Cæſarem in exercitu erat authoritas, iratus cohortibus loco pulſis ſupervenit, cohortatusque viros fortes, ut fugæ dedecus nobili conatu diluerent, in hoſtes impetum facere atque acriter perſequendo intra portas compellere iuſsit: id verò Columna niſi magno cum periculo fieri poſſe teſtabatur: ſed Gonzaga generoſi ardoris plenus vel iniqua ſorte, gravique periculo ignominiam Italis omnino demendam exiſtimabat, irrumpendi in oppidum occaſionem dari poſſe ratus, ſi coniunctis in fugam Barbaris intermixti tutique ob id à tormentis ad portam incitato curſu convolarent. Nec mora cohortes duce Auguſtino Spinula magna alacritate, magnoque impetu hoſtes invadunt, in fugam concitant, cædendoque terga intra portam compellunt, tanta vi celeritateque ut noſtri obductas repente valvas in porta contingerent, & multi hoſtium excluſi, notis itineribus ad averſam portam, & in montes elaberentur. Tum verò Barbari ex ipſa muri corona in temerè progreſſos omnis generis tela & tum maximè lapides iacere, ſauciare, ſternere, terrereque clamoribus, & illi qui extrinſecùs refugerant ad pugnam reverti: porrò qui portam clauſerant, rurſus erumpere, & hærentes noſtros aut ſe recipientes adoriri. Neque Italis, quum calentibus animis adveniſſent, vigoris conſtantia deerat, ſi tutam ad receptum viam Fortuna reliquiſſet: miſsilibus enim obruti

ſtrati-

ſtratiſque tormentis, uti in ipſo conatu ſpe deceptis facilè accidit, conſilij inopes, ora atque animos in fugam verterunt, non confertis quidem: ſed per diverſos calles diſsipatis agminibus. Erant enim tyrones collectitij generis ſubitario delectu feſtinante Cæſare in unum coacti, ita ut milites inter ſe ignoti eſſent, nec in una legione à quoquam alienæ cohortis centuriones atque ſigniferi noſcerentur. Ita peropportunè erumpens Aſanagas, qui ex oris habitu cultuque regio facilè noſci poterat, immiſsis Turcarum turmis & Mauris peditibus noſtros in fugam præcipites egit, uni ferè omnium Rhodij equites, qui ſub navali vexillo pedibus pugnabant, egregiè repugnando per ſinuoſas convalles conſtantiſsimè ſe receperunt, amiſſo ſignifero atque aliquot fortiſsimis viris, qui punicea in veſte candida cruce prætexta galeati toracatique in poſtremo agmine conſtiterant, ſed perſequentium Barbarorum vim ac inſolentiam paucorum veteranorum mirifica virtus retardavit. In his fuère cum ipſo Spinula Franciſcus Balneus nobiliſsimè ſtirpis è togata Gallia cohortium præfectus, Titus item Amerinus, & M. Antonius Porretanus, qui ad ligneum pontem (is non longè à porta diſtabat) intrepidè conſiſtentes excepta thoracibus iacula in hoſtes remittendo, haſtiſque maioribus provectos & inermes fodiendo aliquot acceptis illatiſque vulneribus ſpatium fugæ, & ob id multis ſalutem pepererunt, ſed ea erat inæqualis & lutulenti loci diverſitas inter cavas vias & tumulos ad mare declives, ut Barbari regionis uſu periti, undique validè ac intemperanter urgerent, intermixtique noſtris, & à ſuis interclusi, ubique tumultuoſiſsimo & noſtris iniquiſsimo pugnæ genere verſarentur. Erant Barbari cum numero peditum & telorũ genere, tum locorum notitia opportunitateque pluviæ & tanto caſu obortæ tempeſtatis, ac ipſa denique Fortuna noſtris ſuperiores, quum ſclopettarijs, in quibus ad non dubiam hoſtium perniciem certa ſpes victoriæ poſita videbatur, ab imbre diſplodendi facultas eſſet erepta, & pedites Mauri baliſtis arcuferreis, more iam apud noſtros exoleto, veruta vel loricatis lethalia, & arcubus frequentes ſagittas intorquerent, pavoreque & curſu pariter exanimati noſtri pedites ab inſultante Turcarum equitatu ſternerentur. Eo modo noſtri qui ab initio audacius procurrerant, quum noviſsimi agminis in receptu facti eſſent, cædente terga hoſte, quinque ſtadiorum iter ignobili cadentes morte cadaveribus compleverunt, atque hi ante alios qui ad mare ex fuga deflexerant. ibi enim à Numidis, qui conſpecto claſsis naufragio ad prædam devolarant, circumventi trucidatique ſunt. Sed prima noſtrorum agmina tanta trepidatione ad lapideum pontem, & ad caſtra fugam intenderant, ut nemo ducum in tanta & repentina rerum iniquitate publicæ ſalutis & militaris conſilij rationem perturbato animo retineret, & Dijs iratis cuncta ad ſummam cladem terra marique uno tempore deleta crederentur. Verùm ipſe unus omnium Cæſar adverſus omnem urgentis Fortunæ contumeliam invictus & intrepidus, ſibi atque alijs eo die ſummus imperator fuit: quum perditis prope rebus opem ferens, opportuniſsimo tempore cum Germanorum legione decurriſſet, præmiſsis è legione tribus vexillis, quibus fuga ſiſteretur, & caſtra certo recentique præſidio ultra pontem firmarentur: ſed tantus fugientium animos pavor occuparat, tantuſque erat incumbentium Turcarum impetus, ut Germani non temerè aliàs terga hoſti dare ſoliti, tanquam linteata capita formidantes, neque aſpectum oculis, neque arma hoſtium firmis pectoribus ſuſti-

nerent, ſed continuò fœdè converſi eodem fugientium agmine raperentur. Tum vero Cæſar provectus equo diſtrictum tenens gladium & fugam increpitans, phalangem promovit, oreque maximè celſo ac impavido, Germanica utens lingua: Quando, inquit, commilitones inſultanti hoſti frontem oſtendetis, ſi quum in veſtigio pro dignitate Chriſtiani nominis, Germanicęq; gentis gloria, & pro ſalute omnium ſit dimicandum, præſente Cæſare, paucóſne & inconditos inermesque Barbaros timetis? Nec mora quum hæc diceret, ad non dubij pudoris motum exorto alacri fremitu, indignabunda legio, quòd ad præſtandam operam cohortatione indigere videretur, ſeſe contra hoſtes effudit. Eius adventu permoti Barbari, & quòd iam nobilium ducum virtute Italica acies planè reſtituta ſpectabatur, ſubſiſtere pedemq; referre cœperunt: ſeu veriti tormenta curulia impreſsionemque noſtrorum, ſeu ſe ſatis eruptione profeciſſe iudicantes, quum ad ſummã confecti belli victoriam, horribili tempeſtate quaſſatam claſſem perire conſpicerent, & multi, Mauriq; præſertim, ad ſpem certioris prædę, ubi nullum omnino periculum ab hoſte foret, ad ſubiecta litora properarent. Inuſitata enim & planè fatali diverſorum ventorum coniuratione, ad ciendam atrociſsimam tempeſtatem, uſque adeo mare commotum intumuerat, & totis litoribus immani fluctuum repercuſſu frangebatur, ut iactatæ naves nutantibus malis atque inter ſe proris adverſis ac puppibus fervente æſtu concurrentes, anchorarios funes & quoſque validos rudentes abrumperent, colliſæque demum atque diffractæ ſpectante exercitu mergerentur. Eundem quoque tempeſtatis caſum tulère Hiſpanicæ naves, & ad unum Scarzapini omnes, quæ Caſsineum ſuperare nequiverant. Ita ut totum id litus ab occaſu ad Cercellum uſque oppidum, quod paucis ante annis Andreæ Auriæ infelici conatu noſtris cognitum à Turcisque poſſeſſum ſuo loco diximus, eiectarum navium fragmentis ac hominum & equorum cadaveribus ſterneretur. Numidæ enim alij atque alij pariter è montibus conſpecta noſtræ claſsis calamitate celeriter ſe demiſerant, neque inermibus eiectitijs neque fœminis parcentes, ſecus ac Cercellani Turcæ, qui enatantes vel avarè, vel humaniter ad ſervitutem conſervare, quàm interficere malebant. Periêre paucisſimis horis circiter centum & quadraginta navigia, quæ ſine remigio quadratis velis agerentur. Roſtratæ porrò quum à media fermè nocte in multam diem pertinaci remigum contentione & magiſtrorum diligentia in anchoris perſtitiſſent, neque diutius tempeſtatis iniurias ferre poſſent, obruique timerent, iacturam triremis facere ac ſeſe in litus remis & velis vehementer incitare minimè dubitabant. Sed enatantes a Numidico equitatu totis diſcurrente litoribus, ſemivivi & fruſtrà ſe dedentes in ipſo ſalutis limine cædebantur. In his Lazarus Amarcus è Genua nobilis trierarchus eſt interfectus, videreq; erat omnis generis liberos oblata ſervitute ſervis remigibus Barbaris ſalutem cum fletu commendantes, ut illorum qui modò converſa Fortunæ conditione cathenas ad tranſtra reliquerant, & ad libertatem exultanter enatabant, ſignificatione & vocibus à Numidarum ſævitia tegerentur. Eratque ſpectaculum diverſis caſibus valde atrox & ubique maximè funeſtum, quum quiſque pro animi habitu, natandique peritia in ipſo certæ cladis ancipiti metu, dum genus mortis præoptat aut refugit, vel merſus undis, vel hoſtili lancea transfixus, ad ſuum omnino vitæ finem deſtinante fato raperetur. Nemo tamen erat, qui non maximè cædem &

vulne-

vulnera perhorreret, naviſque diſcrimen, & tempeſtatis eventum expectare, quàm prævenire vitæ exitum mallet. Eo modo facilè accidebat, ut ea immanis hoſtium ſævitia, uti vehementer reformidata nautis atque vectoribus, multas triremes, quæ ad naufragium decreto atque incitatione paventium litus appetebant, aliquandiu conſervaret. Sed poſtquam roſtrata inſignis, qua Ianettinus Auria vehebatur, uti maximè propinqua litori cohærentiumque triremium pulſata ictibus propelli ac arenis impingi conſpecta eſt, non ſuſtinuit Cæſar, ut ſpectatæ virtutis iuvenis, & præfectura multarum trirmium clarus, nullo ferente opem in oculis ipſius avunculi Auriæ à Barbaris trucidatus interiret, ſtatimq; Antonium Aragonium cum tribus Italorũ cohortibus ad litus miſit, quarũ adventu coniectis in fugam Numidis ille quidem ita ſervatus eſt, ut eius ſalutem aliquot triremium iactura ſequeretur: multi enim Numidarum timore liberati, confiſique præſidio, ut ſe quoque maris periculo & tot tempeſtatis incommodis expedirent, proras in litus intulerunt, ac niſi aliquot intrepidi navarchi damni dolore ad acerbitatem & contumaciam ingenia vertentes, diſtrictis gladijs per foros diſcurrendo & mortem comminando, niſi remos inhiberent & ſe continerent, vectores & remiges deterruiſſent, maxima pars roſtratarum exemplo ſuperiorum omnino deperiſſet. Ipſe Auria non tam ſibi quàm Cæſari iratus, qui diſciplinæ navalis rationem & certos inclinantes autumni dies, navigantium obſervatione prædamnatos neglexiſſe videretur, incredibili animo contra tempeſtatem indomitus permanſit, ſuadentiumque preces, ut ſe conſervaret, adeo fortiter reiecit, ut eos acerrimis verbis tanquam publicæ ſalutis proditores ad imam carinam deſcendere iuberet. Pari quoque perſeverantia Virginij Vrſini Anguillarij quatuor triremes, totidemque Rhodiæ earum æmulatione, vincente metum pudore, & Siculæ aliquod ac Neapolitanæ atque Hiſpanicæ cuncta tempeſtatis incommoda fœliciter pertulerunt. Eo caſu quindecim omnino triremes deſideratæ ſunt, quarum detrimento ſupra tot navium onerariarum naufragia, etiam tum ſæviente ventorum rabie, tantus cum luctu dolor, tantaque rerum deſperatio, in valde lugubri ſupremæ cladis expectatione, totum exercitum occupavit, ut nedum tyrones & milites de ſua tantùm vita ſoliciti, ſed longè fortiſsimi duces de publica ſalute cogitantes animos deſponderent. Nunquam enim ab ulla annalium memoria ullas bello copias graviore calamitatum concurſu, vel ſeipſa ſævior Fortuna perculerat: quum cibarijs omnibus eo triduo conſumptis, nullus quo tantiſper inediam ferrent, commeatus adeſſet, tabernaculaque deeſſent, quibus in tanta perpetui imbris iniuria, & lutulentæ regionis fœditate ad quietem labore, inedia, frigore, vulneribus, confecti milites tegerentur, in tantiſque demum incommodis ingens cura & præterito metu quidem acerbior, omnium mentes magnopere conturbarat, reputatione immanis naufragij, quum tot amiſsis navibus exoptatus in patriam reditus, in terram Africam proiectis & miſeris, fato Cæſaris interceptus eſſe crederetur. Afflictorum tamen ſpes, quas apud mortales nulla ſortis iniquitas penitùs abrumpit, conſtantia Cæſaris egregiè ſuſtentabat. Ipſe enim mirabili alacritate cuncta munia providentiæ militaris ac humanitatis officia cunctis invictus malis, & conſpectu maximè ſerenus adimplevit: nam poſtquam caſtra conſtitutis præſidijs atque vigilijs contra obſtrepentes Barbaros firmata ſunt, deſati-

gatis ducibus, imprimiſque Albanio in ipſo pugnæ tumultu magnopere ſeſſo, fœdeq; madenti, ut ſibi parcerent, quietiq; ſe darent, imperabat: ſolabatur ſaucios, ac in ea tabernacula quæ fortè ſubſtiterant (nam cuncta penè vis ventorũ everterat) referri foveriq; curabat, ut quum ſibi ipſi loricato madefactoq; non parceret, pleniore cum laude voluntates militum promereri videretur. Deſideravit eo die hoſtili occiſos manu milites circiter trecentos. In his cecidère præfecti, aut noti centuriones, Ioannes Calaber, Pancratius à Neapoli, Cancinius Ligur, Mirabilis Inſuber, & Iacobus Straſoldius è foro Iulio, è numeroq; Rhodiorũ equeſtris ordinis Didacus Hiſpanus, Georgius Arvernus, & Guido Roſcius Neapolitanus. Vulnerati autem multo plures ducentis, & in his Sulmonenſis princeps Philippus, Caroli Lanoij filius, ſub ilio ſagitta ictus: ſed maximum in demerſis nautis detrimentum acceptum eſſe cenſebatur, quorum iacturam innumerabilia tormenta ænea mari hauſta plurimùm augebant, & ob id cumulatiore damno, quòd in poteſtatem Barbarorum, quum pacatum mare urinantes admitteret, ad publicam perniciem perventura providerent. Nec multo pòſt Andreas Auria, uti erat in præſentiendis tempeſtatibus unicus naturæ maris, & cœli, nubiumque ſpectator, diffiſus loco, ad Mataſuſium promontorium cum claſſe ſe proripuit, quòd tutiorem ibi ſtationem & ſine crepidine litora ad conſcenſiones militum commodiora didicerat: commonefacto Cæſare, ut illuc terreſtri itinere contenderet. Ita Cæſar comprobato conſilio, ad ſublevandam inediam equos & primò quidem iugales ab initio trahendis tormentis ante omnes claſſe eductos, ac demum militares interfici iuſsit, cohortibusque diviſit. nam ad excitandos ignes ex naufragijs ligna affatim ſuppetebant, Fortuna veluti uno eo beneficio tot iniurias compenſante. Poſtridie Cæſar ab Algerio diſcedens, quum triplici agmine & ægris atque ſaucijs in medium receptis, ſeptem millia paſſuum confeciſſet, perſequente & circumfuſo undique Barbarorum equitatu, ad torrentem, quem Punica lingua Alcaraz vocant, pervenit. Is imbribus valde inflatus, retroq; ad oſtium ventis pariter, ac irati maris fluctibus compulſus tantùm excreverat, ut qui paulo antè humilem vel infirmo pediti vadum præbebat propter aquæ rapiditatem ac altitudinem, nec à valido quidem equite tranſiretur. Caſtra itaque eo loco atque ordine neceſſario poſita ſunt, ut quum trianguli formam referrent, eius duo latera utrinque mari & flumine: reliquum verò perpetua armatorum ſtatione munirentur, neq; enim à mari tanquam à certo ad levam munimento quærendis humilioribus vadis erat diſcedendum. Quamobrem multis tranare auſis, curſuq; amnis celeriter abreptis, Cæſar ex reliquijs navium malos ac antennas paſsim nactus, ſubitarij operis pontem perfecit, atque eo non omnino incommodè Italos atque Germanos traduxit: Hiſpani enim in ſuperioribus locis vix ſuras adæquantia profluentis vada repererant. Neque poſtea Turcæ, qui inſequerentur, conſpecti ſunt. revocarat enim eos Aſanagas perſequendi & laceſſendi negocium Mauris & Numidis relinquens, qui quum iam à ſclopettarijs currulibusque tormentis, quæ unicuique agmini gentique ad præſidium attributa fuiſſe diximus, egregiè peterentur, in ægros maximè debilitatoſq; vulneribus à noſtris deſtitutos, atrociſsimè ſeviebant. Nulli enim erant, qui inter anguſtas ſpes ſalutis, proprio metu occupati, alienę calamitatis miſericordia moverentur. Sequenti porrò die, ſuperato alio minore flumine, ita ut milites ſumma aqua pectoribus extarent,

tarent, tribus tandem caſtris ad claſſem eſt perventum, quæ quum Mataſuſij promontorij modico flexu tegeretur exercitus omnis in Tipalæ antiquæ urbis ruinis iuxta mare conſedit, loco ita opportuno, ut cadentium murorum reliquiæ ad admirationem Romanorum operum adhuc extantes, adverſus Barbarorum audaciam non inutile munimentum præberent. Iam mare remiſsioribus fluctibus agebatur, ventique perflare deſierant, ac ea erat conſecuta tranquillitas, ut exercitus in naves imponi ac in Europam reportari commodè poſſe videretur. Itaque Cæſar lætis omnibus edixit eſſe navigandum, eo præſcripto ordine, ut primò Itali: deindeque Germani, ac Hiſpani demum peculiares ipſiſque notas naves conſcenderent. ſed tot navibus naufragio abſumptis, quum onerariæ naves tantam militum multitudinem vel anguſtè collocatam capere minimè poſſe cenſerentur, pronunciatum eſt gubernatoribus, dominiſque navium, ut equos ad unum omnes in mare proijcerent, quòd pietate Cæſaris indignum foret, vel generoſos & incomparabiles equos gregariorum militum, aut deniq; lixarum ſaluti prætuliſſe. Ea res procerum dominorumque præſertim animos vehementiſsimè perſtrinxit: non privari enim modo ſe ad belli uſum ineſtimabili cariſsimarum rerum inſtrumento, ſed militarium equorum florem, nequaquam ſuprema neceſsitate ultrò intercidi, & in reliquum tempus extinctis admiſſarijs, irreparabilem orbata Hiſpania, præcellentium equorum ſobolem interire prædicabant. Spectabantur itaque cum dolore ac inani miſericordia generoſi & militares equi toto pelago elatis cervicibus ad proximas quaſque naves irrita ſpe ſalutis tanquam ad litora contendentes, quum demũ longa defatigatione ſuperati, conſumpto ſpiritu mergerentur. Sed vix dum dimidia pars militum conſcenderat, quòd ſcapharum inopia vel cupidè properãtibus tarditatem attuliſſet, quum Vulturnus & Eurus, alijq; mox venti, in orbem conſpirantes, ſecundam penè prima vehementiorem tempeſtatem excitarunt. Quo caſu nihil expectatis imperijs una quæque navis ſublato plena milite, ne in ſcopulos adigeretur, eò direxit curſum, quò vis ipſa ventorum plenis velis per alta maria rapiebat. Abiêre quidem celeriter, è conſpectu disiectæ penitùs in contrarias regiones, naufragij famam ac penè omnium interitum commemoratione periculi in omnes inſulas ac Italiæ portus deferentes. Sed nec quæ à multis narrantibus audivi, ſuperata pericula & miſerabiles caſus, ſuſceptaque pro ſalute vota in templis deorũ immortalium ſuſpenſis imaginibus religioſè perſoluta narraverim: quum aſtrictæ brevitatis ſtudio, quo in explicanda graviſsimarũ rerum veritate in tanto volumine maximè tenemur, legentibus ad ineptam ingenij gloriam amœna diverticula quæſiviſſe diſpudeat. Eum tamen tempeſtas habuit eventum, ut aliquæ naves iam planè quaſſatæ, ſenſimq; abſorptæ in conſpectu aliarum perierint: ex alia autem promptiores ſcapham occupantes, pereuntium ſociorum teſtamenta ſupremaſque preces ad uxores & propinquos retulerint. Sed mirabilem caſum duæ naves Hiſpanis militibus plenæ ſubierunt, quum in primo curſu reflantibus ventis ad Algerium detortæ, magniſque rimarum hiatibus integros fluctus admittentes fatali in litore deſediſſent. Concurrerat ad litus Numidarum equitatus ſubſequente Maurorum multitudine, ut eiectos & deſertos à fortuna trucidaret. non enim Barbari ſpontè ſe dedere paratos, & nihil præter ſalutem ſub fide publica poſtulantes recipiebant, ſed expetito ſanguine circumvenire & vulnerare magnopere contendebant. Qua ſe-

ritate atque inſolentia permoti Hiſpani, virilibusque animis indignantes, quod apud Punicam gentem neque iura humanitatis neque militiæ leges valerent, avaritiaque eorum omnis, quæ apud inopes rerum omnium ac egentes ſumma ſemper eſſe conſuevit, immani crudelitate vinceretur, arma protinus expediverunt, denſatoque agmine in orbem pugnantes, ad oppidum contenderunt, uſque adeo conſtanter & fortiter emenſo ſpacio, ut coronam hoſtium multis illatis vulneribus à fronte ſæpius effringerent, & à lateribus invectos prælongis haſtis egregiè ſummoverent. Tum verò effundentes ſe Turcas appellarunt, & per eos ſi vita incolumi reciperentur, Aſanagæ in ſervitutem ſe dedere nunciarunt: quòd in homine Sardo Chriſtianis orto parentibus & tot præcipuè libertis & familiaribus Hiſpanici nominis ſtipato, neque humanitatem neque fidem omnino defuturam ſperabant. Ita prodiens Aſanagas præclaro iure voluntarijs ſervis fidem præſtitit, depulſisque Numidis ad unum omnes humaniter conſervavit, quum ſolerti ingenio vel ſemivir, è tot mancipijs tanti proventus lucrum, cum honeſta etiam clementiæ laude coniunctum, ſecus ac Barbari mirum in modum æſtimaret. Ipſis autem Germanis ea terra mariqne accepta incommoda, contagioſam penè peſtem attulerunt: quoniam montani homines & è mediterraneis regionibus ad non conſpecta antè maria deducti, neque perturbantis nauſeæ, neque diuturnæ iactationis tormenta tolerarēt, quòd & anteà corruptis viſceribus profluvio laborare cœpiſſent, quū ex inedia toto eo triduo, quo ad Typaſam eſt deventum, palmularum bulboſis radicibus & cepis agreſtibus veſcerentur, quibus malis & aliquot demum naufragijs effectum eſt, ut ne tertia quidem eorum pars incolumis in Germaniam redierit. Sed unius magnæ navis longè duriſſimus eventus omnium funeſtos caſus miſerabili calamitatis exitu ſuperavit. Hæc enim quum in ea quadringenti fermè omnis generis milites veherentur, inuſitatis atque diverſis erroribus ita mediterranei maris ſinus atque inſulas omnes circumivit, ut quum portus appeteret, nova ſemper ventorum commutatione, è conſpectu ipſoque limine tutiſſimarum ſtationum ac urbium raperetur, hominesque paulatim conſumptis edulijs fame tabeſcentes, ad inſolitam in vivis corporibus maciem, oraque lurida pervenirent. Poſt quinquageſimum autem diem, quum ſerò admodum navis exoptatam terram attigiſſet, alimentisque ſe milites refovere contenderent, neque ullis omnino cibis veluti iam extincto colore proficerent, pauciſſimis diebus ad unum fermè omnes alius alio celerius aut tardius omnino perierunt. Cæterùm Cæſar, obteſtante Auria atque imperante, invaleſcentem procellam effugiens, cum roſtratarum claſſe prætervectus Africæ litora ad Orientem in Holcachitem ſinū ſe intulit, in quo ſita eſt Buzia, antiquitùs Vzicatha Ptolemæo dicta, quā ſuo loco ab Hiſpanis duce Navarro manu captā atq; direptam fuiſſe memoravimus. Caſtellū tribus munitū turribus in ea parte urbis, quę mari alluitur, paucorū Hiſpanorum præſidio tenebatur: urbs autem ipſa paulo antè gymnaſio & nundinis ac Horucij Barbaruſſæ, qui dextram ibi manum tormenti ictu abreptam reliquit, calamitate percelebris, ab ea clade deletis incolis penè tota perierat. Nec Hiſpani plus ſuburbani agri poſsidebant, quàm quantum tormentis & armis adverſus obſidentes Numidas tuerentur. In præſidio autem perexiguus omnino commeatus eſt repertus, ſed maioris minoriſque pecoris non ingrata, quanquam tenuis, copia viros inſignes recreavit.

Quum

Quum verò in maximam ſpem commeatus deveniſſet Cæſar, quòd Liguſtica navis, cognomento Furnaria commeatu onuſta lætis omnibus in conſpectum ſe dediſſet, tempeſtas invaluit, navisque arantibus vada anchoris, in litus ad naufragium eiecta eſt. Ita tamen, ut eiectitijs & ſalſa alluvione ſemicorruptis rerum penè omnium cibarijs, excipiente ea confeſtim navali turba, creſcentem inopiam opportunè ſublevaret. Interea Cæſar quum plures iam dies inflato mari, ac alternantibus ventis conturbato, in multa idoneæ ad navigandum tempeſtatis expectatione ſubſtitiſſet, & ſpe novi commeatus omnino decideret, nec habitæ ſupplicationes, votaque ſuſcepta divorum iracundiam mitigarent, Siculas duce Gonzaga Rhodiasque triremes ab ſe dimiſit. Boreas enim in Corum ſe verterat, præbebatque ſpem ad experiendam mari & fluctibus Fortunam, omni cunctatione tutiorem, ita quanquam turbulenta: fœlici tamen navigatione, in Vticæ portum, qui Farinas hodie vocatur, celerrimè delatæ ſunt, ibique præſtò affuit Muleaſſes rex Tunetanus, Gonzagamque plurimùm exoptatis eſculentarum rerum muneribus liberaliter adiuvit. atque inde demum incolumes ad unum omnes Drepanum traiecerunt. Nec multo poſt, à Cucchio montanorum Pœnorum regulo legati ad Cæſarem venerunt, intra paucos dies cõmeatum affatim et magna item auxilia adverſus Turcas pollicentes: ſed eos Cæſar Punicæ fidei liberalitatiq; diffiſus amicæ voluntatis ac officij nomine pecunia donatos remiſit: quæ legatio demum evulgata per Barbaros magno incommodo paucos poſt menſes regulo ceſsit. nam tanquam amicus Chriſtiani nominis Punicique hoſtis ab Aſanaga regno fuit expulſus. Iam defatigatis planè ventis uſque adeo reſederant tempeſtates, ut mare ſedatum atque tractabile videretur, & periti nautæ cum metu periculorum imminentium, tum præteritorum tedio navigationi ſe committere minimè dubitabant. Diſputabatur omnibus propè horis in concilio navarchorum, ſententijsq; dictis, quum alij in Sardiniam aut Corſicam, alijsque eodem lecto Africæ litore, & tutiore curſu Siciliam petendam eſſe dicerent. Tandem aſpirantibus Euris, Cæſar ad Baleares curſum direxit, divæ etiam Catharinæ maligno ſydere tranquillam nactus tempeſtatem: atque inde demum ad novæ Carthaginis portum appulit, tantis acceptis detrimentis ſeipſo vel admiratione ſuorum vel inimicorum iudicio planè maior & auguſtior, quum duriſsimis terra marique iniquæ ſortis caſibus invicto ſemper animo conflictatus, ſuæ propriæ, nec ulli ducum aut militum communicatæ laudis triumphum de devicta Fortuna reportaſſe videretur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XLI

INDVCIIS Rinconis atq; Fregoſij morte ſublatis, Franciſcus, uti maximè decuit, longa pacis expectatione deceptus, ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat quamprimùm ulciſci iniurias, ac uno tempore ſummiſque opibus, non modò Subalpinis oppidis in Italia, ſed ipſis quoque citerioris Hiſpaniæ, Belgarumque finibus arma inferre: neq; prius abſiſtere incœpto, quàm honeſta pactione Ciſalpinæ Galliæ imperio potiretur, aut poſtremò ſuperatus & Galliæ exutus regno in eadem adverſa belli Fortuna concideret. Omnes enim ineundæ concordiæ cogitationes abiecerat, quum præclaris admodum coniecturis, Cæſaris ingenium ſtabili decreto, ab ea rerum compoſitione, quæ Mediolanum eriperet, penitùs averſum eſſe deprehendiſſet, gravi quidem incommodo ac infamia Annei Memorantij magiſtri equitum, cuius conſilijs, ut aliqui dicebant, parùm ſynceris ſe totum Rex adapertus, nec de æquitate Cæſaris deſperans, traducendum fallendumque tradiderat. Ille enim induciarum author, & expetitæ pàcis interpres, quum ſumma gratia intemperanter abuteretur, ex ſermone Cæſaris àd regem cuncta ſecunda ac exoptata retulerat: ſive id ex fide colloquij crederet, ſive publico Galliæ commodò mentitus, quòd ea toties funeſto eventu damnata belli cauſa aliquando deſerenda videretur, poſtquam Franciſcum ab occulto fato Cæſari minimè parem, tot bellorum exitu, Fortuna iudicaſſet. Sed Galli proceres addduci non poterant, ut quicquam à Cæſare de reddendo Mediolano prolixè vel liberaliter promiſſum exiſtimarent, quum nihil ab eius ore niſi grave ac inſigni ſobrietate definitum excidere conſueſſet. Dicebant enim Memorantium conciliaſſe ſibi Cæſarem parùm fidelibus officijs: idque unum non occulto aſtu contendere, ut regem decoris avidum, iuſtaque ob id & neceſſaria arma meditantem, ad turpe exitialeque ocium devocaret, certaque ſubinde indoles, & innata vis bellica filiorum Regis, ſublatis armis deſidiæ & voluptatibus enervanda proderetur. Eo modo, qui militiæ atque aulæ maximis honoribus potens, totum regem unus occuparet, diutiſsimè regnaturum. Itaq; rex privato iudicio convictum, et publicam invidiam ægrè ſuſtinentem, in Centeliam villam manentibus honorum titulis relegat: eam ipſe in Bellovacis regio ſumptu ad maximæ Fortunæ voluptarios ſeceſſus extruxerat. Nec quiſquam omniũ repertus eſt, qui ruenti opem ferret, quòd non modò filios Regis & proceres, qui facilè ubi ex tuto nocendi locum adverſæ ſortis caſus oſtendit, vel levis contumeliæ meminiſſe decorum exiſtimant: ſed illuſtres quoque aulæ fœminas inexorabili vindictæ libidine gaudentes, propenſiſsimo in eas rege varijs offenſionibus àlienàſſet, uſq; adeo, ut cum Ludovici undecimi gravi exemplo, qui Aloyſiũ Lucemburgum

burgum capite puniviſſet, tollendum cenſerent: quoniam eo damnato invidioſum illud ſummæ equitum præfecturæ nomen tolleretur, quod propter nimiam, ob idq; ſanis regibus ſuſpectam poteſtatem non temerè antiquatam ſtruendæ ambitioſi hominis potentiæ revixiſſet. Sed Franciſcus in omni re clementię laudem quęrens, mitiſsimo pœnæ genere contentus fuit. Cur enim rex generoſus vel ingratum & inviſum acerbius vulneraret? Cur denique Solymanni barbari principis ſævitiam imitaretur? qui Habraimum pari ſuſpectæ fidei nomine, pariq; odio muliebri, ac hiſdem ingenij moribus & immenſæ gratiæ fortuna Anneo ſimilem occidiſſet? Cur denique vel magna delicta ſpectatis virtutibus minora non duceret, in eo præſertim, qui ſecum ab adoleſcentia familiariter educatus, vigilantia, ſobrietate, induſtria, militarique laude cæteris Gallorum ducibus ſuperior haberetur? Amoto Memorantio rex ipſe conſiliorum omnium ſummam præparato animo ad gerendum bellum ſibi deſumit, graviſsimarum rerum literas ſub brevi ac ob id fallaci compendio offerri ſolitas, intenta cura perlegit, ſuoque fretus ingenio reſponſa notarijs dictat, ærarij rationes excuſsis quæſtoribus diligenter inſpicit, in omniq; obeundo munere nova diligentia, novoque labore veteris incuriæ nomen emendat. Eo tempore Langeus, qui Taurino Gallicisque præſidijs in Italia præerat, ſolerti ingenio dabat operam, ut decreti belli conſilia tegerentur. Si qua enim controverſia cum Cæſarianis de finibus ac iniurijs oriretur, compreſſis ſuorum armis, per legatos apud Alfonſum Vaſtium de iure militari ex præſcriptis conditionibus diſputabat. Ita induciarum imaginem ſuſtentare conabatur, ut quum occaſio rei bene gerendæ adeſſet, in hoſtem improviſa arma proferrentur. Nam ſtatim à Rinconis atque Fregoſij cæde vehementer fuerat intentus ſollicitandis ad defectionem oppidis, quæ hoſtium præſidio tenerentur, inclinatis multorum animis ad mutandam fidem, quum æſtivis ac hybernis Cæſarianorum militum ad extremam redacti inopiam, mitiora omnia apud Gallos futura exiſtimarent. Sed Alexandriæ detecta proditio incertam adhuc induciarum fidem exoluit, & deprehenſi cum literis ſpeculatores ſuſpecta utrinque conſilia atque arma reddiderant: quibus de cauſis Davalus novas cohortes conſcripſit, ut maiore præſidio propinqua hoſti oppida confirmaret, dubiæ incolarum fidei parùm credens, & ſæpe inſidias à Langeo ſuſpectans, quem contra Gallorum morem eruditis pacis bellique artibus inſtructum ingenio ſemper excubanti paratoque non temerè cavendum intelligebat. Quin autrinque oppida, quæ gerendo bello maximè opportuna didicerant, paribus præſidijs tuebantur: regij Taurinum & in proximo Montemcalerium deſcenſu Regis ab Alpibus interceptum, Sabinianum item, Penarolumque & cinctum palude Varulengum: Cæſariani autem præter Aſtam coloniam, & Vercellas urbes, Vulpianum Taurini cervicibus impoſitum, Foſſanum item, fœlicium Antonij Levæ operum ſupremum, & Cherium & Claraſcum & Albam, quæ ab initio belli nequaquam temerè à Gallis occupata: ſed neque fortiter demum aut fœliciter defenſa, Davalum magna vi terrefactis, ſuperatisque præſidijs recepiſſe docuimus. Minora porrò oppida, uti incluſa certis limitibus, quos induciæ in mutuos conſenſus anteà præſcripſiſſent, raro aut certè nullo ſtabili milite tenebantur, quòd ea vel una incolarum fide & domeſtico præſidio ſatis cuſtodita exiſtimarant. Claraſcum cum tribus cohortibus, alaq; una Cremonenſi tuendum ſuſceperat

Hieronymus Sangrius Neapolitanus. Is à Daualo per literas monitus, vt ab hoſtium inſidijs diligenter caueret, vigilias circuibat, & præſidia idoneis locis collocabat: ſed quũ militũ animis propter rei frumentariæ cauſam minus propenſis vteretur, Galli intẽpeſta nocte à tribus ſimul partibus adorti, ſcalis oppidum cœperunt, ab eo loco quo Centalius Allobrox aſcẽderat. nam ab ea parte, qua à Daualo quaſſatũ expugnatumq; oppidum diximus, Vaſconũ cohortes fortiter repulſę fuerant, & Blandratus excitatis hoſtium cuſtodijs irrito conatu ad portã hæſerat. Quum irrumpentium Gallorum clamor audiretur, Sangrius qui in medio foro ſubmittendis quò periculum vocaret pręſidijs aliquandiu conſtiterat, deſperatis rebus in arcẽ ſe recepit. milites dimidia ex parte capti ſunt: reliqua manus vt profugeret, ex muro occupatis hoſtibus ſe demiſit. Fuere qui putarent non defuiſſe occultæ perfidiæ ſuſpicionem his manipulis, qui nullo propè accepto vulnere ſtationis locum negligentia & metu reliquiſſent. Cęterum biduo pòſt Sangrius, quòd nullum anteà commeatum pararat, quanquam iumenta aliquot onuſta cibarijs ſub præſidio Tanarum vado traicientia, quæ Pyrrhus ſubmittebat, in proximo ſpectarentur, certa pactione, vt inde ſaluis rebus & duobus tormentis abiret, arcem reliquit. Sed alia Gallorum manus, quæ eadem nocte ad tentandam Albam contenderat, diſſimili euentu audaciæ ac diligentiæ ſuæ periculum fecit. adorta ſiquidem vrbis muros, eximia Franciſci Landriani cohortium, quæ intentæ excubabant, virtute depulſa eſt. Albanis incrdibili ſtudio atque animo propugnantibus, adhortante præſertim pro ſalute patriæ decertantes eorum antiſtite Hieronymo Vida, poeta celeberrimo. Sub id quoque tempus, duce Ludouico Birago quatuor Gallorum turmæ, quæ ſclopettarios celeritatis cauſa in equis conſeſſores acceperant, Varulengo ad oppidum Verucam, quod Pado imminet, profectæ, alam, quum Epirota dux Zucerus abeſſet, negligenter æſtiuantem oppreſſerunt. His rebus cognitis Daualus, quòd Gallorum conſilia iam planè abruptis inducijs ad gerendum bellum verterentur, imperata vrbibus pecunia Germanorum cohortes mercede conducit, ex Inſubrum iuuentute delectum habet, profectusque Mediolano vltra Padum ad veteres copias contendit. eius aduentu permoti Galli in eadem oppida, in queis æſtiuarant, maturè conceſſerunt. Ipſe autem deductis & coactis in vnum omnibus ferè præſidijs in minora oppida impetum facit: quoniam Claraſcum valido vigilantique tutum præſidio non niſi magnis copijs magnoque apparatu expugnari poſſe didicerat. Itaque celeri curſu ad duodecim oppida in poteſtatem ſunt redacta: in queis fuere Villanoua, Raconiſium, Carmagnola, Caramanum: quorum acceſſione Daualus tametſi Gallorum audaciam abundè compreſſerat, nequaquam tamen Claraſchi amiſſi iacturam vel captis tot oppidis æquaſſe videbatur. At Franciſcus, qui antè initium renouati in Italia belli cuncta, quæ longo grauiſſimoque ſuſcepto certamini abundè ſufficerent, inexhauſtis ad id Galliæ opibus, inſigni cura compararat, inferendi belli munia liberis diſpertit, peritosque rei militaris duces, qui ætatem conſilio manuque regerent, attribuit. Generoſi etenim iuuenes matura iam indole ætateque florentes vnum illud ingentibus animis, quod tantæ Fortunæ deerat, bellicum decus quærebant: nec eorum alacritati nobilique voto rex deerat: vtpote qui tenero gaudio perfuſus, præclara cupientes emittere, & famæ oſtentare percuperet. Henricus tacito ingenio, pallida facie, grauibusque oculis, materni aui ſpiritus gerebat,

rebat. Carolus verò patri ſimilior, fulgore roſei vultus, vigoreque liberalis animi ac eruditis apertiſque moribus amari, quàm metui malle videbatur. Hic Belgarum fines invadendos deſumpſit, illi Hiſpania citerior decreta eſt. ſed huius conſilij famam ſilentio compreſſam volebant, ut ſimulatione Italici belli deceptus Cæſar, & Davalus ambiguo diſtractus metu, ubi opus foret, periculumque vocaret, nequaquam maturè expeditis præſidijs occurrerent. Henricus enim quum citra Rhodanum milites cogeret, in Italiam per Cottias Alpes tranſituri ſpeciem præbebat. Interea Belgarum fines diverſis & repentinis Gallorum incurſionibus vexabantur. incumbebat enim è Morinis Artheſiæ provinciæ Vandomius adoleſcens, ad quem certo ſtirpis ordine, ſi Franciſci ſoboles interiret, Galliæ regnum redibat. Is adiuncto ſibi Obieſio, totius regionis equitum præfecto, magnum terrorem adapertis hoſtium vicis intulerat. Forteque dum Tervannam urbem, Britannico bello claram, commeatu & novo item præſidio muniret, Belgarum equitum alam profligarat. Ea erat Hadriani Beureni, aulæ Cæſaris magiſtri, cuius imperio eius tractus præſidia regebantur. Carolus autem Aurelianus, cui aderat Claudius Guiſius Lotharingiæ reguli frater, de Germanis Lutheranæ factionis nobili victoria clarus, ſuperato Moſa flumine ad Lucemburgum Leucorum olim urbem penetrarat. Ea regio ab urbe metropoli nomen ducit, pertinetque ad Arduennam ſylvam, atque hinc ad Eburones, & illinc ad Trevirorum fines extenditur. Nec Lucemburgenſes valido ac improviſo hoſti diu reſtiterunt, quin ſe dederent, quòd eæ copiæ, quæ à Maria Cæſaris ſorore cogebantur, nondum advenerant, & tantus erat apud gentem nequaquam pro vetere gloria belli ſatis peritam urgentium Gallorum metus, ut mutare fidem, quàm belli clades ſubire mallent. Ita nullum ferè oppidum fuit, quod Aurelianum adapertis portis non reciperet, præter unum Enuoſium, quod præalta foſſa, latoque muro, & à tertia ferè parte paluſtri aditu munitum, Germani milites pręſidio impoſiti tuebantur. Sed Aurelianus nihil earũ rerum difficultate deterritus, magna vi oppugnare cœpit, quaſſatusque aliquandiu murus eſt, & repetito militum conatu fortiter tentatus: egregiè repugnante Germano milite, ita ut oppugnatio alacriter cœpta, quum opinione durior ac aſperior evaderet, militumque vires ac animos hebetaret, omittenda videretur. Id conſilium iuvenis dedecoris metu & ſpe laudis adductus non probabat, vel ſuadente Guiſio, & patre Rege per literas revocante. Is enim ſecundis adverſiſque rerum ſuarum exemplis dux peritus, & vetus miles filium monebat, ut pertinaciæ, quæ exitiali inſaniæ eſſet perſimilis, finem imponeret, nec ſe longius à rationis finibus cæca cupiditate abduci pateretur. Fortunam enim quæ eius belli initijs & medijs benignè cumulateque faverit, æquo animo ferendam eſſe, etiamſi converſa nequaquam poſtremis ſucceſsibus arrideat. Itaque abſcedere incœpto turpe ratus, locum mutare, & in tumulum tormenta transferre conſtituit: quibus ſingulari militum ſtudio laboreque ſubvectis, tanta vi propugnacula deiecta, defenſoribusque nudata ſunt, ut perculſis metu oppidanis Germani mercenarij milites, pacti ut ſibi ſub vexillis abire liceret, atque omnium Fortunæ incolumes præſtarentur, deditionem fecerint. Eo ſucceſſu Aurelianus magnopere lætatus, cum Germano milite liberaliter egit: oppidanos verò ad ſpem immunitatis excitatos in fidem recepit: ſumma quoque cura adhibita, ut Guiſio docente ac adminiſtrante oppidum novis

adiectis operibus inexpugnabile redderetur. Dum hæc ad Lucemburgum fierent, Guilermus quoque Cleuenſis regulus, Martino Roſſemio duce, in Brabantia bellum excitabat. Is enim, vti ſupra retulimus, cum à Cæſare tum nimis duro ſeueroque, vt Gheldriæ princeps appellaretur impetrare nequiuiſſet, ad Franciſcum in Galliam ſe contulerat, percuſſoque ſolenni fœdere, ei Franciſcus ſororis filiam ex Henrico rege Nauarræ ſuſceptam deſponderat, vt geminata propinquitate quàm arctiſsimè iungeretur. Ludouicus enim Franciſci ſocer, eius nominis rex Galliæ duodecimus, ex magna Cleuenſis amita natus erat. Ab hac affinitate ſocietateq; maximi regis Guliermus in ſpem veniebat, vt Gheldriam, quæ ſibi ex Caroli auunculi teſtamento in hæreditatem obueniſſet, vel non ferente Cæſare facilè tueretur, atque eo quidem fœlicius quòd ei fœderi ſocius abſcriptus erat Daciæ atque Noruegiæ rex Chriſtanus, qui Chriſtierno propter nefariam eius crudelitatem impioſque mores in carcerem ad vitæ exitum coniecto opportunè ſucceſſerat. Huius erant ditionis Cymbri in Cherſoneſo continentis ſiti (eos indigenæ Holſatios & Danos vocant) terribilis quondam Romanis, ſub bina cæde Marianiſque victorijs deleti, hoc demum ſæculo celebres eſſe deſierunt. Promittebat Chriſtianus mutua ope tuendis regnis armatum equitatum armataſque fortiſsimarum gentium legiones, & quam magno vſui futuram crederent, validam claſſem, quæ ſecundum Friſiorum & Batauorum littora duceretur. In intimo enim ſinu eius peninſulæ in Gothicum pelagus excurrentis, Lubecum, portu nobile emporium, innumerabilibus mercatorum nauigijs frequentatur. Inde ſiquidem ad Gothorum & Suecorum regna, per inſulas vrbibus refertas, vaſto maris anfractu, Liuoniæ Sarmatiæque, & poſtremo Moſcouiæ quoque littora claſſibus petuntur. Fauebat Cæſar damnatæ Chriſtierni cauſæ: quanquam hominem rabidæ feræ perſimilem, ac ideò caueæ incluſum oderat, hortabaturque Federicum Palatinum, illis tranſmarinis imperijs ab eximia virtute digniſsimum, vt ingenti animo ea regna capeſſeret, quæ ſibi certa vxoris hæreditate prouenirent. duxerat enim Palatinus Chriſtierni filiam, ex matertera Cæſaris genitam. Propterea nouus rex Chriſtianus firmando regnò adaugendiſque opibus nouas amicitas nouaſque ſocietates ſibi ineundas exiſtimabat. His conſtitutis rebus, ac animo ad bellum parato, Cleuenſis cum regia pecunia domum reuerſus per Roſſemium è Menapijs atque Sicambris lectiſsimas copias coegit. Erat enim celebre gratumque militibus Roſſemij nomen, quòd dux vetus & impiger prædæque auidus, cuncta ea vel aſpera factu quæ aſtuto grauique ingenio ſecum agitaret, manu fortiter atque fœliciter conficere conſueſſet. Excitari ſiquidem vetus diſciplina videbatur Franciſci Cechingi, cuius memoria apud veteranos rapinis aſſuetos adhuc erat inſignis: quum ille, vti ſuo loco docuimus, in ſumma licentia & latrociniorum impunitate, ad corroborandam infamis militiæ diſciplinam exactæ ſeueritatis leges inueniſſet. Propterea plerique etiam nobiles, qui inueterata maiorum conſuetudine ſeſe clienteſque ſuos latrocinijs alere nequaquam turpe ducunt, ad Roſſemij ſigna audiſsimè confluebant. Nec erat quiſquam, qui vel belli cauſam, vel omnino quò duceretur ſciſcitando perquireret, cuncta enim ad victoriam ac opimam prædam diligentiſsimè prouiſa milites putare, nihil fore inuium arbitrari, ac eos denique iure optimo hoſtes cenſere, aduerſus quos dux ipſe vexilla vel incertis auſpicijs explicaret. At

regina

regina Cæſaris ſoror, quæ Belgis præerat, ubi fama perlatum eſt à Roſſemio tot copias cogi, ad Guilermum legatos mittit, qui eius animum explorent, coactique in ipſius finibus tanti exercitus cauſam perquirant: ille ambigua reſpondet: putare ſcilicet eam militum manum ab initio, ut contra Turcas duceretur, à varijs ducibus conductam, ac ideo finibus exceſſuram: ipſi porrò nihil opus eſſe copijs, quum undique bona pace cum finitimis utatur. Populis autem ad arma natis liberam ſemper fuiſſe poteſtatem, eorum auſpicia ſequi, quorum vel occultato nomine ſtipendia præberentur. Nec multo pòſt Roſſemius, motis caſtris in Eburones, ad Legionem clariſsimam urbem, quam hodie Leodium vocant, iter intendit, ut conſilium altè conceptum, compreſſumque ſilentio diverſi itineris ſimulatione tegeretur. Ad immenſas enim opes Antuerpiæ urbis tacitus anhelabat, neque arduum rebatur opulentiſsimo totius occidentis emporio potiri, ſi populos, qui iampridem à patrum memoria finitis bellis pingui ocio & mercaturæ ſtudijs deditinunquam arma, niſi in ipſis ſpectaculis induiſſent, imparatos & nihil hoſtile timentes improviſus invaderet. Petebat ab Eburonibus, ut ſibi in Galliam copias ducenti tranſitus daretur: At illi armatis externorum copijs ſpontè iter, commeatumque præbere, ex dignitate eius gentis eſſe pernegabant, cuius ampliſsima urbs & nomen & claritatem ex calamitate Romanæ legionis integra adhuc bellicæ virtutis gloria retineret. Itaque Roſſemius, quòd à vetere propoſito diſcedere nolebat, in lævam iter flectens, ad Moſam ſingulari celeritate contendit, repudiatis humilioribus vadis, ut Brabantinorum cuſtodiæ fallerentur: nam regina virilis animi mulier atque æmula fraternæ virtutis, quot potuit equitum præſidia, & ſubitarias item cohortes irrupturo hoſti periculoſis in locis obiecerat: quibus rebus ſolerti coniectura proſpectis ac exploratis, Roſſemius ad Ravaſthenium pertendens lintres atque naviculas nactus flumen traiecit, populatusque Toxandriam regionem, tantùm toti ferè Brabantiæ terrorem intulit, ut pagis fortuniſque relictis & diſperſis pecoribus agreſtes in munitiora oppida confugerent, ac urbes quoque ipſæ inuſitato pavore complerentur. Eo modo, qui ſine maleficio ierat, direptis ac incenſis pluribus vicis capta, aut in miſerabilem fugam coniecta magna hominum multitudine, ad Roiam inſigne oppidum pervenit: quo capto direptoque ad Verembecium & Horſcotum progreſſus, atque inde paſsim vaſtabundus per Berliam deſcendens, ad Hoſtratum caſtra promovit. Id eſt oppidum inter Belgas arcis ac mœnium ſtructura domorumque elegantia: & denique rerum omnium amœnitate pulcherrimum. in id ingens fœminarum & puerorum turba confugerat: multi quoque nobiles undique cariſsimarum rerum ſarcinas comportarant, ſed quod magnopere depoſcebat Roſſemius, in eo magna vis pilarum & tormentarij pulveris ſervabatur: qua una re plurimùm indigeret ad expugnandam Antuerpiam: id enim in voto erat, idque unum ad ſuſceptæ expeditionis finem explendis infinita præda militibus ante omnia petebatur. Hoſtratenſes præſentis inſtructique exercitus minis territi (omnibus enim cædem atque ignem tectis, ni extemplò ſe dederent, ſævus hoſtis truculenta voce denunciabat) deſperata defenſione animos ad maturandam deditionem inclinarunt, atque ita quum fœminarum ac imbellium deprecationes fortium virorum conſilijs officerent, danti fidem Roſſemio portas aperuerunt, nec in latro-

num ducę præclare deſuit fides : nemine enim violato nihil ademptum eſt, præter ea quæ in ipſa deditionis conditione poſtularat , ſulphurei ſcilicet pulueris cados centum , pluresq́ue item ferreas pilas , & quatuor tormenta muralia. hæc enim ad expugnandas vrbes circunferendumq́ue terrorem magnopere pertinebant. Quum ad Hoſtratum milites pleniſſimi oppidi copijs recrearet Roſſemius, per exploratores didicit, Renatum Aurantium Nanſoi filium, ſummæ inter Belgas potentiæ iuuenem , Breda paterno nobili oppido cum validis copijs exiſſe, ea mente, vt Antuerpienſibus auxilio accurrens hoſtium aduentum celeritate præueniret : iam enim Roſſemij conſilia non inanibus coniecturis noſcebantur, omnesq́ue vni præſertim Antuerpiæ, Ambuaritorum olim coloniæ , cauendum putabant : qua vrbe defenſa gentium omnium fortunæ ſeruarentur, neglecta verò & perdita, reliquæ Belgarum ciuitates eandem ſummæ calamitatis cladem ſubirent. Neceſſe erat vtrique diuerſa & pari propè via Antuerpiam contendenti, Briſcotum petere, quod erat caſtellum ſeptem milium ſpatio vrbi propinquum, ad id viæ militares in vnum coibant. Roſſemius expediti et durati in armis exercitus ſtudio & diligentia fœliciter vſus, vt hoſtibus iter præcideret, ea celeritate præcurrit, vt Aurantiani magna ex parte tyrones, vti ad laborem ſolemq́ue ferendum inſoliti, vix tres poſt horas pari emenſo itineris ſpatio peruenerint. Erat ante Briſcotum lata planicies, Roſſemio minimè opportuna tendendis inſidijs, quòd arboribus tumulisq́ue careret: is enim adoleſcentem pugnæ auidum, & nihil præter alacritatem pugnacis animi ad conſerendas manus afferentem , quonam aſtu eliceret & circumuenire poſſet intentiſſimè cogitabat. Igitur inepta ad id, quod perfici poſſet, regionis ſoliq́ue natura, commentum nouitate mirabile, à ſolerti ingenio deſumit. Legiones enim toto campo pronis pectoribus procumbere iubet, & equitatum, cui præerat Longaualles ipſius Cleuenſis equitum magiſter, ad aduerſam caſtelli partem diligenter occultat: duabus tantum turmis via militari præmiſſis, alaq́ue demum vna grauis armaturæ conſtituta inter raras ac humiles arbuſculas, quæ ſub oppido ad amœnitatem conſitę ocioſis tenuem vmbram præſtabant. Ductabat Belgas equites vir impiger nomine Libertus: is haud magno ſpatio antè peditatum prouectus quum raram & exiguam apud hoſtes equitum manum ac inter arbuſculas non multos equites & pedites verſari conſpiceret, antecurſores tantum adueniſſe, grauioraq́ue agmina tardius ſequi ratus, & profligari poſſe paucos, & caſtellum præoccupari facilè iudicauit. Nec mora à pluribus res ipſa vti conſpecta iudicataq́ue fuerat, ad Aurantium defertur. Is cohortes ad properandum cohortationibus incitabat : miro autem aſſenſu Liberti conſilium probatur : nec ille ſibi vllam omnino moram affert, quin extemplò galeati ſequitibus ad inuadendos hoſtes procurrat. At Roſſemiani primum impetum fortiter excipiunt, ſed mox, vti fuerat imperatum, dant terga tanquam impares, cæterum in fugam coniectis extemplò fert opem ala grauis armaturæ, quæ inter arbores conſtiterat, æditurq́ue inſignis pugna : creſcentibus verò Belgis Roſſemiani partim conſilio, partim neceſſitate atque impetu vrgentis hoſtis laxatis habenis longiſſimè fugiunt, eodemq́ue curſu Belgæ intemperanter terga cædentes ad arbuſculas pertrahuntur, eas enim Roſſemius haſtatis hoſtium cataphractis magno impedimento futuras

antè

ante prouiderat. Feſtinabat Aurantius cum peditatu, vt victoriæ equitum intereſſet: quum dante ſignum Roſſemio legiones veluti nouo miraculo terra æditæ repente proſiliunt: attolluntur vexilla, timpana crepitant, & quo maximè terreri hoſtis potuit, erectarum haſtarum ingens ſylua conſpicitur, prodeuntque ſimul cum Longaualle equites ex inſidijs, & in terga lateraque hoſtium alas recuruant. Tum verò Belgæ perterriti, ac indagine veluti incluſi, neque viribus neque animis pares vndique profligantur. Libertus temeritatis dat pœnas & capitur: cohortes ne tentato quidem certamine ad terram arma proijciunt. Aurantius ipſe, quum inter confertos hoſtes verſaretur, erumpente equo fuga elapſus, certum ſuæ cladis nuncium Antuerpiam tulit. Incredibile dictu eſt, quantum eius aduentus ciuitati per ſe anteà metu conſternatæ terrorem attulerit. ex ea enim re male geſta deſperatis auxilijs pleriq; ciues ad graues armorum tumultus inſoliti, in ipſis cuſtodijs pallentia ora præferebant. Sed reſpublica in conſules egregiè fortes inciderat, Lucium Vrſulum et Nicolaum Schermerium: creatique fuerant virtutis eximiæ prefectus vrbis, dicundiq; iuris prætor, & Marchio ſummus omnium ſignifer, qui darent operam, ne vllus omnino vel negligentiæ vel exercendæ perfidiæ locus inquilinis aut malis ciuibus relinqueretur. Externos.n. opifices, genere Sicambros atque Menapios, ad dicendum conceptę erga Cæſarem fidei ſacramentum adegerant, expulſis qui dicere recuſaſſent. omnes qui arma ferre poſſent, in cohortes deſcriptos priuatis aut publicis armis inſtruxerant. ad hæc pomerium cum multa priuatarum ædium ac hortorum ſtrage fuerat dilatatum, nouusq; agger inſtitutus, vbi vetuſtate collapſa mœnia deſinebant. Quotidie etiam magna vis priuati æris ex domeſticis vaſis ad fabricanda tormenta conflabatur, per ſingulas quoque vrbis regiones certam tormentarij pulueris menſuram dietim conficiendam vicomagiſtris imperarant, cauerantque ſeuero edicto, ne quiſqam e cuſtodiæ ſtationiſque loco vel in fortuito incendij diſcrimine, vti mos erat, ad reſtinguendum ignem diſcurreret: fraudem enim atque perfidiam ſuſpectantes omnes excitandi tumultus cauſas accuratè ſuſtulerant, vt ne horæ quidem nocturnis diurniſque officijs ſpatia populo nunciantes vllo in loco pulſarentur, edictoque ſublatus eſſet in ſacris turribus campani eris ſonitus, ne coniuratis ad patrandum facinus ſignum daretur. nam ſuſpectos aliquot & cogitatæ proditionis ex quæſtione reos cuſtodiæ ad pœnam tradiderant. Sed tantis cuſtodijs quum vrbana multitudo in tanti ambitus vrbe minimè ſufficeret, nec vti imperita bellicarum rerum operum labores atque vigilias alacriter ferret, peregrini mercatores reipublicæ fortem fidelemque operam nauarunt. Italicorum prima liberalis atque promptiſſimi ſtudij laus fuit. in his eminebant Ambroſius Buſtius Inſuber, & Paulinus Fundrius Lucenſis, qui in Italia ordines duxerant, & tum maximè ad componendas acies inſtruendoſque tyrones ſpectato grauique munere fungebantur: horum æmulatione Luſitani, Germanique, et item Britanni negociatores longè ditiſſimi vexilla ſuſtulerant. Magno quoque præſidio aderant tres vrbanæ ſocietates, quæ antiquitus inſtitutæ per dies feſtos voluptatis cauſa militaribus armis exercebantur, quum in certamine ad propoſita præmia arcubus ligneis ex diſciplina Britannica ſagittarent: alij præpilata veruta arcuferreis baliſtis emitterent: alij autem validioribus ſclopettis vterentur. His forum diuiſis excubijs erat attributum, vt inde dubijs in rebus

contra hoſtem per teſſeram conſulum iuſſu ducerentur. His rebus ad vrbis cuſtodiam ſumma conſulum diligentia conſtitutis, ac inter ſpem & metum erecta ciuitate Roſſemius ſine ſuorum vulnere & ſine cæde hoſtium opimam ſpolijs victoriam conſecutus, ad vrbem caſtra promouit. Nec mora regio more araldus cum mandatis in vrbem mittitur(hunc vel arroganter & acerbè proloquentem ne verbo quidem violare fas eſt) Poſtulat vt in fidem Galliæ Daciæque regum ſe dedant. Horum auſpicijs Roſſemium multis victorijs illuſtrem bella gerere, nec quicquam durius à ciuibus petere, quàm iuſiurandum: leges enim illis ac immunitates veteris libertatis præclarè et liberaliter adauctas perpetuò incolumes futuras, quòd ſi vim expedire, quàm ſanis conſilijs parere mallent, daturum operam vt prolatis tormentis, immiſſoque veterano ac inuicto milite funeſtum coutumaciæ exitum quammaximè lugerent. Ad ea conſules grauiſſimè reſponderunt, ciuitatem ea eſſe dignitate atque ea virium exiſtimatione, vt fidem mutare longè turpiſſimum putet: ea verò potentia atque animi magnitudine, vt latronum immanium caſtra deſpiciat, breuique iccirco Roſſemium, ſi congrederetur mœniaque ſubiret, merito ſupplicio tot ſcelerum pœnas daturum. Iratus itaque Roſſemius frumentarias molas quæ latis rotarum radijs excepto vento voluebantur latè diſiecit. Conſederat ad Donnum vicum, non longè ab vrbe, intererantque frequentes ſuburbanæ arbores ita vt proſpectum adimerent, ac earum denſitate caſtra tegerentur, quòd è mœnibus, qui in ſtatione erant, vel ad incertos ictus tormenta diſplodere nunquam ceſſarent. Creſcente periculo creſcebat metus, ſuſpenſaque ciuitas noctis euentum expectabat: quum valde timeret, ne tormenta occultata defenſaque tenebris ad mœnia proferrentur. Propterea populus metu ſæuus, cum magno pudore conſulū & ſummo dolore nobilitatis poſtularat, & quod neceſſe fuit quan quā indignum maieſtate tantę vrbis, etiam impetrarat, vt perampla ſacratarum virginū cœnobia, Carthuſianumq; venerabile templum, quòd ſubeſſent mœnibus, iniecta flamma delerentur: ne edito ob idque opportuniore tormentis loco potititus hoſtis, tutius ac audacius in oppugnatione verſaretur. Acciuerāt etiam conſules à Flandra regione, quę eſt ſecundū Scaldem vrbi propinqua circiter duo millia validorū agreſtium. Horum turbam, quod eſſet inermis, thoracibus, lanceis, atq; ſecuribus inſtruxerant, vt populo tot noctium dierumq; laobre atq; vigilijs fatigato requies daretur. Nec multò poſt Roſſemius ab eo ſingulari externorū et ciuiū conſenſu & diligentia, occupandæ vrbis conſilio depulſus diſcedere, ne tentata quidem opugnatione conſtituit. paratiores enim quam antea crediḋiſſet hoſtium animos, & firmiora præſidia repererat, et tum maximè mirabatur nullum triduo popularem editum tumultum, nullam obortam ſeditionem, nullumque omnino excitatum incendium. quis enim plebem inopem in tanta vrbis opulentia, alienæ fœlicitatis inuidam, prædæ appetentem, in fide ac officio permanſuram putaſſet? Sed eam profectò cladem Fortuna vrbis auertit. ferunt enim Roſſemium attonito ſimilem, pecunia corruptum inuitis & improbantibus cohortium alarumque prefectis, de victoria nulla ratione deſperaſſe: quum non vno in loco, nondum perfectis aggeribus, ea inuictorum militum robora, ad primos impetus in vrbem peruaſura crederentur. erant enim ſupra duodecim millia delectorum peditum, et armatorum equitum duo millia, nec ampliorem numerum ſe depoſcere Roſ-

ſemius

ſemius dicebat, vt cum duplo maioribus copijs ad certam ſpem victoriæ aperto in campo confligeret. Itaq; diſcedens concrematis miſerabili incendio ſuburbanis delicijs, Louanium Grudiorum olim clariſſimam vrbem iter intendit. Nec maleficijs ac incendijs finem imponebat, Ramſto & Duſella oppidis ex itinere direptis, Lira vrbe nequaquam tentata, quum prætereuntem Lirenſes emiſsis pluribus tormentis auertiſſent. Louanienſes quoq; et ciuium multitudine, & munitione vrbis, & peregrinæ iuuentutis præſidio confirmati, hoſtis aduentum atq; impetum fortiter tulerunt: in eam enim vrbem liberalium artium gymnaſio clariſſimam, magna hominum multitudo confluxerat, fama tamen valuit, ciuium primates ſalubri conſilio, ne patriam in diſcrimen publicæ ſalutis adducerent, ſeſe multo auro à latronum iniuria redemiſſe. Cæterum Roſſemio Brabantiæ fines euaſtante Henricus Franciſci regis filius, ſicuti decretum erat, Narbona profectus, ad Pyrenæos montes perrexit, vt Perpennianum, quod eſt in aduerſis montium radicibus occuparet. Id minore cum inuidia peti videbatur, quod noſtra memoria Gallicæ ditionis fuiſſet. Eam enim vrbem à Marco Perpenna Sertorij percuſſore conditam, Carolum octauum Ferdinando Hiſpaniæ regi tradidiſſe docuimus: quum hic maioribus ſuis bello ademptam repeteret, ille verò inuadendi Neapolitani regni cupiditate incenſus, in Italiam deferretur, nec eius litis occaſione quicquam hoſtile ab Hiſpania timere vellet. Recepta itaq; eſt ab Hiſpano, aut infami aut certè parum honeſta conditione, quum eius belli ſe ſpectatorem fore, nec ideo Aragonijs gentilibus conſanguineisq; ſuis opem laturum promitteret, & tum fama eſſet, Turpenium quæſtorem infido venaliq; ingenio hominem lagenis argenteis moneta aurea repletis corruptum, qui inconſultæ regiæ liberalitatis auctor extitiſſet. Erat Henrico ſpes omnis occupandæ vrbis in celeritate poſita, vt priuſquam auxilia conuenirent, inopinantes ac imparatos inuaderet, neque enim Gallorum conſilia diu tegi potuerant: ipſo præſertim Alfonſo Daualo ſæpius ad Cæſarem perſcribēte, vt Hiſpaniæ finibus caueret: illac enim irrupturos compererat, quòd nunquam ei, cum in omni re ſemper liberali, tum in hac vtiliſſima militiæ parte maximè profuſo ad exploranda hoſtium conſilia, vel certiſſimi nuncij, vel audaciſſimi ſpeculatores defuiſſent: præoccupare enim officij merita peramplis donis, & larga demum ſecretaque manu præmia ſoluere erat ſolitus. Tantus verò quibuſdam Cæſarianæ aulæ proceribus ab elato animo Gallorum inerat contemptus, vt nihil de eorum aduentu credendum putarent, reſponderetúrque propterea Daualo, vt de alieno periculo ſolicitus eſſe nollet, ipſeque potius prouideret, ne conuerſo ad Italiam hoſte rebus ſuis timere cogeretur. Sed vbi leuis armaturæ equitum ala intra fauces penetrauit, Perpenniano tantus incidit pauor: vt ciues, qui à multis annis pacem colendo arma nunquam induerant, paruos liberos ac vxores & pretioſior ſupellectilis in munitiora oppida comportarent, & de ſalute magnopere dubitare viderentur. erat enim murus vetere ſtructura per ſe tenuis & infirmus ad vim tormentorum perferendam, & propugnacula antiquitus aduerſus baliſtas erecta his maximè feneſtris carebant, quibus accedentium ad foſſam hoſtium latera ferirentur. Cæterum Henricus modicis confectis itineribus parum vtiles moras trahens, muniendo firmandoque oppido ſpaciū hoſtibus dedit. Expectandas enim Heluetiorum legiones exiſtimabat, quæ ſuperato Rhodano ardentiſſimis ſolibus confectæ tardius ſeque-

bantur, vt tota mole exercitus intra hoſtium fines irrumperet, vtpote qui de celeritate remittere, quã equeſtribus & expeditis cohortibus tantã rem aggredi mallet: ne ſi parum fœlici conatu tentaretur; imminuta dignitate Hiſpanos primo ſucceſſu lætos à concepta formidine ad animi conſtantiam revocaret: ſed quantum exiſtimationis ac virium, & in omnes etiam caſus certæ ſecuritatis ea cunctatione quærebatur, tantũ pulcherrimæ occaſionis ad exploratam victoriam deperibat: coactis enim in unum copijs Henricus aliquanto ſerius, quàm prima conſilia in feſtinatione poſita requirebant, Perpennianum pervenit. Moverat à Leucata, quod eſt ultimum Galliæ Narbonenſis oppidulũ, tranſieratque inter ſtagnum & Pyrenæos montes, ut Salſas caſtellum, antiquis Salſulas vocatas evitaret. Petitur enim Hiſpania via militari inter mare & ſtagnum exaggerata: cui eximiæ munitionis id caſtellum imminet, tanta loci opportunitate, ut inde ſi Hiſpani cuſtodes velint, quemque tormentis acceſſu facilè prohibeant. Id Carolus, Perpennianum fraude ſibi ereptum indignatus, uti memoravimus, interfecta in expugnatione citerioris Hiſpaniæ nobilitate, diruerat. Refecerat ſtatim Ferdinandus, adeoque firmo præſidio munierat, uti Ludovicus demum exorto Neapolitano bello id fruſtra vel maximis viribus oppugnarit, præcurrente Italico equitatu ac obvia in prædam vertente, magnus terror hoſtili provinciæ eſt illatus, prima ſcilicet excurſione interceptis aliquot illuſtribus fœminis, quæ Perpenniano excedebant, ut in munitiora caſtella confugerent. Henricus ad urbem caſtra promovit, perductæque ſunt foſſæ ad altitudinem hominis depreſſæ tortuoſo notoque opere, ut milites à tormentis hoſtium protecti erectis demum vimineis pluteis tutiſsimè commearent, tormentaque producerent: quibus confectis ad arcem, pinnarum corona, editioraq; propugnacula petebantur, nec conſiſtendi in muro, et propugnandi hoſtibus poteſtas foret. Sed Galli firmiora omnia paratioraque quàm anteà putaſſent, apud hoſtes reperiebant. Magno enim incommodo Gallis ceſsit, Helvetios expectaſſe, ſecuritatiq; potius, quàm feſtinationi ſtuduiſſe, & quod minus expediret, traxiſſe etiam moras inutiles expediendis omnis generis cõmeatibus. nam Gallorum conſuetudine non ad mediam modò vel opulenter avertendã in hoſtili terra, ſed ad conviviorũ quoq; apparatum à Toloſatibus, remotiſq; populis vina affatim & ſumptuoſa obſonia petebantur. Inter has igitur Gallorum moras Albanus regulus in urbem venerat, & Maciucca, Cerbellioneq; notis in Italia veteranis, munitioni cuſtodiæq; præpoſitis, ad cogendas cohortes Gerundam diſceſſerat. Mendocius quoq; caſtris præfectus ad oram urbi proximã ſociorum navalium egregiam manum, duce Bezerra, viro impigro, & tormenta cum peramplo pilarũ & ſulphurei pulveris apparatu peropportunè & diligẽter advexerat, commotaq; univerſa Hiſpania Cęſar edixerat regulis omnibus, ut quàm maximè peditum & equitũ copię pararentur. Neq; Davalo ferendę opis cura defuit: cũ Andrea enim Auria collocutus, veteranas quatuor Hiſpanorũ cohortes ex Subalpinis prędidijs triremibus in Hiſpaniã advehendas deduxerat, Legioneq; item Germanorũ unam, quę onerarijs navibus imponeretur: miſſo etiã Petro Gevarra rei bellicę admodũ perito, qui inſtruendis regẽdiſq; tyronib. vetere ſuo caſtrorũ magiſtri munere in Hiſpania fungeretur, iniunctũq; fuerat Antonio Aurię, et Garcię Toletano, ut cum Neapolitanis Siculiſq; triremibus Africanas cohortes è Sicilia atq; Sardinia in ſupplementum earum, quæ ex præſidijs detractę eſſent, Savonam

nam

niam tranſportarent. His cognitis rebus Henricus perplexo tentanti que ſimilis, an oppugnanda vrbs foret, cum ducibus diſputabat: nondum enim maiora tormenta protulerat, quibus mœnia grauiſsimè quaterentur. aderant antè alios ſummæ auctoritatis Hanebaldus et Briſaccus, qui peditatui præerat, Paulusque Rentij Ceritis filius, leuis armaturæ peditum præfectus; & Stampeius genere & regis gratia pernobilis, qui honoris cauſa Heluetijs erat præpoſitus: quòd vir opulentus liberaliter epulando largiendoque auidæ gentis ſtudia promereri poſſe videretur. Hi ab ipſo ſtatim initio ſententijs inter ſe diſcreparant, quum Paulus diuerſam muri partem (ea erat à conſpectu arcis remotior) validè quaſſandam non inepta ratione cenſuiſſet. Reliquis Hanebaldo libenter aſſentantibus, cui minime decorum foret à ſententia diſceſſiſſe. Fit enim plerunq; militiæ, vt duces vaniſſimo iudicij genere deteriora, quę ſua ſint conſilia ſequi malint, quàm probare meliora, quæ videāt: quòd alienis ingenijs cedere turpiſſimum putent. Itaq; tormentorum magiſtri, ex Hanebaldi conſilio, in decutiendis pinnis nihil omnino profecerant: quū ex aduerſo Hiſpani & ab arce, & à portæ propugnaculo, pares pilas in ora tormentorū hoſtilium certiſſimis ictibus contorſiſſent, rotasq; curruū cum nece proximorum opportunè perfregiſſent. Eam enim portam, quę Elnenſis dicitur, ita obſtruxerant, vt antemuralis turricula, vbi pons ligneus ſubductilis erat, multo ceſpite multaq; arena ad altidudinem præaltæ contignationis compleretur, è qua demum tormentis impoſitis ac in ſolido collocatis, hoſtium caſtra atq; opera peterentur. Acciderat quoq; ſed aliquāto maiore ludibrio, quàm damno, vt quū cohortibus, quę operibus atq; tormentis præſidio erant, tardiùs in ſtatione ſuc cederetur, proptereaq; ieiuni in ſextam horam milites ardentiſſimisq; ſolibus peruſti ſenſim vt pranſum iretur, locū tanquam periculo vacuū relinquerent; Maciucca repentinus erūperet, paucos fugaret, potitusq; tormentis, ea ferreis ſtilis in ſpiracula coniectis, ita vt minimè diſplodi poſſent, configeret. Sed id patratum facinus abducere etiam tormenta conantibus nequaquā lætitiæ fuit: ſuperuentu nanq; Vaſconum Italicarumq; cohortium Hiſpani intra portam cum cæde compulſi, Briſacco ante alios, vti ducem decuit, vehementiſsimè dimicante, fœlicis audaciæ laudem tardi receptus, cruenta pœna æquatam ipſorum confeſſione retulerant. His caſibus euenerat, vt nemo eſſet in conſilio, qui diſcedendi ſententiam non maximè probaret. adiuuabant rem proclinatā alarum duces; quòd conſumpto vndique pabulo, equi nobiles macie confecti cum ſummo dolore equitum aridiſſimis in locis interirent. Suberat etiam non occultus pauor, nec temere quidem ex tantò Cæſaris apparatu conceptus. Is enim maturare nunciabatur, & aliquot iam cohortes ab Albano præmiſſæ (has veteranus Oliuar ductabat) nullo prohibente in vrbem peruenerant: quarum acceſſione tantus iam erat Gallorum contemptus vt pecus ab initio intra vrbem receptum, ſub mediocri præſidio in proxima prata paſtum emitteretur, integriſque gregibus, fruſtra inſidiante ac inſultante hoſte in vrbem reduceretur. Verum id adeo licenter, impuneque facere obſeſſos non diu paſsi ſunt Sanpetrius Corſus, & Ioannes Thurinus Nam conditis in conualle cohortibus Hiſpanos quotidiana conſuetudine armentis præſidio audacter prodeuntes, improuiſo acrique impetu adorti, multis interfectis & captis, ipſo ſpectante Henrico, intra vrbem compulerunt, qui Sanpetrium virtutis cauſa aureo torque, & cohortem pecunia donauit. Hi quoque duo

præfecti Paulum Rentij filium cum delecta manu equitum excurrentem ad Helnam, quæ Ebura olim fuit, ſecuti Hiſpanos circiter ducentos obſeſſis auxilio venientes in itinere peracri edita pugna deleuerunt: in qua Vicinij Vrſini iuuenis virtus enituit, quum ei equus ab hoſte ſuffoſſus fuiſſet. Cæterum Henricus, poſtquam omnia in dies difficiliora fore proſpexit, abunde officio votoque ſatis factum ratus, ſi incolumi exercitu in Galliam rediret, Miglijs & Hillia oppidis ex itinere direptis ad patrem eſt reuerſus. Is ad Volcarum vrbem, Monpelerium hodie vocatum, citra Narbonam conſederat, vt ex propinquo communicatis conſilijs in omnem occaſionem ferendæ opis paratus adeſſet: porro venientem & quodam nobili pudore perfuſum quòd cœptis Fortuna defuiſſet, complexus, feſtiuè admonuit, ne fraternæ laudis obtrectatione plus æquo angeretur, ſi Fortuna cœptis ſuis minus alacriter arriſiſſe videretur (aderat enim Carolus rebus proſperè geſtis è Belgis reuocatus) ſatis eum his cœptis claritatis & nominis eſſe conſecutum, poſtquam Hiſpaniæ fines euaſtaſſet, rediſſetque incolumi exercitu, & nullo accepto detrimento: vt in ſecundis demum votis Fortunam conſtantis animi virtute ſuperaret. Redeuntibus copijs enata eſt controuerſia iudicij militaris, quum Hiſpani captarum nobilium fœminarum propinqui, eas ſibi liberaliter reddi poſtularent, negantibus Italis iure belli captas ſine pretio dimiſſuros. ſuffragabantur Hiſpanis ipſa ratio humanitatis, & mos antiquus, quòd imbelle genus omni vexatione indignum cenſeretur. proderat autem Italis recentis Romanæ cladis exemplum. Conſtabat enim non matronas modo, ſed infantes etiam pueros ſumma Hiſpanorum acerbitate multo auro redemptos fuiſſe. Sed rex apprimè liberalis donatiuum militibus ex merito per quæſtorem dari iuſſit, excultaſque muneribus fœminas dimiſit. Eadem quoque liberalitate vſus eſt erga Germanos, quos fluctuante nauigio ad Stechadas è Genua delatos Virginius Vrſinus admotis triremibus numero ferme trecentos cœperat: & eo quidem maiore clementiæ laude, quoniam Cæſariani multos Subalpino bello captos ad triremes atroci cum iniuria relegaſſent. Fuere qui exiſtimarent, inuadendæ Hiſpaniæ conſilium in occulta ſpe venturę Turcarum claſſis ab initio fuiſſe collocatum. Barbaruſſa enim ea æſtate ſe Hiſpaniæ litora vaſtaturum promiſerat. Eo autem in mare noſtrum prouecto nemini dubium videri poterat, quin obſeſſis portubus Aurianæ nauigationes interclusæ tollerentur, Hiſpaniaque duplici petita hoſte vires diſtrahere cogeretur. Propterea Henricum claſſis expectatione ſuſpenſum, neque ab initio maturaſſe iter, neq; demum, quin celeriter ſe reciperet, oppugnandæ vrbi herere voluiſſe: patre itidem reuocante, quum Dexius è Rhodia militia trierarchus ad euocandam claſſem Byzantium miſſus, indeque reuectus Maſſiliam certum negatæ claſſis nuncium retuliſſet. Quomodo autem ea res, quæ Franciſco non mediocrem inuidiam apud quoſdam Cæſarianæ factioni addictos peperiſſe videtur, Byzantij agitata ſit, operæpretium erit explicare. Interfecto Rincone Franciſcus Antonium Polinum, qui inſtitutæ legationis munere fungeretur, ad Solymanum miſit. Is erat ex Langæi diſciplina ſobrio, ſolertique ingenio, & quod intererat, corpore ad perferendos itinerum labores egregiè ſubacto. Militabat enim Subalpino bello, legatique nomine ad Alfonſum Daualum confirmandis inducijs ſæpius ierat: quo ſuſcepto munere, eam excellentis induſtriæ opinionem erat adeptus, vt Daualus prudentiorum eo neminem Gallum ſe nouiſſe teſtaretur. Itaq;

Polinus

Polinus per devios tramites Venetias delatus, atque inde enavigato ſinu Sibinicum uſque, quod antiquis Sicum celebre oppidum fuit, tranſverſis itineribus per Illyricum Myſiam ad Solymannum Buda redeuntem pervenit. Munera ei allatà ſunt, quum nemini ſine dono ad Barbaros aditus pateat. Fuere operoſæ ſupellectilis, ad uſum ornamentumque abaci, argentea vaſa ſexcentorum pondò. Purpuratis verò prætorijque præfecto, atque item ianitoribus ſericæ omnis generis, aut ex cocco laneæ talares veſtes quingentæ. Solymannus perlectis literis, auditisque mandatis, quum Rinconis caſum graviter ferre videretur, Polino promiſit, ſe regi Gallo iuſta arma propter violatas inducias adverſus hoſtem Carolum paranti, neque mari, neque terra, quin opportunè opem ferret, defuturum. de his autem rebus nihil explicari poſſe apud properantes, tum verò quum Byzantium perveniſſent, purpuratos ad poſtulata ex communi conſilio reſponſuros. Petebat ante omnia, ut claſsis, Hariadeno Barbaruſſa duce, ad oram Provinciæ, excipienda Gallicis portubus futura æſtate mitteretur, peteretque Solymannus à Venetis, ut cum Gallo rege contra Carolum fœdus percuterent, & ſocia arma in communem omnium hoſtem verterentur. Non intermiſit ſtudium Polinus, quin ſibi ad rem impetrandam, toto itinere purpuratorum animos, ampliorum quoque ſpe munerum propitios pararet. Quum verò ante calendas Decembres Byzantium eſſet perventum, Solymanus quæ anteà promiſerat ſe præſtaturum pollicitus, Polino perſuaſit, ut in Galliam cum literis reverteretur: atque inde a Rege ſuo inferendi belli terminata conſilia referret: interea ſe miſſurum ad Venetos Iunusbeium, ſæpe anteà eo legationis munere perfunctum, curaturumque, ut quàm ampliſsima claſsis pararetur. Polinus eo reſponſo maximè lætus, dona retulit binos inſignes equos, & gladium gemmatum, miraque celeritate ad regem contendit. Is tum conſederat ad Abelleium Fontem in villa, agreſti in loco, ad venationes ſuo ingenio & regio quidem ſumptu ædificata. Eo uſus ocio Franciſcus per triduum Polino operam dedit, deſcriptisque locis atque temporibus, quibus arma inferre ſtatuerat, datisque ampliſsimis mandatis, cum nihil remiſſa feſtinatione Byzantium reverti iuſsit. Polino Venetias delato, Iunusbeius nondum applicarat. In ea autem expectatione, ut nihil temporis ad maturandum deperiret, Pellicerius vetus legatus, & cum eo nonnulli ex Gallica factione Veneti homines adire tentareque ſenatum. Apparebat enim Venetos commodo ſuo conſilia metientes ad ineundum fœdus, hortante præſertim Solymanno, facilè deſcenſuros, quum Maranum oppidum ad Venetas paludes citra Aquileiam in ipſo Venetiarum limine poſitum, percuſsi fœderis præmio ceſſurum videretur. Id ante triginta annos Auſtrianis Germanis proditum Beltrandus incola adiuvante Turchetto centurione Germanis fraude eiectis occuparat, ſublatoque Gallico vexillo Petrum Strozzam Florentinorum exulum principem, ad præſidium cum cohortibus circa Venetias conſcriptis evocarat. Id patratum facinus ita ſenatui diſplicebat, ut in ſpem recuperandi oppidi deveniret, & ipſi Galli non imprudenter evulgarant, ſi Venetus Franciſci regis amicitiam repudiaret, ac ideò percutere fœdus nollet, id oppidum finitimis potius Turcis dono daturos, ut Barbarorum claſſibus receptus foret, quàm paſſuros, ut Germanorum armis repeteretur. Venetijs autem nihil moleſtius ac omnino perniciosius incidere poterat, quàm è Veneto portu ſpectare ambiguæ ſuſpectæque fidei Barbaros navigationum

ſuarum curſus infeſtos redde͂tes, admixtis ſcilicet prædonibus, quibus ex compoſito oneratis culpæ nomine maleficia tegerentur. Itaque Polino ſenatus datur: is Franciſci regis cauſam luculenter agit, interfectorum legatorum caſum deplorat, Cæſaremque tanquam conceptæ inchoatæque tyrannidis invidia oneratum graviter perſtringit. Illum enim nequaquam vera virtute ac animi magnitudine ad ſummam potentiam niti, ſed multo fuco multiſque fallacijs ſecus ac ſuperiores contenderint: illos namque tyrannis eiectis civitates ſervitute liberaſſe: hunc liberis prægrave iugum imponere, & diſsimulanter quidem, ut imperiti rerum verborum lenitate adducti decipiantur. Per hunc modum Ciſalpinæ Galliæ civitates primò licentia militari, & ea ſemper impunita crudeliſsimè direptas, & demum immanibus tributis deformatas ſpectari, & occupatis arcibus Etruriæ compedes iniectas eſſe: Senenſes ſub Hiſpanico præſidio ſervitutem ferre, quum civili diſſenſione libertatem amiſerint: Lucenſibus ita libertatem relinqui, ut eam quotannis pecunia redimere cogantur: Siciliæ verò atque Neapolis tantæ modò dignitatis ac opulentiæ regna, uſque adeo ſpoliata eſſe Fortunis omnibus, uti opportuna præfectorum avaritiæ, ut Turcarum imperia ad miſeriarum finem exoptent: ipſos porrò Venetos, qui rerum omnium periti, ſuarumque præſertim actionum accuratè memores eſſe conſueſſent, quantam fidem ex Neapolitano fœdere Cæſar præſtiterit, ſatis præclarè confiteri, vel ob id quòd inedia ſubactis, ea quæ paulo æntè Barbarus vel ex profeſſo Chriſtiani nominis hoſtis humaniter dederat, vitæ alimenta denegarit. Proinde ſenatum tempeſtivè, ſi unquam anteà & ſapienter ad eum ſe recepiſſe, apud que͂ datæ fidei ac humanitatis iura ſervarentur, quum in ſocio parùm æquo aſtutoque veteris invidiæ & cupiditatis documenta proſpiceret, ad invadendas ſcilicet eas urbes, quas fatali bello ereptas, Franciſci demum ope recepiſſet. Quibus autem artibus Cæſar, quum per mediam Galliam ſummis exceptus honoribus in Belgium pertranſiret, regem deceperit, ipſos noviſſe, quum ab ea promiſſæ pacis oſtentatione, affirmante coram Davalo, ut ad traducendum legationi maior ineſſet auctoritas, par prope diſcrimen rerum ſuarum adierint, eiuſque rei fabula, in ea ſcitè agenda Cæſar totum maieſtatis pudorem conſumpſiſſet, orbem terrarum fama compleverit. Propterea Franciſcum vindicandis iniurijs intentum contra Cæſarem bellum parare, ut donec ſua recuperet, aliena continenter invadat, orare Venetos tanquam veteres ſocios amicoſque Gallici nominis, ut ſibi adeſſe velint. Ipſis herclè uno conſenſu bella gerentibus, ea quæ optarent victoriæ præmia minimè defutura: quòd ſi fortè abnuant fœdus, & ſedere, neutrumque iuvare utilius putent, ambos proculdubiò dijudicante Fortuna graviter offenſuros, ut demum à victis odium referant, & à victoribus iniuriam expectent. Decreto autem initoque fœdere, quod plurimùm intereſſet, Solymanno rem longè gratiſsimam facturos. Eum enim valde commotum laceſsitumque recentibus iniurijs in Pannoniam cum innumerabili exercitu proficiſci ſtatuiſſe, pariterque exiturum cum ingenti claſſe Barbaruſſam adverſus communem hoſtem, quibus conſilijs communicandis Iunusbeius Venetias mitteretur. Nec de belli eventu quicquã dubitandum videri, quum ipſi uni Veneti proprijs uſi viribus ſatis eſſe videri poſsint, ut Cęſarem exoſum populis, & rapinis milites alente͂, à duobus potentiſsimis totius orbis regibus undiq; terra mariq; petitum, Ciſalpinæ Galliæ impotenti dominatu celeriter

detru-

detrudant. Ad ea Senatus per aliquot dies extracta mora, ut interim Iunusbeius applicaret, graviter reſpondit, amicitiam Franciſci regis, quàm ſtudioſè percolerent, ornamento ſibi non oneri eſſe debere: parē quoq; obſervari cum Cæſare, à quo diſceſsiſſe videri nolint, tametſi faſtidito eo gravi fœdere, quo ſe Neapoli parum fœliciter implicaſſent, ad Solymanum eius hoſtem amicitia repetita contulerint: proinde patres conſcriptos, ac omnes civitatis ordines è Republica exiſtimare, tueri pacem, uti multa duris temporibus incommoda perpeſſos, quæ vel ſero tranquillitatis ocio ſarcirētur. Cæterùm ſi explicata ſigna & planè inchoata bella conſpiciant, tum maturè deliberaturos, tuerine pacem expediat, an bello permiſceri, quum trium maximorum totius orbis principum amicitia perfruantur. Appulerat interea Iunusbeius, publicaque domo, latè inſtructa exceptus fuerat. Is petebat, ut leges renovati fœderis à Badoerio Byzantij conſcriptæ ſenatus auctoritate ſancirentur; Franciſcique Regis cauſam ita ſenatui commendabat, ut nihil plus peteret, quàm ut eam amicitiam, quam cum Gallo tuerentur, propenſiore ſtudio, noviſque officijs adaugere vellent, poſtquam ipſe Solymanus, fratrem appellatum, gratia atque opibus iuvandum adverſus Carolum Hiſpaniæ Regem ſuſcepiſſet. Nihil enim, ut fœdus pecuterent, aut arma caperent, poſtulabat, ſecus ac Polinus & Pellicerius vehementiſsimè cupiebant: utpotè qui fervidè inſtando, denunciandoque cuncta facilè impetrari poſſe crederent, ob idque Barbarum frigidè proloquentem, auro corruptum ſuſpicarentur: verùm ut poſtea pro certo conſtitit, tanta eminebat in mandatis ac literis Solymanni, alioqui ſuperbi, æquitatis atque modeſtiæ ratio, ut nihil ab invitis exigi vellet, quod ex commodo præſtari minimè poſſe videretur. Itaque Polinus fruſtrà contritis apud Venetos aliquot diebus trireme publica Raguſium devectus, ac inde mox diſcèdens magnis itineribus Byzantium contendit. Quum feſtinaret, Achomati magiſtro equitum in Pannoniam properanti, in Thraciæ finibus occurrit: hunc de Germanorum apparatu, cœptoque itinere, & de Franciſci conſilijs edocet: ubi verò Byzantium eſt perventum, cuncta ſpe ſua duriora apud Barbaros invenit. Pernegabant enim purpurati educi poſſe claſſem, quòd ſerius quàm oporteret, ad rem impetrandam adveniſſet. Verni certè æſtivique temporis, ad navigandum aptiſsimi, tres iam menſes effluxerant: ita ut Polinus ingenti cura doloreque vehementer angeretur, quòd neque Venetijs, neque Byzantij, in tractando utroque negotio, ſatis felix aut tempeſtivus extitiſſet. Advenerat etiam Dexius trierarchus, ut adventantis claſsis nuncium in Galliam deferret. Is in Belgarum fines latè penetraſſe, & Hiſpaniam invaſiſſe regios liberos cum ingentibus copijs enarrarat. Proinde Polinus, uti aliena fide deceptis ac inanis induſtriæ ſuæ ſucceſſum deplorantibus facilè accidit, ſeſe graviter affligtare, perverſos ac inſtabiles Barbarorum mores execrari, implorare fidem Solymanni, conventoſque privatim ſingulos purpuratos obteſtari; ne Regem ſpe claſsis in Hiſpaniam provectum, & Belgarum fines invadentem delererent. Ea enim ceſſatione neque honeſta ipſis neque utili, ſui regis decus prodi, interpellarique victoriam, quæ iam explorata, partaque è manibus emitteretur. In his autem obteſtationibus adeo multus erat ac aſsiduus, ut faſtidio quàm gratiæ propior videretur, iudicaretq; Solymannus Eunuchus eius querelę cauſam gravi oratione finiendam, atque ita evocato in prætorium Polino aſsidentibus collegis, quibus ipſe quoq; Ha-

riadenus propter præfecturę maris dignitatem addebatur, ad eum converſus: Hic, inquit, locus, viri Galli, expediendis graviſsimarum rerum conſilijs optimi Imperatoris iudicio fidelibus ſervis datus, uti decet, quotidie ingredientes benevolentia atq; odio vacuos excipit, & præclarè quidem admonet, ut liberè loquamur. Neque velim, ut hæc oris libertas nuncia veritatis, atque ideo fidelis amicitię cuſtos auribus veſtris acerba moleſtaque ſit. Nam poſtquam rex veſter Ottomannici nominis ſocius atque amicus eſt appellatus, neque remittere amoris officia, neq; amicitiam veſtram faſtidire iam poſſumus, quum vos mirificè amet imperator, vosque ſuis opibus vehementer adauctos: devictisq; inde hoſtibus potentia & dignitate maximè florentes velit: ſed poſtulatis veſtris nulla ineſt æquitas, nulla modeſtia, ita ut vos iniquos inverecundosque vocemus: alij verò minus benevoli, veris nominibus importunos ac impudentes appellent, poſtquam uti nimis improbè procaces, amicitiæ rationes ineptiſsimè conturbatis. Fœdera enim paribus commodis, exęquatisque ſumptibus, & mutuis periculis confirmantur. Quòd ſi ſtudia atque officia negligendo nihil rependeris, celeriter obſoleſcunt. Ita vobis evenit, viri Galli, qui in noſtro periculo ſemper obliviosi ſupinique, in veſtro ſemper erecti & egregiè memores, nequaquam factis, certisque auxilijs, quum opus fuit, ſed inanibus tantum literis atque legationibus amicitiam coluiſtis. Dicite obſecro, quod unquam ſtudij veſtri, veſtræque operæ ſignum apparuit? quo ſaltem hoſtium noſtrorum animus vel ambiguo metu diſtineretur? quũ Carolus totius occidẽtis copijs inſtructus in Pannoniam veniſſet, atq; interim in Gręcia Corone Patræq; hoſtili claſſe quaterentur, Tunetumq; demum tantis petitũ claſsibus caperetur. Sed hoc vobis condonamus, illud certè vix ferẽdum videtur, quòd nec tantis iniurijs noſtris, uti par erat, indoluiſtis, quum cruento cõmuni hoſti tot noſtri nominis crudeliter interfectis, officiosè gratulandum exiſtimaveritis. Pervenit demum ad Aulonem noſter imperator, magno veſtro commodo in Italiam traiecturus: ſed nec tum, quę à vobis iactanter largeq; promiſſa erant, Apulorum erga vos ſtudia in appulſu noſtræ claſsis reperta ſunt: nec vos in ſuperiore Italiæ parte validè incumbendo commoviſtis: ita neque nobis opportuni, neq; vobis unquam tempeſtivi vel utiles bene gerẽdarum rerum occaſionem ſemper amiſiſtis: ſed neque tum, neque poſteà veſtro conſilio & conſociatis armis unquam egimus. Venetus enim ſuo malo & vim pariter, & fidem noſtram expertus eſt, & reliqua Mars iniuriarum noſtrarum præclarus ultor fecundiſsimè confecit, quum arbitrio veſtro inducijs cum communi hoſte confectis ad nos invadendos, eius vela tam iniquè quàm impudenter inflaſſetis. Cęterùm ſine veſtra ope tantos hoſtium impetus egregiè retudimus, quũ hic ipſe Hariadenus & claſſem ad Ambracium profligarit, & latrones Hiſpanos ad Caſtrum novum fœliciſsimè trucidarit, indeque receptis noſtris urbibus alienas cœperimus. Nullius ergo meriti cauſa vobis tenemur, ſed harum rerum oblivisci malumus, quàm vobis ſemel in amicitiam receptis deeſſe. Factis enim fidem tuemur, ſed ſpectare tempora, pericula metiri, occaſiones agnoſcere, eius eſt, qui non temerè Fortunæ aliquid committendum exiſtimet. Tardiùs quàm oporteret, ut claſsis educeretur, adveniſtis. Præcipiti namque æſtate peſtilens imminet autumnus, ita ut neque maturè conſcribi remiges, neque in naves contrudi tutò liceat. In longiſsima enim navigatione quis navalem turbam ad inſoliti cœli mutationẽ morbo tentari ſolitam, vitæ periculum

mini-

minimè adituram credat? quis naufragia vel in reditu non pertimeſcat? quum hic ipſe Hariadenus Auguſto menſe tantus in re navali magiſter ad Acroceraunios ſcopulos illiſus, tot triremes amiſerit. Hyeme refici, Vere adornari atque educi claſsis debet, æſtate navigatur tutò, bellumq; geritur. Id ut fiat, reipublicæ cauſa, Imperatori perſuademus. Neque enim emiſſa ſemel claſsis vel multo auro, quo vel immenſo, & per tot ſecula congeſto Ottomannica domus potitur, reſtitui poteſt. Tu hæc amicè dicta, ſi ſapis, æquo animo feres, imperator porrò ipſe viderit, an tibi ſit indulgendum. Illi certè & nobis libero voto ſatisfecimus. Hæc verba ab Eunucho ſeverè pronunciata, eo grávius Polini animum perculerunt, quòd ex ore Solymanni mitti videbantur, & is quoque auſcultaſſe omnia credi poterat. Imminebat enim à tergo cónſidentibus purpuratis feneſtra æreis obſepta clatris & obtenſo velo protecta, ut ipſe imperator, quum vellet, nec omnino ſentiretur, gentium omnium querelas & lites audiret, notaretque ingenia iudicantium, quorum ex eo metu æquitatis atque iuſtitiæ cura multo intentior redderetur. Nec Polinus ab hac repulſa purpuratos deteſtatus ſpem abiecit, deditque enixè operam, ut per Capiagam ianitorem largitione conciliatum ad ipſum Solymannum ſibi aditum pararet. Præſtitit officium Barbarus: atq; ita Gallus, quòd pauciſsimis noſtrorũ hominum anteà licuerat, in intimum prætorium eſt introductus. Aderat Bederius interpres, per quem actitata recenſendo magnis precibus rogabat, ne regem triplici bello hoſtes invadentem, eà promiſſæ claſsis expectatione fruſtraretur. Ad ea Solymannus clementi ore & paucis admodum verbis, non ſua voluntate, quæ eſſet ſtabilis atque mirifica, ſed ipſius tarditate, ac æſtatis inclinatione occaſionem educendæ claſsis elapſam reſpondit, pollicitusque eſt, ſe primo verè duplo maiorem, quàm peteret, claſſem amico fratrique ſuo regi adverſus Carolum communem hoſtem, ſine dubitatione tranſmiſſurum. Cum eo itaque reſponſo Dexius trierarchus in Galliam reverſus, uti ſuprà docuimus, effecit, ut Franciſcus extemplò filium ab Hiſpania revocaret. Redeuntibus autem copijs quum hybernorum ſubeſſet tempus, nec in Belgis, propter anni tempus quicquàm ultrà moliri vellet, Helvetios fermè omnes, atq; item aliquot ſigna Germanorum perſoluto ſtipendio diviſit. Italicas autem cohortes Hanebaldo tradidit, quæ in Italiam ad Subalpinum bellum ducerentur. Provinciam enim, quanquam fructuum omnium copijs abundantem, commeantium tamen militum frequentibus affectam incõmodis, hybernorum vacatione ſublevandã exiſtimabat, & in Italia alendũ omnino bellum rebatur, vel ob id quòd & Germanorum integram ferè legionem, & veteranas Hiſpanorũ cohortes in Hiſpaniam ſubſidio miſſas intelligebat. Itaq; Hanebaldus duriſsimis nivoſisq; Alpium itineribus in Italiam profectus ad oppugnandũ Cunium oppidum contendit. Id ad radices Alpium in plano ſitũ, præcinctumq; duobus parvis amnibus, in Tanarũ confluentibus, magnam habebat opportunitatẽ ad gerendum bellum: quòd Foſſano proximũ eſſet, Montevicoq; finitimũ. Oppidani præclaro ſtudio Cæſari favebant: ſed ut præſidium acciperent nunquam adduci potuerant, vel admonente obteſtanteq; Davalò, ut à Gallis maximè caverent. Tantus enim erat metus Cæſarianorũ militum, ſumma licentia ac impunitate ſociorum fortunas in prædam vertentium, ut vim hoſtium minore cum periculo ſuſtinendam arbitraretur. Sed ubi adventum hoſtium certius ſenſerunt, non de vano conceptus pavor uſq; adeo apud infirmos viribus crevit, ut quod

anteà repudiarant, à Davalo militare præſidium poſtularent. Miſit itaque Petrum Portum à Vicentia, nobilem ſtrenuumque alæ præfectum: is cum ſexaginta galeatorum equitum manu, acceptis in clunes totidē confeſſoribus ſclopettarijs, uſus tenebris per ſtationes hoſtium ad oppidum penetravit. Eius adventu Cuniates bona parte metu liberati, impoſitum extruendi intus aggeris munus alacriter ſuſceperunt. Nec multo pòſt quàm Davalus de oppidi ſalute ſolicitus, ad Petrum Ciconium, qui Foſſanum præſidio tuebatur, ſæpe perſcriberet, ut Cuniatibus maturè opem ferret, Blaſsius Summanus cum cohorte una eadem fœlicitate, qua Portus ierat, per medios & ſemiſopitos hoſtes ad oppidum pervenit: amiſſa tamen circiter dimidia militum parte, quum alij obſcura in nocte rectum iter tenere nequiviſſent, alij periculo territi ſegniusq́; ſequentes retrò per devia dilapſi amiſſo in tenebris pudore vexilla reliquiſſent. Hanebaldus admotis maioribus tormentis magna vi murum quatiebat, pinnarum ruina foſſam compleverat, duosq́; aditus ad irrumpendum parabat. Portus & Blaſsius diruta mœnium obiectis lanarum ſaccis, congeſtaque omnis generis materia & gleba ſarciebāt. Oomnibus propè horis certabatur, impigre populus militibus intermixtus propugnabat, uſq; adeo pari omnium ſtudio, ut fœminæ nequaquam tormentorum ictus formidantes, comportando onera corbibus, & militi cibaria miniſtrando virilem operam præſtarent. Galli inſtauratis per triduum prælijs conſcendere murum conati, ſemperque repulſi multis ſuorum occiſis, pluribus vulneratis, deſperata expugnatione oppidi diſceſſerunt. In poſtremo certamine Guiliermus Blandratus, qui anteà, ut diximus, Caſalem urbem Gallis prodiderat, glande traiectus interijt. Sanpetrius Corſus in adverſum os lapide excepto deformiter vulneratus, Ioanniq́; Turino brachium ſcalarum ruina debilitatum, viri fortes ſupra centum deſiderati, & in his Italorum & Vaſconum ſigniferi quatuor, & inſignes nonnulli equites Galli, qui pedibus pugnare iuſsi alacriter ſubierant. Quum ſe reciperent Galli, & maledictis inceſſerentur, honeſta quædā alioqui mulier, ſed tum nequaquam integro pudore, ut abeuntibus illuderet, nudatos clunes ſublata veſte feriendos è ſummis mœnibus oſtentavit. Cuniates ſpectatæ virtutis merito, Portum & Blaſsium pecunia donatos dimiſerunt: nec multo pòſt Hanebaldus, nullibi cœptis arridente fortuna revocatus in Galliam, in Alpibus nivium procella obrutus penè interijt, multis ex comitatu, & in his fratris filio multa mole nivium miſerabili mortis genere ſepultis. Nec multis inde diebus Langeo, ab rege in Galliam evocato, profectoq́;, Cæſar Maxius à Neapoli inuſitatæ calliditatis dolum reperit, quo Taurinum belli arcem Gallis eriperet. Diſceſſu ſiquidem vigilantiſsimi ducis minus intentas diligentesq́; cuſtodias futuras ratus, quatuor agreſtes carros, per quos venale fœnum in urbes convehitur, adeo ſolerti ingenio concameratos fabricarat, ut quum exterius virentis fœni ſpeciem prȩberent, interius ſeni loricati milites conderentur, qui demum ingreſsis portam carris, in medio aditu laxatis machinę fibulis repentè proſilirent, haſtisq́; hoſtium correptis, quę ad parietem per raſtrella diſpoſitæ ad manum eſſent, cuſtodes confoderent, & tandiu anguſto in aditu carrisq́; occupato locum tuerentur, donec inſtituta ad ſuccurrendum una atq; altera validorū atq; pernicium ſociorum manus adcurreret. Franciſcus enim Iſclanus, Hiſpanusq́; Mendocius, modico intervallo idoneis in locis occultati fuerant, ut carros ingredientes celerrimè conſequerētur. Sed his aut animus, aut certè fortuna, quę

nà, quæ dolis illudebat, importunè defuit: quum primus enim carrus ab ignaris doli bubulcis, fœliciter eſſet introductus, erumpentibusque armatis inſidię nudarētur, cataracta à fabro ferrario, qui fortè aderat, opportunè demiſſa ſubſequentes excluſit. Ita primi fruſtrà ſocios expectantes, decurrente ad excitatum clamorem Buterio duce, à Vaſconibus ſunt interfecti, uno tantùm capto conſervatoque ab Italis Alexandro Magio, nobili Inſubre, ut auctorem atque ordinem inſidiarum aperiret. Iſclanus quoque qui ad patrandum ſubitæ rei facinus, ſed non in ſua fata ſerus adcurrerat, è muro glande percuſſus interijt: milites verò tormentis pariter petiti è conſpectu ſeſe celeriter eripuērũt. Ea res uti novo inſidiarum genere inſtructa atque perducta penè ad exitum, Gallorum animos magnopere conterruit, admonuitq; ut nullam omnino cuſtodiæ diligentiam adverſus Maxij ingenium ſuperfluam putarent, quum ab eo ad tendendas inſidias parato paucis antè annis: ipſo etiam ægrè defendente Buterio portæ eiuſdem propugnaculum noctu ſcalis captum meminiſſent. Cæterùm Langeus, qui iter in Galliam ſuſceperat, nivoſis in Alpibus concepta gravi pituita, citra Lugdunum interijt, vir animi virtute, ac optimarum literarum notitia Gallis omnibus ea ætate ſuperior, & dignus herclè longiſsimo vitæ curſu, quum ſupra Bellaiæ nobilis familiæ nomen, ſobrij & maximè conſtantis ingenij mores, quòd paucis eius gentis viris militaribus contingit, ad bellum attuliſſet.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XLII.

SVB id tempus Germania omnis, excitata Ferdinandi regis precibus, graviſsimisq; Hungarorum procerũ obteſtationibus permota, adverſus Turcas bellum ſuſcepit. Nemo enim erat, qui animo dolorē ac ignominiam ferre poſſet: poſtquam propinquis & fratribus ad Exechium fœda in fuga trucidatis, & nuper ad Budam Rochandulphi exercitu turpiſsimè fuſo, deletoque, vetere belli gloria decidiſſent. Nec quiſquam erat, vel Auſtriæ domui graviter infenſus, qui acceptum dedecus nobili auſu ſarciendum, Budamque omnino repetendam eſſe non duceret. Admonebantur & deſides non dubio vicini periculi metu: quoniam apparebat, Turcas nuſquam vinci ſolitos, perpetuoq; bellandi ſtudio & conſuetudine procedendi, prędã & prolati imperij famam quærentes, occupata Pannonia minimè quieturos, breviq; futurum ut Germani, niſi Hungaris diro bello obrutis opem ferrent, irrumpente victore Barbaro, iniqua domi conditione pro focis ac uxoribus & liberis certare cogerentur. Celebris tum erat Nurumbergę regulorũ, & legatorum omnium pro-

pè gentium conventus, diuque in eo Pontificij cum Lutheranis de Chriſtiani dogmatis veritate contenderant, ſed ea contentio eum habuit eventum, ut Lutherani inſigni contumacia placita ſua defendentes, concilio locum in ipſa Germania deligi poſtularent. nunquam enim id conceſſurum Pontificem rebantur, ne Conſtantienſis concilij exemplo dignitatis atque ſalutis aleam ſubiret. Sed id petentibus, uti mox dicemus, Pontifex probitatis ac innocentiæ ſuæ fiducia, publicæ concordiæ votum ſecutus, liberaliter indulſit. Cæterum decreto bello, imperata adductaque ſunt à regulis & liberis civitatibus ad triginta millia peditum, & equitum armatorum ſeptem millia Germanici nominis, in his eminebat Mauritius Saxo nobiliſsimæ ſtirpis regulus. Legionibus magna bellicæ virtutis opinione præerat Conradus Heſsius, direpta urbe Roma ingentes divitias conſecutus, & Volfgangus Theodoricus è Suevia nobilis. Supremi autem militaris imperij nomen delatum eſt Ioachimo Brandeburgenſi regulo, quem Turcico ad Viennam prælio interfuiſſe docuimus: ita tamen ut ſumma conſilij poteſtas ad Octoviros pertineret. Hos natu grandes rerumque peritos in concilio delegerant, qui imperatori non multum foris in militia verſato adeſſent: Ioachimus enim uti parum efficax nihil ferè præter generis nobilitatem & regij cultus inſtrumentum, liberaleſque convictus in caſtra detuliſſe videbatur. Vbi Viennam eſt deventum acceſsère Ferdinandi regis copiæ: nam præter Auſtrianos nominatim evocatos, Hunganotus Styriæ præfectus circiter decem millia equitum effecerat. In his erat Illyricorum ala, Bartholomæo Croato duce impigro, cultu inſignis, virtuteque mirifica, & Nicolaus Sdrinius cæde Cazzianeris hoſpitis æquè laudatus & infamis: Hungaricus autem equitatus quindecim millium numerum efficere dicebatur. Nam Gaſpar Seredius vir impiger, laudis & prædæ avidus, cis Danubium multos Vſarones rapinis aſſuetos, ad ſigna convocarat. alia quoque validior manus Andreæ Bathoris vexilla ſequebatur: veteranas verò turmas, quæ circa Agriam ultra Danubium hyemarant, ductabat Perenus Petrus auctoritate, potentia, uſuque militiæ Hungarorum nobiliſsimus. Nec ipſe Georgius Varadinenſis antiſtes, quem à Solymanno in tutela regis pueri, reginæque in Tranſylvania ad Lippam relictum diximus, tanto excitatus apparatu, Chriſtianæ cauſæ defuturus eſſe credebatur: ſed aſtuto conſtantique vir ingenio, quum nihil ſibi ante belli eventum temerè præmoliendum arbitraretur, ita ſollicitantibus regijs, amicisque veteribus verba dabat, ut tranſeundi ſpem præberet, nec obligaret fidem ullo literarum teſtimonio, quo Turcis inita conſilia proderentur. Paulus quoque Pontifex, quod erat mirificæ voluntatis & liberalis officij munus, tria millia delectorum peditum Viennam ad exercitum miſit, hisque ducem attribuit Alexandrum Vitellium: expetente rege magnis precibus, ut is præcipuè mitteretur, qui ſpectatis operibus pugnacis & egregij ducis famam quæſijſſet. Italos enim duces & milites rex ipſe, uti maximè idoneos expugnandis urbibus quærebat: nam paulo antè Philippum Torniellum cum aliquot cohortibus mercede conduxerat, & Iacobus Medices Danubianæ claſsis præfectus alterum iam annum in Pannonia ſecunda nominis fama militabat. Sfortia quoq; Palavicinus, ſummæ ſpei, ſummęq; nobilitatis adoleſcens, per eos dies ornatiſsimam ſexcentorũ equitum alam, circa Padum conſcriptã in Pannoniam adduxit. Deſcenſum eſt ſecundũ dextram prælabẽtis Danubij ripam, miro quidẽ ordine, ſed adeo modicis ac intermiſsis itine-

itineribus, ut Itali Hungarique duces iam adultæ æſtatis meliorem partem gerendis rebus opportunam ſegni ac inutili mora abſumi teſtarentur: fremebatque ob id ante alios Medices, qui multum antea regem fuerat adhortatus, ut ad prima Veris ſigna, prius quàm Turcarum præſidia adaugeri & confirmari novis militibus poſſent, expeditas copias cum claſſe demitteret: futurum enim eſſe, ut ſtrenuè atque celeriter invadendo non Peſto tantùm, verùm & ipſa quoque Buda potirentur, quòd Solymanus Budæ præfectus, quem natione Hungarum & profeſsione Turcam conciliandis Budenſium animis à Solymanno imperatore relictum diximus, peſtilentia abſumptus interiſſet, cumque pari fato ſubſecutus eſſet Stephanus Verbetius, qui propter ſummum in Germanos odium Turcarum beneficio apud ſuos cives prætoria poteſtate fungebatur. Sed ea conſilia peritè atque ſalubriter oblata Ferdinandus, aulæ ſuæ principibus immodicè credens, in eam maximi apparatus occaſionem diſtulerat. Mos enim erat amicorum intimis obtrectare alienæ virtuti, improbè ſuſpicari, mentirique, & neminem in aula pati, qui certa virtute ad regis gratiam niteretur. Hiſdem artibus nulloque pudore, omnibus ærarij fiſcique opibus immaniter direptis, ſummæ benignitatis & clementiæ regem, avitoque ingenio bellicæ laudis appetentem, militari exiſtimatione ſpoliarant. Nunquam enim eorum adulatione circumvento hoſtilem aciem videre licuerat, quum per legatos gerenda bella & regij nominis maieſtatem nequaquam manu, ſed conſilio procul à periculis tuendam ſuaſiſſent, recenti quidem exemplo fortunæ Cæſaris, qui per duces tot trophæa de Gallis hoſtibus erexiſſet, quum duo Pannoniæ reges temerè in aciem progreſsi, occiſique ipſorum genti & nomini valde inſignem calamitatem attuliſſent. His de cauſis Ferdinandus in una ſecuritate prudentiæ nomen reponens, tam procul à periculo quàm à fructu ſperatæ laudis remotus, Viennæ ſubſtitit expediendis commeatibus, qui navigijs ſecundo flumine in caſtra deferrentur. Iam enim Ioachimus, quum tantæ tarditatis infamiam ægrè ſuſtineret, vel maximè lentis itineribus ad Strigonium uſque pervenerat. In promovendis caſtris talis ordo perpetuo tenore ſervabatur, qui tametſi nullo uſui fuerit, & ad periculum faciendum eventu caruerit: prodendus tamen, quia optimus, ad exemplum poſteris videtur. Triginta ſub ſignis Hungarorum turmæ, moris hoſtium locorumque peritæ explorandis regionibus anteibãt. Pontificiæ cohortes ſequebantur, eæ ſiquidem primi pedeſtris agminis frontem obtinebant, Vitelllio lætanter & alacriter Germanis ducibus gratias agente, quòd ſibi potiſsimum, uti primis obiecto periculis, nobilem oſtendendæ virtutis locum dediſſent. His uti par erat Sfortiani ſplendentis armaturæ equites ad mutuam opem ferendam erant coniuncti. Succedebant continenti ferè ordine tres diſtinctæ maiores alæ, prima Pereni et Bathoris, ſecunda proregis Hunganoti, tertia Germanica gravis armaturæ: deinde modico intervallo peditum legiones quadratis agminibus. Apud has tormenta leviora falcones & minores colubrinæ ad campeſtres uſus ſupra quinquaginta equorum iugis trahebantur. In dextro latere legionum adequitabat imperator cum robore Germanorum equitum, qui fulgentibus protecti armis (nam & plerique ferrea tegumenta equorum pectoribus & clunibus indiderant) inſuperabilis, & longe pulcherrimi agminis ſpeciem præbebant: longa verò ſeries carrorum atq; rhedarum, quarum apud Germanos infinitus erat numerus, extra aciem ducebatur, ita ut irrupturis hoſtibus eſſet

obiecta, intercedente duorum ſtadiorum ſpacio, quo explicari poſſet equitatus. Inclinante ſole caſtra ponebantur, ea inſtituta ratione, ut lunato circuitu connexis curribus & pluribus ſimul tormentis, Germanici nominis copias circumvallarent, reliqui omnes Itali atque Hungari excluderentur, et una tantum Germanorum equitum manus extra munimenta pernoctaret. ob eam rem Vitellius ut contra ſubitas hoſtium incurſiones tutior foret, editos colles & nemoroſa loca ſeduló quæritabat. E ſingulis autem legionibus ſingulæ cohortes, quæ circa rhedas in ſtatione conſiſterent, ſorte ducebantur, & ſi quis hoſtium incurſus tumultum excitaret, duo millia equitum deſcripta erant, qui dimiſsis equis pedeſtri ordine, cohortibus opem ferrent, vallumque defenderent: ad lævam reliquum caſtrorum latus alluebat amnis aquationibus, & in omnes comitantis claſsis commoditates opportunus. Nunquam enim à Danubij ripa diſcedendum eſſe didicerant ſuperiorum ducum exemplo, qui in Pannonia militaſſent, & recenti monitu Ioannis Tarnovij Sarmatę, qui Moldavica victoria clarus, uti ſummus bello dux eo exercitu, multorum iudicio votoque ad certam ſpem victoriæ, longè digniſsimus habebatur. Is enim invitatus à Rege, quum tanti muneris operam pręſtare nollet, ne Sigiſmundum regem ſuum, in vetere Turcarum amicitia quieſcentem offenderet, ſalubre conſilium dederat: præclarè monens, ne unquam à ripa diſcederēt, nunquam ſe vel à refugientibus & perturbatis hoſtibus ad pugnam in campos elici paterentur. Nihil enim aliud Turcas omnibus ludificandi artibus inſtructos, eo bello quęſituros, quàm ut noſtri aviditate conſerendæ manus progrediantur, à flumineque diſcedant, quo ſe celeriter ad ripam inſinuent, circumfuſoque innumerabili equitatu & laxatis latiſsimè turmis cataphractorum impetus eludant, & demum intercluſo commeatu noſtros etiam, uti Ludovico regi miſerè accidit, aquatione prohibeant: quod ad Budam vero pertineret, ſevera voce dixit, bis anteà parum fœliciter tentatam, tertiò etiam periculo tentari poſſe, capique, ſed exiſtimare munitiones adauctas, & Turcas aliquanto Hungaris conſtantiores, ad interitum uſq; pugnaturos, quò animorum decreto noſtris militibus inſuperabiles iudicaret. Nec de invicta gente, quæ veterano & maximo polleret equitatu, magnam inſignemque victoriam ratione concipi & rectè ſperari poſſe niſi beneficio Deorum immortalium parta concordia, omnes totius Chriſtiani nominis equites, & opes in unam aciem congererentur. Erat enim fama edita in vulgus, Solymannum cum ingentibus copijs amittendæ Budæ periculo excitum in Pannoniam rediturum, aut ſi ipſe ſubſiſteret, miſſurum auxilio Europæi equitatus magiſtrum, qui ſuo more commoveri minimè poſſet, niſi equitum ſexaginta millia ducerentur. Sed eius conſilij eventus ſecus ac putarant, ancipitem caſum tulit. nam ſicuti ad decernendas cogendasque copias magnopere contulerat, ita ad deſcenſum continuò maturandum magno incommodo fuiſſe videbatur. Gravis enim nec inſolitus de Turcis timor, quanquā magnificis verbis egregiè tegeretur, Germanorū animis inceſſerat, uſq; adeo, ut planè rudis imperator, quanquā ingenio fortis, minime feſtinandū putaret, ne ſuę gentis exercitus in ea loca demitteretur, à quibus adverſo demū flumine, niſi parta victoria difficilis eſſet receptus. Ex arcano enim cōſilij decreto ſtatuiſſe ferebatur, nullā pro Pannonię regno, vel dimicationis, vel certi periculi aleā ſubire, ſed tueri tantū Noricos fines, & Germanię vires oſtētare, quib. deterreri poſſet Barbarus, ſi veluti cōceſſa Pānonia minimè

nimè contentus,Germanos quoque laceſſere cogitaret.Sed certi demum ſpeculatores è Samandria reverſi,quum eos omnes de Turcis falſos rumores extinxiſſent, tanti dedecoris tardidatem ſuſtulerunt. Nam vix mille Ianizeros pedites,& bis totidem equites Budam adveniſſe, & claſſem numero genereq; navium regiæ multo inferiorem eſſe nunciarant. Valebat & plurimum ad timorem minuendum cunctationemq; tollendam Hungarorum opinio plena bonæ ſpei,plenaque rationis atque iudicij,affirmante præſertim prędicanteque Pereno,nullam Turcarum manum,quę vel mediocris & exigui exercitus nomine digna videretur,ad Budam inventuros,ſi continuò deſcenderent; nihilque amplius iam penè corruptæ occaſionis inſigni flagitio perdi paterentur,quòd Solymanno alternis ęſtatibus bella gerere ſolito,is annus ſtatę quietis & ocij foret,nec ullam omnino validæ iuſtæque expeditionis ſuſpicionem adduceret. His de cauſis quum omnium militum animi ad profectionem erecti viderentur, & iam ipſe Ioachimus abrumpendam moram putaret,Danubium tranſire conſtituit:id non probabat Medices, qui quum Strigonij integrum annum in præſidio fuiſſet,Turcasque ſæpius ad portas excurrere auſos, multis interfectis & captis,latè repreſsiſſet,rebus Budenſium diligenter exploratis,petendum regni caput eſſe diſſerebat, monſtrabatq; iter expeditum,quo facilè in conſpectum Budæ biduo pervenirent. Idem erat Pereni iudicium, eadem Hunganotiq́ue voluntas, ſed cum ducis, tum conſultorum omnium mens erat,ante omnia Peſtum oppugnare, quòd minore cum labore fieri poſſe videretur, atque inde demum perſpectis hoſtium conſilijs, cognitisque viribus ad veteris Budæ ripas reverti: tum enim milites multò alacrius expugnandæ Budæ pericula ſubituros,ſi Turcas,quòd bono omini foret,in prima contentione deviciſſent. Hæc opinio magnopere probabatur ipſi Barcocio, Othoniq́ue Fotiſco, qui paulo ante Peſtum contra Mahometem inſigni cum laude defenderant,locorumq́ue naturam & mœnium vitia,& quicquid inſtitutis ab ſe nec perfectis munitionibus deeſſet, exactè noverant. Cæterùm ea res aliam quoque moram attulit: nam Danubius in inſulam ſancti Andreæ, & inde ad Vaccianam ripam traiecturis gemino ponte & laborioſo quidem opere iungendus erat. Vno demum atque altero ponte flumine conſtrato petenda erat Vaccia urbs anteà nobilis: ſed Mahometis bello,uti anteà diximus, incenſa,& demum evaſtata à noſtris copijs penè tota corruerat. Nec erat quiſquam qui ante alios adire atque explorare locum vellet: ocultatas enim in tectis atque ruinis inſidias timebant: quòd nemo adhuc hoſtium eſſet conſpectus,nec ulla ſubeſſet cauſa, cur aſtutæ & promptiſsimæ gentis conſilium,ad metum potius quàm ad dolos ac inſidias referrent. In ea cunctatione,adhortante Ioachimo, Vitellius alacriter id munus ſuſcepit, ita ut fidem daret imperator Germanorum cohortes poſtero die ſecuturas. Itaque Vitelliani celeriter confecto itinere urbem ab incolis deſertam intrant,nec quenquam hoſtium, qui ſe in conſpectum daret, inveniunt, ita univerſus exercitus ab inſula in ulteriorem ripam eſt traductus. Deſcendit & uno tempore Medices ornatiſsima claſſe,ut aliam minorem inſulam à fano divæ Margaritæ nuncupatam(ea eſt paulò ſupra Budam) occuparet, nec obſtitêre hoſtes,qui tota ripa ſeſe diffuderant,è Budaque vetere minoribus tormentis claſſem tranſitu prohibere conabantur.Sed claſsis ſingulari militum alacritate, & contentione remigum incitata,adiutaq; plurimùm ſecundo rapidiſsimi fluminis curſu, pau-

cis acceptis vulneribus, inſulam apprehendit, claſſemque hoſtium ſubeuntem coniectis in eam maioribus pilis ad ſuburbanam Budæ ſtationem compulit. Porrò inter inſulam & continentis ripam, ubi iam pontem effecerant, in ſpacio duorum ſtadiorum erecta quadrata munitione, parva caſtra, quæ ſeptem cohortium præſidium acciperent, conſtituta ſunt, ut onerariæ naves duplici defenſæ præſidio nihil timerent, & qui ſub ſarcinis in caſtra contendebant, ſecurè commearent. nam & interdiu aliquot turmæ equitum cohortibus addebantur. Quum magno circuitu, vitandis Budenſium tormentis, ad Peſtum ire pergerent, ex transfugis reperiebant Balim Epirotam, qui mortuo Solymanno Hungaro urbis præfecturam excepiſſet, in præſidio habere circiter duo millia equitum: tria verò ex Illyrico Vlamanem Perſam adduxiſſe. Is deſerto Tammaſo Perſarum rege Solymannum ſecutus, uti ſuprà memoravimus in expugnatione Caſtri Novi ad Rizonicum ſinum inſignem operam navarat. Ad hos acceſsiſſe mille equites Amurathe Dalmata duce, Obroatij & Cliſſæ cladibus noſtris claro. Adveniſſe autem Byzantio ex numero prætorianorum Ianizeros pedites mille, quibus præerat Segemenes Acarnan, eximia virtute chiliarchi locum meritus. Reliquos pedites ex genere latronum agreſtium Marteloſios aut Myſos remiges eſſe, quos faciundo operi potius quàm exercendis armis idoneos exigua mercede conduxiſſent. Claſſem verò conſtare paulo plus ſexaginta Naſadis, decem biremibus, paucisque magnis lintribus, quos undiq; educta ſponda craſsis aſſeribus contabulaſſent. Imperaſſe autem cunctis Solymannum, ut Budam & Peſtum cæteris omnino neglectis oppidis, ſumma vi defenderent, propoſitaque eſſe præmia fortibus, & ſupplicia ignavis: ſi quid porrò propugnantibus durius accideret, Achomatem magiſtrum equitum (Bellerbeyum ipſi vocant) e Triballis accerſerent: conſediſſe enim eum ad Sophiam urbem, ut maturè opem ferret, monuiſſeque Sanzaccos, ut parati profectionis imperium expectarent. His rebus exploratis caſtra ad oppidum promoventur, Turcæ conſpectis noſtris Vacciana porta erumpunt: Hungari ſingulari alacritate equos incitant, tumultuario prælio concurritur, ſed paucis utrinque cadentibus, pari ſucceſſu vires experti, Turcæ in oppidum, Hungari in caſtra revertuntur. Vitellius à Septentrione, qua una in parte oppidum tutò oppugnari poſſe videbatur, propinquum muro locum cœpit. Germani vallatis caſtris paulò remotius tetenderunt. Oppidi mœnia quadratam figuram efficiunt, & à Meridie profluente Danubio, & per anguſtam ripæ marginem relinquente, opportunè muniuntur. Vtrunq; autem latus ab Oriente pariter ac Occidente, tormenta maiora, hinc ab arce Budæ, illinc à Gerardo monte, ad certos ictus conſtituta, ita detergebant, ut ſine certo exitio, neminem niſi imperitum & inſanum uſq; adeo infeſtis in locis caſtrametari poſſe perſpicerent. Buda enim editis collibus impoſita, dirimente Danubio Peſtum in plano ſitum contrà reſpicit, dominaturque latè campis longo proſpectu, ita ut nullam partem à tormentis metu vacuam relinquat, præter eam, quæ ad Agrianam portam obiectu oppidi protecta à ſpectantibus eripitur. Poſtero die quum Vitellius, ut ſtatuendis tormentis locum exploraret cum tribus cohortibus & duabus Sfortianis turmis ad mœnia proceſsiſſet, nec quiſquam hoſtium conſpiceretur, Turcæ repentina eruptione è duabus portis noſtros invaſerunt, initumq; eſt certamen paribus primò animis ac viribus: ſed poſtquam nova manus peditum & equitum ſubſidio ſuis advenit,

noſtri

noſtri pedites primò, mox & equites perturbati diſſipatiq; Ianizerorum vim ferre nequiverunt. ſecus enim ac noſtri crediderant. Ianizeri ſumma agilitate ſuſpenſa ad utrunque latus anteriore tunica, peritiſsimè longioribus ſclopettis utebantur, celeritateque mirabili, ubi aliquis è noſtris concideret, aut occiſo equo ſterneretur, iacentibus capita detruncabant. Nec lato ſcuto protectus eques, longioreque haſta prævalidus, & gravi gladio aut clava ferrea galeas pertundens armatum noſtrum equitem timebat. In ea pugnæ iniquitate perterritis militibus, Vitellius conglobata cohorte una, accenſis q; pudore ſuorum animis, inſolenter urgentes Ianizeros gravi impetu ſummovit atque diſiecit: quibus expulſis, quod decorum Vitellio fuit, peropportunè ſervati ſunt Viſtarinus nobilis adoleſcens è Laude Pompeia, equitum præfectus, & Ludovicus Trechius à Cremona, primus Sfortianæ alæ vexillifer, qui vulneratis & cadentibus equis, ſub multo armorum pōdere in manibus hoſtium iam penè colla cędentium prociderant. Sed Laurentio Camerti, cohortis præfecto, opem ferre non potuit, eandemq; Fortunam tulêre Mazza Cortonenſis vir egregiè fortis, & duo cum totidē ſigniferis ex Vmbria centuriones. Explicante ſe Vitellio & ſuos recipiente, apparuit Turcas, ſi ampliore exiſſent numero, maioreque impetu incubuiſſent, noſtros ad unum prius quàm ſuccurri poſſent, delere potuiſſe: ſed in eo repētini prælij tumultu, quum vires ad conandum Barbarorum audaciæ defuiſſent, non uſque adeo animi noſtrorum ſunt imminuti, ut eſſet quiſquā qui ad abolendum dedecus in aciem produci non cuperet. Ita Vitellius ad ſarciendum incommodū dolore vehementer incitatus, ſatis iam cognita natura hoſtium & perſpecto pugnandi more, cōfirmatis accenſiſq; militibus, hoſti inſidias parare conſtituit, ante alios Perenum admonet, ut occaſioni gerendæ rei paratus & intentus eſſe velit. Conſidebat Vitellius in hortis regijs muro pręcinctis, qui æquali mille paſſuum ſpacio à maioribus caſtris & ab oppido diſtabāt: ex his hortis duodecim cohortes ſub ſignis educit, reliquas intra ſepta cōſiſtere iubet, progrediturq; magno circuitu ad inferiorē fluminis ripam. Nec heſterno ſucceſſu elati hoſtes, quicquā morę ſibi affarunt, quin cōſpecto noſtrorum agmine Orientali porta Flumentanaq; pariter erumpant, & ad noſtros magna alacritate deferantur. At Vitellius ſuo periculo cautior factus, uti ſtatuerat ac optarat, Turcarum impetum denſatis ordinibus excipit, ſclopettarios ab haſtatis protectos, & ſeſe in dextrū genu proclinantes, diſplodere iubet, vehementi ſtrepitu prælium miſcetur, multi cadunt, & Turcæ pertinaci audacia invecti cuneis noſtrorum aciem effringere conantur, ſed cohortes fortiſsimè reſiſtunt. Interim, quū iam Turcę equites atq; Ianizeri frequēti multitudine portis exiſſent, & multi pariter à Buda cōtemplati certantiū agmina, ut victoriæ intereſſent, tranſvecti navigijs citeriorem ripam cōplevisſent, Vitellius opportunè timorē ſimulat, ſenſim ſed conferta acie ſe recipit. Tum verò hoſtes clamorem tollunt, & vehemētius ex omni latere noſtros perurgent, & equites ad cædenda terga diſcurrunt. Id Perenus attentè conſpicatus, ubi iam ſatis magno ſpacio Turcas inſequendi cupiditate abductos, à portis diſceſsiſſe videt, expeditas turmas inter oppidum & averſos hoſtes inducit, celeriter turmę locū occupant, & regreſſurum hoſtem portis intercludunt. Adcurrit cum reliquis Perenus, validaq; Germanorū equitū manus duce Mauritio Hungaros cōſequitur. Tū verò Turcæ, animadverſo periculo, pedem referre, indagine ſe clauſos intueri, in fugam ora atq; a-

animos cõuertere. Nec conſilio votoq; Vitelliani deſunt, promoto enim haſta torum agmine & vtrinq; ſclopettarijs in cornua expanſis Barbaros inuadunt, eos vndiq; circumfuſæ Hungarorũ turmæ & occurrentes Germani equites in medio trucidant. Tantus erat conuerſis & fugientibus illatus terror, vt pleriq; præcipiti curſu ad portã delati intentis haſtis ſuorum terga configerent, illiſiq; in anguſtijs & mox cadentes ſequentibus ingreſſum obſtruerent. Multi quoq; quum è ripa, propellente equitatu, in flumen præcipites agerentur, & naues in tanta perturbatione conſcendere nequirent, aut interfecti, aut abrepti flumine perierunt, Naſadaq; vna nudata remigibus in litore capta demerſaq; eſt. Eo die Segemenes Ianizeros ſupra centum deſiderauit, quum ex reliquis ad quadringentos omnis generis amiſiſſet. Huius editi facinoris ſumma laus ad Vitelliũ peruenit, qui egregiè atq; fœliciter ſtructis inſidijs ſuorũ cædem celerrimè vindicarat: ſecunda omniũ confeſsione data eſt Pereno, qui peropportuno tempore & acuti & pugnacis ingenij inſignẽ operam præſtitiſſe ferebatur. Spectata quoq; eſt & nobilis virtus in Mauritio, qui inuectus acriter in hoſtes, & ab his circumuentus equoq; deiectus, tanto periculo fortiter ſe eripuit. Ab hac vel parua victoria noſtris adeo creuerunt animi, vt Ioachimus proferri tormenta, & continuò quati murũ iuberet. Itaq; erectis vimineis corbibus, quos multa gleba ad altitudinem ſtaturæ hominis replebant, vt pluteorum more tormenta protegerent. Productus eſt omnis tormentorum apparatus: ſed longius quàm opporteret tormẽta à Germanis conſtituta murum quanquam veterem, nec plus quinq; pedibus latum, languidiſsimè feriebant. Quòd ſi paulo demiſsius aut æquo altius librata eſſent, facile accidebat, vt pilæ vanis ictibus ſolo inciderent, aut trans Peſtum ad Budam vſq; iacerentur. Animaduerſo vitio Medices atq; Vitellius monendo docendoq; à Germanis impetrarunt, vt propius admouerentur. Eo modo quũ murus quadraginta maioribus tormentis aſsiduè quateretur, magno hiatu ad ingreſſum patefacto, repente corruit. Nec dubitauit Vitellius ſe primũ profiteri, qui primi periculi locũ atq; diſcrimen ſubiret, ſi Germani cum expedita legione, aſcendentes Italicas cohortes à latere ſequerentur. Annuere Germani, atque id ſe facturos ſublata manu promiſere, ſegni mox ac indecora cunctatione à fide diſceſſuri. Plerumq; enim accidit, vt qui antè periculũ fortem operam pollicentur, in ipſo demũ diſcrimine turpiſsimam præſtent. Ab alio autem latere Hungari pedites, agreſte hominũ genus, & cæteris audacior equitum iuuentus, quæ ad æquandum pari virtute bellicum decus dimiſsis equis pedibus pugnare minimè recuſabat, locum deſumpſerunt, truciq; vlulatu edito, quo præſtandę operę ſtudium oſtentabant, Italos tumultuario procurſu ad ſubeundum murum inuitarant. Expectantibus cunctis, vt ineundæ pugnæ ſignũ daretur Vitellius non pluribus verbis ſuos cohortatus quàm vt ſe in Italia natos in conſpectu fortiſsimarũ gentium pugnaturos eſſe meminiſſent: ipſis enim & patriæ maximè decorũ fore, ſi antè alios nobili auſu ad hoſtem prouecti, præcipua virtutis laude potirentur. Neq; enim de pugnæ euentu fœliciq; victoria dubitandum, quũ pro ſuperis & dignitate Chriſtiani nominis, cum inermi atq; fœdiſsima gente dimicarent: manere victoribus amplisſima præmia ab optimo liberaliq; Pontifice: egregiè autem fato functis, vti optarent, æternæ fœlicitatis in cœlo ſedes. Simili modò delectos veteranosq; ſocios nauales, quos è nauibus eduxerat, Medices accendebat. Perenus Hungaris, Germanis Heſſius aderant. Mauritius Saxo, & Torniellus ad tormenta

cum

ſum magna manu equitum & peditum in ſtatione conſtiterant, ut ſi hoſtes more ſuo erumperent, munimenta tuerentur. Erat mirum apud hoſtes ſilentium uſq; adeo, ut nonnulli traieciſſe hoſtes crederẽt: Segemenes enim exactæ diſciplinæ veteranus compreſſo omni ſtrepitu tacitè cuncta adminiſtrabat. Is novum ab Vlamane præſidium acceperat, foſſamq; intra murũ præaltam declivi utrinque marginè perduxerat: interiora autem in labro vimineos corbes more noſtro, atq; item vinaria dolia arena, ceſpiteq; repleta collocarat. Poſt eam munitionem Ianizeri conſidebant: ſecundum eos ſagittarij, & demum equites haſtati, ſcutatiq; qui pedibus pugnare iuſsi erant. Ad utrumq; verò foſſę caput feneſtratũ aggerem erexerat, ut qui è noſtris conſcenſo per ruinas muro in foſſam ſe demitterent, non maioribus tantũ tormentis ab utroq; latere emiſſis diſcerpti: ſed flamma etiam expulvere ſulphureo, aridisq; virgultis repentè excitata ad unum omnes correpti delerentur. Signo dato quatuor ſigniferi, ſequentibus cohortibus, audaci curſu in murum per ruinas evolarunt: ſed dum vexilla deſigunt, & foſſam munitionesq; hoſtium mirãtur, & pari ſpe metuq; ad deſcenſum animos parant, repentina grandine ſagittarum & glandium obruuntur. Nihiloſecius adhortante Vitellio, alij atq; alij intrepidè ſuccedũt. In his eminet Carolus Meliteus, nobilis adoleſcens, cui Vitellius erat avunculus, & cum eo præfecti aliquot, & ſtrenui centuriones. Cæterùm Germani pedites neq; ſpe victoriæ, neq; ſociorum periculo permoventur. Heſsius, alienæ cladis ſpectator, conferta legione ſub mœnibus conſiſtit. Hungari quoq; qui alacriter procurrerant, nec conſpecto quidem hoſte à mœnibus recedunt. Ita fortuna, iampridem Italicæ virtuti plurimum infeſta, noſtros deſerit: Meliteo humerus glande trãjcitur: præfecti cohortium Rufus & Fiolla Tiphernates cadunt, occiſisq; ſigniferis vexilla deſeruntur. Nec Turcę occaſioni deſunt, partim è propugnaculo, quod biennio antea Barcocio ac Othone Fotiſco defendentibus erectum diximus, partim à tranſverſo aggere proſiliunt, & tota muri corona diffunduntur, ſpirãtibus ſpolia detrahunt, & capita detruncãt, et mox glandibus, ſagittis, & multò maximè lapidibus deiectos, nec ſe recipientes noſtros inceſſunt. Eadem quoq; telorum vis legioni Germanorũ incidebat, ita ut multò plura, quã quæ nihil audẽdo, uti egregia cunctatrix, vulnera devitarat, ab ignobili demũ conſtantia exciperet. Pudore ſiquidem locũ tenebat, ne quę turpiter ſub mœnibus hęſiſſet, ſi ſe prima reciperet, ſecũdi dedecoris infamiam ſubire videretur. Idem ſpectans, ſed diverſa ratione, Vitellius nullum timoris, nullũ receptus ſignũ dabat, utpote qui univerſas cohortes multas ſterni, quàm ullum vel minimæ laudis locum legioni relinqui mallet, quum ſe ab ea deſertum, & penè proditum, maiore ira quàm dolore quereretur. Audita præclarè vox eſt Turcæ Italica lingua proloquentis, Cur vobis Itali viri fortes non parcitis, nec ſegnibus Germanis pugnæ locũ relinquitis? mens una nobis eſt Italis parcere, & Germanis uti maximè ignavis temulentiam excutere, ne amplius nos laceſſant. Tum verò Heſsius, pertinacia multis vulneribus expugnata, legionem reduxit, & cohortes Italicæ continuò ſe receperunt, adeo diſsipatis omnium ordinibus, quum à tormentis hoſtiũ celeri fuga ſe eriperent, ut multorum opinione conſtaret, ſi Turcæ omnibus portis erupiſſent, magno detrimento noſtros affici, & caſtra ad ſingularẽ ignominiam conturbari poſſe viderentur. Eo conatu potius, quàm prælio ſeptingẽtos è noſtris deſideratos ferũt: ſed aliquanto plures ex fœditate vulnerũ; nullis aut certè abſurdis ad ea reme-

dijs toto demum itinere perierunt. Medices quoque dum ad cohortandos milites diſcurreret, immanis tormenti afflatu potius, quam ictu humi cum equo proſtratus ſummum vitæ periculum adijt. Quum in muro pugnaretur Ioachimus ipſe & Hunganotus vſque adeo infami conſilio & loco ab omni tormentorum diſcrimine ſubducti pugnæ euentum expectabant, vt Torniellus atque Fotiſcus ad eos accerſendos non obſcura eius flagitij cum obiurgatione contenderint, vt confirmandis militum animis collocandiſque præſidijs, qui vni ſummæ imperij poteſtatem tenerent, adeſſe & conſpici vellent. Sed noſtris fortiter repulſis Barbari nihil ſe commouerunt, ita in caſtris ſublatus eſt omnis tumultus, & curandis vulneribus militi quies data: ſub noctem verò Ioachimus duces in conſilium vocauit, diſputatumque eſt grauibus ſententijs, an abſcedere incœpto quàm expugnandi oppidi diſcrimen iterum ſubire ſatius foret: quum à pleriſque Germanis ea, quæ tutiſſima, vti longè optima, probaretur. Tum Vitellius, an hoc, inquit, turpe ſit, vos ipſi videritis, viri Germani, qui vobis præcipuum militaris diſciplinæ decus perpetua laude ab inuictis maioribus veſtris traditum, non iniquo iure vindicatis. Quis enim vel gregarius miles eſt, qui Chriſtianæ militiæ nomen, ſi pari cum ignominia tam propere reuertimur, quàm tardè deſcendimus, non in præſens modo (tanto ſcilicet admiſſo dedecore) quàm in reliquum tempus exiſtimatione ſpoliari non uideat? exultabit certè Barbarus, vti iam aliquot inflatus victorijs, & Germaniæ vires, Romanis olim gentium victoribus formidabiles, inani tantùm fama conſtare conſpiciet. Ego quidem & cohortes meas, vel accepto incommodò, alacres & prælium poſcentes video, nec oppidum poſſe capi diffido, ſi vnò atque altero in loco murum quatiamus, paribuſque animis ac vno ſimul tempore, triplici conſtantique acie inuadendos hoſtes arbitremur. Neque enim fortis, vel eximius imperator eſſe poteſt, qui non omne vel iniquę ſortis periculum contemnit, vt publicę dignitatis & priuati nominis decus defendat. Hæc dicente Vitellio introductus eſt ſpeculator, qui Achomatem ſuperato ad Belgradum Sauo, ad Drauum perueniſſe referebat. Huius aduentu vel aſtutè ſimulatò, vel inaniter credito, Germani deliberationibus finem imponunt, atq; inde mouenda caſtra, redeundumq; Viennam cenſent: quod pręcipiti autumno matura heyms ſuberat, quod multi ex legionibus vulgatis morbis deperibant, quòd maximè timendos imbres diuturna ſerenitas prænunciaret, quòd deniq; foſſa interior, ante ſpem conceptæ victoriæ noſtrorum cadaueribus replenda videretur, nec tutus demum receptus foret, ſi Achomates expedita ſuorum agmina de more præmiſſurus, ad Tolnam traiecto Danubio, hærentibus in oppugnatione oppidi ſuperueniret. Erant militum omnium animi, ſi iterum mœnia quaterentur, ad præſtandam ſupremi conatus operam intenti paratiq;: ſed dux ipſe reputatione periculi, ab omni ſua parata laude diſceſſerat, vti ignarus belli, aut certè, quod potius de generoſo credi velim, octouirali iudicio circumſcriptus: quanquã heſterno certamine, dum cuncta armis tormentiſque perſtreperent, ita cruẽto ſpectaculo ſubtractus fuerat, vt nuſquã conſpiceretur, vno fermè ex omnibus regulis Mauritio Saxone excellenti virtute Germanorum decus tuente. Ob id veteres pleriq; Germani milites, eius ignobilis conſilij dedecus, confuſis triſti pudore animis non ferebant, atroci quodam fremitu indignantes paucorum ignauia publicum inuictæ gentis nomen prodi; & Hungari quoque feris vlulatibus amiſſam ſpem recuperandæ

patriæ deplorabant, incuſantesque Deos atque Germanos, de infeſta ipſorum genti fortuna querebantur, uſque adeo, ut tanti roboris exercitu dignus Imperator inanibus votis optaretur. Maximilianus quidē Cæſar Germanis: Matthias verò Corvinus Hungaris, qui iam pridem conſummata belli gloria fato functi poſterorum ignaviæ locum reliquiſſent. Cæterùm Ioachimo decreti propoſitum tenente, Itali duces, qui diſceſſum dictis ſententijs improbarant, ægrè impetrarunt, ut ſequenti die in ſpeciem renovandi certaminis, tormentis mœnia quaterentur, nihilque milites ad iter pararent, ſed ſub ſignis, nullo tumultu edito, in ſtatione conſiſterent, quo ſuſceptæ profectionis conſilium tegi poſſet, & diſtineri hoſtis, qui nullam ad inſequendum moram facturus eſſe videbatur. At Segemenes ubi noſtros tanto fortiſsimarum cohortium detrimento perterritos videt, prima luce equitatum omnem & validas peditum manus, quæ refugientibus equitibus præſidio forent, audacter emittit, pluribus in locis cum Hungaris pugnatur, nec virtute, aut eludendi arte noſtri hoſtibus cedunt: resque eò deducta erat, ut in conſpectu Germanorum ac Italorum indictis inducijs ſingulari certamine, ex utraque acie conſpicui & promptiſsimi quique infeſtis haſtis concurrerent, uſque adeo fide integra, ut utrinque Barbari Hungaris, & Hungari Barbaris inviolata comitate miſcerentur, noſtrique duces tanquam ludicro ſpectaculo virtutis ac ignaviæ iudices intereſſent: acciditque, ut inſignis dux Turca Vitellium ſibi oſtendi poſceret, atque ad eum (nam armis ſatis erat conſpicuus) virtutis nomine amplexandum procurreret. Eo die ſupra quingentos equites nonnullis utrinque interfectis ac vulneratis concurriſſe conſtat. ſequenti porrò nocte, reducto omni tormentorum apparatu, exercitus ad claſſem ripamque Danubij iter extendit. Tum verò Barbari noſtros diſceſsiſſe conſpicati, ſeſe omnes effuderunt, clamoreq; ſublato, quo noſtris turpem fugā exprobrarent, poſtremis agminibus inſtiterunt. Traiecerat & ipſe Vlamanes, premebanturq; adeo noſtri, ut niſi magno accepto incomodo ſeſe explicare & agmen conſequi poſſe viderentur, niſi Vitellius vexilla ſiſti convertiq; ordines ſuos iubens monuiſſet Hungaros, & ſecundum eos Germanorum cataphractos, ut impetu facto, & denſatis turmis urgentem hoſtem impeterent. Ita armatus equitatus intentis haſtis invectus non ſummovit modò hoſtem, ſed proturbatum & fruſtrà terga dantem latè cecidit. Nam poſtrema Turcarum agmina, uti procul à periculo, nec perſpecta noſtrorū acie, quæ repentè ſe converterat, nondum equos ad oppidū converterant: ita primi intemperanter urgentes præcipitis audaciæ pœnas dederunt. Duravit ea tumultuoſiſsima hoſtium fuga, pugnaq; in multam noctem, quum clauſis portis excluſi hoſtes ad Danubium uſq; ſecundū mœnia curſum intenderent, noſtriq; avidè perſequerentur, & cuncta tormentis undiq; emiſſis, in communi periculo perſtreperent. E noſtris autem ducibus, ſuprema inſignis virtutis opera egregiè navata interijt Iacobus Truceſes nobiliſsimæ ſtirpis Valpurgæ regulus, qui Suevorum equitatui præerat. Is quum equo ex vulnere procumbente oblatum alterum conſcendere conaretur, interfectus eſt, caputq; eius haſtæ præfixum ad Vlamanem miles detulit. Trunco autem noſtri potiti ſunt, qui demum Vacciæ omni funeris honore collato tumulatus eſt, hoc ipſo publicæ pietatis officio digniſsimus, quòd eius ſacri ſuſcepti belli præcipuus adhortator extitiſſet. Eo accepto incommodo, multisq; deſideratis Vlamanes equitatum continuit, patuitq; inde expeditū iter noſtris infami

feſtinatione Germaniam repetentibus, quibus magno uſui claſsis fuit. Medicis enim præfecti diligentia, tormenta omnia in naves ſublata ſunt: ægrorum tamen perampla manus ſegniter extremum agmen ſubſecuta claſſem conſcendere nequivit, ita ut superventu Barbarorum ſeptingenti ferè Germani ſemianimes, crudeliſsimè in oculis noſtrorum obtruncarentur. Duces verò noſtri iam tertiò ac infelici ad gravem ignominiam conatu, Turcarum vim atq; peritiam experti, amiſſum militare decus triſti cogitatione deplorabant, quum iam Pannonici regni obliviſcendum, & pro ſalute Germaniæ conſilia capienda faterentur, poſtquam ſummi reges, obliti veri decoris, veræq; pietatis dum privatis odijs decertant, rempublicam Barbarorum commodo, enervandam perdendamque immani animorum obſtinatione ſuſcepiſſent. Italis ab rege dimiſsis, redeuntibusq; in Italiam egregia fide ſtipendia perſolvit Angelus Medices præfecti claſsis frater, quem Pontifex ob ſingularem induſtriam Vitellio quæſtorem dederat, ut fratrem Vitelliumque hiſdem ſenſibus coniunctos in amicitia contineret. Ab rege autem, cum multa virtutis commendatione, Vitellio atque Angelo aurata pocula dono data. Sed eas copias per Villacum & Carnicas Alpes atque Venetiam domum iter habentes lentus potius, quàm ſævus morbus à caſtrenſi illuvie, ac alieni cœli, & peſtilentis autumni iniuria conceptus, vehementer afflixit: uſque adeo, ut ferè dimidia pars militum deſiderata ſit, & Tiphernates principem civem, cum meritæ laudis laurea redeuntem ex domeſticis funeribus atra in veſte ſuſceperint. Sfortiani quoq; equites cunctis fermè equis macie enectis, pedibus in patriam redierunt. Cæterùm ut rei malè geſtæ fœdus exitus, ad minuendam infamiam avertendosq; hominum ſermones alicuius inſignis facti novitate tegeretur, Perenus Petrus affectati regni ſuſpicione, regiorumque livore circumventus in arce Strigonij à Liſcano Hiſpano iuſſu regis capitur, traditurque extemplò Medici præfecto claſsis Viennam deducendus. Quum caperetur, avarè ac inhumaniter agens Liſcanus aureum torquem collo detraxit, exuitque veſte quæ pretioſis Sebelinarum pellibus ſuffulta erat. Id factum, uti clariſsimo viro atque inſonti indignum, adeo Hungarorum animos contumeliæ dolore conſternatos perturbavit, ut ſupra duodecim milia equitum maledictis Germanicum nomen inceſſendo ſublatis continuò ſignis domum redierint. per eos enim dies nunciatum erat, Pereni filium ex aula Solymani a Raſciano ſervo fœlici aſtu eductum in Tranſyluaniam evaſiſſe. Is admodum puer Solymano fidei obſes datus intra ſepta regiæ cum nobilibus coætaneis adoleverat. Nam Perenus pater devicto ſublatoq; Ludovico, quum Ioannem nequaquam regia ſtirpe progenitum, Pannoniæ regno potiri vehemẽter indignaretur, ad Ferdinandum, vti ſummæ nobilitatis principem, Cæſaremq; in concilio Germaniæ deſignatum tranſierat: ea ſpe vt primum ſibi poſt regem in Pannonia potentiæ locum pararet. Sed pari quoque ingenij mobilitate, quòd omnia apud Ioannem ſub maieſtate Solymani tuta atque fœlicia: apud Ferdinandum autem dubia ac infirmiſsima ſpectarentur, cogente pudore (ne Germanis æternis hoſtibus Hungarico ſanguini imperij decus erepturis favere videretur) auctore Habraymo Baſſa, cum Ioanne in gratiam redijt: ægre vt reciperetur impetrante Solymano, quum Ioannes Perenum fluxa fide, vario inſtabiliq; iudicio hominem teſtaretur: proindeq; iterum ab ſe defecturum eſſe prædicaret. Ad ea Solymanus in hanc ſententiã graviſsimè reſpondit, ſicuti ab his qui ſermoni interfuerunt, didi-

dicimus. Quid tu igitur, Ioannes, ad gloriam maioris à Deo magno, ſi ſapis, expotare potes, quàm vt Perenus à fide diſcedens, dum ingrati atque improbi nomen ſubit, generoſę clementię decus tibi relinquat? Exinde Perenus in honore habitus integra fide regem coluit: ſed mortuo demum Ioanne ad ingenium rediit, quum Georgium tutorio nomine regnantem ferre non poſſet, & à Ferdinando ſolicitatus eadem ambitioſè affectata transfugij præmia inani ſpe pręſumeret. Itaq; filius Byzantio fuga elapſus, quum incredibile gaudium afferre videretur, ſummam calamitatem miſero patri attulit: à regiis enim ignavisq; hominibus, quibus aliena virtus oneri, & calumnia virtutis odio genita magno queſtui ſemper fuit, excitatus erat rumor, Perenum adoleſcentem ſimulata fuga elapſum, cum Solymano tranſegiſſe, ut pater Hungaros propoſitis rerũ omnium immunitatibus ad Turcarum ſtudia traduceret, pręmiumque illi foret Pannonici regni præfectura, in ſpem quoq; propinquam regij nominis, ſi fata Stephano infanti Ioannis regis filio, adoleſcentiam inviderẽt. Perenus quoq; non levem aut obſcuram vim famæ ſuſpicionique præbuerat, quum per hybernorum tempus ab Agria cum præfectis Turcarum comiter & liberaliter agendo amicitiam mutuis magnisque muneribus coluiſſet, & id quidem aliquanto ſtudioſius & luculentius quàm deceret, cum eo præſertim hoſte, cum quo nullũ eſſet ab adverſa religione cõmerciũ, nec ullæ tum publicæ ad ocium induciæ vigerẽt. Sed tantus inerat Pereni ingenio faſtus & ſplendor propè regius, ut ei fermè centũ generoſi & militares equi, vacui ſeſſoribus præducerentur, ob idq; Ferdinando regi parùm cultu decorã aulam aut certè exhauſtas opes exprobraret: quũ ille uſquequaq; à familiaribus ſuis immaniter direptus tenui apparatu, ægrè regij nominis ſplendorem tueretur. Ea luxus oſtentatio regiorum animos nefariæ direptionis conſcientia perculſos, ita altè perſtrinxerat, ut cuncti ad opprimendum Perenum coniurantes, eum digito commonſtratum olere diadema regium, nec privatum pati nomen poſſe prędicarent, adeo pronis & ſuſpicacibus ad id Ferdinandi auribus, ut quum vera teſtataque de familiaribus minimè crederet, genio deceptus, falſa de alienis libentiſsimè ad animum tranſmitteret. Eam quoque affectati regni nutantisque ingenij ſuſpicionem vehementer auxerant literæ, Pereni ipſius manu ad quoſdam duces Hungaros ſcriptæ, proditæque regi à Francapane Agrienſi antiſtite. hic enim Pereno valde infenſus erat, quòd ille militari licentia totius Agrienſis ſacerdotij peramplos redditus alendis ſuis equitibus intercepiſſet. his autem literis opima novaq; ſtipendia ſuam authoritatem ſequentibus polliceri videbatur. At Perenus cum omni honore verborũ à Medice Viennam perductus, quum portę appropinquaret, audiretque obviam Medici advenisse Philippum Torniellum, rogavit ut ſibi adaperta rheda alloqui viros fortes generoſosq; liceret. Id verò facilè conceſſum eſt, quòd tanta viri claritas & ſpectatæ virtutis ſtudium non cuſtodia modò & carcere, ſed nec ambiguæ fidei ſuſpicione digna videretur: isque ad eos converſus: Me miſerum, inquit, quem inſontem immanis invidia circumvenit: ſed multò miſerior Ferdinandus, cui domeſtici latrones & fortunas, & amicos: & deniq; regium decus eripiunt. Ita enim fit, ut hac præcipiti delati nominis mei iniuria Hungaricã gentem à ſtudio fideq; penitus avertat, ac ob id de Pannonię regno nõ temere deſperet, poſtquã mihi claritate nataliũ nulli ſecundo, & iam tribus bellis fortis fidelisq; navatę operę pręmia ab iuſto rege promerẽti, de filio Barbarorũ ſervi

tute erepto lætari non licet: quum pro incomparabili gaudio iniqua mea ſorte, non dubius vitæ metus antè oculos obuerſetur. An delatores ignauiæ ſuæ conſcij, in ipſa de me calumnia præcipui teſtes, capto cuſtoditóque parcent? qui nec famę vnquam regis pepercerunt. clariſsimus enim quiſq; vel criminis inſons quum capitur, non conceptæ quidem noxæ pœnas, ſed aduerſam fati ſui ſortem ſubit, me tamen animus integer ſceleriſque inſons, quod vnum Dij certi iudices calumnia circumuentis & miſeris ſolatio relinquunt, hac cura liberat, liberabitq; hoc crudeli infamiæ onere Ioachimus imperator, cui oborta ſuſpicione tale mihi periculũ imminere prędixerim, et me obiter inſontem interfici malle, quàm iudicio corã non adeſſe, confirmarim, et tum quidẽ, quũ tantis meis ſeptus copijs nullius vim timerem. Hæc obſecro nobilis officij verba Ferdinando renunciate, vt in diſcrimine mei captis maturè generoſeque deliberet, & quantũ inter amicos & delatores interſit, ſuo non alieno ingenio fretus intelligat. Nimis profectò miſeri ſumus duces, ſi re male geſta ita plectimur, vt præuertiſſe belli Fortunam videamur. Deſerti certè ad Exechiũ fœdeq; amiſſi exercitus Cazianer iuſtas fortaſſe pœnas dedit, quũ inuſitato oppreſſus metu imperij munus deſereret, nec in ipſo duce dedecoris quàm mortis metus grauior eſſe videretur, vltro enim ſeſe cuſtodię dedens, ita cõcepti pauoris crimine damnatus eſt, vt deſperatis cauſæ ſuæ præſidijs effracto carcere, tam ſceleſto quàm infœlici conſilio ad Turcas transfugerit. Sed neq; ſummũ imperium apud me dudum fuit, neq; nos victi ſumus: ſi non vicimus, quod nobili certè receptu perſequentis hoſtis inſolentiã egregiè repreſſerimus. Pannoniæ autem regnum affectare & tum promereri beneficio Solymani facilè potui, quum Ioanne rege morte ſublato, expedienteq; arma Ferdinando, clientelæ opéſq; meę & Hungarorũ in me ſtudia, non leui ad victoriam momento valitura ſpectarentur: nec abſurdam ob id, vel intempeſtiuam ſpem conſilijs viro Chriſtiano indignis afferrent. Pugnaui igitur, pugnaboq; dum viam contra Turcas, ſi ſe æquum Ferdinandus in hac calumnia inimicorũ malignitate conflata iudicem præſtiterit. Perorantem Medices, vt in clementia æquiſsimi regis ſpem reponeret humaniter adhortatus eſt, moxq; fidele officiũ pręſtitit, ipſeq; demũ Torniellus venantẽ nactus regem, ne quid durius de Pereno ſtatueretur, opportunis precibus molliuit. Nec multo poſt Perenus, quũ in dicenda cauſa, vt palam audiretur, imperare nequiuiſſet, in ciuitate noua cuſtodię traditur, vel nouę perfidiæ, vel, vt credi par eſt, antiquę leuitatis diuturno carcere pœnas daturus. Ita tres omnino reliqui antiquiſsimæ ſtirpis Hungari principes promerendo Pannoniæ regno pares, Valentinus atq; Maylatus, ac ipſe Perenus, paribus propè inſidijs virtutis inuidia circumuẽti, omnẽ ſpem excitandi Hungari regis diſcordi ac ob id afflictæ ipſorũ genti ſuſtulerunt: quũ hic ſera inſtabilis iudicij ſui pœnitentia ſortem lugeat, illi verò ad Euxinum Pontum, in cathenis mortem miſeriarum finem expectent: grauiore tamen Pereni conditione, quum illis à religione deſciſcentibus, maximi militiæ honores à Solymano liberaliter offerantur: hic verò nihil à deprauato rege mitius expectet, quàm vt in carcere mœrore ac illuuie confectus intereat. Hunc habuit euentum id bellum ex concilio Germaniæ aduerſus Turcas ſuſceptum, quod magnæ cladi pleriſq; æquandum videretur, quum Ferdinandus à Bohemis & Sleſitis atque Morauis, qui militũ delectum collata pecunia redemerãt, ſubſidia inſtantis belli nequicquã abſumpſerit, amiſſaq; exiſtimatione Germaniæ viriũ, vti iniuriæ

expoſitus

expoſitus ac inermis, audaces alioquin Barbaros, & tum ab ipſa victoria inſolentes aduerſum ſe concitarit. Sub id tempus Paulus Pontifex ſuo vetere indicendi concilij propoſito innixus, Tridentum tanto conuentui maximè opportunum delegit: cupiebat enim ſatisfacere Cæſari, indulgereque his Germanis, qui ab auctoritate Romani pontificis Chriſtianiſque ceremonis impiè deſciuiſſent, ac tum maximè vllam vrbem extra Germaniæ fines ipſis tutam aut commodam fore pernegarent. Eo autem, vti plerique putabant, audaci periculoſoque decreto, Pontifex eleuandam omnem timoris ſuſpicionem exiſtimabat: quo celebri edicto, ſi qua omnino aut cæci metus, aut improbę cunctationis nota ſuperioribus Pontificibus inhæſiſſet, peculiari ſua cum laude penitus detergi atque aboleri videretur. Ita enim fiebat, vt Tridentinos Germanica loquentes lingua in ditioneque Cæſaris conſtitutos, nec ipſe quidem Lutherus hæreſiarcha inſanię pœnas veritus, reformidaret: quum patrum memoria Vicleffium & Huſſium, pari impietatis nomine damnatos & Conſtantiæ concrematos audiſſet. Sed poſteà præclarè compertum eſt, Pontificem hac in re Cæſari in ſpem priuati commodi obſequi voluiſſe. Igitur circiter calendas Nouembres, anno à partu virginis ſupra milleſimum quingenteſimo & quadrageſimo ſecundo, Pontifex ex ſenatus conſulto, tres ſenatorij ordinis Cardinales Tridentum miſit, qui bene auſpicato inchoandæ ſynodi futuræq; tot gentium frequentiæ ſedem pararent, Paulum Pariſium diuini ac humani iuris profeſſione inſignem, Reginaldumq; Polum Britannum, qui ſupra regię ſtirpis claritatem, & latinæ facundiæ laudem nemini fere fœlicius partam, perfectum Chriſtianæ virtutis habitum præferebat, Ioannemq; item Moronum, ſecunda morum atq; doctrinæ fama per omnes Germaniæ conuentus legationis munere perfunctus. Hos ſecuti ſunt aliquot præclari nominis epiſcopi: nam Pontifex ad repręſentandam eius ordinis dignitatē, excellenti ingenio doctrinaq; ſupra centum deſcripſerat, qui de veritate rerum diuinarum ſaluteque labantis Reipublicæ in conſeſſu gentium omnium diſputarent. Venientes Chriſtophorus Madrucius, Tridentinus epiſcopus, pari ſplendore humanitateque vir liberaliter excepit: nec multos poſt dies Peronotus Granuellius ab Hiſpania Genuam triremibus delatus, profectusque inde Tridentum, inchoatæ ſynodi famam excitauit. Cæſaris enim occultè mandata detulerat, quibus indicti concilij decretum locumque ad eam celebritatem opportunè atque rectiſſimè delectum approbabat, teſtabaturque eo vſurum eſſe Cæſarem maximo Reipublicæ commodo: Quoniam ipſe ad prima veris ſigna naues conſcenſurus, vt corrigendis publicis moribus cenſuram ageret, impiaſque aut certè obſcuras in religione opiniones inuecta vera luce reuelleret, concilio adeſſe ſtatuiſſet, nobili pioque Sigiſmundi Cæſaris exemplo, qui Conſtantiæ rebus ritè compoſitis terrarum orbem diris erroribus & peſtilentiſſimo ſchiſmate liberaſſet. In eam quoque ſententiam Antonius, ipſius Granuellij filius, præcellentis ingenij iuuenis, Atrebatum antiſtes, luculentam habuit orationem, non obſcurè emiſſis quibuſdam aculeis Pontificium nomen, quòd ſacrorum principes perpetuis ludificandi artibus, tam diu tergiverſando, neceſſaria atque ideo ſuprema publicæ ſalutis remedia diſtuliſſent. Negauere tres legati ſe quicquam publicè de mandatis audituros, ne vno eius aduentu ſynodus ritè cœpta crederetur. Eam enim grauiſſimarum rerum & dogmatum cognitionem ad vniuerſas Chriſtianę profeſſionis gentes pertinere expectan-

dosque propterea ſacratos viros, qui ab vltimis Hiſpaniæ Galliæque finibus, & a Germanico Sarmaticoque Oceani litore venturi crederentur. Tum enim de Republica optimè ſperandum videri, quum ſaluberrimo omnium conſenſu ad impetrandam pacem ſanandosque mores, & decernenda pia arma aduerſus Solymanum, ingentia ſtudia, ac vniuerſæ denique omnium opes conferrentur. Eò enim Granuellius tendebat, vt Pontifex terrore concilij iniecto, ab inſtituta ſacroſancti parentis ac iudicis æquitate diſcedere, proferreque arma aduerſus Gallum pro Cæſare cogeretur: cum immani enim hoſte fœderatum, exitioſamque in immenſum Chriſtiano nomini, Barbarorum amicitiam colentem, eo titulo maioribus quondam eius maximè ſpecioſo, quem præferret, indignum dicebant. Putarat etiam ab initio Cæſar, vetere ſuo incenſus odio aduerſus Gallos, Pontificem in partes facilè producturum, vti maximis obſequijs atque muneribus deuinctum conceſſa paulò ante Nouaria, prælataque demum Farneſia domo, in qua (repudiatis aliquot illuſtribus generis, ipſoque præſertim Coſmo Etruriæ principe excluſo) vnicam filiam, Mediceas opes dotali hæreditate ſecum trahentem, nec tum Octauio quidem coniuge ad nuptias ſatis maturo liberaliſsimè collocaſſet. Quibus de cauſis amarior factus Cæſar, legem in Hiſpania promulgarat, ne cuiquam externo penſiones, auctoritate Pontificum ſacerdotijs impoſitæ, ſoluerentur, Michaelemque Syluam Luſitanum Cardinalem legatum, pias dignasque periculo cohortationes afferentem contumaci contemptione reiecerat: quum Syluæ collega Sadoletus Cardinalis in Gallia perhumaniter eſſet auditus. Certiſsimis enim ſpeculatorum nuncijs ac literis compertum habebat Pontifex, Solymanum ea quæ imminebat æſtate terra marique atrox bellum Chriſtianis illaturum, & tum quoque circiter quatuor Hiſpanorum milia ad extremos Sabinorum fines hyberna protulerant, imminebantque ita per Valeriam viam Tyburtinis montibus, vt quum non longè a Pontificijs finibus Fabritius Columna, & Franciſcus Vrſinus (ille paterna ditione exutus, hic iudicio rerum capitalium abſens damnatus) exules verſarentur, non inanem metum Romanis incuterent, omnino ſimiles ex funeſta memoria valde atroces Columniorum & Cæſarianorum caſus facilè timentibus. Sed in Pontifice ad nulla vnquam terricula trepidanti, & Reipublicæ nunquam oblito, ea inerat æquitatis atque iuſtitiæ cura, vt priuato nomine ingratus, quàm publico incommodo parum grauis diſceptator, Chriſtianiq; officij prorſus imperitus exiſtimari mallet. Prouidebat enim Franciſcum, præclaro recentique ſuo & ſuperiorum Galliæ regum ſtudio de Pontificio nomine benemeritum, nequaquam temere alienandum: vtpote qui laceſsitus iniuria, à Romani Pontificis auctoritate indignanter diſceſſurus eſſe videretur. His de cauſis plerique ſenatores in contraria ſtudia diducti, vti anteà capti ſacerdotiorum muneribus magnæ partis ſenatus cum pudore ac infamia diuenditæ libertatis Cæſari & Gallo diuerſis ſententijs fauebant, vſque adeo intemperanter, vt Dionyſius ex ordine ſeruorum cucullatorum in ſenatum traductus, Franciſcum auito Chriſtianiſsimi cognomine ſpoliandum, perſequendumque armis & diris imprecationibus diceret, obſtrepente ſenatu intempeſtiuæque facundiæ inſolentiam reprehendente: quum Dominicus Cuppius Romanus, Senatus princeps, interrogando reſpondiſſet, in cuius ergo tutela rei Romanę ſalus et dignitas erit?

ſi pro

ſi pro Cæſare, à quo proditi perditiq; ſummæ clamitatis incommoda pertulimus, contra eum quem inſigni merito liberatorem vrbis fatemur, diuina ac humana arma nefario decreto expediamus? Non infacetè quoq; alius ſenator ad proximos conuerſus ſubiunxerat, Parcite, inquit, patres, non iniquo enim iure latrat, qui fameſcit: ad opimum enim ſacerdotium inops Dionyſius quum anhelaret, liberalitatem Cæſaris peracri ſtudio prouocare nitebatur. At Pontifex ſermones graui admodum aure exceptos ita contracta vel remiſſa fronte transmittebat, vt nihil ea patrum contentione grauari putaretur: ingenio ſiquidem egregiè compoſito, & per omnẽ ętatem ſenatorijs artibus exaggerato, maximũ prudentię munus exiſtimabat, detegere hominũ ſtudia, nudare volũtates, ſcrutari atq; introſpicere ſenſuũ receſſus: in magnos ſcilicet vſus publicarum actionum: quæ omnia tum ſolerter adſequebatur, quũ in negotio diſſentiendi materiam ſimulata conſultatione præbuiſſet. Hinc collecta parataq; habebat reſpõſa, quæ legatis daret, excuſationeq; legitima in alternos vſus opportunè tranſlata vtriuſque principis offenſiones eruditiſſimè deuitaret. Detexerat & tum latè profundeque principum animos, tameſi eos anteà, tanquam à concordiæ nomine plurimum abhorrentes, ſatis habebat exploratos: quum forte Cæſar ad eum vti communem omnium parentem, ſacroſanctoque iure omnis humanæ litis diſceptatorem literas perſcripſiſſet, quibus in Franciſcum vehementer inuectus ſuperiorum temporum iniurias, ruptaque toties fœdera, & concitatum ad Chriſtani nominis perniciem Solymanum querebatur. Nec ideo dubitaſſet Franciſcus, quin publicato ad defenſionem inſigni volumine obiectà confutaret, adeò vt binis crimino ſiſſimis libellis ad inexpiabilem contumeliam editis, vtrinque regij honoris fama immaniter dilacerata ſpectaretur, eaque obiter arcana prodita, inuſtæque diræ factorum notæ omnem ſpem conciliandæ pacis excluderent. Ea ſiquidem maledicta in grauiſſimo momento leſæ maieſtatis inſanis peruicacibusque animis, vti verè propria ducebantur, quando omnis calamitas conflagrantis orbis non ad ipſos, ſed ad miſeras alienasque gentes pertineret: quum integro pudore tueri regium decus vellent, & tamen hoc duorum & viginti annorum curriculo ſupra ducentas vrbes euaſtatas, caſtella amplius tria millia deleta, totaque ea contentione ducenta millia hominum Chriſtiani ſanguinis interfecta faterentur, & ſubinde nihil permoti vel acerbiſſimo humani generis odio, Deos ipſos, vti nunquam miſerorum precibus affuturos, abdicata pietate contemnerent. Cæterum Granuellius Tridento profectus, eadem, qua venerat, celeritate ad Germanos peruenit, qui conuentum ad Nurumbergam indixerant. Deferebat enim certiſſima Cæſaris animi decreta, quibus grauiſſimarum rerum munus expediret. Ante omnia Guilermus Cleuenſis regulus ad auctoritatem Cæſaris erat traducendus: cohortandæ liberæ ciuitates, vt Ferdinando regi tuendo Pannoniæ regno adeſſent: Saxonum, Cattorumque principes Henrico Brunſuicenſi conciliandi, quorũ armis propter ſacerdotij controuerſiam ditione nuper eſſet expulſus: prouidendũ ne Germani milites impunè ad Gallorũ ſtipendia tranſirent: & commouenda deniq; omniũ ſtudia ad conciliũ celebrandum: qua in re Lutheranorũ voto potius quàm ęquiſſimę Pontificis cauſæ fauere videbatur. Neq; enim conciliũ libero gentium omniũ concurſu celebrari poterat, niſi prius pax ipſa regumq; concordia pararetur, atq; ita fiebat, vt promiſſiones Cęſaris, quibus Lutheranorum animos promerabat, nec

ambigua ad id Pontificis voluntas, tanquam inanes nihil ad cauſam profuturæ à pleriſque irriderentur. Quis enim ab Hiſpania clarus antiſtes (quum in Gallia Georgius Maximiliano Cæſare genitus Valentinus epiſcopus, in itinere ſub ipſam Rinconis atque Fregoſij cædem eſſet interceptus, & Oceani Mediterraneiq; maris nauigationes Punicarum et Gallicarum claſsium metus ſuſtuliſſet) Tridentum omnino eundum eſſe arbitraretur? Quis demum è Gallia inſignis vir ſacratus per Rhæticas Alpes in eam vrbem ſe conijcere auderet? quæ ad vnum buccinæ cantum in poteſtate Germanicæ multitudinis futura crederetur, vel nolente obſtanteq; Ferdinando, cuius eximiam fidem in ipſo periculo imploraſſe fruſtra eſſet. Nemini enim in dubium verti poterat, quin legitimum atq; ſolenne concilium ipſa pace natura poſterius cenſeretur, quoniam ſublatis vndiq; bellis humanas res tranquilla pace conſtitutas rerum quoq; concordia ſequeretur. Sed hæc cunctis exoptata parari minime poteſt, niſi viri Chriſtiani de interitu religionis valde ſoliciti, pacem antè omnia ab obſtinatis principibus vel coniurantes expoſtulent. Interea tantis in Belgio detrimentis affectus Cæſar, & vehementer indignatus, Gallos ab ſe toties deuictos, ſe præſente Hiſpaniæ fines intrare auſos, ingens bellum parabat. coniuxerat enim ſibi nouo fœdere Henricum Britanniæ regem, vt eius gentis auxilijs, quibus Galli antiquitùs magnopere terreri conſueuiſſent, ditiſsimiq; regis auro adiutus, multo quàm antea validiore impetu Galliæ fines ingrederetur. Fuit ea ſocietas ingrata ſuſpectaq; Pontifici, vtpote quæ ſacroſanctæ maieſtatis nomen maligna contemptione ſuggillaret. Vix eam enim homines qui pacem ſperarent, non initam modò, ſed ne tentatam quidem credebant: mirum enim pleriſque videbatur, Cæſarem tanta pietate, tantaq; honeſti decoris exiſtimatione præditum, ſummas iniurias animo deponere, inexpiabiliſq; odij penitus obliuiſci, vt quum in Gallum atroci odio deferretur, atque ei omnino grauiſsimè nocere vellet, nullam vel Pontificiæ dignitatis vel obligatæ fidei rationem habendam putaret. Henricum anteà Clemens Catharinam vxorem, quæ Cæſaris erat matertera, periniqua animi libidine repudiantem, filiamq; ſubinde, vti ſpuriam à regni ſucceſsione procul addicantem, poſtulante vrgenteq; Cæſare, ſacris interdixerat, iuſta quidem, ſed intempeſtiua ſeueritate: quum ille contumelia perturbatus ab auctoritate Romani Pontificis repentè diſceſſerit, ſacrorum imperium & templorum opes inuaſerit, ac immani demum truculentia Roffenſem Cardinalem, & Morum, Chriſtianæ virtutis exempla, multoſq; item ſacratos ac inſontes viros occiderit. Non fefellerat quidem eximiæ alioqui prudentiæ Pontificem eius ancipitis iudicij euentus, ſed Cæſari iuſta petenti prolixeq; item pollicenti, nunquam ſe cum Henrico ſine auctoritate pontificis in gratiam rediturum, ſupremæ poteſtatis officium diuino iure vel negari vel differri non poterat. Itaq; exitialis ea ſimultas cauſa commodoq; Cæſaris ſuſcepta, eò recidit, vt Henricus omnem iracundiæ ſuæ impetum in Pontificium nomen verteret, conſumptoq; ob id vetere odio, Cæſari iungeretur, repudiata paulo ante Gallorum amicitia, quod Iacobum Scotiæ regem antiquo ipſis iure fœderatum, aſcitumq; à Franciſco generum, contra Anglos de finibus contendentes adiuuiſſent. In ea autem contentione quum æquatis cladibus eſſet dimicatum, Iacobus florenti corporis ſpecie inſignis (veneno an fato ſuo incertum) ſubito certè correptus interijt, defecitq; in eo Stuardæ familiæ generoſa progenies, quæ à Roberto rege, eodem nomine quinq; Ia-

cobos

cobos reges non interciſa ſtirpis ſerie tulerat. Sed occulta & admirabili ſorte id regium decus ſingulis maximè funeſtum fuit, primò ſcilicet à coniuratis in conclavi trucidato, ſecundoq; demũ diffracti tormenti, dum id probaretur, violentia diſcerpto, quum mox tertium parricida filius, iuſta acie ad Sterlingum occiderit, ut is demum ordine quartus, nobis memoriæ prodentibus, ab Anglis ad Floddon prælio cæſus, meritas ſceleris pœnas daret, quintoque filio eadem infauſtæ domus damnata regni hæreditas pararetur. Eo mortuo regnum, rege orbatum, ambiguis primò hæredibus, vagiente ſcilicet in cunis regia prole, ac mox victoris Henrici arbitrio gubernandum ceſsit. Scotorum enim proceres, & in his Maxuvellum regulum auctoritate inſignem, exoptata libertate multoque inſuper auro donatos, eo conſiliò in Scotiam dimiſerat, ut Anglicam factionem excitarent, cuius auſpicijs rex novus, eoque beneficio Anglis aſtrictus, qui ad Henrici nutus imperaret, corruptis comitijs crearetur, pulſo antè alios Davide Betonio Cardinale, qui Anglis æternis hoſtibus prodi patriam paucorũ flagitio pati non poterat. Is non multo pòſt, uti ſuo loco dicemus, cum Grimano Patriarcha Pontificis legato, qui è Gallia in Scotiam traiecerat, communicatis conſilijs Anglicos conatus fregit Gallorum ope, & fortiſsimarũ gentium auxilijs reductus, quæ priſcæ virtutis ac innocentiæ decus tuentes, Picti olim dicti, hodie Sylveſtres appellantur. Is Scoticarum rerum tumultus Henrico, cur à Gallis diſcederet, non inanem cauſam præbuit, paravitque inexpectatam occaſionem Cæſari, qua recentis inimici opibus fretus antiquos hoſtes Gallos perſequeretur. Itaque Cæſar cum Britanno ictis fœderibus, & ad gerendum bellum tempore conſtituto, Hiſpania excedere ac in Italiam, ut in Belgas properaret, adnavigare conſtituit: ante omnia Philippũ filium ſextum decimum ætatis agentem annum, Hiſpaniæ regem appellat: ei totius regni civitates per legatos ſacramentũ dicunt: deligitur ipſe Franciſcus Covos, qui adoleſcentis ætatem regat, & negotiorum omnium ſummæ præſit: Ferdinandus verò Toletanus Albanus regulus militaribus copijs præficitur. Peractis autem conventibus, in quibus multa Cæſar, ſupplicibus libellis ſubſcribendo indulgendoque liberaliter conceſſerat, ſupra quadraginta myriades aureorum nummûm conferuntur, rexque Luſitaniæ Ioannes grandi pecunia Cæſaris tantos ex futuro bello ſumptus ſubeuntis inopiam ſublevat. Erant enim uno tempore conſcribẽdæ cohortes, quæ ſecum navigarent, & quæ præſto eſſent, ut eas Martinus Corduba, Alcaudetus regulus adverſus rebellantes Tremiſenios in Mauritaniam tranſportaret. Poſtremò quæ per Oceanum, in Belgas ad Gallicum bellum ducerentur, earum numerus duodecim millium Hiſpanici generis peditum ſummam implebat. Germani verò ab Genua ſuperiore autumno ad Perpennianum tranſvecti, Hiſpaniæ præſidio relinquebantur. His adminiſtratis & confectis rebus Cæſar Auriæ perſcripſit, ut roſtratas naves ad idus Apriles Barcinonem adduceret, ut quum onerarijs equitatus eſſet impoſitus, expeditè conſcenſuro nulla omnino mora ad navigandum afferretur. Non defuère plerique proceres, qui eo diſceſſu Cæſaris, uti minimè redituri, non obſcurè gauderent, quòd ſub nimis magno principe, imminuta licentia, ſeipſis minores facti viderentur. mos enim erat Hiſpaniæ regibus eos indulgenter obſervare, à quibus coli quàm metui mallent. Ita fiebat, ut nobili pudore potius quàm terrore regiæ poteſtatis adducti imperijs & legibus parerent, quum incidente bello, rogati

humaniter liberali ſtudio graviſque ſumptu operam navare conſueſſent. Elata enim generoſaque ingenia certam fidem præſtant, nec ab æquitate diſcedunt, at ſi contempſeris facilè coniurant. Propterea Cęſar Padillianæ rebellionis, tantiq́ue tum popularis periculi memor, liberas quorundam voces indignas regijs auribus, famoſosq́ue item libellos, & atrox Mendocij Infantaſiorum reguli facinus, mira prudentia devorarat, ut Philippo conciliata tranquillaq́ue omnia traderentur. Mendocius enim, quod ad exemplum memoriæ prodendum videtur, in ipſo ludorum equeſtrium ſpectaculo præfectum rerum capitalium, ſceptro turbam ſuperbè dimoventem, quòd nec ſibi parceret, diſciſſa gladio facie violarat. Is conſpectus cruor proiecti ad pedes ac iniuriam deplorantis uſqueadeo Cæſarem commovit, ut quum in reum lege acturus videretur, univerſi Hiſpani proceres ſpectaculo, ac ipſo denique Cæſare deſerto ad Mendocij domum accurrerent, vel contra prætorianos, ſi vis afferretur, ianuam defenſuri. Sed Cæſar gravi iudicio totum iuſtæ vindictæ impetum ad diſsimulationem revocavit. Hiſpania enim eo tempore quanquam non infida Cæſari: aliena tamen ab eius conſilijs, quibus bella ex bellis ſerebantur, videri poterat: quòd perpetuis pecuniæ collationibus, varijsq́ue delectibus per tot annos graviſsimè fatigata, magnum incommodum publicè ſentiret: tanta ſiquidem vis auri contra legem commeantibus præſertim Liguſticis triremibus fuerat exportata, ut illa grata oculis Ferdinandi, ac Iſabellæ aurea nomiſmata nuſquam comparerent: nihil enim ad publicas opes pertinere cenſebatur, ſi qui milites, aut quæſtuoſos in provincijs gerentes magiſtratus convecta in privatas domos peregrina præda divites evaſiſſent, & publico malo virorum paſsim in oppidis numerum ipſa fœminarum multitudo ſuperaret, nec requieſcendi coaleſcendiq́ue provinciæ auri atque hominum feraci ulla ſpes, exercente Chriſtiana arma Carolo relinqueretur: quum Hiſpanorum legiones ſingulis prope annis, non in omnes modò Europæ regiones, bellicoſæ gentis victorijs atque ſepulchris claras, & totam denique Africam: ſed ad Beatas quoque novi orbis inſulas in tanta ſiti gemmarum & auri colendis colonijs advehantur.

PAVLI

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XLIII.

MAGNVS, & nunquam anteá gravior orientis undiqué belli metus, uſque adeo deſperata pace Europam invaſerat, ut nemo eſſet, qui non maximé timendum putaret, ne Solymano claſsicum canente, concurſuris inter ſe veſano impetu noſtris regibus, humana divinaque omniá miſcerentur. Conſpecta quoque naturæ prodigia, quæ non temeré maioris ſemper mali prænuncia creduntur, multorum mentes novæ cladis expectatione ſuſpenderant. Rubentes enim locuſtæ, ſatorum dira pernicies, ſtupendis agminibus ab oriente per Illyricum in Italiam convolarant: quo itinere Turcarum adventus portendi videretur. Tanta autem famelicis erodendi rabies inerat, ut præter abſumptas ſegetes, prata quoque vel rigua, viriditate graminis, & magnas frondoſasque arbores, ocisſime toto foliorum honore ſpoliarent. Tremuerat etiam in Etruria, iuxta Florentiam, Mugellus ager, in radicibus Apœnini, qua Seva fluvius decurrit, cultura, amœnitate, frequentia nulli ſecundus. Ea ſubita clade, quæ noctu circa ſolſtitium incidit, Scarpariam oppidum totum feré proſtratum, aut magnis deformatum hiatibus vidimus: quum ſeptingentæ nobiles aut ruſticanæ domus in eo tractu centum ſtadiorum oppresſis multis mortalibus miſerabili ruina corruiſſent. Læto tamen Coſmi principis augurio, quum tot ædificijs circumquaque laceratis & hauſtis, una ipſius Trebiá villa ſtupente populo illæſa conſtiterit. Qua de cauſa Paulus Pontifex cognito Cæſaris decreto, ac exploratis Solymani conſilijs poſt indictas ſupplicationes Vrbe profectus, Bononiam iter extendit, vel nivoſo Veris initio, atque eo maximé ſenibus maligno. Neque enim gradevus princeps vel in præſenti vitæ periculo committendum exiſtimabat, ut de pace deſperaſſe videretur. Maturata ſiquidem profectione Cæſaris adventum præoccupare, atque item Tridentinis actionibus, ſi frequentes epiſcopi undique conveniſſent, ex propinquo venturi famam præbere cupiebat: ſed arcani conſilij aliæ graviores cauſę ſuberant, quum Mediolanenſis imperij dominatum affectaret, quod præſenti pecunia comparari poſſe videretur ab egente Cæſare, & ad Belgicum bellum properante. Quo ſuſcepto itinere ita Romanorum obteſtationes, detrimenta vectigalium, propinquorum preces, & quorundam ſenatorum incommoda contempſit, ne ſuo peculiari officio deeſſet, ut alterutro eventu certam laudem petere crederetur, quum propoſitus eſſet amplisſimus laborum fructus, ſi ipſo pacificatore atque auſpice reges ad concordiam redirent. Quod ſi illi fatali correpti morbo inſanire pergerent, nihilo ſecius virtute & pietate æqué magnus & fœlix eſſet; cum ſua ſaltem illuſtri conſcientia; tum bonorum omnium iudicio, poſtquam vel obſcuri vel deſidis animi ſuſpi-

tione atque onere liberatus totum quæſitæ pacis eventum Dei optimi providentiæ reliquiſſet. Diſcedente Pontifice, Rodulphus Pius Carpenſis Romæ legatus, eximiæ virtutis atque prudentiæ Cardinalis, urbanarum rerum curam ſuſcepit. Alexandro autem Vitellio, qui præſidijs bellicisque operibus præerat, Leoninæ urbis muro cingendæ munus impoſitum, ut poſtquam Roma ad orientem Solem vaſta intus & antiquis utiq; mœnibus à frequentia ædium remotis, rectè communiri non poterat, vel parvis copijs defendi, certum ſaltem & temporarium ad ſalutem perfugium in repentino periculo per Aelium pontem ad Vaticanas ædes populo pararetur. Id opus inſigni iudicio ſumptuque Nicolaus Quintus inter optimos Pontifices literarum amore perilluſtris, inchoarat, intermiſerat ſucceſſor Pius ſcribendi potius, quàm ædificandi laudem ſequutus. Paulus quoque Martianæ ſuæ domus amœnitate captus, confiſusque longiori vitæ diſtulerat. Inde Sixtus invidiosè pertimuit, ne ad auctorem primum, ſi perficeretur, cœpti ſimul et conſummati operis gloria rediret. Innocentio autem defuit voluntas, quum Vaticanæ domus elegantiæ quam ſecuritati ſtudere mallet. Alexander porrò inauraſſe teſtudines, arcemq; Hadriani inſigni corona nobilitaſſe contentus, ut vel Dijs invitis filio imperium ſtrueret, alio quàm oporteret, ingenium detorſit. Iulium item excelſa ac admiranda paſsim inſanis propè ſumptibus inchoantem, exorta bella ab ea cogitatione revocarunt. Nec Leo extructis in Vaticano præaltis porticibus & portu ad Centumcellas magnificè repurgato, in ea aurea rei Romanæ tranquillitate, qua beatus videri poterat, de imminente clade dubitavit. Ab Hadriano autem ad vitæ exitum properante urbs ipſa neque planè cognita, neque tota conſpecta eſt, ut ipſe demum Clemens appetente quidem ingenio, ſed deterrente ſumptu, dum fatali negligentia deſtinatum ad publicam ſalutem id opus differt, molienti Vrbi exitium Fortunæ limen aperiret. Hiſdem fermè diebus, quibus Pontifex Roma diſcedere maturabat, Polinus Galliæ regis legatus hyemantem Hadrianopoli Solymanum, appetenteq; Vere in Pannoniam grave bellum parantem ſecutus, accuratis precibus impetravit, ut Ottomannica claſsis Hariadeno Barbaruſſa præfecto Maſsiliam mitteretur, quæ inimicis litoribus infeſta diſtraheret opes Cæſaris, valida belli mole Galliæ finibus incumbentis, intercluſoque Tyrrheno mari inſularum ac Hiſpaniæ navigationes impediret. Ea res multis purpuratorum deliberationibus agitata graves difficultates habuerat, contradicente præſertim obſtanteque eodem Solymano eunucho, qui poſt Luſtibeium, uxoris iurgio dignitate exutum, Baſſarum ordinis princeps evaſerat, valebatque ingenio & ingenti auctoritate, Indicis, Parthicisque bellis quæſita. Is non obſcurè oderat Barbaruſſam, obtrectationeq; laudis omnem eius exiſtimationē tantis laboribus mari partam, ocio navali convellere contendebat, ita ut perorando nullam aliam educendę claſsis cauſam, quàm ut imperator vel periculo publico privatis Hariadeni commodis indulgeret, ſe videre teſtaretur. Nec defuêre qui eum à Cæſarianis, & Venetis pecunia inductum putarent: nam poſtea literas à Ferdinando Gonzaga, Siciliæ præfecto, ſibi ſcriptas Polino tradidit, quibus ille per idoneum hominem Hiſpanum promiſsis muneribus petebat, ut eius ingenio ſolertique opera Solymanus cum Carolo Cæſare honeſtius amicitiæ legibus iungeretur, & ipſe quoque Barbaruſſa quatuor aureorum nummûm myrades ab Hieronymo Zanio legato Veneto ſibi oblatas iactanter retulit, ſi ea æſtate

mini-

minimè navigaret. Erat enim formidanda Veneto Barbarorum claſsis, totius maris impotenti imperio ſuperba, quæ aſſueſceret litoribus Chriſtianis, & magni ſumptus neceſsitatem adduceret, ſi ornanda claſsis foret, quę Hadriaticum ſinum & inſulas tueretur. Itaque Polinus, qui inter tot curarum æſtus, deſperata claſſe animum deſponderat, nuncio decretæ claſsis exhilaratus Solymano gratias egit. Is enim, auditis & gravi iudicio repudiatis ſuorum ſententijs, datam fidem præſtare ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, vel cum diſcrimine tantæ rei, cuius iacturã vel immenſum auri pondus minimè reſarciret. Biduo poſt Roſtanes gener: ac ipſe demum eunuchus, quòd ita cordi erat Solymano, Polinum honoris cauſa ſolennibus epulis exceperunt, amicitiam & gratiam eo claſsis munere benignè adauctam gratulantes. Polino demum dono datæ ſunt pretioſæ ex auro textili talares togæ: bini quoque inſignes equi eximiè phalerati, & pocula aliquot argentea. Dignioribus verò ex eius comitatu ſericæ veſtes impoſitæ. Diſceſſuro autem Solymanus, claſſem ut incolumem præſtaret atque reduceret, magnopere commendavit, eique literas in hanc ſententiam conſcriptas ad Franciſcum regem deferendas dedit: præſcriptis quidem glorioſo faſtu tot regnorum titulis. Claſſem, qualem quantamq; petiſti, omnibus rebus ornatiſsimam Polino fraterna liberalitate conceſsi. Imperatumque eſt Hariadeno maris præfecto, ut eius conſilijs obtemperet, ac arbitrio demum tuo cum hoſtibus bellum gerat. Tum verò rectè amiceque feceris, ſi claſsis rebus fœliciter geſtis Byzantium reducetur. Cuncta autem tuis meisque votis proſperè cedent, ſi graviſsimè caveris, ut ne iterum Carolus rex Hiſpaniæ æternus hoſtis tuus, pacis mentione decipiat. Tum enim æquiſsimam pacem dabit, quum regiones eius omni belli clade vaſtatas exuſſeris. At Polinus extemplò Byzantium reverſus, claſſem ab Hariadeno, qui diu noctuque multus in navalibus fuerat, egregiè refectam inſtructamque remigibus reperit, tanta adhibita celeritate, ut ad quartum Calendas Maias conſcenderint: petita prima Eubœa ad Cariſtium promontorium, quod hodie Mantelium vocant, ut inde coniunctis ſibi aliquot triremibus, quæ tardius exornatæ ſequebantur, ad Maleam contenderent. Superata autem Malea, tota claſsis, reflantibus Eteſijs, in Laconicum ſinum coniecta Matapanium caput, quod Tenarum antiquis erat, ſuperare non potuit. His adverſis ventis allata mora eſt novem dierum: ſed ſecunda demum tempeſtate Hariadenus Methonem adijt, atque inde cum claſſe centum & decem triremium: biremium verò circiter quadraginta, quas prædones adduxerant, Ionium prætervectus ad Meſſanæ fretum pervenit. Conſpecto Rhegio prædones deſcenderunt, Barbaruſſa ad idoneam ſtationem claſſem promovit. Rhegini deſerta urbe profugerant: ſed Didacus Gaetanus Hiſpanus arcem tenebat. Is Polino colloquium petenti, quum nihil reſponderet, & in ſubiectis collibus prædones ſpectarentur, tres Turcas tormentis interſecit. Eo ſociorum caſu accenſi prædones urbem irruperunt, & quòd inanes eſſent domus incenderunt, ægrè id ferente Polino, & Barbaruſſa incendiarios ad pœnam à trierarchis depoſcente. Inde quoque tormenta muralia in adverſum arci tumulum comportata. Ea paucis ictibus ita Hiſpanum, lachrymante uxore, terruerunt, ut ſe atque omnia dedens muro demiſerit. Ei Barbaruſſa, orante Polino, uxorique & liberis libertatem conceſsit. Reliquis autem in templo ab iniuria cuſtoditis, arcem militi diripiendam dedit: in his fuere circiter ſeptua-

ginta Hiſpani milites, & multo plures Rhegini cives, qui in ſervitutem abducti ſunt. Sed demum Didaci filia, eximiæ venuſtatis virgo, in quam ſenex Barbarus procaces oculos coniecerat, ad prætoriam navem ſic perducta eſt, ut eam illicò Mahometanis initiatam ſacris legitimę uxoris loco habuerit, & Didacum patrem aliquot poſt menſes ad portum Herculis inviſentem filiam, tanquam ſocerum humaniter, liberaliterque ſuſceperit. Hiſdem fermè diebus circa ſolſtitium, quibus Barbaruſſa magnæ Græciæ, & citra Meſſanæ fretum Brutiorum oram percurrebat, Carolus Cæſar, aliquot cohortibus, & ſeptingentis circiter equitibus in onerarias naves diſtributis cum quadraginta triremibus è Barcinone Genuam pervenit, tardiore ob id navigatione, quòd onerarias extra conſpectum roſtratæ claſsis minimè relinquendas exiſtimabat, ut ſi mare tranquillum, & ſolſtitiali malacia conſtratum foret concidentibus omnino ventis: roſtratæ demum onerarias, vel immobiles remulco, ad conficiendum curſum protinus adiuvarent, cluſa & deſpecta Gallorum claſſe, quæ tutiſsimo in portu, ut errantes aut vento deſtitutas invaderet, ad Maſsilienſes inſulas excubabat. Exceptus eſt Cæſar ornatiſsimo Auriatæ domus apparatu, præſtoque ei affuère Alfonſus Davalus, & Ferdinandus Gonzaga, ipſeque mox è Florentia Coſmus Medices, ac à Bononia miſſus à Pontifice Petrus Aloyſius Farneſius, Octavij Cæſaris generi pater. Hic adoleſcens diu in Hiſpania ſocero comes eadem vectus prætoria navi in Italiam redierat, iturus ad uxorem, quæ Ticinum uſque progreſſa patrem, & maritum expectabat. Cæterum Farneſius, qui ea de cauſa venerat, ut ad explicanda maximarum rerum conſilia, colloquio dies & locus diceretur, ad id prædurum atque difficilem Cæſarem reperiebat. Erat enim tum Cæſar contracto vultu, ſermoneque factus amarior, quòd Hiſpanico ſimul & Belgico laceſsitus bello, nullam opem ab affine Pontifice, atque eo ſæpius ab ſe amicè ac liberaliter exculto, contra Gallos impetraſſet. Propterea minimè, uti aliàs, familiaris, nihil ſibi in Germaniam properanti colloquio opus eſſe reſpondebat, ne reliquum æſtatis tempus Sicambrico deſtinatum bello, inutili mora deperiret, quando recentibus iniurijs affecto nullus conciliandæ pacis locus eſſet relictus: nec decorum Cæſari videri poſſet de concordia cogitare, niſi prius vindicatis iniurijs, tum demum matura & certa pax ab ipſo victore peteretur. In hanc quoque declinandi colloquij ſententiam abruptè filiam è Bononia literis acciverat, ut eam ex itinere apud Ticinum viſeret, poſtquam Pontificem minimè viſurus eſſe videretur. His cognitis Pontifex Cæſarem reipublicæ cauſa demulcendum ratus, Alexandrum Farneſium Cardinalem magnis itineribus Genuam miſit, brevique eius iuvenis maximè illuſtri, ſolertique ingenio, quum ſumma quoque ad perſuadendum ineſſet auctoritas, Cæſar adductus eſt, ut ad Buxetum cum Pontifice iungeretur: id eſt oppidum Palavicinæ familiæ inter Cremonam atq; Placentiam: ſed ea conditione, ut triduo plus colendo, audiendoque Pontifici ſe daturum negaret. Fuère qui exiſtimarent, Cæſarem ad id ſe invitum trahi videri voluiſſe, ne Britanniæ regem, dudum non obſcuro fœdere contra Gallos percuſſo ſibi coniunctum offenderet. Hominem enim ingenio ſuſpicaci repentinoque eo congreſſu alienari poſſe putaverat: quoniam ex divini iuris cenſura impietatis crimine damnatus Pontificium nomen immani odio perſequeretur. Sed Cæſari arma paranti cogenda imprimis erat ingens pecunia, quæ

expe-

expectari poſſet à Pontifice, ſi Octavius gener, ut fama ferebat, Mediolani princeps Auguſta auctoritate crearetur. ea res videri poterat decora Cæſari, honeſta Pontifici, & Venetis longè gratiſsima, quòd ille ſeſe eo liberali facto, affectatæ ſummæ potentiæ invidia liberaret, filiamque obiter tanto dotali munere ſupra Alexandri Medicis titulos ornatam, beatiorem efficeret: hic vero ſingulari cum laude exoptatam afflictis gentibus pacem pararet, ut inde expedita arma Turcis inferrentur, & Veneti Neapolitano fœderi ſyncerè ſatisfactum eſſe iudicarent: quum in conditionibus prolixè caviſſent, ne quiſquam Auſtriani ſanguinis Mediolani princeps à Cæſare diceretur. Apparebat quoque Franciſcum Galliæ regem, qui pari iudicio Sfortiam Mediolani principem tuliſſet, ac eum denique à Cæſaris iniuria magnis opibus defendiſſet, haud gravatè expectationi Veneti ſenatus, & voto Pontificis aſſenſurum. Quid enim commodius Gallo quæri, vel exoptari melius poſſet? ſi attenuatis atque defeſsis Galliæ viribus expedita requies quæreretur, quàm ut Gallia Ciſalpina Hiſpanis atque Germanis militibus exonerata, Carolus Sabaudius reliquis Subalpinis populis, ac Octavius Inſubribus imperarent: quum ille dimidio exutus regno ab infirmis opibus opportunus iniuriæ fieret: nec Octavius, ſi fata Cæſari longiorem vitam inviderent, hoſtium Gallorum impetum eſſet laturus. Verùm tantæ rei negocium magnas ad explicandum difficultates includebat: quòd præalto conſilio Cæſar, ſi tranſigendum foret, ſuis omnino præſidijs munitas arces tueri vellet: nec ipſi Pontifici, pari ſolertia rationes ſubducenti, expedire pecuniam placeret, niſi omnino libera, atque integra ditionis poſſeſsione potiretur: nec aliter quoque Venetus ſenatus Octavij tutelam eſſet ſuſcepturus. Huic conſilio unus omnium Alfonſus Davalus vehementer incumbebat, quum diverſi Gonzaga, atque Auria graviſsimè diſſentirent. Is enim præclaro ſtudio Cæſari ſimul atque Pontifici gratum facturus, eò tendebat, ut Inſubres, apud quos in honore militari viginti annos fuiſſet, pietatis & clementiæ nomine ab acerbiſſimis tributis ad inopiam redactos invecta pace ſublevaret. Propterea in eam ſpem à Cæſare miſſus Parmam, ad Pontificem venerat. Sed Cæſar vetere ſuo innixus conſilio, ne Mediolano unquam excederet, in itinere cum Coſmo de redimēdis arcibus opportunè tranſegit, ita ut ſupra ducenta millia aureorum nummûm in bellicos ſumptus ſolverentur, Florentinæ quoque arcis, ac item eius quæ eſt ad Liburnum præſidia nutu & ſacramento Cæſaris tenerentur. Eas inimici Cæſaris, ad cumulandam concepti dominatus invidiam, & hoſtes Coſmi, ad elevandam eius exiſtimationem, Etruriæ compedes appellabant: quaſi Coſmus temporario beneficio regnare videretur; & Cæſar diſsimulanter, ac ideo lentis paſsibus ad Italiæ principatum contendens, & tempus idoneum expectans, quo Etruria in provinciam redigi tutò poſſet, Coſmo Fortunam atque potentiam, uti aliundè ab initio partam, invideret. Ea itaque celebri liberalitate Cæſar inſignem benefici moderatique animi laudem tulit, quum malignis ſuſpicionibus extincta invidia inexpectatus occurriſſet. Nec minore præſtantis ingenij iudicio expetiti muneris beneficio Coſmus reſpondit: deductis enim omnibus Hiſpanis, qui in arcium præſidijs erant, non Italis demum ut plerique crediderant: ſed Germanis ac Hiſpanis ab ſe delectis cuſtodiendas arces attribuit, ad declarandam gratiſsimi & maximè fidelis animi magnitudinem, ut aliquanto arctius be-

neficio nobiles animos obſtringi, quàm metu contineri Cæſar agnoſceret. His de cauſis Pontifex, cum perſonæ, tum Reipublicæ dignitatem domeſti- cis commodis anteferre non dubio pudore coactus, privati eius conſilij cogi- tationes penitus abiecit, in eamque unam omnino curam totus incubuit, ut Cæſar, repræſentando Ferdinandi fratris periculo, & propoſitis æquiſsimis de pace conditionibus ab inſtituto bello contra Solymanum verteretur. Pon- tifex prior Buxetum venit. Poſtero autem die, occurſu totius aulæ Cæſar ex- ceptus eſt, complectente demum Pontifice, & honoris cauſa ſupra medium conclave ſumma arcis cœnacula tanto hoſpiti concedente, ita ut bina cohor- tium & equitum præſidia, ſub ſignis pari propè numero, parique vigilia, arcis ac oppidi portas æquata ſecuritate cuſtodirent. Cæterùm Paulus vel tridui colloquio, quanquam ſingulari memoria, ſummaque prudentia, & pietate ea ſedulò commemoraſſet, quæ gravi momento ad impetrandam pacem perti- nerent, prædurum inveteratoque odio à Gallorum amicitia penitùs abhor- rentem expugnare non potuit. Totus enim Cæſar, ira turgidus in Clevenſem intento ad vindictam animo ferebatur, tanta vehementis ingenij contentio- ne, ut quum Auſtriam Barbarorum incendio brevi arſuram crederet, nihil ſe eam patrimonij miſerè deflagrantis flammam reſpecturum eſſe teſtaretur. In- dignum enim eſſe nomine Cæſaris à ſubditis imperio, beneficiarijsq; ſuis con- tumeliam ferre, nec ulciſci eos, qui malignitate atque perfidia inducti, nul- laque provocati iniuria geminato ſcelere, & ab ſe, legitimo Auguſtæ pote- ſtatis imperatori, & quod nihil flagitioſius patrari poſſet, ad infeſtiſsimos hoſtes defeciſſent. Franciſci porrò regis amicitiæ nunquam ſe confiſurum, quòd ille toties ruptis fœderibus fidem fefelliſſet, quòd more gentis immo- dicos ac aliena ſemper appetentes ſpiritus gereret, nunquam pacem pati poſ- ſet, nec toties fracta, atque perdomita arma deponeret. Cæſare pacem ab- nuente, Pontifex poſtulavit, ut poſtquam ipſe hortando nihil profeciſſet, ſena- tores Cardinales de concordia reipub. Chriſtianæ commodo diſertè verba fa- cturos audire minimè gravaretur. Pertinere enim plurimum ad elevandam, vel parum æqui, vel omnino pertinacis animi opinionem, ſi in ſenatu libera voce proferret, cur à communi concordia diſſentiret. Id verò Cæſar honori ſe- natus facilè tribuit: nec multo pòſt vocatis Cardinalibus Marinus Grimanus eius ordinis princeps, ita locutus eſt: Niſi longè maximũ, quod Reipub. diutur- nis affectę malis diſcrimen imminet, Auguſte Cęſar, omniũ animos vehemen- tiſsime commoveret, rem profectò toties actitatam, rurſus agere maximè ab- ſurdum putaſſemus. Sic enim hic frequens ſenatus cum priſtinæ tuæ conſtan- tiæ, tum modeſtiæ ſuæ meminit, ut privatis colloquijs vigilantiſsimi, atque o- ptimi Pontificis officio graviſsimè ſatis factum intelligat. Sed dirus hoſtis in limine crudelia arma concutit, mareq; Ionium magnis eius claſsibus conſtra- tum eſſe nunciatur, & tu tanta animi magnitudine, tantis opibus, & tanta deniq; fortuna ſummus imperator, neglecta Pannonia, deſerto fratre, Italiæ Siciliæq; litoribus Barbaro penè proditis, averſus in Belgas contendis, ſcilicet ut quũ ignobili vindictæ ſtudio rebellantem regulum debellaris, perverſę lau dis famã quæras: quaſi rectiſsima, & perilluſtris laus aliundè, quàm à confecta pace, ſuſceptoq; ſacro bello petenda videatur. Æquo igitur animo tuleris, Au- guſte, ſi decreti tui novitatẽ non inſulſi homines admirantur. nam quũ in peri- culo publica ſit ſalus, occultas cõſilij tui rationes excutiunt, omitti victoriã, pa-

rari

rari cladem, religionem altius revelli, maximè dolent, agnataſque Cæſaribus, & tibi proprias virtutes requirunt, veræ ſcilicet gloriæ cupiditatem, dedecoris metum, & præſentis animi pietatem: quarum rerum quum tibi eſſes omnino perſimilis, præclara, non uno in loco, & quidem imitanda poſteris documenta reliquiſti. Sed in te una maximè pietas refulſit erga Deum divoſque immortales, qui te hac incedentem via, & ritè vota nuncupantem nuſquam fefellerunt. Noſti enim quanta eventus fœlicitate reſponderint, quum in Pannonia Solymanum tantarum virium tumentem faſtu, ſolo propè caſtrorum tuorum fremitu profligaſti, Barbaruſſamque acie devictum ac exutum regno in terra Africa depuliſti. At illi tibi demum ad inteſtina bella, ſi non iniquè: importunè tamen converſo minus arriſerunt, ſcilicet ut ſalutem tuam non victoriam ſibi curæ eſſe oſtenderent, & præclarè monerent, ut à Chriſtiano ſanguine temperares. Redijſti ſiquidem è Provincia incolumis, quum tertia ferè pars exercitus non hoſtili gladio, ſed tabe conſumpta perierit: verùm aliquanto certius deorum numen apparuit, quum è Germania Solymano ad occupandam Budam adventante, in Africam traijcere properaſti, quum à te ſupplex frater opem imploraret, retentarent Germaniæ proceres, mœſtique Hungari tuo diſceſſu ſe proditos quererentur: traieciſti ſcilicet duriſsimo anni tempore, ut cuncta terræ, mariſque pericula, ad exiguam nec ſatis nomini tuo decoram victoriæ ſpem ſubires. Neque enim & Eunuchus, & ſervus Aſanagas cum ipſo nobiliſsimo imperatore hoſte, tum præſertim Chriſtiana terga immaniter cædente, videri poterat comparandus. Sed te, noſque tecum omnes, capitis tui aleam ſubituros, Dij ſuperi præclara miſeratione conſervarunt, uſque adeo clementer, ut tibi in eo calamitatum omnium concurſu, incomparabile trophæum de devicta Fortuna conceſſerint. Ergo ſi tam grata, quam pia mente Deorum beneficio commoveris, te ipſum hodie profectò vinces: quod certè magis pulchrum decorumque fuerit, quàm Fortunam rerum omnium dominam admirabili conſtantia ſuperaſſe. Hæc quidem agnoſcis, Cæſar, & quæ tua iudicij atque memoriæ vis eſt, ad gloriam tuam, & ſeculi fœlicitatem pertinere confiteris: ſed cum Gallo nunquam ſtabilem amicitiam, nunquam ſecuram pacem parari poſſe contendis, quòd tibi ea gens è ſummis regni opibus facilè infrænis, alienæ ditionis appetens, nova ſpe, nova libidine ſemper inquieta videatur. Hæc certè ſuſpicantem à communi concordia avertunt, avertentque ſemper. Nulla enim gravior peſtis humano ingenio inſidet, quàm altè concepta ſuſpicio. Ea enim quum temerè ſemel irrepſerit, egerrimè vel maximè illuſtri ratione convellitur. Noli, generoſe, pieque Cæſar, ullo modo pati, ut in te vel minima ſuſpicacis ingenij nota reſideat. Patere autem ſi quid prædurum in intimis ſenſibus obcalluit, ut id totum Chriſtiana pietate molliatur. Honeſtiſsimis ſiquidem nominique maximè decoris conditionibus, quas prudentiam & Reipublicæ amantiſsimorum hominum iudicio deſcriptas dudum perlegiſti, rex Gallorum pacem petit, affinitatem, opes, copias offert, occupata reſtituet, ut Mediolano tua liberalitate, beneficiarijq; iuris nomine recuperato, communem hoſtem Barbarum coniunctis armis perſequatur. Vt nihil porrò vel occultæ fraudis, vel parùm ſinceræ fidei pertimeas, qui nihil unquam invicti animi fretus altitudine timere didiciſti, cuncti ferè principes, inita ſocietate fœderum ſponſores vadeſque aderunt, ut iuſtis armis ſanctas pacis leges

iuraque omnia tueantur. Hanc à te pacis conditionem ante alios orat & exigit Carolus Allobrogum regulus, innocentia tantùm ſua depulſus regno, & quod longè miſerrimum videtur, per ſeptem annos ancipiti duorum propinquorum iniuria fatigatus. Hanc item Veneti, tanquam ex fœdere debitam repoſcunt. Eandem regna tua, perpetuis tributis enervata, tuorumque præſertim ac hoſtium rapinis crudeliſsimè divexata, ſuppliciter efflagitant. Valeant aliquid, obſecro Cęſar, fraterna pericula, Hungarorum ſupplicantium lachrymæ, ſenatus preces: Valeat, ipſa ſacroſancti Pontificis authoritas, pijs, atque optimis nunquam ſpreta regibus, ut Chriſtianus orbis, luctu, miſerijs, & Barbarorum metu liberatus, poſt impetratam tuo incomparabili munere pacem atque concordiam ſecundiſsimè refloreſcat. Ad ea Cæſar, ut à vetere conſilio diſcederet, nihil omnino, vel ampliſsimi viri facundia, quæ in Grimano ſumma cenſebatur, vel eius ſacrati ordinis dignitate permotus, graviter reſpondit: Nihil à ſe in toto vitæ curſu, vel ad gloriam, vel amplitudinem comparandam publica pace commodius & melius concupiſſe, quàm ut exoptata ſeculi ſecuritas, cum tranquillitate rerum omnium pararetur, nihilque demum antiquius habuiſſe, quàm pace potiri, ut inde adverſus Barbaros arma diſtringeret, cuius voti ac inſtituti ſui præclara exempla in Pannonia, Græcia, Illyrico: & tota denique Africa rebus geſtis oſtenderit: ſed laceſsitum Gallorum iniurijs, retractumque à nobili incœpto bella conficere nequiſſe. Nemini enim tutam pacem, utiliorem, carioremque videri, quàm ei, ad quem iure optimo ex ſacri belli victoria, cum ſpecioſiſsimi ſpes triumphi, tum inuſitatæ laudis proventus obvenirent: ſed Gallos ſemper nova odia ex antiquis ſimultatibus ferentes, ipſius ſemper, maiorumque ſuorum obtrectaſſe laudibus, ac potentiæ, amplitudini, & legitimis regnorum hæreditatibus invidiſſe, quòd ritè nuptas lectiſsimas virgines impudentiſsimè repudiarint, ſacramenta fœderum abiurarint, nihilque unquam ſanctius habuerint, quàm quum ex commodo luberet, à fide ac amicitia defeciſſe: id præclarè perſpectum eſſe planeque cognitum imperatorijs comitijs: quibus multo auro ſuffragia prævertere conati ambitioſæ malignitatis, atque ſtultitiæ gravi ſumptu ignominiam retulerint. Poſtremò ab ipſis concitatos Menapios atque Sicambros, ut Brabantiorum regionem incenderent, evocatumque nefaria crudelitate ad omnium perniciem Solymanum, ut Auſtrianæ domui quàm maximè noceretur, quum nunquam anteà in eam maleficio & contumelia temperaſſent. Ab his autem obiectari ſibi inducias Rinconis atque Fregoſij cæde violatas, cuius patrati facinoris ipſe prorſus fuerit ignarus, & pœnam denique Georgio patruo pecunia redempto nuper exoluerit. Proinde nunquam ſe ad animum concordiæ mentionem admiſſurum, niſi Belgarum ſuorum iniurias de rebellibus incendiarijsque latronibus vindicaret. Id enim dignum videri Cæſaris maieſtate, omnia belli detrimenta æquo animo perferre: ſed nullam dignitatis pati contumeliam. Sibi autem & ſummi Pontificis, & totius denique ſenatus gratiam honori, ac emolumento eſſe debere, non detrimento atque dedecori: quid enim in re ſua potius quàm aliena ſapienti, & ſatis ſuperque Gallorum fidem experto, abſurdius atque dementius, quàm iniqua pacis conditione, Ciſalpinæ Galliæ imperio ſpoliari, ut Franciſci regis minori filio, Britanniæ citerioris hæreditate penitus excluſo, novum ex alieno patrimonium paretur? quo demum Gallicæ au-

geantur

geantur vires in Italia, & ſuæ protinus minuantur. Ea quoque inſana aut certè præpoſtera liberalitate, liberas navigationum, ac itinerum ſibi eripi facultates, quum repetere Hiſpaniam & Germaniam inviſere ſingulis propè annis neceſſe foret. Malle ſe Auguſtæ dignitatis penitus obliviſci, & acclamatum Cæſaris nomen ultrò deponere, quàm indignanter pati, ut terra mariq; portus, hoſpitia, tranſitus à dubijs vel ingratis clientibus impetranda videantur. Poſtremò Cęſar ſenſim exardente facundia, eadem ferè cõmemoravit, quæ ſuperioribus annis, cum Romæ, tum Niceæ etiam & Lucæ, expetentibus pacem reſponderat, quum eam cauſam diſertè atque accuratè peroraſſet. Adeo enim conſtanti ingenio præſentis potentiæ ſuæ iura defendebat, ut remotas etiam ſpes amplioris Fortunæ ſolerti ratione tueri, proferreque, non imperitis rerum non obſcurè videretur. Ita verò flagranti animo in Clevenſem iracundiam intenderat, ut Solymani impetum facilè contemneret, neque multum fratris periculo commoveretur: & mihi demum (quod minimè prætermittendum videtur) ipſius diſcedentis manum oſculanti, alacri, familiarique vultu diceret: Expedire te, inquit, Iovi, calamos oportet, ut quę iam geſta ſunt in Hiſtorijs tempeſtivè perſcribas. nam hoc armorum motu, magnus profectò tibi novi operis labor paratur. Cæterùm Pontifex quanquam conciliandæ pacis conſilio deiectus, rationem & ſtudium æquitatis, veræque gloriæ decus, alioqui ſemper eximium in Cæſare: cæca obſtinatione ſuperari mirabatur: Ferdinandi tamen regis pericula, Reipublicæ pariter ac amicitiæ cauſa ſe minimè neglecturum Cæſari confirmavit. Nec multo poſt Baptiſtam Sabellum prætorij præfectum, & Iulium Vrſinum cum triginta cohortibus tuendo Norico ad Pannoniæ fines tranſmiſit. Quinque diebus eo colloquio fruſtrà conſumptis, & Cæſare in Germaniam contendente, Pontifex pari digreſſu Bononiam eſt reverſus, ut feſtum diem Petro Apoſtolorum principi dicatum, ſolenni cerimonia celebraret, quo die Barbaruſſa à Pontijs inſulis ad Tarracinenſium litora delatus, Oſtiam pervenit, tanto terrore hominum ab ora in montes refugientium, ut populus Romanus ſubito metu concitatus in fugam, Vrbem omnino deſerturus eſſe videretur; niſi à Polino literæ ad Rodulphum legatum conſcriptæ, perlatæque Romam per Tarracinenſium prætorem tumultum magna ex parte compreſsiſſent. in in hanc enim ſententiam ille perſcripſerat: Claſsis, quæ à Solymano ad præſidium Galliæ Barbaruſſa pręfecto mittitur, ex præſcripto mihi paret, ut nemini, præterquam hoſtibus noſtris noceat: itaque edicito Romanis, cæteriſque Pontificiæ ditionis oram incolentibus, ut nihil hoſtile à nobis timeant. Nuſquam enim fidem ab eorum imperatore mihi præclarè datam Turcæ violabunt, & vos pro comperto habetis Franciſcum Galliæ regem nihil habere antiquius quàm ut rem Romanam non incolumen modo, ſed maximè florentem, ac ideo ab omni impiorum iniuria defenſam velit. Eadem quoq; uſus diligẽtia Polinus, Neptunianis ac Oſtienſibus adeo animos confirmavit, ut expetentibus Turcis venale pecus, & reliqui commeatus copiam adducerent, & ex navigijs Campano venali vino onuſtis, quum ea in portu hæſiſſent, trierarchis aliquot amphoræ, in uſum ſervorum remigum præſenti pecunia venderentur: acciditq; ut nonnulli quaternis arietibus aut binis iuvencis ſingulos ex Brutijs captivos à pręd onib. impetrarent. Sed civitas nocturno pręſertim metu cõſternata, vel ipſo legato ex aliena promiſsione propriã obſtringente fidẽ

& vultu interrito animi ſecuritatem in eo periculo præferente, ut quicquam de ſalute publica Barbaris crederet adduci non poterat, quanquam & P. Antonius prætor, cum præfecto vigilum, multis accenſis funalibus ad coercendam fugam per omnes regiones diſcurreret, paſsimque abire claſſem nemini infeſtam, & nihil propterea metuendam pronunciando, timore in fugam præcipites retentare conaretur. In Sabinum enim agrum & Tiburtinum trepidæ mulieres cum parvis liberis effundebantur, eratque eius nocturni tumultus facies, ſicuti mox decedente periculo ridenda iuventuti, ita tum omnibus fœda & miſerabilis, quum matronæ, nubileſque puellæ, & ſacratæ quoque virgines è clauſtris in publicum ſe proriperent, oblitæ pudoris, ab obvio quoque in tenebris, ut ad proximas portas iter monſtraret, lumenque præferret luctuoſis vocibus exorantes. Romani interim cives & divites inquilini concurſu ad legatum facto, apud quem erat Vitellius ad ferendam opem opportunus, ut præſidia pararet acciretque ad Vrbem copias, flagitabant: nulli enim erant in Vrbe ad cuſtodiam cohortes, quum anteà nihil ab ea claſſe hoſtile veritus, non temerè ad inanes metus ærario parcendum iudicaret. Sed ita demum evenit, ut quum ſalva Vrbis dignitate præſidium negare vix ſibi tutum foret, ſubitariæ cohortes è proximis Tuſcis, & abeunte iam claſſe, in Vrbem gravi ac inutili ſumptu vocarentur. Barbaruſſa autem ad oſtium Tiberis aquationem longè optimam nactus, triduo poſt inde diſceſsit, Etruriæque oram atque Liguriæ ſine maleficio prætervectus Maſsiliam rectà contendit. Eodem quoque tempore & ipſe Solymannus ab initio maturandum ſibi ratus, ne ultra Budam provecto, æſtatis tempus ex natura Pannonij cœli in pluvias autumnales præceps, in curſu gerendarum rerum deficeret. Itaque Savo flumine ponte traiecto, Amurathem Dalmatam, Perſamque Vlamanem, ad expugnandum Valponium præmittit: hos quoque Achomatem Europei equitatus magiſtrum ſubſequi iubet. Erat id oppidum ad Dravi fluminis ripam poſitum, non longè ab Execchio, fœda Auſtriani exercitus fuga, & Bachitij Pauli, Ludovicique Lodronij fortiſsimorum ducum cæde percelebri. Tuebatur autem locum præſidio ex clientibus impoſito, Petri Pereni uxor, eadem & Alexij Turſonis ſoror, quæ marito ab Rege cuſtodiæ tradito, virilem animum induerat: ſed defenſores quanquam egregiè munitum erat, vim Turcarum non tulerunt. Amurathes enim Hungaros omnes in deditionem clementi conſilio accepit, ſervavitque, ut qui agros colerent propoſita libertate in provincia relinquerentur. Inde verò ad Socles Perennianæ etiam ditionis oppidum exercitus ductus: ubi aliquandiu, & quidem acerrimè invadentibus Turcis repugnatum eſt, quòd amplius ducenti nobiles Hungari, uti erant veri Turcarum hoſtes, multitudinem incolarum ad perferendos labores, contemnendaque pericula cohortando, ante alios fortiſsimè Turcarum audaciam propulſarent: ſed ubi multis acceptis vulneribus, territaque & recedente à muro Soclenſium turba, irrumpentium hoſtium impetus ſuſtineri non potuit, in arcem confugerunt, ut inde Valponienſium exemplo, facta deditione ſalutem ac libertatem impetrarent: ſed his iratus Amurathes, nulla pactione, ſed arbitrio ſe dedentes egredi paſſurum reſpondit, atq; ita exeuntes porta ad unum omnes interfecit: ut ea crudelitate reliqui, qui ſpem in armis potius, quàm in Solymanni clementia reponerent, collata utriuſq; oppidi fortuna terrerētur. His cognitis

rebus

rebus Solymanus capta oppida Amurathi dono dedit,& paratis exploratisq; rebus omnibus, è Buda cum uniuerſo terreſtri naualiq; exercitu ad expugnandum Strigonium contendit. Erant in præſidio Liſcanus Hiſpanus, arcis cuſtos, ſenioris Liſcani propinquus, qui ad Caſſouium, uti ſuprà docuimus, ob ereptas fruges ab agreſtibus fuit interfectus, uir cogendo auro aptior, quàm bellicis muneribus obeundis. In urbem autem miſſus ab rege Salamanca pariter Hiſpanus, non admodum peritus belli, & ante periculum uaniſsimus hoſtium contemptor. Is præter paucos Hiſpanos eius amicitiam familiaritatéq; ſecutos, Italicas cohortes duas effecerat ex his militibus, qui Medice præfecto claſsis, Alexandroq; Vitellio in Italiam redeuntibus, in Pannonia remanſerãt, Alexij Nanſoi & Vicentij Matricij ſigna ſequẽtes. Ad hos acceſſerant uexilla duo Germanorum, quorum duces erant Triſtanus Fortaler, & Franciſcus Munechius, qui militum omnium numerus mille & trecentorum ſummã efficiebat. Paulus autem Strigonienſis antiſtes, præclaræ erga Ferdinandum fidei, in pacatam regionem abierat, quòd deſperata uenia à Solymano certum cruciatum expectaret, quòd eo deprecatore in gratiam Ioannis regis ſemel reſtitutus, iterum ad Ferdinandum defeciſſet. Strigonium in præalta ripa arcem habet, indéq; Danubium ſubterlabentem latè proſpicit, ex aduerſo editum habet collem, qui portæ urbis imminet, mœnibus autem extantia propugnacula deſunt, per quæ emiſsis tormentis ſubeuntium hoſtium latera feriuntur. Is ſtructuræ mos antiquis erat, quum nondum reperto bombardarum artificio arietibus & baliſtis ingentibus & turribus ligneis urbes caperẽtur. Propterea Vitellius & Torniellus ſuperiore anno ad inſpiciendam loci munitionumq; naturam à rege miſsi, ægerrimè defendi urbem à maximis præſertim copijs oppugnatam retulerant, quòd ab eo colle tormentis ſtatuendis ab Barbaris occupato, cuncta introrſus ſupernè conſpecta ferirentur, & ea eſſet natura mœnium, ut quanto propius hoſtes ſuccederent, tãto tutius protecti ab imo ſubruere murum poſſent: quibus difficultatibus, ueteres peritiq; milites, qui Strigonij præſertim hybernarant, nouis operibus occurrebant, magnaq; alacritate ante periculum, ut iactabundis accidit, mirificæ uirtutis operam pollicentes Solymani aduentum expectabant. Sed ubi Barbarus hoſtis undique promotis caſtris latè cãpos colleſq; omnes, erectis tabernaculis occupauit, claſſemq; pariter ornatiſsimam aduerſo flumine ſubeuntem proſpectantibus oſtendit, nemo erat qui non depoſita animi ferocia magnopere de ſalute dubitaret, quòd pauci, quãquam eximia uirtute, cum numeroſiſsimis hoſtibus, atq; his pertinaci admodum deuoti animi propoſito mortem petentib. pugnaturi uiderentur. Adauxit quoque metum legatorum aduẽtus, Solymanus enim tres prætorianos è gente Chriſtiana iampridẽ ad Mahometis ſacris traductos, Italum ſcilicet, & Hiſpanum atque Germanum, cùm præſidium ex his conſtare didiciſſet, ad urbem miſerat, ut quiſque ſine interprete ſuæ nationis homines alloqueretur. Hi namq; admiſsi, per ampla prẹmia atque ſtipendia ſe dedentibus ita promiſerant, ut quum prolata conſtitutaq; iam eſſent tormenta, abnuẽtibus extrema ſupplicia denunciarent. Ad ea quum à ſigniferis præclara uoce reſponderetur, milites fide uirtuteq; præſtantes, neque præmijs turpiter capi, neque minis ad ignominiam terreri ſolitos, extremas ſpes in armis habituros, Turcæ in caſtra redierunt, eodemq; die tormenta in collem imminentem urbis ſumma celeritate ſubuecta ſunt, & delectę toto ambitu ad oppugnandum

infirmiores mœnium partes, tanto quidem Barbarorum iudicio, ut neque peritius, neq; opportunius quicquam ad nocẽdum excogitari potuerit, uel ab his, qui cuncta interius diligenter exploraſſent, ita ut credi par ſit, non Fortunam modò Chriſtianis hominibus, ſed fidem quoq; aduerſus Barbaros omnino defuiſſe. Salamanca, diffiſus ſuburbanis munitionibus, ſecus ac antea iactãter nequaquam ſe deſerturũ prędicarat, in urbem ſe recepit, quę hodie Caſtelli nomen habet, ſuperioribus enim hybernis exteriores Strigonij partes antiquitus muro cinctas, uſq; adeo milites, naualeſq; ſocij deformarant, ut ſublatis ad uſum ignis tabulatis & contignationibus, ſemicadentia tecta ſpectarentur. ea frequenti tractu per decliuia ad flumen uſque pertinebant, ubi tabernæ, & nobiles quoq; domus à fortunatis Hungarorũ regibus extructæ uiſebantur. Cæterùm Achomates, Europei equitatus magiſter, eam ad oppugnandum muri partem accepit, quæ epiſcopalibus hortis annectitur. Vlamani autem Perſæ data eſt quaſſanda ſubruendaq; ea turris, quæ portæ Budanę imminet. Is enim ingenio ſolerti horumq; operum maximè perito, eam merita laude famam apud milites fuerat conſecutus, quum in expugnatione Caſtrinoui ad ſinum Rizonicum cum Barbaruſſa, admirabilis artifex extitiſſet. Aſappi ad opus faciundum idonei, gregatim à ſingulis ducibus ad perducendas foſſas, attollendoſq; aggeres ducebantur. Incredibile dictu eſt, quanta ui tormenta diſplodi cœpta ſint: continenti namq; ordine nuſquam ceſſabatur, & erant colubrinæ ingentis magnitudinis, quarum ictibus non modò ſuperiora mœniũ decuſsis pinnis nudabantur, ſed turris ipſa, deraſo iam faſtigio quaſſata inferius ac immanibus pilis perforata, nequaquam defenſores, uel adire, uel conſiſtere auſos admittebat, adeo ut proximus extantis coronæ murus omnis cum ingenti fragore proruerct, & terribili continuoq; terræ motu cuncta quati uiderẽtur, nec conſiſtendi in muro propugnantibus facultas erat. Nam Ianizeri ſclopetarij, aut per foſſas ſubter ſumma obiecti aggeris labra diſpoſiti, aut è ſuperiore loco protecti equitum ſcutis, quum maiora tormenta ceſſarent, excitatuſq; inde fumus ſubſideret, certiſsimis ictibus apparentiũ capita feriebãt, & multi interius in ſtatione perſeuerantes, incidentibus ab alto ſagittis vulnerabantur, ſed multò grauiorem cladem fragmenta lapidum noſtris inferebant, dũ diſrupta minutim, diſsipataq; tormentis, euitari nõ poſſent, illiſaq; mẽbris militum inutiles redderẽt quos attigiſſent. Quibus malis adducti milites, deſerta exteriore corona, interiores munitiones celeriter erexerunt, ut minore cũ periculo in defenſione uerſarentur. Nec animus Barbaris defuit, quin audacter ſubirent, ter enim inſtaurata pugna magno clamore edito in urbẽ irrumpere conati, ad cõgreſſum uſque noſtrorum peruenerunt, ſed denſiſsimæ phalangis frontẽ prælongis hiſpidam ſariſsis, Barbarus hoſtis leuibus haſtis equeſtribus, & graui gladio, aut parua tantùm ſecure armatus perrumpere non potuit, locoq; detruſus multis acceptis vulneribus ſe recepit. In ea contentione Baltaces Selimbriæ, quæ ad Pontum eſt, nobilis Sanzacus, quum ſuos ad irrumpendum uehementer urgeret, interfectus eſt. Subierat ad eam ripam, quam diximus, Turcarum claſsis, ac omnia quæ ad oppugnationem pertinebãt, tormentorum inſtrumenta, commeatumq; affatim à Buda ſubuehebat, noſtriſq; uehementer occupatis, claſsiarij milites & remiges ad ſuburbanas domos tanquam in foro rerum uenaliũ ociosè uerſabantur. Id noſtri ab arce deſpectantes impunè fieri non tulerunt, conglobatiſq; repentè, ex ſua quiſque cohorte, ſingulis cẽturijs,

Michael

Michael Rauaſpurgus Germanus, Nardouſq; Italus eruperunt. Tãtus fuit eorum impetus, ut Turcę improuiſo hoſtiũ ſuperuentu perterriti, quum pars arma capere, pars ad claſſem curſu ſe proripere uellet, tumultuoſiſsimo pugnæ, fugæq; genere, aut intercepti caderent, aut adnatantes rapti flumine mergerentur. Sed qui in claſſe erant opportunam planè profligatis & perditis opem tulerunt, ſagittis enim & glandibus in noſtros coniectis, ita incumbentium impetum retardabãt, ut iam admotis undiq; nauigijs, aliquanto quietius, quàm paulo antè, & tutius ſuos exciperent. Periere è Barbaris circiter ducẽti, & ipſe Zirmar natione Perſa, cuius erat claſsis imperium, ut eius audacis facti nomen maximè celebre redderetur, quum in eo diſcrimine perturbatis opem ferens, & fugam increpitans prætoriam biremem admonuiſſet, glande traiectus interijt. Dum hæc fierent, & Barbari ſtratis mœnibus, effoſsiſq; cuniculis, quibus turris excinderetur, ualidiore indies impetu expugnandæ urbi uires intenderent, & contrà noſtrorum animi cum multis acceptis incommodis, tum una maximè auxilij deſperatione frangerentur, ſenex Calaber è Crotone artificio tormentorum aſſuetus, ad Barbaros transfugit. Eius autẽ nefarij impijq; facinoris cauſam prædicabat, quòd plura ſibi ſeni & inopi ſtipendia rex deberet, ac ideo liberalis militiæ dominus, uitato præſenti uitæ periculo, adeundus eſſe uideretur. Is benignè ſuſceptus à Solymano, interrogatusq; diligenter à purpuratis, ſi urbe Strigonio maturè potiri uellent, Aquariam turrim omnino expugnandam eſſe perdocebat. Erat ea turris in extrema ripa, ſub ipſa arce Strigonij, loco, ædificioq; Budanæ perſimilis, quum eodem machinationis artificio aquam exorbendo è flumine hauſtam, uarijs ſiphonibus in arcem effunderet. ab ea enim Naſadæ ſubeuntes onuſtæ commeatu, directis ad aquæ libram tormentis, magno Turcarum incòmmodo ita petebantur, ut noctu tantùm, & ſecundum ulteriorem amnis ripam pilarum uolitantium metu ſolliciti nauigarent. Hanc Habraimus Eunuchus, Aſiatici equitatus magiſter, admotis tormentis expugnandam ſuſceperat, ſed irrito conatu cuncta moliebatur, quum ripæ margines ſtatuendis tormentis peranguſtę magnas Turcis afferrent difficultates, & milites præſidio impoſiti, directis ex aduerſo falconibus conſtantiſsimè repugnarent. Monſtrante itaq; trãsfuga inſulam in Danubio deſertam, quę contra frontem turri obiecta ſpectabatur. In eam Vlamanes noctu ſcaphis traiecit, erectoq; ſubitario aggere, conuectiſq; eo tormẽtis, nonnullos ex defenſoribus interfecit, nudauitq; eorũ latera, ita ut Aſiatici non apparentibus prò metu noſtris murũ ſubire auderent, & ſcalas expedire properarent. Interea Turcæ è maiorib. caſtris exteriora urbis undiq; maximis tormẽtis uerberare, prægrandib. uerò globis per ænea mortaria in ſublime iactis, ut cũ ruina tectis inciderẽt, interiora deuaſtare, ſubterq; magnos cuniculorũ ſpecus, ſicuti aliàs in expugnanda Rhodo perfeciſſe docuimus, excauare non ceſſabant, in quibus Barbari, corpore pariter ac animo aduerſus omnes bellici laboris aſperitates indomito, interdiu noctuq; cibum & ſomnum cum multa noſtrorum admiratione capiebant. Accidit autem; ut ænea crux inaurata, ob idq; percuſſa Solis radijs latè refulgẽs; qua maximi templi faſtigiũ ornabatur, aſsiduo collimantium Barbarorũ ſtudio cõtortis in eam pilis reuulſa, atq; deiecta frangeretur, qua cadente Solymanũ fœlicis ictus caſum, more gẽtis ad lętũ auguriũ facilè uertentem exclamaſſe ferunt, expugnatum eſſe Strigoniũ, poſtquam ſignum inani ſuperſtitione à Chriſtianis hoſtibus adoratum è tẽplo de-

cidiſſet: neq; id omen pro uano à noſtris acceptũ eſt, defeſsis enim territisq; militibus, quibus nulla gleba ſaxeo in ſolo ad extruẽdas munitiones ſuppetebat, Liſcanus & Salamanca de rerum exitu timidè deliberantes, & ſecretò demum inter ſe collocuti, ſeruare ſeſe, & deditionẽ facere decreuerunt. Erat Liſcanus parum militiæ uerſatus, & multo ex continua præda congeſto auro prædiues, ſic ut ſibi planè opulento, pro inani conſtantiæ laude, Barbarico cædi gladio nimis miſerum putaret. Idem quoq; effugiendi periculi ſenſus erat in Salamãca, apud quẽ certa ſalus, & bona peculij, labore ac induſtria caſtrenſi parta, omni, uel maximè decora laude potiora ducebantur. Cæterùm eius occulti conſilij fama adeo aſtrictè cõtineri non potuit, quin ad milites emanaret, quorũ tertia ferè pars, aut interierat, aut ægra morbis, & vulnerib. debilitata decumbebat, una tamen omniũ uox àudiebatur, ſatis adhuc uirium ſupereſſe, ut interiora defendi poſſe minimè deſperarent. Sed centuriones atq; ſigniferi, præfectis adulari ſoliti, ſi honeſtis conditionibus à Solymano fides præſtaretur, omniũ certiſsimæ neci, & nihil demum Ferdinando regi profuturæ, deditionem præferebant. Fortibus enim uiris, aut egregiè pugnando cadendũ eſſe, aut poſtquam ſuprema neceſsitas id ferat, honeſtiſsimè paciſcendum. Nec multo pòſt noctu demiſſus è muro ſignifer, acceptaq; per interpretem fide, Salamãcam exciuit, ut is æquiore conditione de deditione tranſigeret. Nec mora occultè exiens ad Achomatem contendit, admonitis prius Aquariæ turris defenſoribus, ut inde ad ſalutem celeriter in urbem ſe reciperent. ſed eo nuncio territis, & cum tumultu euadentibus noſtris, Turcæ intenti, animaduerſa fuga protinus irruperunt, interfectis quibuſdam, qui tardius elabentes efferendis ſarcinis occupati inhoneſtè conciderant. At Salamanca ad purpuratos deductus, quũ accuratè loquendo multa ſibi concedi poſtulaſſet, nihil explicatius, aut mitius impetrauit, quàm, ut maturè ſe dedentes, cuncta quæ ſalutẽ libertatemq; reſpicerẽt, ex liberalitate clemẽtiſsimi imperatoris expectarẽt. Itaq; Hiſpanus acri iudicio Turcarum ingenijs diffidens, nec tamen deſperans, quum redire uetaretur Liſcano quę retulerat perſcribit, monetq; ſi ſaluus eſſe uelit, extemplò & maximè liberaliter ſeſe atq; urbem dedat. Acceptis literis Liſcanus ad milites prodiẽs, deditionis neceſsitatem, & propoſitam ſpem uitæ & libertatis cũctis exponit, nec mora ambiguo, & fremente adhuc milite, Halis aperiri ſibi portam, ex deditione in caſtris facta, læto potius quàm feroci vultu poſtulat, eaq; ſtatim patefacta à Liſcano introducitur, clauesq; traduntur. Ianizeri pacato agmine ingreſsi munitionem, totamq; muri & aggeris coronam occupant, milites noſtros ſecedere iubent, imberbes ex his ad unũ ſecernunt, reliqui haſtas deponere, & ſclopettos in unum aceruum proijcere coguntur. Nemo eſt omnium qui recuſet, edictoq; non pareat. Improuiſo namque & contra ſpem nimis accelerato prætorianorum introitu terrefacti, ſe ipſos demiſsis pudore oculis intuentes priſtinam animorum ferociam exuerant, nihilq; niſi ualde ſæuũ à Barbaris expectabant. Id enim deceptis & circumuentis facilè euenit, quibus expediendi conſilij ratio omnis & uirtutis uſus excutitur. Intẽdit quoque noſtris pauorem caſus inſolitus, nam quum milites, uti imperatum fuerat, ipſas etiam cum ſclopettis ſulphurei pulueris lagenas in aceruum conieciſſent, ab accenſo fortè funiculo excitata repentè flamma, earum rerum cumulum corripuit, uſq; adeò cõſternatis ira metuq; Barbaris, ut nõ temere inſidias ueriti, è noſtris nõnullos interfecerint, ſed deprecantibus præfectis, & nihil dolo, ſed caſu factum,

ctum, oris & manuum geſtu ſignificantibus, ipſoq; Hali facilè perſuaſo, & celeriter commota claua ſignum dante, Ianizeri à cædibus temperarunt. Tum uerò Halis, cōpreſſo tumultu, apud noſtros per interpretes pronunciari iuſsit, parata fore perampla ſtipēdia ac honeſta militiæ loca his omnibus, qui ad Solymanum tranſire uellent, nec plures quàm ſeptuaginta ex omni natione milites reperti ſunt, qui conditionem acciperent. Barbarorum enim perfidiam timentes, & de uita ſoliciti, abnuentibus parari cædem & cruciatus, propter naturæ immanitatem, exiſtimabant. Hos Halis comiter allocutus, & cum his, quos diximus, delectos impuberes nauigijs deuehi Budam iuſsit, reliquos ab omni defenſos iniuria ad repurgandam arcem, æquato cum Turcis labore delegauit. At Liſcanus, qui ut aurū ſeruaret, admiſsi flagitij dedecus, ſubſequentemq; ob id pœnam ac ignominiam contrito pudore neglexerat, aureum torquem, quo tam auarè quàm inſolenter Perenus fuerat ſpoliatus, dono dare cogitur, quum illum Halis alioqui per uim erepturus militari comitate, tanquam nouum apud Turcas ceruicis ornamentū expetiſſet. Eo namq; munere Hiſpanus reliquæ ſuæ prædæ periculum redimi poſſe cogitauit: ſed auaro imbelliq; Fortuna nihil indulſit. nam quum inſignes equos aleret, ut his arce excedens in pacatū ueheretur, ſignatumq; aurum in ephippijs ſubter puluinos accuratè condidiſſet, ei poſtremò Barbarus equos iā ephippiatos conditumq; ſimul intus aurū ridendo ademit, quòd nauigaturo nihil equis opus eſſe diceret. Atq; ita duces militesq; omnes exuti, præſertim galeis atq; thoracibus, ac ad naues deducti traiectiq; incolumes in ulteriorem Danubij ripā, Poſoniū pedibus cōtenderunt. Ibi autem Salma iuſſu regis Liſcanum & Salamancam proditionis accuſatos cuſtodiæ tradidit, & cum his laxiore tamen cuſtodia Matricium, Alexiumq; Nardoū, & Triſtanum Germanū, ut quomodo deditio cœpta patrataq; eſſet, in ipſo de reis iudicio teſtarētur. Occupato Strigonio Turcę ęgris noſtris ac vulneratis, qui unà proficiſci nequiuerant, omnia pietatis officia uſq; adeo diligenter præſtiterunt, ut quū recreati demum dimiſsiq; ad Torniellū in Comaram perueniſſent, reliqui milites tantā in Barbaris humanitatem extitiſſe mirarentur. At Solymanus expiato tēplo, & uti Budæ fecerat, ad ſacrorū ſuorum cerimonias traducto, ſuperis gratias ègit, quòd eo præſertim die quo Baiazetes auus Methonem cœpiſſet, Strigonio capto ſe quoq; ſimilis uoti compotem feciſſent. Erat is dies Auguſti menſis decimus: diui Laurentij memorię conſecratus. Nec mora accitis Buda fabris, atque omni propè genere militum ad opus coacto, admirabili ſtructura celeritateq; urbem reſtituit, atque muniuit tanto quidem ſtudio apparatuq;, uti in poſterum Chriſtianis recuperandę urbis ſpem omnem adimere uideretur: exprobrata herclè ſegnitie, ac imperitia Germanis & Hungaris, qui per quatuordecim poſſeſſam annos pingui ſemper in otio munire neſciuiſſent. Nec multò pòſt Solymanus Oſſaino uiro impigro Strigonij cuſtodiæ præpoſito, emiſsiq; ad læuam Tartaris Scythis, qui ad Albam Regalē prædabundi excurrerent, ad expugnandā Tattam, quæ olim Theodata fuit, iter intendit. Id oppidū ualde exiguum, arcē dixeris, diſtat à Danubio introrſus, contra Comaram paucis miliaribus Hungaricis: ei Torniellus Hanibalem Taſsiū Bononienſem, & Antium Germanū cum octoginta militibus præfecerat. Hi ſiquidē ante alios id munus ſibi dari depoſcentes, quòd quæſtui ſimul ac laudi futurum rebantur, omnē uim Turcarum ſe contēpturos affirmabant: ſiue quòd Strigonium egregiè defenſum iri crederent, ſiue quòd

Turcas ad ignobile caſtellum, cum tota mole copiarũ minimè deflexuros putarent. Sed capto demum Strigonio, & aduentantiũ hoſtium cõſpectis caſtris, & Achomate qui præcedebat, ſi uim experirentur, grauiſsimos cruciatus denunciante, quin ſe extemplò dederent, uti uiribus impares & uitę cupidi, nullã expediendo conſilio moram fecerunt. Exeuntes Solymanus, & ſcripto abeundi fidem accepturos, de more ſericis ueſtibus donauit atq; omnes dimiſit. Tatta uerò funditus euerſa eſt, uetere Ottomanorũ inſtituto: quũ raris, ſed ualidis omnino præſidijs partas bello prouincias, minorib. paſsim deletis arcibus, tuẽdas exiſtimẽt. Torniellus autem, ipſum Hannibalẽ fruſtra humani iuris ęquitatem pro ſalute implorantẽ, aliquãto ſeuerius atq; turbidius, quàm ea ualde lugubris rerum cõditio poſtularet, capitali ſupplicio affecit. Eo enim pergraui diſciplinę exemplo intelligi edici' que uolebat cunctis, qui muniti loci cuſtodiæ præeſſent, turpiſsimę mortis metu egregiam conſtantiſsimè propugnando mortem minimè fugiendam. Antium porrò, quòd erat Germanus ad Ferdinandi regis arbitrium reiecit, quum præclarè ſimilem de Liſcano & Salamanca, uti grauiora meritis, ſententiam ferre uideretur. Sed rex ingenio mitis ac facilis, & nunquam cruentus, de Hiſpanis leniſsimè ſtatuit & diuturni tantùm carceris pœna contentus fuit, quum Antium ad parem cum Taſsio ſupplicij ſortem atroci Tornielli iudicio reliquiſſet. Aequata ſolo Tatta, Solymanus ad expugnandam Albam profectus, circa lacum paruum, aquationi maximè opportunum, poſitis caſtris, non procul ab urbe conſedit. Ea urbs ob id Regalis cognomentum tulit, quòd ibi perantiquo ſolenniq; gentis ritu noui reges coronentur, ac eodem in templo priſcorum regum ſepulchra cum rerum geſtarum titulis uiſantur. Cæterùm Buda, Strigonium, & Alba Pannonici regni nobiliſsimæ urbes, paribus ferè interuallis inter ſe diſtantes, trianguli figuram efficiũt, cuius ambitu, dimenſiſq; lateribus, miliaria circiter centum includuntur. Albam, reliquas duas alluente Danubio, perpetua palus undique præcingit, ſitu quidem aduerſus hoſtes ualde mirabili, niſi per æſtatem conſumptis hyemalibus aquis, decreſcentéque palude foret inſalubris. Ab urbe três lati, præaltíque aggeres (iacentis rotæ radios dixeris) ad extremam circumfuſæ paludis marginem porriguntur. Hi longorum pontium ſimilitudinem reddunt, habéntque ſuburbanas domos, & utrinque hortos, intercedente lata regione, qua uiatores in continentem deferuntur: ad extremam uerò frontem ubi deſinit palus, ac inde exitus atque aditus in urbem datur, erecti firmi aggeres ſingulas portas communiunt: quas Albani, ſuſpectis tantùm belli temporibus, obſerare noctu ſolent. Suburbanę itaq; domus trib. his portis, ab hoſtib. ſunt tutę: quũ interiecta põtib. ſpatia palus latiſsimè inundet, propter cœnoſa uada omnino inacceſſa equiti, præpedientibusq; iuncis & calamis natanti plurimum importuna. Vrbs autem interior, muro ſatis firmo, & præalta foſſa, quæ paludem excipit, ad circinum præcincta, difficilem habet oppugnationem. Quibus de cauſis, aduentante Solymano, in eam præ metu, tanquam in arcem longè tutiſsimam, magna hominum agreſtiumq; pręſertim multitudo præ ſeactis pecorib. cõfugerat. Albanis pręſidio erant uexilla duo Germanorũ & ducenti fermè equites, ex eorũ numero, qui in cuſtodia à Leonardo Veltio relicti fuerãt: quũ Albani mutata fide à regina deſeciſſent Ad has quoq; copias acceſſerãt quingẽti Hũgari equites, ex his qui in pace, quũ bellũ deſit, latrocinijs ſe exercẽt, infamiq; nomine Vſarones appellãtur. Sub id uerò tẽpus, quo Turcæ Strigoniũ oppugnabãt, Torniellus cũ

Italicis

Italicis cohortibus Iauarinum peruenerat. Hunc Ferdinandus, de Strigonenſium Fortuna ſolicitus, & Albanis quoque rebus uehemẽter timens, literis ac nuncijs hortabatur, ut tuendæ Albæ munus ſuſciperet, ipſe enim, tum cogendæ pecuniȩ intẽtus, in Bohemia conuentus peragebat. Id ſe alacriter ſuſcepturum pollicebatur Torniellus, ſed graui, uti regijs uidebatur, adiecta conditione. Quippe dux uetus & periculorum caſuumq; militiæ cautus æſtimator, ea præſidia poſtulabat, quæ opportuna forent capeſſenti iter, ac imprimis ituro per infeſta loca Tartarorum incurſionibus, & demum defenſuro urbẽ aduerſus eos hoſtes, qui nunquam irrito conatu cœptis abſceſsiſſent. Hęc omnino erant Germanicæ cohortes quatuor, alaq; una equitũ grauis armaturæ, & tormenta decẽ, atq; itẽ centũ currus, quibus de more apertis in locis caſtra permuniret, & ante omnia trimeſtrem pecuniam petebat, ne tractu lõgę obſidionis, inter tot linguarum milites, uti plerunque accidit, tumultus efflagitatis fruſtra ſtipendijs oriretur. At regij togati homines, quibus ærarij facultates erãt pertenues, quoniam pecunia omnis ſuperiore anno à Bohemis contributa, Peſtano bello conſumpta perierat, ante omnia periculum profectionis eleuare, ſitũ urbis atque munitionẽ extollere, incolarum & militum, qui in præſidio eſſent numerum augere, polliceriq; non defuturos diuites Albanos ciues, qui pecuniam conferrent, liberaliq; ſtudio milites inter ſe diſtributos priuatim alerent, poſtremò confirmare, teſtariq; nõ magno diſcrimine ab his inſignem gloriam peti, qui clariſsimam urbem omnino defendendam conſeruandamq; ſuſciperent. Ad ea Torniellus, ut quicquã de ea re ſtatuat, priuſquam ſingula exploret, adduci poſſe negat, mittiturq; Albam Octauianus Scroſactus Inſuber, qui poſt Peſtanũ bellũ in Pannonia remãſerat. Is fœlici uſus profectione redituq;, retulit Albã inexpugnabilem reddi poſſe, ſi aliqua excogitata atque antè prouiſa inchoatis operib. adderentur, pleniq; imbres inclinante autumno minimè defuturi ad augendam paludem, replendaſq; exteriores foſſas opportunè deciderent. Tantam uerò cõmeatus, & maioris minoriſq; copiam è uicinis pagis in urbem eſſe conuectam, ut famem, uel tota hyeme minimè timendam putaret, & eam eſſe præſidij ac urbanæ multitudinis alacritatem, ut hoſtes iam planè deſpici uiderentur. Fortè enim Albani ſuſtulerãt animos paruo admodum ſucceſſu, quum excurrentibus illac Tartaris in eorum poſtrema agmina aliquot interfectis erupiſſent. His cognitis Torniellus, nihil temere de ſe conſtituit, nec ſibi ullo modo eundum cenſet, mediam tamen conſilij uiam tenet, mittitq; Albanis auxilio quatuor præfectos, ante omnes nauãdæ operæ cupidos, cum ſingulis cohortibus. Hos cum ala equitum Barcocius ſequitur, apud quẽ iuſſu regis ſuprema erat militaris imperij poteſtas. Vbi Albam eſt peruẽtum, extemplò Solymanus nõ procul abeſſe nunciatur, itaque Barcocius prȩfectos cẽturionesq; oẽs in cõcilium uocat, unà etiã conuenit Birrous Albanorũ prætor, cũ toto ordine decurionũ. Diſputatur appoſitè atque acriter an ſuburbana ædificia, quę diximus, deſerere atque incẽdere præſtet, ꝗ̃ tueri, ut tecta Barbaris deſint, & urbis interior paludis circumfuſæ munitione tutiſsima, minore militum labore, minoreq; periculo defendatur. Conclamant repentè Albani, nec ſe paſſuros dicunt, ut ſuburbia tot tẽplis & ædificijs magnitudine urbis ęquata, euerſis ſubinde multorum ciuium fortunis deleantur. Quid enim tam deforme ac miſerũ cogitari poſſe? quàm ad incitandam Barbarorum audaciã extremi timoris ſignificationem dare, ac ea ultrò ſubditis flammis excindere,

quæ forti manu,niſi animis turpiſsimè deficiant, egregiè tueri poſsint? Fauebat Albanis Octauianus,uti cæteris eius urbis ac regionis,ſuperiore anno ſæpius exploratæ,uſu peritior, docebatq; pari conditione periculi, & urbem & ſuburbia defendi poſſe, quandoquidem pari paludis beneficio munirentur, nec etiam,ſi quid extra pugnantibus ab hoſte durius accideret,defuturus eſſet tutus atque certiſsimus in urbem receptus,quo demum tẽporis ſpatio,incluſi urbe,ſupremi conſilij deliberationes expedirent. Poſtremò exurgẽs, cum ſuo tũ publico impulſus fato: Quod,inquit, uiri fortes,uirtutis ſpecimen dabitis? quamue demum nauatæ operæ laudem feretis? ſi tantæ claritatis urbem ſuburbijs tanquam brachijs ante periculum detruncatis deformatam ultrò,& nimis celeri deſperatione deuaſtatam defenſuri eſtis? Nihil certè uel ad utilitatẽ regis,uel ad ſpem gloriæ profeceritis,niſi Alba,ſi Dijs placet, incolumi atque integra,integrum ab animi magnitudine decus petatis. Hæc eo dicente cuncti conſurgunt,prudẽtes gnariq; militiæ imperitis atque ferocibus parent,ipſeq; Barcocius,ancipiti ſuſpenſus cura,uaniſsimoq; aliorum iudicio planè uictus, fatali ſententiæ accedit. Fit enim ſæpius, ut qui pericula ratione ſolerter expendunt,ac ob id de rerum exitu timidè deliberãt,& fortiores plerunque pugnacibus ſententias dicant,quũ alienæ temeritatis comites eſſe, uel ad non dubiã mortem,quàm ab ignobili decreto minus fortes uideri malint. Eo modo Barcocius,nouæ uel ſimulatæ ſpei plenus,& repentè factus alacer, ad milites egreditur, cur ſuburbia defendenda cenſuerint,edocet,ac hortatur,ut parem decoro cõſilio uirtutis operam præſtare uelint, ipſum aũt enixè curaturum, ut opportunè parentur,quæ ad uictoriam pertineant,& fortiſsimè propugnantib. ſupra perennem facti laudem,& triplicis ſtipendij prouentum, honeſta manſuraq; ipſis ac poſteris præmia perſoluantur. Hæc læto ore prædicabat,ut Albanorum animos eo beneficio in ſeruanda fide uehementer obſtringeret,tegeretq; timorem nequaquam temere conceptum,utpote qui ſæpius Turcarum uires infœliciter expertus minimè dux fortis & ſtrenuus apud milites haberetur. Itaque promiſcuo cõcurſu ſtudioq; militum ac urbanæ multitudinis ſuburbia muniuntur, inſtruunturq; idonea loca maiorib. tormentis,& cuſtodiæ diurnæ nocturnæq; diuiſis ſpatijs certis ducib. tribuuntur. Sed Turcæ appropinquantes,Budanæ tantũ portæ ſuburbijs incubuerunt, explorato namque ſitu,& per ſpeculatores Hungaros facilè cognito, ſicciorẽ ab ea parte paludẽ reperiebant,ſolumq; ibi ualde ſabuloſum,& ceſpiti atque aggeri faciundo penitus importunũ eſſe didicerant,quũ à reliquis duabus portis terra nequaquã arida,ſed deuexę paludis humore cruſtoſior,& latas paſsim glebas & ſolidos ceſpites ad opus egregiũ largiſsimè præberet. Perſpecto hoſtiũ cõſilio Barcocius Italos Germanosq; omnes à reliquis portis ad Budanam traducit, Hungaros agreſtes, qui in urbem confugerant, itemq; Albanorũ iuuentutẽ in deducti pręſidij locum ſuccedere iubet, inſtitutumq; antea propugnaculum educere atque perficere aggreditur. Id erat inter bina tẽpla diuo Frãciſco, & Deiparæ uirgini dedicata,prominebatq; exterius nota ratione,ut bina utrinq; munitionis latera, directis tormentis cõtra ſubeuntes Barbaros defendi poſſent. Hæc parante adminiſtranteq; Barcocio,quum prima Turcarũ agmina in cõſpectum ſe darent,atque procurrerent, Vſarones, & ſecundũ eos Germani equites,adiunctis peditib. Italis alacriter eruperunt,cõſertaq; leui pugna utrinq; ad ſuos ſe receperũt, eodemq; modo ac ordine per triduũ eſt decertatũ,nullo

tamen

tamen memorabili euentu. Nā duces proximam portæ regionē, certo breuiq; ſpatio ad procurrēdum noſtris præſcripſerāt, & Turcæ prouolantes celeriter cedendo gyros dabāt, ut incautos, aut graues armis Germanos lōgius elicerēt. Vbi uerò Solymanus aduenit, cōplexuſq; latè urbem ſpectantes admirabili, atq; ſtupenda caſtrorum ſpecie conterruit, noſtri obſtructis repentè portis, omnes exitus ſuſtulerunt. Ea res Vſarones, liberis excurſionibus aſſuetos, tempeſtiuè admonuit, ut ſibi cōſulerent, nec ſe munitionib. includi paterentur. Ita quum miſsionē peterent, nec tutò retineri poſſent, fruſtra deprecāte Barcocio, & reiectis Albanorū precibus, nocturno ſylueſtriq; itinere protinus abierunt. Interea Turcæ, cōfectis plurib. uineis more noſtro, perductiſq; ſinuoſis foſsis ad munitiones intra ſagittę iactū proceſſere, tecti namq; antè præfixis frondib. ita opus ex tutò faciebant, & ſummā aggeris coronam ſagittis & glādibus detergebant, ut nemo iam noſtrorū cōſpici poſſet, quin binos ternoſq; ſimul graues ictus oſtenſa parte corporis exciperet: & ea uis erat ingentiū tormentorū, ut totam planè munitionem pilæ perforarent, fractiſq; & per aera diſsipatis texentis materiæ ſtipitibus, uel diſtantes inde milites vulnerarent. Ob ea noſtrorum pericula, ſubeuntibus Aſappis tutum erat implere foſſam, uti ualde ſiccatam ſerenæ æſtatis ſolibus, abſceſſuq; paludis omni penitus humore deſtitutam. Id fiebat multis uirgultorum faſcibus arena ſeriatim ſuperiniecta. Perpetuo enim totus exercitus labore, quum equites lignatum irent, & pedites in opere uerſarentur, in omnes uſus cum frondoſa tum ſolida pariter materia ſuppetebat, & Dij noſtris irati, expectatos imbres cœlo & nubibus ſuſpenſos pertinaciſsimè denegabant. Exæquata itaque foſſa, Barbari audacter ſubeuntes propugnaculum ab imo ſcalpere, ſuffoderéq; cœperunt, ut agger interior ſubtracto fundamento concideret, quòd nequaquam ex ſolida conſtructus gleba, ſed ea ualde ſabuloſa fluenteq; aſtringentibus tabulis & tignis, non ad robur ſed ad inanem ferè ſpeciem eſſet erectus. Verùm animaduerſo hoſtium conatu, ita à noſtris pari cuniculo obuiam eſt itum, ut quum infœlici cœpto, atque exitu, præparatus intro ad Barbarorum exitium ſulphureus puluis fortuitò flāmam concepiſſet, multi ex noſtris nemine hoſtium concremato fœdè perierint. Poſt id factum Turcæ, uera ui nitentes, triplici acie inſtructa propugnaculo ſucceſſerunt. Pręcedebant Aſappi, uti minimæ iacturæ homines, à ducibus primis periculis obijci ſoliti: hi pro ſcutis planas tabulas, oſtiorum ualuis ſimiles, recentibus boum corijs protectas, ne deiectæ muro cuppæ ardentes nocerent, in capita elatas bini terniq; teſtudinis modo præferebant. Sequebātur ex equitū ordine ſcutati pedites, cū equeſtrib. haſtis, aut diſtrictis incuruis gladijs: ab his Ianizeri tegebātur, qui dextro genu ſupplicato ſclopettis lōgioribus ad deſtinatos ictus rē gerebant. Singulis autem ordinibus ſuus dux adhortator, & uirtutis ac ignauiæ teſtis aderat, ſæpe ferrea claua ſegnes caſtigans, vulneratoſq; ſubducens, & recenti milite feſſam aciē reparans, & id quidem mira celeritate, cùm ad circunductæ clauæ ſignum omnes intentis oculis obedirent. Certatum eſt amplius tribus horis, pari ſpe uirtutéque, ſed ad extremū Turcæ, multa iniquæ pugnæ vulnera perferentes, occiſis & deiectis noſtris, propugnaculum cœperunt, ac expedito ſtatim conſilio tres in eo paruos falcones ſtatuerunt: ut utrinq; è tota munitione propugnantes & diſcurrentes noſtros deturbarent. Eodem quoque tempore bina templa ab irrumpentibus occupata ſunt, eorum parietibus uſque adeò quaſſatis & per-

foratis,ut per hiantes rimas & pilarum ui patefacta foramina ex occulto cōſpe ctī noſtri ſagittis & glandibus peterentur. Verùm munitiones cohortium Italicarū mira cōſtātia, adiuuātibus etiā fœminis cucullatisq́ ſacerdotibus egregiè eo die ſunt defenſæ. Is erat diuo Ioanni Baptiſtæ decollato dedicatus,quo Barbari Belgradum expugnatum, & cæſum in acie Ludouicum regem meminerant. Ob id rebantur augurijs & dierū ſortibus dediti,auſpicato mēſe & fœlici die, oppugnare adortis uictoriam minimè defuturā. In eo certamine,quod minimè prætermittendum uidetur, excelſæ ſtaturæ Hungara mulier,cōſcenſo inter milites aggere, uirilis audaciæ facinus edidit, quum prægrandi fœnaria falce, ſcandentibus duobus Barbaris uno ictu colla ſecuiſſet. Vnus autem an- 1
te alios Carolus Ruffus è Brixia,qui cōponēdis ordinibus apud cohortes officio fungebatur, aduerſus laborē atq́ pericula indefeſsi atq́ inuicti prorſus corporis ac animi laudem tulit. Signiferi etenim plures præfectiq́,ac ipſe quoque Barcocius de euentu prælij magnopere dubitantes,ut celerius in urbem ſe reciperent, interiore in loco ſub ipſa munitione conſtiterant. Ferunt Solymanū ad ſe in prætorium uocatos Habraimū, Achomatem & Halim grauiſsimis caſtigaſſe uerbis,quòd propugnaculo fortiter atq́ fœliciter occupato, nulla demū peracri facta impreſsione, & quod pudendum eſſet,nimis celeri receptu partę propè uictoriæ defuiſſent, iuſsiſſetq́ minaci vultu, ut tridui ſpatio cuncta quæ uſui forent,diligenter pararent,nec ad ſe niſi Alba capta reuerterentur. Ad eas 2
duces nihil plus reſponderunt, neque enim uel culpa uacantibus excuſare ſeſe licet, quàm ut confirmarent breui futurum eſſe, ut uoto ipſius & militum uirtuti Fortuna reſponderet. Itaque in unum ſupremi certaminis conatum, delectis accenſiſq́ militibus,poſtridie calendas Septembris prælij ſignum dederunt,terribiliq́ impetu ab omnibus partibus munitiones adorti,magnum terrorem ſtationibus noſtris intulerūt. nacti enim matutinam craſsiorem nebulā, ut paluſtribus accidit in locis: non prius à noſtris in dubia luce cōſpecti ſunt: quum nec ab uſitato eorū diſciplinæ ſilentio ſentiri poſſent, quàm ad congreſſum peruenerint. Pugnabatur maximo tumultu,clamoreq́ edito ad diui Franciſci templum, ſed uehementiſsimè ad eam munitionem, quæ eſt inter propu- 3
gnaculum, ut diximus,ab hoſtibus occupatum, & Deiparæ uirginis ędē, quoniam ualida Ianizerorū manus in eū maximè locum incubuerat, qui ad tuendū Germanis erat attributus. Ii denſata acie, deſcenſum Turcarū expectantes, ita per accliuem aggerem inclinatas haſtas continebant, ut extantes earum cuſpides in ſumma munitione conſpicerentur; idcirco mirabili aſtu Barbari, ne temere deſiliendo,irruendoq́ ſeſe haſtis induerent, oblōga tigna capitibus ferētes euadenteſq́ in ſummū aggerem, trāſuerſa ea ſupra haſtarum ſeriē in ſubiectos Germanos prouoluerūt,caſu uſq́ adeò repentino infeſtoq́,ut primorum ordinū milites contuſis manibus & brachijs haſtas deſerere cogerentur. Tum uerò Turcæ clamore ſublato præcipiti agmine ſaltuq́ proruerunt, nec quiſ- 4
quam fuit, qui ingruentium impetum ſuſtineret,eodem quoque tempore Italicæ cohortes, multitudine hoſtium potius quàm uirtute ſuperatæ; deiectæq́ toto aggere, terga uerterunt. Sed paucis feſtinatus ad ſalutem receptus profuit, quum peranguſtus ad cancellum, qui exteriorem portæ arcam ueſtibuli modo claudit, aditus pateret, & Albani nulla fugientium miſericordia permoti, muralis portæ pontem ſuſtuliſſent: natura enim plerunque fit, ut præſentis periculi metus ſine pudore perfidiam excuſet. Per totum itaque

ſuburbanę

ſuburbanæ regionis ſpatium cædendo terga, ſternendoq́ Barbarus proceſsit. Cecidere in ea rerum perturbatione egregiè propugnantes conantesq́ retentare inclinatam in fugã aciem, Carolus Siccus, & cum eo aliquot centuriones, atque ſigniferi. Octauianus quoque, qui uanitate conſilij tantam cladem attulerat, trucidatus, temeritatis ſuæ pœnas dedit: ipſe uerò Barcocius, quum incitato equo ad portam ſe proripuiſſet, nec ingreſſus per cancelli portulam equiti daretur, oraretque fruſtra fugientes, ut maiorem cancelli ualuam apperirẽt, Ianizerorum ſuperuentu conciditur, dextraq́ ei manus multis gemmatis annulis adornata detruncatur. Dominicus etiam Torniellus, aurata caſside inſignis, in eadẽ deſiliendi cunctatione ex equo deturbatus, interijt. Hũc aliquãdiu defenderat ſignifer egregiè fortis, nomine Cecolinus, quum intorto circa haſtam uelo ſerico, acri cuſpide inermia Barbarorum pectora perfodiens, honeſtè cadere quàm præfectum deſerere mallet. Reliqua autem multitudo, quòd cancelli portulam occiſorum cadaueribus obſtructam, ac Albanorum malignitate ſublatum pontem uidebat, ad ultimam uitæ ſpem, in foſſam prealtis àquis profundam ſe coniecit. Ea fugæ facies maximè fœda & miſerabilis erat, quum plerique tranantes ab imperitis natandi crurum complexu mergerentur, alij euadentes ad certos urbis aditus, capitibus ac humeris frequentes ſagittas exciperent, alij uerò per cœnoſæ paludis uada fugam quærentes, deuoratis cruribus impliciti, per ludibrium ferienda ſagittis & glãdibus terga præberent. In his fuere. Ç. Motta Nouarienſis, & Rapizonius Vercellenſis, nobiles adoleſcentes, qui ſagittis confixi in ipſo traiectu foſſæ perierunt. Carolus autem Rufus, deſperatis rebus ad urbem fœliciter enatauit. Erant in urbe Germanorum equitum præfectus, & Vſcaſales Cremonenſis, qui ex uulnere domi ſubſtiterat. Hi confirmato animo reliquias militum colligentes, in muro præſidia poſuerunt, tanta Albanorum trepidatione, ut nullibi publico conſilio locus eſſet, & prõpta cibaria, quibus labore metúque exanimati milites reficerentur, minimè reperirent. Iam enim conſpecta noſtrorum ſtrage, Birrous prætor & ſenatores primarijq́ ciues animos deſponderant, nec ab armis atque præſidio, ſed ab una Solymani clementia petendam ſalutem exiſtimabant. Nam multis antè diebus, prius quàm noui præſidij cohortes è Iauarino mitterentur, Albani quidam (priuato an publico conſilio incertum) ad notos ipſis Turcas nuncium miſerant, pollicentes, ſi Strigonio potirentur, nullam demum quin cõtinuò ſe dederent, Albæ appropinquantibus moram allaturos, ob id facilem ueniam ſperabant, parata excuſatione, quòd id præſtare præſidij regij metu, nequiuiſſent. Hac de cauſa fiebat ut defenſionis ſtudium tota urbe remitteretur, Vſcaſaliq́ omnes & Rufo, ea manu, quę ſupererat urbem ſe defenſuros ingenti animo pollicentibus gratias agerent, & iam nequaquam perplexè reſponderent, cunctis omnino de conditione deditionis eſſe cogitandum. Prodituri enim uidebãtur, & ſuam ipſorum ſalutem & totius uicinię fortunas, ſi deſperatis auxilijs ab rege, apud remotas gẽtes occupato, exitiabili defenſione ſuperbos uictoresq́ Barbaros irritaſſent. Itaq́ Birrous de muro cum Turcis colloquitur, petit ut tutò liceat mittere legatos, qui à Solymano deditionis cõditiones accipiant: id facilè concedit Achomates, quo cognito, noſtri milites Rufum deligunt, qui unà cum legatis eat, & corã de ſalute, libertateq́ præſidij paciſcatur. Legati ad purpuratos deducti, per Hungaros interpretes poſtularunt, ut in fidem ſeſe dedentibus libertatis & ciuitatis iura ſeruarent,

tur. Sed his ea data ſunt reſpõſa, ut non omnibus uenia dari uideretur, quòd promiſſæ deditionis iuſiurandum fefelliſſent, minuebat tamẽ eorum metum, quòd ad paucos eius rei conſcios ac authores pœna pertineret. Rufus porrò perhumaniter ſuſceptus, omnibus uitã ac libertatẽ & res incolumes, & tutum deniq; ad Viennã reditũ impetrauit, eandẽ conditionẽ obtinente Germanorũ præfecto, qui Rufo comes adhæſerat. Quũ uerò datæ fidei diplomata ſcriberentur, Solymanus Eunuchus purpuratorũ princeps Rufum comiter inuitauit, ut Solymano imperatori militaret, propoſito liberali ſtipendio, ac oblata quingenariæ cohortis præfectura. Sed quum abnueret, quòd ſacramẽto militari præoccupatus à rege, nondũ militię tempus impleuiſſet, purpurea ueſte, aureis diſtincta floribus, uirtutis ergò donatus eſt. Notus enim erat uel ipſis Turcis ab ænea barba, quòd ſæpius in aggere ſpectatus, longè omniũ acerrimè dimicaſſet, indicantibus etiã Strigonienſibus trãsfugis, qui tũ aderant Barbarico cultu cõſpicui, atq; eũ Eunuchi monitu uehementer hortabãtur, ut honoratioris militiæ certã ſpem dubijs atq; tenuibus ſtipendijs præferret: quid enim forti ac egeno militi ſperandum, ſi quum bellum uigere deſineret, ſtipendia penitus interirent? In his erant Ioannes Neapolitanus, Vincentius Venetus, & Hieronymus Fauentinus noti militiæ, potius quàm domi clari, qui admiſsi ſceleris notã eo nomine protegebãt, quòd nequaquã ad Mahometis ſacra defeciſſent. Legatis in urbem reuerſis, ac omnia clementer & commodè impetrata narrantibus, ciuitas paulo antè perculſa metu ad ſpem ſalutis, & ueniæ, pro quibus uota ſuſceperat, extemplò redijt. Nec multo pòſt Achomates per ſingulos linguarum interpretes, in forum præmiſſos, pronunciari iuſsit Italis, Germaniſq; militibus, ut in craſtinum diem, ea quæ profectioni opportuna uiderentur, collectis ſarcinis expedirent, diligenterq; cauerent, ne quiſquam Hungarus ipſorum agmini miſceretur. Albanis uerò grauiter imperatur, ut limine ſeſe contineant, donec externi milites emittantur. Exiuere ad condictum Itali, Germaníque, duce agminis Homare alæ equitum præfecto, qui proficiſcentes ab iniuria tueretur, & ad regios fines integra fide deduceret, nec quicquam noſtris ademptum eſt, præter ſclopettos paruos, quos nouo more haſtati equites Germani ab ephippijs, uti mortiferum atque habile telum ſuſpendunt. Hos maximè concupiebant Barbari, nouitate capti, quod ita mirũ eſſet artificium, ut ſine ſuccenſo funiculo, quum luberet, per machinæ paruæ rotulam, percuſſo pyrite lapide, ignem repentè cõciperent, & celerrimè diſploderentur. Barcocij quoque currus, ab Homare ſine tumultu retẽtus eſt, quòd interfecti ducis ſupellex nullos hæredes reſpiceret, ſed ipſos tantùm uictores lege bellica ſequeretur. Petijt etiam comiter Homar ab Vſcaſale, ut ſibi non iniqua muneris permutatione thoracem auratum plicatilem dono daret, quo alacriter exuto traditoq; Vſcaſales contra ſpem ab Homare nobilem equum retulit. Per totum autem id iter Tartarorum excurſionibus infeſtum, noſtros Homar ſingulari fide laboréque tutatus eſt. Euolabant enim Tartari paſsim è ſyluis, tanquam ad oblatam prædam, & in ſarcinas præſertim impetum faciebant, & ſi quem tyronem imberbem, aut armigerum puerum uidiſſent, arreptos curſim celeriter aſportabant, ita ut reluctantes in equi ceruicibus collocati captæ pecudis modo raperentur. Noſtris erant auxilio Turcę equites, quũ intercurrendo, comminandoq; turbam aſpectu fœdam atque terribilem abigere & fugare properarent, neque enim quiſquam Tartarorum ſagittas expediuit,

divit, aut omnino gladium eduxit: conſpecto enim Turcarum præſidio, non certam & cruentam uti ab hoſtibus: ſed à dubijs ſocijs, et negligentibus fortuitam prædam petebant. Sed poſtquam ad regios fines eſt perventum, Homarque diſceſsit, noſtri in multo infeſtiores ſocios Tartaris hoſtibus, Hungaros inciderunt, qui iuſta propè pugna conſerta laceſſentes multis illatis vulneribus nullam prope evadendi ſpem noſtris reliquerant, niſi regij equites e proximis caſtellis maturam opem circumventis attuliſſent. Alia porrò Albanorum conditio fuit: nam Solymanus emiſsis, qui in urbem confugerant, & ſolitos agros colere iuſsis, eos, qui anteà dedendæ urbis ſpem dederant, conquiſitos comprehendit, atque eos pariter Albanos cives, qui in magiſtratu fuerunt, quum civitas à reginæ, infantiſque regis fide, introducto Germanorum præſidio defeciſſet. Ex eo numero aliqui interfecti ſunt, cæteris partim Budam, partim Belgradum relegatis, quòd recentis perfidiæ nota vel alieno vindice punienda cenſeretur. Cæterùm Solymanus, Balibeio Albæ præfecto, munireque urbem iuſſo, ſatis ſibi gloriæ partum ratus poſtquam duabus ſummæ claritatis urbibus in poteſtatem redactis Germanorum & Hungarorum animos contudiſſet, Byzantium redire conſtituit. Iam enim non dubia ingruentis hyemis ſigna maturandum omnino reditum indicabant. Nunciabatur quoque ab exploratoribus, Torniellum in inſula Comara Danubij ſiniſtram partem, validis ſublicis in vado defixis, & cratibus intertextis ſubituræ claſsis aditum præſepiſſe, eo conſilio, ut eius inſulæ oppidum maius atq; validius, cum reliquis cohortibus tueretur: & iam Pontificiæ cohortes, quæ integræ & ornatiſsimæ legionis numerum implebant, Baptiſta Sabello & Iulio Vrſino ducibus, Viennam pervenerant. Nec longè aberat Ferdinandus, adductis Marcomannorum & Bohemorum auxilijs, ut aſcenſuro hoſti, & commeatum atque tormenta navibus advehenti, terra & flumine obviam iretur. Sed qui perditis iam rebus opem laturus ſerò advenerat: têmpore demũ excluſus, ut amiſſa recuperaret, nihil regio nomine dignum perficere potuit. Diſcedente autem Solymano, unus ante alios vetus imperator, & noſtris maximè cladibus inſignis, Mahometes Iahaoglis (is à præfectura Belgradenſis dicebatur) gravi iudicio delectus eſt, qui toti Pannoniæ cum imperio præſideret. Ab hoc prædabundis agminibus vehementer vexata eſt ea regio, quæ ad Iavarinum & Quinque Eccleſienſium fines pertinet: cui malo quum à noſtris occurri minimè poſſet, quodam genere induciarum impetrato coactas copias rex utili conſilio dimiſit, & Pontificiæ cohortes in Italiam redierunt. Toto autem eo bello Georgius Varadinenſis epiſcopus Stephani pueri regis tutor, qui ſummæ auctoritatis atque potentiæ nomen apud Tranſylvanos obtinebat, nihil ſe commovit: quanvis eum Solymanus cum eius gentis auxilijs evocaret. Se etenim prohiberi diſtinerique Moldavorum incurſionibus, quominus imperio pareret, prædicabat, quum provinciam ipſo cuſtode præſidioq; vacuam irrupturis hoſtibus minimè relinquendam arbitraretur, & ſatis ſuperque ſatisfeciſſe officio videretur, poſtquam ingentem commeatus copiam in caſtra tranſmiſiſſet. Ita vir ille eximiè fortis & cautus, incolumi vel in ſpeciem tantũ apud ſubiratum Barbarum in amicitia, ſeſe atq; provinciam Chriſtiano nomini conſervavit. Eam rem enim diſsimulatione tranſmittendam Solymanus exiſtimabat, ne inanibus minis illum offenderet, quem omnino amicum fide, quàm patefacto odio certum hoſtem experiri mallet. Tanto au-

tem in Pannonia accepto detrimento non deſuère, qui ab inſigni publicæ pacis & ſacri belli ſtudio vecordiam principum execrantes magnopere lætarentur, quando nulla iam alia ſpes parandæ concordiæ ſupereſſet, quàm ut dimicantes inter ſe reges ab extremo ignominiæ pudore ad pietatis decus revocati, territique metu tanti hoſtis inſanire deſinerent.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XLIIII.

TEMPVS & ordo, quibus unis rerum geſtarum ſeries, ratioq; omnis totius hiſtoriæ certiſsimè conſtat, & ſcriptor explicatus perpetui operis ſui fidem tuetur, nos admonent, ut unde diſceſsimus opportunè revertamur. Neque enim æmulatione pictorum fieri poteſt, ut quæ diverſiſsimis in locis uno tempore geſta ſint, ea ſcriptor tanquam in tabulam collata, ſciteque depicta, ſub unum oculorũ aſpectum legentibus oſtendat. Igitur Cæſar ab Italia Pontificeq; diſcedens ad Belgicũ profectus bellum, ad Bonnam Vbiorũ oppidum, iuxta Coloniam Agrippinam copias coegit atque recenſuit. In his fuère Germanorum peditum quatuordecim millia, mercede conducta, atque item ſingula quaterna millia Italorum & Hiſpanorum. His præerant duo tribuni, Alvarus Sandæus, & Ludovicus Peretius: illis verò Camillus Columna & Antonius Auria, qui illos ex ſibi notis, veteribusque militibus in Italia conſcripſerant. Ad hos quoq; Aurantius regulus Belgarum peditum duodecim: equitum verò armatorũ duo millia ad Cæſarem perduxit. Aderãt autem partim Germanici & partim Sequanici nominis galeatorum equitum quatuor millia, & Italici, Epiroticique generis levis armaturæ equites ſexcenti. Cæſar diviſis muneribus, Stephanum Columnam, authoritate militari virum inſignem, ut eo bello operam navaret à Coſmo Medice ſibi traditum, caſtrorum magiſtrum effecerat. Tormentis autem præfecerat Iacobum Medicem, quem bellicæ virtutis meritò iampridem dignitate Marchionem appellarat. Totius verò equeſtris levis armaturę tribuerat Franciſco Ateſtino, qui erat Ferrarienſis principis germanus frater. His tamen omnibus vices Cæſaris implens, imperabat Ferdinandus Gonzaga, cuius virtuti Cæſar plurimùm tribuere erat ſolitus. Quibus inſpectis ordinatisq; copijs Cæſar cunctis agminibus ſeſe armatum, aurataq; purpura paludatũ oſtendens, adhortansq; ut ad prędã & laudem ire pergerent, ad Duram oppidum tertijs caſtris pervenit. Id erat primũ in Eburonũ finibus, quod tanquã eximiæ munitionis adventanti Cæſari obiectum, Guliermus opinione ſua, uti mox apparuit, inexpugnabile rebatur.

Id lateritio muro & foſſa duplici ita erat præcinctum, ut inter exteriorem, interioremque foſſam perpetuus agger ea altitudine eſſet erectus, qua totius ferè muri ambitus, uſq; ad ſummam coronam protegeretur: appareretque murum nequaquam commodè tormentis poſſe quati, niſi prius tanti aggeris deiecta atque proſciſſa munitio, tormentorum globis viam aperiret. Ea verò neque facilè dirui poterat, neque ſine certa invadentium pernicie conſcendi, intercedente præſertim priore foſſa: quoniam toto aggere opportunis in locis propugnacula eminebant, in omnes aſpectus ad uſum tormentorum aptiſsimè feneſtrata, quæ Durenſes tormentis inſtruxerant. Vir quoque Menapius, nomine Flattes, præſidij præfectus, qui validas cohortes in oppidum adduxerat, & Durenſium iuventutem armaverat, ſe omnium ſalutem, & antiquum Sicambrorum decus adverſus Cæſaris iniuriam conſtantiſsimè defenſurū profitebatur. Neq; enim deerant veteris hiſtoriæ regionisq; periti, qui non longè à Dura, ſub Titurio Sabino, & Caio Cotta, Iulij Cæſaris cohortes olim conciſas fuiſſe memorarent: nec eius gentis milites tanquam aſtutos maximeq; pugnaces, Cæſariani contemnebant. Nam biduo antè levis armaturæ equitum alam exploratum præmiſſam, hoſtes egregia ineundæ pugnæ, & mox fugę ſimulatione in inſidias pertractam, ſubitò provolantes è ſylvis, & more Germanorum per equites ſclopettarios rem gerentes, inſigni illato detrimento perturbarant, quum ante alios ex præfectis Vbertum nobilem Mantuanum, & Marcum Bulvanum illuſtris nominis Epirotam occidiſſent, Ioanne etiā Zucero vetere Græcorū duce intercepto. Cæſar ex propinquo, nec ſine periculo loci ſitum contemplatus, ut repentinum hoſti metum inferret, primis conatibus celeritatem adhibendam iudicavit, extemploq; confici & promoveri vineas, & tormēta produci iuſsit. Expugnandi autē, invadendiq; oppidi negociū, pari cōditione Hiſpani atq; Itali tanquā agilitate corporis, ac ingeniorum expedita vi promptiores, primaq; pericula cōtemnere ſoliti, deſumpsêre, quū in proximo Germani gemina phalange conſtituta, quadratisq; totidem equitū agminibus inſtructis cōſtitiſſent, ut oppugnationis ſucceſſum, adventumq; exteriorum hoſtium, parati ad prælium expectarēt. Nam rumor increbuerat, non longè abeſſe Martinū Roſſemium cū validiſsimis Menapiorū, & Sicambrorū copijs, qui Cæſarianos in oppugnatione oppidi occupatos adoriretur. Is Belgarū populis ſuperiore anno, Antuerpienſibusq; pręſertim (ut diximus) profligato Aurantio, grave detrimentū, multo maximū terrorem intulerat. Sed eos rumores de Roſſemij adventu, nequaquā importunè excitatos, victoria Cæſaris paucisſimis horis extinxit. Nanq; oppugnatio quadraginta maioribus tormentis ante auroram cœpta, neque per totam ferè diem unquam intermiſſa, eum habuit eventum, ut deiectis ex corona defenſoribus, & perfoſſis undique, lateque diruptis editioribus propugnaculis, milites Itali Hiſpanique pariter æmulatione laudis, iniuſſu, nulloque accepto ſigno certatim procurrere, prioremq; foſſam, non ſuperante umbilicum aqua tranſire, & in aggerem conſcendere minimè dubitarent: graviter primò id ferente Gonzaga: ſed mox eorum audaciam, quā imperio reprimere non poterat, bono eventui commendante. Erat enim atrox ſpectaculum, quum ij qui aggerem occuparant, expoſiti ad hoſtiles ictus, è muro aſsidua glandium procella, & maioribus pilis ſternerētur, neceſſarioq; aut in exteriorem, aut in ſecundam foſſam deturbati prociderent. Verū qui audaciæ & temeritatis pœnas dabant, nem-

ulti caderent, incredibili animorum fortitudine in prȩaltam foſſam ſeſe gregatim intulerunt, haſtis & plicatilibus uſi ſcalis, quas ad murum deferebant, & acri tumultuoſoq; impetu ad conſcendenda mœnia tranſnatarunt: quanquam multi gravati armorum pondere, preſsiq; ab alijs incumbentibus abſorberentur, atq; itidem in tranſitu ab imminente paratoq; hoſte vulnerarentur. Erat muro coniuncta excelſior domus, in qua Flattes cum delecta ſuorũ manu verſabatur, magnaq; inde hoſtium ſtrages edebatur: nam & aggerẽ & foſſam hoſtium cadaveribus cõpleverat: quo animadverſo detrimento magiſtri tormentorum demonſtrante iubenteq; Cȩſare, maiores aliquot in eam domũ globos ſtatim coniecerunt: perfractisq; tectorum contignationibus, & Flattem & reliquos omnes, ingenti ruina oppreſſerunt. At Flatte cum promptioribus miſerabiliter interfecto, Durenſibus uſq; adeo cõminuti ſunt animi, ut iam languidius ſeſe defenderent: atq; ita eorum priſtinus ardor remitteretur, ut Cæſariani ſeſe ſublevantes, reptantesq; per ruinas, in murum vexilla efferrent, contemptisq; ignibus inanium circulorũ ex reſina & pice ardentium, vaſorumq; huiuſmodi fictilium, quæ provolvebat hoſtis, muro atq; urbe incredibili celeritate potirentur. Durenſes ad unum omnes, & præſidij milites, ſæviente victore trucidati ſunt, eo acerbius, quod ex Italis ac Hiſpanis ſexcenti ferè aut in promurali aggere occupando, aut in ſuperanda foſſa perijſſent. Ex his longè promptiſsimos centuriones Facium Piſanum, et Sanſeverinũ Neapolitanum, qui ceciderant, ſpectator pugnæ Cȩſar, virtutis nomine publicè laudavit. Quũ vero muralis coronæ decus prȩmiumq; duo ante alios ſigniferi peterent, alter Randolazus natione Cantaber, & alter Ligur, cui Gregorio nomen fuit: & uterque teſtes ſuos produceret, accenſis utriuſq; gentis ad favendum ſtudijs, res ad iudicium Cæſaris delata eſt, qui Gravi conſilio ſuſpenſa ſententia, ut neutrum offenderet, amborum ſpes longiſsimè extraxit, ne ex ea contentione augerentur odia iampridem multis de cauſis ab utriſq; concepta, quæ non ſemel aliàs in cruentam ſeditionem exarſiſſent. Eo modo Sicambrorum urbs Dura, ad ſeptimum Cal. Sept. tam fortiter capta, quã ſævè trucidatis civibus direpta, ſubditis facibus, aut ſponte exortis incendijs tota conflagravit. ſic ut templum cum ſacra turre, inſigni faſtigio conſpicua, penitùs cremaretur. Exiſtimabat enim Cæſar eam cladem merito rebellibus incidiſſe, utpote qui Durenſium acerbiſsimo exemplo reliqua hoſtium oppida perterreri vellet. Nec eum opinio feſellit: nam proximæ urbes Ruremunda & Vantholium, quæ Guilermi præſidijs duce Cortopia tenebantur, admoventi iam caſtra Cæſari continuò portas aperuerunt. Nec multo poſt ipſe Guilermus Durenſiũ clade perculſus, uſq; adeo animum deſpondit, ut ſalutis & fortunarum ſuarum reliquas ſpes omnes in Cæſaris clementia collocandas arbitraretur, in caſtraque deductus à Brunſuicho atque Aurantio deprecatoribus ſupplex à Cæſare veniam petijt: eaque conditione in gratiam eſt receptus, ut in poſterum principis nomine abſtineret, præfectusque tantùm authoritate Cæſaris Gheldrenſis appellaretur, eiusque nomine Gheldrenſibus imperaret, & Gallicæ amicitiæ penitùs obliviſceretur. Ei Cȩſar ad genua provoluto, dedentique ſe nihil arriſit, quum infenſi ſeveriq; oris habitum cum dignitate retineret, quanquam poſtea ei Ferdinandi fratris filiam nuptui dederit, quando iampridem ſponſalia diſſolviſſet, quæ cum Henrici Navarræ regis filia ſuo loco celebrata fuiſſe docuimus. His pactionis legibus cognitis Guilermi mater virilis animi mulier, concepto

animi dolore indignabunda exceſsit è vita. Cæſar quoque Martino Roſſemio clementer ignovit, ac eum cum ſua legione, tanquam rei bellicæ peritum acerrimumque ducem, militiæ ſuæ adſcripſit, & adverſus Gallos cum ingentibus copiis eſt profectus, inito per eos dies fœdere, cum Henrico Britanniæ rege, ut ex compoſito duobus exercitibus Galliæ fines invaderent. Quum plerique mirarentur, quod Guilermus adeo properè abiectis belli conſiliis, vel pudendam pacem non indecoro dubii belli periculo prætuliſſet (quando ei cum frequentes, tum exercitatæ fidorum militum copiæ, peritique duces Longavalles, atque Roſſemius ſupereſſent, quibus nuper Areſcotum Belgarum ducem caſtris atque tormentis exuiſſet, & aliquot quoque oppida, caſtellaque ad ſuſtinendam vim hoſtium mirificè munita dicerentur: nonnullique item amicorum Franciſci regis auxilia intra paucos dies ſuperventura differerent) reperiebamus duas commutati repentè animi cauſas fuiſſe; quarum altera ferebatur, quod à quibuſdam eius primatibus, qui Reipub. potius, quàm privatę Guilermi dignitati ſtuderent, populares inductos affirmabant, qui ingruentis belli incommoda formidantes, arma deprecari & pacem expetere liberis vocibus auderent, quod parum neceſſaria ipſis incolis, & valde importuna Gallorum amicitia putaretur, propter quam princeps graviter offenſo Cæſare, ad excidium totius provinciæ bellum longe graviſsimum inveheret: alteram porrò fuiſſe Gallici auxilii irritam ſpem, Franciſco rege ſcilicet in continendis in fide Leucorum oppidis, quæ ceperat occupato. Neque enim rex iuſtas copias, uti Sicambrorum pericula flagitabant, celeriter cogere atque ſummittere potuit, quum minus expedita ipſius conſilia vis ardens Cęſaris, miraque celeritas anteiſſet. Galli per vernum æſtivumque tempus ſuperioris anni Carolo Aureliano in Leucis proſperè bellum gerente, & Vandomio inferiores Belgarum fines pervaſtante, gravia detrimenta Cæſarianis intulerant, Landreſiumque oppidum, id metu deſerentibus incolis occuparant, propinquum Cameraco, quod eſt urbs libera & immunis; mediaque inter Gallos & Belgas: utpote quæ pari ſtudio Belgarum principum & Galliæ regum amicitiam colat. Cameracum antiquitus Samarobrinam, Iulii Cæſaris hybernis celebrem fuiſſe nonnulli exiſtimant. Nos eam hodie ſancti Quintini oppidum potius eſſe credimus, quod Sommæ fluvio adiaceat, & Samarobrinæ cum oppidi, tum præterlabentis amnis nomen fuiſſe locorum peritis videri poſsit. Landreſium itaque quod ad invadendos hoſtium fines magnam opportunitatem eſſet habiturum, rex Franciſcus ingenti ſtudio ita muniendum exiſtimavit, ut ſuis inde frequenter erupturis, & facilis egreſſus, & tutiſsimus receptus daretur. Regis ſtudium proceres æmulantur, ſuoque ſumptu ſingula propugnacula, conductis undique operis, erigenda ſuſcipiunt, uſque adeo fervidis ſingulorum ingeniis, ut intra pauciſsimos dies perpetuam munitionem extruxerint, & ſibi quiſque totius impenſi ſumptus, abſolutique operis nomen honeſtiſsimæ laudi ceſſurum duceret. Perfectis aggeribus, oppidoque egregiè undique permunito, Landa præficitur, vir apprimè fortis & ſtrenuus, cui collega & adiutor additur Deceius, cum expeditis equitum turmis. Landreſio per hunc modum in oculis Belgarum iuſtis Gallorum præſidiis confirmato, proximi Cæſarianæ ditionis incolæ, utpote qui quotidianis Gallorum iniuriis ſe expoſitos providebant, magnis precibus à Cęſare poſtularunt, ut ante omnia Landreſium ex hoſtium manibus eripere, regionemq;

gravi incommodo atque periculo liberare vellet, prius quàm in anteriora Galliæ pervaderet. Hoc idem vehementer expetebat Areſcotus peculiari incenſus dolore, quòd Landreſium eius ditionis fuiſſet. Indulſit facilè Cæſar æquiſſimis ſuorum precibus, quòd erepta vindicare ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, coactoque exercitu per Cameracenſium fines ad Guiſam, non longè à Landreſio, profectus eſt. Subijcitur Guiſa oppidum, antiquiſsima turre inſigne, his à tergo collibus, è quibus Scaldis fluvij fontes erumpere dicuntur. Non longè autem ab oppido Gonzaga poſitis ad Marollam caſtris conſedit. Hæc opulenti permunitique cœnobij vicus eſt, unde Guiſam, ſi ex commodo fieri poſſet, adoriri cogitabat. Sed iam eum imminentem novi præſidij adventus, & Franciſci Ateſtini caſus facilè averterũt. Petrus enim Strozza lectiſsimos ſclopettarios numero ferè quingẽtos, qui ad conficiendũ iter, ut integris viribus rem gererent, ſingulis equis vehebantur, peropportunè in oppidum introduxit: quũ fortè Ateſtinus exploratum incautius procurriſſet, conſpectoq; hoſte & concidente equo ferè inermis & pedes eſſet interceptus. Amiſſo levis armaturę equitum præfecto, nihilque tentata Guiſa, Ferdinandus ad Landreſium ſe convertit: ad id enim oppidum Areſcotus, & Hadrianus Beurenus è Croia familia ſummi Belgarum proceres, Mariæque reginæ copiarum duces multis antè diebus caſtra poſuerant. Apud eos fuère præter Belgarum copias quatuor millia Germanorum, & Hiſpanorum tria millia peditum, quæ ab Hiſpania per Oceanum advecta fuerant à Petro Toletano, cui Nocturno cognomen fuit. Iuxta eos, Britannorum exercitus, qui ex fœdere paulo antè in continentem traieciſſet duce Galoppo, vallatis caſtris conſtiterat. Britannorum copiæ ex ſagittarijs magna ex parte conſtabant, quum vix quarta pars haſtis nõ multi roboris, aut alabardis uteretur. Equites levis erant armaturæ, ſemiermes, exili lancea, aut levibus iaculis pugnantes, qui ſeorſum à Belgis ſua caſtra, connexis inter ſe curribus, interpoſitiſque tormentis claudebant. In ipſo autem caſtrorum umbilico parvam munitionem erexerãt, in quam tormentarij pulveris copiam omnem procul ab omni incendiorum periculo contulerant. Inter eorum tormẽta viſebantur patuli oris mortaria, quibus interiora hoſtium ædificia, more iampridem apud noſtros exoleto, decidentibus è ſublimi lapideis globis diruerent. Gonzaga iuſſu Cæſaris, qui valetudinis cauſa Canovo in oppido ſubſederat, univerſum exercitũ Landreſio admovit; ab ea parte caſtrametatus, qua decurrens amniculus ſua caſtra à Belgicis atque Britannicis dirimebat: ſic ut inde tres exercitus aquarentur, & à triplici loco certatim admotis tormentis Landreſiana propugnacula verberarent, maximeq; unam omnes lateritiam turrem, quæ muro prope coniuncta altius eminebat, diruere conarentur. Sed veteris ſtructuræ tanta erat firmitas, ut quum media turris nõ cava & inanis, verũ ſolida, terrenoq; repleta eſſet, omnem vim tormentorum facilè perferret, eliſaq; tantũ incruſtatione indomita perſiſteret. Qua in re peragenda Britanni ſimul, & Belgæ pertinacius hærentes irrito conatu magnam vim tormentarij pulveris & pilarum acerrimè ſeſe tuentibus Gallis conſumpſerunt, & Gonzaga ſtudium, operamque omnem ab oppugnatione ad obſidionem, ſcalpendaſque ſubtus aggerum radices vertendam cenſebat: quòd Landa vir indefeſſus & acer rerum inopia potius, & auxiliorum deſperatione, quàm vi tormentorũ ſubigi poſſe videretur. Sæpius enim eruperat, noctuque ſemel egreſſus, grave tormentũ ſopitis Belgis, et nequicquã demum exper-

rectis

rectis ademerat, & impunè per foſſam vel profunda aqua redundantem ergatarum funibus extraxerat. Neq; Deciani equites unquam ceſſarant, quin erumpendo pabulatores & lixas hoſtium intercipere niterentur. Per hunc modum quum Belgæ, Britannique in ea pugnatione multos dies contriviſſent, & qui ab imo fundamenta operum ſubtrahere conati fuerant, uti crebro tormentis icti nihil proficerent; Gonzaga fit certior, Franciſcum regem, ut Landæ opem ferat, adventare: viſaque eſt Cæſarianis ſeſe offerri occaſio (uti maxiximè cuperent) conferendæ manus. Itaque pugnæ avidus, Areſcotum & Beurenum, atque ipſum Galopum opportunè admonet, hortaturque ut motis caſtris, ſuperatoque flumine ſibi ſe coniungant: quoniam Gallis adventantibus is amniculus minimè erat ſuperandus, & ipſe ad excipiendũ regis impetum futurus eſſet infirmior, niſi ad ſe in una caſtra copias traducerent, quando diſiunctæ ſingulorum vires nihil ad victoriam parandam prodeſſe poſſent. Sed viri ingenio pertinaces inanibus inducti argumentis, neq; animos ad ſalubre conſilium admovere, neque ulla ratione adduci potuerunt, ne in ſuis veteribus caſtris permanerent: ſic ut Gonzaga ſpe ſua deceptus imperitis & obſtinatis parere mallet, quàm ſolus in dubiæ pugnæ diſcrimen devenire: atque ita ſe ſperni amittiq; pugnæ atq; victoriæ occaſionem querens, ultra fluviolum ad eos caſtra ſua traduxit. Interea Franciſcus ſibi indecorum fore iudicans, ſi Landæ de ſe bene meriti ſalutem negligeret, ſineretq; amitti oppidum tanto ſumptu, tantiſque laboribus permunitum, generoſo conſilio totius Fortunę virtutiſq; ſuæ ſupremum periculũ facere conſtituit, nihil reformidata pugnæ alea, quàm proculdubiò ſubiturus eſſe crederetur. Providebat enim ſummi diſcriminis eſſe rem, quando Cæſar omnium ferè gentium auxilijs confirmatus, numeroſas & ex recenti victoria pręferoces copias, in aciem eſſet producturus. Sed antiquum Galliæ decus tot adverſis amiſſum prælijs, ut aliquando reciperetur, magnanimum & ad arma promptiſsimum regem plurimùm accendebat, eiq; non incertam victoriæ ſpem faciebant Helvetiæ legiones, quæ Germanis diſciplina pares, & æquato numero, quibuſdam etiam rebus ſuperiores forent: quando his lectiſsimæ etiam cohortes Italorum & Vaſconum acceſsiſſent, & pręter has nova legio Gallicę iuventutis ex ordine nobilium, ſponte gratuitoque nomina dantium, decora armis, plenaq; ingenuę alacritatis inſignem ſpectanti regi operam præſtare percuperet. Equitatus quoque ex omni Galliæ provincia nominatim evocatus, ſe domum non niſi victorem rediturum profitebatur, cui neq; animi virtute, neq; equorum robore, neq; armorum peritia Cæſariani equites comparari poſſe viderentur. Ab hoc animi decreto Franciſcus, uti erat egregiè pius, ſacris inſtauratis, religioſa luſtratione ſeſe & liberos ab omni criminum labe puriter expiat, & à Guiſa oppido explicatis vexillis deſcendit, confectoq; decem miliarium ſpatio, acie inſtructa ita Landreſio appropinquat, ut in conſpectum hoſtium atq; obſeſſorum daretur. Primo agmini præerat Henricus Delphinus: ſecundo rex ipſe duplici ſubſidiaria acie circumſeptus. Subſequebantur carri complures & ſarcinaria iumenta, quibus magna vis commeatus obſeſsis importabatur. Claudebat agmen Hanebaldus dignitate Amiras. Quum rex appropinquaret, atq; hoſtes coniuncti in unum, inſtructiſq; ordinibus parati ad pugnam nihil ſe cõmoverent, levem armaturam equeſtrem Briſacco atq; Decarſo, impigris ducibus emiſit, qui excitatis diverſo in loco levib. prę lijs, hoſtes diſtinerent, univerſęq; pugnæ ſpem & ſpeciẽ

præberent. Non deſuère Cæſariani, qui pari pugnæ ſtudio incitati procurrentibus Gallis occurrerent, intercurſúque expeditorum peditum contracto tumultuoſiſsimo certamine pręliarentur. Interim Franciſcus dextro cornu latè extento, præmiſſaque peditum atque equitum valida manu, quos advexerat commeatus in oppidum intromiſit, præſidiumque labore atque vigilijs confectum recenti milite renovavit, ęgróque & multum defeſſo Landæ Varminium ſuffecit, ſumma in his conficiendis rebus uſus tranquillitate, quum Ferdinandus, niſi laceſſeretur, nequaquam ſibi univerſo prælio decertandum exiſtimaret, quòd æquiorem loci ſitum, quem ultra flumen paulò antè tenuerat, culpa ſociorum amiſiſſet, nec abſente Cæſare collatis pedeſtribus copijs dimicare vellet, quem Martini Roſſemij, & Mauritij Saxonis copias expectare intelligebat. Franciſcus totum id quod propoſiti ſui fuerat egregio auſu conſecutus, ad Cambraſinum vicum, inde centum fere ſtadijs diſtantem caſtra vertit, moratusque ibi integros dies duos, Cæſarianis committendæ pugnæ poteſtatem fecit: quandoquidem Cæſar è Canovo oppido ad exercitum pervenerat, auctus his quas diximus Roſſemij & Saxonis auxilijs, uſq; adeo avidus ineundi prælij, & in eam occaſionem intentus, ut intra minoris tormenti iactum, caſtra caſtris hoſtium conferret, ipſeque prodiens cum imperatorijs inſignibus equeſtrem haſtam experiundo corriperet, & uti mox cõcurſurus eam ad femur alacriter coaptaret. Pugnabatur enim continenter omnibus horis et locis ab levi armatura, cui ſclopettariorum diſperſæ manus miſcebantur. Nonnulli cadebant, multi vulnerabantur, pręliumque atrox & varium alternante eventu paſsim edebatur, ſic ut neutri, aut vindictæ cupiditate, aut nimia ſpe victoriæ accenſi, inſtante nocte facilè dirimi, reducique poſſent, & legiones ex propinquo in acie conſtitutæ, ſpectantesque modo ſociorum ægrè ſuſtinentium, modò hoſtium gnaviter urgentium alternos impetus, non diu quin gradum inferrent, pugnamq; capeſſerent, contineri poſſe viderentur. Et tum animadverſa fuerat, à quibuſdam ducibus non iniqua occaſio invadendi regis, ſi proximos collium vertices undiq; hoſtibus circumiectos promotis caſtris occuparet, quod fieri nõ poterat, niſi copię omnes amniculũ, quem diximus, traducerẽtur, qui propter abruptas & cœnoſas ripas nequaquã commodè tranſiri poſſet, ob id præſertim, quòd inita eius conſilij ratio celeritatem exigeret. Non deerat tamen Caſtalius, in locum diſcedentis Stephani Columnæ caſtrorum magiſter effectus, qui ſe naviculis ſubitariaq; materia pluribus ſimul in locis anguſti eius amnis ripas coniuncturũ, & maturè copias omnes conſtrato ponte tranſmiſſurum polliceretur. Cæterũ Cæſar, quòd diei ſerum eſſet, & uti hybernis et caliginoſis diebus tum accidit, parum lucis ſupereſſet, in poſterum diem eius conſilij rem differendam cenſuit: ob id quoq; libentius, quòd equos levis armaturæ, ſclopettariosq; præſertim pedites, longo feſſos pręlio, univerſæ pugnę caſus poſceret, nimio labore fatigatos nollet: per quos illuſtres ſæpe victorias eſſet cõſecutus. Multi enim utrinq; cõſauciati fuerant: in partibus ſcilicet Gallorũ Audovinus, Delphini gratia clarus eques glande traiectus occubuit: apud Cęſarianos verò Hieronymus Pacecus, Hiſpanorũ tyronum, qui nuper ab Oceano ad Belgicã oram venerãt, præfectus. At Franciſcus qui ſe eo cõſilio veniſſe meminerat, ut Ladrenſiũ obſidione liberaret: abundè dignitati ſuę ſatisfactũ eſſe ratus, quòd hoſtes pugnã detrectaſſe videri poſſent, de ſecunda vigilia caſtra movit: nõnulla impedimẽta et varij cõmeatus vaſa, ignesq; de

induſtria

induſtria relinquens, ut præſentis exercitus ſpeciem hoſti præberet, nec prius quàm diluceſceret, de eius diſceſſu hoſtis certius cognovit. Accidit autem, quod minimè prętermittendum videtur, ut Salazarius vetus alioqui, & aſtutus miles, dubia ſub luce ſpeculatum miſſus, renunciaret hoſtium caſtra eodem loco, quo interdiu fuerant, Helvetiasque legiones in ſtatione conſpici, & maiora aliquot tormenta obverſa ſpectari. Verùm non multo pòſt eius errorem certior dies detexit: nam eas quas putarat hoſtium copias Germanorum eſſe, & quæ tormenta apparuiſſent, arborum truncos fuiſſe compertum eſt: ſic ut is diu àpud Cæſarem ridiculus & infamis extiterit. Perſpecto itaque hoſtium diſceſſu, Cæſar ſerius quàm oporteret levem armaturam & expeditos pedites poſtremum abeuntium agmen inſequi iuſsit. Verùm Franciſcus ad Guiſam iter extendens, Delphinum tueri terga, & idoneo in loco inter ſylvas conſiſtere iuſſerat, ut hoſtes ſi perſequi auderent, avideque & feſtinanter more ſuo tanquam ad paratam prædam longius à caſtris proveherentur, ex inſidijs invaderet atque reprimeret. Nec inanis conſilij res fuit: nam uti Franciſcus pręſenſerat, quum plures hoſtium diſiunctæ manus inſequerentur, in Delphini turmas inciderunt, à quibus repentè facto impetu facilè cæſę pulſæque ſunt, iniquiore ſorte Germanorum equitum, qui ex ala Brunſuici reguli fuerant: nam in eos ardentiſsimè res geſta eſt, à Græcis præſertim equitibus, quos ſummæ peritiæ atque virtutis dux eorum Theodorus Bedenius Spartanus, ex inſidijs in perterritos emiſerat, eo pugnæ eventu, ut nonnullis interfectis & captis, reliqui ferè omnes in facie fœda vulnera ſuſciperent, mira Græcorum agilitate, qui in apertas ſubducta buccula galeas tranſverſim graves gladios adigebant. Delphinus re bene geſta patrem eſt conſecutus, qui iam totum iter quietiſsimè confecerat. Huius ſtrenuè initi conſilij, fœliciterque ſuſceptæ expeditionis eventum, ita plerique rerum periti laudabant, ut non immeritò inter præclara fortiaque Regis facta numerarent, quanquam hoſtes pleniorem ei laudem inde obventuram fuiſſe dicerent, ſi ſe patrato negocio maturius explicaſſet, quando nequaquam cauti, bonique impratoris fuerit, ſeſe ex bidui mora, ad maximè periculoſi certaminis diſcrimen ferociſsimis & invictis gentibus obieciſſe. Quid porrò alienius à diſciplina, quàm propter inane oſtentationis decus, non neceſſarium cum ſæpe victoribus, æquato etiam virium numero, pugnæ caſum ſubijſſe? Cæſar verò quod hyems iam ſuberat, & lethales morbi ex ventris profluvio vulgari inter corpora militum cœpiſſent, itineraque maximè eſſent lutulenta, & cœlum pluvia niveque turgidum videretur, nihil ultrà ſibi tentandum decernens, exercitum ferè totum dimiſit, & à Cambreſio ad Cameracum profectus eſt: ubi aliquandiu peculiares aulæ ſuæ copias in hybernis continuit, quòd ea civitas erga Gallos æquo propenſior viſa eſſet, utpote quæ ſe toto eo bello gravia detrimenta à Cæſarianis copijs perpeti quereretur. Sed primores Senatus adventanti continuò portas aperuerunt, ab hisq; factus eſt intempeſtivę conſternationis author, & reus urbis antiſtes, cui quòd eſſet ex Croia familia, facilè Cæſar ignovit: ſic tamen ut levis populi, qui novũ & inane neutralis (ut aiunt) ſtudij nomen arrogãter deſumpſerat, cervicibus munitam arcem imponeret, qua ſe nõ dubij, ſed Cęſariani iuris eſſe in poſterum faterentur. Nec multo pòſt Cęſar ad cõventus peragẽdos, quos Germanis indixerat, Spirã Nemetum urbẽ aſcenſurus, Ferdinandũ Gonzagam, & cũ eo Caſtalium, in Britanniã ad Henricum regẽ miſit,

ut eum adverſus Gallos diu anteà multis de cauſis, multisq; legationibus concitatum, ad traijciendum in proximam Galliæ continentem, adhortando ſolicitarent, & quę uſui ad bellum terra gerendum videri poſſent, ſigillatim perdocerent. Graviſsimum enim uterque bellum, antiquis atque recentibus odijs incitatus, adverſus Gallos moliebatur. Ferdinandus Gonzaga ad Cęſarem reverſus, Henricum regem, à quo elaborati argẽti pretioſa ſupellectile ad ornamentũ abaci fuerat donatus, renunciavit, ſuopte ingenio adverſus Gallos vehementer eſſe concitatum, ſequentiq; æſtate proculdubio cum ingentibus copijs in continentem Galliæ traiecturum, ut totius Britannici regni prolatis opibus longè maximum Gallię bellum inferret. Neq; eum vel graviſsimo ſumptu poſſe deterreri, quo minus liberaliter Cæſari expetenti in ſtipendia militum pecuniam cõferret, ſicuti antè à Maximiliano eius avo Nerviorũ & Morinorum bello largiſsimè ſuppeditaſſet. Interim Cæſar omnibus conſilijs ad Gallicum bellum intentus, operam dabat, ut quoſdam Germanos proceres in fide atque amicitia contineret, qui per cauſam Lutheranæ ſeditionis à vetere erga ſe Auſtriamque domum officio diſceſsiſſe ferebantur. Id enim unum Cæſar ſibi contendendum exiſtimabat, ut quamplurimos è bellicoſis regionibus Germanos militiæ ſuæ adſcriberet: nullos verò, quantum per leges ſeveriſſimi edicti fieri poſſet, invitantibus, magnaq; propoſita mercede conducentibus Gallis relinqueret. Tranſeuntibus enim in Galliam, perpetui exilij: interceptis verò ultimi ſupplicij pœna imponebatur. Sed populoſsimimę liberæq; gentis viri militares, tanquam uberrimis invitati præmijs, nullo pœnæ metu deterreri, nullaq; cuſtodiarum diligentia prohiberi poterãt, quin in Galliam manipulatim inuſitatis præſertim tramitibus tranſirent: tantùm enim valebat apud quoſdam odium contra Auſtriam domum conceptum, tantaq; erat uti certiſsima Gallici auri ſpes, ut cuncta edicta facilè contemneret, & quiſq; ex egentiſsimo longè ditiſsimum exiguo tempore ſe evaſurum arbitraretur, Guilhermi Fuſtembergi exemplo, qui nuper à rege repudiatus & exauthoratus, quòd legiones prædæ habuiſſe, regiamq; pecuniam intervertiſſe accuſaretur, inæſtimabile auri pondus domum retuliſſet. Eiuſdem anni Auguſto menſe, quo Strigonium in Pannonia à Solymano captum, & Dura in Belgis à Cæſare expugnata eſt, Hariadenus Barbaruſſa ad Nicęam Provinciæ claſſem admovit. Fremebat etiam Barbarus quòd tantùm maris ſpatium emẽſus, fruſtrà veniſſe exiſtimari poſſet cum iactura ſuę dignitatis, poſtquam rex Gallus magno hoſtium ſuorum cõmodo, inita agitataq; toties conſilij ad gerendum bellum explicare terminareq; neſciret, & totius ſuſcipiendę maritimæ expeditionis tempus ſegniter effluere pateretur. Eius ſiquidem ignaviæ vel ineptæ cunctationis, ſe in primis reum Byzãtij futurum: Solymanũ verò, qui amiciſsimo regi opem ferre, eiusq; hoſtibus maximè nocere percuperet, ęgerrimè laturũ, ſi tanto ſumptu inſtructa, & in extremas maris oras trãſmiſſa claſſe, inanẽ opem ſocio, & tum validis hoſtium armis circumvẽto, tuliſſe diceretur. Ipſi verò nequaquam ſegniter, quũ tempus ferret rerum occaſione ad expedienda arma uti ſolito, multum exiſtimationis & priſtinę laudis deperiret, ſi tota iam ęſtas in autumnum præceps Maſsilienſi in portu, ubi cunctis per ignaviam torpeſcerent manus, abſumeretur. His de cauſis idem Polinus qui a Byzantio claſſem adduxerat, et legationis munere apud Barbaruſſam fungebatur, ad regem contendit, expoſitisque ordine rebus, quæ in negotio opus forent, & Barbaruſſa

ſuper-

ſuperbo convitio flagitaret, regis decretum ad claſſem retulit, quo Nicæam aggredi & oppugnari terra mariq; iubebantur. Iudicabat enim rex, nequaquam ab æquitate diſcedens, ea quæ ſuæ ditionis anteà, nec omnino dubij iuris eſſent, armis repetenda. Niceam namque urbem à maioribus ſuis urgentis belli neceſſitate, pecuniæque inopia coactis, Sabaudio regulo oppigneratam fuiſſe conſtabat, quã oblata eadem, amplioreq; pecunia, iuſtis primò precibus, & gravi demum obteſtatione ſibi reddi fruſtrà poſtulaſſet. Neque enim aliò Turcarum arma vertenda rebatur, quod odioſum nomini ſuo, & infame prorſus futurum proſpiceret, ſi immanium Barbarorum claſſem inexpiabiles & funeſtas allaturam clades, Chriſtianis litoribus immitteret, quando infenſi, infeſtique ſibi Cæſaris iniurias miſerorum & nihil tale merentium populorum detrimenta minimè ſublevarent. Præfecerat Gallicæ claſsi Anghianum adoleſcentem, è Borbonia familia regiæ ſtirpis, Vandomij reguli germanum fratrem, ut trierarchi, & nonnulli item Galli nobiles è claſſe, qui Virginij Vrſini tanquam externi ducis imperio probè prudenterque obedire nollent, nobiliſsimo ſuæ gentis præfecto obſequentiſsimè parerent. Claſsis conſtabat viginti duabus roſtratis, & decem & octo navibus onerarijs, quibus impoſita ſunt octo millia peditum, præter commeatus in multos dies ſuffecturos. Quaterna enim millia Polinus in Narbonenſi Gallia, è Vaſconibusque præſertim: altera verò quaterna Scrocchius, Sabaudio ex privatis odijs factus hoſtis & exul, ex citeriore Provincia, gentibusq; Lemano lacui & Alpibus propinquis conſcripſerant. Claſsis è Maſsilienſi portu lambendo oram in Monæci Herculis portum ſe intulit: biduoque poſt eodem curſu Barbaruſſa cum centum & quinquaginta navibus, quæ remis agerentur, ſubſecutus eſt. Primùm omnium Polinus, iuſſu regis, Genuenſibus ſcripſit, ut nihil timerè vellent. Turcarum enim claſſem quæ regijs auſpicijs regeretur, nemini præter quàm Nicenſibus, ni ſe dederent, eſſe nocituram: & ut regiæ voluntatis decretiq; fidem faceret, nonnullos Ligures in biremibus cathenatos à Turcis impetravit, eoſque Genuam remiſſos propinquis & parentibus inſigni benignitate reſtituit. Nicenſes verò humaniter eſt adhortatus, ut veterem iuſtumque ipſorum principem, non minus liberalitate quàm potentia inclytum ſuſcipere, quàm ſupremæ cladis diſcrimen ſubire mallẽt, eius egentis perplexiq; principis gratia, qui quũ à Cæſare, tum ab ipſo rege cunctarũ propè regni ſui urbiũ dominatu ſpoliatus, nullum omnino alium difficultatibus ſuis exitum reperiret, quàm ut utrique impotenter occupanti, fortunæ ſuæ reliquum iniquiſsimæ prædæ ſciens & volens eſſe ſineret. Nemo enim eo tempore principum omnium ipſo Sabaudio miſerior videri poterat, quum eius regnum paulo antè opulentum ultrà citraque Alpes; avitæ atque antiquiſsimæ hæreditatis, à propinquo rege, pariter & ab affine amicoque Cæſare indignè lacerari conſpiceretur. Proinde Nicenſes nihil omnino vel in præſentia tutius atque ſalubrius, vel in poſterum fructuoſius ac honeſtius eſſe facturos, quàm ſi neceſſariæ deditionis conſiliũ celeriter expedirẽt, quando ipſi ultro ſe dedentes ſumma beneficia publicè & privatim expectare poſſent ab eo rege, qui idcirco eos expeteret, ut indulgẽtiſsimè complecteretur, & urbẽ Maſsilienſium coloniã novis immunitatum cõmodis augeret & perornaret. Decuriones nihil ſe fide potius habere reſponderunt, quam tueri vellẽt erga Carolũ Sabaudium, quòd eum putarẽt legitimum eſſe principẽ, & æquitatis clementiæq; nomine longè optimũ ex-

perirentur. Proinde literis & nuncijs cives ſolicitare deſineret: ſe enim eos omnes, qui ſe in conſpectum darent, pro hoſtibus habituros. Hæc eadem oratores à ſenatu ad Anghianum miſsi detulerunt. Itaque Galli à cohortationibus ad vim conſilia atque arma vertentes, expoſitis copijs, trinisque promotis caſtris, urbem oppugnare cœperũt. Nicea excelſo adiacet promontorio, quod initium habet ab Alpibus, perpetuoque dorſo deſcendens in mare excurrit, Huius extremo in iugo arx poſita eſt antiquorum Provinciæ regum opus, clariſsimorum ſæpe ducum carcere, & miſero vitæ exitu nobilitatum. Hæc ſubiecta maria latè deſpectat, arduoque calle urbi coniungitur. Sub rupe iuxta litus ſalubris aquę copioſiſsimus fons erumpit, maximarum claſsium aquationi peropportunus. Mœnia urbis, uti vetuſti operis, non magnopere munita ſunt: ſed ea paulo antè Nicenſes novis propugnaculis adauxerant, docente atque adminiſtrante Paulo Simeone arcis præfecto. Is magnum habebat militiæ uſum, & uti erat Rhodiæ militiæ adſcriptus eques, à prædonibus olim captus, Barbaruſſæ aliquandiu ſervierat, hortabaturque cives, ut Turcarum vim conſtantiſsimis animis contemnerent. Hoc ut alacrius & pertinacius facerent, uxores eorum & liberos, imbellemque turbam in arcem receperat, & quicquid militaris inſtrumenti præſens periculum depoſceret, ſtudioſè ſuppeditabat. Polinus ab ea muri parte, quæ vergit ad ſeptentrionem, portamque habet ad Villafrancham perducentem oppugnabat. Anghianus intercedente amniculo, qui torrenti ſimilis ſaxoſo alveo non longe à mœnibus decurrit, ſubductus in acclivem locum tormenta contulerat. Turcæ verò non longè à Polini caſtris admirabili celeritate atque peritia productis operibus, conſtitutisque tormentis, mœnium coronam decuſſerant. Gallorum interea claſsis circumvecta promontorium, in urbem ita tormenta dirigebat, ut nonnunquam prætervolantes pilæ in adverſa Turcarum caſtra deciderent. Quo animadverſo periculo Turcæ ad eam partem, quam Leo Strozza iuxta Polinum verberabat, ſeſe applicarunt. Id erat propugnaculum nequaquam durata calce confirmatum, uti paulo antè à Nicenſibus ædificatum. Itaque tantùm muri, tantumq; eius propugnaculi à Turcis vehementiſsimè rem gerentibus, dirutum proſtratumque eſt, ut prælatis vexillis conſcendere auderent, pariq; audacia Etruſca Leonis cohors ęmulatione virtutis Barbaros æquare conaretur. Verũ Nicenſes magno præſentiq; animo propugnantes, multis interfectis & vulneratis, Turcas ſimul & cohortem per ruinas depulerunt. Eo die captum eſt Turcarũ vexillum interfecto ſignifero: alterũ verò Leonis diſcerptum, quũ eum tamen vulneratus vexillifer egregiè pugnans ſervaviſſet. Periêre ex Turcis aut tum, aut poſtea ex vulneribus, paulo minus centum, ex cohorte viginti duo. Sed mox Barbaruſſa vim omnẽ conferri iuſsit, ad diruendã eam turrim, quę portæ imminebat, maximeq; emiſsis inde tormẽtis oppugnantibus nocebat: qua nõ diu quaſſata lacerataq; & proſtratis nõ uno in loco mœnibus, Nicenſes deſperatis auxilijs, præſidioq; ſuo militari, quod erat exiguũ, magna ex parte ſagittis cõvulnerato, de deditione è muro proloqui cœperũt, eaq; conditione Anghianus eos in fidẽ recipit, ut iureiurando cõfirmaret, eos hiſdẽ legibus ſub rege futuros, quibus hactenus ſub Sabaudij imperio fuiſſent. Veritus aũt Polinus, ne Barbari trãſactę deditionis pactiones impedirẽt, doloreq; amiſſorum commilitonũ, & ſpe prædæ irritati, in urbẽ irrumperent, ab Hariadeno impetravit, ut milites revocaret, & ad claſſem redigi iuberet. Qua de cauſa

non

nõ multo poſt Ianizeri uti fraudati ſua ſpe, Polinum & Leonẽ à colloquio Barbaruſſæ redeuntes interficere conati ſunt. Vrbe in poteſtatem redacta, conſultatum eſt de expugnanda arce, cuius conſilij duæ rationes à Barbaruſſa proponebantur: quarum altera in cuſtodia urbis poſita uidebatur, ne eam ab arce improuiſus hoſtis inuaderet; & in tutandis ſuburbanis campis ne alicunde hoſtes in oppugnatione occupatis ſuperuenirent. Altera erat poſita in adminiſtratione tormentorum, ipſoꝗ quaſſandæ urbis negotio. Vtram mallent muneris cõditionem accipiendam Barbaruſſa Gallis offerebat: ſe paratũ profeſſus uel adoriri arcem tormentis, uel tutari campos. Viſus eſt Polinus hærere, quum non facilè in ueſtigio quid ſibi potius eligendum foret explicare poſſet. Atque ita Barbarus noſtrorum ingenia tanquam ad bellicum facinus audendum minimè prompta contemnens, explorato in loco, & celerrimè ſuis aggeribus permunito, tormenta ſeptem collocari iuſſit, in queis fuere duo eximiæ magnitudinis, quum reliqua iuſtam more noſtro amplitudinem non excederent. His ſumma arcis propugnacula idoneaꝗ ad excubias ædificia celerrimè perfregit: ſic ut propugnatorum in corona conſiſtere auderet nemo, & imbellem turbã uel impauido Simeone magnus inuaderet pauor. Galli etiam partiti inter ſe munera, ab alijs uehementer oppugnabant locis, ſingularemꝗ cum ſumma agilitate Turcarum peritiam in producendis dirigẽdiſꝗ tormentis admirabantur. Verùm tot ictibus ad tantam deuentum erat tormentarij pulueris & pilarum inopiam, ut hæc Polinus, aut mutuò, aut pretio à Barbaruſſa petere cogeretur; fremente atque obiurgante Barbaro, quòd in Gallia alieno apparatu indigerent: qui Maſsiliæ multis uini dolijs, quàm rebus ad bellũ neceſſarijs nauigia onerare maluiſſent. Neꝗ enim uir ſeuerus & ferox à iacendis probris abſtinebat, querebaturꝗ ſe eluſum ſpe rerum ingentiũ, quas Polinus Byzantij longè ampliſsimas promiſiſſet: & tanta quidem iracundia ut Polino cathenas ſe iniecturum minaretur, qui eò ipſum à Byzantio perduxiſſet, ubi aut exiſtimationis iacturam facere, aut claſſem conſumpto tormentorum inſtrumento inutilem reddere neceſſe foret. Quibus de cauſis uehementer Gallis iratus, repentè diuanium indixit, id eſt militaris concilij genus, ad quod erecto pro caſtris tribunali alloquendi cõſultandiꝗ cauſa trierarchi, præfectiꝗ omnes, ſigniferi & centuriones aduocantur. De reditu namꝗ ad Orientem, maturaꝗ profectione ſe decreturum dicebat, poſtquàm apud imperitos rerum, ſæpeꝗ mendaces & ignauos ſecus ac polliciti fuerant, cuncta imperata reperiſſet. Qua pronunciatione Gallis, Polinoꝗ præſertim nihil grauius accidere potuit: ſic ut mente perculſus, ad infimas preces deprecationeſꝗ turpiſsimas adulando pollicendoꝗ deſcendere minimè dubitaret: multa atque opima, non Barbaruſſæ modò ipſi, uerùm ſigillatim cunctis Ianizerorum centurionibus præmia, ex regia liberalitate pollicendo: quæ tota penitus eſſent peritura, ſi rege eluſo abruptaꝗ amicitia importunè diſcederent: cuius temere facti nomen grauem omnino moleſtiam Solymano, ipſis uerò non dubiam pœnam eſſet allaturũ. His promiſsis & precibus, ipſoꝗ præſertim Anghiano iratum ſenem leniſsimè demulcente, non ægrè eſt impetratum, ut indictæ profectionis conſiliũ abijceretur: nec ab inſtituta arcis oppugnatione diſcederetur. Sed uix dum pacato, & ad belli gerendi cõſilia conuerſo Barbaruſſa, interceptæ ſunt literę Alfonſi Vaſtij, ad Paulũ Simeonem arcis pręfectum ſcriptæ, quibus eum prolixè hortabatur, ut tãtiſper hoſtium uim ſuſtineret, donec

ipſe præmiſsis iam expeditorum militum cohortibus, cum toto robore grauis armaturę ſuperueniret: ſe enim per maritimarum Alpium tramites iter facere, affuturumq́ biduo, ut cum Turcarum cæde, ipſum atq; arcem omni periculo liberet. Ex his literis celeriter in caſtris euulgatum eſt, Vaſtium qui non procul abeſſet, cúm iuſtis ad confligendum copijs aduentare: qua emanante fama, adeo grauis & repentinus timor Turcarum pariter & Gallorum animos inceſſit, ut quum fortè ea nocte ad cõſternandos nouo incommodo milites procelloſus atq; denſiſsimus imber ingruiſſet: cuncti munitiones atq; tormenta deſererent, armaq́ relinquentes, per arduos calles ſuperato dorſi iugo præcipiti fuga deſcenderent, & ad claſſem confugerent. Sed dies qui mox perterritis illuxit, & nuſquam conſpectus hoſtis, & obortus inde pudor animos reſtituere. Nec multò pòſt quum arx ipſa omnium propè iudicio uti excelſa in rupe poſita ægerrimè tormentis quati, neque cuniculis ſubter rupem excauatis, niſi longo difficiliq; labore, atque item dubio euentu, capi poſſe cenſeretur, reduci tormenta communi conſilio cœpta ſunt. Ea in re adminiſtranda mirifica fuit induſtria Turcarum, qui non ſua mòdò, ſed Gallorum ægrè molientium quæque grauiora humeris reportabant: non obſcurè his increpita ſegnitie, qui corporibus atque animis nimis cito fatiſcere uiderentur. In eo diſceſſus decreto tumultuarioq; labore, Barbari imperio contineri nequiuerunt, quin in urbẽ celeriter irrumpentes cuncta diriperent, & in tectis ſæua incendia excitarent. Diſceſſum autem eſt à Nicea, quum iam Scrocchius aliquot oppida regionis, hortatu ſuo atque authoritate, qua multum apud eas gentes ualebat, ad deditionem compuliſſet. Atque eo modo quum Anghianus ultra flumen Varum copias reduceret, Barbaruſſa ad Antipolim cum uniuerſa claſſe conceſsit, ubi quum ſtationem haberet, ad inſulam Lerinam, quam Margaritam nautæ uocant, cognitum eſt Vaſtium atque Sabaudium cum Auriana claſſe in Villafranchæ portum perueniſſe, cuius in ingreſſu Vaſtius ſummum naufragij periculum adijt, quum triremis, qua ipſe uehebatur, exorta repentini turbinis procella iam ſeſe ſcopulis illideret, niſi quidam miles rei naualis non imperitus, ſublato ſtatim dolone proram inflexiſſet. Eadem uis ſubitæ uehementiſque procellæ quatuor triremes Aurianas, ſeſe in apertum mare eripere conantes, in rupes exeſi promontorij tranſuerſas egit, uſque adeò uiolentis fluctibus ut ſeruis ad tranſtra cathenatis ad exuendas compedes ſpatium defuerit, atque ita ſubmerſi ad unum omnes interirent, & tormenta hiantes carinas grauantia profundo mergerentur. Eo hoſtium periculo aduentúque cognito Polinus tanquam explorata occaſione delendæ hoſtium claſsis Petrum Angelium Bargæum poetam, uirum Græcæ peritum linguæ ad Barbaruſſam legatum miſit, quòd ei uſque à Byzantio notus eſſet: qui inſignem ab hoſte procelláque oblatam pulcherrimi edendi facinoris occaſionem demonſtraret, ſtudioséque eum hortaretur, ut eximiæ laudis certiſsimíque prouentus educta in hoſtem claſſe fructum percipere maturaret. Annuit conſilio Barbaruſſa, ſibíque, ubi laus ſpectaretur, minimè defuturum promiſit: ſed quo minus id audacter expeditequé tentaret, perflantes Euri prohibere uiſi ſunt, quibus tamen citò ſubſidentibus, quum fluctuoſum mare miteſceret, ipſéque educta claſſe contra conſuetudinẽ conſideratiùs & ſegniùs proueheretur, circa Antipolitani littoris uineta curſum ſuppreſsit, admirantibus primò, & mox ridentibus trierarchis atque Sanzachis, uſque adeò liberè, ut per ironiam dicerent, æquum eſſe ut Ha-

ut Hariadenus Auriæ tanquam fratri, & ex piratica conſpiratione legéque ad mutuam ſalutem fœderato, nihil officeret, párque illi beneficium optima fide redderet, quod aliquot antè annis ad Hipponam liberaliter accepiſſet. Ex his qui eam cunctationem carpendo ad inuidiam uerterent, erat Cayeroglis, Sanzacorum facilè princeps, eius Memphitici Cayerbei filius, qui prodito Campſone Sulthano, totius Aegypti præfecturam à Selymo meruerat. Eius autem omiſſæ rei nomen, & tum & Byzantij Hariadenus ita refellit & diluit, ut diceret multa ſibi exactæ ætatis duci, uel hebetibus oculis, clarius & certius quàm iunioribus uideri, & quum de Cayerogle mentio inferretur, renidens inquit ad ſuos conuerſus: ergo non diſsimili ratione magna mihi præmia ab hoſtibus erunt expectanda, dum eis lubenter parco, poſtquam pater eius ad Singam ab ſuo dextro cornu obiectos hoſtes Turcas non inuadens, ceſſantis operæ præmium Aegypti præfecturam ab hoſte uictore tulerit. Cæterùm deſinente procella, miteſcentéque mari, Salechus cum uigintiquinque triremibus, & cum totidem Gallicis Leo Strozza, ad portum contenderunt, potitíque ſunt eius naufragij reliquijs, ſic ut per urinatores alligata funibus tormenta è profundo ergatarum molimine extraherent. Nec diu póſt Barbaruſſa uerſus Maſsiliam ad Tolonis portum, qui Taurenta antiquitus fuit, eſt reuectus. Vaſtius autem cum Sabaudio Niceam inuiſit, laudatóque Simeone, miſeros ciues conſolatus eſt, & inſpectis Turcarúm operibus eorum ſolertiam ac artificium in conſtruendis aggeribus ſic mirabatur, ut noſtros Barbarorum comparatione huiſmodi in rebus multo inferiores ſibi uideri nobis hæc ſcribentibus fateretur. Exinde Vaſtius cum his copijs, quas metu Barbaruſſæ conſcripſerat, aliquot etiam additis cohortibus, ad oppugnandum Monteuicum, quæ eſt ampliſsima ciuitas inter Subalpinas urbes, duxit. Nam in ea erant ualida Gallorum Heluetiorúmque præſidia, quæ duce Carolo Droſio indigena, uiro egregiè forti, frequentia incõmoda Cæſarianis inferebant. Itaque magno ſumptu magnóque labore adductis tormentis, urbs non uno in loco quaſſata eſt, uſque adeò uehementer, ut muri undique collaberentur, uerùm enixè & uigilanter defendente Droſio res eò reciderat, ut Vaſtius penè de expugnatione deſperaret. Nam fortè continuis imbribus cuncta oppugnandi munia tardabantur, & uix miles aduerſi cœli iniurias ferebat, quãquam ex omnibus locis cohortes murum alacriter ſubirent, & inter ruinas acerrimè certaretur. Sed deditio, quæ ab obſtinatis hoſtibus ui atque tormentis exprimi non poterat, dolo quodam, quod prętermittendum non uidetur, expreſſa eſt. Implorarat ſæpius opem Droſius à Buterio, qui ſummæ rei Gallicæ imperium apud urbem Taurinum obtinebat. Hoc ex difficultate periculóque hoſtium, interceptis eorum literis, Vaſtius didicerat. Quamobrem literas Buterij nomine Gallica conſcriptas lingua effingit, quibus gemmæ eiuſdem ſigillum apponit, exemptum ex ueteribus literis. Eæ erant in hanc ſententiã, ut ſibi conſuleret, neque opem expectaret, quoniam rex Belgico bello occupatus, ſupplementa cohortium in Italiam ſubmittẽda non putaret. Idcirco, ſi rebus atque opibus ſuis diffideret, nec defendi urbem poſſe his quas obtinebat militum & neceſſariarum rerum copijs arbitraretur, æqua atque honeſta deditionis conditione accepta, cum hoſte paciſceretur. Has literas Vaſtius reſignatas, tanquam ab ſe interceptas, Droſio mittit, hortatúrque ut pertinaciæ finem faciat, ne ſeſe tótque milites egregiè ſuo munere functos, & im-

bellem ciuium turbam in non dubium ſummæ calamitatis diſcrimen deuoceet. Se enim deditionem extemplo facienti ea omnia integra fide, quæ honeſta conditione tribui poſſent, conceſſurum, ne ſibi neceſſe ſit multo ſanguine uictoriam parare, quæ iam eſſet explorata. Droſius perlectis literis Buterij ſignum agnoſcens, nec quicquam de earum fide ſubdubitans, multúmque in Vaſtij hoſtis clementi ingenio reponens, uti multis rerum difficultatibus circumuentus, deiectúſque ſpe auxiliorum deditionem facere conſtituit, ſcilicet ut urbanam multitudinem, copiáſque omnes, & ſeſe ſeruaret. Itaque paciſcitur, ut ſibi cum præſidio ſaluis omnium rebus, ſub uexilis egredi liceat. Id unum poſtularat Vaſtius, ut caſtellum, quod erat in proximo Droſij præſidio cuſtoditum, ſibi dederetur. In eo filium puerilis admodum ætatis Droſius habebat. Verùm abeunte iam Droſio, qui id ſe dediturum promiſerat, & ſuas copias præeunte, quum cuſtos caſtelli, idémque pueri nutricius, Cæſarianos, qui eo aſcenderant, nequaquam admittere renunciaretur, utpote qui eſſet in colligenda ſupellectile ſollicitè & trepidè intentus, Vaſtius ſubitò in iram exarſit, iuſsítque nominatim quibuſdam equitibus, ut Droſium continuò perſequerentur, eúmque tanquam fidem fallentem retraherent. Tanta autem fuit aliorum equitum, uel ſimul præſtandæ operæ, uel (quod credi par eſt) prædæ cupiditas, ut integræ turmæ tumultuario procurſu, ultro ſe primis aggregarent, & quum Droſius pernici equo uectus, in fugam ſe extenderet, milites præſidij, ipsóſque præſertim Heluetios lentius ſuo more iter habentes, nec tale quicquam ueritos hoſtiliter inuaderent, multíſque occiſis & vulneratis inuſitatæ crudelitatis & auaritiæ facinus admitterent, uel reclamante Vaſtio, & unum tantùm Droſium depoſcente. Sed tanto tumultu inconſultè prorumpentium Hiſpanorum res cœpta patratáque eſt, ut Vaſtius penè ſerò perturbatis, & direptis, maléque mulctatis opem attulerit. Id uerò præter ſpem, & ſecus quàm imperaret Vaſtij animo moleſtiſsimum incidit, tanto cum dolore pudoréque perturbatæ mentis, ut omni benignitatis officio illata detrimenta reſarciri iuberet, occiſorúmque propinquis & vulneratis dona conferret, opportuna placandæ feritati eius gentis, quæ truculentis uocibus & minis contra ius gentium inſigni ſe affectam detrimento querebatur. Hoc apud Vaſtium receptæ urbis atque uictoriæ lætitiam minuebat, ſic tamen ut nulla ſeueritate erga ſuos, qui authores cædis fuerant, uteretur, quum Heluetiorum dolorem paucis capitis ſupplicio punitis expiare poſſe uideretur. Nec multò pòſt diuiſis per municipia ueteribus cohortibus, nouíſque dimiſsis Aſtam conceſsit, indéque inſtauratis copijs uicina oppida iampridem occupata à Gallis in deditionem recipit, Ludouicum Viſtarinum, qui erat Cherij, cum omnibus eius præſidij copijs egredi, & Carmagnolam adoriri iubet. Is iuſſa facit, dedentibúſque ſe oppidanis, arci tormenta admouet, eáque potitur. Gallis tum id erat conſilij, ut deductis præſidijs uires cogerent in tutiorem locum, infirmioráque oppida ita deſererent, ut ea muro & munitionibus nudarentur, ne Cęſarianis p[illegible]ngioris moræ ad ea receptus foret. Itaque Oſſumius Vaſco, & Vico[illegible]cat[illegible]ſuber, equitum præfecti, & cum his Azalius ſclopettariorum co[illegible]ortem adducens, Carinianum uenerant, ad munitiones euertendas exportandóſque commeatus, quo in opere quum eſſent occupati, Vaſtius cum globo equitum in aduerſa Padi ripa

ſe oſten-

ſe oſtendit,monuítque Viſtarinum qui non procul aberat, ut equites ſuos Padum uado tranſire, abeuntéſque hoſtes aggredi imperet. Federicus Douaria, uir impiger, adhortante Viſtarino nihil dubitat, quin tranando cum turma ſua in ulteriorem ripam euadat, Galloſque laceſſat, eóque audacius, quòd ei Vaſtius maturè opem ſe laturum polliceretur. Eius namque equites turmatim ad ducem undique confluebant. Iam accenſa erat ardentiſsimè inter Oſſumium atque Douariam pugna, quum Vicomercatus & Azalius, qui Vaſtiũ planè cum ex ipſo cultu, tum præclara uoce alloquentem cognouerant, Oſſumium adhortantur, ut contentioni finem imponat & ſe recipiat, quòd in conſpectu eſſet Vaſtius, qui multitudine ſuorum equitum ipſos eſſet confeſtim inuaſurus. Oſſumius ſtudio pugnæ incenſus, quum delendi Douariæ cupiditate teneretur, nihil eius conſilij ad animum adhibet, & multo uehementius præliatur. Illi ſuo innixi conſilio ſe expediunt, & quo iter intenderant proficiſcuntur. Nec mora laboranti Douariæ auxilio ſuperuenit Hieronymus Sylua, cum ala equitum à Vaſtio ſubmiſſus, à quo Oſſumiani equites profligantur, ipſéque equo deiectus capitur, & apud Vaſtium ſe à Vicomercato per ignauiam deſertum queritur. Quibus ex uerbis ſuperbè iratéque prolatis, delatíſque ad Vicomercatum, orta eſt capitalis odij controuerſia, uſque adeò accenſa ſimultate, ut Vicomercatus Oſſumium tanquam improbè mentientem, & iniquè contumelioſum ad ſingulare certamen prouocaret. Sed rex multorum teſtimonijs comperto eius bellici incurſus euentu, litem authoritate ſua diremit, decúſque præcipiti contumelia ereptum Oſſumius Vicomercato reſtituit. Re bene geſta Vaſtius Carinianum intrauit, animaduerſáque loci opportunitate, quæ erat maxima atque idonea, ad perturbãdos Gallos, oppidum munire præſidióque confirmare conſtituit. Erat enim in umbilico medióque propè ſinu eorum municipiorum quæ Gallorum præſidijs tenebantur. Probato ab omnibus conſilio, reſtitutíſque operibus, & inſtituta noua munitione, eius oppidi tutelam Pyrrho Stipiciano, cuius ingenio uirtutique multum confidebat, attribuit, & nonnulla inde oppida ad deditionem compulit. Nec multo pòſt diuiſis in hyberna copijs, Mediolanum eſt reuerſus. At Barbaruſſa Tolone ſuſceptus, quum ingenti regiorum præſidum ſtudio & totius Prouinciæ copijs largiter alaretur, inſpecta claſſe, uigintiquinque triremes delegit, quas prædatum ad Hiſpaniæ oram emitteret, attribuítque eas Salecho & Aſſani Celebo, arcta propinquitate ſibi coniuncto. Ii præteruecti Narbonenſem ſinum, prædabundi & Caput Illyberis oppidum, antiquæ olim urbis ueſtigium, in eadémque ora Cadecheſium, & Rhodam, quam Roſam uocant hoſtiliter inuaſerunt, ſuperatóque promontorio Veneris, quod Creum à nautis uocatur, circa ueteres Emporias magna præda potiti ſunt, nactíque onerariam nauem, & triremem unam in portu, qui dicitur Palamos. His captis Algerium, ubi imperatum erat, ad deponendam prædam, hyemandúmque traiecerunt, ut primo uere ad Barbaruſſam in Prouinciam redirent. Is ea hyeme quum partem claſsis reficeret & nonnullis armamentis renouato apparatu inſtrueretur, Genuenſium, ipſiúſque præſertim Auriæ amicitia comiter utebatur, qui quodam maritimo iure per cauſam redimendorum captiuorum, quæ uſui forent Barbaro lubenter ſuppeditabat. Ligures enim omnes amicè conſeruatos, & nuſquam uexatos rex Fran-

ciſcus præſtabat, in id accepta à Barbaris fide, imperio atque authoritate Solymani confirmata. Neque enim Auria exiguis in apparatum rei naualis obſequijs importunè denegatis, hoſtilem animum oſtendere uolebat, quanquã ſe Cæſaris ducem profiteretur, ne patriæ noceret, quam expoſitam tantæ Barbarorum claſsi ad omnem iniuriam conſpiciebat. Hiſdem fermè diebus quibus Hariadenus Barbaruſſa legendo Italiæ oram, ut Galliæ præſidio foret, Maſsiliam eſt profectus, Muleaſſes rex Tunetanus in Siciliam traiecit, eo conſilio, ut Cæſarem ab Hiſpania Genuam deuectum conueniret. Cauſa ſuſceptæ nauigationis ferebatur, ut à Cæſare maiora præſidia aduerſus Turcas impetraret. Nam Turcæ Hariadeni clientes aliquot opportunas regni urbes firmiſsimis uiribus obtinebant, in hiſq; præſertim Conſtantinam, mediterraneam urbem eximiæ munitionis, quam antiquitus Cyrtham fuiſſe alibi oſtendimus, & in ora Leptim paruam, quam hodie Mahemediam Pœni, noſtri uerò Affricam appellant, atque item Adrumetum, quæ Mahometa hodie uocatur. Eo autem ordine ex Africa diſceſsit, ut in regni tutela ſibi maximè fidos atque acerrimos uiros relinqueret: Mahometem in primis qui urbi præſideret. Is tum erat in ſummo apud Tunetanos magiſtratu, qui Maniphætes uocatur, & propter oris titubantiam Temtes appellabatur. In arce quoque conſtituit libertum, genere Corſum, cui nomen erat Fares, quod alacrem exprimit. Copijs Amidam filium præfecit, qui ſuburbanos campos ab hoſtiũ Turcarum & Numidarum incurſionibus tueretur. Afferebat autem Cæſari munera, pretioſi operis tapetes uariaq; ornamenta lectorum, atque item aliquot nobiles gemmas, & duos eximiæ proceritatis Numidicos equos. Verũ quum è Sicilia ſoluiſſet, rectà curſum Genuam tenere non potuit, aduerſiſque uentis, Caietam primò, & mox Neapolim eſt reiectus. Ei prorex Petrus Toletanus, hoſpitalis munificentiæ munera, domúmque lautiſsima ſuppellectile exornatam contulit, Neapolitanis nouum gentis cultum, ueſcendiq; morem, & odoramenti omnis generis exquiſitam luxuriem admirantibus. Cunctis nãque dapibus inſani ſumptus unguenta inſarciebant, conſtabatq; pauonem cum duobus phaſianis à ſtructore ex regiæ culinæ diſciplina conditum, centum aureorum impenſam exceſsiſſe. Quippe non cœnaculum modò, quum in menſa concideretur, ſed domum uniuerſam, nouo ſuauiſsimóque nidore compleuiſſe ferebant, tanta inhalatione, ut à tota uicinia huius inuſitatæ & non citò euaneſcentis uoluptatis odor ſentiretur. Exinde terreſtri itinere ad Cæſarem proficiſci conſtituit, mare reformidans, Barbaruſſæ hoſtis claſſibus occupatum. Iámque Rodulphus Pius, Romæ legatus, in gratiam Cæſaris, uel alienos colentem deos, regem Barbarum, præmiſsis qui inuitarent, lautáque hoſpitia offerrent, erat ſuſcepturus, niſi eum Neapolim ſubſiſtere Cæſar iuſsiſſet. Erat enim uehementer intentus grauiſsimis rerum conſilijs, Buxetóque in oppido cum Paulo pontifice collocutus ad Sicambricum bellum iuſtis itineribus contendebat. Sed ego poſtea ab ipſo Muleaſſe regno pulſo, orbatóque luminibus didici, eum ſupra illas quas diximus ſuſceptæ nauigationis cauſas, idcirco Africa libenter exceſsiſſe, ut magnum quod ſibi imminebat periculum effugeret. Nam uti erat aſtrologiæ peritiſsimus, fatali aſtrorum influxu amittendi regni, & ſuę necis cladem ſibi portendi diuinabat. Quum unum uerò maximè Barbaruſſam ſibi timendũ exiſtimaret, propterea

ſe facilè

ſe facilè credidiſſe eam claſſem quæ Byzantij ornabatur, aduerſum ſe omnino parari. Quid enim abſurdius uideri poſſet, quàm Ottomannicam claſſem, nõ excidio ſicuti ſoleret, ſed auxilio Chriſtianis aduenturam iudicaſſe? Atq; ita iudicio ſuo potius quàm ſyderum monitu deceptum, in eam calamitatē fuiſſe prę cipitatũ, quàm tamen & exul & inops, & utroq; captus oculo fortiſsimè perferret. Dum Neapoli moraretur Muleaſſes, intenteq; ſpectaret, quorſum Barbaruſſæ conſilia euaderent, qui tanta inſtructus claſſe, irrito incœpto ab oppugnatione Nicęę diſcediſſet, quid Solymanus Strigonio atq; Alba Regia clariſſimis Hungarici imperij urbibus expugnatis moliretur, quo deniq; Cęſar poſt Duram urbem in Sicambris manu captam, arma uerſurus eſſet, certis ab Africa nuncijs didicit Amidam filium ex repentina defectione regni Tunetani ſedē inuaſiſſe, interfectiſq; ipſius amicis atque præfectis, & gynæceo inceſta libidine profanato, arcem occupaſſe. Quibus cognitis rebus grauiſsimè perturbatus, in Africam omni poſtpoſita mora traijcere, & perditis rebus uel ſeram opem afferre conſtituit, ratus ſe excitatæ rebellionis initia, filiumq; prius oppreſſurum, quàm ille collectis uiribus ſeſe confirmaret. Illum namq; pręcipiti conſilio aſciturum ſibi Turcas in auxilium putabat, qui ex Lepti, Adrumento, Cyrthaq; facilè accerſiri poſſent, ut Hiſpanis apud Guletam opponerentur, ſi ipſius Muleaſsis cauſam tueri uellent. Itaque quanta potuit feſtinatione prolata pecunia milites conſcribit, probante Petro Toletano prorege; & ueniã exulibus concedente, qui nomina darent, in Africamq; traijcerēt. Ad huius edicti famam, malefici, iudiciiſq; damnati homines Neapolim confluxere, adeò frequentes, ut ex eo genere hominum iuſtus exercitus conflari poſſe uideretur, quum quiſq; ſtipendia facere, exilij nomen abolere, atq; experiri dubij Martis Fortunam mallet, quàm domo profugus & nemoribus inerrans, à conquiſitoribus rerum capitalium teterrimam laquei necem expectare. His ducem ſe prębuit è Patritiorum ordine Ioannes Baptiſta Lòfredius ingenio acer, gloriæ militaris & certi quæſtus ex præfectura impenſè cupidus. Is cum Muleaſſe trimeſtre pactus ſtipendium, quod ſtatim perſolueretur, delectum habuit, conſcriptiſq; cohortibus, milites mille & octingentos nauigijs impoſuit, retēta apud ſe magna parte pecuniæ profectus in Africam, cum rege ad Guletam applicuit. Quomodo autem Amida filius à Muleaſſe patre defecerit, & quis eius cruentæ rebellionis fuerit exitus, non alienum erit ab inſtituto operis ſtrictim enarrare. Erant apud Amidam ſummæ authoritatis proceres, qui iuuenem alieno conſilio obnoxium facilèque parentem pro libidine regebant, & ante alios Mahometes eius Bohamaris filius, qui regnãte Mahomete fuerat Maniphætes. Huic Muleaſſes potitus regno, deſectis uirilibus contumelioſam necē intulerat, obtrectatione amatoria incenſus, q; Rhahamanam incõparabilis formæ puellam Abderomenis arcis cuſtodis filiã, quam ipſe deperiret, maturatis nuptijs præripuiſſet. Ab hac paternæ necis iniuria Mahometes capitale in Muleaſſem odiũ conceperat, quod ideo multis cõpreſſum annis fuit, ut demum ex occaſione patrandæ ultionis grauius erumperet. Secundum hunc erat uetere gratia inſignis alter Mahometes cognomento Adulzes, ex Granata Maurus, ſclopettorum mirus artifex, quē Muleaſſes per cõtumeliam nequiſsimum ſeruorũ appellare ſolitus ab ſe totum alienarat. Ii cum paucis coniurantes excitatis falſis rumoribus, effingunt Muleaſſem apud Neapolim fato conceſsiſſe, ad-

miſſoq; ſupremæ impietatis flagitio, prius quàm moreretur ad Chriſtiana ſacra defeciſſe. Hac uerò fama repentè permotum excitatumq; Amidam circunſiſtunt, adhortanturq; ut ad paternam ſedem properè aduolet, ne Mahometes frater, Chriſtianis ad Guletam obſes datus, ſtudio fauoreq; Touarris, qui expeditas haberet uires, ipſi præferretur. Erat enim Mahometes duodeuiginti natus annos, toto ore atque ingenio auum referens, & propterea Tunetanis ab ea indole gratiſsimus. Itaq; Amida nequaquam impiger ad capeſſendam patris Fortunam, citato curſu è ſtatiuis caſtris Tunetum contendit. Populus, qui nihil de regis morte audierat, ambiguis vultibus eum excipit, & quum plerique mirarentur, cur iniuſſu patris ad urbem temere ueniſſet, prodijt ipſe Maniphætes, ut diximus cognomento Temtes: hic Amidam ſeuera obiurgatione tanquam capitalis audaciæ facinus auſum uehementer increpitat, & ut in caſtra reuertatur ſuadet, reſtitantemq; occurſu multitudinis extra urbem propellit. At Amida conſilio deiectus, deceptusq; ſua ſpe, ad Martiam regionem deflexit, quæ à portu Vticæ ad promontorium dirutæ Carthaginis pertinet, inſignium ædificiorum frequentia, & regiorum hortorum amœnitate pernobilis. Cæterùm Maniphætes reiecto Amida celeri nauigio ad Touarrem ſe confert, ut ſi quid aduerſi rumoris ex Sicilia allatũ eſſet, ab eo certius exploratiusq; cognoſcat, & de Amidæ temeritate, intolerandaq; audacia cõqueratur. Erãt apud Touarrem dati obſides Abdalages, ipſius Maniphætis frater, & Corſi Faræ arcis cuſtodis filius. Cum his diu colloquutus Maniphætes, reuerſusq; Tunetum in ſuſpicionem uenit perfidioſi initi cõſilij, quum ipſo authore ſubleuãteq; Touarre Mahometes obſes paternum regnũ affectare diceretur. Pœni ſiquidem ſuopte ingenio mobiles, repentini, ſuſpicaces, incertis rumoribus facilè ſeruiunt, & quæ audierint, ſæpiſsimè etiam falſa temere interpretantur, pro commodo ſcilicet, ſtudioq; ſuarum factionum, quibus pertinaciſsimè ſeſe addicunt. Exoritur itaq; per urbem rumor ambiguus, & gliſcente ſuſpicionis fama non leuis populi tumultus. Nec diu poſt huius turbulentæ commotionis caſus, cauſáque per quoſdam ciues quibus odioſum erat Muleaſsis nomen, ad Amidam Martijs in hortis crebro ſuſpirio Fortunæ ſuæ indignantem, celerrimè defertur. Is ab eo nuncio redintegrata ſpe, & certis augurijs confirmatus, Bohamàris & Adulcis, ſuorumq; omnium hortatũ, Fortunæ rurſus non ſemper incertæ bonoq; euentui occurrendum ratus, Tunetum reuertitur, patentiq; ingreſſus porta, ad Maniphætis domum decurrit, quo abſente, propinquos eius & familiares crudeliter obtruncat, patrataq; cæde cruento cum agmine ad arcem continenti curſu protinus aſcendit. Ingreſſurum Fares cuſtos, cancellata exteriore ianua, prohibere conatur, comprehenſisq; audacter equi habenis inuectum urgens retro auertit. Sed Fares ab Aethiope, Amidæ promptiſsimo ſatellite, adacto per latus mucrone confoditur, renouatoq; equi impetu Amida per expirantis proſtratíque Faræ corpus æquum adigit & irrumpit, repertúmque Maniphætem extemplò iugulari iubet, & per hunc modum unius horæ momento urbe, arce, regnoq; potitur. Exinde in minores patris liberos cædibus graſſatus eſt, uſque adeò inſolenter conturbatis rebus omnibus, ut patris etiam concubinas cruentus ſine pudore conſtupraret. Harum rerum uti acciderant Muleaſſes certior factus, nihil differendum eſſe iudicans, cum tumultuarijs ut diximus copijs in ſpem recuperandi regni in Africam traiecerat. Igitur Franciſcus Touarres rege

atque Lofredio appulſis, uti erat prudenti perſpicaciq; ingenio uir, ideoq; ſolerti ratione, imminentes caſus expendens, regi ſuadere cœpit, ne his cum copijs Tunetum ire properaret, prius quàm de Tunetanis rebus, ciuiumq; animis certius cognoſceret. Suſpectabat enim Punicam fidem, & uenalium Arabum inſidias. Eò autem grauius ac apertius Lofredium, ne ire pergeret admonebat, quòd in mandatis, quæ diſcedenti prorex dediſſet, diſertè perſcriptum erat, ne regi auidè ituro procedentiq; pareret, niſi ualida Numidarum manus auxilio uti promiſerat, aduenisset. Sed regem atque Lofrediū in ſua fata præcipites uehementer incitabant aliquot Afrorum proceres; qui ſimulatione officij egreſsi urbe præſtò fuerant, eiq; ſolenni cerimonia gladijs iugulo admotis more gentis, fidei militaris ſacramentum dixerant, teſtabātúrque Amidam pudore metúque perterritum, ubi ipſe in cōſpectum ſe daret, urbe arceq; arrepta fuga protinus exceſſurum. Nec mora Touarre fruſtra obteſtante prædictéque, ut à Punicis inſidijs ſedulò cauerent, Muleaſſes explicatis uexillis ad Tunetum iter intendit, ſubſequente alacriter Lofredio. Nec defuere nonnulli periti militiæ ex cohortium præfectis, & ante alios Cola Thomaſis, & Iacobus Macedonius, qui Lofredio ſuadere niterētur, ne inexplorato progredi, & fallaciſsimæ gentis promiſſo incautè credere uellet, ſed tantiſper cunctaretur, dum promiſſa expectatáque ab rege propinquorum Numidarum auxilia ſuperuenirent. Ad quos ſuperbo ore conuerſus Lofredius, deſinite, inquit, qui fœdo metu correpti eſtis, ea impudenter commemorare, quæ uiris fortibus animos comminuant. Tantum uerò abeſt, ut paratæ uictoriæ deeſſe uelim, ut rectius me facturum arbitrer, ſi uos ad conſternandam inani metu multitudinem, quàm ad feriendum hoſtem promptiores, ultimo ſupplicio puniendos iudicem. Ad ea Thomaſius reſpondens; Fortuna, inquit, Lofredi, non ſera unquam temeritatis ultrix, breui ut uideo, utrique noſtrorum teſtandæ uirtutis expeditum iter aperiet. Ego certè præfecturæ honori, quem dediſti non ignobili uitæ exitu honeſtè ſatisfaciam, tu uerò uideris, an tuo munere, qui tuorum monita uſque adeò ſuperbè faſtidis atque contemnis, malè conſulendo inconſultéque pugnando ſatisfacturus ſis. Antecedebat rex cum ala familiarium, uexilla regiorum inſignium præferens, ſubſequebantur compoſitis ordinibus cohortes: iámque ad ciſternas, ubi Cæſar cū Barbaruſſa paucis antè annis conflixerat, tertio ab urbe lapide erat peruentum, quum magna celeritate Hiſpani equites à Touarre miſsi ſuperuenerunt, nunciantes à Barbaris proculdubio inſtructas eſſe inſidias ad olìueta, quòd multa Numidarum agmina in his condita ab exploratoribus referrentur. Sed hæc rex ipſe atque Lofredius facilè contempſere, quū in fata ſua proruerent, & tam feruidè quàm incautè ad eam portam prouehe rētur, quæ naualibus portuiq; imminet. Tum uerò è mœnibus conſpecto Muleaſſe Afrorum equitum ualida manus hoſtili impetu porta erumpit, & magnis clamoribus editis pugna committitur. Ala regia familiarium erumpentes egregiè ſuſtinet. Sed Muleaſſes impigrè haſtam quatiens, & obuios quoſque ſaucians in fronte vulneratur. Cruenta regis facies ſuos magnopere conturbat, & terga uertere cogit. Nec mora ex oliuetis frequentes equitum alæ, peditumq; cohortes ſeſe undiq; Lofredianis circundant, in quos noſtri aliquot minora tormenta curulia emittunt. Verùm his ſemel diſploſis ad iterandos ictus ſpatium noſtris deeſt. Tanta enim incurrentium Barbarorum uis atque celeritas fuit, ut noſtris, ubi ſe circumuentos ac

indagine clauſos uiderunt, animi conciderent, & fœdè abiectis armis occupante pauore in paludem ſe cōijcerent, & enatando apprehendendoq́ʒ nauiculas ſeſe à Barbarorum gladijs eripere niterentur. Eæ nauiculæ magno uſui fuere profligatis, quum inſtructę minoribus tormentis Barbaros, admiſsis etiam in plaudem equis, noſtros auidè conſectantes diſplodendo perterrerent, atque ipſos adnatantes exciperent. Lofredius inopinato hoſtium incurſu attonito ſimilis, equum Thraicium, natare ſolitum, in paludem adegit: ubi nequicquam per uoraginoſa uada eluctante equo, ut in ſiccum rediret littus, ac honeſtius caderet, à Barbaris cōfoſſus atqʒ equo deturbatus in palude perijt, & cum eo Carolus Toccus illuſtri Græcorum ſanguine progenitus. Solus ferè omniū Cola Thomaſius, uti prædixerat, conſtantiſsimè occubuit, adhortatus notos centuriones atque præfectos, ut ſecum impigrè dimicantes, decoram pro dignitate anteactæ militiæ mortem potius oppetere, quàm turpiſsimè in paludis cœno perire mallent, atque ita multis Barbarorum confoſsis & obtruncatis inter cadauera hoſtium non inulti ceciderunt. In his fuere, infauſtæ uirtutis laude digni, Iacobus Macedonius, Antonius Grandillus, & Laurentius Monfortius, Neapolitani honeſti ciues. Reliquos hauſit palus, aut hoſtilis gladius abſumpſit, quum meliore ſorte Franciſcus inſtruendis aciei magiſter, cum Antonio Buccaplana, & Lucio Brutio incolumis enataſſet. Muleaſſes ſuo cruore & multo puluere fœdatus, quum inter turbam terga uertentium profugeret, nulla alia re magis eum hoſtibus prodente, quàm unguentorum odore, agnitus captusq́ʒ eſt. Deſiderati ſunt ex ea cæde ſupra mille & trecenti, reliquos Touarres ueſtiendos recreandosq́ʒ curauit, qui non multo poſt tranſportari in Siciliam, à Meſſanæ freto pedibus redeūtes, ab egeſtate ſqualoreq́ʒ deformes, eam cladem Neapoli miſerabilem fecere. At Amida uictor nihil antiquius habuit, quàm ut patrē adempto ei oculorum lumine immaniter obcæcaret, quod fiebat candenti ſcalpello, proſciſſa utriuſqʒ oculi pupilla. Eandem fraternę ſæuitię iniuriam tulere Nahaſar & Abdalas cum Muleaſſe patre capti. Franciſco autem Touarri ſignificauit apud ſe ſeruari paucos, & hos quidem imberbes captiuos. Muleaſsi uerò patri atrociora promerito, uti ille fratribus ſuis olim feciſſet, oculorum ſe uſum ademiſſe, reliquiſſe autem uitam, ut cæteris crudeliſsimè ſæuientibus exemplo foret, & ipſe erga perfidioſum patrem à clementiæ nomine non abhorruiſſe teſtaretur. Firmauit demum certis conditionibus eandem, quæ cum patre fuerat amicitiam: quum eam ſibi magno uſui, in ea præſertim noui regni perturbatione, futuram exiſtimaret, nihil aſpernante Touarre, quod præſenti commodo ſeruire poſſet. Nam percuſsis inducijs Amida aliquantum pecuniæ repræſentauit, quæ ſtipendij nomine præſidiarijs Hiſpanis ſolueretur, reddiditq́ue nonnullos captiuos, & in his è Rabatinorum ordine circiter uiginti equites Chriſtianos, quos cuſtodiæ antea tradidiſſet, tanquam in fide patris contumaciſsimè perſeuerantes. Ad hæc quoque reſtituta ſunt cūcta ad unum Lofredij uexilla, cadauerque eius, adempto tamen capite, ad ſepulturam remiſſum eſt. Dedit etiam obſidem Sehitem filiū annorum nouem, quod nomen apud Pœnos benè fortunatum ſignificat, ea tamen conditione, ut ſi ex his inducijs, quæ temporariæ uidebantur, pax eſſe nō poſſet, atqʒ inde oriretur bellum, Sehitē ſibi Touarres incolumē continuò redderet. Impetrata quoqʒ ſunt à Touarre Lofrediana tormenta, quorū iacturam quanquam non magnifaceret, Tunetanis tamen hoſtibus aliquando profu-

turam

turam iudicabat. Eæ induciæ quanquam non iniquæ & multis de cauſis neceſſariæ uideri poterant, ideocꝫ à multis probarentur, nequaquam tamen Touarres ex dignitate Cæſaris eſſe ſtatuebat, quòd indignum foret eũ potiri regno, qui immani perfidia nefariocꝫ ſcelere, id contra Cęſaris authoritatem occupaſſet. Quamobrem Touarres noua agitat conſilia, quibus uel ingrati, uel auari animi ratio incluſa uideri poterat, accerſendumcꝫ legitimæ hæreditatis regem ſtatuit, qui nutu Cæſaris Amidæ iniuria uehementer offenſi, apud Tunetum Chriſtianis auſpicijs imperaret. Erat apud Numidas Abdamelech exul ab eo tempore, quo Roſcetem ad Barbaruſſam cõfugiſſe docuimus. Hunc quòd eſſet Muleaſsis germanus frater, ad ſpem regni euocat, confiſum Anemſchæ Numidarum reguli opibus. Nam apud hunc, benignè exceptus hoſpitio, diu permanſerat, quum è Biſcari mediterranea urbe, occupantibus eam Turcis, ad interiora Numidiæ profugiſſet. Nec oblatæ occaſioni deeſt Abdamelech, hortante præſertim Numida, & prædicentibus iampridem aſtrologis, eum proculdubio regem euaſurum, & regni compotem in ipſa regia Tuneti exceſſurum è uita. Patrandæ autem rei peropportunum tempus adueniſſe uidebatur, quòd tum abeſſet Amida, uti compoſitis urbanis rebus, ad Biſertam profectus, ut ibi piſcoſi lacus magnum uectigal exigeret. Itaque Touarres, ut pactionis fidem tueatur, Sehitem puerum nauigio Tunetum remittit, excipitúrque ab eo Abdamelech qui noctu maximè cõfectis itineribus ad Guletam peruenerat. Is celeritate ſpeculatores pręuertendos ratus, paucarum horarum quietem equis recreandis tribuit, & cum globo Numidarum ad Barbaſuecam Tuneti portam peruolat, ingreſsúſque confeſtim ad arcem contendit. Nec eum portæ cuſtodes morantur, rati eum eſſe Amidam, qui à Biſerta redijſſet. Nam Abdamelech fœlici dolo totam faciem linteis ſudarijs inuolucrat, Pœnorum more, qui eo uelamento uti ſolent, ut ora à ſolibus puluerecꝫ defendant. Eo cognito attoniti cuſtodes, quum ad arma diſcurrerent illico trucidantur, unúſque ante alios aduerſari auſus primæ cuſtodiæ præpoſitus Nanſerhalla, natione Siculus, confoditur, atque ita Abdamelech deterritis cæteris, & nihil præ metu ſe commouentibus, admiſsáque in arcem Tunetanorum ciuium manu, rex ſalutatur. Is ante omnia Sehitem puerum cuſtodiæ tradit, & in eandem formulam Touarri tributum pollicetur, qua Muleaſſes à Cæſare regnum accepiſſet, eíque in partem ſtipendij aureorum nummûm ſex milia dinumerat. Nec multo pòſt in lethalem incidit morbum, & ut diuinantium mathematicorum fidem impleret, trigeſimoſexto imperij die uita excedens regio funere elatus eſt. Potentiſsimi autem amicorum & Tunetani principes obnixè fauente, cohortantéque Touarre, Mahometem filium, annorum ferè duodecim regem crearunt, eíque ſtatim adhæſere qui ætatem eius regerent, muneraq; rerum publicarum ex arbitrio obirent, Abdalages Maniphætes, qui interfecti Temtis erat frater, & qui tum erat Meſuar Abdelchirinus, quæ uox ſeruum exprimit liberalem. Secundum hos Scyriffus Mahometanæ peritus legis, ex Bugæa origine Maurus, & Ioannes Perellus ex equitum Rabatinorum ordine, patria Tarentinus. His cuncta parebant, ſed Abdelchirinus intempeſtiuæ probitatis atcꝫ prudentiæ conſilium coquens, quum diceret Tunetanę ciuitati nequaquam puero rege eſſe opus, ſed ſtatæ ætatis maturíque ingenij uiro, qui alienis conſilijs circumduci non poſſet, exitium ſibi citò peperit. Excogitans enim quònam modo regiæ ſtir-

pis regem efficeret, fruſtra circumſpiciens, nec conſilium maturè explicans, præoccupantibus collegis eſt interfectus ea crudelitate, ut nec propinquis eius nec clientibus parceretur. Eo ſublato cæteri, quos diximus, ſummę potentiæ ueræq; tyrannidis triumuiratum condiderunt. Sed Perellus gynæceum inuaſit, quod ei tanquam profeſsione Chriſtiano tum licebat, & in libidinem effuſus Amidæ concubinas ad unam omnes conſtuprauit, ſingulari cum dolore Amidæ, qui Tuneto excluſus, errabundusq; ad Leptim, atque inde nauigijs ad Sceccum Gyrapolitanum Mœnicis peninſulæ regulum confugerat, paſsim ab omnibus opem implorans ad repetendum regnum, quod à nefarijs hominibus ſumma perfidia occupatum indigniſsimè uaſtaretur: quum regi puero impotenter atque improbè dominari, quàm ei ſyncera fide in adminiſtranda Republica adeſſe mallent. Hæc eadem uera eſſe Tunetani ſentiebant, querebantúrque de Abdelchirini morte, qui optimatum princeps, patérque patriæ, à perditiſsimis hominibus nefariè fuiſſet interfectus, neque pati poterant ciuitatem gubernari à triumuiris, qui nullum auaritiæ libidini atque ſæuitiæ modum imponerent: quorum dominatu, ſi regis pueri maturior ætas foret expectanda, creſcēte indies licentia, multo durior ac acerbior euaſurus crederetur. Dum eo modo Amida notos ſibi adiens, & à ſingulis auxilia poſtulans, ciuitatum erga ſe uoluntates excuteret, multisq; pollicitationibus nouas paſsim ſibi amicitias parare contenderet, Muleaſſes pedore carceris, & ſuæ calamitatis deformitate miſerabilis, à fratris filio rege impetrauit, uti arce egredi adireq; templum ſibi liceret Ameti Benaros, uiri olim ſanctiſsimi, quod apud Afros in urbe Tuneto aſyli inuiolabilis nomine auguſtiſsimū habetur. Nec diu poſt, quū Bernardinus Mendocius, Hiſpanicæ claſsis præfectus, ad Guletam applicuiſſet, expetēte Touarre, è templo ad ſtagnum, atq; inde nauigio ad Guletam perductus eſt, ut conſultationibus intereſſet, quibus arma aduerſus Amidam, totiusq; eius oræ Turcas pararētur. Muleaſſes antea Tunetanorum ſibi ualde infenſorum gladios effugerat, mulierculæ inopis miſericordia ſeruatus, quæ eū anili pietate in ſcrobe multis allij ſertis coopertum àduerſus quæritantes abſcondiſſet. Nec minore quoq; ſalutis ſorte mortem effugit, quum opportunè ad Guletam eſſet aduectus, quando ei Amida uir ſæuus, qui mox Tunetū repetijt, uel in auguſti templi aſylo, uti ipſe referebat, minimè eſſet parſurus. Muleaſſes paulo antè filiā nomine Meluccam, quæ uox Angelam exprimit, Touarre auſpice puero regi, uel improbantib. Tunetanis, deſpōderat. Ea res ciuium animos ita exacerbauit, ut Amidam euocare literis, nuncijsq; accerſere maturarent, quibus ille confiſus, ne occaſioni iam planè ſuo arridenti uoto deeſſet, è Gyrapoli profectus, biremibus Turcæ prædonis, cui debilitati cruris uitium Cladi cognomen fecit, Leptim aduehitur, atque inde coacta equitum manu Tunetum peruenit: tanta celeritate, ut regi puero uix euadendi, & ſcapham coſcendendi ſpatium daretur, cunctáque ei paterent, nec quiſquam arma corripere, aut hiſcere auderet. Primùm omnium Amida Perellum è latebra erutum omnibus tormentis excruciat, abſciſsisq; uirilibus, uiuum in foro comburi iubet. Nec Perello animi conſtantia defuit, quum oblato uitæ munere adduci non poſſet, ut à Chriſtiana religione deficeret. Nec multo poſt, quæſtione habita, Maniphætem, quem Abdamelech crearat, interficit, atque item urbis prætorem, & ſecundum hos ex ordine Rabatinorum circiter quadraginta, quorum cadauera rex inhumanæ feritatis laceranda canibus obiecerat,

obiecerat, alias ſolitus in vivos etiam homines mordaces moloſſos, diuturnaq; ie fame, ut aſperius ſævirent, efferatos immittere. In eo quoque ſupra crudelitatem inceſta libido vehementer efferbuit, quum nec ſorori quidem parceret, & in omnem ſexum, ubi forma ad genium reſponderet, improbiſsimè debaccharetur. Cæterum Muleaſſes non diu apud Guletam ſubſedit, ut ipſe aiebat, Dovarris avaritia graviter offenſus. Querebatur enim ab initio depoſitam apud eum regiam gazam nequaquam integra fide tam iniquè à Fortuna mulctato redditam fuiſſe, pretioſæq; ſupellectilis partem cum inſignibus gemmis, certoque auri pondere ſibi miſero iniquiſsimè ſurreptam. Quum autem eius contumeliæ notam Tovarres pluribus argumentis diluere properaret, eò res eſt perducta, ut Tovarres ab rege furti & peculatus apud Cæſarem reus efficeretur, & uterq; in Germaniam contenderet. Verùm Cæſar ad æquitatem facti controverſiam adducens, compoſita potius quàm diiudicata lite eo exitu utrumque dimiſit, ut Tovarres ex Guletæ præfectura detractus ſit: Muleaſſes verò in Siciliam perduceretur, publico Siculorum ſumptu alendus. Filius autem eius Mahometes, qui obſes fuerat, ad ulteriores Numidas Lentigeſiæ avię propinquos, ut fraterni imperij ſucceſſum tutus ab inſidijs expectaret, avijs itineribus confugit. Quum ex itinere Muleaſſes Romam veniſſet, exciperetur que convivio ab Alexandro Farneſio Cardinale, ita ſe ad varias percunctationes humanum facilemq; præbuit, ut inſigni cultus & geſtus gravitate veteris Fortunæ maieſtatem tueretur. Nam ab elati ingenij more Barbaris inſito, deductus ad Pontificem nequaquam maiorem honorem impendit, quàm ut ei genu tantum oſcularetur, & qui oculorum orbes lintea vitta occultatos gerens nihil intueretur: obſtipa tamen & erecta cervice regiæ ſuperbiæ inſolentiam referret. Ab eo demum narrante multa literarum memoriæ digna, de recentibus bellis, Punicisque rebus & inſtitutis didicimus: & quum non ineptè de philoſophia ſermones illati eſſent, quanquam per idiotas interpretes colloqueremur: perſpicuè tamen eum Averrois ſtudioſum, & ſectatorem diſputando deprehendimus. De natalibus autem ſuis ita diſſeruit, ut Chorreæ familiæ nomen, ex qua ipſe prealto ſtemmate natus eſt, ad Homarem, Mahometis pſeudopropheta conſanguineum atque diſcipulum referret: cuius ſtirpis Tunetani reges, nihil interciſa, aut alieno ſanguine depravata ſerie, per noningentos ſupra quinquaginta quatuor annos regnarint. Proptereà affirmabat Tunetanum regem, auguſtiore cognomento, appellari Emir Mumenim, hoc eſt, in religione optimè credentium principem. Memorabant autem familiares eius, neminem ei virtute equeſtri, peritiaque armorum poſſe comparari, quum ex adulatione iactarent eum, quod ad venatoriæ artis decus pertineret, non multis ex quo imperaſſet annis, ducentos amplius iubatos leones in ſylvis equeſtri lancea confixiſſe, quorum tergora ſiccata repletaq; paleis; ad imaginem vivorum, teſtimoniumque virtutis, tanquam decora, proximaquè militiæ honeſtiſsimæ exercitationis trophæa, in peramplis hortorum porticibus ſpectarentur. Quibus de cauſis Muleaſſes tam ſævo diræ calamitatis infortunio prorſus indignus nobis etiam videri poſsit. Eodem hyemis initio, quo Muleaſſes ab adverſa Fortuna acerbiſsimè mulctatus eſt, & Barbaruſſa Niceæ arce nequicquam oppugnata ad Tolonem in hyberna conceſsit, Franciſcus rex à Belgico bello honeſta cum laude reverſus, quod Landreſiano præſidio opem fortiter attuliſſet, productaque acie Cæſari maximis gentium ferè om-

nium aucto copiis, pugnæ poteſtatem feciſſet, nova copiarum ſupplementa in Italiam miſit, ut amiſsi Montevici detrimentum Buterius novo auſu reſarciret. Iam enim Hipporegiam tormentis adortus, eò præſidium Cæſarianorum adduxerat, ut proſtrato muro ægerrimè Gallorum impetum ſuſtineret, & deditionem brevi facturum videretur. Sed adventu Anghiani, novi ducis ex Gallia, Buterius quum ab eo ceſſare, opperirique ſe iuberetur, cum recentibus ſcilicet copiis appropinquantem, ut prælio & expugnationi urbis intereſſet, indignabundus ita impetum repreſsit, ut hoſti ad erigendos novos aggeres, confirmandosque animos ſpatium daret, & partæ propè victoriæ deeſſe mallet, quàm eius propè confecti negotij laudem cum adoleſcẽte imperatore communicare. Is erat regiæ ſtirpis è Borbonia familia, quem Maſsiliæ Barbaruſſam excepiſſe docuimus, cui Buterius vetus miles, & dux ingenio turbido, nihil præter honoris nomen militiæ concedendum exiſtimabat, amiſſæq; proinde victoriæ eventu malignè lætaretur, quã ille importuno imperio, iuveniliq; libidine interpellaſſe videri poſſet. Hoc enim ingeniorũ habitu, & tum, & ſæpè alias Galli duces inter diras obtrectationes bella adminiſtrare ita erant ſoliti, ut rempub. poſt privatum decus facilè haberent: neq; ob id pœnam à mitiſsimo rege vererentur. Galli etiam per eos dies Creſcentinum oppidum tormentis quaſſatum, & Deſannam, ſanctiq; Germani vicina oppida, Cæſarianis ademerant, magno cum dolore Vaſtij, qui fruſtrà diu poſtulata à quæſtoribus Inſubrum pecunia, ut novas conſcriberet cohortes, imparatus, inferiorq; multis rebus per hyemem bellum gerere cogebatur. Proceſſerat tamen Novariam uſq; quantis potuit coactis copiis, ut provinciæ præſidio foret. Nam Galli intra Montisferrati, & Sabaudiæ ditionis fines ſe intulerant, & circumſeſſuri Carimanum oppidum, quod eſt iuxta Padum poſitum, videbantur. Id Vaſtius paulo antè occupatum (ut diximus) validis aggeribus munierat, præfeceratq; ei Pyrrhum Stipicianum ſummæ virtutis atq; conſtantiæ virum. Ei autem aderant Fœlix Archius, cum Germanorum cohortibus tribus, & Michael Hiſpanus, cum totidem Hiſpanorum vexillis: congeſtisque omnis generis commeatu Gallorum impetum expectabat, quòd ſummæ opportunitatis eſſet id oppidum ad gerendum bellum adverſus Gallos, qui obiectu eius munitiſsimi loci magnoperè tardabantur, ne ulterius proferrent vires, & liberius reliqua oppida tentarent. Gaudebat Vaſtius acceſsione eius oppidi multis de cauſis, eaque præcipuè quòd amiſsi ſuperiore anno Claraſchi par detrimentum hoſtibus rependiſſet. Itaque obſtinatis animis, & Vaſtius id tueri & Anghianus obſidere, atque recipere contendebãt, tanto ſtudio, ut Anghianus longam obſidionem inſtitueret, caſtris in conſpectu hoſtis poſitis, & Vaſtius è Germania in auxilium duas legiones accerſeret. Tota namq; utriuſq; imperij, exiſtimationisq; ratio in eius oppidi defenſione, expugnationeq; poſita erat: ſic ut pleriq; facilè prædicarent, uti mox evenit, eam contentionẽ univerſæ pugnæ caſum allaturam, quod antea per octo annos inter perpetuum gerentes bellum nunquã accidiſſet. Proinde futurum ut una inſigni pugna diuturno bello, intolerandisq; miſerorum incolarum calamitatibus finis imponeretur. Iam plures menſes Pyrrhus obſidionem atq; inediam fortiſsimè ſuſtentarat: ſic ut præſidij lectiſsimi milites ab inopia rerum, extremaq; deſperatione auxilij de eruptione cogitarent. Sed eos Pyrrhus animo corporeq; ad perferendas totius inopiæ difficultates paratiſsimus, blandis honorificisq; alloquiis in

offi-

officij continebat, quum nullam edendo prælio, ſi erumperent, occaſionem ad victoriam oſtendi differeret: proindeq; eum conatum felici eventu cariturum: quoniam Galli nequaquam temerè, uti aliàs, ſeſe circumvallaſſent, multisq; tormentis atq; equitatu eſſent inſtructi, ſperarentq; ſine ſanguine victoria potiri: quando etiam ab oppugnationis cõſilio propter mirificos aggeres, præſtantisq; præſidij opinionem, non ineptè diſceſsiſſent. Neq; demũ de Vaſtij ſtudio diligentiaq; eſſe dubitandũ: eum enim & ſuæ laudi, & publicæ cauſæ, totiq; militum obſeſſorum ſaluti magnificè atq; impigrè ſatisfacturum. Propterea æquis animis vini deſiderium tantiſper ferrent, & his, quorum copia adhuc ſupereſſet, vitæ alimentis cõtenti eſſent: poſtquam viri fortes non ad furfures tantũ, ſe ad inuſitati generis cibaria, pro cõmodo principum, peculiariq; ſua laude aliquando deſcendiſſent. Ea quoq; erat Pyrrhi comitas externis iucunda militibus, ut vini lagenas, quas ſibi expetenti Anghianus hoſtis humanitatis cauſa duo mittebat, nequaquã ſibi reſervaret: ſed viritim præfectis atq; ſigniferis quadam parvi calicis libatione, quod pleno potui non ſufficeret, hylariter diſpartiretur, Germaniq; vel natura vini appetentes, patientes & iucundè puteali aqua ſitim lenirent, & cuncta obſidionis incommoda prius ſe fortiter perpeſſuros, quam indignum quicquam vetere gentis conſtantia de deditione auribus admitteretur, per centuriones atq; ſigniferos confirmarent. Vaſtius quoque eorum animos per literas, quum ſpeculatorum facultas dabatur, bonæ ſpei implebat, ſalutemque totius præſidij, & ſingulorum præfectorum decus ſummæ curæ ſibi futurum pollicebatur. Eo tempore Cæſar veteribus ſuis innixus conſilijs, ingens agitabat bellum, quo Galliam ineunte æſtate invaderet, experireturque maioribus coactis viribus, an Franciſcus rex elici pertrahique poſſet ad ſummam dimicationem univerſæ pugnæ, in ſpem ampliſſimæ victoriæ, quã ſibi nuper ad Landreſium propoſitam, è manibus elapſam fuiſſe iudicabat. Hoc ut aſſequi poſſet aſsiduè dabat operã per legatos, ut Henricus Britanniæ rex in Galliam maturè traijceret, ſuopte ingenio, & more gentis Gallico nomini infenſiſsimæ magnopere concitatus. Cum eo namque ita fœdus percuſſerat, ut Galliæ regnum certa conditione cum Anglis partiretur. Tantum enim Cæſaris odium valebat adverſus Gallos ab avorum uſq; memoria conceptum, ut graviſsimarum offenſionum ex repudiatæ adactæq; ad necem materteræ penitus obliviſceretur, nec iniquum, & fide ſua indignum exiſtimaret, ad contumeliam Pontificij nominis, cum eo rege fœdere coniungi, qui propter everſa ſacra, deſpectamque & convulſam Romani Pontificis exiſtimationem, Chriſtiano iure anathemate à Romano ſenatu fuiſſet damnatus, ipſo præſertim Cæſare id orante poſtulanteque, quum ſe in Britanni regis gratiam nunquam rediturum iuraſſet, niſi Pontificiæ dignitati Henricus ſatisfaceret, & ad veteres ſacrorum ritus, priſtinamque Romani Pontificis auctoritatem ſe conferret. Quod autem erat reliquum, aſsiduè invigilabat, nè Germani milites Gallicis ſtipendijs allecti in Galliam tranſirent, propoſitis edictis, atrocibusque pœnis, his qui id auſi, deprehenſique eſſent. Pari diligentia pagorum Helvetiorũ principes aggrediebatur promiſsis atq; muneribus ut Gallorum delectus in conſcribendis cohortibus impedirent, aut retardarent, quando in eius gentis auxilijs ſalutem Galliæ poſitam eſſe proſpiceret, quæ Germanicis legionibus tanquam exæquata virtutis opinione opponi poſſent. Ne verò Italiam negligeret, ipſumque præſertim Mediolanum novis

Anghiani copijs ad prædam expoſitum, Neapolitanosque Barbaruſſæ claſsis reditum extimeſcentes: duas Germanorum legiones in Italiam miſit, quibus iniunctum eſt, ut Vaſtio operam præſtarent: ac demum ſi ita uſus poſceret, mari Neapolim devcherentur. His præerant duo Scaligeri proceres, Chriſtophorus, & Brennor, qui ſtirpis veterum Veronenſium principum eſſe dicebantur. Harum ſpe legionum confiſus Vaſtius, quòd erant ex delectu Vindeliciæ, Baioariç, & Norici, ſplendentibusq; thoracibus & galeis Mediolani fuerant inſtructi, è Vercellis Aſtam ſe contulit, & magnum inde ſarcinariorum iumentorum uſq; à Mediolano, agreſtiumq; carrorum numerũ contrahi iuſſit, quibus magna vis inſtituti & anteà parati commeatus omnis generis, Carinianum ad obſeſſos conveheretur. Et quanquam non multi apud ſe eſſent Hiſpani, nec plenæ admodum eſſent veterum Germanorum cohortes, quas Baro Seiſnechus ductabat: tamen non deterrebatur quin prodiret, confirmatus præſertim Italicis cohortibus, quæ amplius ſex millium militum numerũ implebant, eorumq; magna ex parte ſclopettariorum, qui aſſueti, inveteratique perpetuis Subalpini belli expeditionibus, egregiæ exercitationis opinionem fuerant conſecuti. His omnibus præerat Robertus Sanſeverinus, princeps Salernitanus, cui adiutor, & propè magiſter à Vaſtio fuerat attributus Cæſar Maſsius, è Neapoli vetus peditum præfectus, quo nemo plura ſtipendia meruerat, quum per triginta annos Cæſari integra virtutis & fidei fama operam navaſſet. Vna tantùm Vaſtius angebatur equitum paucitate, infirmitateque, cum vix ſeptingenti galeati recenſerentur, qui etiam levis erant armaturæ, comparatione Gallorum equitũ, apud quos iuſti roboris cataphractorum alas eſſe didicerat: quarum impetum Cæſariani apertis in campis nequaquam laturi viderentur: ob id præcipuè, quòd illuſtres aliquot iuvenes, quorũ principes erant Vidamius, ſummo loco in Carnutibus natus, & Aſſeius Arvernus, Galeoti totius Galliæ tormentorum præfecti filius, pugnæ ſtudio è Gallia hortatu regis in caſtra veniſſe, ſecumq; adduxiſſe plures eximiæ alacritatis equites, exploratum habebat. Quibus de cauſis coactus eſt confugere ad Coſmum Medicem, implorando ut ſibi in tanto periculo, tantaq; exiguitate temporis novos conſcribere milites nequeunti, ab Etruria equites ſubmitteret. Coſmus tametſi cavendum ſibi ab inſidijs exulum, quas adverſus ſe parari audiebat, & tuendam à Barbaruſſç impetu maritimam oram arbitraretur, quando aperto iam Vere Barbari ad navigandũ idoneum tempus habere viderentur: Cçſari tamen, cui ſumma omnia debebat officia, & Vaſtio ęqua poſtulanti, communi in rerum diſcrimine deeſſe noluit, miſitq; Rodulphum Baleonũ, Malateſtæ filium cum inſigni ala veteranorum equitum: cuius acceſsione Vaſtius adeo lætatus eſt, ut in ſpem veniret confirmandi equitatus ſui, experiundæq; prælij fortunæ, quum peditatu ſuperior, aut certè par tutò confligere ſe poſſe ſperaret. Nam eo animo hoſtes, duce Anghiano, apud quem erant periti atq; acerrimi duces Termeus atq; Buterius, ad villam Stalloniam caſtra poſuerant, ut Vaſtium illac pertranſire conantẽ, iuſta edita pugna adorirẽtur. Erant nonnulli, togatiq; præſertim qui pugnæ caſum Cæſarianis, tanquam minus neceſſarium, omnino vitandum eſſe prædicarent, ob idque ducendum quoquomodo bellum, ut Gallorum fervidæ gentis impetus, non collatis in aciem viribus: ſed uti ſæpe aliàs, ſpatio & mora, levibusq; prælijs frangeretur: nec tamen adverſas, quæ ſummæ erant in negotio, difficultates explicarẽt: ſic ut Vaſtius ca

ſtius ea tanquam vetera, & in præſenti rerum momento parum opportuna apte refelleret, atque eas quæ aliter evadi nequirent, fortiter audendo ſuperandas eſſe demonſtraret. Nam præterquam quod receptus omnis, ſegnisq; cunctatio ignominię & duriſsimi exitus pericula ferrent, triplex etiam incommodum, quod immineret, cum magnopere de ſummæ rei eventu ſolicitum reddebat, hortabaturque ut ſuſcepti conſilij propoſitum teneret. Primum erat pecuniæ inopia, inſtantibus iam ſtipendijs: quando per menſarios curata Genuæ vel magnis uſuræ impendijs ægerrime repræſentaretur, nec quæ erat Inſubribus imperata, tanquam ab aſsiduè expilatis, facilè exigi, & comportari poſſet: ſicut non temere timendum foret milites poſſe dilabi, qui ſine ſtipendijs, propinquo præſertim valido hoſte, contineri non poſſent. Secundũ poſitum erat in ſalute tot fortiſsimarum cohortium, quæ cum Pyrrho, cui propter datam fidem deeſſe non poterat, extremum vitæ ac exiſtimationis diſcrimen ſe adire, literis & varijs ſignificationibus oſtendebant. Poſtremum erat defecturi citò commeatus timor. nam ex continua pluvia, durisque ſubvectionibus per lutulenta itinera, penuria adeo creverat, ut paratus ad ſublevandos obſeſſos commeatus in alimenta præſentis exercitus abſumeretur. Porrò apud Gallos cuncta erant paratiora, & rerum omnium opulentiæ pleniora. Nam Anghianus, quanquam adhuc imberbis imperator, veterum ducum ſuorum conſilia ſecutus, Carinianum duplici foſſa, perpetuaque munitione circunvallarat, binos in Pado pontes ſtatuerat, lunatisq; aggeribus utraq; pontium capita munierat, per quos quotidiana omnis generis comeatus copia nuſquam impeditus utebatur, & ad villam Stalloniam, qui eſt vicus ultra Padum, poſitis caſtris, atque his aggere & foſſa permunitis (ut ſupra diximus) hoſtium adventum expectabat. Erat in conſpectu Carinianum, intercedente Pado: ad dextram relinquebatur Carmagnola oppidum, & ad lęvam Montecalerium; quæ Gallicis præſidijs tenebantur, ita ut Cæſarianis inter caſtella præſidiaque hoſtium ab Aſta moventibus, iter eſſet habendum. Interim Vaſtius miſſo ad Montemclarum Salernitano cum Italorum cohortibus, quum illac ſe tranſiturum ſimularet, eo non multo poſt revocato, ad lævam per ſuperiora verſus Summaripę oppidum exercitum duxit, eodemque die Montatani caſtellum, quod ex itinere occuparat, pervenit: ratus ſe poſtero die Summaripam, tertiò Caſalem, quod appellatur Craſſum: quarto Carinianum omnino perventurum. Cuius ſuſcepti itineris rationes diſertè explicabantur, quod ſuperioribus locis Padum vado tranſire, eoque itineris flexu Tranſpadanos hoſtium commeatus intercipere, & ſi hoſtes ſupervenirent, erumpentis præſidij certiſsima ope, ancipitique acie incluſos, aut avertere, aut profligare ſoluta obſidione ſperabat. Verùm hæc vel appoſitè conſulta Fortuna irriſit, uti impotens bellicarum rerum pro libidine gubernatrix. Nam cœlum denſa nube turgidum, tantam vim imbrium iter habenti ſuperfudit, ut rivi agrorum dudum ſine aqua in ſpeciem amnium atque torrentium intumeſcerent, itinera præalto obſita cœno carrorum rotas devorarent, equi tenaci luto ſemihauſti ad inceſſum cogi nequirent, & milites amiſsis calceis ægrè eluctando madefacti, iniquitatem itineris, nec deſinentem cœli iniuriam deiectis animis non perferrent. Augebat tanta incommoda commeatus propè imminens deſperatio. Nam aſsiduo imbre infuſus humor, cruda pariter & cocta cibaria corruperat, tam fœdo, triſtique incommodo, ut milites quatuor dierum cibaria ſecum

ferre iuſsi, cum publica tum privata alimentorum iactura magnopere turba rentur. Tum verò Vaſtius fruſtrà indignari infeſtæ Fortunæ, ab Aſta novi commeatus ſupplementum adduci iubere, conſolari paſsim milites, ut id pluviæ detrimentum conſtanter ferre, & non dubiam cœli ſerenitatem ad victoriam expectare vellent. Interim per Salernitanum Italicaſque cohortes caſtellum Sancti Stephani expugnari iubet, gravioraque duo tormenta ibi deponit, quòd ea, propter iniquitatem itineris, vel duplicatis equorum & boum iugis perduci non poſſent. Cunctis difficultatibus remedia quæ ferri poterant, diligenter adhibet, & cohortando milites ſpe prælij atque victoriæ implet. Non deerat peritus locorum Viſtarinus, qui è Cherio per Federicum Dovariam Vaſtium hortaretur, ut omiſſa priore via, ad ſe iter converteret, quòd Sanctanna amnis facilè vado ſuperari, & Cherij ampliſsimo oppido exercitus aliquantiſper recreari poſſet: indeque apparatis pontibus, obſeſsis opem ferendi, & ſi hoſtis ſeſe offerret æquiore conditione confligendi facultatem eſſet habiturus. Iam deſignati itineris quartus effluxerat dies, quum Montata nondum exceſsiſſet, graviſsimis atque inopinatis rerum caſibus retardatus. At Galli de conſilio itinereque hoſtium non inani coniectura iudicantes, è villa Stallonia, ubi aliquandiu conſederant, motis caſtris, ut hoſti propinquiores eſſent, ad Carmagnolam oppidum ſe contulerunt, intentique & cuncta explorantes, ad omnem pugnæ occaſionem corpora atque animos pararunt. Sequenti die Vaſtius, quum ſol vel ambiguus cœlum ſerenaſſet, uti ſtatuerat, iter à Montata ad Summaripam direxit. Ipſe ad dextram cum manu equitum ad Stallonia caſtra unde hoſtis diſceſſerat, & ad Carmagnolam uſque luſtrando loca provectus, reperit hoſtes contra conſuetudinem ad levia certamina elici non poſſe, eoſque tormentis tantùm inſtructos in muro conſiſtere. Excepit tamen duos milites fortè vagos, à quibus eadem, quæ de hoſtibus anteà didicerat, certius cognovit: paratum ſcilicet eſſe Anghianum prælio decertare, eumque ornatiſsimo abundare equitatu, quo ſe certis rebus parem, hoſti ſuperiorem, & denique victorem evaſurum confideret. Vaſtius interea, quod magno uſui fuit, ex itinere Cereſolam vicum à præeuntibus occupari iuſsit, eique Guterium Cheſadam corporis cuſtodiæ præfectum cum ducentis ſclopettarijs præſidio impoſuit. Et quanquam ad Summaripam, quòd magnopere cupiebat, pervenire contenderet: Cereſolæ tamen neceſſariò caſtra ponere coactus eſt, quòd Germani tardius ſubſequerentur, propter tormenta, quæ niſi difficili magnoque conatu pertrahi non poterant, & Hiſpani ad poſtremum agmen relicti, ingruente iam nocte, redintegrataque pluvia, à reliquis longè abeſſent, ac Salernitanus Italos, varijs atque duriſsimis afflictos incommodis, extremaque laſsitudine fatigatos adduxiſſet: quibus omnibus ſi Summaripam petere vellet, vallis frequenti aquarum voragine & alnis, multiſque huiuſmodi arbuſculis impedita, per tenebras erat ſuperanda, atque eo incommodius, quòd niſi valde anguſtos & raros aditus ab agreſtibus ſubdita materia conſtratos tranſituris præberet. Vltra eam vallem paulo antè extraordinarij recentioreſq; Itali levis armaturę proceſſerant, ducante Cæſare Maſsio, cœptiſq; & protractis levibus prælijs propinquo hoſti ſpeciem præſentis atq; inſtructi Cæſariani exercitus fecerant, ſic ut Galli qui denſa acie incumbebant, aliquandiu ſuſtentati atq; repreſsi, tranſeundæ vallis conſilium abijcerent, quã ſi tranſiſſent, Cæſarianis profectò magna & certa clades

clades erat expectanda, uti poſteà Vaſtius animadverſo diſiuncti imparatiq; exercitus ſui periculo, confeſſus eſt. Is poſtero die à Cereſola diſcedēs cunctum exercitum tormentaque traduxit, ſic ut diſtincta ſuorum agmina adventanti à Carmagnola hoſti, patentibus in campis oſtenderet, & per levem Italorum armaturam pugnam accendi iuberet. Nec defuerunt oblatæ pugnæ Gallorum duces, qui ſe alacriter ad committendam pugnam accinxerant, eam multo tubarum clangore depoſcentes. Iam utrinq; levis armatura diſperſo tumultuarioq; certamine pugnaverat, quũ fortè Itali tormēta duo audacius in aciem producta Gallis ademerunt, indeq; clamor ingeminatæ victoriæ ſublatus eſt. Tum verò Anghianus univerſas copias hoc ordine conſtitutas promovit: in media acie Vaſcones, & reliquos Gallici nominis veteres pedites optimè armatos, decoro cultu criſtiſque fulgentes, ita collocarat, ut eis Helvetiorum iam pridem Subalpino bello inveteratorum, validam manum applicaret, quibus tota frons latè extenſa & æquata certo ſubſidio firmabatur. Dextrum cornu Helvetijs, qui nuper advenerant, inſigni animorum ardore pugnam poſcentibus attribuit. In ſiniſtro autem cornu conſtitere Gruerij non multi uſus, & ſubagreſte militum genus. Hi erant ex regionibus, quæ ad Loſannam & Genevam, Lemanumq; lacum pertinent, Helvetijs Bernenſibus & Sedunis finitimi. His admixtæ erant Italicæ exulumq; præcipuè Inſubrũ & Allobrogum, Subalpinorumq; aliquot cohortes, acies quidem magna multiſq; vexillis conſpicua: ſed quę ex tyronum magna ex parte diverſa utentium lingua, & tumultuarijs delectibus conflata, nullam propè certæ virtutis, aut firmi conſenſus opinionem præberet. Triplicem peditum aciem, triplex equitum agmen diſtinguebat: nam intervalla, quæ relicta erant inter utrunq; cornu, & mediam aciem, diviſi per alas equites occupabant. Inter hanc & Helvetiorum phalangem conſtiterat Thermeus, apud quem erat tota vis levis armaturæ equitum, unius cataphractorum alę præſidio confirmata. Buterius cum reliquo equitatu Grueriorum apertum latus tueri iubetur. Ex adverſo Vaſtius hoſtium ordines conſpicatus integram Germanorum phalangem, quam invicti roboris exiſtimabat, mediæ hoſtium aciei, ipſiſq; Vaſconibus oppoſuit, eo ordine, ut in prima fronte Aliprandum Madruccium Tridentini Cardinalis fratrem, ipſo id ad decus depoſcēte collocaret. Nam ſuperioribus etiam diebus generoſus, & egregiè pugnax iuvenis alacriter fuerat profeſſus, ſe Helvetios, quorum impetum nequaquã imperitè Vaſtius vereri videbatur, cum ſua tantũ legione, quæ trium millium ſummã non implebat, invaſurum & ſtrenuè proſtraturũ. Secundũ eum Scaligeri fratres vexillis in mediam aciem collocatis ſuas cohortes confertis ordinibus ductabant. Cornu dextrum Gruerijs oppoſitum, Hiſpanis concedit, ſic ut his ſtatariæ militiæ quinq; Germanorum cohortes duce Seiſnecho adiungeret. In ſiniſtro Italos omnes conſtituit, iuſſitq; ut ſeſe in tumulum, qui à modica valle leniter exurgit, ſenſim tanquã in æquiorem locum erigerent, nec inde ſe commoverent, ne inordinati ab Helvetijs, qui erant in adverſo loco, uti diſciplina impares funderentur, ſed perſiſtentes in acie Salernitani & Maſsij iuſsis obtemperarent, & uti ſors pręlij depoſceret, per ſclopettarios operã præſtarent. Philippus Belga, Lanoij filius, qui toti prępræerat equitatui, eo ſpatio, quod inter Germanos & Hiſpanos intererat, conſiſtere eſt iuſſus. Idem ut faciat Baleonus, Thermeo oppoſitus, iubetur. Præcipit autem Carolo Gonzagæ, ut Buterianos contra inſtructos diligenter obſervet & invadat.

Eo modo conſtituta directaque utrinque acie, & diſploſis utrinque tormentis, ſigna cecinerunt, appropinquareq; acies cœperunt, inter quas magno cum periculo volitantium undique pilarum & glandium Vaſtius obequitans, collustrando cuncta oculis Germanos ſegnius quàm volebat progredi animadvertit, ſic ut propius accederet, & præfectos ad intendendum gradum comiter hortaretur, in vultu Scaligerorum fratrum deprehendit non dubia, ab inuſitato triſtique pallore, lethalis metus indicia. Proinde converſus ad familiares Scalengũ, Landrianumq;, & Saiavedram, qui eum ad excipienda reddendaque per acies imperia ſequebantur: Deus, inquit, magnus hoc omen avertat, & uti maximè indigemus, hodie præſenti numine nobis adſit, poſtquam in his Germanis, in quibus tota ſpes & ratio parandæ victoriæ poſita eſt, quod anteà nuſquam accidit, præſente provocanteq; hoſte ad dimicandum nullam alacritatem conſpicimus. Primi omnium accepto pugnæ ſigno, quod Vaſtius ſuorum hortatu dederat, Thermei & Baleoni equites concurrerunt, uſque adeo gravi impetu, ut multi utrinque ſternerentur, magnoque ardore poſt abiectas haſtas clavis atq; mucronibus res gereretur. Ibi Thermeus, quum in pedites Italos procurriſſet, ab his repulſus, vulnerato & cadente equo, à tyrone pedite capitur. Baleoni autem ala, quæ numero equitũ erat inferior, quanquã virtute præcelleret, cataphractorum invadentium vim ſuſtinere non potuit, ſic ut multi in eo peracri congreſſu, in hisq; Iulius Actius, tyranni Tudertis filius caderent, ipſeque Baleonus ſuffoſſo, & moriente equo oppreſſus vix eriperetur, & pedes & ſaucius ad Italos pedites ſe reciperet. At in altero cornu Fortuna ludo quodam prælij eventum alternare ſolita, Hiſpanis & veteribus Germanis arridere viſa eſt. Nam Raimũdo Cardonio & Seiſnecho ducẽtibus, exporrecta ſclopettariorũ ala, quam manicã vocant, tanta vi Gruerios invaſerunt, ut eorũ aciem totam perturbarent, & in fugam verterẽt, ruſticaq; caſa, ad quã ſe applicarant, & aliquot tormentis potirentur, & alam Gallorũ equitum fuſis ſubſidio miſſam cruenta conditione perrumperẽt. Cecidêre in eo conatu Strochius, & Carolus Droſius, qui in eo cornu ſummã nominis authoritatem obtinebant. Aſſeius quoq; ſummæ ſpei iuvenis fervidius irrumpẽs: Germanicis haſtis ab ephippio deiectus, ex geminato vulnere triduo pòſt interijt. Eo celeri quanquã incerto victoriæ provẽtu, Hiſpani accenſi animis, fuſos ad multum ſpatium perſecuti, ita procurrerunt, ut cædẽdo, capiendoq; ad Carmagnolam uſq; curſum intenderent. Eodẽ tempore Germani, qui humi procubuerant, ut tormenta vitarent, imperante Vaſtio conſurrexerunt, collectumque pulverẽ, quę eſt vetus & religioſa eius gentis cõſuetudo, pòſt terga proiecerũt, quum ea cerimonia conciliari victoriæ numen arbitrarentur, promotisq; ſignis haſtas inclinarũt. Aliprandus qui in prima phalangis fronte conſtiterat, paucis paſsibus extra aciem prodiens, Molem in Gallica acie ducem, inſignibus conſpicuum, manu ad ſingulare certamen provocavit. Nec detrectante Gallo ita concurrit, ut mutuis ictibus ora perfoſsi ambo corruerẽt, Mola quidem lethifera cuſpide ſupra oculum ad oram galeæ recepta, & Aliprandus gena uſque ad aurem perforata. Cadentibus itaque ducibus aſperum & maximè cruentum prælium à primis ordinibus conſertum eſt, quum utrinque robora lectiſsimorum militum & centurionum pro dignitate nominis & pro victoria dimicarent. Aliprandi aciem ardentius promotam, Scaligeri aliquanto lentius quàm oporteret, ſecuti ſunt, propter depreſsi & inæqualis loci impedimen-

pedimentum, quo neque haſtæ æqua ſerie ferri, neque aptè cohærentes ordines denſari poterant. Eodem temporis momento, quum inter utramque mediam aciem commiſſa pugna ardentiſsimè certaretur, Cæſariani equites ſiniſtrum hoſtium cornu, ubi cum ſuo agmine Buterius ad procurrendum paratus & intentus videbatur, adorti ſunt: alacri quidem, ſed inani, & mox uti apparuit maximè incommodo & fœdo procurſu: nam provecti ad hoſtilem aciem, nulla facta impreſsione, nec inclinatis haſtis ſeſe in gyrum lunato curſu provolverunt, ſive ut levem hoſtium armaturam equeſtrem extra cataphractorum ſubſidia ad pugnam elicerent, ſive quòd aciem perpetuo rigentem ferro ipſi levius armati tentare non auderent, ſive adducti incerta voce a Goito, ut dicebatur, præfecto edita, qua equos flectere iuberentur, quaſi non collatis equorũ pectoribus, & conſerta acie: ſed per iteratos incurſus & recurſus, Maurorum more, cum cataphracto hoſte foret dimicandum. Ea ſeſe præter ſpem inflectentium ſpecies admirationem primò Gallis, & mox ſocijs non incertæ fugæ ſuſpicionem præbuit: ſicut repentè Buteriani terga vertentium valido procurſu inſequerentur, nec Cæſariani, clamante, increpitanteque Vaſtio, ſiſti poſſent, ſed præcipiti curſu in tranſverſam Germanorum phalangem deferrentur, eamque paululum poſt ſigna laxatam veluti adacto cuneo totam aperirent atque proſcinderent. Quo caſu Galli hiſdem veſtigijs in hiatum perruptæ phalangis inſinuati, cunctos eius poſtremos ordines fœdè turbatos, quòd neque galeis, neque thoracibus, uti anteriores eſſent muniti, parvo negotio trucidarunt, quum latis & prægravibus gladijs, quos à venatorijs cultris non abſimiles ſuſpenſos ab ephippijs geſtabant, integros inermium artus facilè detruncarent. Tum verò Helvetij, qui Italis erant oppoſiti, conſpecta Germanorum fluctuatione & cęde, neglectis omiſsisque Italis, ad Germanos infeſta ſigna verterunt, utpote quos ab naturali odio veros propriosque hoſtes ducerent, nec Italos per cavum & inæqualem locum adoriri poſſent, & deletis opportunè Germanis partam fore victoriam iudicarent. Is repentè ſuſcepti conſilij caſus non dubiam ſalutem Italis: Germanis verò certiſsimam attulit cladem. Nam ſicuti illi armis & numero inferiores conſpecta pręſertim ſuorum equitum fuga, Helvetiæ impreſsionis impetum nequaquam diu laturi videbantur: ita Germani, qui à fronte Vaſcones & veteres Helvetios ſumma vi certantes conſtantiſsimè propellebant, invadentium ex obliquo Helvetiorum recentem vim ſuſtinere nequiverunt, ſicut à ſocio equitatu veſana & miſerabili irruptione perturbati, & à nemine adiuti, quum in tergo à Gallis equitibus cæderentur, & in fronte urgente hoſtium peditatu amiſsis ducibus ſtratisque vexillis terga verterent, ad unum propè omnes interficerentur. Cecidére cum Scaligeris fratribus viri illuſtres, aut varijs militiæ honoribus clari, præfectique cohortium ante alios Vulcanus Fuſtembergi reguli filius, Michael Preuſinger, in regenda ductandaq; phalange Brennoris Scaligeri legatus, & Antius Vrſus multorum ſtipendiorum fama notus, & præter hos Hildebrandus Tunnius, Balthaſar Chaldeſius, Iacobus Figer, Martinus cognomento Burſa, Adamus Bralius, & Baro Griniſtenius. Aliprandus verò Madrucius multis vulneribus ſuſceptis, inter ſuorũ & hoſtiũ cadavera ſemianimis repertus, in Anghiani poteſtatẽ devenit. Eam verò cladẽ meritò Germanis incidiſſe tanquã impijs, Lutheranęq; ſuperſtitionis piaculo damnatis, multi prędicabant, quod pridie, qui fuerat reſurrectionis Dei Chriſti ſolennis dies, fa-

cris intereſſe noluerint, taliſque ſæpe, quum ad iactus levigata marmora quęritarent, in altariorum ſacratis menſis luſiſſent, & ligneam Chriſti ſervatoris ſtatuam diris contumelijs, & multo demum cœno conſpurcaſſent. At Itali ubi ſtrata phalangis vexilla, & equites iuſto curſu in fugam extentos conſpexêre, neceſſario & utili, uti mox apparuit, potius quàm honeſto conſilio ſubducere ſe in tutum reformidato victore, & per depreſſum, quem diximus locum: conſervatis tamen ordinibus ſe recipere cœperunt, nulla validiore hoſtium manu eos laceſſente aut perſequente: eoque modo ante mediam noctem Aſtam pervenerunt. Eò multo antè Lanoius cum ſuo equitatu integer applicarat: ſub occaſum verò Solis ipſe Vaſtius ſupervenit, quum ſclopetti glande per ferream ephippij frontem, ſupra genu vulnus accepiſſet, aliquotque clavarum ictibus colliſa caſside nequaquam hoſti cognitus, gladioque ſe defendens, è medio adverſæ pugnæ tumultu ſe eripuiſſet. Tum enim ſecus ac aliàs ſoleret, non imperatorijs inſignibus, ſed atro & mediocri ſagulo, ne facilè agnoſci poſſet, uſus fuiſſe dicebatur. Cur autem Italos Gallicus equitatus nec invaſerit, nec ſit perſecutus, hanc fuiſſe cauſam reperiebamus, quòd amiſſo Thermeo duce, ſeſe diſperſim ad opprimendum dextri hoſtilis cornu milites convertiſſent. Hiſpani enim Seiſnechanique Germani, qui Gruerios latè profligarant, longeque fuſos fuerant perſecuti, quum redirent, perfuſi navatæ fortiter operæ gaudio, ſociorumque ignari cladis, ſuſpenſis ſtupentibuſque animis ad conſpectam ſtragem, in victores Gallos inciderunt, à quibus circunfuſo equitatu tanquam indagine clauſi, propè ſine vulnere capti ſunt, quòd viri fortes perditis rebus Fortunæ cedere, quam ſtulta exitialique pertinacia repugnare ſatius exiſtimarent. Ante alios ſeſe dedidit Raimundus Cardonius caſtrorum magiſter, eius filius qui cum Gallis, Gaſtoneque duce ad Ravennam improſperè conflixit, & cum eo Hiſpani clariores cohortium præfecti, Ioannes Beamontius, Ludovicus Chexada, Conſalvus Hernandius, atque Chevedius. Baro autem Seiſnechus oblato ſibi equo periculum evaſit: & Carolus Gonzaga, quum pedites turpiter effugere conſpexiſſet, ne id dedecus ſubiret in Gallos irrupit, deiectuſque equo captus eſt. Pari etiam pudore, ſed iniquiore honeſti conatus ſorte accenſus Hercules Martinēgus, illuſtri loco Brixiæ natus, quum in confertam hoſtium aciem cum ala ſua ſeſe, uti Vaſtij alumnum decebat, vehementer intuliſſet, cum Attilio fratre interfectus eſt. Pugnatum eſt ad Cereſolam poſtridie Idus Apriles, quarto & quadrageſimo anno ſupra quingenteſimum atque milleſimum Chriſtianæ ſalutis. Occiſa autem referuntur ad duodecim millia hominum, ſed multò maxima ex parte Germanorum. Neq; enim, quum in acie utrinque æquato ferè numero ſupra quadraginta millia peditum conſtitiſſent, omnino incruenta victoria Gallis obtigit, ſiniſtro præſertim eorum cornu magnis cædis & fugæ detrimentis affecto, & aliquot ex illuſtri Gallica nobilitate deſideratis, quorum cadavera Anghianus exquiſito funeris honore proſecutus, in Galliam ad ſepulchra maiorum deferri iuſsit.

Dum Vaſtius acceptæ cladis dolore, & totius ſummæ rei periculo perculſus, ſervatas vel ex turpi fuga copias colligeret & inſpiceret, in ſpem venit victores Gallos his præſidijs poſſe ſuſtineri, diſsimulabatque non obſcura quorundam delicta, eo vultu ut nemini palàm ſuccenſeret, & de una tantũ Fortuna quereretur: Baleonũ verò eximia ornaret laude, quem ferè unũ, fortiſsima edita opera, & Coſmo principi à quo erat miſſus, & paterno avitoq; ſuo nomini egregiè ſatiſfe-

tiſfeciſſe, atteſtante etiam Thermeo, diſſerebat. Hortabatur autem Landium, ut fatalis erroris notam nova virtute abolendam exiſtimaret. Salernitani quoque & Maſsij conſilia probabantur, qui in eo perangusto atque difficili adverſæ rei momento cohortes Cæſari magno uſui futuras ſervaviſſent. Verùm eius iuſto prælio invicti anteà ducis exiſtimationem, præſentemque omnem militaris providentiæ diligentiam, odium (uti ſępe fit) ex re male geſta repentè obortum, & pleriq; ex amicis obtrectatores facti vehementer obterebant: iniqua hercle & planè miſera imperatorum cōditione, quod ſaluberrimę cunctationi periculoſam pugnę aleam prætuliſſe diceretur, quaſi flagitantibus quibuſdam ſuorum, qui hoſtes arroganter deſpicerent, dimicando obtemperare, ne priſtini ſui dedecoris iacturam faceret, quā bono publico prælium vitare, differreq; maluerit. Sed uti poſteà ex eius ore accepimus, nunquam futurum putarat, quin alioqui metuendam Gallici equitatus vim per ſclopettarios, ſicuti ad Ticinum fœliciter accidiſſet, ſuſtineret & funderet, ipſoque robore denſatæ phalangis hoſtium peditatum egregiè ſuperaret. Sed cuncta eo bello prælioq; vel rectiſsimè ordinata, unum, ut credi par eſſet, divinum magni ultoris numen violenter evertiſſe, ſcilicet ut elatos, virtutiq; ſuę inſolenter confiſos, & nihil de victoriæ eventu dubitantes leniter caſtigaret, & Germani obiter fœdò impietatis ſcelere contaminati graviſsimè plecterentur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS EPISCOPI NVCERINI, HISTORIARVM SVI TEMPORIS

LIBER XLV.

POST eam pugnam in ſubiectis Cereſolæ campis à Cęſarianis malè pugnatam, Anghianus victor, quanquam effuſè lætaretur: ſeſe tamen commovere, ultraque progredi in Inſubrum fines, & denique victoria uti non potuit, quòd multis rerum difficultatibus eſſet circumventus. Ante omnia veteranæ cohortes, promptiſsimo quoque militum occiſo aut vulnerato, vehementer attenuatæ, orbatæque multis centurionibus atque ſigniferis, novo ſupplemento erant inſtaurandæ, & cuncti pariter equites, & pedites ex vetere militari conſuetudine, uti acie victores, dignum fide, & fœlicitate generoſi, novique imperatoris donativum poſtulabant: quod tametſi prolixa pollicitatione, & datis vadibus differri, extrahique poſſe videretur: nihil tamen quæſtorum inopiam ſublevabat: quoniam Helvetijs perſolvendi ſtipendij dies aderat, quibuſcum nulla excuſatione utendum foret. Cuius negotij difficultates, neque facilè, neque celeriter poterant explicari, propter præſentis rei nummariæ defectum, quæ nequaquam commodè niſi ab argentarijs

Lugdunenſibus diſſolvi poſſe cenſebatur, & ob id aliquanto ægrius & tardiuſ quàm temporis exiguitas, & præceps occaſio poſtularet: quum audendi procedendiq; ratio omnis in feſtinatione poſita putaretur. Novum quoque expediendis conſilijs impedimentum attulerant Helvetij, quum inconſultis pagorum ſuorum magiſtratibus ſe Cæſaris fines invaſuros pernegarent. Dicebant enim ſe ea præcipuè de cauſa in Italiam miſſos fuiſſe, ut Subalpinæ ditionis oppida, quæ regijs præſidijs tenerentur, à Cæſarianorum vi, iniuriaque defenderent, atque obiter integra fide renovati ſæpe fœderis iura tuerentur, quæ vigerent inter Helvetiam gentem, cui Griſones ſocij antiquitùs eſſent annexi, & ipſas Mediolanenſis imperij civitates, quibus tanquam vicinitate finium, & mutuo mercaturæ commercio amiciſsimè coniunctis, inferre arma neque ex fœdere liceret, neque ex commodo ſuæ gentis expediret. Sed quanquam Helvetij precibus & ſevera obteſtatione, aut aliquanta demum pecunia ſuo more flecti, in ſententiamque perduci poſſe viderentur, illud unum præcipuè progrediendi tentandæque iterum Fortunæ deliberationes ſuſpendebat, quod relictis in tergo tot hoſtium præſidijs nequaquam prius in Inſubres ſigna ex tuto verti poſſent, quàm Carinianæ obſidionis eventum expectarent, propter quam multo ſuſceptam labore, & ſingulari perſeverantia continuatam ſummæ rei diſcrimen dimicando ſubire, quàm inde irrito incœpto abſcedere maluiſſent. Quantum verò qualeque præſidium obſideretur, quantamq; opportunitatem id oppidum, ſi reciperetur, ad parandam victoriam eſſet habiturum, peritiores Galli facilè intelligebant. Itaque Anghianus, qui mederi prius ſuis malis, quàm properantius quicquam audere molirique volebat, Teſsium qui pedeſtribus præerat copijs, ad occupanda Montisferrati oppida, cum parte copiarum miſit, & Carinianum arctius obſidere conſtituit. Pyrrhus enim, nihil adverſo Vaſtij ſucceſſu terrefactus, hortanti comminantique Anghiano, ut dijudicatæ belli Fortunæ cederet, deſineret expectare novam opem, & pertinaciæ finem imponeret, poſtquam virtuti, exiſtimationique ſuæ tam diu perpeſſus inediam cumulatè ſatisfeciſſet, elato animo reſpondebat, ipſius atque omnium militum, qui eſſent in præſidio, unum eſſe decretum, perferre cuncta obſidionis incommoda, donec extremæ alimentorum quiſquiliæ ſupereſſent: his verò conſumptis ad cruentam eruptionem corpora atque animos parare. Ab alia quoque parte Viſtarinus è Cherio ſæpe erumpendo obſidendoque itinera, magna quotidie inferebat detrimenta, ſæpe raptis impedimentis, & equis iugatis, qui tormenta conveherent, interceptis: aut ad ſuffragines, ut operi inutiles forent, graviter vulneratis. Hoc facilè Gallis accidebat, quod ſe victoriæ fama tutos rati, plerunque remiſſa diligentia inexplorato & ſine præſidio, inter amica hoſtiliaque oppida commeando, in ſti prædatores inciderent. Certior etiam fiebat Anghianus Vaſtium integris Salernitani cohortibus, & incolumi toto ferè equitatu confirmatum, ſi ipſe progredi inciperet, continuò provehentis ſeſe veſtigijs inſtiturum, aut adiuncto ſibi Viſtarino, & eductis, coactiſq; in unum omnibus præſidijs, Pyrrhum obſidione liberaturum. Is tum ab Aſta ſecundo Pado ad Ticinum urbem deſcenderat, ut vulnus quanquam minimè ſævum, & obortam inde podagram curaret, & ex propinquo Mediolanenſes præſides, reliquarumque urbium præfectos hortaretur, ut timere deſinerent, confirmarentque præſidia, & ſtudioſiſsimè, uti ſemper feciſſent, in ſtipendia pecuniam expedirent, ſuſtinendo

hoſti,

hoſti, ſi fortè vel garviter affecto, & ſemilacero exercitu, conari aliquid, & progredi auderet. Nec multo poſt Anghianus ut captivorum multitudine exoneraret caſtra, uberioreque annona exercitus aleretur: generoſo conſilio omnes dimiſit, ea conditione, ut Hiſpani in Hiſpaniam, Germani in Germaniam, per Galliæ fines reverterentur. His præſidium eſt datum, quod paſsim inviolatos præſtaret, atq; deduceret: edicto quoq; regio cautum eſt, ut commeatus tranſeuntibus pagatim pręberetur. Iêre Hiſpanici nominis milites ſexcenti, & quadraginta tres: Germani verò ſupra mille: liberavitq; demũ certa permutationè Raimundum Cardonium, & Carolũ Gonzagam, ut Thermeum, cuius virtuti plurimùm tribuebat, pro duobus acciperet, quibus etiam liberaliter additus eſt Aliprandus, Cardinale Tridentino fratre eum accuratis precibus impetrante. Interea Vaſtius crebris ſpeculatorum nuncijs certior fiebat, regem Franciſcum uni huic conſilio maximè incumbere, ut Anghianum novis augeret copijs, & bellum multo priore acrius & intentius in Italia accenderet; ut Cæſaris & Henrici impetum avertere aut retardare conaretur. Eos namque adverſum ſe refricatis odijs acerbiſsimè concitatos bellum parare didicerat. Apparebat enim Cæſarem, ſi amittendæ Ciſalpinæ Galliæ periculo diſtineretur, remiſsiore quàm ſtatuiſſet virium apparatu Galliam invaſurum. Quamobrem Petrum Strozzam, qui Florentinorum exulum erat princeps, regiæque domui arcta propinquitate coniunctus, per Rheticas Alpes in Italiam miſit, datis ſecretioribus mandatis, quibus Gallicę factionis ſtudioſos ad navandam operam excitaret, quibuſcum communicatis conſilijs, & coactis copijs, inſtauratoque properè bello Cæſarianos adoriretur. Erat Strozza elato, ardentique ingenio, & optimis exculto literis: ſed eo plerunque infræni, & adverſus pericula prorſus indomito, quum ardua quæque atque aſpera tentando, excelſæ & immodicæ laudis famam appeteret. Is navandæ operæ cupidus, totius obeundi atque implendi conſilij vim omnem in una maximè celeritate poſitam iudicabat. Itaque quæſtores Gallos nihil expectandos decernens, ex ſua pecunia circiter ſeptem millia hominum conſcribit, & apud oppidum Mirandulam cogit: quibus Georgius Martinengus nobilis Brixianus cum ala equitum adiungitur. Inde Venetias pervolat ut cum Hippolyto Ateſtino Cardinale, apud quem inſtruendæ rei & concon conſilij explicandi ſumma erat authoritas, colloqueretur. Is acciverat Petrum Mariam Roſcium Italicis cohortibus Belgico bello præeſſe ſolitum, & Galeotum Picum Mirandulæ Comitem. Quum de tota itineris capiundi, faciundæque irruptionis ratione diſputaretur, Roſcius id maximè iter rectà per Æmiliam viam probabat, quò paucis antè annis Cæſar Fregoſius Guido Rangonus, & Caninius Gonzega ad oppugnandam Genuam contendiſſent. Futurum enim eſſe, ut prius Placentiam & Derthonam pręterveherentur, quàm Vaſtius pares numero expediret copias, quas ad præoccupandum impediendumque iter conferto agmine tranſituris opponeret. Anghianum autem cognito ſociorũ adventu, minimè dubitaturũ, quin illicò partem equitatus, quę adventantes opportuno præſidio confirmet & excipiat, Tanarũ amnem traijcere iubeat. Altera erat quorudam opinio, aliquanto maturior atque ſecurior: ſed quam vel tantulæ expectationis mora plurimùm infirmaret. Dicebant enim eas omnino expectandas eſſe copias, quæ Romæ parabantur, iuſtiſque coactis viribus uno conſenſu, gravique impetu bellum gerendum.

Quum verò ad Placentiam in una caſtra pervenirent, ſi id perterritæ gentis Inſubrum fama, & imparati hoſtis motus depoſcere viderentur, ſuperato Pado, rectà ad Ticinum urbem, & Mediolanum uſque ſigna promoverent: excito ſcilicet ad communem victoriæ ſpem Anghiano. Quòd ſi vel ille nihil ſe commoveret, vel urbes Inſubrum opinione firmiores forent, tum ſecundi conſilij occaſionem ſequerentur, & continuato itinere per Æmiliam viam contenderent, coniunctiſque viribus cum ipſo Anghiano imperatore gerendarum rerum conſilium explicarent. Sed Strozza cui omnis tum inepta tum adverſa audacibus eius conſilijs tarditas erat, ſe ſuo uſurum conſilio & bellum geſturum dixit, illacque perducturum copias ſuo ſumptu conductas, quà eius ſuſcepti belli Fortuna iter monſtraret. Proinde æquo animo perferrent, ſi non ignarus rerum ſuarum ab aliena ſententia diſſentiret, & celeritate ſibi utendũ arbitraretur, quando ipſe peculiari ſuo periculo, quòd ſalutem, famam, et opes reſpiceret, ſui ſtudij operam inſignem regi eſſet probaturus. Hippolytus hæc Strozza depoſcenti, enixeque volenti vel invitus conceſsit: ratus eum ex arcano conſilio quod detegi nollet, nequaquam temerè: ſed exploratò aliqua tentaturum, quæ ſubſequentibus copijs Romanis, aperiendæ victoriæ initium præberet. Habebantur interim Romæ, omnibuſque Pontificiæ ditionis regionibus militum delectus, pari ſtudio Cæſarianarum & Gallicarum partium, quum utrinque factioſi proceres, Cardinaleſque beneficijs obſtricti pecuniam proferrent, in neutram partem inclinante Pontifice. Franciſcus Vrſinus, magni Pitiliani nepos, & cum eo duo Sanſeverinæ familiæ reguli, exules Neapolitani Sommeus, & Capaccius aliquot veteranas cohortes ex factioſis, Guelphoque nomini addictis, inſtruxerant: parique contentione Martius Columna, & Iulianus Cæſarinus veteres ſuos milites, partiumque ſtudioſos ad ſigna vocaverant, magno armorum ſtrepitu in Galliam Ciſalpinam properantes, hi ut Vaſtio laboranti opem ferrent: illi verò ut Strozzeanis copijs iungerentur. Verùm Coſmus Etruriæ princeps, expeditiore fœlicioreque in Cæſarem ſtudio labantem Mediolanenſium rerum ſtatum, & Vaſtium aſperrimis difficultatibus implicitum, opportuniſsimo tempore, erexit atque firmavit. Is enim poſt adverſam Cereſolæ pugnam perſpecto ſummæ rei diſcrimine, nihil antiquius habuit, quàm extemplò delectas parare copias, quibus Vaſtij vires, quæ erant exiguæ atque diſiunctæ, perturbatoſque item metu Inſubrum animos Etruſci auxilij nova ſpe confirmaret. Itaque contectò maximè conſilio quid paret, ad Andream Auriam perſcribit, poſtulatque, ut ſibi claſſem viginti triremium ad Etruſcum litus mittat, quòd ea auxilia, multo celerius ab Genua Mediolanum, quàm alio itinere, perventura iudicet. Probatur ab Auria conſilium, miſsiſque triremibus, duo millia veteranorum peditum imponuntur. Hi ſumma celeritate Genuam devecti, minimamque ſibi ad quietem horam tribuentes, Apœnini iugum tranſcendunt, incredibilique feſtinatione Pado, Gravalone & Ticino ſuperatis, Mediolanum magna omnium alacritate perveniunt, adducente Rodulpho Baleono, qui eis obviam ierat, ut ſingulos ad conficiendum iter hortaretur. Præerant cohortibus Otho Montacutus, Federicuſque eius frater, & Iulianus Strozza egregiè viri fortes. Hæc conſpecta manus, quòd ex veteranis, notiſque militibus conſtabat, Inſubrum iuventuti, quæ iam animos, conſilij & opis inops propè deſponderat, priſtinam ſpem alacritatemq; reſtituit. Famæ

enim erat edita in vulgus, ab his qui Gallico nomini favebant, Strozzam multo maiores quàm haberet, trahere copias, & Gallos occupata Novaria in Ticino pontem parare, quo paucißimis horis Mediolanum pervolarent. Quibus falſis rumoribus, in tanto tumultu metuque urbanæ res erant, ut nonnulli ſenatores trepidè vaſa colligerent: alij cives opulenti cum liberis & uxoribus ſe conijcerent in fugam, & Vaſtius ipſe perterritis, omnibus ęgerrimè nomen imperij ſuſtineret. Strozza enim ſua uſus celeritate, eductis Mirandulà copijs, Padum traiecerat, ad Caſale maius oppidum: indeque recreatis copijs oppidi commeatu, prætervectus Cremonæ mœnia, Abduam amnem iuxta Caſtellionem naviculis coniunctis ita ſuperarat, ut in margine ulterioris ripę erecta ſtatim munitione, primi qui tranſierant, dum reliqui tranſveherentur, egregiè ſeſe ab hoſtibus defenderent. Eo namque Hieronymus Sylva cum duabus turmis equitum, & quibuſdam Cremonenſium peditum vexillis advolarat, ut Strozzeanos amnis tranſitu prohiberet. Sed in ea contentione Sylva glande brachium traiectus, ab eo conatu ſic diſceſſerat, ut hoſtes quò vellent, nemine qui reſiſteret invento, iam adeſſe trepidis agricolarum nuncijs crederentur. Timebat Vaſtius Laudi Pompeiæ: propterea eò Caldaronem Hiſpanum cum turma equitum miſerat, qui Laudenſes in fide contineret. Verùm Mediolano multo maximè timere cogebatur, quòd cum Strozza Pallavicinus Vicecomes adventaret, qui apud Inſubres tanquam ex vetere principum ſtirpe ortus, magnas & illuſtres habebat cognationes, multasque popularium clientelas, quibus inductis & concitatis, tumultus facilè poſſet excitari in perampla civitate, quæ aßiduis ac intolerandis tributis alienata, parata credi poterat ad novandas res, ut inviſum & prægrave Hiſpanici imperij iugum excuteret. Sed poſtquam Rodulphus Baleonus, ad quem anteà Coſmus ad reparandam alam dono pecuniam miſerat, Etruſcis cohortibus obviam profectus, redire atque adducere magni roboris auxilia nunciatus eſt, deferbuit in populo conceptus timor & trepidatio, miraque tranquillitas urbi dudum attonitæ reddita eſt. Nam callidè & compoſitè Baleonus cohortes certis flexibus iterato circumductas, ut amplioris multitudinis ſpeciem facerent, ea ordinum celeritate populo avidis oculis ſpectanti gratulantique oſtentarat, ut tanquam conſervator publicæ ſalutis à quibuſdam primoribus appellaretur. Quibus rebus cognitis Strozza, quòd Etruſcarum cohortium celeritate ſe victum videbat, nec ſeſe populus, uti ſperaſſet, commovere ſentiretur, inaneſque omnino Pallavicini exulis ſpes eſſe conſpiceret, ad lævam deflexit, Lambrumque amnem ſubitario ponte iunxit, eo quidem indignantius & properantius, quòd Anghianum, ſecus ac eum facturum crediderat, nihil ſeſe in ea rerum occaſione provehere: ſed Cariniano lentè obſidentem inefficacius & pertinacius quam oporteret hærere didiciſſet. Is namque paulo antè præclarè audenti, atque expedita inferenti arma literis ac nuncijs ſignificarat, ſe nullam rei ex compoſito bene gerendæ occaſionem eſſe prætermiſſurum. Interim Vaſtius explorato, animadverſoque hoſtium itinere, multum diverſo ab eo quod anteà fuerat ſuſpicatus, tanquam liberatis metu Inſubribus, lectica ſeſe efferri iubet, eductiſque copijs Lannoium cum equitatu ad Belgioioſium oppidum præmittit: pedeſtres verò copias adminiſtrante Cæſare Maßio idoneis in locis, quæ hoſtis impetum ſuſtineant, & motum obſervent, properè diſponit, leviaq; paßim pręlia ab ex-

traordinarijs committi iubet. Sperabat enim ſe hoſtem magnis incluſum fluminibus, raptoque tantum ſeſe alentem planeque irretitum, nullo negotio deleturum. Tum verò Strozza, qui ad Orium vicum caſtra habebat, proviſo rerum ſuarum periculo conſilium quod neceſsitas afferret, repentè commutat, & ad Padum ſoluto Lambri ponte, ne per eum hoſtis inſequeretur, ſigna convertit. Id iter concepti timoris plenum, tumultuoſæque fugæ ſimile, ac exitu pernicioſum videri poterat, niſi Petrus Aloyſius Farneſius è Placentia aliquot lintres ad parandum tranſitum peropportunè atque amiciſsimè ſuppeditaſſet, ſicut eius matura opportunaque ope Strozza ſublevatus ſummum quod inſtabat ſalutis diſcrimen evaſerit, quum ex adverſo Vaſtius oblatam delendi hoſtis occaſionē inſperato effugio ſibi ereptā fruſtrà quereretur. Erat eo tempore Farneſius alieno erga Cæſarem animo, quòd à patre Paulo Pontifice, Parmæ atque Placentiæ princeps & dynaſta conſtitutus, nunquam id Pontificium munus vel in gratiam Margaritæ filiæ enixè orantis Cæſar Auguſtali auctoritate confirmare voluiſſet. Hæc enim gemellos pueros rara fœlicitate, in ſpem aviti principatus Octavio pepererat, durioremque in ea re concedenda patrem Cæſarem fuerat experta. Sed in Farneſio irritæ petitionis dolorem mirum in modum augebant multa adverſa, quæ de Cæſaris animo nuſquam ſibi propenſo nunciabantur. Nunquam enim eum vel in præſcriptione literarum, vel in legatorum colloquijs honeſtiore titulo ducem aut principem appellare voluerat, ne vel inanis tituli præiudicio imperatorij iuris authoritatem abrogare videretur. Qua contumelia offenſus ſtudium ſuum ad Gallicas partes convertiſſe credi poterat, non ignaro, aut diſsimulante Pontifice, qui in omni actione Tridentini cōcilij Cæſarianos præſides Pontificiæ dignitati graviter maligneq; adverſos extitiſſe cognoviſſet, & Britannici fœderis contumeliam ſubamaro animo toleraret, Cæſare id totum de Paulo, Farneſioque facilè ſuſpicante, cum aliquot in rebus nequaquam leviſsimis, tum eo præſertim lintriumbeneficio in Strozzam collato graviſsimè perſtrictus, parem iniuriam Farneſio aliquando ſe relaturum palam dixiſſet. Cæterùm Strozza circa Placentiam recepto, multis ex numero ſuorum militum dilabentibus, Pitilianus, qui erat Farneſio arcta propinquitate coniunctus, ſeſe cum Romanis, quas adduxerat copijs Strozzę coniunxit, ut ſecunda ſuſcepti belli conſilia, poſtquam eos prima fefelliſſent, novo conſenſu ſequerentur. Coniunctis apud caſtellum ſancti Ioannis in una caſtra copijs, Strozza ad Padum ſe convertit, occupatoque Rivofredo oppidulo, quod eſt Padanę ripę finitimum, traiecturi ſpeciem præbebat, ut hoſtes diſtineret & falleret. Nam cum Vaſtius Pitiliani auctum copijs, confiſumque Placentinorum navigijs, id auſurum non temerè ſuſpicatus, adiuncto ſibi cum equitatu Philippo Lanoio, & adducta Germanorum & Hiſpanorum manu ad tuendam Padi ripam, è Ticino ſeſe contulerat (præmiſſo anteà Salernitano cum reliquis copijs ad vicum, qui antiquitùs, nō procul à Claſtidio, Iterobvium appellabatur: hodie verò Stratellæ nomen habet, Æmiliæ viæ impoſitum) eo conſilio, ut Salernitanus, ubi arctior eſt via, aditu conciſo præſeptoque tranſverſam munitionem erigeret, tormentiſque in ea conſtitutis adverſarios illac perrumpere audentes deterreret, & locum hoſti iniquiſsimum ſumma ſuorum ſecuritate tueretur. Eius inſtitutæ rei negotium Salernitanus ita opportunè atq; celeriter exequutus eſt, ut Strozzam cuncta explorantem ſuſcipiendi eius itineris tota ſpe deijceret; proptereaque hoſtis

multus

multus verſaretur in ſimulatione traijciendi amnis, quum ad ripam ſemel atque iterum ſigna verteret, & rurſus copias in caſtra reduceret, utpote qui per aſperos montes ad lævam ſecundum Apœnini radices agmen ductare decreviſſet, quòd omnino inſanum arbitraretur, vel Salernitani munitiones aggredi, vel contemnere inſequuturi hoſtis equitatum, ſi per loca plana id rectum iter eſſet habiturus. Itaque proviſis quatuor dierum cibarijs, ſilentio noctuque ſe proripuit in montes, arduumque iter Placentinis uſus ducibus inſigni ſtudio & tolerantia militũ per impeditiſsimas convalles, & confragoſa collium iuga, triduo confecit, ſæpe laceſsitus in tergo, & in lateribus ab his qui Salernitani iuſſu abeuntium veſtigijs inſtiterant. Is enim cognita hoſtium profectione, Cæſarem Maſsium & Rodulphum Baleonum, qui noviſsimos conſectarentur, Sfortiamque item ſanctæ Floræ Comitem, & Sfortiam Pallavicinum, qui notis tramitibus, altioreq; circuitu hoſtes antecederent, & circa ſaltus demorari, retardareque contenderent, cum expeditis equitibus & ſclopettarijs præmiſerat. Ipſe verò, ut imperarat Vaſtius, recto viæ militaris itinere Vicum Iriæ & Derthonam prætervectus, ægrè raptatis atque demulſis cohortibus, quæ tot itineribus fatigatæ certa ſtipendij ſubſidia flagitabant, tertijs caſtris ad Scriviam flumen pervenit. Id ex Apœnino præceps datum, ubi Liguriæ rupes deſinunt, ad Saravallem oppidum, uti per plana loca diffuſius vadabile ſe præbet, innominatumque antiquis ſcriptoribus, ab uno tantùm Paulo Diacono Scrivia vocatur. Iam Strozzeana vexilla conſpici, appropinquareque cœperant, quum Lanoius cum ſuo equitatu Salernitano ſe coniunxit, & ij qui per montes perſequuti hoſtes fuerant, è iugis ad caſtra deſcenderunt. Nec mora levibus & tumultuarijs prælijs certari cœptum eſt. Quum verò Strozzeanæ cohortes amnis vadum ſuperantes ad acclivia vineta metu equitum ſe ſubducerent, & lentior ad vada amnis eſſet pugna, Cæſarianæ aliquot cohortes proximum hoſti collem occuparunt. Id non ferentes Strozzeani, eas uſque adeo vehementi impetu adorti ſunt, ut neque conſiſtere, neque vim ſuſtinere poſſent, & compulſi in fugam tormenta duo amiſsis ſignis deſerere cogerentur. At Strozza ſecundo ſuorum ſucceſſu, tanquam oriente victoria maximè lætus, cohortante Matthæo Foroſemproniano præfecto audaci potius quàm perito ſe continere non potuit, quin è vineis erumperet, ingeminatæque victoriæ clamore edito Petiliani agminis præfectos admoneret & accerſeret, ut cum phalange poſtrema ſubſequi intento paſſu, & cœptæ victoriæ adeſſe vellent. Pitilianus ipſe in crure, ſuo an alieno gladio incertum, graviter vulneratus, Placentiæ ſubſtiterat, ſic ut apud eius copias non unus, ſed plures imperij authoritatem obtinerent: nec peritioribus præfectis, ſed honore præſtantibus regulis milites parerent. Quamobrem exaudito victoriæ clamore, quanquam Sommeus atque Capaccius denſata phalange, eundum eſſe ad vineta præciperent, novi milites contineri nequiverunt, quin diſſolutis ordinibus procurrerent, extenuatoque agmine hoſtium equitibus occaſionem irrumpendi præberent, cui non defuit Salernitanus increpitis equitibus, qui aliquandiu infami ſegnitie ceſſatores neque equos tanquam feſſos acriter incitare, neque alacriter phalangem adoriri voluerant. Quando (inquit) acceptam dudum ignominiam prælio Cereſolæ aliquo forti facinore abolendam exiſtimabitis? ſi hanc feſsi hoſtis laxatis ordinibus raram aciem ex tranſverſo non invaditis? Erubuit eques, & extemplò vehementer equos

incitavit, irrumpenteque ante alios Bartholomæo Græco Volaterranæ ſtirpis Balconi alæ præfecto, prærupta eſt hoſtilis acies malè cohærens: invadenteque demum ex omni parte equitatu, & conſequentibus cohortibus tota fœdè profligata diſsipataque eſt, eo eventu, ut paucis occiſis, integri fermè omnes caperentur, renovata memoria incruentæ patrum noſtrorum militiæ: nam Italus clementer deditis parcebat, ſpolio contentus. Nec aderant Germani Hiſpanive, quorum ſævas manus cædibus gaudentes, pauci effugiſſent. Bona quoque ſorte Sanſeverini proceres Sommeus atque Capaccius exules Neapolitani, qui capitis non dubium diſcrimen adibant, dimiſsi ſunt, quum quiſque miles Vaſtio & Salernitano ſanguine coniunctos, humaniter potius dimittendos, quàm ſeverè ad necem deterrimam externo iudicio tradendos exiſtimaret. Vnus omnium nobiliſsimi ſanguinis, & ſummæ ſpei indolis adoleſcens Vlyxes Vrſinus in acie glande traiectus cecidit. Ipſe Strozza cum Nicolao Pitiliani filio, Flaminioque Anguillario in fines ſociorum Gallorum proximos evaſit, ſæpe deteſtatus Teſsij ſegnitiem, non obſcura malignitate coniunctam, qui uti promiſerat, alam equitum è proximo Montisferrati oppido ſibi obviam non miſiſſet: eius enim equitum præſidio famaque hoſtes deterreri, ſuperarique potuiſſe multi prædicabant. Sed Teſsius neque alam ſummittere ſine pedeſtri ſubſidio, neque idcirco è ſuis caſtellis, tanquam paratis ad defectionem, præſidia deducere volebat. Cæterùm rapaci in homine, expilandisque Montisferrati populis intento, publicum commodum privati quæſtus meſsis opima ſuperabat, quàm adventu tot Italicarum cohortium ſteriliorem ſibi obventuram iudicaret. Nec multo poſt Strozza, qui in adverſis invictos ſpiritus gerebat, experiri iterum Fortunam inuſitata, ſed fœlici temeritate conſtituit. Confluentibus enim ad eum ex fuga militibus, conquiſitisque multis equis, & nemini communicato conſilio, quod tutum ſua celeritas faceret, inopinantibus hoſtibus rectà per Æmiliam viam Placentiam eſt regreſſus, quum rubræ crucis inſigne militaribus ſagis inſuiſſet, ut paſsim iter habens, Cæſarianæ alæ ſpeciem præberet. Eo modo accelerans, nec uſquam conquieſcens, ita obvios quoſque inſolita ora mirantes fefellit, ut mox non obſcurè à quibuſdam pro hoſte notatus & agnitus vix ſeſquihoræ ſpatio è manibus perſequentium multo ſudore fatiſcentibus equis elaberetur. Is ad Placentiam receptus, milites colligere, ſuoque ſumptu cohortes ſcribere cœpit, vel id conſilium nequaquam probante Anghiano, qui ſolicitus de Gallici belli eventu, quando iam Cæſar & Henricus terra marique ex compoſito valida inferrent arma, nihil ultra tentandum perſpecto Strozzeanæ expeditionis fœdo exitu iudicaret. Sed Strozza nihilo ſecius pertinaci incitatus ſtudio ſublevandam novo auſu partium Fortunam ratus, inefficaciaque Gallorum ducum conſilia, nec ea quidem uſquam tempeſtivè ſatis explicata deſpiciens, collegit copias, inuſitatisque tramitibus per Liguſtica ſaxa, ad Montoculum Fliſcorum caſtellum eas perduxit, atque inde commeatu adiutus in Pulciferam ſe dimiſit vallem, eò tutius atque facilius, quòd ſeſe Genuenſes in neutram partem commoverent, pacatumque iter tranſeuntibus præbere montanos Ligures iuberent, graviter id ferente Figaroa Cæſaris legato, qui civitatem eos, quos Cæſar inimicos duceret, pro hoſtibus habituram perſuaſum habebat. Eo enim tempore ſenatus Genuenſis Gallicum nomen, quod id negociationibus, & mercaturis, ipſorum

navi-

navigantium magnopere conduceret, amicè colendum eſſe ſtatuebat. Itaque Strozza intra Gallica præſidia ſine ullo incommodo penetravit, Albamque Pompeiam adortus eiecto Capinio Mantuano, qui urbi præerat, in poteſtatem redegit, amiſſo ibi Matthæo Foroſemproniano, quem intempeſtivo hortatu ſuo victoriam corrupiſſe ad Scriviam ſuprà docuimus. Hiſdem diebus, quibus Strozza conſcribendis cohortibus erat intentus, ut acceptum ad Scriviam detrimentum aliqua ex parte reſarcire conaretur, Ioannes Vega Hiſpanus ad Vaſtium ab Vrbe pervenit, ut collegæ nomine adminiſtrandis rebus eſſet adiutor. Is apud Paulum Pontificem Cæſarianæ legationis munere fungebatur, vir efficax, & ſeverè gravis, & quod Reipublicæ intererat, partium maximè ſtudioſus. In conſcribendis enim Italicis cohortibus, quas diximus, conquirendaque pecunia, enixè operam dederat, ut Vaſtio certa ſpe auxiliorum maturè confirmato Ciſalpinæ Galliæ ſuccurreretur. Diſceſſerat demum à Pontifice alienato planè animo, quòd illum à Gallica amicitia non abhorrere, Cæſaris incommodo atque periculo lætari, eumque gravibus diverſi belli difficultatibus implicari, præmique percupere crederet. Eius adventus quanquam Vaſtio parum gratus, & Salernitano præcipuè gravis non obſcura honoris obtrectatione videretur: tamen in unum communicatis conſiliis Cæſaris cauſa conſenſerunt: Vega ſeſe apertiorem & æquiorem præbente quàm crediderant. Præferebat enim ingenium more gentis elatum, & vultum ab Italica comitate prorſus alienum: ſed qui ſuas partes inſpiciendis præſidiis & parandis commeatibus diligenter obibat. Neque tamen Strozzam per Apœninum evadentem impedire, neque per præmiſſas cohortes & equites eum conſequi potuit, quanquam ex Strozzeanis multos dilabi, ducemque deſerere ex itinere coegiſſet. Convertit ſe demum Vega ad oppugnandum Anxianum oppidum, quod eo eventu expugnatum eſt, ut oppidanos ad unum omnes cum præſidio trucidari ſineret, ſævas manus ad eam cædem præbentibus Hiſpanis & Germanis, qui ſervatos ad Scriviam hoſtes ab Italis nequaquam eo die ſanguinariis, ægerrime ferebant. Vega quoque eius cruenti facti ſævitiem invidioſa ſeveritate cumulavit, quum deditos præfectum præſidii, & ſigniferum cum centurione, nonnullisque militibus Inſubri nominis, ad ſubgrundia porticus laqueo ſuſpendi iuſsiſſet, quòd aliquanto pertinacius & inſolentius quàm deceret adverſus Cæſarianos tanta vi oppugnantes propugnaſſent: victique demum extrema neceſsitate ſeſe ad arbitrium victoris dedere, quàm in ipſo ſuſcepti conatus veſtigio conſtanter interfici maluiſſent, ſic ut Itali iniquis animis eam Hiſpani novi ducis acerbitatem ferrent, quando ii qui ſeſe perſeverantius pugnando cum fidei, tum militiæ decus tueri vellent, inhumano prorſus more latronum ſupplicio punirentur, & eo quidem indignantius, quòd ipſorum cohortes poſt diu oppugnatum murum ex ipſo cruento conatu Vega revocaſſet, ut ſuccedentibus Hiſpanis, qui recentes & integri fuiſſent, expugnati oppidi laus, ipſaq; præda omnis pararetur. Sed Vega ſeverioris eius facti inclementiam eo nomine excuſabat, quòd transfugas et exules apud Gallos ſtipendia facientes, tanquã Cęſarianę ditionis iuſta pœna damnandos iudicaſſet. Ab hoc etiã terrore hoſtibus reſiſtere paratis illato, Vega Andeſanã oppidũ ſine vulnere recepit, ob idq; gratiæ ei actæ ſunt ingentes a Carolo Sabaudio: quoniam ipſum Vercellis cõmorantem, propinquos urbi Gallos hoſtes,

& perpetuis incurſionibus infeſtos ultus, utroq; erepto oppido, in reliquum tempus non obſcuro metu, & ſumptuoſa cura liberaſſet. Nec multo poſt his rebus geſtis Vega ad ſuum ſuſceptæ legationis munus Romam eſt reverſus, ipſo Vaſtio diſponente prçſidia, & Cariniana obſidionis ſucceſſum, Anghianique motus obſervante. Nec multis inde diebus Pyrrhus extrema alimentorum inopia compulſus, honeſta conditione Anghiano deditionem fecit, ita annuentibus Germanis pariter & Hiſpanis, quos diu ſpe eruptionis ſuſtentatos, in officio continuerat. Ea autem re tranſacta Vaſtius Pyrrho vehementiſſimè ſuccenſuit, quaſi falſo ſibi enunciata cibariorum omnium penuria ſolicitus & properantius quàm neceſsitas periculoſæque prælij aleæ caſus flagitarent, ſibi opem ferri poſtulaſſet, importuno maximè tempore, cœloque pluvio, quibus tantũ Cæſarianis partibus incommodum eſſet acceptum. Quadraginta ſiquidem amplius dies, poſtquam ad Cereſolam fuerat dimicatum, obſidionem tolerarat. Quo ſpatio citra periculum inediæ conceſſo, maturius & apparatius opem ferre, & cum hoſte confligere potuiſſe Vaſtium apparebat. Verùm priores difficultates nova plenioris commeatus copia ſuſtulerat: reperta quidem in reconditis abſtruſisq; oppidanorum horreis, ſatagentium & cuncta ſcrutantium militum diligentia, quanquam Vaſtius ex dolore accepti detrimenti ſuccenſus, eam Pyrrhi ſatisfactionem ægrè acciperet, eoque etiam gravius, quòd educta eſſe Cariano multa iumenta didiciſſet, quibus occiſis totius abſumptæ frugis defectus tolerari potuiſſe crederetur. Cuius rei opinionem præclarè confirmabant obſeſſorum vultus, nequaquam uti ab inuſitatis cibis accidere ſolet, ulla macie, aut inſolito pallore deformati, quum gregarij etiam milites ora ſaluberrimi coloris præferrent. His verò conditionibus deditio facta eſt, ut Germani in Germaniam continuò redirent: Hiſpani extra veteres Subalpinæ ditionis fines, quò vellent, demigrarent, neq; intra quartũ menſem Cçſare militarem operam præſtarent. Pyrrhus ipſe ſub fide dimiſſus, ad Franciſcum regem in Galliam ſtatim proficiſceretur, & ab regia clementia libertatem peteret. Bellicus verò apparatus omnis, qui Cariniani eſſet, Gallis cederet. Eo modo Pyrrhus à Gallis Cherium deductus, non multo pòſt ad regem ſe contulit, à quo ſingulari humanitate ſuſcipitur: nam Franciſcus vel in hoſte veræ virtutis admirator facilè eum ad liberale ſtipendium invitavit, abnuentem affecit donis, & ut tranſiret ad Cæſarem, poteſtatem fecit. Sed præfectus Hiſpanorum, cui cognomen fuit Sanctus Michael, nequaquam ſyncera fide conditionibus ſtare viſus eſt, quòd nonnulla à Gallis ſibi violata fuiſſe diceret: atque ita connivente Vaſtio, ſecundo devectus Pado, ad Brixellum Ateſtinorum ditionis cohortes expoſuit, expeditisque tormentis oppido ita potitus eſt, ut præfectum oppidi cognomine Bellingambum tormentis excruciaret, & oppidani gratuitò uberioreque convictu Hiſpanos alere cogerentur. Hoc indulſiſſe Vaſtius non invitus credi potuit, quòd eius oppidi copijs cohortes alendas putaret, atque odium in Cçſarem Hippolyti Ateſtini Cardinalis ulciſceretur. Is namq; Gallicas profeſſus partes, omnibus rebus Strozzã adiuverat. Hiſdẽ ferme diebus, quibus hæc inter Cçſarianos & Gallos in Subalpina regione geſta ſunt, honeſto pioq; cõſilio rex Frãciſcus Barbaruſsã cenſuit dimittendũ. Barbarus namq; ſibi ſatagere, undiq; prçdari, neq; otiũ pati ſolitus querebatur, ſe nõ ſine cõtumelia ſui nominis retineri, utpote qui neq; Gallo utilis, neq; Cçſari hoſti infeſtus foret, et ſibi opportunũ ad navigandũ tempus e-

labi

elabi prædicaret, quo minus flantibus Eteſijs Byzantium reverti poſſet: ideoque excludi prorſus reditu, niſi diſcedere maturaret. Accedebat ad hoc regij promiſsi fides, qua eodem anno ad Solymanum ſe rediturum fuerat pollicitus. Ea porrò mora Gallis inutili, ſibique damnoſa emarceſcere ignobili ocio remiges, hebetari navalem diſciplinam, & ſub alieno cœlo Turcas mortiferis morbis abſumi, cõvitioſa voce dictitabat, addens ſi iuberetur, & rex Cęſari implacabili ſuo hoſti in Galliam irrumpenti æquo iure nocendum putaret, ſe paratum fore, ut expedita & ſtrenua excurſione totius Hiſpaniæ oram ſummis ferro atque igne illatis detrimentis, à primo Pyrenæi promontorio, ad Gaditanum uſque fretum pervaſtaret. Id conſilium rex ab inſita ſua pietate prorſus alienum, quanquam amiciſsimè oblatum continuò repudiavit. Cur enim Chriſtiani nominis gentes nihil tale meritas, parenteſque tantùm imperio Cęſaris, immanibus Barbaris delendas concederet? Cur in hoc tam atroci facto ſui vetuſti cognominis oblivisceretur? Cur denique uſque adeo deteſtabilis & impiæ cladis invidioſam ſibi, & poſteris memoriam relinqueret? Admonebatur quoq; rex ut provinciæ incõmodis ac oneribus finem imponeret, quòd Barbari lignatũ euntes, non modò conſita vaſtarẽt: ſed vagos etiam homines inſidioſè corripere, et ad tranſtra cathenare dicerẽtur. Itaq; in ſupplementum demortuorũ Turcarum cõdonavit ei rex Turcici Puniciq; nominis ſervos omnes numero fermè quadringentos, qui eſſent Gallicis in triremibus ad remũ damnati, ipſoque inſtruente omni genere commeatus: multaque inſuper munera in ipſum Barbaruſſam congerente, Ottomannica claſsis oram ſolvit: tenuitque rectà curſum à Leronijs inſulis ad Vada Sabatia, qui eſt portus Savonæ propinquus. Ibi ab Genuenſi ſenatu multa tela ſerica, multiſq; recentibus cibarijs benignè donatus eſt; indeque exiens profeſſus ſe in Liguria nemini nociturum, ad Iluam inſulam contendit. Vbi verò appulſa eſt tota claſsis, Barbaruſſa literas ad Appianum, eius inſulæ Populiniique regulum, in hanc ſententiam perſcripſit. Scio apud te ſervire adoleſcentem Turcam, Sinæ præfecti triremium cognomento Iudæi filium, iampridem Tuneti captum. Hunc velim ut amicè reſtituas, quod munus oſtendam mihi fuiſſe gratiſsimum. Nam hæc noſtra ingens claſsis dum prætervehetur ab omni hoſtili iniuria & maleficio integra fide temperabit. Quòd ſi mihi obſequi hac in re gravaberis: ſcito eam cladem in ora ditionis tuæ eſſe expectandam, quæ ab infenſiſsimo hoſte inferri poſsit. Ad eas literas Appianus ita reſpondit, ut diſsimulare metum oſtentatis in muri corona armatis hominibus, & munitioni loci confidere videretur, diceretq; ſe quo minus petenti obtemperaret, prohiberi religione, quòd adoleſcentem Chriſtianis initiatum ſacris ſine piaculo tradi non poſſe ſacerdotes confirmarent. Cæteris autẽ in rebus cuncta humanitatis officia tranſeunti pręſtiturum, & iuvenem nequaquam ſervi, ſed filij loco ab eius commendatione ſemper habiturum. Addidit etiam munera recẽtis commeatus, quibus minus grati reſponſi ſui conditionem leniret. Hæc ubi à legato ſuo renunciata ſunt, Barbaruſſa vehemẽter iratus Appiano, quòd cunctãtius & perplexius, quam ipſe cuperet, reſpondiſſet, occupatis cunctis inſulæ litoribus, ut milites deſcenſiones facerent, & ad prędam diſcurrerent, pronunciavit. In Ilua, quæ Æthalia etiam dicitur, gemini ſunt portus, procurrente inter ambos enormi quodam conciſi litoris anfractu, ad latioris iſthmi ſimilitudinẽ, cuius dextra pars in oblongã exporrecta frontem promontorium efficit, iuxta Magnetis rupes, quod

caput Liberum incolæ vocant. Huic introrſus ſubiacet portus, quantumvis magnæ claſsis capax, ſed Vulturni & Euronoti flatibus expoſitus. Is propter ſinus hiantis longitudinem, Longonis nomen obtinet. Alter verò in diverſa inſulę parte, qui olim Argous fuit, & hodie Ferrarius vocatur, vergit ad ſeptentriones, & adverſam Etruriæ continentem ſpectat, contra Baractum antiquæ Populoniæ portum: Longone quidem tutior, atque nobilior, vel ob id, quòd adunco molliori, pelagi ſinu profundiſsima atque optima vel octoginta triremibus ſtatio arctis adeo faucibus includitur, ut cathena adverſus omnem impetum præcingi poſsit. Binis quoque editis arcibus latè maria ſpectantibus, & portum aptiſsimè protegentibus, quas hodie Coſmus Medices opportuno inacceſſæ utrinque rupis ſupercilio impoſuit. Harum alteram ab ipſa radioſi ædificij figura Stellam, alteram ab excelſa ſtructura Falconem appellavit, ut portus uſum Barbaris prædonibus metu imminentium tormentorum eripiat: eo etiam graviore conſilio, quòd magnis circumductis operibus peramplam coloniam ad tuti celebriſque emporij nomen condat, maximè ſalubri in loco, piſcoſoque litore, ad quam incolis omnibus conſpecto h[illegible] tutiſsimus ſit receptus. Primum omnium Barbari oppidum, Caput liberum de proximi promontorij nomine vocatum, ea celeritate aggreſsi ſunt, ut oppidanos fermè omnes interciperent, effuſique undique ad prædam incolas fruſtrà in rupes ſenticoſas, & nemoroſa loca fugientes, venantium more conſectarentur: converſique inde ad Vulturaium excelſum prærupta in caute caſtellum, miſsilibus fruſtrà tentarunt, lateque munita loca prędati ad claſſem redierunt: qua ſuorum calamitate nunciata Appianus, ne eius inſulæ, quæ ſibi ferrariæ ſecturæ, multarumque rerum uberrimum vectigal præbet, ſupremum excidium lugeret, conſilium mutavit, redditoq; adoleſcente pacem redemit, non temerè iudicans ſe tantæ claſsis vim non eſſe laturum, ſi irati Barbari impetus eſſet expectandus, quanquam Coſmus integræ cohortis præſidium ſibi præmiſiſſet, id cum publicæ cauſæ facilè tribuens, tum privatæ item amicitiæ, quũ Salviata ipſius matertera in Appiani matrimonio eſſet. Itaque recepto adoleſcente Barbaruſſa ab reliquis inſulæ oppidis & maleficijs abſtinens, adoleſcentem, quem Salecus adduxerat, Italica inſigni adornatum veſte, tanquam fortiſsimi viri, veteriſq; ſodalis ſui filium, paterna caritate complexus eſt, gratiaſque agens Appiano promiſsi fidem nuſquam ei poſtea iniurius implevit. Hunc adoleſcentem honoris cauſa ſeptem triremibus præfecit, ſic ut poſtea mitteretur tanquam poſtliminio redditus ad patrem Sinam uſq; ad Suetiam Rubri maris portum, Memphi urbi propinquiſsimum, qui antiquitùs Arſinoes fuit. Ibi enim Sinas propter navalis diſciplinę peritiam, magnumq; uſum in re militari ædificandæ, adducendæque in Indiam claſsi adverſus Luſitanos à Solymano fuerat præpoſitus. Verùm ſenex inexpectatam ſingularemq; ex recepto filio lætitiam diu ſuſtinere non potuit, quum præ gaudio ſupremum animæ deliquium incurriſſet. Erat Sinas, ut ſæpe alibi diximus, ipſi Hariadeno opinione virtutis ferè par & ætate æqualis: prudentia verò æquitateque iudicij facilè ſuperior, vel ipſo captivorum teſtimonio, qui eum Barbaruſſa, uti ſæpe iracundo atque acerbiſsimo, mitiorem dominum experti fuiſſent. Interim Coſmus per Grę cum ſpeculatorem, quem opimo ſtipendio in ipſa Barbaruſſæ nave prętoria diu aluerat, de profectione, arcaniſq; etiam Barbari conſilijs certior factus, ſicuti Etruriæ principem deceret, frequentibus literis Se-

nenſes admonebat de adventu Turcarum claſsis, hortabaturque ut quàm maxima poſſent præſidia per oram ipſorum ditionis accuratè diſponerent, ne aliquod repentino Barbarorum impetu detrimentum acciperetur, quod Barbaruſſam inhiare Etruſcæ oræ portubus, & tutam ſibi ſtationem in Italia parare velle didiciſſet, Gallorum maximè hortatu, impulſuq; etiam Leonis Strozzæ, quem rex Franciſcus cum aliquot triremibus Barbaruſſæ comitem dedirat, una iturum cum munere legationis ad Solymanum. Propterea ad avertendam communem immanium hoſtium perniciem, quas ipſe haberet paratas peditum atque equitum copias illis offerebat, ſi eas intra fines reciperent, ut eius oræ litoribus, atque hoſti quum expediret, eſſent propinquiores. Coſmus namque communicatis cum Stephano Columna conſilijs (hunc enim Etruſcis omnibus copijs præfecerat) in ſpem veniebat Turcas, ſi deſcenſiones facerent, ſubito atque inexpectato impetu facilè repelli ad naves, inſignique illata clade perturbatos, in mare detrudi poſſe: quoniam tormenta triremium nulli uſui futura viderentur, quæ niſi pari cum periculo in permixtos expediri, diſplodique nequirent. Sed Senenſes nuſquam ſibi tempeſtivè conſulentes, uti homines natura ſuſpicaces, verique & antiqui Florentini nominis hoſtes, ea tota conſilia atque præſidia repudiarunt, quòd finitimorum valida arma intra fines recipere minus tutum putarent, ſtultaque ratione proprijs viribus Barbaro reſiſti poſſe confiderent. At Barbaruſſa Ilua excedens, Telamonemque delatus, expoſitis illicò tormentis oppidum adoritur, iuxtaque arcem qua murus erat debilior, magna pinnarum ſtrage edita ingreſſum ſibi parat, quo periculo territi, qui exiguo præſidio pręerant Hieronymus & Ambroſius cum Verdone centurione perforato muro ad adverſam oppidi partem effugere conantes, à Turcarum circunfuſorum corona capiuntur, oppidumque ita diripitur, ut Barbaruſſa in domum Bartholomæi Telamonij igne deſæviret, ſepulchrumque eius paulo antè defuncti violatis oſsibus diſijceret, quòd is ſuperioribus annis Pontificiarum præfectus triremium prædabundus ad Lesbum inſulam uſque profectus, Mitylenæum agrum, paternaſque Barbaruſſæ poſſeſsiones evaſtaſſet. Eadem vi celeritateque Barbari introrſus a litore octo millibus paſſuum diſtans, Monteanum oppidum noctu pervenêre, Monteanenſesque ad unum ferè omnes miſerabili captura oppreſsêre, ſic ut pauci tantum aratores & agricolæ, qui in opus exierant ſervarentur. His nuncijs territi Senenſes, quũ Barbaruſſam ad Portus Herculis, oppidũ imperitè invalideq; munitum, contendere ſerò providerẽt, Ioannem Lunam urbis pręfectum cum manu Hiſpanorum, & tumultuarijs civium cohortibus, ad mare deſcendere iuſſerunt, & quòd hæc præſidia infirmiora, quàm periculum flagitaret fore perſpicerent, ad Coſmum tandem confugere coacti ſunt, atq; ita Ambroſius Nucius legatus, mutatis ad celeritatẽ equis, ad Coſmũ cõtendit, poſtulavitq; ut rem Senenſem in ſummũ adductam periculũ & prope oppreſsã, celeri ope prębita ſublevaret. Coſmus etſi eos indignos putaret auxilijs, qui nuper ſecus ac oportuiſſet, tanquã ſuſpecta repudiaſſent: tamẽ ne reip. quę religionẽ & Cęſaris commodũ ſimul reſpiceret, deeſſet, ad dignitatẽ Etruſci nominis, obliviſcendũ ſubagreſtis contumeliæ, & opem maturè ferendam cenſuit, ſic ut ſtatim Stephanus Columna cohortes deduceret, et feſtinãdi cauſa Cepinius Vitellius cum duabus turmis equitum, & expeditis ſclopettariorum cohortibus pręmitteretur. Sed interim Barbari ſingulari uſi diligẽtia atq;

incredibili artificio eductis in præaltam rupem tormentis ſuppoſitam arcem, ipſumque oppidum tanta vi diverberarunt, ut Carolus Minutius Senenſis, et Coranza Hiſpanus inuſitato ſummæ cladis periculo territi, cum præſidio in ſervitutem ſe dederent: oppidum incenderetur à Barbaris, & Chiſianę magnificentiſsimæ domus delitiæ vaſtarentur. Chiſius enim Senenſium vir elegantiſsimus, qui ſummæ opulentiæ erat publicanus, hoc oppidum operoſis ædificijs exornarat. Fumante autem oppido Luna ſerus advenit, & quum amiſſo deflagrantiq; oppido opem ferre non poſſet, in oppidum Orbatellum, quod in palude media ſitum eſt, ſe intulit. Is locus admonet, antiquis parum celebratus, ut regionis faciem brevi deſcriptione legentibus oſtendam. In medio ferè totius Etruſci litoris ſpatio à Tiberi ad Macram nullum omnino maius atque porrectius promontorium viſitur ipſo Herculeo, quod hodie Argentarium vocant. Id præciſis undique cautium lateribus ita exurgit, ut tanquam naturæ circino circumductus ſeſe reflectat introrſus in geminos ſinus, qui cervici extentæ, qua continenti iungitur, aptiſsimè cohærent, & humani capitis affixi trunco, corporis figuram exprimunt, non ſecus ac Peloponneſus Corinthiaco iſthmo Achaiæ connexus cernitur. In his cavis ſinibus utrinque ad continentis humeros pateſcunt gemini portus: ad ortum quidem Solis, qui Herculis vocatur: ad occaſum vero Stephanius, ab antiqua æde ſancti Stephani ſic vocatus. In ſummo autem promontorio, planicies lætiſsimi proſpectus, purgatiſſimique aeris fontibus ſcatens, olea & palmis, lauro & myrto conveſtita, in ſpatium centum fermè ſtadiorum expanditur, condendæ prorſus magnæ & perbeatæ urbis ſedem oſtendens, ſi regibus noſtri ſeculi ineſſet laudis amor & extendendæ famæ ſtudium, uti olim id in Græcis atque Romanis, Galliſq; Tranſalpinis viguiſſe perſpicimus. Quando duo tutiſsimi portus, ad omnes mercaturæ invectiones fructuumque exportationes commodiſsimi, & ager intus frumentarius, & uberrimæ alendo pecori paſtiones, ſylvæque cæduæ, & vitiferi colles urbi nondum conceptæ, neque unquam fortaſſe naſcituræ, rerum omnium copiam, & non dubiam toto anni tempore fertilitatem repromittant, & ſupra hæc benigno naturæ munere argentarijs fodinis diteſcere poſsit, quum etiam in tergo piſcoſiſsimo lacu inter utrumque portum ditetur. In hoc lacu, qui à quibuſdam olim Prilinus fuiſſe putatur, ſitum eſt media in inſula oppidum Orbatellum anguſto ponte continenti iunctum, contra omnem prædonum & hoſtium vim munitiſsimum. In id, uti diximus, Luna cum præſidio ſe contulerat, Barbaruſſaque invaſurus credebatur, quum ab expugnatione oppidi Portus Herculis nihil eius peritiæ & violentiæ impervium fore conſtaret. Iam enim cæſa materia parabat rates, quibus maiora tormenta oppido admoverentur. Qua re animadverſa tantus Lunę præſidioque inceſsit timor, ut uno conſenſu, deſperata defenſione, inde perfugere cogitarent, & nemo vel Senenſium civium, quibus imperare poterat ex ſenatus authoritate Fantocius Senenſis, conſiſtere auderet. Sed hunc terribilem metum opportune ſuſtulerunt adventantes Coſmianę copiæ, pręeunte Vitellio, qui intravit oppidum, moxque uti erat vir impiger, in hoſtes in litus expoſitos cum ipſo Luna erupit, ſic ut productis equitibus & ſclopettarijs hoſtes, præſertimque Strozzeanos, qui audacius in litus exierant, in mare propelleret, & qui ſcaphatim accedebant Turcas deſcenſione prohiberet. Quamobrem Barbaruſſa, quòd ſibi ab armato equitatu, quem turmatim augeri con-

ſpiciebat.

ſpiciebat, militaribusq; cohortibus quæ ſub ſignis in conſpectum ſe dabant, non temere cauendum exiſtimaret, & capta iam paſsim multa præda ſatis in Etruria profeciſſet, ad Igilium ſe conuertit. Hæc inſula ſuauiſsimo uino celebris duodecim milliaribus à portu diſtat. Itaque extemplò facta deſcenſione, ac expugnato tormentis oppido, magnum numerum omnis ſexus & ætatis mortalium in ſeruitutem abduxit. Hoc ſubito, ac propè inexpectato Barbarorum diſceſſu Orbatellani non præſenti tantùm timore, ſed grauioris etiam futuri incommodi ſuſpicione liberati ſunt: quòd Barbarus ſuopte ingenio peracutus, edoctúſque impiè à noſtris hominibus, uti quibuſdam rerum peritis facilè auſurus credebatur, ibi ſedem minimè figendam iudicaſſet. Cur autem rei aggrediendæ perficiendæq; occaſionem omiſerit, has fuiſſe cauſas reperiebamus, quoniam Byzantium eadem æſtate omnino redeũdum eſſe ſtatuiſſet: ideóque iuſto maiorem moram nuſquam trahendam, ne in dubias incerti autumni tempeſtates incideret, quibus ſuperioribus annis, uel nondum adulto autumno bis naufragium, ſemel ad Acroceraunios Chimerę ſcopulos, iterum in Propontide ad Cherroneſum, quã Marmora uocant, multis amiſsis triremibus feciſſe meminerat. Neque tum ſibi ſatis paratos Gallos, ut oppidũ Portus Herculis inſtaurare, muniréque, & firmo demum præſidio teneri poſſe prouideret: quanquam occultiore quodam grauioréque conſilio, una temporis exiguitate ſe excludi & deterreri fateretur. Vir enim immenſę prudentiæ, ac imperij gloriæq; auidus, cogitarat (ſicuti didicimus) ab ipſo Stephanio portu foſſam ad altitudinem commeantium triremium, perpetuo ſeruorum labore perducere ad proximam Orbatelli paludem, quàm inde non plus quàm ad ſagittæ iactum abeſſe iam pridem nouerat, ſcilicet, ut ibi capaciſsimum & aptiſsimum tantæ claſsi portum efficeret, ad infeſtanda maria, inuadendúmque totius Italiæ imperium, ad quod non obſcurè Solymanum aſpirare didiciſſet. Quandoquidem nullis ſe inde uiribus, uti gnarus noſtrę infirmitatis atque diſcordiæ depelli poſſe confideret. Quum præterueheretur Linariũ promontorium olim Pyrgæum, quod ſupra Cẽtumcellas eminet, eam urbem inuadere, atq; incendere uelle comminatus eſt, ex eadem cauſa qua Telamonem deleuiſſet. Sed deprecante Leone Strozza ne tanta inde Franciſco regi inuidia cõflaretur, uix impotenti iracundiæ obſiſtens, ab iniuria temperauit: indeq; directo curſu in Aenariam delatus odij ſui ad Niceam in Alfonſum Daualum concepti, omnem acerbitatem effudit, quum nocturna deſcenſione facta, undiq; inſulam complexus, omnes propè incolas, nequicquam in altiſsima Abocœti montis culmina euadentes intercepiſſet: treſq; præcipuos eius inſulæ pagos, Forinum, Panſam & Varranium euaſtaſſet. Ipſum uerò oppidum Pithacuſas, Dauali ſedem, abrupto in colle diſiunctoq; à mari poſitum, quum tormentis egregiè eſſet permunitum, aggredi non potuit. Exinde abradens Prochitã illato minore detrimento, quod incolæ demigrantes magna ex parte Pythecuſas confugiſſent, in Puteolanum ſeſe intulit ſinum, eo ordine ut claſsis à Miſeno ad Auernum toto Baiano littore extenderetur, tutáque eſſet à tormentis eius excelſę arcis, quę eſt ad Baulos antiquis Hortenſij oratoris delitijs nobiles. Tum uerò Salecum cum parte claſsis in aduerſum littus tranſire, & tormentis à mari Puteolana mœnia ferire iuſsit, ut ſi quid de expugnatione effici poſſet, explorata urbis munitione tentaret. Magnus inceſſerat Puteolanis timor, quòd nullo militari præſidio confirmarentur, conſciique eſſent ipſorum ino-

piæ, nec eis in triduum molita frumenta ſufficerent. Accidit etiam importunè ad terrorem augēdum, quòd Hiſpanus Saiauedra uir militaris, dum in muri corona diſcurreret, tormento fuiſſet abreptus: ſicut Puteolani ingenti periculo eſſent circumuenti. Sed prorex ipſe Neapoli Petrus Toletanus cognito Turcarum aduentu, nullam ſibi moram attulit, quin Neapolitanos circuendo ſingulas tribus ad capienda arma ſplendidiſsimis adhortationibus excitaret: ſtatímque nihil recuſantes, & pro patriæ dignitate ſalutéque armatos ad opem ferendam Puteolos adduceret. Fuere cum eo amplius mille galeati equites, & ſecundum eos tumultuaria ſtrenuorum peditum manus, quorum multitudinem deſcendentem è collibus conſpicatus Barbaruſſa, deſcenſiones militum ſuorum inhibuit: ſegniúſque iam Puteolanos oppugnātem Salecum reuocauit: ne ſi ut acrius murum feriret tormenta maiora in littus exponere, & militum uim admouere cogeretur: inermes turbæ naualis cohortes, tot armatis equitibus proculcandas obijceret: quod erat prorſus alienum à conſilio: utpote qui improuiſis tantum, & tutis ſibi expeditionibus obuia tentare, nec expoſito milite uſquam cum armato hoſte congredi ſtatuiſſet. Atque ita Barbarus uno tantùm Hiſpano equite cataphracto, iuxta proregis hortos interce pto, quòd ille audacius procurriſſet, oram ſoluit, ſub Capreis curſum dirigens, quū in tergo Ioannes Auria cum roſtratis uigintiquatuor è Pauonis portu, Euripóque Niſitæ inſulæ proſiliens, nouiſsimi agminis hoſtium nauigia, tormentis procul impeteret. Superato autem Athenæo promontorio, quod nautæ Campanellam uocant, ea mente in læuam deflexit, ut urbem Salernum inuaderet. Verùm oborta tempeſtas, eam ab amœniſsimo littore perniciem auertit: eo euentu ut diſiecta claſsis inualeſcētis Cori flatibus ultra Palinurum raperetur: Brutiíſque littoribus, & Carreato præſertim oppido, luctuoſa inferret detrimenta. E Brutijs demum multa onuſtus præda profectus Liparas quadraginta maiora tormenta expoſuit: eiúſque inſulæ urbem uſque adeo pertinaci atque terribili oppugnatione concuſsit, ut Nicolai primarij ciuis meticuloſi hominis opera deditionem exprimeret: ipſóque uno tantùm Nicolao conſeruato: cæteros omnes Liparitas comprehenſos in ſeruitutem abduceret, qui ſeptem millium humanorum capitum ſummam impleuere. Hæc clades euerſó oppido longè omnium miſerrima uideri potuit, quum nefarius ciuis uitam & libertatem ſuam publicæ ſaluti turpiſsimè prætuliſſet. Tantam autem omnis generis mortalium prædam, qui in claſſe erant, fuiſſe retulerunt, ut in toto curſu ad Byzantium directæ nauigationis, plura captiuorum enecta fame, ſiti, mœrore que corpora, uti erant in infimis carinis inter naturæ ſordes anguſtiſsimè conſtipata, omnibus propè horis in mare proijcerentur: execrantibus cunctis immites Galliæ regis & Cæſaris animos, ideo ſtudentes ueteribus odijs, ut ſubditæ ipſorum imperio gentes nihil tale meritæ plecterentur: quandoquidem ex ſua effræni obſtinatáque libidine, à communi abhorrentes concordia tantis calamitatibus graui cum infamia cauſam præbere dicerentur. Hunc annum tot diuerſis clarum bellis ſubſequutus eſt quadrageſimus quartus ſupra quingenteſimum atq; milleſimum à partu Virginis, poſt grauiſsimum bellum inexpectata pace ualde inſignis: quanquā ea uti maximè exoptata, non ita firmis exæquatiſq; legibus conſtituta eſſet, ut diu ſtatura crederetur: utpote quam neceſsitate potius, quā ſyncera regum uoluntate expreſſam hi mortales iudicarent, qui rerum periti, gnariq; conſiliorum & ſenſuum

Cæſaris atque Franciſci regis nunquam fore ſtabilem arbitrarentur, niſi utriq; eorum aliquid ſeuera tranſactione demeretur, quod ab ambob. non planè conciliatis ſponte præſtari nõ poſſe intelligerent. Cæſar ſiquidem & Henricus Britannię rex, antiquis atque recentibus incitati odijs, aduerſus Franciſcum ita cõſpirarant, ut conſociatis uiribus uno tempore diuerſas Gallię regiones irrupturi, exuturiq; procul dubio cum magnæ partis Galliæ regno putarentur: nam imperitè prorſus & ſegniter ſuperiore anno ad Lãdreſium bellatum fuiſſe meminerant, exiſtimabátque Cæſar Franciſcum è manibus ſibi elapſum, quum ille contempto ingenti conſerendæ pugnæ periculo, poſt ſolutam Landreſij obſidionem, tumultuoſo quodam receptus genere, congreſſum dimicaturi atque inſequentis hoſtis non temere deuitans, & obſcuræ noctis tenebris utens, in pacatam Galliæ regionem abſceſsiſſet. Tum uerò apparebat Gallos nequaquam tantas habituros copias, ut in diuerſam regionem utrique diſiunctim irrumpenti iuſto cum exercitu obſiſtere poſſent: quum hinc Cæſar totius Germaniæ atque Hiſpaniæ robora cum bona ſpe uictoriæ in aciem eſſet producturus: inde uerò Britanni olim maximæ partis Galliæ imperio potiti, qui omnibus ferè prælijs ſuperiores ingentes Gallorum aliquot exercitus eorum etiam rege capto, proſtrauiſſent, vulgò Gallis eſſent formidabiles: quippe qui ipſam Pariſiorum Lutetiam, ubi arcem, glorioſum uictoriæ ſuæ monumentum, reliquiſſent, repetituri dicerentur. Eo autem Henricus cæteris regibus, qui unquã bellũ Galliæ intuliſſent, grauior atq; ualidior Gallos inuaſurus uideri poterat, quoniam ſublato Scotiæ rege, qui Galliæ regibus antiquo iure fœderatus eſſe conſueſſet, nulla omnino ſpes eſſet inferẽdi belli Britannicis finibus, quo minus audacter Angli in Galliam traijcerent, domeſtico metu atque periculo retineri poſſent: quandoquidem Scotici regni hæreditas ad uagientem in cunis puellam perueniſſet, nec ullus ei certus adhuc adeſſet primarius tutor, cuius auctoritas eſſet tanta, ut ad ſumenda arma, inferendúmque ultro Angliæ bellum ualitura putaretur: uiolatis præſertim inducijs, quas non temere Scoti in uniuerſum recenti atque funeſto Iacobi regis exemplo admoniti, religioſè obſeruandas ducebant. Terrebat autem Gallos non mediocriter Anglus, auri potens, bellicoſus & acer, præter opinionem multorum Cæſari conciliatus, fœdereque coniunctus. Qua in re Paulus Pontifex Cæſarem, aliquanto iniquius quàm Chriſtiana pietas flagitaret, & Pontificia maieſtas requirere uideretur, Anglo adhæſiſſe in contumeliam ſuam aſsiduè prędicabat: quòd ille hæreſeos notatus, uti ſacrorum expilator & euerſor, & ſuper hæc in inſontes probitatéque cõſpicuos crudeli ſæuitia infamis, ob idque in gratiam ipſius Cæſaris à Clemente damnatus, ab authoritate Romani Pontificis diſceſsiſſet. Ita ut Cæſar cum promiſsi ſui tum religionis obliuiſci, quàm concepto in Gallum odio non ſatisfacere maluiſſe uideretur: prędicaretq; ſe æquiſſimo iure contra Gallum arma cœpiſſe: quòd ille accitis Turcarum claſsibus Europę littora peruaſtãda obijceret: qua noxa omne ſcelus implere & ſuperare à pijs hominibus credi poſſet. Cęſar è tota ferè Germania legiones quatuor lectiſsimarum cohortium conſcripſerat. In his plurimum eminebant duces, qui paulo antè hoſtes fuerant, Martinus Roſſemius Flandrico bello clarus, & Guilelmus ipſe Furſtẽbergus, qui multos annos Gallica ſtipendia meruerat, indeq; maximè diues factus, ſed propter auaritiam, malignitatémque impij & ualde rapacis ingenij, creſcente undique in eum odio, Gallię finibus exactus,

Cæſari ſeſe applicarat, & ſecundum hunc Conradus Hexius Italicis bellis illuſtris: Mauritius quoque Saxo nobiliſsimæ ſtirpis, cuius Peſtano bello ſpectatam uirtutem fuiſſe meminimus, armatorum equitum ingentem alam adduxerat, alterámque ei parem uirtute, & numero Albertus Brandeburgus. Reliqui equites erant partim Belgæ, partim Menapij, & Burgundiones, qui uarijs præfectis parentes, unum præ cęteris Maximilianum Burram, ſingularis animi regulum, obſeruabant. Veteres autem equites, Italicis & Gallicis exercitati bellis, ſub præfectura erant Franciſci Ateſtini Ferrarienſis, qui ſuperiore anno ad Guiſam captus, non multo pòſt à Franciſco rege in gratiam Hippolyti fratris Ferrarienſis Cardinalis humaniter fuerat dimiſſus. Reliquæ copiæ Hiſpanicis cohortibus conſtabant, quę ſeptem millium peditum numerũ 1
implere dicebantur. In his duo primores duces, reliquos omnes authoritate nominis anteibant, Aluarus ipſe Sandeus, diſciplinæ militaris corrector acerrimus, tam bello militiǽque probatus, quàm Hiſpano militi propter ſæuam in exigenda pœna acerbitatem odioſus: ſecundum eum manebat egregiæ uirtutis fama penes Aloiſium Peretium, & Alfonſum Viueſium. Eo bello Cæſar Italico pedeſtri ſubſidio incommodè caruit, quòd ſuperiore anno Itali, quia ſtipendijs ęgrè ſibi perſolutis, nequaquam honeſtè atque amanter habiti fuiſſent, ueluti indignantes ipſorum Romani ducis inclementiam, & ſubagreſtes erga ſe contumelias, ad Gallica, Britãnicáque ſtipendia, tanquam 2
uberiora certioráque, ſe contulerant. Nam tum apud regem gratia maximè ualebant, qui Italicis obnixè ſtuderent, Petrus Strozza Florentinus, qui ualidam Etruſcorum & ciuium ſuorum manum circum ſe habebat, & Petrus Maria Roſcius ſancti Secundi comes, apud quem ex omni Italiæ factioſa regione Gallici nominis ſtudioſi milites facilè coibant. Penes hos fortiſsimo cuíque notóque militi ad liberale ſtipendium erat locus: utpote qui non in lucro interuerſis militum ſtipendijs, ſed in laude & gloria uerum militiæ fructum reponerent. Cæſar quoque ad ſuas lectiſsimi generis copias maiorem quàm unquam antea tormentorum apparatum adiunxerat. Ante omnia autem quæ ſui iuris antea fuiſſent manu repetenda iudicans, ad Lucemburgum, 3
uti ferunt urbem olim Leucorum, rectà duxit. Eam Galli paulo antè Aureliani uirtute in poteſtatem redactam, magnis operibus additis, peregregiè munierant: & quum aliquanto pòſt à Cæſarianis oppugnaretur, ita per Sergianum Caracciolum Melphitanum regulum, quem rex conchiliato torque nobilitatis atque uirtutis cauſa donauerat, omnium rerum copijs, ui facta, fœliciter illatis opportunè ſeruauerant, ut in ea ſupra ſeptuaginta mediocris maiorísque generis ænea tormenta relinquerent. Sed non ſatis magnum aut ualidum armatorum præſidium, quod mœnia tueretur, ibi reſtitit, neque tantùm penuarij commeatus in urbe reconditum ab initio fuerat, ut obſidio diu ſuſtineri poſſet. Atque ita uſu euenit, ut Cæſar celeritate uſus, omnem ho- 4
ſtium diligentiam præueniret, & inopia potius rerum premendos, quàm tormentis adactis uera ui ſubigendos eſſe ſtatueret. Præerat præſidio uir nequaquam animo fortis, ideóque aliquanto uitæ ſalutíſque cupidior, quàm egregiæ laudis. Is itaque per ſeſquimenſem, quo ſpatio annona ei egregiè ſuffecit, incorruptus eſt, ſed mox adeò ignobilem fecit deditionem, ut territus amplitudine caſtrorum hoſtilium, & deſperatis auxilijs, tormenta Cæſari, atque arma concederet. Lucemburgo per Gonzagam in poteſtatem redacto, Cæ-

ſar qui

ſar qui in Mediomatricibus ſubſtiterat, Arduennæ ſyluæ finibus egreſſus, & Moſa flumine ſuperato, ad oppidum Comerſium rectà duxit, prolatóque toto tormentorum apparatu & conſtitutis uineis, grauem Gallorum oculis uti mox oppugnaturi ſpeciem præbuit: quo terrore adducti qui erant in præſidio quatridui ſpatio deditionem fecerunt. His duobus oppidis fœdè amiſsis, magnus illico Gallis omnib. inceſsit timor, ob id præſertim quòd Cæſar ipſorum opinione celerius coactis copijs, & confectis itineribus in Galliam perrupiſſet. Putabant enim Cęſarianos omnem adipiſcendi commeatus ſpē & facultatem in eius præſentis & nondum maturæ aut deſectæ ſegetis eſſe poſituros. Sed Cęſar omni ſuperioris anni frumento diligentiſsimè conquiſito, nō nouo, ſed uetere commeatu, ideo ſibi utendum cenſuerat, ut imparatos hoſtes, nec adhuc collectis aut reconditis frugibus perturbatos adoriretur. Quo admiſſo conſilio apparebat etiam regem aliquanto tardius, quàm uſus imminentis belli poſceret, Heluetiarum legionum auxilia accerſenda curauiſſe, quandoquidem penè improuiſus Cæſar Lucemburgum occupaſſet, & Galliæ fines terribili expeditoq; exercitu prius intraſſet, quàm Heluetij, in quorum auxilio præſentique manu regni conſtaret ſalus, nondum erectis uexillis, ad profectionem parati dicerentur: admirantibus pleriſque tanta in re uel ipſius regis incuriam, uel quæſtorum ſegnitiem, qui cunctantiùs pecuniam in eius gentis ſtipendia depromendam exiſtimaſſent: quæ una res non mediocre incommodum & dedecus Gallico nomini poſtea paraſſe uiſa eſt. Gonzaga Comerſio potitus, inde properè diſcedens, ad Ligniniū caſtra poſuit. Id oppidum ſatis frequens, uetereque arce munitum rex omnino defendendum eſſe cenſuerat, quòd Briennium & Roſsinium, è Lucemburga familia regulos, quorum ditionis erat oppidum, nouis auxilijs confirmaſſet: eò ſcilicet intromiſsis duabus Etruſcis cohortibus, & totidem Gallicis, duce Scencio Tintauilla iuuene impigro. Gonzaga nihil ſpatij hoſtibus dandum ratus, Ioanne Iacobo Medice, qui tormentario negotio præerat, appoſitè atque celeriter adminiſtrante, à quatuor partibus tormenta mœnibus admouit. Is autem erat oppidi ſitus, ut duobus aduerſis utrinque collibus ſubiectum, tanquam media in ualle facillimè cum grauiſsimo etiam interiorum ædificiorum detrimento uerberaretur, & à planioribus item locis directus murus tanto impetu quateretur, ut ingenti ruina edita, peramplus aditus non pediti modò, ſed equiti ad irrumpendum paratus eſſet, nequicquam laborantibus Gallis, qui nouos aggeres introrſus erigere contendebant: Nam tanta erat uis incidentium undique pilarum, ut nemo in munitione conſiſtere auderet, quum magna ipſorum pars, tormentis diſcerpta perijſſet, aut debilitata vulneribus tueri locum nequiret. Quibus rerum difficultatibus Galli duces facilè perterriti, uti ex mutuo ſuſurro deprehendi potuit, de deditione cogitare cœperunt, ob idque feſtinantiùs, quòd Hiſpanos iam ad irrumpendum paratos in acie conſpicerēt, quorum uim & multitudinem multis de cauſis ſe nequaquam laturos eſſe fatebantur: quanquam aliqui non deeſſent animo firmiore, qui indecorum cunctis, ipſique præſertim regi maximè detrimentoſum fore teſtarentur, cum hoſte paciſci priuſquam eius uirtutis atque audaciæ periculum facerent. Cuius ſententiæ princeps erat Petrus Paulus Toſingus, nobilis exul Florentinus, quanquam ei contradiceretur à Vincentio Taddeo collega, qui quanquam egregiè ſtrenuus, in ſententiam regulorum, nihil ex uano hoſtis

uim formidantium inclinabat. Illi namque maleſana periculoſáque in reſiſtendo conſtantia publicam omnium ſalutem, ſuíque patrimonij oppidum in ſummæ calamitatis diſcrimen adducere nolebant. Itaque Roſsinius per auerſam portulam ad colloquium Gonzagam ſub fide uocauit, demiſséque ſe uictos confeſſus, & accuratis precibus molliores conditiones à uictore impetrare cõtendens, ſeuero & duriore quàm putarat in ea re Gonzaga reperto, eo modo deditionem fecit, ut cuncta præter omnium uitam, uictoris arbitrio concederet. Nec mora Gonzaga cum familiarium militum caterua in oppidi poſſeſsionem manu ductus Briennium ipſum atque Roſsinium, ipſúmque Sceneium iure belli captiuos fecit, & ad exprimendam grauiorem redemptionem, in caſtella Cæſarianæ ditionis ſeparatim cuſtodiendos miſit. Ea inexpectata fœdáque prorſus trium inſignium oppidorum deditione Franciſcus magnopere perturbatus, intentiore cura, quæ ad ſuſtinendum bellum opportuna uidebantur, parare cœpit: ita ut nobiles quoſque è ſingulis propè regni oppidis equites euocaret, & per eos extraordinaria uſus opera, remotiùs conuehi frumenta, & quæ nondum in agris deſecta eſſent comburi, & proprios hoſtium commeatus obſeſsis itineribus intercipi iuberet. Quibus curandis muneribus intentum, & incautè ſeſe offerentem Surionium è Borbonia familia domui regiæ propinquum Cæſariani equites interceperunt. Re fœliciter ad Ligninium per Gonzagam geſta, Cæſar ſingulari affectus lætitia, quòd nuſquam Galli in aciem prodirent, & negligentiſsimè ſingula oppida, per quæ tranſire hoſtes oporteret, permuniſſe uidebantur, caſtra promoueri iuſsit ad proximum oppidum ſatis munitum atque opulentum, à templo ſancti Deſiderij à Gallis Sandeſirium appellatum. Id in ſatis magna, purgatáque planicie ſitum, à Septentrionibus mediocri interiecto ſpatio Matrona amne permunitur, reliquis partibus circumdatur denſiſsimis ſyluis: murum autem habet nouis operibus auctum. Ibi namque Hieronymus Marinus, Bononienſis architectus, opportuno in loco mœnium propugnacula feneſtratis lateribus accuratè perfecerat, nouáſque quotidie munitiones inſtituebat. Præerat præſidio uir Gallus, ſingulari uigilantia fortitudinéque animi, nomine Landa, quem ſuperiore anno cum inſigni gloria apud Landreſium binas uno tempore Cæſarianorum & Britãnorum oppugnationes pertuliſſe memorauimus. Ea autem uis oppugnantium fuit, ut à meridie ſubuecta tormenta à ſpatio trecentorum paſſuum incredibilem procidentium mœnium ruinam ederent, & duo turrita propugnacula ab utroque mœnium angulo aſsiduè colubrinis terebrata quaſſatáque proſternerent: ſicut prius quàm à Gallis interior agger tutò erigi poſſet, illac Hiſpani non omnino incommodè in oppidum perrumpere ſe poſſe dictitarent. Sed ea militum alacritas ducibus inanis & periculi plena uidebatur, quoniam tametſi oppidi in plano ſiti murus tormentis abraſus erat, & ſolo penè æquatus, frequẽtior tamen ædificiorum pars in mollem tumulum, qui in medio oppidi paululum aſſurgebat, ita erat ſubducta, ut inuaſuris denûm ferè pedum ſcalis opus eſſe perſpicerent, prius quàm ad paratos in ſtatione Gallos conſerendis manibus perueniri poſſet. Hoc impedimento deterriti Cæſariani duces, in labro foſſæ quadratum & ſolidum aggerem, turris inſtar, è ceſpite glebáque erigere cœperunt, in cuius ſuperiore platea aliquot maioris generis tormenta educenda conſtituendáque cenſebant: ut his ſuperante altitudine hoſtes depreſsiore in loco conſiſtentes uerberarent.

berarent. Id uerò opus quum ab hoſtibus inchoari Galli duces animaduertiſsent, præmonente demonſtrantéque Marino, parem ex aduerſo munitionem ædificare cœperunt, tanto animo, tantáque induſtria frequentiſsimis tormentis propugnantes, ut multa quotidie hoſtibus detrimenta inferrent, nec ullam perterriti animi, aut demiſſæ ſpei ſignificationem darent. Accidit autem Idibus Iulijs, ut Renatus Aurantius regulus, qui Belgicum adduxerat peditatum, iuuenis omnibus naturæ atque Fortunę muneribus ornatiſsimus, ideóque Cæſari longè cariſsimus, tormenti mortifero ictu uulneraretur. Is enim quum fortè ad Gonzagam, ad opus faciendum milites cohortantem, aſsidentémque in foſſa munitionis ſuperueniſſet, eique honoris cauſa ille aſſurgens ſellam ſuam conceſsiſſet, paulo pòſt in eum locum directo ab hoſtibus tormento ita globus ferreus aggeri incidit, ut diffracti reſilientíſque lapidis fruſtulo lethaliter in humero uulneraretur. Eum iacentem humaniter inuiſit Cæſar, expirantémque complexus, nequaquam fictæ beneuolentiæ in ea caſus acerbitate lachrymas effudit. Nec multò pòſt Hiſpani milites non ſatis animaduerſo periculo, ab incondita quadam alacritate à ducibus poſtularunt, ut adoriendi oppidi ſignum dare minimè dubitarent. Ipſos enim accepta uictoriæ teſſera in oppidum fortiter atque fœliciter irrupturos. Laudauit eorum alacritatem magnitudinémque animi Gonzaga, atque ita eos periculi admonuit, ut prius locum propius explorare præmiſſa pernicium ſclopettariorum manu, quam murum aggredi iuberet. Sed res ita cecidit, ut quum audaciſsimus quidam Hiſpanorum nomine Chiroſa, Aloiſij Brauij cohortis ſignifer, id munus explorandi loci depoſceret, & ſublato uexillo ad murum oppidi ire contenderet, reliqui ad unum ſigniferi omnes æmulatione laudis eum auidè atque certatim ſubſequerentur, atque uniuerſi demum milites, eadem ſpe potiundi oppidi uehementer incitati, quin foſſam ſuperarent, & per ruinas erepere conarentur, nullo uetantium & deterrentium præfectorum imperio retineri poſſent: tametſi nullum adhuc committendæ pugnæ ſignum à ducibus eſſet propoſitum. Qua effreni atque immoderata militum cupiditate permotus ipſe caſtrorum magiſter Aluarus Sandeus, uti erat ſingulari animi fortitudine præditus, ne in omnem temeritatis atque Fortunæ euentum certus dux ſuis deeſſet, inuocato magna uoce uictoriæ nomine, quin procurrentibus ſe immiſceret minimè dubitauit: hunc ſtatim ſubſequente collega Aloiſio Peretio, qui uirtute animi nequaquam ei inferior putabatur. Verùm ubi ex eo tumultuario procurſu ad hoſtes appropinquatum eſt, inanis ea alacritas & plurimum funeſta extitit, nam Landa peritiſsimè tormenta collibrari, & ſclopettarios continuò diſplodere iubens, tantã in ſubeuntes & confertos tormentorum omnis generis procellam effudit, ut totius foſſæ ſpatium interfectorum cadaueribus compleretur. Nam quod antea à Cæſarianis animaduerti nequierat, hoſtium tormentarij magiſtri binas in aduerſis duorum aggerum lateribus feneſtellas in eius diei uſum aſtutè conſtitutas, & tenui gleba contectas, repentè aperuerant, è quibus directis in latera colubrinis miſerabilis fortium uirorum ſtrages edita eſt. Ad hęc etiam Galli fictilibus, & tubis ligneis, nota atque uſitata ratione, bituminoſi & ſulphurei ignis flammas iacentes, quæ thoracibus & galeis adhærerẽt, multum profecerant: tanta quidem propugnantium ſimul atque inuadentium conſtantia, audaciáque, ut Germani hærentes Hiſpanos, & planè magno cum incom-

modo repulſos conſpicati, inſilire in foſſam eiſque ſuccedere minimè recuſarent. Verùm nequaquam tanta fuit apud Germanos perſeuerentia, ut egregio conatu, iam reiectis Hiſpanis ferre niterentur: Nam ubi appropinquatum eſt, paria propè ac Hiſpani pilarum, uolitantiúmque ignium vulnera ſuſceperunt: eo exitu ut aliquanto celerius quàm pugna appetiſſent pedem referrent. Ea die ex Hiſpanis ad quingentos, partim in foſſa occiſos, partim grauibus affectos vulneribus, deſideratos ferunt. In his periere ſigniferi tres, ſaluis tamen uexillis, Saccaratus, qui pridie inauſpicatò ad Mendociæ cohortis præfecturam uirtutis nomine fuerat traductus, & Romerius Solerius, atque Spinoſa. Ex præfectis autem Alfonſus Caruaial nobiliſsimo ortus genere, & Monſaluus Valentinus atrocibus flammis circumuentus. Cæterùm ipſe Aluarus Sandeus manus atque ora deformiter uſtulatus, & Aloiſius Peretius femore glande traiecto, uix ſeſe è tanta clade eripuerunt. Germanorum autem qui ceciderunt inclyti nominis, fuere Eyttelfrictius Hohenzollernus & Ludouicus Curtauilla. Chiroſa ipſe, qui exitioſæ temeritatis author fuerat, quum omnium uoce damnaretur, pœnam ueritus, neque ignarus ſeueritatis Cæſaris, ad Barium oppidum Gallicæ ditionis perfugit. Biduo poſt reſcitum eſt Landam pari prope ſorte, qua Aurãtius è uita ſublatus eſt, tormento ereptum fuiſſe, cui cum imperio ſucceſsit Sanſerrius regulus iuuenis impiger, ſed fortitudine animi, uſúque militiæ nequaquam Landæ par, eo Sanſerrio patre genitus, quem apud Mediolanum Heluetio prælio cecidiſſe memorauimus. Eo tam audaci atque improſpero ſuorum conatu permotus Cæſar, uſque adeò appetenter Italicam legionem deſideraſſe dicitur, ut ſe parum prouidi conſilij ſui pœnitere fateretur, quòd Italicos parcendo pecuniæ ab initio, ſecus ac alias feciſſet, & nuper ad Duram fuiſſet expertus, non conduxiſſet. Expeditas ſiquidem atque promptiſsimas aggrediendis muris Italicorum cohortes Hiſpanicis admixtas proculdubio in oppidum peruaſuras arbitrabatur, quòd Germani armis atque corporibus graues, neque ſuopte ingenio multa agilitate pollentes, quandam inceſſus tarditatem è diſciplina campeſtribus prælijs requiſitã præferrent, quæ aliena prorſus à ſubitarijs extraordinariíſque inuaſionibus cenſebatur, quibus id oppidum proculdubio capi poſſe uideretur. His de rebus exiſtimabat Cæſar huiuſmodi certamina minimè inſtauranda repetendáue, quum in his aſperrimis conatibus florem militum abſumi, augeríque inde hoſtibus animos, tanquam ex æquiſsimo ſemper loco pugnaturis, manifeſtè proſpiceret. Itaque ut cuniculis res ageretur ducibus præcepit, quibus ſuppoſito atque inceſo tormentario puluere hoſtium agger ſuperſtantibus defenſoribus exſcinderetur. Quo iam inchoato productoq; opere, cognitum eſt hoſtes ex aduerſo pares cuniculos, uti diſciplinæ conſuetudo poſtulabat, diligenter inſtituiſſe: ſic ut ea oppugnatio ad obſidionem deducta uideretur: nec tamẽ Cæſarianos expugnãdi oppidi totam ſpem abieciſſe appareret; nam magno molimine machinã inſtituebant, inſtar antiquę teſtudinis, quam ſubiectis rotis ergatarum beneficio ad murum producere cogitabant. Eius latera permunita erãt craſsis aſſeribus, ac exterius lanarum ſaccis conueſtita, ſupernè autẽ pedalibus tignis inter ſe cõſertis ualida concameratione protegebatur. Tantæ uerò erat amplitudinis, ut integram, & in ordine conſtitutam fortiſsimorum militum centuriam contineret, qui denſata acie, ſublatis ſtatim à fronte pluteis, quum ſatis promota

foret

foret machina, per ruinas munitionesq́ hoſtium peruaſuri, atque inde deiectis propugnatoribus in oppidum irrupturi credebantur. Sed eius operis labor ſubtiliter inſtitutus ſucceſſu caruit. Nam Cæſar conſilium mutare coactus eſt: quum certior eſſet factus Gallorum equitum & peditum peramplam manum ad Vitriacum oppidum, duodecim inde millibus paſſuum diſtans, Briſacco duce perueniſſe. Is aliquam non omnino periculoſam ferendæ opis occaſionem expectans, inde ad obſeſſos penetrare ſtatuebant. Propterea Cæſar, ut obſeſsis expectandi auxilij ſpem minueret, & quantum nouus hoſtis in congreſſu ualeret ſtatim experiretur, eum nocturno prælio adoriri conſtituit. Itaque ſub occaſum Solis miſſus eſt Franciſcus Ateſtinus cum Italico equitatu, cui ducenti Sequanici generis galeati equites adiuncti fuerant. Datus eſt etiam Franc. comes Caſtalius dux uetus, & ſecundum hos Mauritius Saxo, cum duobus millibus Germanorum equitum, cuius ueſtigiis hærebat Gulielmus Fruſtembergus cum peditum ſuorum legione, qua cum ſeptem muralia tormenta trahebãtur. Cõtinenti igitur agmine euntes, interfectis ex itinere Gallorũ excubijs, ad ſecundum à Vitriaco lapidem trecentorum equitũ alam, quę hoſtiũ motum præſenſerat, atque equos aſcenderat, acri impetu facto profligarunt, multis utique interfectis & captis. Tum uerò Briſaccus ex ſuorum fuga cognito hoſtium aduentu certiùs agnoſcendi hoſtis, explorandiq́ ſuorum caſus cum ualida manu prouehitur. Circiter autem duo millia peditum, quæ partim ex Gallicis partim ex Italicis cohortibus conſtabant, in acie conſiſtere iubet, reliquas equitũ alas præterfluentis Matronæ amnis pontẽ tueri, iuſſaq́ ſua operiri præcipit. Eo modo Briſaccus feruido ingenio prouectus, in Ateſtini equites incidit, & quum conſerta ſtatim pugna incumbentium hoſtium impetum ſuſtinere non poſſet, ad ſuos refugere cœpit, ita à tergo inſtantibus hoſtibus, ut grauiſsimè premeretur, & nequaquã contentis habenis tumultuoſo incurſu peditum ſuorum ordinem perturbaret. Quo caſu puncto tẽporis tota Gallorum acies diſsipata eſt, eo euentu ut niſi Sampetrius Corſus ſclopettarios ſuos urgentibus Cæſarianis oppoſuiſſet, ipſe Briſaccus in uado fluminis opprimeretur, & permixti Gallis hoſtes in oppidum irrumperent. Reliqui Gallorum equites continuò fugæ ſe mandarunt, & bona pars peditũ interfecta eſt, Sampetrius tamen, qui ducem ſeruaſſe uideri potuit, cum ea, quam diximus, manu infeſtos hoſtes glandibus coniectis repellens, ſeipſum cum cohorte tenebris tectus ſeruauit. Ex numero Gallorum Italicorúmque peditum circiter trecenti in templum ſe contulerunt, quod erat iuxta oppidum, atque inde ſclopettis emiſsis ſe defendere cœperunt, fruſtra eos Ateſtino atque Caſtalio hortantibus, ut ſe dederent, neque tormenta, quæ cum Germanis adducębantur, expectanda ducerent. Id uerò milites egregiè fortes minimè credebant, quum hæc terrendi ſui cauſa ab hoſtibus dici arbitrarentur, atque eo modo his conditionibus, quę militare decus offenderent, repudiatis, in eodem propoſito ſuſtinendi hoſtis per aliquot horas perſeuerarunt, donec Fruſtembergus ſuperuenit. Is dum templi ſitum inſpiceret, glande circa ceruicem ictus, ideóque crudeli ira percitus, templo ſuorum legione circumdato, admotiſque muralibus tormentis, id immaniter quatere cœpit: ita ut perforatis lateribus & perfractis columnis, integra propè teſtudo concideret, obitérque infœlicis uirtutis atque conſtantiæ homines, ne fornicum & totius

contignationis ruina opprimerentur, clamore ſublato, ad eaſdem quas repudiarant deditionis conditiones recurrerunt. Sed eo tempore neque Ateſtini neque Caſtalij apud inexorabiles Germanos iuſtæ deprecationes ualebant, utpote qui deditis ſeruare uitam cuperent: atque ita patefacto templo à Germanis ad unum omnes crudeliſsimè trucidati ſunt, oppidúmque direptum. Apparuit uniuerſum Briſacci equitatum, magno regis detrimento, quòd ex nobiliſsimis Gallicæ iuuentutis conſtaret, deleri potuiſſe: ſi Saxones equites iter conficere maturaſſent. Quo caſu Germanicos equites ſuo graui & contento inceſſu tranquilliùs & tardiùs equos agitare ſolitos, ſtataria in pugna, quam in procurſationibus fortuitorum certaminum aptiores & firmiores eſſe perſpectum eſt. Hæc nocturna uictoria nunciata Cæſari, & obſeſsis ad illudendum ſignificata, mirum in modum eorum animos contriuit: nam uti erant auxiliorum expectatione ſuſpenſi, & ad ſummam multarum rerum: tormentariíque præſertim pulueris inopiam redacti, de Fortuna ſua conquerebantur: quandoquidem plerique eorum amiſsis commilitonibus, acceptíſque vulneribus & perpetuis uigilijs ſemienecti, iámque deficientibus eſculentis nequaquam abundè recreati, de deditione cogitarent, nec pari authoritate, ac antea facere ſolitus eſſe Landa, Sanſerrius deſperantium animos confirmaret. Cæterùm Cæſar Vitriacum ſuis copijs obtinendum ratus, ut hoſti eriperetur, ibi in præſidio quinque cohortes Furſtembergæ legionis remanere iuſsit, quæ demeſſa frumenta colligerent, & ea munia capeſſerent, quibus hoſti maximè nocere poſſent. Sed Germani triduo conſumptis omnibus commeatibus, quum ibi diutius ſubſiſtere nollent, concremato oppido iniuſſu Cæſaris in caſtra redierunt, ita ut ſubiratus Cæſar Gulielmo acerbiſsimè ſuccenſeret, & in locum earum cohortium, quæ oppidum deſeruiſſent, Aliprandum Madrucium Tridentini Cardinalis fratrem cum quatuor cohortibus, & quadringentis equitibus ſuffecit. Per eos dies Calendis Auguſti aliquot Galli equites, quum in ſyluis aliquandiu Cæſarianorum exploratorum oculis obuerſati eſſent, ſpeculantes occaſionem ferendi obſeſsis auxilij, ingenti auſu globo facto triginta equites ad Sandeſirium percurrerunt, ſingulos tormentarij pulueris ſacculos à tergo deferentes. Sed is eorum exitus fuit, quanquam citatiſsimis equis uterentur, ut non omnes, aut metu deterriti, aut intercepti à Cęſarianis, oppidum ingrederētur. Qua re ex captiuis cognita, Cęſar facilè intellexit ſummam eſſe apud obſeſſos ſulphurei pulueris inopiam, ſic ut milites æquiore iam conditione murū ſe inuaſuros, ſi Cæſar iuberet, pollicerentur. Re ad Vitriacum à Cæſarianis bene geſta, nihilo ſecius Galli pleni fiducia rei bene gerendæ, ſi hoſtis mœnia repeteret, uigilantiſsimè oppidum tuebantur, cunctáque opportuna ad defenſionem ex Marini architecti præceptis ſolertiſsimè comparabant, quum repentè oppido emiſſus tubicen poſtulauit, ut ſub fide legatos colloquendi cauſa obſeſsis emittere liceret, factáque poteſtate Vicontius, Riueria & Sineus cohortis præfectus ad Gonzagam uenerunt. Summa mandatorum hæc fuit Sanſerrium, quanquam ea uirtutis atque conſtantiæ documenta dediſſet, ut ſibi nullo pacto timendum arbitraretur: alienum tamen non eſſe à deditione oppidi, ſi honeſtis conditionibus ageretur. Petebant Galli ut ipſis excedentibus arma, resq; omnes, & cuncta tormenta concederentur, menſis unius induciæ fierent, intra quas niſi rex iuſto cum exercitu obſeſsis opem ferret, & Cæſarem ſoluta obſidione depellerent, continuò oppidum

Cæſari

Cæſari traderetur, ea tamen conditione, ut reficere mœnia, & conſtruere nouas operum munitiones intra ſex menſes Cæſarianis non liceret. Hæc tanquã inſolentius poſtulata Ferdinandus ita reiecit, ut legati facilè intelligerent quanta ſperatæ uictoriæ confidentia hoſtis niteretur, atque eo modo redeuntes in oppidum, non multo poſt iterum atque iterum æquioribus cum mandatis remitterentur, atque eo die præter omnium opinionem de oppidi deditione transigeretur, his conditionibus: duodecim dierum induciæ ſunto, intra id ſpatium ni Franciſcus rex promoto exercitu obſidionem ſoluat, Sanſerrius oppido ſtatim excedito, à Cæſarianis exeunti præſidij cauſa duo tantùm tormenta concedantor: Gallis omnibus ſub uexillis ad tympanorum ſonitum more militiæ abeundi quò uelint, poteſtas eſto, reliquum omnem tormentorum apparatum totamq; commeatus copiam Cæſari relinquanto, de hisq; rebus quatuor obſidibus cauetor. Ab hac pactione acceptis obſidibus Gonzaga in oppidum intromiſit Hiſpanum equeſtris ordinis nomine Contreriam, qui accuratè obſeruaret, ne Galli noctu uel interdiu munitiones augerent. His confectis rebus, quum id reſciſſet Franciſcus, nec ut opem ferret ex uſu eſſe iudicaſſet, à Sanſerrio integra fide traditum eſt oppidum. Ferunt Sanſerrium fictitijs Claudij Guiſij primarij ducis literis deceptum, aliquanto maturius quàm expediebat ad deditionis conſilia deſcendiſſe. Hę literæ apud Granuelium confictæ fuerant, & exempto ceræ ſigillo ex ueteribus Guiſij literis uſque adeo arguta falſarij manu exaratæ, ut pro ueris agnoſcerentur, ab his pręſertim qui eo obſidionis periculo ſolicitis & trepidis animis celeriter eximi cupiebant. His ſiquidẽ literis Guiſius Sanſerrio reſpondere fingebatur, tãquam intempeſtiuè ferri ſibi opem poſtulanti, regem graui de cauſa alienũ eſſe à cogitatione ferendæ opis, ne ſeſe, & liberos, Fortunáſque omnes regni in unius pugnę non neceſſarium diſcrimen adduceret. Proinde ipſum, qui amplius quadraginta diebus inſigni regis commodo ſummáque ſua laude acerrimorum hoſtium uim ſuſtinuerit, ſi urgeretur acrius & deſereretur à Fortuna, nõ indecorè aut turpiter facturum, ſi ſeſe atque præſidium honeſta pactione conſeruandum exiſtimaret. Quibus literis à Gallo lixa pręſenti pecunia corrupto in oppidũ delatis, qui eas calceo inſutas ad ſimulandam periculi diligentiam afferebat, & in corona à Sanſerrio perlectis, nemo militum fuit, qui à deditione diſſentiret. Per hũc modum non ſine riſu Gallicæ ſimplicitatis Sandeſirio potitus Cæſar, quid ſibi agendum foret in conſilijs agitabat, ualde perplexus an Catalaunum oppidum, quod Sciallonum hodie Galli appellant, in eodem ferè itineris curſu ſecundum Matronam amnem poſitum oppugnaret, an ad Lutetiã uſq; progrederetur. Huius explicandi conſilij ratio in eo uertebatur, quòd duces fermè omnes confirmarent difficilem atque ærumnoſam fore munitiſsimi oppidi expugnationem. Id enim ualidis atq; recẽtibus copijs firmatũ auctumq; magnis operibus, & inſtructum magna tormentorũ copia fuiſſe cõſtabat, uti regẽ ex tanto Sandeſirianæ obſidionis ſpatio prouidiſſe credi fas erat: ita ut ex ea inutili propè, quanquam decora ad Sandeſirium mora, adeundę Lutetiæ occaſionem pleriq; milites prædę auidi amiſſam fuiſſe quererentur. Regem porrò, quũ Heluetiorũ auxilia diu expectata, dudũ in caſtra recepiſſet, adueniſſentq; ei ueteres nouiq; Vaſcones, ita eſſe confirmatũ periti milites dictitabant, ut quũ in proximo caſtra haberet, prælio dimicaturus eſſe cenſeretur, ſi non iniquo loco periculi faciundi facultatem nanciſci poſſet. Erãt enim multæ undique coactæ

peditum atque equitum copiæ, ut refutandus potius quàm laceſſendus à cautis maximeq; prudentibus, qui erant apud Cæſarem, crederetur: uel ob id præſertim quòd multis ex numero Hiſpanorum aut interfectis aut grauiter debilitatis, & rareſcentibus Germanorum legionibus, Cæſar neque peditatu neque equitatu ſuperior exiſtimari poſſet: propterea Henricum regis filium id pro comperto agnoſcentem, pugnæq; auidum, ſegnia & parum generoſa patris conſilia deteſtari vulgò prædicarent. Sed hos ſermones grauiter expendens Cæſar, in arcano pugnæ cupidus ita admittebat, ut ſecretum tegeret, oſtentandiq; animi cauſa ad Catalaunum caſtra moueret: tanquam oppugnare uellet, hoſtibus metum iniecturus. Cæterùm ſuo innixus conſilio, repentè motis caſtris ad Aſpernectum oppidum deſtinato itineri impoſitum contendit, præterq; opinionem regis atque hoſtium eo potitus, opulenta omnis generis commeatus copia largiſsimè ſeſe recreauit. Tum uerò rex adiuncto ſibi cum reliqua copiarum parte Claudio Guiſio promotis caſtris in conſpectum Cæſaris ſe dedit, intercedente Matrona amne, qui uado tranſiri non poterat, certatimq; utrinque excitata per agros incendia uiſebantur: quum Galli ſua omnia, ne his potiretur hoſtis, ultro peruaſtarent, & Cæſariani Germaniq; præſertim, ut Gallis maximè nocerent, incendijs effuſiſsimè graſſarentur. Erat eius horrendæ cladis aſpectus planè miſerabilis, quum fertiliſsimæ regionis incolæ, neutram in partem opportuna ipſorum malis remedia reperirent. Ab Aſpernecto Cæſar in Pariſios iter habebat, quum in altera amnis ripa regiorum agmina uiſerentur: ideo pari inſtructa acie, ut ſi Cæſar in amne pontem faceret, aut uado tranſire conaretur, in margine fluminis prælio decertarent. Quod cum à Cæſare ex non iniqua conditione tentari poſſet, Gulielmus Fruſtembergus, odio ſuo peculiari in regē incenſus, quòd ueteribus ſtipendijs cum ignominia exauthoratus fuiſſet, uti erat peritus regionis, noctu in amne tutum uadum quæritabat, uerùm incautè ripis inhærens à quibuſdā exploratoribus Gallis pro ſpeculatore interceptus eſt, deductusq; ad regem & agnitus, cunctis propè eum ad laquei necem depoſcentibus, cuſtodiæ traditus eſt. Eius uiri caſu ſpe pugnæ decidit Cæſar, quum in eius audaciſsimi hominis induſtria ſuperandi amnis conferendæque pugnæ facultatem ſe reperire poſſe confidiſſet, & regem tumultu Lutetiano perculſum nō temerè pugnæ poteſtatem facturum arbitraretur. Peruaſerat enim ad Pariſios uſque non falſus rumor, Cæſarem paſsim expugnatis oppidis uictorem appropinquare: tāta omnium perturbatione, ut urbs totius Europæ ampliſsima & copioſiſsima ingenti metu quateretur, atque incolæ confuſiſsima trepidatione cariores res ſuas, liberos, & coniuges nauigijs imponerent, ut per Sequanam elaberentur, & nemo ferè eſſet ex indigenis Gallis qui arma caperet, ut ſeſe & patriam ab hoſtis iniuria tueretur: neque ipſe Medonius Cardinalis, qui Lutetiæ regio nomine cum imperio præſidebat, tantum ualebat authoritate, ut fugam perterriti populi uſquam ſiſteret. In eo tamen tumultu peregrini omnes, qui ibi per gymnaſia liberalibus ſtudijs operam dabant, arma ſumpſerunt, præbente ſe eis ducē Caracciolo Sergiani Melphitani reguli filio, qui Lutetiæ ſacerdotium inter cucullatos opulentum liberalitate regis fuerat conſequutus: impigro nanque ingenio iuuenis, uti militari patre genitus, armis potius quàm pijs ad diuos ſupplicationibus immanes hoſtes arcendos exiſtimabat. Quæ armata manus ſtudioſæ iuuentutis alacriter digeſta in cohortes, tametſi impar ſuſtinendis

nendis

nendis hoſtibus uidebatur, nouo tamen & numeroſo armatorum ſubſidio populus confirmatus, quòd pari paſſu inſtructo exercitu regem aduentare didicerat, fugam repreſsit. Quum eo modo nullo congreſſu, ſed crudelibus incendijs bellum gereretur, de pace per idoneos homines agi cœptum eſt: nam paulo antè per Bartouillam equitem Ligninij captum dimiſſumq; per Iacobū Medicem & Franciſcum Somalium Inſubrem uirum clariſsimum, qui Cæſaris conſilijs adhibebatur, Hanebaldo Amiranti ſignificarant, Cęſarem uſque adeò diri atque exitialis belli pertæſum eo eſſe animo, ut ſi honeſtis conditionibus pacem rex peteret, ab æqua concordia minimè diſceſſurum, ipſos autem Medicem atque Somalium, ueteris ſuæ militiæ ſtipendijs & beneficio regis addictum, profiteri fidelem operam ſuam, quam ea in re non ingratam Cæſari futuram ſcirent. His a Bertouilla nunicitatis, neque ipſe Amiras, neque rex poſtea ſurdas aures præbuerunt: ita ut Bertouilla cum Bailiuo Digionio rerum perito ſene cum mandatis remitteretur, quibus colloquio locum & diem primarijs conſtitui poſtulabant. Eius autem actionis exitus fuit, ut Granuelius atque Gonzaga cum Hanebaldo atque Nulleio uiro togato colloquuti, eo facilius de pace tranſigerent, quòd in eius rei negotium iam antea Gabriel Guſmanus Hiſpanus cucullati ordinis à regina Galliæ ad fratrem Cæſarem miſſus, ſe Chriſtianę pietatis nomine inſinuaſſet. Dum hæc in ſpem pacis tractarentur, Cæſar Antonium Peronotum ipſius Granuelij filium, iampridē ad arcana ſcrinij conſilia admiſſum, ad Henricum regem Bononiam oppugnantem miſit, ut per eum Britannus natura ſuſpicioſus de his rebus, quę de pace actitata fuerant, ſed nondum planè conſtitutis legibus tranſacta, accuratiſsimè doceretur. Sed plerique exiſtimarunt Antonium peculiari de cauſa ad Henricum fuiſſe tranſmiſſum, ut Cæſaris difficultates, adeundæque Lutetiæ conſilium explicaret, peteretque ut caſtra in Pariſios mouere uellet, ut communibus uiribus Lutetiam occuparent. Quod ſi proprio occupatus bello id facere nollet, ſaltem hoc ſibi indulgeret, ut incolumi fœderis amicitia, de pace cum Franciſco tranſigere liceret. Quamobrem Henricus ſua certa ſpe expugnandæ Bononiæ innixus Antonio ita reſpondit, in poteſtate Cæſaris fore cum Gallo rege de pace paciſci, idque ſe æquo laturum animo, modo recentis inter ipſos icti fœderis iura nequaquam præuerteret. Pluris namque Henricus propinquam obtinendæ Bononiæ ſpem, quàm Lutetiæ poſſeſsionem exiſtimabat, quòd Motrellum quoque magnis uiribus à Talboto oppugnatum, ſibi ceſſurum confideret. Itaque Cæſar redeunte Antonio conſilia pacis explicauit: nam plerique nihil ſtultius & pernicioſius fore iudicabant, quàm ſi Cæſar in urbem Lutetiam longè omnium ampliſsimam irrumpere properaret: inſtante ualidiſsimo regis exercitu, quandoquidem irrumpentes milites ad prædam ita dilapſuri crederentur, ut non facilè, quum exterior hoſtis ingrueret, cogi, aut in aciem produci aduerſus regios poſſe quiſquam ducum exiſtimaret, quandoquidem certa fames obſidente ſuburbana rege uictoribus & incolis extimeſcenda cenſeretur. Quòd ſi cuncta proſpere Cæſari prouenirent: nihil tamen eum tanto periculo quæſiturum apparebat, quam ut alieno commodo ſalutem & dignitatem ſuam intempeſtiuo tempore periclitaretur: quoniam fœderi erat adſcriptum, ut ſi parta uictoria Pariſiorum Lutetia potirentur, ea urbs, uti ſuperioribus ſeculis fuiſſet, non Cæſari ſed Britannico imperio cederet. Vrgebat etiā Cæſarem ad complectendam pacem pecuniarū inopia, uſq; adeo, ut quum

eidem Aureliano in matrimonium collocaturum, quæ dotali iure Mediolanenſem principatum ſecum traheret. Qua in re deliberanda Cæſar octimeſtre ſpatium depoſcebat: quo ſpatio tum ipſius Philippi filij, tum Ferdinandi fratris uoluntates certius exploraret, ut inde intra quatuor demum menſes, hoc eſt poſt integrum annum, cum alterutra uirgine nuptiæ celebrarentur. Si autem Cæſari magis expediret fratris filiam quàm ſuam ipſius natam Carolo deſponſare, confectis ſtatim nuptijs Mediolanenſis imperij poſſeſsionem Aurelianus hac lege acciperet, ut donec maſculam ſuſciperet prolem, Mediolani & Cremonæ arces Cæſariano pręſidio cuſtodirentur. Tum uerò Carolo Sabaudio cuncta quæ illi uel in Allobrogibus, uel in Subalpinis adempta fuiſſent, optima fide reſtituerentur, liceretq; Gallo regi eas retinere arces tandiu Gallicis pręſidijs cuſtodiendas, quandiu Galliæ Ciſalpinæ arces, quas diximus, Cæſariano præſidio tenerentur. Reliquæ uero conditiones initæ pacis atque percuſsi fœderis eò pertinebant, ut de iuriſdictione quorundam oppidorum Belgicæ prouincię pręclare diffinirent, reſtituerēturq; ea omnia utrinque quæ mutuis armis ex uſu belli occupata fuiſſent poſt inducias ad Nicęam Prouinciæ authore Paulo Pontifice confectas, relinqueretúrque locus his principibus nominatim tanquam ſocijs atque amicis, ſi noui fœderis beneficio uti vellent. Hi fuere ipſe Henricus Britanniæ, Sigiſmundus Sarmatiæ, Ioannes Luſitanię, & Chriſtiernus Danimarchiæ reges: atque item ſinguli ſacri uel prophani iuris Germaniæ proceres, qui ad dicendum creandumque Cæſarem ſuffragiorum iura obtinent: & præter hos dabatur etiam aditus ad idem pacis & fœderis beneficium Heluetiorum reipublicæ tredecim pagis, cui annexa eſt trium Griſonij nominis gentium fœderata ciuitas: atque item in Italia, principi Venetorum: atq; item Dynaſtis Carolo Sabaudio Allobrogum, Coſmo Medici Florentiæ, Herculi Ateſtino Ferrariæ, Guidobaldo Vrbini, liberisq; ciuitatibus Genuenſium, Senenſium, atque Lucenſium. Hęc confecta tranſactaq; ſunt apud Crepinium in Sueſsionibus caſtellum, adſtipulantibus utrinq; mutuo ſacramento Cæſarianis, & Regijs ei negotio prępoſitis. Hi fuere Nicolaus Peronotus Granuelius Cæſariani ſcrinij magiſter, & Ferdinandus Gonzaga, primam apud copias poſt Cæſarem in exercitu militaris imperij authoritatem obtinēs. Ab regis uerò Hanebaldus ipſe Amiras, & Nulleius ſenator ſupplicibus libellis præfectus. Dati autem ſunt obſides in fidem concepti fœderis duo Cardinales, Ioannes ipſe Lotharingus, & Medonius, quem dudum Lutetiæ in eo propinqui belli metu, tumultuq; pręfuiſſe diximus. Ad hos ſacratos uiròs acceſſere Valleius citerioris Britannię opulentiſsimus regulus, & Agnodeus adoleſcens ipſo Amirāte Hanebaldo genitus, decimo quarto Calē. Octobris, quarto, & quadrageſimo anno ſupra quingenteſimum atq; milleſimum à partu Virginis. Hoc confectæ pacis nomen incredibilem cunctis mortalib. lętitiā attuliſſe uiſum eſt, propter ſperatam diu exoptati otij tranquillitatem. Sed non deerat qui eam ſucceſſu carituram prædicarent, quod Cæſar tam graui pondere obligatæ fidei diſtentus eſſet, ut ægrè promiſſo ſtaturus crederetur. Nam apparebat eum ſummo cum incommodo alterutra quam uellet nuptiarum pactione, aut patrimonio Belgico ceſſurum, aut Mediolanenſe imperium importuna ſibi ratione in dotem collaturum. Neque enim erat exiſtimandum tantæ grauitatis tantæque religionis principem adduci poſſe, ut eius initi fœderis leges, arctéque obligatam fidem ſuam ulla ex parte uiolaret. Sed Fortuna,

Cæſaris uotis & commodis ſecundiſsimè ſemper arridens, ex arcano fatorum uiam inuenit, ut eum damnoſæ traſactionis ſolicitudine curaq; uel in alteram partem, ſi à fide data diſcedere uellet, probroſo pudore atque dedecoroſa inuidia liberaret. Carolus enim Aurelianus poſtquam in complexum Cæſaris deueniſſet, in peſtiferum incidit morbum, ita ut paucisſimis diebus apud Firmum monaſterium ſæua morte eriperetur, iuuenis omnibus corporis atq; animi quę conferri à natura poſſent muneribus, totius Galliæ iuuenũ florentiſsimus, quẽ unum pręter ipſos Gallos, populi Inſubres tanquam exoptatũ ſummæ benignitatis principem maximè luxerunt, quum de fortunis ſuis & tranquillitate ſeculi facilè deſperarent. Cæterùm rex Henricus poſt expugnatam Bononiam, atq; eam expulſo Varuenio, Obiei Mareſcalchi prouinciæq; Morinorum præfecti genero, Anglicis præſidijs confirmatam, & deſperatam Motrelli oppidi deditionem, quod Obeius defenderat, pacem cum Gallo rege facere recuſauit, uel ſatagente plurimum in eam rem Ioanne Bellaio Pariſienſi Cardinale. Quibus de rebus contendente iam Cæſare ad Samarobrinam, quę Cameracum dicitur, uniuerſæ Gallorum copiæ duce Delphino diſcedentis Henrici regis & Britannorum veſtigijs ita inſtitere, ut pene nouiſsima hoſtium agmina conſequerentur, atque eos multis impedimentis exuerent: conuerſiſq; continuò ſignis Delphinus Bononiã repentinus inuaderet, tanto impetu, ut inferiore oppidi parte, multis Anglorum interfectis, atque obiter magna præda potiretur, uideriq; poſſet graui metu hoſtium, ſuperiore etiam oppido, in quod Angli confugerãt, uim admouere cum bona ſpe victoriæ potuiſſe, niſi hæc ſtrenuè audentem aduerſæ tempeſtates ventorum & imbrium, quæ tolerari non poterant, impedimento fuiſſent. Inſtituta demum eſt à Franciſco rege cum terreſtris, tum naualis obſidio: nam præter copias quæ opportuno in loco caſtra fecerant, atque importari commeatus è proximis regionibus prohibebant, ad onerarias ingentes naues, quæ paſsim ex Armorici Oceani portubus cogebantur, roſtratæ etiam naues Maſsilienſeſque triremes, per fretum Gaditanum Hiſpaniam circuire iuſſæ, onerarijs nauibus acceſſerant. Quarum agilitate Britannicis nauigationibus multa inferebantur ditrimenta, uſque adeo ut Hanebaldus, cui aderat Petrus Strozza & Leo frater triremibus præfectus, prælio nauali cum Dumbleio Henrici præfecto, magna loci, & ventorum conſpirantium opportunitate proſperè certaturus crederetur. Quibus de rebus fiebat, ut Henricus longè maximis ſumptibus fatigatus, ad conſilium pacis, quod nuper reiecerat, reuerteretur. Ea uerò celerius opinione omnium confecta eſt hac lege, ut Franciſco regi Bononiam certo auri pondere redimere liceret: quod aurum reſarciendi bellici ſumptus octo penſionibus in ſingulos annos à Gallis penderetur. Sed per hunc modum Henricus & Franciſcus nequaquam diu ea parta pace lętari potuerunt. Henricus enim iam planè in ſenium urgens, & multo ſucci abdomine grauis & iners effectus, laceſſente atroci febre propter ſæuam inflammationem in crure uirulenti herpetis, uitam cum morte commutauit, quum ætatis annum quinquageſimum ſeptimum ageret, & ferè triginta octo annis regnaſſet, relicto regni hærede Odoardo puero ex Ioanna Semera ſuſcepto, ea conditione, ut a Thoma Semero auunculo inſtruẽdus regni adminiſtrãdi artibus regeretur. Poſt quinquageſimum autem diem ab Henrici morte, ipſe quoq; Franciſcus rex apud Rambuletum oppidum in finib. Pariſiorum atroci cum quatiente morbo è uita migrauit. Natum ei erat circa ſedem malignum ulcus,

ulcus, quod ſerpendo ad ueſicæ penetralia peruadebat, & cuncta humani ingenij remedia reſpuerat. Is erat duobus ferè annis Henrico ætate minor, cæteris in rebus uera æſtimatione morum, & naturæ dotium planè æqualis, niſi Henricus ingraueſcente ætate oblitus ueræ pietatis, nobile alioquin ingenium Lutheranis ſuperſtitionibus deuouiſſet. Cæterum Franciſcus decumbens, quum æquiſsimo animo fatalem horam ſibi adeſſe præſentiret, & Chriſtiano ritu ſeſe religioſè & puriter à delictis expiaſſet, Henrico filio pietatem in omni re conſtantiſsimè colendam commendauit, & quędam ei arcana tuendo regno opportuna communicauit, & quibus maximè artibus gentium ſubiectarum certiſsimum ſtudiũ promereretur, præcepit, ut populos tributis propter immodicos alendi belli ſumptus à ſe neceſſario inſtitutis, & acerbius quàm deceret exactis ſubleuaret, ſcilicet ut hac liberalitate firmior, atque antiquis Galliæ hoſtibus ſuperior euaderet. Peculiari autem nomine Hanebaldum Amirãtem propter ſpectatam eius fidem atque uirtutem mirificè commendauit. Anteceſſerat pari fato Franciſcum regem, eodem fortè menſe dieq; ſuperioris anni Alfonſus Daualus Vaſtius, propter admirabiles corporis atque animi uirtutes, quas eximia liberalitas aptiſsimè condiebat, regali Fortuna dignus, cui in imperio copiarum, Mediolanenſiſque dominatus pręfectura Ferdinandum Gonzagam Cæſar ſuffecerat. Sed prius quàm horum duorum inſignium regum interitus incideret, Cæſar acre bellum ſuſcepit, perdomandæ Germanię cauſa, quæ non modo multo maxima ex parte ab inſtitutis maiorum ſuorum placitiſque religionis impiè deſciuerat: ſed etiam à maieſtate imperioque Cæſaris arrogantiſſimè rebellarat. Deficientis autem Germanię duo duces extiterunt, Philippus Lantgrauius Cattorum princeps, & Ioãnes Fridericus Saxonum antiquiſsimę ſtirpis regulus, qui cõtumaci animo pro tuenda libertate Germanici nominis, excitis in id bellum liberis ciuitatibus, arma ſumpſerant. Cæterùm Cæſar pro dignitate ſua nequaquam id ſæuum bellum reformidans ita illud inchoauit, ut quum initio parum paratus arma cepiſſet, in Vindelicia ægrè promptiſsimorum atque urgentium hoſtium impetum ſuſtineret, & ſeſe in Baioariam amicitia Gulielmi principis fretus, recipere cogeretur, donec ei Italicorum tres ornatiſsimæ legiones, & ſex centenariæ galeatorum equitum alæ à Pontifice Paulo religionis atque amicitiæ nomine trans Alpes miſſæ opportuniſsimo tempore iuxta Lanzutum oppidum Farneſio Cardinale legato, & Octauio fratre duce ſuperuenerunt: quas Pontificias copias ſtatim ſubſequutæ ſunt ueteranæ Hiſpanorum cohortes. Quibus tantis confirmatus auxilijs Cæſar bellum quod inferebatur cõuerſa Fortuna ita hoſtibus intulit, ut protracto bello per aliquot menſes, fractoque Germanorum impetu, quum nuſquam iuſto prælio fuiſſet dimicatum, germania omnis intra Danubium, & Albim, & Rhenum incredibili fœlicitate gloriaq; ſubacta ſit, utroque etiam duce capto, eo rerum exitu, ut ipſis uinctis atque productis nobiliſsimum de ſubacta Germania triũphum, quem Romanis olim ducibus denegatum conſtat, inſtruere potuerit.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM QVAE IN HOC SECVNDO TOMO CONTINENTVR.

A

Abdamelech Tuneti Rex moritur. 575
Abdamelech Touaro iuuãte Tunetũ oppugnat. 575
Abdelobirmus à Collegis interficitur. 576
Abitum expugnatum à Ioanne Medice. 2
Abilchirinus Hariadeno reſpondet. 258
Abyßinorum regio. 183
Achangi qui. 215
Achelous amnis. 335
Acomates Michaloglis. 215
Acomates cadit. 232
Achomates Moldauum acerbè ſimulanter reprehendit. 462
Achomates interficitur. 438
Acroceraunij Chimeram montem incolentes ſuſcipiunt conſilium inuadendi regij tabernaculi Damiano quodam duce. 333. 335
Actiacum promontorium. 354
Adamus Centurio Genuenſis Hipponem miſſus ut claſſem inſtaurantem Barbaruſſam opprimeret, re infecta redit. 298
Ademanum regem Eunuchus ad ſe ſub fide euocatum ſuſpendit. 181
Ademum ad nobiliſsimum emporium ſe recipit Eunuchus. 182
Adurnius Antonium Auriam liberabat ut ſibi apud hoſtes defenſor exiſtat. 67
Adurnius ſine prole moritur. 67
Adurnij Genuenſes exules expugnata Genua reſtituuntur. 8
Adurnij Fregoſios incautè excubantes adoriuntur. 66
Adurnij & Fregoſij Gibellinæ ſtirpis. 71
Affrica urbs antiquitus parua Leptis fuit. 299
Aegyptij quidam reges adnitentes mare Rubrum mediterraneo immittere ab opere deſtiterunt. 327
Aegyptum & Syriam Selymus ſibi adiecit. 4
Agis Hariadenus Rex ab Hiſpanis Caſtronouenſib. tormento diſcerptus. 378
Agmina in itinere faciundo cui ducianda. 83
Aiax & Barbaruſſa Corcyram ſpeculantur, ac Solymano inexpugnabilem renuntiant. 333
Alba oppugnatur. 549
Albæ regalis deſcriptio. 546
Albam Galli Duces ſub inducijs infeliciter tentant. 404
Albam in deditionem capit Vaſtius. 408
Albam oppugnant Cæſariani Vaſtio duce. 407. 408
Albam Pompeiam Strozza capit. 595
Albam regalem Velſius ad Ferdinandi fidem redigit. 435
Albani à Solymano caſtigantur. 553
Albani milites ab Hungaris oppugnantur. 553
Albani milites excedunt. 552
Albani militibus recipientibus ſe pontem ſubtrahunt. 550
Albani quibus conditionibus ſe dedunt. 551. 552
Albani cuniculis Turcis obeuntes, ſe ipſos exurunt. 549
Albanus regulus Perpennianum intrat. 502
Albertus Petra dux Heluetiorum cadit. 7
Albertus Slithius ſe recipit. 552
Alexander Bondelmerius. 365
Alexander Contarenus ſua temeritate magnam Italiæ utilitatem attulit. 330
Alexander Farneſius Põtifex ſalutatur. 235
Alexander Florentiæ princeps Laurentio Medici dicit quæ ex Puccio audiuiſſet de inſidijs ſibi ab ipſo paratis. 188
Alexander Florentiæ Princeps adulterijs deditus. 387
Alexander Medices deſcribitur. 387
Alexander Medices arcem Florẽtiæ perficere maturabat. 275
Alexander Medices Cæſare Coſmianis ædibus excipit. 111
Alexandro Medices Cibous Maßilienſis epiſcopus necem parat. 302
Alexander Medices Valerium Vrſinum cum ala equitum Cæſari addit. 314
Alexander Medices Florentiæ dux occiditur. 390
Alexander Medices quare Paulum Pontificem ingratum appellaret. 199
Alexander Medices Dux Florentiæ. 85
Alexander Vitellius cum tribus Italorum milibus Germanis Viennam mittitur. 512
Alexander Vitellius de occupata arce Florentiæ, certiorem Cæſarem reddit. 398
Alexander Vitellius milites diſponit ad præſidium ſenatus Florent. 393
Alexander Vitellius quo ordine arcem Florentinam occupat. 398
Alexander Vitellius. 70
Alexander Vitellius Neapoleonem Vrſinum fundit, erutiq; uexillis ad Arnetium redit. 138
Alexandro mors prædicta & percuſſor indicatus, & à quibus. 390
Alexandriam capit Lotrechius. 24
Alexem Moldaui ab exilio uocant ac regem conſtituunt. 472
Alexem principem Moldaui trucidant, ac eius caput Petro offerunt. 472
Alfonſus Daualus, & Hanebaldus Legati ad Venetos. 416
Alfonſus Daualus Vaſtius quando mortuus. 617
Alfonſus Petruccius Cardinalis fœda morte mulctatus. 8
Alfonſus Strozza. 31
Algerium olim Iubæ regia à Romanis Cæſarea Iulia uocata. 482
Algerij expeditionem Cæſar ſuſcepit Hiſpanorum precibus inductus. 450
Algerij ſitus. 452
Algerij uires. 482
Algranium olim Iuliobriga. 5
Almeda cadit. 61
Aloyſius Guicciardinus Vexillifer. 15
Aloyſius Grittus. 225
Aloyſius Alamannus. 132
Aloyſius Gonzaga dictus Rodomontes. 30
Aloyſium Præſendam Genuæ natum interfici iubet Barbaruſſa. 270
Alpes tranſcendunt ſupra triginta milia ſarcinariorum iumentorum. 356
Altaburgum Solymannus expugnat cæſis Bohemis omnibus. 117
Aluarus Gometius ſibi manus infert. 290
Aluarus Sandeus Hiſpanos quos aſtutè

ca

capit, interficit. 569
Amalphi incolæ Magnetis uſum ibi repertum aſſerunt. 47
Ambracius ſinus 208
Ambraicij ſinus ſiue maris Rubri deſcriptio. 382
Ambroſius Florentinus perſuadet Lotrechio Romam exercitum duci oportere. 36
Americus à Dacia capite truncatur 239
Amicus Arſula interficitur. 163
Amida Moſopotamiæ ubrs ab incolis Caramida. 225
Amidas quibus inſtinctoribus à Muleaſſe patre defecerit. 571
Amidas unius horæ ſpatio Tuneto regno potitur. 572
Amidas Tuneto excluſus undiq; noua auxilia ſibi parat. 576
Amidas Muleaßs filius Tuneti regnum occupat. 572
Amidas à Tunetanis euocatur. 576
Amidas Chriſtianos Rabatinos quadraginta interficit. 576
Amidas feritatis ac libidinis immenſæ. 577
Amidas Maniphetem interficit. 576
Amidas patrem obcæcat. 574
Amidas patris liberos interficit ac concubinas ſtuprat. 573
Amidas Perellum Tuneti Viuum exurit. 576
Amphimaleus ſinus, hodie Suda dicitur. 365
Amurathes è Sieo oppido ciuis ad Mahometis ſacra deficiens bellis inclaruit. 336
Anconam Pnotificiæ ditionis fecit Clemens. 219
Andeſanum Cæſariani recipiunt. 595
Andreas Quirinus patritius Venetus teterrimo ſupplicio afficitur à Turcis. 272
Andreæ Apoſtoli ſepulchro Amalphi liquamen emanat. 47
Andreolus Nicolinus Malateſtam dicit capite truncandum, à Malateſta vulneratur. 168
Angelus Ranuccius. 108
Angelocaſtrum Corcyræorum caſtellũ fruſtra Turcæ oppugnant. 384
Anghianus Gallicæ claßis præfectus. 563
Anghianus ad Barbaruſſam mittit, eum edocens claſſem Aurianam deleri poſſe. 566
Anghianus captiuos Cæſarianos dimittit ac quoſdam alijs captiuis permutat. 557
Anghianus caſtra ad Stalloniam mouet. 580
Anghianus quare uictoria uti noquiuerit. 588
Anghianus claſſem ad Niceam exponit. 564
Anghiani acies deſcribitur. 583
Anguillotus Piſanus infœliciter pugnãs ſuis cæſis capitur ac pòſt occiditur. 140
Annam Boleniam Henricus Angliæ Rex deperit. 216
Anna Bolenia Henrici Britanniæ Regis uxor capitali ſupplicio affecta. 325. 326
Anneus Memorãtius totius Galliæ equitum magiſter. 320
Anneus Memorantius ab officio amouetur. 493
Aunei Memorantij fides ſuſpecta. 292
Annibal Nouellarius cadit. 403
Annus 1527. omnium Italiæ peſtilentiſſimus. 64
Antipolis à Cæſare capta ac direpta. 318
Antiſtites Hungari non ſatis firma fide. 187
Antius Macer Saxo Germanis equitibus præfectus. 339
Antius Macer fortiter pugnando cadit. 551
Antius ſupplicio affectus. 546
Antonius Surianus Legatus Venetus ad Florentinos. 14
Antonius Auria Genuam ad patriæ opẽ ferendam mittitur. 518
Antonius Barbadicus & Hermolaus Barbarus Venetæ claßis præfecti Alexandriæ cuſtodiæ traduntur. 328
Antonius Canicula ſcomma in Leuam in corona dicit. 81
M. Antonius Columna tormento maiore mortuus. 7
Antonius Fonſeca. 8
Antonius & Hieronymus Adurnij ab exilio Genuæ principes conſtituti. 8
Antonius Franciſcus Albicius arcem in deditione Piſana capit. 23
Antonius Franciſcus Norius Medicearũ partium fautor. 19
Antonius Leua Ticinum cum Germanis defendit. 10
Antonius Leua reprimit Gallos. 300
Antonius Leua in ſecreto ſuaſerat Cæſari ut Galliam inuaderet. 312
Antonius Muſetella Neapolinus Cæſaris Legatus Clementi Cæſarem reconciliare maturat. 84
Antonius Nerlius factioſus ſacerdos ad ſonandas campanas confugit. 16
Antonius Perenotus Atrebatum antiſtes. 525
Antonius Perenotus ad Henricum Britanniæ regem mittitur. 609
Antonius Polinus legatus Franciſci ad Solymanum cum donis proficiſcitur. 504
Antonius Polinus ad Solymanum admittitur. 509
Antonius Polinus apud Solymanum de mittenda claſſe ſollicitat. 582
Antonius Polinus ex Barbaruſſæ claſſe ad Rodulphum legatum ſcribit. 559
Antonius Polinus Genueſib. ſcribit, Barbaruſſæ claſſem nemini nocituram præterquam Nicenſibus. 563
Antonius Polinus Venetijs & Byzantij nil proficit. 507
Antonius Rincus legatus Bizantio fugit. 423
Antonio Polino Barbaruſſa cathenas minitatur. 565
Antonio Polino Byzantij ex decreto Solymani reſpondetur. 507. 508
Antonio Polino Venetijs Senatus datur, ac regis cauſas dicit. 506
Antonium Polinum, & Leonem Strozzam Turcæ ad Niceam interficere conantur. 565
Antonium Polinum Franciſcus Rex Bizantium mittit. 505
Antonium Caraſullam morionem in carcerem Stincum Florentini conijciũt. 139
Antropophagi qui Canibales appellantur. 305
Antuerpia Ambuaritorum Colonia. 498
Antuerpiæ Lucius Vrſulus & Nicolaus Schermerius Conſules egregiè fortes. 499
Antuerpiani Conſules Roſſemij Araldo reſpondent. 500
Antuerpianos quibus conditionibus Roſſemius in deditionem petit. 506
Anxianum oppidum Germani & Hiſpani Vega duce expugnant. 595
Appianus Iudæi Sinæ filium reſtituit. 598
Appianus ad literas Barbaruſſæ reſpondet. 597
Appullus Culeella tormentorum magiſter cadit. 256
Aquæ Calidæ ad Budam. 414
Aquæ infectæ ſuſpicio quæ magnos contagioſosq; morbos Gallorum exercitui intulit. 252
Arabicus ſinus à Luſitanis interclūſus. 327
Ar[illegible] legatus à Granuellio aſperè caſtigatur. 365
Ar[illegible] portas aperiunt. 314
Argous portus. 5[illegible]
Arrianũ oppidũ Cæſariani deripiũt. 40

Aromata, cæteraq́; Indica mercimonia in Hiſpaniam, inde ad Belgas diſtrahuntur, quæ ante Venetias aduehi ſolebant. 326. 327
Arpinas Cīturio cognomine Tullius Cicero in ciſternam iniicitur. 292
Arx naualis Veneta. 355
Aſanagas ad Cæſaris mandata reſpõdet. 481
Aſanagas eruptionem facit. 485
Aſanes Hariadeni filius cum Agimo Algerio præficiuntur. 349
Aſcanius Columna & Veſtius nauali prælio commiſſo capiuntur. 45
Aſinaria olim Diabata Herculis inſula dicta. 68
Aſperotus capitur. 5
Aſpernectum Cæſar capit. 612
Aſta urbe in Italia Gallis nullum antiquius patrimonium 300
Aternus amnis. 25
Athenæum promontorium hodie Campanella dicitur. 43
Auguſta in Sicilia Megara fuit. 368
Auguſtæ portus populatur à Lando. 67
Auguſtus menſis Solymano & Selymo patri feliciſſimus. 452
Aucrardus Serriſtorius Coſmi legatus quid à Cæſare impetrauerit. 402
Aulonæ citius conſtitit Solymanus cum 200. milibus armatorum, quàm noſtri Bizantio diſceßiſſe crederent. 220
Arius & Miranda capiuntur 52
Aurantius & Gonzaga Gallos fundunt impedimentaq́; exuunt. 57
Aurantius proſcriptis rebellium bonis ingens edit in milites donatiuum. 75
Aurantius ſpeculatur urbis Florentiæ ſitum. 115
Aurantius quo ordine Ferrucio obuiam proficiſcitur. 160
Aurãtius certior factus de Ferruccij aduentu quid dixerit. ibid.
Aurantius fugit. 499
Aurantius in limine uictoriæ cecidit. 163
Aurantius vulneratur ac moritur. 162
Aurantiani Ferruccianos aggrediuntur. 163
Aurantiorum caſtrorum ſitus. 112
Aureliana & Septimiana porta uetuſtate collapſa Romæ. 14
Auria claſſem adaptat. 276
Auria ad Cæſarem in Hiſpaniã traijcit. 278
Auria Hippomanum expugnat ac Cæſar arcem euerti iubet. 298
Auria claſſem in Tolonæ portum induxerat, ac urbem capit. 315
Auria à Capellio, quòd hoſtes inſequi nollet, increpatur. 377
Auria ad Preueſam nullus imperator exiſtit. 375
Auria duodecim Turcarum triremes cruentiſſimo prælio delet. 381
Auria, quare Preueſa non eſſet ſecundũ Gonzagæ conſilium oppugnanda, docet. 371. 372
Auria ſe Meſſanam abductis aliquot hoſtium triremibus recipit. 338
Auria Turcarum aliquot ſciriatas capit ac incendit. 331
Auria Genuam obſidere iuſſus. 64
Auria ubi & quo die ſtudiũ à Gallis mutauit. 64
Auria Venetã claſſem inſequitur aliosq́; capit. 65
Auria inducitur à Vaſtio ut Cæſaris auſpicia ſequatur. 70
Auria ad Delphini portum Genuenſes ſuperat. 64
Auria torquem conchyliatum Regi remittit. 70
Auria perſequendo Gallos Genuam ſtudet libertati donari ſuis auſpicijs. 70. 71
Auria exploratum mittit ſcaphas ad Molem. 71
Auria donat Sarnenſem & Saluiatum ſingulis ingentia tormenta. 216
Auria Lecheium Sycionis olim, hodie Baſilicam & Creuſæ, litora uaſtat. 216
Auria Chriſtophorum Pallauicinum una triremi per mediam hoſtium claſſem Coronem mittit. 220
Auria dum claſſem Turcarum ampliorem intelligit cõſiſtit ac Chriſtophorum Auriam exploratum mittit. 221
Auria quo ordine Coronem oppugnare conſtituit. 212
Auria Patras expugnat ac arcem in deditionem capit. 213
Auria milites qui auderent deditos Turcas attingere, aut fœminis ornamenta detrahere extemplo ſuſpendi, aut iugulari iubet. 213
Auria Cercellum oppidum portumq́; capit. 99
Auria quadringentos milites ad Cercellum deſiderat. 100
Auria duas Gallorum triremes capit, & item duas. 72
Auria renuit oblatum Genuenſe dominium. 73
Auria & Capellius edunt ſpectaculum claßici prælij. 209
Auria torquem conchyliatum Regi remittit. 70
Auria ueterem exercitum Corone auebit, ac Macicacum cum ſuis imponit. 213
Auriæ iniungit Cæſar ut claſſe in Græciam traijciat. 85
Auriæ renunciatur urbem in poteſtate eſſe. 72
Auriæ ſtatua Coloſſeæ magnitudinis ex marmore dicatur. 73
Auriæ inſidiæ à S. Pauli Regulo inſtructæ ac eius domus direpta. 79
Aurianæ claßis ordo ad Acritem promontorium. 221
Aurianæ tres triremes à Sina cognomine Iudæo circumueniuntur. 223.
Auriani Molycretum expugnant. 215
Auriani milites ſeditioſi ad Rhium caſtellum in Achaia. 214
Auriani ad Molycreum Aetoliæ. 214
Aurianos Turcæ ex tota Peloponneſo inuadunt. 215
Auſtrianæ copiæ fugam parant 450
Auſtriani milites Peſtum deſerunt. 451
Authores in hiſtorijs ſcribendis pictores haudquaquam imitari queunt. 554
Axius amnis, nunc Vardaris appellatus. 550
Azalius cunctis riſui. 405
Azalius in turpi latebra capitur. 405
Azalius ſatis cõmode Cherij munitiones extruxerat, ſi induſtria animus reſpondiſſet. 405

B

BAbbianus tirones Hiſpanos ad Leuam ductitat. 81
Babyloniæ urbis deſcriptio. 222
Babylonij Solymanum recipiunt ac ibi hyemare conſtituit. 222
Babylon urbis Romæ magnitudinẽ exuperat. 222
Badoerius inuidia deflagrat donec Cabatij perfidia detegitur. 421
Badoerius Venetus legatus cum pudore redargutus, quod Solymanus certior eſſet factus de Senatus uoluntate 421
Badoerius Venetus legatus pacem cum Solymano accelerat. 425
Baiardus cadit. 2
Baiana arx olim Hortenſij oratoris uilla. 67
Baianæ arcis ſitus. 68
Baleonus Florentinis ſuadebat longe ab urbe bellum gerendum. 118
Baleonus fortiſſimè ad Ceriſolã pugnat. 586
Baleonus turmas replet. 591
Balibeius Albæ præficitur 553
Balthaſar Carduccius ſignifer populi Florentini. 30
*Balthaſar Pãphilus Hungarorum proceri [illegible]

cerum dux dicit. 345
Balthaſar Pamphilius iniuſſu Velsij Budam ingreditur, quare caſtris excedere iubetur. 435
Baptiſta Archintus legatus Mediolanẽ. ad Cæſarem. 362
Baptiſta Ciboius Maßilienſis epiſcopus Alexãdro Medici necem parat. 302
Barbaruſſa Aenariam deuaſtat. 601
Barbaruſſa claſſem in Auriæ conſpectũ educit. 378
Barbaruſſa claſſem reficit, ac Mabonã extruit. 377
Barbaruſſæ claßis ad Preueſam deſcriptio 377
Barbaruſſa Cretam inſulam inuadit 365
Barbaruſsa cum præda Bizantium traijcit. 602
Barbaruſſa Didaci filiam captam in uxorem ducit. 534
Barbaruſſa duabus de cauſis mature ab Italia diſcedere ſtatuebat. 601
Barbaruſſa Gallos increpat quòd naues uino magis, quàm tormentario puluere implere maluiſſent. 565
Barbaruſſa Hoſtiam peruenit cum ſummo Romani populi terrore. 539
Barbaruſſa inſtinctu Gallorũ aliquẽ tutũ portũ ſibi in Italia quærebat. 599
Barbaruſſa Maßiliam peruenit 540
Barbaruſſa Polino duas conditiones de oppugnãda Niceæ arce proponit. 565
Barbaruſſa Prouocabũdus ad Paxũ. 565
Barbaruſſa quid de Auria ad Preueſam ſe recipiente diceret. 375
Barbaruſſa inſtinctu Gallorum aliquem tutum portũ ſibi in Italia quærebat. 599
Barbaruſſa quare Hariadenus uocari uoluit. 98
Barbaruſſa Leſbo patria ortus. 98
Barbaruſſa cum præda Bizantium traijcit. 602
Barbaruſſa Rhegiũ capit ac incẽdit. 533
Barbaruſſa Telamoniũ expugnat. 599
Barbaruſſa uigintiquinque triremes ex Tolone portu in Hiſpaniam prædatum mittit. 569
Barbaruſſa uiſa claſſe ad Preueſam extimuit. 372
Barbaruſſam dimittandũ cenſuit Gallus 596
Barbeßium Auria inſidias intendit. 70
Barbeßius Louis Gallicæ claßis præfectus Lando ſe coniungit. 52
Barbatius Græcorum fortißimus hortatur Maccicaum & Hiſpanos ad ſuſcipiendam expeditionem. 230
Barchinone oram ſoluit Cæſar. 278
Bargiam Galli expugnant. 403
Baronam uillam Valorius inuiſit. 410
Baiardus Gallorum dux. 4
Baiardus irritè Cremonam oppugnat. 9
Baro Siſnechus Germanorum dux. 500
Barolum munitur à Cerete. 77
Baſilius Mathematicus Coſmo ex horoſcopo opimam hæreditatem prædixerat. 292
Battianus & Docia Hungari Grittũ ad maiora aſpirare inſtigant. 277. 278
Baucius Caualcantes. 133
Bebio & Cechinus Bibbona Laurentiũ Medicem interficiunt. 296
Bechia urbs unius diei itinere à Tuneto diſtans. 253
Belgæ ad arma conſternati expilationes à Carolo Ceurio nolentes ferre. 5
Belgæ ad triremes mißi, quibus uita conceſſa in eum uſum erat. 278
Belgæ cum Gallis tumultuarie præliantur ad Teroannam. 324
Belgarum ars auleorum ſericorum texendorum. 225
Belgradum antiquitus Taurunum. 338
Belgradum expugnatum. 6
Bellum nouum in Apulia Veneti mouent. 76
Belli origo & cauſa inter Othomanicos & Sophios. 260
Belli noui inter Cæſarem & Gallum uarij rumores & coniecturæ. 274
Belmares equitum alam in Matalonio oppido expugnata Gallorum ſtatione delet. 55
Beltrandus Rußius Parmenſis nobilis cadit. 37
Beluederia uilla. 42
Bernardus Baldinus gemmarum æſtimator. 147
Bethlis oppidum in finibus Perſici imperij. 225
Blandratus qui Caſalem Gallis tradiderat ictus cadit. 510
Ad Bicoccam Lotrechius prælio commiſſo cum Gallis funditur. 7
Bichius falcone ictus cadit. 141
Biordus Agneſius Neapolitanus ad Gallos à Cæſarianis fugit edocens claßis ſtatum. 48
Biſamnem fluuium Genuæ olim Feritorem appellabant. 818
Biſertæ ſitus. 255
Biſertani audito nomine Roſcettis Turcas oppido recipiunt. 255
Boclo nulla libertate promiſſa adduci poterat ut Ioanni Regi iuramentum dictum uiolaret. 122
Boclo in carcere moritur. ibid.
Bodrogum amnem Cazzianer traijcit ac pontem ſuccindit. 346
Boemus Rex in pronuntiando Cæſare qua præeminentia polleat. 200
Bohemi impauidè repugnantes cadunt. 458
Bohemi maximã tulerũt calamitatẽ. 352
Bohemorum militum deſcriptio. 200
Boetius Hiſpanus Ramada, id eſt abiuratus à Chriſtianiſmo tormentum ſubuehit. 259
Bonnæ Cæſar copias recenſet, ac militũ numerus quis. 554
Bononiam Cæſar quibus apparatib. uenerit. 200
Boloniam quanam obſidione recuperandam putauit Rex Franciſcus. 615. 616
Bonus ciuis exiſtimatus nullus, niſi qui Mediceo nomini ex profeſſo aduerſus 30
Borbonius glande ictus moritur. 15
Bornemiſſa Budam traditurus fallitur opinione. 443. 444
Boſcum oppidum capit Lotrechius. 24
Boſphorana Selymi uxor unicum habuit filium Solymanum. 4
Braxouium 466
Brancadoræ factio. 35
Breda. 498
Briſcotum. 498
Brixellum Cæſariani capiunt. 596
Brugnolam Cæſariani capiunt ac diripiunt Gallis cæſis aut captis. 316
Brundusini Lando portas aperiunt. 47
Brutiorum duæ Centuriæ à Marmaldo deficiunt ad Ferruccium. 152
Buccanigra Hiſpanus, & Ioſias Firmanus cadunt. 376
Buccerus. 439
Buccerus, Philippus Melancthon, atq; Piſtorius Proteſtantium Theologi. 439
Buda diſcedere Regina cum proceribus iubetur. 458
Buda per fraudem à Solymano occupatur. 455
Buda ſemicapta inimici fortiter expelluntur. 444
Budæ ſitus, ac immutatio deſcribitur. 440. 441
Budam Solymanus capit. 18
Budam uacuam capit Solymanus. 126
Budenſes fame premuntur. 443
Budenſibus Turcæ arma deponere imperant. 455
Burgũ ſancti Sepulchri occupare irritò parant Stozzei. 401
Burria capitur ac Mediolanũ mittitur. 387
Burria Caſali recipitur ac arcem obſidere parat. 385. 386
Burretum à Barbaruſſa direptum, ac ciues in ſeruitutem ducti oppidum denique deletum. 315
Buziam, olim Vzicatham Cæſar appellit. 496
Byzantium potuiſſe capi ac Græcos ad

rebellionem adigi potuiſſe. 220

C

CAbellonē Franciſcus Rex contendit ac caſtrametatur. 320
Cacciadiabolo Portundum cædit ac claſſem capit. 98
Cæſar Algerio caſtra mouet. 488
Cæſar Algerium peruenit. 480
Cæſar ſua perſona Andream Pōtium circumuentum à Numidis ſeruat. 290
Cæſar ad Aſanagam Algerium mittit urbem in deditionem expetens. 380
Cæſar armatus ad tumultum accurit increpans, qui ſtationis locum deſeruiſſent. 283
Cæſar Baliſtariorū alā deſiderabat. 290
Cæſar in Baicariam ſe recepit declinans primū Germanorum impetum. 618
Cæſar in Barchini Magonis portū claſſem inducit. 499
Cæſar Bononiæ à Pontifice excipitur. 100
Cæſar Bononiam uenit. 100. 101
Cæſar in Britannia. 1
Cæſar Carolus V. per Oceanum Hiſpaniam deuectus. 4
Cæſar caſtrametatur inter duas turres Aquariam & Salinariam. 281
Cæſar caſtra metatur ad Aquas Sexias ſupra Maßiliam. 317
Cæſar cauet ne qui ueterani è ſuis ſtationibus ad noui belli ſpem nomina dēt. 276
Cæſar cognito Solymani receſſu in Italiam redire conſtituit. 202
Cæſar conſtanti animo in Africam traijcere uelle explicat. 475
Cæſar conſtitutis rebus in Inſubribus fœliciter in Hiſpaniam nauigat. 384
Cæſar coronatur. 106. 107. 108
Cæſar cum paucis ſimulata perſona Romam uiſit. 309
Cæſar diſponit quo ordine in Italiā proficiſci uoluit. 206
Cæſar duobus exercitibus in Galliā prorumpendum ſtatuit. 305
Cæſar edicto cauet ne quis ſcortum aut puerum claßi imponat. 278
Cæſar edocetur à Muleaſſe quibus Barbaruſſa uiribus conſtet. 288
Cæſar expedito ingenio anteuertendū Gallos (ſi uellent.) arma parat. 295
Cæſar Federicum Gonzagam Montisferrati imperium adiudicat. 383. 384
Cæſar Fœdus percutit cum Venetis ac Pontifice contra Barbaros. 355
Cæſar Ferdinando concedit omnes Italicas cohortes. 202
Cæſar Feremuſca Cāpanus Romam uenit Cæſaris literas afferens. 314
Cæſar ad Forum Iulij copias inſpicit. 314
Cæſar cur cum Franciſco Galliæ rege pacem poſt expugnatum Sandeſirium confecerit. 610
Cæſar cum Franciſco Galliæ rege ad Foſſas Marianas colloquitur. 361
Cæſar Franciſcum Galliæ Regem ad ſingulare certamen prouocat. 210
Cæſar ad Franciſcum Regem cum mandatis Peluſium mittit. 428
Cæſar Franciſcum Gallorum Regem multis de cauſis uidere non ſuſtinuit. 10
Cæſar perhumaniter Frāciſcum Regem captiuum reficit. 10
Cæſar Fregoſius Genuam obſidet. 65
Cæſar dum in Gallia eſſet nihil de pace egit. 421
Cæſar Gallum ſibi ſuisq; uictorijs inuidere dicit. 478
Cæſar Genuæ ab Auria hoſpitio excipitur, 219
Cæſar Genuā applicat, Hiſpaniq; proprijs Genuenſium penatibus ſuſcepti. 91
Cæſar Gōzagam de Hiſpanis ſeditioſis quòd ſupplicium ſumpſiſſet laudat, ac muneratur. 369
Cæſar Guletanis ſummam uim intendēdem decernit. 285
Cæſar potitus Guletta & Hariadeni claſſem occupat. 286
Cæſar Heluetios quando belli ſpectatores eſſe cupit. 304
Cæſar Henricum Angliæ regem ſibi coniungit, quo facto Pontifex ſuggillari uidebatur. 528
Cæſar Hiſpanos, Italos, Germanos ueteranos ad ſe euocat. 185
Cæſar ex Hiſpania in Herculis Moneci portum aduehitur. 359
Cæſar ex Hiſpania per mediam Galliā in Belgium profectus. 416
Cæſar in Hiſpaniam Auriana claſſe uehitur. 219
Cæſar hortatur Alexand. Med. ut prolibus ſtudeat ad ſeipſum in primis ab inſidijs caueat. 311
Cæſar hortabūdus ſingulos ordines percurrit. 292
Cæſar ſui Imperatorij iuris memor Pontifici iurat. 98
Cæſar increpat eos qui ſuadebant maturè Africa diſcedendum. 291. 292
Cæſar quo ordine caſtra ad Tunetum mouet. ibid.
Cæſar initio Lantgrauij impetum ferre uix potuit. 618
Cæſar Iouio iniungit ut Clementi cauſam apprehenſionis Hippolyti tranſcribat. 206. 207
Cæſar ipſe in acie conſtitutus Numidas fortißimè pugnacißimeq; inuadit. 290
Cæſar ipſe promotis aliquot cohortibus Numidas inuadit. 290
Cæſar ipſe exploratim it. 281
Cæſar in Italiam ſpretis dicacium dictis contendit. 474
Cæſar in Italiam uenit. 207
Cæſar inuictus & intrepidus ſuos ad reſiſtēdum ſtricto gladio cōpellit. 486
Cæſar Lazarum Coroneum ſtricto gladio inſequitur. 290
Cæſar ad legatos Germaniæ de Solymano reſiſtendo. 184
Cæſar latis omnibus in Europam nauigandum dicit. 489
Cæſar mauult regnū dare quàm accipere. 104
Cæſar Medelinum & Giafferem effringēdi ergaſtuli authores pecunia & ueſte donat. 297
Cæſar Mediolanum uenit. 219
Cæſar morientem Aurantium complectitur. 607
Cæſar Muleaßi reſpondet ac tentorium tēdi, & cætera neceſſaria tradi iubet. 288 289
Cæſar Muleaſſem in Sicilia alendum decernit. 577
Cæſar Muleaſſem admittit. 287
Cæſar Muleaſſem quibus conditionibus Tuneti regno reſtituit. 299
Cæſar multis donationibus Italiæ Principes ſibi aſtringit. 228
Cæſar nullis modis induci potuit ut conſtantiam de pace mutaret. 97
Cæſar nihil ſibi colloquio Pontificis eſſe opus dicebat. 514
Cæſar nullo modo ad pacem induci poteſt. 516
Cæſar oram Barchinonæ ſoluit. 278
Cæſar pecunias cogit. 305
Cæſar peralacriter Iouium hortatur calamos ad futura perſcribenda parare. 532
Cæſar Philippum filium Hiſppaniæ regem conſtituit. 529
Cæſar & Pontifex ad Buxetum triduo colloquuntur. 530
Cæſar & Pontifex Lucæ recipiuntur. 477
Cæſar præferēs gregarios milites nobilißi. equis, omnes equos interfici iubet. 489
Cæſar pugnæ auidus caſtra ad Catalaunum mouet. 612
Cæſar quare Bononiæ coronari decreuerat. 105
Cæſar queritur ſuæ liberalitatis decus ab Aurantio occupatum. 76
Cæſar quid de Caiana uilla Mediceorū. 311

Cæſar

Cæſar quid de Caiana uilla Mediceo. 511
Cæſar quid ad Pontificem genu flexo dixerit. 107
Cæſar Romam uenit. 309
Cæſar Romæ cõcionatur omniũ principum legatis propè præſentibus. 310
Cæſar Ratiſponæ conuentum diſſoluit, ac quid ibi egerit. 478
Cæſar in Senatu coram Pontifice ad Grimani orationem reſpondet. 310
Cæſar ſeptem proceres equeſtri ordini aſcripſit. 112
Cæſar ſeruos liberos dicit, pecuniam nauigia & commeatum donat. 296
Cæſar in Siciliam ac inde in Italiam traijcit. 299
Cæſar ſignum ad oppugnandam Guletam militib. exhortabundus dat. 286
Cæſar ſororem matrimonio Regi Gallorum coniungit. 10
Cæſar ſtudebat Paulum Pontificem in ſuas partes traducere. 326
Cæſar ſumma benignitate clementiaq; Franciſcum Sfortiam reſtituit paternæ hæreditati. 103
Cæſar Ticinum uenit ut locũ oculis intueatur ſua uictoria Gallorumq; caſu nobilem. 219
Cæſar totus deſcribitur. 101. 102
Cæſar tres nationes per tria caſtra diſtinguit. 482
Cæſar triginta milia nummûm ex arcis ciſterna Vaſtio donat. 296
Cæſar apud Vangiones comitia indicit. 423
Cæſar Venetos ſibi aſciſcit. 303. 304
Cæſar Viennam claſſe deuectus ſingula caſtra inſpicit. 199. 200
Cæſ. aciei ad Viennã deſcriptio. 201. 202
Cæſaris apparatus & naualium & terreſtrium copiæ inimicos in pace continuit. 276
Cæſaris Caſtra ad Algerium. 482
Cæſaris conſtantia omnes ad Algerium egregiè ſuſtentabat. 487. 488
Cæſaris copiæ quantæ, quiq; duces. 603. 604
Cæſaris dicta, dum ſigna canere iubet ad Tunetum. 291
Cæſaris diploma recipiunt Florẽtini ac illud obſeruaturos ſe iurant. 178
Cæſaris diplomata ad Florentinos deferũtur, quib. Alexandrũ Medicẽ ducem Florentiæ conſtituit. 177. 178
Cæſaris exercitus ad Maßiliæ fame morboq; laborat. 317
Cæſ. exercitus numerus ad Viennã. 201
Cæſaris exercitus numerus. 314
Cæſaris fortunã ſequi ſtatuit Clemẽs. 35
Cæſaris natura. 207
Cæſaris prætoria graui cum periculo uado hæſit. 872
Cæſaris reſpõſa ad legatos Florentinos. 93. 94
Cæſaris uis ingenij. 27
Cæſari bellum machinatur Gallus. 326
Cæſari Cæſoni criſta datur. 197
Cæſari ad Landreſium ampliſsima uictoria è manibus elapſa. 579
Cæſaris regionum inuentarum deſcriptio. 306. 307. 308. 309
Cæſari in Sardinia Africam petenti biceps uitulus dono oblatus. 479
Cæſarum Carolus V. potentiſsimus. 8
Cæſarianus exercitus regionatim Neapoli per idonea loca diſtribuitur. 41
Cæſariani ad aquas ciſternas currentes uel ab ipſo Cæſare uix reprimi poterant. 292
Cæſariani arcẽ Romanam capiunt. 11
Cæſariani Caſali acerrimè Gallis depugnantib. profligant, ac Burriam capiunt. 587
Cæſariani claſſem conſcendunt. 479
Cæſariani equites ad Ceriſolã in Germanorum phalangẽ incurrunt. 585
Cæſariani Florentinos cadunt. 140
Cæſariani Gallos inſequuntur ad Landreſium. 561
Cæſariani Gallos ad Ticinum capto Frãciſco eorum Rege profligant. 10
Cæſariani Gallos ad Vitriacum profligant. 609
Cæſariani Ianizeros & Numidas in Guletam compellunt. 284
Cæſariani Leua duce Borbonium capiũt exercitumq; fundunt. 82. 83
Cæſariani in littus deſcendunt. 477
Cæſariani à Neapoli diſcedentes uexillis tormentis impedimẽtiſq; exeũt. 58
Cæſariani Numidas oppugnant. 483
Cæſariani Numidas in urbem compellunt. 484
Cæſariani poſteriora agmina Gallorũ inuadunt. 404
Cæſariani poſt aduerſam naualem pugnam nihil ſe animis remittunt. 47
Cæſariani quas urbes tuendas, aut Galli uiciſsim putabant. 493
Cæſariani ſeditioſi deſignant hebdomadatim prælectos, quos Electos appellabant. 364
Cæſariani Strozzã inſequuntur. 593
Cæſariani Strozzæanos fundunt ac profligant. 594
Cæſariani ad Troiam perueniunt. 57
Cæſariani tumultuoſiſsima pugna cõmiſſa ferè Gallorũ ſtipendia auferũt. 52
Cæſariani uarijs rebus moti ad Guletæ expugnationem. 285
Cæſarianorum ad Ceriſolam cæſorum nomina. 585
Cadentium fortiter pugnando nomina, cum à ſocijs, qui fuga ſibi ſalutẽ quærebant, eſſent deſtituti. 551
Caierbeus. 4
Calaber Crotoneatus ad Solymanum transfugit, ac ipſum edocet unde Strigonium facilè capi poßit. 543
Calcemitus Heluetiorum dux cũ uiginti milibus Heluе. Gallis ſuccurrit. 329
Cameracum olim Samarobrina 615
Cameraci Cæſar arcem ponit. 561
Camerana inſula Ambracij ſinus. 362
Camillus Columna, & Cæſar Maſius Neapol. oppugnantur à Gallis. 557
Campanella olim Athenæum promontorium dictum. 43
Campegius ſignifer captus. 39
Cãpsõ Mẽphiticus Sultã ingẽti claſſe Luſitanos India arcere ſtuduerat. 326
Cãdalius regius iuuenis ictus capitur. 52
Caneã urbem, quæ olim Cydonia fuit, Barbaruſſa oppugnat. 365
Caninius cũ Fregoſio ſimultatẽ init. 483
Caniſianus ineptus & futilis Senator. 394
Capellius ad Auriæ prætoriã ſcapha uectus, offert ſe promptiſsimum ad prælium ineundum. 378
Capellius ſuadet Venetis ne alicuius extranei hominis imperio ſe ſubijci patiantur. 377
Capelli & Auriæ ad Zacynthum mutuæ claßicæ ſalutationes. 209
Caponius abſolutus ſummo omniũ comitatu ad ſuas ædes deductus. 89. 90
Caponius cum tribus alijs ad Cæſarem Legati mittuntur. 93
Caponius ſuam cauſam dicit. 86. 87
Caponius moritur. 94
Caponio dictatura auſertur, ac Franciſco Carduccio delatur. 86
Caponio à plebeio dictũ tam falsè quàm inſolenter. 31
Caponius Venetus dux uocatus à Florẽtinis. 32
Captiuãtius Strozza captus redimitur. 164
Captiuorũ mortuorumq; nomina in nauali prælio hominũ memoria cruentiſſimo ad Vrſi caput commiſſum. 46
Capuani Gallis introitum negant. 57
Caput Liberũ Barbaruſſa capit. 598
Capita ſeptem Procerum Solymano oblata renidenti ore illudit. 118
Caradinus Turca Muleaßi firmum præſidium. 28
Caradinus Turca tormenta mittit. 254
Carapula olim promõtoriũ hodie Baſtaliũ Pœni Gyra Flumar appellãt. 99
Carducius dictatura ſe abdicat, ſufficitur Raphael Hieronymus. 89
Carduccius litteras publicas mandati tranſmiſſurus mentitur. [illegible]
Carduccius monaſteriorũ xenodochio-

rumq; bona uendenda cenſet. 91
Carduccius mutata perſona mutatur & ſtudio. 90
Carduccius nil remittit quod ad munitionem urbis belliq; apparatum pertinere uidetur. 95
Carduccius nunquam tranquillum Reipub. ſtatum niſi manibus pedibusq; Medicorum ſanguine ablutis futurum aſſerit. 31
Carduccius Scimitarra uocatus 32
Carduccius ſolerti ingenio. 86
Carduccij ſtudium in eis quæ muniendæ urbi neceſſaria uiderentur. 91.92
Carduccio authore iuuẽtus Florẽ. armorum geſtãdorũ licentiã impetrat. 31
Carduccio egregium ſcomma Antonius Albertus in corona impingit. 91
Carinianum Anghianus obſidet. 578
Carinianum deditur. 596
Carinianum honeſta deditione Gallis traditum. 596
Carinianum Vaſtius munit. 569
Cariniani Cæſariani fortiſſime Anghiano reſpondent. 588
Cariniani Cæſ. fortiter obſidionẽ ferũt, ac de eruptione cogitãt. 578.579
Cariniano & Carmagnolæ potitur Guido Rangonius. 319
Carmagnola Cæſarianis deditur, ac arx expugnatur. 568
Carmagnolam expugnat Vaſtius. 403
Carolus Aurelianus moritur. 615
Carolus Borbonius. 9
Carolus Cæſar Imperij competitorẽ habuit Franciſcum Galliæ Regem. 3
Carolus V. Cæſarum potentiſſimus. 3
Carolus Ceurius Belgas expilat. 5
Carolus Franciſci filius qualis 495
Carolus Gonzaga, cum pedites turpiter effugere uideret, in hoſtes ſe fortiter confert. 586
Carol. Lanoius Belga Franc. Gallorum Regẽ in Hiſp. captum perducit. 10
Carolus Lanoius cum Germanis & Hiſpanis in Italiam traijcit. 18
Carolus Lanoius obſes. 14
Carolus Lanoius Belga & Piſcarius copiarum Cæſarianarũ Imperatores. 9
Carolo Aureliano Frã. F. Cæſ. ſuam, aut fratris Ferd. filiam promittit, & qua dote. 612
Caruenna urbs Numidiæ. 250. 251
Caruennæ Africæ ſitus. 250
Caſalenſes ad Gallos deficiunt. 385.386
Caſalenſes rebelles ad ſuſcipiendum Gõzagam Principem. 385
Caſonus Auſtrianã claſſem inuadit. 451
Caſonus quatuor Hiſpanorum & Italorum cohortes fundit. 196
Caſonus quatuor milia captiuorum ad unum omnes interficit. 197
Caſonus à Solymano prædatũ mittitur. 195
Caſonus à præda rediens arbitratu Solymanũ Guintij inuenire fallitur. 196
Caſonus cadit. 197
Caſtagninus Tanarius Pãciaticis fauẽs. 409
Catharina Ciboa omnibus ornamentis ſpoliata. 35
Catharina in Galliam uehitur. 224
Catharina neptis Clementis ad Veſtales à Florentinis incluſa. 30.31
Catharinã iuniore Laurent. Medice genitam Henr. Frã. Regis filius ducit. 223
Caſtellum Sancti Angeli Laudẽſi uia Leua expugnat. 96
Caſtellum Genuenſe oppidum à Venetis oppugnatur. 62
Caſtellumaris Stabiæ olim. 55
Caſtelli in uilla Coſmiana, eo die quo principatum adijt, omnis generis flores extemplò erumpunt. 398
Caſtelletum expugnatur. 8
Caſtelleti arx euertitur. 73
Caſtrenſes à deditione in ſeruitutem deductos, ac direptos, poſt quam Solymanus didicit, criminis authores punit, ac Caſtrenſes liberos dimittit. 135
Caſtronouũ à Tur. expugnatur. 378.379
Caſtronouum obſident Turcæ. 378
Caſtronouum quomodo Turcæ oppugnare conſtituunt. 378
Caſtrũ oppidum Salentinorũ Turcæ in deditionem capiunt, ac poſt diripiũt, ac ciues in ſeruitutem deducunt. 330
Caſtrum in Sicilia fruſtra à ſeditioſis Hiſpanis oppugnatur. 366
Caſtruccius Lucenſis Montem Murlium Florentinis ademit. 410
Catalaunum oppidum olim, hodie Scialonum. 611
Catianer alacritate quadam inanis & peruicax. 18
Catianer Turcas fundit. 198
Caucaſus pater montium. 265
Cauſa cur An. Auria à Rege deſciuit. 69.70
Cauſæ cur Florentini promptiores Gallis quàm Cæſari fauerint. 14
Cauſa quare prima fronte Cæſaria. cum Lotrechio & Gallis Venetiq; ad Troiam non cõflixerint. 18
Cazzianer ad Caprunzã oppidũ. 140
Cazzianer ad Veruezæ arcẽ peruenit. 140
Cazzianer cum Viennam cauſam ſuam purgaret, ac ſub honeſta cuſtodia teneretur, effregit ac fugit. 354.355
Cazzianer deliberat de caſtris mouendis. 143. 144
Cazzianer de trãsfugio cum Mahomete certis legib. pepigerat, ac cum ſecum Nicolaum Sdrinium abducere conatur, ab eodem interficitur. 354
Cazzianer ſignorum caſtrorumq; deſertor impius. 353
Cazzianer turpiſſimè fugit. 350
Cazzianeri aliud conſilium. 349.350
Cazzianeriani ſingulis horis in cõſilijs. 342
Cazzianeri præſcribunt legibus ne qui miles ſub capitis pœna Turcam uiuũ capiat. 343
Cazzianeri iterũ conſultant. 346.349
Cazzianeris leuia prælia conſerere cum Turcis inhibetur. 342
Ceciliam oppidulũ ab incolis deſertum ſuccendit Barbaruſſa. 365
Cecottus Toſingus ad Dictatorem. 370
Centum & quinquaginta hominum milia aut cæſa, aut in ſeruitutem à Solymano abducta. 119
Cencius Strabo de ſcripto Ducum nomine reſpondit. 168.169
Cepeliã occupant Turcæ ac muniũt. 447
Ceriſolæ pugna. 594
Ceriſolam occupari iubet Vaſtius. 582
Cetriſcus Regis Cadauer indicat. 13
Cherium oppidum expugnare Vaſtius ſtatuerat. 384
Cherium Vaſtius oppugnat. 405
Chriſtierna Franciſco Sfortiæ nubit. 237
Chriſtianus Daciæ & Noruegiæ rex fœdus cum Cliuenſi habuit. 496
Chriſtiani Rebatti oppidulo extra Tunetum habitantes templa & familiam habentes. 254
Chriſtiani Cæſari ſignum dant occupatæ arcis Tunetanæ. 299
Chriſtiani ſerui Tunetanam arcem capiunt. 325
Chriſtianorum ala equitum prætoriana pro Muleaſſe. 254
Chriſtophorus ad Franciſcum Regem Galliæ confugit. 227
Chriſtoph. Pallauicinus per mediã Turcarum claſſem una trireme ad Coroneſes obſeſſos confirmandos. 220
Chriſtophorus Vlderici filius petierat aliquot oppida paternæ hereditatis ſibi donari. 227
Cicchus Buteo à Roſcio trãsfoditur. 140
Ciconio Vaſtius iratus quòd commeatus non ex præſcripto diſtribuiſſet. 357
Ciuerius interficitur. capitur Ioannes Portundi filius. 98
Ciurlius Machiauellus ſtatuæ Leonis dextrum oculũ ſpiculo perfodit. 33
Claraſcum inter inducias Galli noctu occupant. 404
Claraſcum Vaſtius oppugnat, ac in deditionem accipit. 406. 407
Clarice Medices Philippo Strozzæ nupta Syluiũ urbe diſcedere iubet. 22.

Clarice

Clarier odij cauſa 22

claſsis Cæſaris quot nauibus & triremibus conſtabat 279

claſsis cæſariana oppugnatur 38 cum Hariadeno Galliæ regi mittitur 533. Turcarum prius in Ionio quàm Veneti maris præfectum creaſſent 329

Claſſem exornant Cæſariani quinquaginta hominum milibus 365

Claſſes Venetorum Gallorum & Aurianæ ſeparantur 69

Claſsium Cæſaris, Venetæ, ac Pontificis imperatores qui 355

Claudius Guiſius de Lutheranis nobili uictoria clarus 495

Claudius Velleius Legatus Galliarum Regis ad Florent. 34

Cliſſa oppidum admodum opportunũ ad ſuſtinendum Turcas 116

Cliſſani Turcarum munitiones adorti in fugam uertuntur, ac profligantur 116

Cliſſani uiſo capite Croſiccij fugientes uacuum oppidum Turcis relinquunt. 337

Clemens Anconam quam nuper ſuæ ditionis fecerat, proficiſcitur 219

Clemens angebatur quod Cæſar Rhegium & Mutinam Alfonſo Ateſtino adiudicaſſet 218

Clemens ex 30. Cardinalibus quos aſciuerat neminem laudabat 234

Clemens Cæſaris fortunam ſequi ſtatuit. 35

Clemens Cæſarem Bononiæ excipit. 200

Clemẽs clades Chriſtianis prædicebat poſtquam Hiſpani Coronem deſeruiſſent 263

Clemens immodicæ parcimoniæ obnoxius 234

Clemens cum Ionio de Florentinis ingratis & familiæ decore 11

Clemens Lotrechiano fœdere offenſus 64

Clemens Maſsiliam proficiſcitur cum Rege collocuturus 224

Clemens magnopere lætatus ex Vgonis Moncatæ & Cæſaris Feramuſcæ nece 47

Clemens moritur 234

Clemens neminem oderat, cum neminem amaret, præter eos quos ab occultiore cauſa conciliarat. 234

Capucia tegumenta capitum 43

Clemens pontifex certiorem Regem reddit de Auria nutante 70

Clemens Pontifex & Veneti arma in Cæſarianos conuertunt. 11

Clemens quatuor uiros Gallos Maſsiliæ in Senatum aſſumit 226

Clemens quid Maſsiliæ apud Frãciſcũ egiſſe exiſtimabatur 247

Clemens quid ſepius de Florẽtinis ingratis dixerit 31

Clemens reddita Corone inducias decennales à Turca redimi cupiebat. 263

Clementis geſtus de Mutinæ, & Rhegij Cæſaris ſententia conquerentis. 225

Clementis & Leonis ſtatuæ in templo Deiparæ transfixæ à Florentinis 33

Clementis laus non modica ab Italis, quòd Cæſaris exercitum diſsipaſſet 218.219

Clementis mortis cauſa Curtius medicus 235

Clementis ſententia de Henrici Regis Britanniæ repudio 227

Clementis ſtudium in reſtituendo Sfortia 96

Clementi nequaquam ſtudio fuit Florẽtiæ excidium ſed incolumi patria opus habebat 158

Clupeæ promontorium, hodie Calibia dicitur 299

Clupeæ promontoriõ antiquitus Mercurij pulchri 282

Coſtiæ alpes 356

Coim oppidum in Armenia maiori. 264

Columbariæ ad Ebuſeum claſſe Portundus pugnat, & cadit 97

Columbus Ligur 305

Columbus apud Hiſpalim defunctus. 305

Columniæ familiæ oppida à pontificijs militibus incenduntur 13

Columneum promõtorium quod olim Lacinium dictum fuit 209

Comerſium Cæſar capit 605

Communitiæ, olim Regius fons 332

Concilium apud Vangiones Germanis proceribus Cæſar indicit 6

Concordiæ ineundæ conditiones inter Cæſarem & Franciſcum regem. 612

Conditiones inter Florentinos & Gallos in percutiendo fœdere 34

Conditiones quibus Coſmus à Senatu Reipublicæ caput conſtituitur. 395

Coniuratio Petruciana 8

Conradus Heſsius uetus Germanorũ dux felix aleator 158

Conſaluus Baraſta Luſitanus cucullatus concionatur ad Cæſarianos claſſem in Gallos ducentes 48

Conſtantina urbs olim Cyrtha fuit. 258

Copias Feltrij ſubmouent Germani. 14

Corbania regio 318

Corcyræ obſidionem, ſuſceptæ expeditionis pertæſus, Solymanus ſoluit. 334

Corcyra ſuburbana excinduntur, ac ĩmbellis multitudo extruditur ſummo luctu 334

Corcyram oppugnare conſtituit Solyman. 333

Corcyræi pagani in ſeruitutem abducti 333

Corcyræis uno bello ſupra ſexdecim milia utriuſque ſexus in ſeruitutem abducta 335

Coronatio Cæſaris quibus ordinib. cõſtabat 206.207

Corone deditur à Turcis 212

Corone deſcriptio 211.212

Corone oppugnatur 212. 83

Corone reddita poterat redimi induciarum decem annorum tempus. 322.

Coronem obtulerat Cæſar Chriſtianis principibus 263

Coronem peſtis inuadit ac Hiſpani nactis nauigiis ablatis tormentis unà & ciuib. urbem uacuam relinquũt 232

Coronei Hiſpani ad Andruſſam cum Turcis pugnant 231

Coronei Hiſpani in hoſtes educi poſtulant 229.230

Coronei Hiſpani ſe recipiunt 231.232

Corone inedia laborant 229.

Cortona oppugnatur ab Aurantio & Vaſtio 113.114

Cortona deditionem facit 114

Coſmus aduentantes Cardinales ſibi ex affinitate propinquos miratur 399 certior de inimicorum conſilio factus, quo ordine eos oppugnare parat 411. factus certior de exulibus aduentantibus exercitum cõſcribit 399. duo milia ueteranorũ militum Vaſtio mittit 550. eodem tempore, quo Strozzeanas copias deuicit, duplici uictoria gauiſus 413. eundem horoſcopum habet quem Auguſtus habuit 413. exules in patriam reducit 396. de exulib. aduentantibus certior factus, quantũ poſſit pecuniæ cogit ab amicis mutuo 409

Coſmo Florentiæ & Liburni arces à Cæſare donantur 535

Coſmus Florentiæ princeps à Cæſare uxorem poſtulans, Eleoneram, petri Neapolitani Proregis filiam ducit

ducit 362
Coſmus Reipu. Florentinæ caput conſtituitur 395
Coſmus Hiſpanorũ et Germanorũ cohortes in Feſulanũ agrũ euocat 399
Coſmus à matre obteſtatur ne cuperet, aut aggrederetur dominatũ 393
Coſmus Medices Florentiæ princeps Margaritæ Auſtriæ nuptias expetebat 562
Coſmus Medices Florentiã aduolat ex Trebia uilla, ut certior fieret quid perpetratum eſſet 391
Coſmus Medices Matri quid reſponderit 393
Coſmus Medices Stellã & Falconem arces in illua extruit 598
Coſmus Medices Vaſtio Rodulphum Balconẽ mittit cũ ala equitũ 580
Coſmus omnia humaniter impleuit à Cardinali ſibi iniuncta 395.396
Coſmus Philippum Strozzã uita donare decreuerat 415
Coſmus Piſtoriũ in præſidiũ mittit Federicum Montacutum 409
Coſmus Pratum duas equitum turmas Poſtio duce mittit 411
Coſmus à quibuſdã priuatis amicis increpatur quòd tardior in appetendo dominatu uideretur 392
Coſmus in Senatum ueniens ſalutans à Cardinale egredi iuſſus 393
Coſmus uenientes ad ſe Cardinales cũ inermi comitatu excipit 400
Coſmus uiriliter Saluiato ut abdicaret principatũ ſuadẽti reſpondit 400
Coſmus per Vitellium Cardinales urbe egredi iubet 401
Coſmi domus ex lętitia à plebeis & militibus diripitur 395
Coſmi imperium et Alexandri cædem qui prædixerint 397
Coſmum quid Cardinalis in eum ſubleuando rogaret 395
Coſmi titulum ex ſepulchro eradunt Florentini 33
Coſmo Medices dicatur hiſtoria 2
Coſmianæ copiæ Montem Murliũ expugnant 412
Coſmianæ copiæ quo ordine Prato diſcedunt 411
Couonus Florentinus Pretor Volaterranus cũ quatuor cohortib. Volaterra expellitur 147
Craſſus fluuius 341
Cremona potitur Lotrechius 7
Cremona recipitur dedente eam Leſcuto ibidem
Cremona à Gallis irrite oppugnatur 9
Crepinij in Sueßionib. trãſactæ induciæ inter Cæſarem & Regem Galliæ 263
Creſcentinum oppidũ Galli tormẽtis oppugnant 533
Cretenſes ſupra mille Turcas interficiunt 365
Croatia 338
Cucchius Cæſari breui abunde commeatum affore promittit 491
Cumerum promontorium extremum Indiæ 265
Cuniates fortiter Gallis reſiſtunt 509
Cuniatib. Daualus ſubſidiũ mittit 510
Cunij oppidi ſitus 509
Cuſanus Burgundus fortißime dimicans cadit 379.380
Curſula antiquitus Corcyra nigra fuit 333
Cuſelbaſæ & Cacepe qui 260
Curcius Medicus cauſa mortis Clemẽtis 235
Cyanum promõtorium hodie Spatæ dicitur 365
Cymbri in Cherſoneſo, Holſatij & Dani ſunt 496
Cytheũ olim hodie urbs Candia 365

D

Dammartinus regulus 323
Danthes Caſtellio ex Strozzæ comitatu Hippolytum Medicem traycere parat 10
Danubius à Romanis temporibus nũquam plures milites tulit Cæſarianis 189.
Dardanelli duo caſtella in Naupacti ſinus anguſtijs unum Achiacum alterum Aetolicum 313
Dariena Paria, Perura, Cuſcha regna Cæſari inuenta deſcribuntur 306. & deinceps
Daualus ſepius ad Cæſarẽ ſcribit Gallos Hiſpaniæ finibus cauendos 502
Daualus duodecim oppida Gallis eripit 494
Daualus & Hanebal legati in collegi Venetijs uocantur 418
Daualus in comitijs uenetis orat 418
Decimonono libro hiſtoriarum quid contineatur 2
Decuriones noui Florentiæ 173
Deditur Arx Mediolanenſis Cæſarianis nauante opera Antonio Leua Alfonſoq; Vaſtio 21
Delacia inſula Arabici ſinus 382
Delimẽtibes è Caramania cognomine Delis id eſt inſanus 266
Delphinus Henrici Regis diſcedentis ueſtigijs inſtitit 613
Demetrius Spartanus Græculus Taurum incantat peſtilentiæ ſedandæ cauſa 8
Deſcriptio Florentinorũ ad Mediceas domus gratulatum uenientiũ 10
Deſpoſtis Raſciæ patrimoniũ ſubegit Belgradi præfectus 338
Deſſannã & S. Germani oppida Galli capiunt 578
Dictator Caponius Remp. Florentiam adminiſtrat 84
Didacus Abyla ſignifer uexillum in hoſtili aggere defigere conatus cadit 284
Didacus filiam Barbaruſſæ uxorẽ inuiſit 514
Didacus Samenta cadit 156
Didacus Touares cadit 151
Didacus Verra exercitum amittit 2
Dimidia pars claßis Venetorum ex morbis contractis in Sardinia moritur 69
Dianium indixit Barbaruſſa ad Niceam Gallis iratus 565
Dionyſius ex ordine Seruorũ cucullatorũ Cardinalis quid de Galliæ rege fieri in ſenatu contendebat 526
Direpta Genua 6
Docia diſcerpitur 247
Dominicus Cuppius Romanus Gallicas partes in ſenatu tuetur 526.527
Domus lignea plicatilis inſtar Regiæ 5
Doraces Muleaßis mater 251
Dorax alit honeſte Muleaſſem uſque ad aduentum Cæſaris 258
Dorbinus moritur 112
Dorbinus Salſedo ueterano militi in Vaſtij præſentia diſcidit brachium 40
Dorbinus & Heßius Guaſconum munitiones oppugnant 58
Dracula in Valacchia regnauit 464
Draguthes 378
Drepanum promontorium olim Malachum uocant 365
Droſius Montenicum quibus conditionibus dedit 568
Droſiani inuaduntur 568
Ducum fugacißimorum nomina ac caſtrorũ deſertores ad Exechiũ 253
Ducum nomina qui Caſtronoui aut capti aut cæſi ſunt 180
Dura capta omnibus interfectis ac incenſa 556
Duræ ſitus 554.555
Dura oppugnatur 555
Durenſes alam equitũ in inſidias pertrahunt 555

E

EBerſteinius octo milia Germanorũ in Lunenſem agrum perducit, & naues conſcendunt 277
Eburones Roſſemio commeatum, & iter negant 497

Eccius, Iulius Pluggius atq; Gropperius Catholici Theologi 439
Egrotans Clemens inter cætera nepté quam Florentini inter Veſtales incluſerant repetit 32
Ennius Philonardus Heluetios ſolicitat 510
Empolium oppugnatur à Cæſarianis 152
Empolium expugnatur 153
Empolium Feruccio prędo ſubſidium mittitur 149
Enuoſium deditur 495
Enuoſium fortiter à Germanis defenditur 495
Epiſcopi ad baſtam uenales producti 22.23
Epitome quorundam librorum ſurreptorũ quare ſcripſit 2
Equeſtris pugna apud Lignarium uicum inter Cæſarianos & Florentinos 141
Equos Gallis capiant Hiſpani 50
Ercoꝛibus portus Abyßinæ regionis 982
Erythrææ anguſtiæ 127
Etruria tremit multaq; nobilia ædificia corruunt 511
Etruſco belli Clemens quantum expendiſſe ferebatur 185
Eunuchus Ademanum regem ſub fide ad ſe euocatum ſuſpendit 381
Eunuchus maiora tormenta deſerit 381
Eunuchus Solymani ianitor Barbaruſſe comes datus Barbaruſſam cunctationis increpat 272
Euo fluuio duo nauigia militum deuecta merguntur 365
Euripus Niſitæ inſula 602
Exechianæ ſtragis incommodum fœda gucis temeritate, & culpa accidiſſe 342
Exechium in Poſſega communiuit Mahometes 338
Exechij Chriſtianis à Turcis funeſtißimum, ac fœdißimum detrimentum illatum eſt 334
Eexercitus ad Exechium inedia laborat 345
Exules Florentini tertiò expeditionẽ in Etruriam parant 409

F

FAbritius Maramaldus Volaterram obſidet 151.152
Factioſi quidã ciues aſtutè à Caponio in legationes mittuntur 33
Fares Tuneti arcis præfectus ab Amida interficitur 571
Farneſius legatos omnium quæ apud Cæſarem agebãtur ignarus, ac iratus quod ſe neſcio legatorum conuentus Haganoæ eſſe indictus 425
Federicus Carrafa cadit 78
Federicus Carectus Regulus glande traijcitur 281
Federicus Gonzaga Ticinum defendit 2
Federicus Gonzaga Caſali recipitur, ac princeps acclamatur 387
Federicus Guerreriæ familiæ princeps Cæſarianus 35
Federicus Montacutus Piſtorij præficitur 409
Federicus Fruſtembergus Cæſari, Guilhelmus uerò frater Gallo militat 356.358
Federicus Fruſtẽbergus duas legiones Germanorum in Italiam ducit 404
Federicus Fruſtembergus fratrem Gallo militantem uix ſalutat 358
Federicus Riccius capite uulneratur à Iacobo Alamanno 26
Federicus Saxoniæ & Philippus Lantgrauius ueteres hoſtes Auſtriæ domus 182.183
Franciſco S. fortia in ſubſidium mittitur 9
Feltrinũ in Mincij ripis pugnantẽ ſuperant Germani 14
Feltrij Leuæ Vaſtijq; de Borbonij Guidoniſq; Rangonis à militiæ diſciplina diſceßiſſe pari errore ſententia 82
Ferdinandus aulæ ſuæ principibus immodicè credens 513
Ferdinandus ad Albã regalẽ Rex acclamatur ac coronatur 122
Ferdinandus Buda potitur 121
Ferdinandus Caroli Imperatoris frater Cæſar conſtituitur 181
Ferdinandus claſſem Danubio Strigonium mittit 433
Ferdinandus ad Cliſſam duo milia Germanorum mittit 336
Ferdinandus Corteſius ad Mexicana regna terreſtri itinere cõtẽdit, Themiſtitana urbe potitur 306
Ferdinandus deprecatur Cæſarem ut cum copijs iam paratis Ioannẽ Regem inuaderet 202
Ferdinandus Gonzaga in Angliã mittitur 561.562
Ferdinandus Gonzaga cum duobus galeatorũ equitũ milibus 189
Ferdinandus Gonzaga cum Germanis & Hiſpanis erumpit Puteolana uia per cryptam ducens 48
Ferinãdus Gonzaga primũ omniũ hoſtem ad Tunetum transfixit 293
Ferdinandus Gonzaga ſucceßit Vaſtio in Mediolanenſis dominatus præfactura 617
Ferdinãdus imperat omnib. Stiriæ Carinthiæq; populis, ut nemini Italo parcant 205
Ferdinandus intellecta Ioannis morte arma parat, & quibus Hungaris ſuadentibus 430.431
Ferdinandus rex inducias cum Turcis abrumpit 338.339
Ferdinandus rex quare ſe Turcis non obijciat 339
Ferdinandus quid de Georgio Varadienſi antiſtite diceret 430
Ferdinandus ſemper adulatoribus obnuſtus 513
Ferdinandus ad Solymanum Legatos mittit 184
Ferdinandus ad Solymanum Legatos mittit ſed nil proficit 124
Ferdinãdus Solymano Legatos mittit cũ donis pacẽ expetẽtes 459.460
Ferdinandus Toletanus Albæ regulus 278
Ferdinandus Tranſyluaniam in deditionem capit 122
Ferdinandus Sanſeuerinus Salernitanus princeps 313
Ferdinandus uera, teſtataq; de familiabus minime credit, e falſa de alienis libentißimè 513
Ferdinandi exercitus, qui ad Exechium mittebatur deſcriptio 339
Ferdinandi legati quid à Solymano peterent 460
Ferdinando quibus rationibus diſſuadebatur bellũ cum Solymano inire 338.339
Ferdinãdo Regi pax datur 234
Ferdinando, Bodo & reliqui captiui cum uexillis mittuntur 122
Ferentius Bodo capitur 122
Ferruccius copias ſuas Piſis educit ſuoſq; alloquitur 337.159
Ferruccius à Corſis ſeditioſis prope interfectus 152
Ferruccius contra militiæ decus tympaniſtam ſuſpendit 152
Ferruccius Volaterrã expugnat 150
Ferruccius interficitur 163
Ferruccius S. Marcellum oppidũ paucis cæſis capit 161
Ferruccius ſubſidiũ poſtulat, mittũturq; ei quinq; militũ uexilla quib. Ferdinandus Gonza confligit 149
Ferruccius Piſanos muris modis ad pecunias dandas cogit 159
Ferruccius quatuordecim Hiſpanos in carcere fame necat, ac demũ mortuos ad pinnas arcis ſuſpendit 150
Ferruccius Volaterra ex Senatus

conſcripto euocatur ac quid faciat edocetur 158
Ferruccius mirè in Volaterranos ſæuit 150
Ferruccius Volaterranis eccleſijs donaria detrahit 152
Ferruccij Volaterra erumpunt 154
Ferruccianos Auratius oppugnat 162
Feſſani Regni potentia 152
Ficerium 330
Figaroa cum filio captus 174
Flattes Durenſibus præfectus 555
Flattes occiſus tormento 556
Fliſca & Grimaldia familiæ Guelphæ factionis 71
Fliſci peculiares Fregoſtorũ hoſtes 8
Fliſcorum ædibus ad Violatæ Genuæ Pontifex excipitur 561
Florentiæ in curia tumultus ingẽs excitatur 85
Florentiæ qui capitali ſupplicio afficiuntur 173
Florentiæ quotidianæ cõciones in Medicæos 152
Florẽtina iuuẽtus potius obſidere quã obſeruare curiæ limẽ uidebatur 31
Florentina iuuentus euibrat gladios ad deterrẽdos Decuriones 15
Florentina iuuẽtus Prætoriũ occupat Petro Saluiato duce 15
Florentinæ pacis exẽplar 171
Florentini capitali ſupplicio eos afficiebant qui uel de pace aut de eius Reip. ſtatu loquerentur, & qui ea cauſa mortui 138
Florentini ciues coniurationis conſcij capite plectuntur 9
Florentini donaria templis dicata uendunt 147
Florentini duces magiſtratui de ſcripto reſpondent 168
Florentini erumpunt in Germana caſtra 156.157
Florentini exules conãtur Alexandrũ omnibus ſpoliare 301.302
Florentini exules captiui ad Coſmum ducuntur 413
Florentini exules ad Montẽ Murli capti ſecure percuſi, aut laqueo enecti 413.414
Florentini exules ad Montem Murliũ capiuntur 413
Florentini exules Romæ conſiliũ de recuperanda libertate ineunt 399
Florentini eruptionẽ faciũt 115.116
Florentini iterũ erũpunt cõmittiturq; atrox pugna 145.146.147
Florentini iterũ atq; iterũ eruptionẽ ſolicitant 166
Florentini è tribus portis eruptionem faciunt 134.135
Florentini Ferruccij caſu nil ſeſe animis remittitunt 164
Florentini ad mediam perducti 157
Florentini ingrati ciues nunquã reconciliandos putabant Cæſarẽ & Clementem 84.85
Florentini Legati ad Cæſarem admittuntur 93
Florentini iterũ de Legatis Cæſari & Pontifici mittendis deliberant 14
Florentini Magiſtratus Cæſaris diploma recipiunt ac iurant ſe obſeruaturos 177.178
Florentini in Malateſtã inuaſuri ni Cecotus Toſingus auertiſſet 170
Florentini mortuo Alexandro proni ad appetendã libertatem 392
Florentini numerum militum in ſociale bellum conſtituunt 19
Florentini nunquã ingenio pacati ſemper maligni 21
Florentini operam dant maioribus copijs comparandis 133
Florẽtini pacis cõditiones reſpuũt 168
Florentini Pratum deſerunt 129
Florentini prælata Gallorum ſocietate Cæſaris amicitiam importunè contempſerunt 34
Florenti per publicas literas à Lucenſibus Mediceos repetunt 22
Florentini quatuor Legatos ad caſtra de pace petenda mittunt 171
Florentini redintegrata perfidia conſtanter animos erigunt 21
Florentini ſoli in Italia lætantur 15
Florentinorũ ciuium decapitatorum cauſæ 173.174
Florentinorũ exulum copiæ ad Fabricam uicũ lentius perueniunt 410
Florentinorum iurantium uultus 178
Florentinorum uultus ſimulati 20
Florentinis ingratus quid Clemens imponeret 21
Fœdus inter Cæſarem & Clementem quibus legibus 85
Fœdus percuſſum inter Clementẽ & Angliæ Regem Venetoſq; 10.11
Fœdus percuſſum in Vaticano à Paulo, Cæſare, & Venetis 355
Fœdus Reipublicæ dirũ percutitur 14
Fogaras Ioannes rex obſidet 428
Foreſtius Galliæ legatus ad Auelionem moritur 330
Fortuna Cæſarianis rebus ſecundiſſimè adeſſe conſueuit 51
Foſſanum ab Antonio Leua expugnatum 312
Frahata Baſſa Gazellem ad Damaſcũ cædit 4
Franciſcus amoto, Memorantio omnium literarum inſpector 498
Franciſcus Barbaruſſæ omnes Turcas & Mauros donat 597
Franciſcus belli munia filijs diſtribuit, alteri Hiſpanos Vexandos præbet, alteri Belgas deſignat 494
Franciſcus Cæſaris fœlicitati inuidet 273
Franciſcus Delphinus ſubito morbo oppreſſus moritur 217
Franciſcus Galliæ Rex cum Henrico Angliæ Rege colloquitur 5
Franciſcus Galliæ Rex competitor imperij cum Carolo Cæſare fuit 1
Franciſcus Galliæ Rex Henricum Ioannis Regis filium parat regno reſtituere 5
Franciſcus Rex Gallorum in Hiſpaniam captus deducitur à Carolo Lanoio Belga 10
Franciſcus Galliæ Rex in Italiam deſcendit 10
Franciſcus Galliæ Rex à Cæſare ad ſingulare certamen prouocatur 310
Franciſcus Galliæ rex à Solymano frater appellatus 507
Franciſcus Galliæ rex Cæſarẽ ad foſſas Marinas excipit 361
Franciſcus Gallorum rex moritur 616.617
Franciſcus Genuam recipit 217
Franciſcus & Henricus Reges arma parant 24
Franciſcus Henricum excipit 504
Franciſcus nouum exercitum ad Mirandulam cõſcribi ſinit, & ducum nomina 315
Franciſcus Rex Acromontiũ ad Clementem 217
Franciſcus rex Antonium Polinum ad euocandum Solymanum terra, mariq; mittitur, quòd facturum ſe Solymanus fidem dat 505
Franciſcus rex Barbaruſſæ Niceã expugnandam decreuit 516.517
Franciſcus Rex Gallorum capitur ex citu profligato 10
Franciſcus Rex Gallorum capitur exercitu profligatio 10
Franciſcus Rex in grauem morbũ incidit 16
Franciſcus rex inſignis memoriæ 556
Franciſcus Rex Mediolano potitus 10
Franciſcus rex molliſſimis uoluptatib. occupatus 556
Franciſcus rex moriẽs quæ nã præcepta dederit Henrico filio 617
Franciſcus rex qualis accepto nuncio de ſuorum in Subalpinis periculo 354.355

Fran

Franciſcus rex quid reſponderit de Cæſaris oblatione 424
Franciſcus rex Vaſtium humaniter in ſuis caſtris ad Carmagnolam excipit 358
Franciſcus Solymannũ ſolicitat, ut Venetis imperet, ut cum Gallis in Cæſarem fœdus percutiat 505
Franciſcus ſecundis uigilijs ad Cambreſium caſtra mouet 560.561
Franciſcus Angelius cucullatus Franciſcanus Romam mittitur 27
Franciſcus Bardus captus cum ſua cohorte 140
Franciſcus Botiella pro ſtatua ad Lotrechium 24.25
Franciſcus Campana & Innocentius Cardinalis egregiè diſsimulāt quid de principe ſuſpicarentur, ac Alexandrum Vitellium, & Rodulphũ Baleonem acceſſunt 390
Franciſcus Cantelmus dux 36
Franciſcus Carduccius dictator capite truncatur 172
Franciſcus Cecchingus Germanorum militum dux 4
Franciſcus Feltrius Vrbinans Veneti exercitus dux, & Michael Salaſsius Federicusq; Gonzaga cognomento Bozolus Gallorum duces Florentiam intrant 16
Franciſcus Habraus Gateſcus & Battus Roſpilloſus principes Guelphæ factionis 409
Frãciſcus Landrianus Albam defendit, ab inſidijs à Gallis adortus 494
Franciſcus Maria Feltrius Vrbinas regulus 8
Franciſcus è Medelino Hiſpaniæ oppido Chriſtianos ſeruos hortatur ad libertatem arripiendam 394
Franciſcus Niger malignè pecunias apud Laurentium Strozzam depoſuit, ac deinde auecta 22
Franciſcus Portinarius poſt multas diſceptationes ad Pontificem à Florentinis legatus mittitur 93
Franciſcus Sangallius architectus 92
Franciſcus Sarmentus cum quatuor milibus ueteranorum Caſtronouo præficitur 376
Franciſcus Sfondratus ad Allobroges legatus 303
Franciſcus Sfortia in arce laborās graui morbo obſidetur 11
Franciſcus Sfortia Chriſtiernam ducit 227
Franciſcus Sfortia euocatur ad Cæſarem 103
Franciſcus Victorius & Nicolaus Caponius Bozzolo reſpondent 19
Franciſci clemētia in matronas, ac Germanos captos 504
Franciſci Regis liberalitas in Cardinales 225
Franciſci Regis tres filij quales 225
Franciſco Carduccio Caponij dictatura delatur 86
Franciſci Sfortiæ mors Cæſari nuntiatur, quæ multorum bellorum cauſa fuit 299
Franciſco Sfortiæ inuident Antonius Leua & Piſcarius 11
Fregoſii cæſis & captis Spinulis, & cæſis Hiſpanis Genuam intrant 66
Fugaciſsimorum ducum nomina 353
Fugientes Cazzianeri copiæ 350
Fulmine ala equitum percutitur cæſis equis tantum 55
Funduntur Florentinæ copiæ que Laſtræ in ſubſidium mittebantur 135
Furſtembergus capitur 606
Fruſinonem oppugnant Pompeius, Veſpaſianus Aſcaniusq; Columnij 14

G

Gabriel Guſmanus Hiſpanus ad Cæſarem mittitur 609
Gabriel Ripeus præfectus ſuis cohortibus cæſis equum conſcendit, ac fugit, ac demum à Piſauro capite plectitur 316
Galeonẽ oppugnant Turcæ 373.374
Galeritæ caſtra ſeditioſorum militum 362
Galeritæ oppidi ſitus 362
Galletus Barga Liburni arcẽ tradit 25
Gallipodi Turcarum claſsis ad obſidẽdam Coronem educitur 219
Gallia pernauigabilis 356
Galliæ regis animus in pace ferenda 242
Galliæ reges nunquam ictorum fœderũ legibus ſteterunt 310
Gallicæ Venetæq; copiæ ſine uulnere cæſæ 7
Gallus Cæſari bellum machinatur 226
Gallus Mediolanum pro Carolo repetit 478
Gallus quam cauſam præferebat Subaudio bellum inferendi 299
Gallus Turcis potius ad commune excidium uiam ſtruit, quàm Cæſarẽ ſua uictoria uti ſinat 478
Galli cum Belgis ad Terauannam tumultuariè pugnant 324
Galli cæduntur aut capiuntur, Brugnolaq; diripitur 516
Galli Cæſarem non putabant tam cito copias expediturum 605
Galli à Cæſarianis deleti 9. Caſali profliguntur ac Caſale recipitur 387
Galli ad Carmagnolam caſtra mouent 566
Galli Cunium oppugnare deſiſtũt 510
Galli exercitus numerus 556
Galli ſœdè dolia uini confringunt ac frumenta exurunt 316
Galli funduntur à Cæſarianis à Neapoli caſtra mouentes 58
Galli in inſidias pertrahuntur 48
Galli Lotrechio duce ad Bicoccã infoeliciter pugnant 7
Galli Neapolim obſident 41
Galli ad Niceam Barbaruſſam obnixe deprecantur, turpiſsimeq; adulātur: 565
Galli ad Nicea noctu ad claſſem relictis tormentis fugiunt 566
Galli Sabaudum exuunt inermem ſuis oppidis 300
Galli ſuperantur ad Algrunium 5
Galli capiunt Taurinum, Foſſanũ, Penarolum, & Cherium 300
Galli ad Ticinum cæduntur ac Franciſcus Galliarum Rex capitur 10
Galli tormenta amittunt 9
Galli tormentis impedimentisq; grauioribus relictis fugiũt Auerſam 58
Galli uarios rumores Mediolani ſpargunt 150
Galli Veneti Sfortianiq; Ticinum expugnant 579
Galli ad Vitriacum à Germanis interficiuntur 619
Gallorum caſtra ad Carinianum 581
Gallorum ducum in Subalpinis nomina 584
Gallorũ ducum nobiliſsimi interfecti: 10
Gallorũ exercitus morbis agitatur. 54 præſidia à Vaſtio expugnãtur 355
Gallorum quinq; nobiliſsimi & fortiſsimi duces ægrotant 55
Gallis ad Ceriſolam uictoria non multa ceſsit 586
Gallis quantum intererat ad bellum gerendum Cæſaris ueteranos milites diſsipari 218.219
Gallindus Hiſpanus cohortis præfectus cadit 57
Gandauum Cæſar contendit præmiſſa Germanorum legione 421
Gandauenſes grauiter quare à Cæſare mulctati 422
Gandauenſibus iugum ſeruitutis impoſitum 422
Gandauenſibus pœnitebat quòd Cæſari portas non occluſiſſent 421
Garlaſcum expugnatũ 9
Gaſpar Franiſpergus moritur 518
Garzia Laſsius lapide ictus moritur. 128

Gazelles copijs Damaſco eductis cum Frabate Baßà fortiter cecidit 4
Gazelles Syriæ præpoſitus rebellat. 4
Genua à Cæſarianis expugnatur 8
genua direpta 8
genua à Guidone Rangono cum Gallis admotis ſcalis oppugnabatur. 319
genua in multas partes diſciſſa 71
genuæ Decemuiralis ordo inſtituitur. 72
Genuæ incumbere Guidonem Rãgonium in Cæſarianis caſtris nũcium fertur 318
genuenſe Prætorium nullo negotio à Cæſarianis capitur 8
genuenſes conditiones pacis à Lotrechio datas reſpuunt 66
genuenſes Ferrarium & Lomellinum ad regem Galliæ deſtinant 66
genuenſis libertatis nomẽ, excuſſo Gallico iugo arripiunt 72
genuenſis ſenenſesq; Legati Cæſaris mandato Templo expelluntur 108
genuenſes in uerba regis ſacramentum faciunt 67
Georgius Franiſpergus 11
Georgius Pallauicinus à Mauris capitur 100
Georgius ſtabula regia incendit quod Auſtrianis magno fuit detrimento. 451
Georgius Varadienſis antiſtes deſcribitur 430
Georgij reſponſum ad Rochandulphi præcones 441
Germania ferè tota à Cæſare ſubacta 618
germaniam cur perdomadam ſuſceperit Cæſar 618
germaniæ liberæ ciuitates Cæſaris ſeueritatem damnant, qua in Gandauẽſes uſus eſt 422
germanus miles falſe in Lodronium dicit 351
germani Budenſi arce dedita ad unum omnes cæduntur 126
germani & Hiſpani Roma decedunt 37
germani fortiter Cariniani obſidionẽ ferunt 579
germani Peltrio tranſitum prohibente Mincium ſuperant 14
germani & Hiſpani Genuã duce Proſpero Columna & Piſcario expugnant 8
germani & Hiſpani Romã expugnãt 14. & Hiſpani ad diripiendã urbem contendunt. ibid.
germani Hungaris ſuccurrendum decernunt ac duces exercitumq; inſtituunt 511.512
germani inſulam ad Budã Turcis profligatis recuperant 278
germani Maximilianum exoptant, Hungari Matthæum Coruinum. 521
germani quo ordine exercitum in Panoniam ducerent 518
germani ſtrati à ſocio equitatu fortißime pugnantes cadunt 585
Germanorum conſtantia Hiſpanorũq; alacritas in defendenda Neapoli. 54
germanorum militum habitus deſcriptio 200
germanorum mira barbaries & Truculentia 28
Giaffre Ianizerorum præfectus cadit. 284
Giabenna obſonia interfixa uerubus ex Gallorum tabernaculis in urbem defert 51
Gladij capulus Cæſari excidit unde uaria omnia præominabantur 111
Gofferius ad Seſitbem amnem funditur 9
Gefferius ab obſidione Mediolani diſcedit ibid.
Gomenitius portus 371
Gonzaga alam cataphractorũ opprimit 55
Gonzaga infœliciter Gallis inſidias tẽdit 49.50
Gonzaga ſæuit in eos qui Hiſpanis ſeditioſis præfuerant 370
Gonzaga ſingulos duces adit ac pro honore Chriſtiani nominis ſollicitat 375.
Gonzaga ſuadet Preueſam expugnandam, Auria uerò quominus id tentandum, dicit 371.372
Gonzaga tardius manum erigens à Legato Hiſpanorum ſeditioſorum increpatur 368
Gordi 260
Gratia, Lintium, Vienna triangulari ſitu à ſe inuicem diſcant 199
gratiam urbem Cæſariani in deditionẽ capiunt. 314
Gratianopolis urbs 556
Græcorum nomina qui pro Venetis Gallis admixtis in Cæſarianos bellũ gerunt 77
Grimanus fruſtra Preueſam oppugnat 370
Granuellus Nurenbergam proficiſcitur 527
Grittus ad oppidum Braxonium. 238
Grittus capitis tegumentum detrahit & dilatando dicit 238
Grittus capitur ac capite truncatur. 24
Grittus exhortatur à Docia 238
Grittus gemmarũ cognitione inſignis 37
Grittus Ioannis Regis queſtor 237
Grittus Habraymo uillam ſuburbanã dono dat 237
Grittus oppugnatur 240
Grittus in Pannoniam mittitur 264
Grittus cum Solymano colloquitur quod nemini Chriſtiano ante licuit. 237
Grittus Strigonium obſidet 18
Gritti filius Agrienſi ſacerdotio ditatus 257
Gritti inſignis ars in Barbarorum animis ſibi conciliandis 257
Gritti truncum ſpoliando carnifex inuenit loculum gemmarum ualore 40 myriadum auri 242
Gritto Beogli nomen à Turcis inditũ. ibid.
Gritto innatus Turcicus faſtus 238
Grittiani cæduntur 241
Guicciardinus præſes Parmam defendit 7
Guicciardinus quid de Laurentio Medice diceret 397
Guido Rangonius admotis Genuæ ſcalis coronam obtinere contendit. 318
Guido Rangonius dux Gallici exercitus conſcripti ad Mirandulam. 315
Guido Rangonius in Galliam reuertitur 403
Guidoniani Genua re infecta diſcedũt ac in itinere Carinianum in deditionem capit 319
Guilermus Cliuenſis ad Galliæ regem ſe confert ac fœdus percutit 496
Guilermus Cliuenſis Legatis Reginæ reſpondet, copias à Roſſemio conſcriptas in Turcas duci 497
Guiliermus Cliuenſis regulus hoſtis declaratus 472
Guilielmus ſupplex ad Cæſaris clementiam ueniam deprecatur 556
Guilielmus Gofferius dictus Ammiras in Italiam deſcendit 9
Guelphi Ghibelliniq; nominis ad unũ omnes Caſali pœnas dant 387
Guerreria familia 35
Guerrerius interficitur. ibid.
Gunium oppidũ oppugnatur ab Habraimo Baſſa 189.190
Guintij duo propugnacula extruit Abramus atq; inde propugnat Nicolizzam. 192

Guletæ oppugnandi ordo. 285
Guletæ ſitus. 280
Guletani amicè reſpondent & grauiter. 255
Guletani expugnata munitione ſe in fugam dant. 28
Guletani tertio erumpunt. 284

H

Habraymus Baſſa Viſir, id eſt purpuratorum princeps. 224.26.
Habraymus iugulatur. 272
Habraymus mirifice Chriſtianis fauebat. 262
Habraymus ſeruus tanquam Solymano dono datus. 261
Habraymus ad Solymanum flexis genibus exorare non potuit. 272
Habraymi bona omnia ferè in fiſcũ aſportantur domusq́; ſua deformatur. 272
Habraymi fides ſuſpecta quod diceba-tur Chriſtianos fouere. 271
Habraymi hortatio ad bellũ Parthicũ ac Germanici belli diſſuaſio ſecreto ad Solymanum 261.262
Habraymi odij & ſubtractionis cauſæ. 271
Hadrianus Beurenus & Philipus Areſcotus Tarmannam obſident. 324
Hadrianus Florentius Belga Cardinalis 8
Hadrianus Pontifex Romã nauigat 8
Hadrianus Pontifex moritur. 39
Hadrianus Sextus Belga Pontifex 7
Halileuanus Hiſpanus ad Mahometis ſacra defecit 378
Hadriani Beureni ala equitum profligatur 495
Haganoa in Tribocis b 423
Haidinus Smyrnæus archipirata Portundum debellat 97
Halicola Corſus Sinæ alũnus 98.99
Halicotus Chriſtianos remiges in ſubterraneos carceres detrudit 99
Halicotus prædo è Cilicia 99
Halyacmones, hodie Aſambabs 330
Halis Hiſpanus eruptionem cum Hariadenis facit 257
Halis Leuanus è Malacha Betica dilapſus è Chriſtianiſmo, ſuadet Hariadeno ad eruptionem 257
Halis Strigonienſibus ſtipendia offert qui Solymano militare uellent, & quot conditionẽ acceptarint 545
Halis Strigonienſes liberè dimittit 545
Hanebaldus Amiras cõmendatur à Frãciſco rege Henrico filio 617
Hanibaldus in Italiam per niuoſas alpes traijcit 505
Hariadenus Aſanagam eunuchum ſuſdum & Halim Leuanum mittit ad recipiendas Africæ urbes 259
Hariadenus ancipiti deliberatione ſtetiſſe utrum bellum claſſe an terra gereret 286
Hariadenus Barbaruſſa aciem in conſpectum Cæſarianorũ ducit 292.293
Hariadeno Caruenna ſola aliquandiu reſiſtit 259
Hariadenus Citarij claſſem quæ ibi ædificabatur exurit 248
Hariadenus diſploſis tormentis Guletanos ſalutat 255
Hariadenus fratri in regno ſuccedit 244
Hariadenus in fugam uertitur 293 294
Hariadenus Fundos capit 239
Hariadenus ad gerendum bellum ſe cõuertit ac ad ſuos dicit 280
Hariadenus ad Habraimnũ qui ad Alepum hyemabat mittitur 245.246
Hariadenus Hipponam, hodie Bonam confugit 295
Hariadenus Liguſticas naues expugnat & Deliſuſum interimiſſe fertur 245
Hariadenus S. Lucidij oppidum quod olim Templa dicebatur
Hariadenus S. Lucidij oppidum quod olim Tempſa dicebatur expugnat 248
Hariadenus Magonis portum dolosè expugnat 302.303
Hariadenus non credebat Cæſarẽ unquam ſe mari conmiſſurum 279
Hariadenus Pontia profectus ad Biſertam appulit 255
Hariadenus Prochitã capit 248
Hariadenus niſi Sinas diſſuaſiſſet oẽs Chriſtianos ſeruos puluere tormẽtario incenſo occidiſſet 294
Hariadenus ſingulos hortatur à Guleta capta 287
Hariadenus ad Solymanum dicit 256
Hariadenus ab Solymano excipitur et de ſuis detractoribus 245
Hariadenus ſpelũcam capit 299
Hariadenus Rhium capit 245
Hariadenus Terracinam capit 249
Hariadenus cum Tunetanis pacem 258
Hariadeno increpanti omnium nomine Sinas reſpondit 287
Hariadeno reſpondet Achirinus 258
Hariadeno traduntur octies centena milia aureorum in ſumptus belli coe 248
Haydinus Smyrnæus moritur 297
Haydones qui ab Hungaris dicantur, & ab Illyricis Huſcochi, à Turcis Martelloſij 340
Hebrus fluuius, hodie Mariza, non longe ab Amphipoli clariſſima olim urbe Seres hodie dicta 329.330
Hedinum Franciſcus expugnat 323
Helna, olim Ebura 504
Heluetij Cæſaris fines ſe intraturos per negant 588
Heluetij domitores imperitorũ principum à Pontifice appellati 24
Heluetij de more pecunia flectuntur. 588
Heluetiorum non obſcure Gallo fauent 319.320
Heluetios Cæſar, ne Gallis opituletur, ſolicitat 579
Heluetios Cæſar ſpectatores belli cupit 304
Heluetiorum cohortem trucidant Cæſariani Gozaga duce 55
Heluetiorum prætoria cohors pellitur Genua 72
Heraclea ſentica 330
Heredia atq; Carantius capiuntur, ac multis cum ſocijs ſuſpenduntur 369
Heredia ad ſeditioſos Hiſpanos c[illegible]natur 368
Heredia qui quondã cucullatus monachus fuerat à ſeditioſis hiſpanis dux creatur 366
Hercules Alfonſi Ferrarienſis principis filius copijs Florentinis præficitur 54
Hercules Rangonius cum ualida equitum & peditum manu ab Alfonſo Ateſtino Florentinis mittitur 136
Herculis inſula olim Diabata dicta hodie Aſinaria 68
Herculis Moneci portus, Villa franca dictus 359
Herculei promontorij ſitus. 600
Henricus Amiras cum Indico Velaſco ſeditioſos delent 5
Henricus Angliæ, & Franciſcus Galliæ Reges colloquuntur 5
Henricus Angliæ rex moritur 616
Henricus Britanniæ rex quid Cæſari per Antonium Peronotum reſponderit 609
Henricus Brunſuicenſis in Italiam euocatur 74
Henricus Brunſuicus ad Laudem Põpeiam oppugnandam cũ Leua progreditur 74
Henricus Brunſuicus de Leua conqueritur 73
Henricus Brunſuicus in Germaniam redit. ibid.

Henricus Delphinus ęgrè tulit pacem factam inter Cęſarem, & Franciſcum patrem 611
Henricus Angl. expugnata Bononia pacē cū Gallo rege facere recuſauit 115
Henricus ad Salſas caſtellū, olim Salſulas, in Pyreneis peruenit 502
Henricus regis filius, & Memorancius Cęſarē Miſium, & Camillum Columnā oppugnant 357
Henricus Franciſci Regis filius Catharinam iuniore Laurentio Medice genitam ducit 223
Henricus & Franciſcus Reges arma parant. 23
Henricus Franciſci filius 495
Henricus Heluetiorum legiones expectat 501. 502
Henricus inuadendę Hiſpanię onus ſuſceperat ſub ſpe uenturę Turcicę claßis 504
Henricus re infecta perpenniano diſcedit 504
Henrici Britannię lis de repudio finita 216
Henrici Franciſci filij ad perpennianū duces 503
Henrici Regis filij nuptię cum Catharina Medice celebrantur 225
Hormandum caſtrum Cazzianer expugnat, ac ibi pontē reficit 346
Hermolaus Barbarus & Antonius Barbadicus claßis Venetę prefecti Alexandrię cuſtodię traduntur 328
Hiberorum alę Tammaſo ſuccurrunt 263
Hidruntinum caput, olim Iapygium promontorium 330
Hieraſſus amnis 465
Hieronymus Canalis Venetus Morū quaſi claſſe exuit & capit 223
Hieronymus Laſchus Ioannem Sepuſium excipit fugientem 122
Hieronymus Laſchus pro Ferdinando omnia quę inter Ioannem, & Ferdinandum agebantur de pace Solymano detexit 426
Hieronymus Leua ſeditionis author iugulatur 195
Hieronymus Pepulus mire fauebat Florentinis exulibus 409
Hieronymus Sylua ad Caſtellionem Strozzianos cobibere conatur 591
Hieronymus Vaſionenſis antiſtes ad Cęſarem Legatus quibus Legibus fœdus percuſſit 85
Himbrachor Petrum Moldauum reducit 472
Hipporegiam Galli oppugnant 578
Hiſmael Rex Perſarum grauiter a Solymo contuſus 4
Hiſpanus auaritia cadauer Lotrechij in uinariam cellam condit 61
Hiſpanus Prætor Verticillū qui Cęſarianis magno fuit ſubſidio Capuę ſuſpendit 48
Hiſpani Caſtronouēſes plus mille Turcas tormentis interficiunt 378
Hiſpani contra militię iuſiurandū Feltrium deſtituerunt 2
Hiſpani duo abrupta ſacramenti fide primi à Muleaſſe deſciſcūt 265. 257
Hiſpani è militibus immaniſsimi latrones effecti 362
Hiſpani fruſtra Laudem Pompeiam oppugnant 74
Hiſpani Gallicas & Venetas copias ſine uulnere fundunt 7
Hiſpani & Germani in Prouinciā proficiſcuntur 10
Hiſpani & Germani Roma cōtra Gallos iter Latina uia faciunt 17
Hiſpani & Germani ad deripiendam Romam contendunt 14
Hiſpani & Germani Romam expugnant 14. 15
Hiſpani irritè eruptionē ad expugnādā Gallorū munitionē faciūt 50. 51
Hiſpani parū gauiſi de Italorū infortunio cum eandem ignominiam à Tabacchete ferrent 283
Hiſpani Sandeſirium oppugnāt 607
Hiſpani ſeditioſi ad Aibeſim 188
Hiſpani ſeditioſi Auerſam occuparāt & inde claſſe Auriana Coronem uehuntur 220
Hiſpani ſeditioſi Caſtrū oppugnāt 366
Hiſpani ſeditioſi fruſtrà, poſtquā diſsipati eſſent, naues ad traijciendum quęrentes, hinc illinc aut ſuſpendūtur, aut necantur 369
Hiſpani ſeditioſi ad Guletā in Siciliā tranſuehuntur, ac ibi deprædari incipiunt 366
Hiſpani ſeditioſi ad Nolā ſtipendia efflagitant 40
Hiſpani ſeditioſi Siculos profligāt 366
Hiſpani alacritas Germanorūq; cōſtātia in defendenda Neapoli 54
Hiſpanicę duę naues militib. plenę in littus deuectę ad Aſanagam peruenimunt 489. 490
Hiſpanorū ſeditioſorū legati cū Ferdinando Gonzaga iurant 368
Hiſpanorū tironū deſcriptio 80
Hiſpellū Aurātio deditur 21
Hiſpellum peculiare Baleoni oppidū 112
Holſatij, et Dani, Cymbri ſunt 196
Horatius Baleonus Præfectus Etruſcę legionis 38
Horatius Baleonus interficitur 90
Horucius Hariadenus Didacum Verā fundit & paulò poſt Vgonem Mōcatam 243
Horucius Hariadenus Tremiſenij Regem expulit 244
Horucius Hariadenus interficitur ibid.
Horucius Hariadenus Bugeā inuadēs alteram manum amittit 243
Horucius Hariadenus Algerio & Circillo potitur 243
Haſtaſius Rhauennas primus Ticini muros ſuperat 24
Hoſtraiū in deditionem Roſſemius capit 497
Hotrechius Belga 108
Humerius inglorius in Galliam reuertitur 405
Humerius nouus dux Gallus in Subalpinis uenit 403
Humerius parum bellicoſus contra omnium opinionem 403. 404
Humerius in Subalpinis præſidia diſponit 404. 405
Hunganotus Stirię præfectus cū decem milibus equitum Germanicis copijs ſe adiungit 512
Hungara mulier duos Turcas obtruncat 550
Hungarus Solymanus, qui ad Mahometis ſacra deſciuerat, Budę præficitur 460
Hungarici Regni imperiū quibus obuenire poterat 120
Hungari infœliciter cadunt 18
Hungari hinc atq; illinc transfugę 19
Hungari Turcas cedunt 198
Hungari & Turcę utrinq; quingenti concurrunt 521
Hungarorum inſania ipſorum regnū ad Turcas deuenit 430
Hugo Moncata naufragiū ad Algeriū cum Hiſpanis facit 8
Huſcochi prædones Dalmatię 333
Hippolytus et Alexander Medicei decreto Senatus Reip. hoſtes declarati 16
Hippolytus capitur cuſtodiriq; iubetur 106
Hipolytus Clarice reſpondet 22
Hippolitus exules ſibi aſciuerat ut per eos Alexandro inſidias pararet 302
Hippolytus bis in Germanorū manibus fugiens periclitatur 207
Hippolytus liberatur ac demum fugit 207
Hippolytus Medices Cardinalis Legatus in bellum Solymanicum deſignatur 285
Hippolytus Medices de Clemente con

queritur quod Alexandrũ ſibi prætuliſſet 275
Hippolytus Medices ductus pœnitentia à Cæſare pacis conditiones petiturus 302
Hippolytus Medices moritur 302
Hippolytus ordinem Cæſaris abrumpit 206
Hippolyto & Alexandro Mediceis inſidiæ ſtructæ 22
Hippolyto & Alexandro Mediceis comes ex Senatus conſulto Philippus Strozza deputatur 22

I

Iacobus Alamannus Federicum Riccium in capite uulnerauit 16
Iacobus Alamãnus capite trũcatur 32
Iacobus Gerardus tumultũ perturbationemq; Florentiæ in curia excitat 85
Iacobus Medices à Cæſare relictus ad Taurinũ obſidendum 315
Iacobus Medices tormẽtorũ præfectus 554
Iacobũ Medicẽ et Baptiſtã eius fratrẽ falsò accuſatos comprehendit Vaſtius 387
Ianettinus Auria Cæſaris imperio ſaluatus 457
Ianus Docia diſcripitur 242
Iapygium promontorium, hodie Hidruntinum caput 310
Iluæ ſitus 597-598
Iluam, Aethaliam aliàs, depopulatur Barbaruſſa 597
Igiliũ Barbaruſſa expugnat 601
Innocentius Cibous 16
Ioachini Serralij literarũ copiæ, quarũ cauſa tumultus in curia excitatus erat 86
Ioannes Baptiſta Sabellus 116
Ioannes Bupæ Rex conſtituitur à Solymano 13
Ioãnes Lotharingiæ Cardinalis ad Cæſarẽ Legatus Philippũ retradat 300
Ioãnes Medices Abiatũ expugnat 9
Ioãnes Medices cadit ad Mincium 14
Ioannes Medices Pontifici ſubſidium mittit 14
Ioannes Menricus Belga 198
Ioannes Padilla Ioannes Brauius & Maldonatus duces ſeditioſæ multitudinis cum ſuis cæſi 5
Ioannes Sepuſius ad Hieronymũ Laſchum profugit 122
Ioannes Sepuſius Budæ conſiſtere ut nouũ regnũ defendat nõ audet 121
Ioannes Sepuſius Rex acclamatus & coronatus 120
Ioannes Sepuſius nõ obſcurè lætatus de Ludouici Regis morte 119
Ioannes Sepuſius Hungaris quid ſuadeat 119
Ioannes Rex Solymano obuiã proficiſcitur 125
Ioſias Firmanus cadit 376
Iouium Cæſar hortatur ad calamos parandos, ut futura conſcribat 519
Iſabella Cæſaris uxor Ferdinandũ parit 104
Iſabella Regina Salmæ reſpõdet 433
Iſabella Regina noluit Salmam ad ſe admittit 432
Iſabella Reginæ cõmuni Procerũ ſtudio ius regni delatum 430
Iſabellam Sigiſmundi Sarmatarũ regis filiã Ioannes rex ducit 426
Iſclæ urbs Pythacuſæ olim & inſulæ ſitus deſcriptio 63
Italum nomen tuetur Iouius 2
Itali ad Ceriſolam ſe recipiunt 586
Itali duces conſcribunt & eorum nomina 277
Itali duce Vaſtio ad Cæſarẽ præfectorumq; nomina 189
Itali Hungariq; duces conqueruntur apud Ferdinandum tẽpus rei bene gerendæ eripi 513
Itali negant ſe in Pannoniã ituros niſi aut Vaſtio, aut Leua, aut ipſo deniq; Ferdinando duce 202
Itali ſeditioſi Auriani præſtare dicebãt cum Turcis paciſci ac militare pro eis quàm ad caſtra redire 215
Itali ſeditioſi ad Tiliauentum ſe diſſoluunt 207
Itali ſeditioſi Tribunos militares creãt quorum nomina 295
Itali ſeditionem incipiunt 203
Italorum cladem nõ iniquis oculis cõſpexiſſe Hiſpanos ſuſpicio erat 202
Iulianus Cæſarinus 108
Iulius Medices mittitur ad exercitũ 6
Iulius Medices Franciſcum Soderinũ cuſtodiæ 8
Iulius Medices ſubrogatur Pontifex 9
Iulius Vrſinus Albæ præpoſitus 405
Iulius Vrſinus Albam Cæſarienis dedit 498
Iunio Ferruccius ſucceſſori ualdè oppidum Empolium cõmendat 149
Iunusbeius ſupremæ authoritatis interpres à Turcis Dragomanos dictus cum duobus triremibus à Venetis captus 331
Iurant Florentini præter ſocios nunquam cum Cæſaris ituri 19
Iuuarchan Cazzianer pariter & hoſtes perueniunt 347

L

Labronem Ciceronis fuiſſe conſtat Liburni portum 63
Labrum amnem Strozzeani traijcere putantes ab opere deſiſtunt 592
Ladislaus rex ad Varnam ab Amurathe ſuperatus interijt 465
Ladislaus Stalcanius fœdæ auatiæ exprobratur à Solymano mortuus 118
Ladislai Scalcanij Strigonien. epiſcopus Tomorei, Franciſci Pereni Varadinenſis antiſtitis Georgij Sepuſij capita ad Solymanum delata 118
Landa moritur 608
Landa Sandiſerij præfectus 606
Landreſium comiatum inducit Franciſcus 560
Landreſium à Gallis munitur 557
Landreſienſibus Franciſcus ſuccurrere parat 559
Lãdus Veneto nomine Daualo ac Hãnibaldo legatis reſpondet 418
Langæus lepidè Regi quid Vaſtio, ac Ciconio dicat 357
Langæus moritur 561
Langæus Taurini Gallicis copijs præfectus ad rem bene gerendum intentus 493
Lanoius in Etruriam mittitur 14
Lanoius Borbonio occurrit 14
Lantgrauius ironicè in Cæſarem inuehit 473
Lantgrauius profitebatur ſe uel Cæſare inuito Vldericum in patriam reducturum 226
Laſchus Byzantium in legationem 123
Laſcus Bizantium mittitur 499
Laſcus Ioanni conſulit ab uno Solymano opem expetendam 122
Laſchus moritur 462
Laſcus morbo diligentiam ſubtrahente medico Ptolemæum Ariminenſem medicũ ad purpuratos præmittit 456
Laſchus muneribus Barbarorum animos deuincit 123
Laſchus quid in concilio Bizantij Solymano per occlutam feneſtellam auſcultanti dixerit 123-124
Laſchus Sarmata Ferdinando bellum diſſuadet, ac ſumma eius conſilij 431
Laſchum Sigiſmundus diplomatibus iuuat 123
Laſtram Germani cum Hiſpanis expugnant 138
Laudi Pompeiæ timet Vaſtius 591
Laudẽ Pompeiam capit Proſper præeunte Piſcario 7
Laurentius Medices Alexandro principe

cipi reſpondet 388
Laurentius Medices Alexandrũ Principem interficit 390
Laurẽtius Medices deſcribitur 387. 388
Laurentius Medices hoſtis patriæ ac parricida ex Senatusconſulto indicatus 395
Laurẽtius Medices inique nacto principatu haud diu gauiſus 1
Laurẽtius Medices quibus modis poſt patratum ſcelus aufugerit 390
Laurẽtius quomodo principem interficere parat 389
Laurentius Segnius Caponium ſaluat 85
Laurentius Segnius et Iacobus Morellius 89
Laurentius Venetijs cum auunculo Soderino in gratiam Coſmi trucidatur 306
Laurentianum templum ingreſsi Florẽtini Coſmi titulum ſcalpellis excidunt 11
Lecheus portus olim nunc Diui Demetrij ſub ipſa Corintho 216
Legati ad Cæſarianos Florentini mittunt 168
Legati Flor. miſsi ad Pontificem pacem petentes ob inſignem auaritiã à Cæſare & Põtifice exploſi potius quã remiſsi 143
Legati Mediolanenſes ad Cæſarem de ſeditioſis militibus cõquerẽtes 362. 363
Legati à Pontifice ad Cæſarem & ad Gallum 321
Legati Veneti ad Cæſarẽ et Pontificem de expeditione aduerſus Turcas 361
Legionem, hodie Leodium, Roſſemius contendit 497
S. Lei caſtellũ inexpugnabile 29
Leonis & Clementis ſtatuæ lãceis trãſfodiuntur in templo à Florentinis 13
Leo Ppotifex toxico extinctus 7
Leo Pontifex cum Cæſare fœdus percutit 6
Leo Strozza triremib præfectus 616
Leonis Ppntificis dolor ex re male geſta 3
Leonardus Bartolinus ſacrarij armaria perfringit 147
Leonardus Giorius inuaditur à Iacobo Alemanno 22
Leonardus Velſius Auſtrianis copijs præfectus 433
Leopoldij Palatinus Caſonum cũ Turcis cedit 397
Lerones inſulæ antiquitus hodie Leres 314
Leſcutus parum proſpere pugnat 7
Leſcutus prior Pontifici bellũ infert 6
Leua aſtu perſuadit Germanos Italia excedere 75
Leua Gallos reprimit 300
Leua moritur 120
Leua S. Pauli Regulũ cũ exercitu fundit capitq; 83
Leua S. Pauli Regulum acie fundit & capit 79
Leua ſummũ decus conſecutus ex Gallis profligatis 83
Leua Ticinum recuperat 96
Leua uectigal intollerabile excogitat 81
Leuæ exiſtimatio apud Cæſaris aulam 95. 96
Leua ſuccollantibus baiulis in acie armatus 82
Libertatis repetẽdæ auidi Florẽtini 15
Liburni portum Ciceronis Labronem fuiſſe conſtat 69
Ligninium Cæſar capit 605
Ligninij ſitus 605
Linariũ promõtoriũ olim Pyrgeũ 601
Lipparas Barbaruſſa oppugnat ac in deditionem capit, ac omnes in ſeruitutem auehit 602
Liſcanus aurũ quod ſaluũ ſperarat deditione Strigonij amittit 545
Liſcanus & Salamanca à Ferdinando capiuntur 545
Liſcanus & Salamanca inter ſe colloquuntur, ac ſe ſaluare ſtudent 544
Liuius Liuiani filius tormento ictus cadit 406
Locuſtæ per Illiricũ in Italiam 531
Lodronius captus occiditur 353
Lodronius equum interficit ut pedes pugnet 351
Ladronius fruſtra ſe proditum queritur 351
Lodronius milites qui fugæ comites eſſe noluiſſent hortatur fortiſsime 351
Lodronius priuatis amicis ægris aut uulneratis equos dat 351
Lodronius Turcas fundit 97. 98
Lofrediani ad Ciſternas funduntur à Numidis 573
Lofredius fugiens ſubmergitur 574
Lofredius ſuperbe eos increpat qui eũ cunctari ſuaderent 573
Lotrechius in Alexandrium agrũ exercitum ducit 24
Lotrechius per Aemiliam atque Flaminiam ducit 35
Lotrechius in Apuliã cũ Venetis 36
Lotrechius Bononia hyemarat 75. 35
Lotrechius coactis in unum ducibus cõſilium init 53
Lotrechius cum exercitu ad Neapolim obſidendum 41
Lotrechius deliberat utrum Leua Mediolano pellendus, an Romam exercitus ducendus 26. 27
Lotrechius & Leſcutus fratres ſuperbi 6
Lotrechius moritur ac tumulatur in eadem uilla Aragonij Montalti ubi prætorium fixerat 56
Lotrechius nullo perſequente hoſte ſe in fugam coniecit 7
Lotrechius pecuniæ inopia laboret 52
Lotrech. & Veneti ad Ticiniũ 24
Lotrechij nullus amicus cõparuit qui ſepulturã auaro Hiſpano ſolueret 61. 62
Lotrechij uita deſcribitur 53
Lotrechij Venetorumq; exercitus numerus 36
Louanium olim Grudiorum clariſsima urbs 500
Louanienſes fortiter latronum incurſus tulerunt 501
Lubecum 496
Lucaniæ & Apuliæ pleraque oppida Gallis ſe dedunt 40
Lucã Cæſar uenit ac quid de urbe Proceres ſentirent 321
Lucæ Cæſar, & Pontifex recipiuntur 477
Lucenſes ex decreto publico Mediceos amiciſsime excipiunt 22
Luceſes negant Florẽtinis Mediceos 22
Lucemburgũ Cæſariani recipiũt 604
Lucembugum Leucorum olim urbs 495
Lucemburgenſium oppida ſe dedunt Carolo Aureliano 495
Lucius Vrſulus & Nicolaus Schermerius Conſules Antuerpiæ, egregiã fortes 499
Ludi equæſtres Bononiæ 104
Ludouicus Balbianus 24
Ludouicus Lodronius peditum præfectus ad Exechium 399
Ludouicus Lodronius Germanorum præfectus 24
Ludouicus Luſitaniæ Regis frater 278
Ludouicus Martellius & Ioannes Bandinus, aſcitis ſinguli ſocijs ſingulare certamen ineunt 143
Ludouicus Rex Hungariæ luteſcẽto in gurgite ſuffocatus moritur 12
Ludouicus Rex Hungariæ 11
Ludouicus. XII. ex Guilermi magna
Lues tertiã mortaliũ partẽ abſumpſiſſe ferebatur in Italia 75
Luſtibeius & Aiax Solymano ſuadent arma in Chriſtianos cõuertere 328
Luſtibeius Baſsã 123
Luſtibeius ad Coronẽ obſidẽdam mittitur

tiuř 164
Luphbibelus et Morus quas duas Auriæ naues onerarias acceperāt Auria recipit interfectis trecentis Ianizeris 222
Luſibeius præmittitur in Italiā ad explorandū Salentinorū animos 330
Luſitaniæ urbes terremotu conquaſſatæ ibidem
Luſitani Arabicum ſinum claſſe intercludunt 326
Luſitani ad apertos locos extructis tabernaculis in urbes fugiunt 102
Luſitania Oceani inundatione detrimentum patitur 179
Luſitani ſclopetarij tormentorumq́; magiſtri pro Tammaſo militant 326
Luſitanos India pellere ſtadet Solymanus 326
Lutetiam urbem qua de cauſa Cæſar irrumpendum non putauerit 609

M

Maccicam cadit 231
Macinium Mongatam capite truncat Barbaruſſa 380
Maggiucca tormenta ad Perpennianū ferreis ſtilis obturat 503
Magonianus præfectus dedit urbem ſe & uxore cum liberis ſaluis 303
Magonis portum dolo expugnat Barbaruſſa 302
Mahometes Chriſtianos ab aquatione arcet 141
Mahometes potitus uictoria militibus donatiuum præbet 352.353
Mahometes quo ordine noſtrorū profectionem retardaret 347
Mahometes in regnum ſurrogatur Tuneti 575
Mahomedes ſingulis horis de Chriſtianorum conſilijs certus 350
Mahometes Tuneti Rex ducentas cōcubinas aluerat ex quibus totidem proles gignerat 252
Mahometes ad ulteriores Numidas cōfugit 577
Mahomet Iahiaoglis Deſpotis Raſciæ patrimonium ſubegit 338
Mahometes Iahiaoglis Belgradi præ- 338
Mahometus Satrapa cognomine Caiti Babyloniæ præfectus 265
Mahometis apparatus ad obuiandos Chriſtianos qui Exechiū contendebant 340
Mahometis Belgradenſis ad Solymanum ſententia 456
Malacha promontorium olim Drepanum 365
Malateſta in ciues tormenta conuerti iubet 69
Malateſta eruptionis difficultatē periculūq; in ſcripto aperit. 164 & deinceps.
Malateſtæ fides Florentinis ſuſpecta 167
Malateſta Florentinorū conſtantiā nō ex fortitudine, ſed rabie proficiſci dicebat 167
Malateſta Legatos Florentinos ad ſe miſſos uulnerat 69
Malateſta mœnia munit 215
Malateſta nimis longæ & importunæ ceſſationis à Flor. increpatur 144
Malateſtā Balcon. ex authoritate Regis Florētini ducē creant 92
Malateſtā capite plectendum dicit Andreolus Nicolinus 165
Maldonatus Hiſpanus unà cum complicibus interfectus 3
Malea 330
Manfredoniā Cæſarianis defendentib. obſident Veneti 76
Manphetes Amidā iuueto diſcedere co(git 172
Maniphetes iugulatur 572
Maniphetes ſuſpectus Numidis 572
Maniphetis propinqui, & amici ab Amida obtruncantur 572
Manuum ſublatio Germanis pacati animi ſignum 610
Maramaldus Capuam occupat 59
Maramaldus falſo ac inſidioſè traditionis accuſatur 54
Marcus Foſcarus Rempub. Venetam multitudine ſuffragiorum prodi dicebat 420
Maramaldus Italorum dux conſtituitur 202
Marcus Nerius & T Soderinus Florētini Legati moriūtur Neapoli 61
Marcus Nicolaus Venetus mercator iugulatur 227
Mare tranquillū conturbatū exiui tormentorum oppugnantium Guletā 285
Mareſchalchi officium 322
Margarita Auſtria ex Cæſare cælibe nata 85
Maria Cæſaris ſoror ad Cliuenſem legatos mittit, quare copias conſcriberet ſciſcitaturos 497
Maria Pacecca ſeditioſorum ductri x5
Marinus Grimanus in Senatu ad Cæſarem orat 535
Marius Bandinus Cæſarē hoſpitio Senis excipit 312
Marius Vrſinus & Georgius Sanctacrucius colubrinæ ictu diſcerpuntur 137
Martelloſij qui 437
Martia regio ubi 279
Martia regio circa antiquæ Carthaginis ruinas Tunetū uſq; miſerrimo ſpectaculo exuritur 254
Martiam ad regionem adplicat Cæſar 279
Martis lucum oppidum ſeditioſi Itali diripiunt 205
Martius Columna captus 38
Martinus Lutherus quare indicauit Chriſtiano licere à Romanis Pontificibus deficere 6
Martinus Roſſemius in Brabantia bellum excitat 496
Marus & Tibiſcus amnes 464
Maſeria oppidū à Cecchiago tormentis irritè quaſſatum 4
Maſilia à Cæſarianis obſidetur 10
Maſilia à Cæſare obſidetur 317
Matapanium caput, Tenarū antiquis fuit 533
Matthæus Bembus Cathrarum defendit 380
Mathias rex Hungarorum ultimus & uirtute & gloria 434
Matrona amnis 606
Maximilianus Burra 604
Maximilianus Cæſar hauſio pharmaco contra imminentem morbum, moritur 8
Maximilianus Iſelſtenius Belga equites adduxit 514
Maxius carros excogitat ad Taurinū dolo capiendum 510
Maylatus & Balaſſus Trāſyluanos ad ſeditionē adiuuant 428
Maylatus Valentinus, ac Perenus, paribus propè inſidijs, uirtutis inuidia circumuenti 524
Maylatum quomodo Moldauus traducit 463
Mecha urbs 381.382
Medicei Florentia extrubantur 22
Medicei Tyranni appellati 16
Mediceorum bona fiſco addicta 16
Mediceorum domum decreto publico diruendam dicit Carduccius 31
Medicos imitatus Iouius in conſcribēda hiſtoria 3
Mediolanum obſidere Galli conſtituunt 9
Mediolani oppugnandi Veneti, & Galli cogitationem abijciunt 81
Mediolanenſi, Brixienſiq; ex agro Cæſaris copiæ in Etruriam ducuntur 164
Mediolanēſes prouinciales quid optarent 364
Medina Campi nundinis clara fortuito igni exuſta 5

Mel-

Melſicta urbs à Lando expugnatur 78
Melphim expugnant Galli 40
Memorantius deditos ſuſpendit 357
Memphiticus populus 4
Mendanius glande ictus moritur 78
Mendeſius interficitur 283
Mendocius Perpennianum tormēta ac magnam copiam ſulphurei pulueris infert 502
Mendocius præfectum rerum capitalium uulnerat 530
Mendocius Tendilij filius Hiſpanorum leuis armaturæ equitibus præfectus 278
Medocius Turcarū caſtra diripit 222
Merleiæ inſulæ quæ 331
Meſopotamiæ urbes Turcarū præſidium accipiunt 267
Meſuar cadit 257
Meſuar Tunetanos ad arma contra Turcas uocat 256
Methonē dolo cœperat Saluiatus Rhodiarū triremiū magiſter 210
Michael Landus 69
Mißinenſis portus antiquitus hodie Baianus portus 68
Mola Gallus dux cadit 584
Moldauia Valacchia 465
Moldauus Bizantium mittitur 470
Moldauus fugit 468
Moldauus Maylatum capit 463
Moldaui Alexem principem trucidant ac caput Petro offerunt 472
Moldaui Legati petentes Alexem regē conſtitui 471
Moldaui Legatos ad Ferdinandum mittunt 471
Moldauio à Ioanne gratiæ aguntur q. Auſtrianos debellaſſet 466
Moluccheæ inſulæ 306
Molycretum Aetoliæ caſtellum Sarnēſis obſidere parat 214
Molycretenſes Turcæ puluere tormentario inſigni conſtantia incenſo ſe caſtellumq; penè euertunt 215
Moncaſtrum 465
Mondraco Cantaber rebus capitalibus ab Hiſpanis ſeditioſis præficitur 366.367
Mompelerium, Volcarum urbs olim fuit 504
Moninius Galliæ regis legatus Rinconiū reddi à Cæſare poſtulat 477
Monopolim fruſtra Vaſtius oppugnat 78
Monteanum Turcæ capiunt 599
Montecaleriū occupat Galli Ciconio deſerente 357
Montenicum oppugnat Vaſtius 567
Mōtiſ ferrati ditionis imperiū Sabaudus, Gonzaga, & Salaſſus lite conteſtata ſimul ſinguli petunt 383
Montis Murlij ſitus 410
Mortalium memoria nunquam numeroſior in una urbe numerus hominum quàm Bononiæ 107
Morus archipirata Alexandrinus 220
Morus cum Hieronymo Canale infœliciter pugnat 223
Moſcos ad Starodubam Tharnouius ſuperat 467
Mulearabem Damaſcenum ſacrarum literarum abditißimarum cognitor Solymano inſinuatur 263
Muleaſſes Auerrois ſtudioſus 577
Muleaſſes ex Africa in Italiam traijcit, ut Cæſarem conueniat 570
Muleaſſes capitur 574
Muleaſſes per caſtra ductus admiratur apparatum ſorum militumq; tranquillitatem 288
Muleaſſes ad Cæſarem in caſtra uenit ac Cæſaris dextram oſculatus 287
Muleaſſes conqueritur depoſitā pecuniā apud Touarem minime integra fide reſtitutā 577
Muleaſſes cum aliquot alijs exoculatur 574
Muleaſſes deſperatis rebus profugit 258
Muleaſſes in direptione arcis tria deplorat 297
Muleaſſem alit Dorax uſque ad Cæſaris aduentum 258
Muleaſſes duodeuiginti fratres per inſidias interfecit 247
Muleaſſes equitandi peritia nemini ſecundus 577
Muleaſſes fratres occidit 252
Muleaßes Romæ excipitur 577
Muleaſſes ſui filij nuptias ſuorūq; animos deuincit ſibi 253
Muleaſſes in foro ciues orare cœpit 255
Muleaſſes Meſchinē profligat 253
Muleaßi militat ala equitū prætoriana Chriſtianorum 254
Muleaſſes à muliercula ſeruatur 576
Muleaſſes de natalibus diſſerit 577
Muleaſſes Neapolis excipitur Neapolitanis luxum in dapibus admirantibus 570
Muleaſſes quid Neapolis expectaret 571
Muleaſſes Neapolis milites conſcribit 571
Muleaſſi aduerſus Numidas præliantur 254
Muleaſſes cum piratis fœdus percußit ut omnium prædarum quintam haberet partem 253
Muleaſſes quibus modis ſe aduerſus Roſettem Meſcinemq; parat 258
Muleaſſem Hiſpani duo, abrupta ſacramenti fide omnium primi deſerunt 255
Muleaſſes Tuneto profugit adeo perturbata mente, ut aurum regaliaq; ornamenta relinqueret 255
Muleaſſes ad Tunetum funditur 573
Muleaſſes ad uarias percunctationes ſe perhumanum præbuit 577
Muleaſſes uxorem unam ex carißimis duobus aureis redemit 290
Muleaßis imperium Pœnorumq; mores 250
Muleaßis oratio ad Cæſarem 287
Muræ amnis antiquitus Sauaria 202
Myriadibus ducentis redimuntur obſides Regis filij 78
Marcus Foſcarus à Conſilijs excluditur 420
Margaritæ inſula paulò ſupra Budā claſſe occupatur 515.516

NAdaſtus Budenſis arcis præfectus uir fortis capitur ac dimittitur liberaliter 126
Nadinum caſtellum Iaderenſis agri quo pro ſpecula Chriſtiani utebantur Amurathes proditione capit 337
Naſadæ Auſtrianæ Comaram fugiunt 451
Naſadæ quid 187
Naſſous ualido Belgarum exercitu Galliam inuadit 319
Naſſous Peronam obſidet & oppugnat 322
Naſſous ſoluta obſidione in Flandriam redit 328
Nauis una ante alias miſerrime ad Algerium quaſſata 496
Nauale prælium inter Cæſarianos & Gallos 44
Nauale prælium trecentis inter ſe nauigijs noctu depugnantibus 451
Nauarrus capitur 58
Nauarrus ſuffocatus in culcitra reperitur 61
Naufragium ad Algerium 486
Nauplio, Epidauro, Nadio, atque Lebrana, Veneti à Solymano pacem redimunt 421
Neapolio Cæſarianos quos in urbe aut alibi deprehendit interficit 56
Neapoleonem Vrſinum aduocatum cum copijs Alexander Vitellius fundit 232

Neapoli Cæſar hyemarat. 303
Neapolitani multi mutata fide ad Gallos deficiunt, quapropter poſtea pœnas dederunt. 42
Neapolitani Proceres multi in ſuis oppidis deſciſcentes Gallica uexilla ſuſtulerunt. 41
Nicea Maßilienſium Colonia. 563
Nicea quomodo obſeſſa ac oppugnata. 564
Nicea obſidionem ſoluunt Galli, & Turca poſt deditionem urbem diripientes, ac incendentes. 566
Niceæ ſitus. 564
Nicęēſes de deditione ex muro loqui incipiunt. 564
Nicolaus Bracciolinus Gibellinæ factionis Mediceis addictus. 409
Nicolaus Caponius. 21
Nicolaus Caponius uexillifer. 22
Nicolaus Caponius Reip. clauum tenēs optimus ciuis. 30
Nicolaus Criſia Epirota cadit. 145
Nicolaus Ridulphus. 16
Nicolaus Ridulphus Cardinalis. 20
Nicolaus Salmā ad Reginam ęgrè admittitur. 432
Nicolaus Salma ad Reginam cum mandatis, quibus eam regno excedere iubet, mittitur. 432
Nicol. Saxoferratus cadit. 149
Nicolaus Strozza, & Morettus Signorinus interficiuntur. 402
Nicolaus Turrianus cum duobus milibus Germanorum Cliſſam mittitur. 316
Nicolizza Guintianis introrſus munimenta extruit. 190
Nicolizza ſub fide publica ad Turcas euocatur. 192. 193
Nicolizza egregiè ſe ab obſidione liberat. 192. 193
Nilotica aqua ad ciſternas uſq; Arſinoes. 327
Nouariam Cæſar Petro Aloiſo Farneſio dono dat. 361. 362
Nobilium captorum ad Ceriſolam nomina. 586
Nomina multorum nobilium Gallicæ factionis morbo morientes. 60. 61
Noricum prææltum militem nano ludibrij cauſa occidendum tradit Solymanus. 453. 454
Norici montes deſcribuntur. 196
Norius ante magiſtratus exactum tempus ſe abdicat. 22
Nubes quæ Cæſarianis ac Regijs maximum tumultum ad Villafrā̄cham excitauit. 360
Numidæ dicti Arabes quouſque eorum regnum extendatur. 251
Numidæ cohortes tres in ſtatione inuadunt. 483
Numidæ equites hyeme, & æſtate pellicea ueſte utuntur. 251
Numidæ ad extremam perueniunt ſenectam ac latiſsimi euaneſcunt. 251
Numidæ qui cum Meſchine aduerſus Muleaſſem bellum gerebant. 253
Numidæ Proceres in Muleaſſem expeditionem parant. 253
Numidæ Roſcetti ſuadent ut fugeret Algerium ad Barbaruſſam, 255
Numidæ ſclopetis terrentur. 243
Numidæ tenuiſsimo uictu ualetudinem tuentur. 251
Numidarum bellicum iuramentum ad Muleaſſem, 573
Numidarum feritas ac agilitas. 280
Numidarum mira agilitas. 482
Numidarum aduerſus Muleaſſem prælium. 254
Numidarum patrimonij cenſus in pernici equo. 251
Numidarum uxores humillimè uiris ancillantur. ibid.
Nuptialibus ornamentis Matronæ Florentinæ ſpoliata. 91

O

OBſides dantur à Pontifice. 29
Obſides duos dat natu maiores liberos Cæſari Gallorum Rex. 240
Obſides quinque à Pontifice dantur ac Neapolim ducuntur. 29
Obſides Romæ dati fugiunt. 28
Obſidione lenta lataq; Mediolani obſidendos Cæſarianos Galli Venetiq; decernunt. 81
Obroactiū recuperant Veneti ac diruunt. 337
Oceani inundatio. 178
Octauianus Medices, cum ſocijs inconcuſſi. 21. 22
Octauius Farneſius Cæſaris filiam uiduā ducit. 362
Octauius Farneſius apud Cæſarem ad ponendum militiæ fundamentum. 479
Octauianus Fregoſius capitur. 8
Octauio Fregoſio duce, Gallico nomini addicto Genua expugnatur. 8
Octouiralis Magiſtratus Florētiæ inſtituitur. 73
Odoardus Giachinotus capite truncatus. 173
Oltha fluuius antiquitus Alutas. 465
Oppida & urbes quæ & quibus donet Aurantius. 75
Oratio Archinti legati Mediolanēſis ad Cæſarem de ſeditioſis conquerentis. 362. 363
Oratio Balthaſaris Pamphili Hungarorum ducis. 345
Oratio Barbaruſſæ ad ſuos. 280
Oratio Caponij. 86
Oratio Ferdinandi Daualι ad Venetos. 418
Oratio Hariadeni ad Solymanum. 246. 247
Oratio Mahometis qua Solymanus inducitur Hungariæ regnum ſibi occupare. 456
Oratio Marini Grimani ad Cæſarem Buxeti. 536
Oratio Muleaßis ad Cæſarem. 287. 288
Oratio Philippi ad claſſem. 43
Oratio Philippi Melioris ad Senatum Florentinum de legatis Cæſari mittendis. 142
Oratio Titi Marconij Volaterrani ad ſeditioſos Italos. 203. 204
Oratio Vaſtij ad præfectos. 283. 284
Orbatellum deſerere Luna prope decreuerat. 600
Orbatelli ſitus. 600
Orbitum oppidum Tuſciæ munitiſsimū fugit Clemens Pont. 29
Orpheus Anfidius dux cæſus. 18
Oricellarius cognomento Cardinalis. 170
Oſtrouizzam expugnant Veneti, ac ſolo æquant. 337
Oſſumius, & Vicomercatus ſe inuicem ad ſingulare certamen prouocant. 569
Othomanica lex cauet Imperatorem nuſquam muris confidere. 217. 218
Othomani omnes gentes quibus cum collatis ſignis ſunt cōgreßi præter unos Scythas deuicerunt. 184
Othomanorum principum mos ex bellis bella ſerere. 184
Othoin carcerem inijcitur. 136
Ottho Montacutus Montis Murſi portas incēdit ac per flammas irrumpit. 418
Otthonis Hechij cohortes fortiter pugnantes cadunt. 451
Othoni Montacuto imperatur, ut Mariam Saluiatam, & Coſmum puerum Mediceum comprehendat. 135

P

PAccienus Piſtorienſis nullo accepto præmio arcem dedit. 25
Poccionus Piſtorienſis arcem Piſanam Florentinis dedit. 28
Pax Bononiæ facta. 104
Pax inter Cæſarem & Franciſcum Regem mulierum arbitratu excluſis cō̄fœderatis conficitur. 78
Pacis conditiones inter Florentinos in Curia obſeſſos & obſidentes. 19
Pacis leges apud Sueßiones inter Cæſarem, & Franciſcum Regem Galliæ. 610
Pactiliana rebellio. 510

Pallas Oricellarius, & Caniſianus quid in Senatu dicerent. 394
Palatinus Ferdinandi Regis exercitus dux 233
Palatin. vulneratur & exercitus Regius in fugã uertitur. 233
Panis difficultate laborant Cæſariani Neapoli obſeßi. 42
Pannoniæ noui belli cauſas à morte Ioãnis regis altius repetit Iouius. 425. 426
Pannonij belli cauſas altius reſumit Iouius. ibid.
Paria, Dariona, Perura, & Cuſchare-gna immenſo auro refertißima. 117
Parma altera parte capta Proſper columna exercitum ad Niceam amnem reducit. 6
Parmam Galli oppugnant. 7
Patras oppugnat & capit Auria. 213
Patrarum arcem in deditionem capit Auria. 213
Patricios Florentinos recuperatæ libertatis pœnitet 23
Pauci Gallorum qui ad obſidẽdam Neapolim uenerant in Galliam reuertuntur. 61
Paulus Bachitius cadit. 348
Paulus Bachitius, & Ludouicus Pechri⁹ Hungarorum duces. 339
Paulus Bachitius exploratum mittitur ad Zopiam arcem, quam Turcæ fugientes incendunt. 341
Paulus Cæſari ſacerdotiorum decumas concedit in belli ſumptus. 275
Paulus Ceres captus redimitur. 164
Paulus Pontifex Auriæ gladium ſacratum mittit. 276
Paulus Pontifex Bononiam uenit Cæſarem expectaturus. 381
Paulus Pontifex Florentinos exules incitat ad recuperandam libertatem. 390
Paulus Pontifex Hippolyti Cardinalis ſuppellectilem ad haſtam uendit, cupiente Alexandro redimere. 399
Paulus Pontifex Medicæ domus ruinas æquo animo laturus. 302
Paulus Pontifex mirus artifex in introſpiciendo interiores hominũ ſenſus. 527
Paulus Põtifex operam dat, ut Cæſar & Gallus mutuo colloquantur, & locum præfigit. 389
Paulus Pontifex Petrũ Croſiccium cohortibus ac tormentis iuuat. 336
S. Pauli Regulus acie à Leua funditur & capitur. 79
Paulus Sfortia fortiter Laudem Pompeiam defendit. 74
Paulus Simeõ Nicææ arcis præfect⁹. 364
Paulo Strigonienſi, & Petro Perenio ut parcat Ioannes Rex rogat Solymannus. 231
Paulus tertius Papa coronatur. 236
Paulus tertius Pontifex Gallum non potuit exorare ut ſe Cæſari aduerſus Turcas iungeret. 287
Pecorea locus infamis latrociniis apud Neapolim. 49
Pecunia diuenditus Galeris militibus datur. 29
Peligni Sulmonenſes Precutinique in poteſtatem Valerij. 96
Peligni uallis natura, & ſitus deſcriptio. ibid.
Pellicardum uendunt. Videricus, Chriſtophorus Galliæ Regi. 327
Peloponneſi Aetoliæ Naupacti diſtans. 213
Peluſium. 327
Peluſium mittit Cæſar ad Gallum cum pacis conditionibus. 423
Pera Ligurum colonia apud Bizantia. 471
Percuſſores Parati in cædem Iulij Medices. 2
Perenus ad Ferdinandum tranſit. 434
Perenus docet nil eſſe cunctandum, ſed audacter Budam inuadendam 515
Perenus in gratiam Ioannis regis rogante Solymano receptus. 528
Perellus Petrus in arce Strigonij ab Hiſpano capitur, ac rapacißimè torque & ueſte exuitur. 522
Perenus quæ audiuerat libere Rochãdulpho dicit, ac ſibi Hungarisq; ſe proſpecturum aſſerit. 450
Perenus ſuſpicionem de ſe inuadendi regni Pannoniæ ſatis ediderat. 523
Perenus, Valentinus, & Maylatus Hungari proceres paribus propè inſidijs, uirtutis inuidia circumuenti. 524
Perenus Viennam intrans ad uiros fortes de ſua ſorte conqueritur. 523
Pereni ingens faſtus. 523
Pereni filius ex aula Solymani à Raſciano ſeruo fælici aſtu educitur. 523
Perenum diadema olere obtrectatores dicebant. 523
Perona ad Somorobrinam amnem oppidum. 319.321.322
Peronottus Granuellius in Vangionib. legatorum conuentui præpoſitus, in quo de religione diſputatum eſt. 418
Perpennianum à Marco perpenna conditum. 501
Perpennianum Aragonijs parum honeſta conditione ademptum 501
Perpennianum Henricus caſtra mouet. 502
Perpennianum Henricus Frãciſci filius contendit. 501
Perpennianenſes tormenta Gallorum ferreis ſtilis obturant. 503
Perſæ Solymani poſteriora agmina inuadunt. 268
Perſarum ditio à Solymanico exercitu inuaditur. 264
Perſuaſiones quibus Solyman inductus fuit Italiæ bellum inferre. 329
Peſtum aduerſus Turcas fortiter defenditur. 438
Peſtum expugnant Turcæ. 451
Peſtum oppugnatur. 519
Peſti miræ in Chriſtianos ſæuit Caſſon⁹. 452
Peſti ſitus. 516
Peſtani Turcæ eruptionem faciunt 516
Peſtis in Vrbe exorta. 8
Petilianus cum Romanis copijs ſe Strozzæ coniungit. 592
Petrus Aloyſius Strozzeanis lintres ad Padum trajciendum ſubmittit. 598
Petrus Auogarius Brixianus. 36
Petrus Croſiccius capitur à Turcis, ac truncatur capite. 337
Petrus Croſiccius Cliſſæ regulus. 336
Petrus Landus Venetus claßis præfectus Molam, Polygnanum atque Monopolim in deditionem rebellãtibus ab Hiſpanis capit. 47
Petrus Landus quantum poteſt a Cæſarianis commeatus arcet Neapoli obſeßis. ibid.
Petrus Moldauus uiginti ſecuri percuti iubet. 472
Petreius Moldauus Valachorũ princeps Muſtapha triginta equorum milia mittit. 445
Petrus Nauarrus capitur. 9
Petrus Philippus Pandulphinus in concione Laurentianum Coſmi templũ diruendum dicit. 132
Petrus Strozza ad Mõtem Murlium caſtra metatur. 410
Petrus Strozza cum exulib. funduntur, & capiuntur. 412
Petrus Strozza inſidias Poſſio iterum erupturo parat. 170
Petrus Strozza inuerecũdè patrem obiurgat, ac ad Etruriæ expeditionem compellit. 409
Petri Aloyſij Farneſij alienati à Cæſare animi cauſa. 592
Petro Aloyſio Farneſio Nouariam urbem Cæſar dono dat. 361.362
Petrucciana coniuratio. 8
Peuces inſula, hodie Barillana dicitur 465
Philippus Amiras ægre Lotharingi cõſilium admittebat. 300
Philippus Auria claſſem inſtituit ad oppugnãdos Cæſa. ad ſe aduentãtes 43

Philipus Langrauius Cæſari infenſus. 226. 617
Philippus Lantgrauius Ferdinando bellum infert. 332
Philippus Lantgrauius cum Regijs copijs confligit. 333
Philippus Lantgrauius Cattorum princeps. 617
Philippus Liladamus apud Rhodios militiæ Magiſter. 8
Philippus Melancthon. 438
Philipp. Melior orat ad Flo. 141. 142
Philippus propè proditionis reus à Gallo factus. 302
Philippus Sciabotus Amiras putabat facile occupata ad Cæſarem defectura. 312
Philippus Strozza cum exulibus capitur. 413
Philippus Strozza, & Valorius reliquos antecedunt ad montem Murlini. 410
Philippus Strozza exulum princeps Saluiſto, & cæteris Cardinalibus obuiam. 402
Philippus Strozza ſibi mortem conſciſcit. 415
Philippus Strozza ægre ferebat ſuos milites prædari, ac incendijs ſæuire 410
Philippus Strozza quid reſpondet quæſtoribus de dote Catherinæ Medices conquerentibus. 225
Philippus Strozza Valorio, & Albitio utriſque necem inferre deſtinauerat. 414
Philippi Auriæ oratio ad claſſem. 43
Pinnonem inſulam ad Algerium uocant. 482
Piſana arx Florentinis deditur. 23
Piſcarius moritur. 11
Piſconem expugnat Proſper Columna & Piſcarius. 7
Piſtorij duæ factiones altera Cancellaria, altera Panciatica. 409
Piſtorienſis ager in duas quoq; factiones diuiſus. 409
Placentiā Galli infœliciter oppugnant. 8
Plebeius Caponio falſe impudenterq; obgannit. 31
Prælium leue Cæſariani cum Gallis cōmittunt. 77
Pocbutiam regionem Moldauus inuadit. 467
Poſtiua ad Strozzeas uſque copias excurrit. 467
Pœnorum mores ac imperium. 250
Pompeius Columna à Senatu amouetur. 13
Pompeius cum Veſpaſiano atque Aſcanio Columnis Fruſinonē oppugnant. 14
Pompeianus defixis in cœlū oculis mortuus concidit. 60
Pons Bononiæ corruit. 307
Pontifex in arcem fugit. 12
Pontifex tandem à Cæſare colloquium impetrat. 554
Pontifex Cæſari iratus quod cum Anglis fœdus percuſſiſſet. 608
Pontifex Duodecimuiratum Florentiæ inſtituit. 178
Pontifex educitur cuſtodia datis obſidibus. 28
Pontifex incitatus ab aliquib. ad grauiores in Florentinos uindictas. 176
Pontifex Luca diſcedit. 479
Pontifex Max. cum Patrib. carcere mulctantur. 23
Pontifex nequiuit inducere Cæſarē nec Franciſcum, ut ſe præſente in colloquium uenirent. 359
Pontifex obtinet productionem induciarum. 360
Pontifex operam dabat, ut Mediolanū Octauio daretur. 535
Pōtifex quid ſentiret de Cæſaris & Galli colloquio ad Foſſas Marianas celebrato. 361
Pontifex ſimulata ueſte poſt ſeptimum carceris menſem fugit Orbitum. 29
Pontificum diuerſorum ſtudia. 532
Populi Florentini natura. 20
Popularem ſtatum inſtituerunt Genuenſes. 71
Populoniæ portus. 598
Portundi uexillum ad Solymanum mittit Barbaruſſa. 98
Portus Herculis à Barbaruſſa expugnatur. 599
Poſoniana claſſis cum Turcica præliatur. 388
Poſſegæ regionis deſcriptio. 337
Poſſegam Hungariæ regionem Turcæ nequaquam Ioanni Regi tradendam exiſtimabant. 327
Poſſegam Sauus alluit. 341
Præcutini & Peligni & Sulmonenſes in poteſtate Valerij redacti. 36
Prædones quare proprijs nominibus appellat. 206
Proſper Columna moritur. 9
Proſper Columna cum Piſcario & Antonio Leua ad oppugnandam Parmam. 6
Prælium equeſtre cum Gallis Cæſariani committunt 38
Prælium cum Numidis quo Cæſar ipſe fortiſſimi militiſq; pugnaciſſimi officium implet. 290. 292
Preteianis Abyſſinorum Rex. 382
Prætæus capitur. 52
Prætorium decurionum à ciuibus Genuæ direptum. 67
Preueſam Grimanus oppugnans ſuper uenientibus Turcis in fugam uertitur. 370. 372
Pridie nonas Maij Roma à Cæſarianis capitur. 14
Principi inſidias parari. 388
Proceres Neapolitani in ſuis oppidis Gallica uexilla ſuſtulerant. 48
Procerum nomina qui Viennam defenſuri accurrerant. 178
Procerum nomina qui ſinguli triremes confecerant. 277
Profectionis ſignum quod futurum. 349
Proſper & Franciſcus Sfortia Gallos ad Bicoccam fundunt. 7
Proteſtantes qui, & eorum principes. 438. 439
Pugnarum uarij euentus. 315
Puteolos capiunt Veneti. 267
Puteolanos Barbaruſſa oppugnat. 601
Pyrrhus Angbiano deditionem petenti fortiſsimè reſpondet. 588
Pyrrhus Cæſarianos ad ferendam obſidionem hortatur. 579
Pyrrhus ad Galliæ regem proficiſcitur. 596
Pyrrhus Stipicianus cum cohortibus cū Florentinis improſperè pugnauit. 136
Pyrrho Vaſtius quare iratus. 596
Pythacuſæ olim, nunc Iſcla, & inſulæ ſitus deſcriptio. 64

Q

QVæſtores decumas tradentes omnes mirè afficiunt. 185
Quædam non tradenda poſteris ſed pro uirili occultanda. 2
Quare multa ſubticuit author in conſcribenda hiſtoria. 2
Quare Hiſtoriam conſcripſit Author. 2
Quibus artibus ſeditioſi Hiſpani diſsipātur. 368
Quibus conditionibus fœdus percuſſum fuit inter Cæſarem, Venetos, & Pontificem. 355
Quot hominū milia interfecta, quotq; urbes caſtellaq; euaſtata intra 18. annos inter Cæſarem, & Gallum. 327

R

RAconiſium Galli occupant. 463
Racos indicitur, id eſt comitiale concilium quo Hungari reges acclamantur. 119. 120
Rada urbs Africæ. 281
Ramada Beticus à Barbaruſſa ſupplicio affectus. 305
Ramadas præfectus Tunetanæ arcis nititur ſeruos Chriſtianos cōprimere. 294. 295
Rambuleti mortuus eſt Franciſcus rex. 616. 617

Randatium expugnant ſeditioſi Hiſpani ac ibi hyemant. 367. 368

Randatium, olim Triatium ad Aetnæ montis radices. 367

Rangonius fœliciter pugnat. 176

Rangonem diſputantem an iure belli captus eſſet, ex ſententia liberat Vaſtius. 61

Raphael dictator in Malateſtam arma uertiſſet, niſi Crcottus Toſingus auertiſſet. 170

Raphael Hieronymus dictator comitia indicit quibus expectandum eſſet an legati de pace exoranda ad pontificem mitterentur. 137

Raſchinius fortiſſimè dimicans cadit. 147

Ratiſpona conuentus. 439

Rebellium Neapolitanorum Procerum Nomina. 76

Recipiunt ſe Cæſariani neſcijs Gallis. 89

Regina à Turcis ſubſidium petit. 436

Regiones nouæ Cæſari inuentæ. 305. 306. 307. 308

Rempub. ciuibus reddi petunt Florentini. 21

Renatus Aurantius tormento lethaliter ictus. 607

Renata Ludouici Regis filia Herculi nubit. 84

Rentius Ceres quatuor militum milia cõſcribit. 53

Rentius Ceres infauſtus Vrbis patriæq; ſuæ defenſor. 54

Rentius Ceres fœdum ſui cõſilij exitum tulit. 9

Rentius Ceres adipiſcendæ pecuniæ ſpe decidit. 56

Rentius Ceres copias in Etruriam ducit. 8. 9

Rentius Ceres & Vitellius Tiphernas Columnios in fugam mittunt. 14

Rentius Ceres per Caſtra ſpectatum ducitur. 53

Repulſi Galli Parmenſi oppugnatione diſcedunt. 7

Reſponſum Florentinis de Cæſare per Legatum eorum datum. 94

Rhium caſtellum Achaiæ in anguſtijs Naupacti direptum. 213. 214

Rhienſes in ſeruitutem ducuntur. 345

Rinconius Byzantium mittitur, ac ab Hiſpanis intercipitur. 476

Rinconius iure cæſus. 477

Rinconem meritò occiſum apud Solymanum Laſchus aſſerit. 462

Rizonicus ſinus, hodie Catharens. 533

Rizonicus ſinus, quem Catareñ uocant, deſcribitur. 533

Rithimnam, hodie Retimum oppugnat Barbaruſſa. 365

Robertus Marchius Gallicæ factioni ſemper addictus. 7

Rochandulphius Budam oppugnat, ac Reginæ precones mittit. 441. 442

Rochandulphius cuniculis Budæ murũ tentat. 443

Rochandulphius moritur. 452

Rochandulphius nihil tutum quod eſſet indecorum putabat. 445

Rochandulphij Caſtrorum ad Budam ſitus. 445

Roderious Portundus ſuperbus. 97

Rodericus Ripalta Caſtrorum magiſter cadit. 384

Rodericus Ripalta vulneratus. 294

Rhodus à Solymano expugnatur. 8

Roſam Roſſemius diripit. 497

Roma à Cæſarianis capitur. 11

Roma à Cæſarianis pridie nonas Maij capitur. 14

Roma à Cæſarianis expugnatur. 21

Romæ delectus militũ tam pro Cæſare, quàm Gallo fiunt. 590

Roma Pontifice præſente Cæſar Gallorum Regem ad ſingulare certamen prouocat. 318

Roma Pontifice præſente Cæſar ad Galliæ Legatos orat. 310. 311

Romæ Tyberis prodigioſus, fames, peſtis ineuitabilis. 235

Romam Capena porta intrat Cæſar. 309

Romanus Simon ultimus omnium bello cadit. 79

Romulus Amaſæus. 104

Roſcinius Ciartus nobilis Etruſcus à Cæſarianis interficitur. 42

Roſſemius Antuerpia diſcedit, ac Louanium concedit. 501

Roſſemius Araldus Antuerpiam mittit qui urbem in deditionem petat. 500

Roſſemius Areſcotum caſtris, & tormẽtis exuit. 557

Roſſemius copias cogit. 496

Roſſemius Hoſtratum capit in deditionem. 497

Roſſemius latronum dux. 498

Roſſemius qua arte in Aurantio texendis inſidijs uſus. 498

Roſſemius ad Rauaſtenium Moſam traijcit. 497

Roſſemius Roiam diripit. 497

Roſſemius Texandriam inuadit. 497

Roſſemius Verbecum, Horſcotum per Berlã deſcendens omnia uaſtat. 497

Roſſemio Cæſar liberaliter ignoſcit ac ſuæ militiæ aſſcribit. 557

Roxolani, Arpij, & Tauroſchitæ olim Valachiæ poſſeſſores. 463

Roxolana Habraymũ quare odio proſequebatur. 272

Roxolana & mater Solymani Habraymum Pſeudoturcam appellant. 269

Rubri maris, ſiue Arabici ſinus longitudo, ac ſitus. 383

Rubro in mari Campſon Memphiticus Sultan claſſem extruxerat, ut india Luſitanos arceret. 387

Rumores per Italiam de Alexandri percuſſore. 396

Rumores uarij de bello ingruente Gallis. 603

Rurmonda & Vantholdium ſe Cæſari dedunt. 556

S

Sabaudus in Germanorũ cliẽtela 472

Sabaudus inermis à Gallis ſuis oppidis exuitur. 299. 300

Saiauedra Bæticus equitum præfectus Auelinum diripit. 55. 56

Salamanca & Liſcanus dedere ſe conſtituunt. 544

Salamanca ad Turcas mittitur de deditione tractaturus. 544

Salaſſius glande ictus cadit. 403

Salaſſius quibus conditionibus inductus ad defectionem. 386

Salaſſius moritur. 62

Salaſſius regulus ad Cæſarẽ deficit. 312

Salernum capitur. 13

Salernitanus Strozzam de traijciendo Pado animum commutare cogit. 592

Salomon Siculus & Petrus Baccionius Ligur acerrime propugnando Parmam defendunt. 7

Salona urbs clariſſima. 336

Salſarum Caſtelli in Pyrinæis ſitus. 502

Saluiatus Cardinalis in Gallia Legatus. 23

Saluiatus Coſmo ſuadet ut abdicet ſe principatu. 400

Saluiatus & Capinius ſe Mirandulam recipiunt. 414

Saluiatus mauult colloquijs quàm armis de Reipub. ſtatu differere. 400

Saluiatus ſibi ipſi iraſcebatur quòd Florentiæ ſtatum nimis feſtinanter tentaſſet. 402

Saluiatus uel Petro Strozza hortante induci nequiuit ut copias ad hoſtes deduceret. 413

Samarobrina, nunc Cameracum. 613

Sandeſirium obſidet Cæſar, 606

Sandeſirium oppugnatur. 606

Sandeſirij deditio quib. conditionib. 612

Sandeſirij cadentium nomina. 608

Sandeſirij Galli legatos de deditione ad Cæſarem mittunt. 612

Sancius Ferias cadit. 380

Sangrus

Sangrius arcem Claraſcchi dedit. 494
Sanzaci prouinciarum præfecti. 125
Sanzacbos quos Turcæ uocant. 459
Sardi inſidijs à Rètio adorti funduntur. 68
Sarmentus quare Caſtronoui angeretur. 379
Sarmentus cadit. 380
Sarnenſis Regulus ab erumpente Saleco circumuentus cadit. 282
Sarnenſis Theodoro Spinulæ egre Turcas ſuſtinente ſuccurrit. 218
Sarra Columna. 35
Saxerim occupat Rentius. 69
Saxo inſula. 221
Sarzanum. 71
Scaligeri proceres Chriſtophorus & Brènor duabus Germanorum legionibus in Italiam mittuntur. 580
Scander Baſſa quis. 266
Scardi montes qui & quorum ſint. 529
Scardonã Veneti capiũt ac diripiũt. 315
Scarparia corruit. 516
Scialonum oppidum, olim Catalaunum fuit. 611
Scimitarra uocatus Carduccius. 36
Scipio Columna Reatinus epiſcopus collatis ſignis ad Manlianũ pugnat. 56
Sclauoniam Drauus alluit. 541
Scopia. 330
Scythæ ſoli ab Othomannis inuicti. 184
Syluius cum adoleſcẽtibus Mediceis exturbatur. 22
Sebaſtianus Montecuculus diſcerpitur quod ueneno Frãciſcum Delphinum interemiſſe dicebatur. 217
Sebuſiana uia. 357
Seditio militaris Viennæ exorta. 194
Seditio inter milites Florentinis ualde periculoſa. 172
Seditionem mouẽt Hiſpani ad Lintium. 394
Seditioſorum capita inuolutis ſaccis ſubmergit Vaſtius. 277
Selandia & Hollandia Oceani inundatione uaſtantur. 170
Selymus Turcarum Imperator ulcere apud renes contracto moritur. 4
Selymi præſides ſuperato Euphrate circa Byrtham incurſiones faciunt. 260
Senatus Florentinus nõ decreuerat principem eligere, ſed uexilliferatum erigere. 398
Senatus unum & triginta uirorum à Pontifice inſtitutus. 1
Senenſes fœminæ inter Italicas ſpectatiſſimæ formæ. 318
Senenſes intrantem Cæſarem eorum fines ac demum urbem liberaliter excipiunt. 311
Senenſes ſuſidium à Coſmo impetrant. 598
Senenſes ſubſidiũ contra Barbaros ipſis à Coſmo Medices oblatũ reſpuũt. 569
Sergianus Carracciolus fidem mutat ac Gallis ſe addicit. 42
Sergianus conſtantiſſime pugnans capitur. 40
Seſtinianum fruſtrà Strozzeani oppugnant. 402
Sexdecim annos continuos Florentini cum Piſanis bellum greſſerunt. [illegible]
Sfortiæ Magni interitus miſerabilis ad amnem Aternum. 35
Sfortiani Galli Venetiq; Ticinum expugnant. 79
Sibinicum oppidum, antiquitus Sicum fuit. 505
Siculi profligãtur à ſeditioſis Hiſpanis. 366
Signiferi ſexdecim Floren. conſtituti. 31
Sigiſmundus Laſcbum diplomatibus ornat. 123
Sigiſmundus ad Solymanum legatos mittit, ut ſalua Solymani amicitia liceat Moldauos inuadere. 468
Simon Zagobrienſis Epiſcopus qui ad multam utilitatem caſtris frumentũ ſuppeditaturum ſe promiſerat. 540
Simulati Florentinorum uultus. 20
Sina mons. 327
Sinas auertit quo minus Chriſtiani ſerui ad unum omnes interimantur 294
Sinas præ gaudio recepti filij moritur. 598
Sinas commilitonum nomine Hariadeno reſpondet. 287
Sinas cum ſuis ducibus Tunetum profugit. 286
Sinas Smyrnæus Guletæ à Barbaruſſa præficitur & ſuorum nomina. 280
Sinas Smyrnæus cognomẽto Iudæus archipirata. 98
Soderinus auri tenax & uita prodigus. 61
Soderino eiecto quindecim annis Patria præfuerunt Medices. 22
Soderini conſuetudo Florentiæ reuocatur. 23
Soclos Amurathes capit, ac ad unum omnes interficit. 540
Solum haſta cuſpide uerrere ignominioſum militia. 548
Solymanus ad Albæ conſpectum. 549
Solymanus arma expedit, ut Reginæ ſuccurrat, ac Regi puero dona mittit. 437
Solymanus aſtronomiæ, ac coſmographiæ peritus. 460
Solymanus Babylonia exercitũ educit. 263
Solymanus à Babylonijs recipitur ac ibi hyemare conſtituit. 266
Solymanus Belgradum peruenit. 189
Solym. Belgradum reuertitur. 202
Solymanus Budam intrat, ac Reginam cum puero diſcedere iubet. 458
Solymanus Budam, ac Peſtum cæteris relictis defendenda conſtituit. 516
Solymanus Byzantium uer inſtituit. 170
Solymanus captiuos nuntiatum in urbẽ remittit quare Viennam oppugnarat. 130
Solymanus captos ad Exechium & Byzantium ductos cædi uolebat, ſed Ianizeris deprecantibus ſeruati. 351
Solymano capita trium ducũ ex Exechiana clade argẽteis peluibus oblata. 351
Solymanus Caßimo Baſſa imperat, ut Nauplio, & Epidauro in Peloponneſo Venetorum Vrbib. bellum inferat. 335
Solymanus caſtra mouet in Aſſyriam ſuadente Vlamane. 265
Solymanus Chriſtianorum arma timẽs tres exercitus in Pannoniã ducit. 445
Solymanus commutato conſilio Venetis bellum infert. 312
Solymanus ex cruce deiecta ex ſummi templi pinnaculo, Strigonium capiũ ominatur. 544
Solymanus ultra Euphratem. 242
Solymanus Eunuchus Epirota Aegypt præfectus. 427
Solymanus exercitum in Aſiam ducturus ad Niceam congregationẽ facit. 264
Solymanus expiato templo Strigonij ſacra facit. 545
Solymanus Franciſco Galliarum fratri, & amico claſſem duplo maiorem in Cæſarem quàm petierat promittit. 509
Solymanus Galliæ fratrem appellat. 507
Solym. Hariadeno uexillum ſceptrum gladiumq; de manu tradit. 246
Solymanus ingratũ Galliæ Regẽ, quòd pacem maturaret dicit. 423
Solymano ad Iconium obuij Hariadenus Barbaruſſa, & Sinas cognomento Iudæus. 226
Solymanus iratus quid de Ferdinando, & Ioanne regibus dixerit. 426
Solymanus Italiæ bellum inferre decernit. 239
Solymanus Legatos ad Hariadenum. 245
Solymanus literas ad Cæſarem mittit, & earum tenor. 198
Solymanus Luſitanos India pellere ſtudet. 526
Solymanus contra Moldauum expeditionem facit. 468

Solymanus Moldauos in fidē recipit, ac Stephanum regem conſtituit. 469
Solymanus octingentos captiuos in fruſta concidi iubet. 438
Solymanus obſidionē Viennæ ſoluit. 131
Solymanus Pānoniæ bellū infert. 11
Solymanus ad Pannonicam expeditionem proficiſcitur. 125
Solymanus in Perſarum ditiones peruenit. 264
Solymanus Petrum Moldauum in gratiam recipit, ac exercitū ad reducendum decernit. 472
Solymanus pari odio & Chriſtianos & Perſas proſequebatur. 260
Solymanus pertæſus expeditionis ſuſceptæ Corcyræ obſidionem ſoluit. 315
Solymanus Polino per Eunuchū grauiſſima oratione reſpondet. 507 508
Solymanus potitur Buda. 13
Solymanus Regem puerū ſuis liberis amplectandum tradit. 454
Solymanus puerum ad Reginam remittit proceribus retentis. 455
Solymanus quare non recta Guintio Viennam profectus fuerit. 123
Solymanus per quatuor dies de Hungarico regno conſultat. 455
Solymanus Regi puero, & Hūgaris procerib. dona mittit. 354
Solymanus Reginam cum puero in caſtra euocat. 454
Solymanus Rhodum expugnat. 2
Solymanus per Roſtanē Ferdinandi legatis reſpondet, & quibus conditionibus Solymanus Ferdinando pacem concedere uellet explicat. 461
Solymanus per ſimulationem uiſcendæ urbis Budæ portas occupari iubet. 455
Solymanus ſe proprium Romani Imperij ſucceſſorem aſſerit. 183
Solymanus ſeptem Procerum capita ſibi allata ridet. 118
Solymanus ſuos duces ad ſe uocatos increpat, ac eos niſi Alba expugnata redire iubet. 550
Solymanus ſuos increpat quòd a limine uictoriæ ſeſe retuliſſent. 130
Solymanus Taurifium capit ac diripit. 268
Solymanus in Thraciā redit, ac Laſchū dimittit. 462
Solymanus in Thraciā reuertitur. 138
Solymanus tres ſtatuas Budæ Byzantiū auehit cum aliquot tormentis columnisq́;. 112
Solymanus triremium claſſem inſtituit, ut Luſitanos Indiæ pellat. 327
Solymanus Viennam peruenit. 127
Solymanus uirum Chriſtianum intra ſepta aulæ admittere non conſueuit. 123
Solymanus uiſis Ludouici Regis & Mariæ Reginæ imaginibus quid dixerit. 118
Solymanus unicus Selymi ex Boſphorana uxore filius. 74
Solymanus uno tempore multis bellis occurrit. 445
Solymanici exercitus numerus & diſciplina. 391
Solymani literæ ad Franciſcū cum claſſe miſſæ. 538
Solymani mater Orientis bellum diſſuadet. 265
Solymani ordo in ducendo agmine. 268. 269
Solymani promiſſa Viennienſibus. 131
Solymani reſponſa ad Ferdinandi Legatum. 124
Solymanica caſtra medi a æſtate ſumma tempeſtate niuium & imbriū in Perſia afficiuntur. 265
Solymanica caſtra deſcribuntur. 462
Solymanica claſſis quanta in mari rubro. 328
Solymanica ac Veneta claſſes mutuo ſe amicè ſalutant. 310
Solymanici exercitus numerus & diſciplina. 400. 401
Solymanici improuiſi à Perſis opprimuntur. 270. 271
Soncini oppidi ditionem Stāpæ Mediolanenſis arcis præfecto Cæſar donat. 384
Sophus Hiſmael Tammaſum natu quatuor fratrum maximum heredem inſtituit. 259
Sophi Hiſmaelis filiorum hereditates ac præfecturæ quæ. 259
Spalatenſes incolæ uiſuri expugnationem Mileniciui caſtelli à Turcis capiuntur. 337
in Sphragiæ inſulæ portum claſſem deducit Auria quem noſtri Sapientiam uocant. 210
Spinula & Auria familiæ Gibellinæ factionis. 71
Spinulam Pregoſij capiunt. 66
Spinula Genuam reuocatur. 65
Spinula Ligur à Numidis capite truncatur. 281
Stabia olim nunc Caſtellum maris. 55
Stechadæ inſulæ portum Maſſiliæ efficiunt. 219
Stephanus Balia Mutinenſis à Vaſtio ſuſpenditur. 403
Stephanus Bator præſes Pannoniæ deſignatur Prorex. 122
Stephanus Columna apud Cæſarem caſtrorum magiſter factus. 554
Stephanus Ioannis filius à baptiſmo coronatur. 439
Stephanus Petrum ſibi tradi contendit. 476
Stephanus Petri frater Moldauiæ rex cōſtituitur. 469
Stephanus Raſcaini, & Frāciſcus Francapanes à Regina deficiunt. 434
Stephanus Verbetius ſuadet regem Ludouicum Budam è caſtris abire. 12
Stuphanus portus Etruriæ. 14
Strigonium deſcribitur. 541
Strigonium oppugnandum diſtribuit Solymanus. 542
Strigonium oppugnatur. 542
Strigonium Solymanus reficit, ac munit. 545
Strigonium tres prætorianos Solymanus mittit. 541
Strigonij eruptionem faciunt. 543
Strigonij portæ aperiuntur. 544
Strigonienſibus imperatur arma dimittere. 544
Strimones amnis Marmarius dictus. 390
Strozza cum Florentinis quæſtorib. ſe dedit. 60
Strozza ad Sarauallē oppidū pugnat. 593
Strozza apud Mirandulam milites conſcribit. 589
Strozzæ Pitilianus ſeconiungit. 592
Strozza Hippolytum Cardinalem Ateſtinum cōſultat de itinere faciundo. 589
Strozza mentita rubea cruce fœliciter elabitur. 594
Strozza noctu ſe proripit. 593
Strozza obuiam proficiſcitur Vaſtium. 592
Strozza omnes moras abrumpendas dicit. 590
Strozza per Liguriam in Galliam cum cohortibus traijcit. 594
Strozza plures dicebatur ducere copias quàm faceret. 591
Strozza ſimulat Padum traijcere, ut hoſtes fallat. 592. 593
Strozza ſuis copijs Padum traijcit 590
Strozzeani profligantur. 594
Strozzeani exuti tormentis uexilliſq́; in fugam uertuntur. 412
Stuarda familia Scotiæ. 518
Stuarda familia quinq; Iacobos Scotiæ reges non intercisa ſtirpis ſerie tulit. 528
Studium Florentinorum nouæ libertati tuendæ cauſa. 29
Sublaqueanum. 39
Sueui Vldericum Vitembergenſi ditione exuunt. 226
Suetia portus olim Arſinoes. 317
Sulmonēſes Præcutini Pelignię; ſine uulnere in poteſtatē redigit Valerius. 36
Sultani Reges duo à Selymo deuicti ac

atque

que interfecti. 4
Sultaniani olim Perſarum regiam Solymanus ad ſtatiua contendit. 264
Suinna oppidũ à Ceſarianis noctu iter facientibus capitur. 55
Surrientus capitur. 606
Surſum oppidum in Sardinia occupat Rentius. 68
Synodus diuerſa Reipub. magnam tranquillitatem attuliſſe. 478
Syracuſanus portus hodie Bonifacius. 479

T

TAgus in medio ſui alueì ſicca uada oſtendit. 179
Taliſmanes Sacerdos Solymano dicit dormientes haud uiuos cenſeri. 172
Tammas à Cæſare tormentis iuuatur & ſocius appellatur. 272
Tammas in Coraxenos abſceſſerat. 265
Tammaſus Solymani ueſtigijs inſiſtit. 269
Tammaſus iterum in Coraxenos ſe recipit. 267
Tammaſus maghi Hiſmaelis filius. 242
Tammaſi Regia diripitur. 268
Tammaſi regiam urbem Solymanus intrat. 264
Tammaſi ſententiam de bello gerendo perdiſcit Vlamanes. 264
Tamerlanes Scytharũ dux clariſſimus. 264
Taruanna à Belgis obſidetur. 324
Tattam in deditionem Solymanus capit, ac euertit. 546
Taurlcum lolo capere Cæſariani parant. 510
Taurinum urbem Galli defendere ſperant. 516
Taurinenſes media laborantes à Gallis ſuccurruntur. 357
Tatesſiam à Solymano diripitur. 268
Tauriſium Tammaſi regia urbs. 264
Taurus incantatus ſedandæ peſtis cauſa. 8
Teias Agillarius equitum præfectus cadit. 89
Telamoniũ Barbaruſſa expugnat. 599
Ternouizia regia Valachiæ. 465
Tertiam partem mortalium lues in Italia abſumpſiſſe ferebatur. 75
Teſtium ad Montiſferrati oppida occupãda mittitur. 588
Teſtegis Habraymi citharædus militibus præficitur. 378
Tharnouius dux periti ſſimus Moſcos ſuperat. 467
Tharnouius Moldauum fundit, ac tormentis exuit. 468
Thermaicus ſinus. 530
Themiſtitana urbe Venetæ urbis inſtar potitur Ferdinandus Corteſius. 506
Theodorus Triuultius Venetorum Imperator captus. 7
Theodorus Triuultius arcem Genuenſem dedit. 72
Theodorus Spinula ægre Zadarẽ ſuſtinuiſſet ni Sarnenſis ſuccurriſſet. 212
Theodoſia quæ Caffa dicitur. 465
Theſſalonica. 530
Thermeus. 583
Thermeus capitur. 584
Tocaciæ prælium. 122.122
Thomas Eboracenſis Cardinalis author repudij inter Regem Henricum & Catharinam Cæſaris materteram. 216
Thomas Volſeius Cardinalis ſupplicio affectus. 225
Thomas Volſeius Cardinalis Eboracenſis Angliæ regno peſtilentiſſimus. 225
T. Zephio funeſti cubiculi claues dat Laurentius Medices fugiens, honoris immemor. 200
Ticium capitur ac diripitur. 23
Ticinum expugnatur à Gallis, Sfortianis Venetiſq;. 20
Ticinum obſidẽt Veneti cum Lotrechio. 24
Ticinum à Rege menſes quatuor obſidetur. 19
Ticinenſes ſtatuam Antonini Cæſaris auferri non patiuntur. 21. 24
Tinctus Batiſolius cadit. 152. 153
Titus Marconius Vaſtiũ præfectoſq; cæteros Italici ſanguinis proditores appellat occidendumq; decernit. 205
Titus Marconius Volaternanus ad ſeditioſos Italos loquitur. 203
Tocalum caſtrum. 121
Tolonis portus antiquitus Taurẽta fuit. 567
Tolonæ portus, antiquitus Tauranta. 315
Tormenta relinquuntur, puluis cum cæteris belli apparatibus exuritur. 347. 349
Tormenta quot Budæ capta in caſtris & Peſti. 412
Tormentis Galli exuuntur. 9
Tornielius Albã proficiſci retractat. 547
Tornielius Hannibalem capitali ſupplicio afficit. 546
Touares cum Amida quibus conditionibus fœdus percutit. 574
Touares apud Cæſarem furti reus factus à Muleaſſe. 577
Touares Guletæ præfectus ſuadet Muleaſſi ne tam exiguis copijs Tunetum proficiſcatur. 573
Toxanoriam regionem inuadis Roſſemus. 497
Traiani pontis ueſtigia uiſuntur ad Seuerinum oppidum. 465
Tranium occupat. Camillus Vrſinus. 77
Tranſalpina Valachia. 465
Tranſyluaniæ populos in deditionem Ferdinandus capit. 332
Tranſyluani ad arma ad Americi antiſtis mortem uindicandam. 240
Tranſyluani quare à Ioanne rege rebellant. 427
Trecenti milites à niue in peligni ualle extincti. 36
Tribus de cauſis conſtituerat Cæſar Galliam inuadere. 318
Tridenti concilium indicitur. 525
Tridentini concilij tranſlationem apud Bononiam cur inſtituit Paulus III. Pontifex. 612
Tripartitim diuiſi Cæſariani iter facientes uno quaſi tempore Neapolim ueniunt. 40
Triremes plicatiles. 327
Triremes quatuor Aurianæ merguntur. 466
Trotæ ſitus. 39
Troilus Pignatellus Neapolitanus tranſfuga ad Solymanum inter Mutferacas aſſcribitur. 329
Tumultuaria pugna Cæſariani cum Gallis pugnant. 42
Tumultuariam pugnã Cæſariani excitant in Gallos perficiendæ munitione ad Pogium intentis. 50
Tunetum diripitur. 296
Tunetum Turcarum colonia uidebatur. 591
Tunetum uerſus Cæſar caſtra mouet. 291
Tuneti Chriſtiani cohortis prætorianæ in præſidio. 254
Tuneti reliquiæ Gallorum à Pœnis ſuperatorum inuentæ. 297
Tunetana arce ſerui Chriſtiani potiuntur. 295
Tunetani regni amplitudo. 251
Tunetani conglobantur cum Roſchetem non uenientem intelligunt. 265
Tunetani cum Hariadeno pacem. 258
Tunetenſes ad Cæſarem cum clauibus. 297
Tunetanos Meſuar ad arma ſuſcipienda Turcaſq; obſidendos hortatur. 256
Turca inſignis Dux Vitellium ſibi oſtendi petit, ac amplectitur. 431
Turcæ ſub auroram Rochadulphi caſtra duobus in locis oppugnant. 449. 446
Turcæ Auſtriana caſtra inuadunt. 450. 451

Turcæ Barbaruſſam cum Auria colludere dicebant. 567
Turcæ ducenti equites ab Hungaris cæduntur. 150
Turcæ & Germani leuiorib. prælijs aliquot diebus pugnant, quò i cum fieri Rochandulphus uetat, noſtrorum animos minuit, Turcarum auget. 447
Turcæ loco depelluntur ad Exechium. 548
Turcæ nullum extraneum ad Tyrannũ admittunt, ni primo de occultis armis inueſtigarint. 460
Turcæ Peſtum oppugnare deſinunt, & re infecta Danubium traijciunt. 438
Turcarum capita Viennam deferuntur. 191
Turcarum agmina in Coronẽſium ſubſidium uenientia. 212
Turcarum caſtra ad Budam. 446
Turcarum præfecti ſuos ad Viennam oppugnandam uulneribus & uerberib. adigunt. 130
Turcarum præfecti qui, & numerus eorum exercitus. 516
Turcarum cum Venetis pacis abruptæ occaſio. 331. 332
Turcas cædunt Hungari. 198
Turcas fundit Catianer. 198
Turcas fundit Lodronius. 198
Turcicæ claſsis magno cum detrimẽto in Danubio congelata. 437
Turiſanus ad Caragium oppidum à Cæſarianis deuictus. 385

V

Vacciam in poteſtatẽ redigit Velſius. 434
Vacciam expugnant Turcæ. 433
Vagniſſa amnis, olim Aenantem uocabant. 332
Valacchia deſcribitur. 464
Valacchia in duas partes dimiditur. 365
Valacchia à Flacco præſide Romano originem ducit. 464
Valacchi Deum Chriſtum colunt Græcorum more. 364
Valdemontius legitimus hæres Andegauenſium. 36
Valdemontius ad Neapolis portas. 13
Vallemontonium expugnant Germani, & Hiſpani. 27
Vandaneſius Comi præſidio impoſitus. 9
Valentinus & Maylatus ueri Hunnici ſanguinis fraude à Barbaris capiuntur. 464
Valentinus Maylatus, ac Perenus paribus propè inſidijs uirtutis inuidia circunuenti. 524
Valentinus ſolus ex proceribus à Solymano retinetur. 458
Valentinus Thuracus & Bachithius Paulus ambo inſtabilis fidei. 186
Valẽtino libertatẽ Regina impetrat. 458
Valerius Vrſinus ſe dedit poſteaq; dimittitur. 62
Valerius circumuentis Gallis periclitantibusq; ſubuenit. 37
Valorio mortem interminatur Coſmus. 401
Valponium arx. 542
Valponium Solymanus in deditionem capit. 540
Varanius Spurius. 95
Varaniæ familiæ reguli ueteri dominio depulſi. 95
Vaſcones ultra mœnia fugientes à Germanis occiduntur 405
Vaſtius ex Aenaria à Cæſare euocatur. 279
Vaſtius afflictos Italos oratione conſolatur. 283
Vaſtius in Arelatenſem uſque agrum excurrit. 317
Vaſtius, & Aſcanius Columna ab Auria in Aenariam exponuntur. 61
Vaſtius, & Aſcanius Columna in nauali prælio capiuntur. 45
Vaſtius ad Cæſarem de ſeipſo pauciſsima loquebatur. 219
Vaſtius Cæſaris copias in Florentiæ conſpectum ducit. 104
Vaſtius dum ſtudet retentare ſeditioſorum agmen periclitatur. 205
Vaſtius ad expeditionem Coronenſem uenire noluit. 220
Vaſtius & Gonzaga refragantur Leuæ conſilio. 312. 313
Vaſtius inducit Auriam, ut Cæſaris auſpicia ſequatur. 70
Vaſtius Italos honoris memores eſſe hortatur iam ad ſeditionem procinctos. 203
Vaſtius poſt inducias Regia caſtra ad Carmagnolam inuiſit. 358
Vaſtius præparat ſe ad Strozzeanos excipiendos. 562. quare de inducijs inter Cæſarem, & Gallos perculſis gauderet. 558
Vaſtius quare Gallos leuioribus prælijs uexandos cenſeret. 557
Vaſtius ſcalis in arcem cum militib. Caſali recipitur. 386. 387
Vaſtius ſeditioſis filium obſidem offert quoad pecunia exoluatur. 164. ſeditioſos ad officium reuocare ſtudet. ibid.
Vaſtius ſibi Lanoium adiungit, ac Strozzæ obuiam proficiſcitur. 564. ſummum naufragij periculum adit. 566
Vaſtius tribus de cauſis Gallos oppugnãdos cenſuerat. 581
Vaſtius ad præfectos Hiſpanos dicit. 283
Vaſtius ad Carinianum Azalium & Vicomercatum fundit & capit. 569. ad Carinianum ſuccurrendum ſe parat. 580
Vaſtius ad recipiendum Caſale promptiſſimè ſe itineri cõmittit. 386. ad Stallouiam caſtra mouet. 582. ægrotus Regẽ inuiſere nequit, at nobiliores Inſubres ad Regem mittit. 560
Vaſtius à Fortuna interceptus, quo minus ſuſcepta ad Carinianum ſuccederent. 581. caſtra Carinianum uerſus mouet. ibid.
Vaſtius Cherium expugnat. 405
Vaſtius duas legiones Germanorum à Ferdinando rege ad ſe euocat. 404. egregio dolo Monteuicum in deditionem capit. 567. 568
Vaſtius & Auria Cæſari Africæ expeditionem diſſuadent. 478
Vaſtius fortiſsimam Sarmenti legionẽ deplorat, Inſubresq; lætantur. 381. Gallorum præſidia in ſubalpina Gallia expugnat. 351
Vaſtius Hiſpanos caſtigat, quòd pro cono parua uexilla galeis impoſuiſſent. 407. in hoſtium conſpectum ſe dat. 583
Vaſtius intra uiginti octo dies ſupra Caſale receptum Cherium Claraſcum, atque Albam fortiſsimè expugnat. 408
Vaſtius malè apud Ceriſolã ominatur. 584
Vaſtius ſummergit ſeditioſos. 277
Vaſtius ad arcem Tuneti à Chriſtianis excipitur. 296
Vaſtij acies ad Ceriſolam deſcribitur. 583
Vaſtij æmuli detulerunt non parem decreto numerum militum conſcriptũ. 194. 195
Vaſtij literæ ad Simeonem miſſæ à Gallis intercipiuntur. 565
Vaticanum diripitur. 22
Vbertus Gambara apud Britannos legatus. 23
Vectigal diræ cladis Leua excogitat. 81
Vega ad Cæſarianos deficit. 595
Vega Anxianum expugnat. 596
Vega deditos ſuſpendit. 595
Velaſcus, & Henricus Gallos ſuperant. 9
Velſius Budam obſeſſurus ad Aquas Calidas caſtra metatur. 434
Velſius caſtra ad Strigonium reducit quòd Hungari, & Germani quotidianis rixis inuicem inuaderent. 435
Velſius Vicegradum altamq; arcem expugnat. 435

Velſius

Veſtius Peſtum occupat. 434
Venetus exercitus in Peligni ualle à niuibus affectus. 36
Venetus Senatus Antonio Polino Regis Galliarum legato reſpondet. 507
Venetus Senatus legationem Dauali, & Hanebaldi ſuſpectam habebat. 419
Veneti in Apuliam cum Lotrechio. 30
Veneti Cæſar & Pontifex fœdus in Turcas percutiunt. 355
Veneti in partes Cæſaris trāſeunt. 303. 304.
Veneti ad excidium Sfortiani imperij cum Gallis coniurarunt. 261
Veneti fame laborantes à Solymano liberaliter adiuti. 417
Veneti Galli Sfortianiq́, Ticinum expugnant. 79
Veneti nullo alio Galliæ regi fœdere alligari uolebant. 217
Veneti legatos mittunt ad Cæſarem, Gallum, & Solymanum. 430
Veneti legatos ampliſſimos ad Cæſarem mittunt. 105
Veneti Obroatium recipiunt, ac diruunt. 337. pacem à Turcis redimunt tradito Nauplio, & Epidauro urbibus. 417
Veneti ad oppugnandum Obroatium profecti à Turcis profligantur. 335. 336 conſilia ſua commodo metientes. 505. Camillum Vrſinum in Dalmatiam mittunt. 337. Oſtrouizzam expugnant, ac euertunt. 337
Veneti quare ſe à fœdere Cæſaris abrumperunt. 376
Veneti Solymanum monuiſſe ferebantur ne integris copijs ad Viennam cum Cæſare confligeret. 318
Veneti ſuperbe Hiſpanorum præſidium ad Preueſam refutarunt. 375
Veneti ſuſpecti quod Himeralē Ambracio ſinu ob Auriæ metum excedere iußiſſent. 209
Veneti Turcico bello ualde afflicti. 417
Vaneti uela iuncis ad antennas colligatis fugam ad Preueſam uidebātur parare. 375
Venetorum, & Lotrechij exercitus numerus. 36
Venetorum Imperator captus. 7
Venetis Turcarum arma à ducentis annis ſemper funeſta. 419
Venetis Solymanus bellum infert. 332
Venetijs detecti qui Reip. arcana propalarent ſeuerißimè dannati. 420
Venetijs ordo rogatorum ad quinquaginta reductus. 430
Veneta & Gallica claſſes ad Auriam oppugnandum re infecta decedunt. 63
Veneta, & Gallica claßis à Sardinia magnis detrimentis acceptis ſoluunt. 69
Venetæ triremes quæ Alexandriam nauigarant à Barbaris uectoribus, & nautis ſpoliantur 318
Venetæ cum Turcis abrupta pacis occaſio. 341
Venuſini Galli deditionem faciunt. 40
Verreius cadit. 41
Verticillus famoſus latro Cæſarianos Neapoli obſeſſos mirifice adiuuat. 48
Verticillus ab Hiſpano Pratore ſpolijs ſuis inhiante ſuſpenditur. 48
Veſtricium Moldauus occupat. 466
Vexillifer Nicolaus Caponius, & quibus conditionib. 22
Vexillum à Florentinis expetitum quibus conditionibus à Caponio conceſſum. 22
Vexilliferorum nomina qui primi Albæ mœnia ſuperaſſent. 407. 408
Vgo Moncata mortuus ad Amalphim urbem tumulatur. 46
Vgo Moncata cum Pōtifice pacem init. 11
Vgo Moncata, cum Pompeio Columna in urbem irrumpit. 11
Vgo Pepulus moritur. 59
Vgo Pepulus Etruſcæ legioni præficitur à Lotrechio. 50
Vicegradi ſitus. 434
Vicontius Turenius à Franciſco ad Clementem miſſus. 15
Vicus antiquitus Claſtidio Iterobuium, hodie Sratella nomen habet. 592
Vidamius. 580
Vienna oppugnatur. 130
Vienna obſidet Solymanus. 117
Viennæ mœnia cuniculis à Turcis aperiuntur, & oppugnantur. 129
Viennæ mœnia prorſus immunita. 129
Villacum olim Vacorium uſque Tribuni militares praeuenerunt. 207
Vuillermus Boioariæ regulus. 183
Villermus Cliuenſis regulus heres à Carolo Geldrio inſtitutus. 421
Villermus Cliuenſis ſub fide publica ad Cæſarem. 423
Villermus ſuſceptum titulum armis defendere cenſebat. 423
Villicus exuſtis fabarum paleis nubem excitans, credebatur ſignum Turcicæ claßis aduentantis Cæſarianis, ac Regijs dediſſe. 360. 361
Vincentius Cerraſa Montis ſacræ arcis regulus ad Gallos deficit. 42
Vincentius Catareus Dalmata Chriſtianos ſeruos ad libertatem arripiendā hortatur. 39
Vincentius Capellius Venetæ claßis præfectus. 365
Vincio qui Anguillotto ſuppetias laturus iuerat redituro Malateſtæ laqueū parauit. 140
Virginius Vrſinus Pontificiarum triremium præfectus uexillum à Pontifice recipit. 377
Viſtarinus Gallos magnis incommodis afficit. 588
Viſtarinus Vaſtium hortatur, ut relicto primo itinere ad ſe Cherio iter faceret. 583
Vitellius egregiè Peſtanis inſidias ſtruit. 519
Vitellius Peſtum expugnari in conſilio aſſerit. 520
Vitellius Turcas erumpentes Peſtum impellit. 519
Vitellius ad Vacciam mittitur exploraturus hoſtium inſidias. 508
Vitellio à Ferdinando aurea pocula donantur. 522
Vitelliani tumultum excitant ex quo Senatores maturius decernebant. 395
Vitriacum iniuſſu Cæſaris incenditur à Germanis. 610
Vlamanes Perſa præfectus Illyrico quot milites paret. 377. 378
Vlamanes Perſa ad Solymanum transfuga. 263. 264
Vldericus Vuirtēbergicus exul à Sueuis expulſus. 226
Vldericus ingenio turbido, crudeli, furioſo. 227
Vldericus ab omnibus ferè ſuis oppidis recipitur. 231
Vldericus Reitlingum obſederat ceperatq́. 226
Vldericus à Sueuis Virtembergenſi ditione ſpoliatur. 227
Vlderici patrimonium emit Cæſar. 227
Vlyxes Vrſinus cadit. 594

Digitized by Google

Volaterra Romanorum Colonia Syllanarum partium. 19
Volaterræ deſcriptio, & ſitus. 151
Volaterrani arcem obſident, ac Pontifici legatos mittunt. 149
Volaterra oppugnatur. 151. 156
Volaterrani Florentiam mittunt alium Prætorem poſtulantes. 147
Volaterrani peius ſecundo quàm priore Prætore multantur. 149
Volaterranus ager inuaditur ab Alexandro Vitellio. 147
Volfangus Hoder ad Poſſonium ſubeuntem Turcarum claſſem magno incommodo efficit. 128
Volfangus uexillifer capitur ac à Solymano ueſte donatus ad ſuos dimittitur. 128
Vmbrico bello ab Aurantio quibus conditionibus finis impoſitus. 113
Vno tempore Solymanus pluribus bellis ſatisfacit. 381
Vrbinum à Medice receptum mœnibus nudatur. 3
Vſarones duo ad Valentinum transfugæ de Auſtrianis fugam meditantib. Turcas edocent. 450
Vſarones Hungari leui armaturæ equites. 15
Vrſinus eruptionem facit. 115
Vtica. 255
Vticæ portum Africæ Cæſar applicat. 279
Vulcanus immoderatæ fortitudinis iuuenis cadit. 406

Z

Zacyntus inſula. 215
Zadares cum ſeptingentis equitibus Turcis Coronem properat. 212
Zadares interficitur. 212
Zafranium promontorium olim Apollinis. 281
Zanobius Bartolinus aliena ſemper à Rep. coquens. 114
Zanobius Bartolinus, & Raphael per urbem uolitant. 116
Zapolia familia. 427
Zeila inſula Indiæ nobiliſsimum emporium. 265
Zida percelebris portus 382
Zidam urbem Eunuchus dolo & immaniter capit. 381
Zirmar Perſa claßis præfectus ad Strigonium occiditur. 548
Zopiam arcem fugientes Turcæ incendunt, 541
Zuccania. 465

FINIS.

BASILEÆ

INDVSTRIA ET OPERA
PETRI PERNAE
SVMPTIBVS VERO HENRI-
CO PETRI ET SIBI
COMMVNIBV

Cum Gratia & Priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

ANNO CIↃ IↃ LXXVIII.
Calendis Martijs.

Digitized by Google

1003092